PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT.*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CLXX.

R. D. D. RUPERTUS ABBAS MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS. HERMANNUS EX JUDÆO CHRISTIANUS. UDASCALCUS MONACHUS AUGUSTANUS. MUNIO MINDONIENSIS, HUGO PORTUCALENSIS IN GALLÆCIA, EPISCOPI, ET GERARDUS PRESBYTER. S. NORBERTUS ARCHIEPISCOPUS MAGDEBURGENSIS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1894

Clichy. — Ex typis PAUL DUPONT, 12, viâ dictâ Bac-d'Asnières. 227.11.93.

SÆCULUM XII.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS

MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS

VIRI LONGE DOCTISSIMI SUMMIQUE INTER VETERES THEOLOGI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM VENETAM ANNI 1748 PRÆVIA DILIGENTISSIMA EMENDATIONE AD PRELUM REVOCATA, VARIISQUE MONUMENTIS AUCTA

Quarto huic et ultimo Ruperti tomo accedunt scriptores nonnulli quorum enumerationem pagina sequens exhibet

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

RUPERTI TOMUS QUARTUS, CÆTERORUM UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1894

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXX CONTINENTUR

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS

HERMANNUS EX JUDÆO CHRISTIANUS.

UDASCALCUS MONACHUS AUGUSTANUS.

MUNIO MINDONIENSIS, HUGO PORTUCALENSIS IN GALLÆCIA, EPISCOPI, ET GERARDUS PRESBYTER.

S. NORBERTUS ARCHIEPISCOPUS MAGDEBURGENSIS.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

AD VENERABILEM

ECCLESIÆ RATISPONENSIS EPISCOPUM CUNONEM

PRO LIBRO

DE DIVINIS OFFICIIS

EPISTOLA

3 *Primitias frugum terræ* (*Deut.* XXIII) quam Dominus dedit mihi, nunc offero secundum præceptum sanctæ ac mysticæ legis, dum præsens opusculum, quod de divinis scripseram officiis, diu expetitum mitto tibi, Cuno pater mi, hactenus abbas cœnobii Segebergensis, nunc autem, adaucta super te Domini gratia, pontifex Ecclesiæ Ratisponensis. Primitiæ namque sunt istæ cunctorum operum, quæ mihi a Domino provenisse gavisus es, et libenter legisti, non dubitans ea commendare, et testificari, quod veraciter sint fruges terræ quam Dominus dedit, id est, veri sensus sanctæ Scripturæ, quam Spiritus sanctus condidit (*II Petr.* I). Multa eorumdem operum tuo nomine attitulavi, nonnulla nomine Domini Coloniensis archiepiscopi Friderici. Hoc autem quod primum erat, et alia pauca sine splendore cujusquam tituli dimiseram, ut ipse nosti. Itaque primitias quidem frugum obtuleram, et dimiseram eas in conspectu Domini Dei, et, adorato Domino, epulabar in Scripturis, juxta quod ibidem protinus lex sancta dicit : *Et, adorato Domino Deo tuo epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi* (*Deut.* XXVI). Sed primitias istas sub nullius obtuleram præsentia sacerdotis, cum lex hoc modo fieri decreverit. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus, accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sim terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis* (*ibid*) : suscipiensque sacerdos cartallum de manu ejus, ponet ante altare Domini Dei tui (*Num.* XXXIV ; *Psal.* LXXVII). Cur non secundum ritum hunc mysticum ad sacerdotem accesserim, dicam : Nondum alicui notus pontifici, et sacerdos qui erat in diebus illis non curaret, neque admitteret me ad professionem hujusmodi ; neque crederet saltem, quod mihi exiguo sorte divisum fuisset quidquam de terra ista intra tribus Israel, in funiculo distributionis. Ego autem sciebam quod neque Moyses neque sacerdotes, sed solus Jesus sorte divisisset terram trans Jordanem tribus Israel (*Josue* XV), et proinde de sacerdotum patrocinio non
4 multum curans, tenebam cartallum, et primitias frugum hujusmodi congerebam, et ponebam ante altare Domini Dei, habebam enim intentionem hanc, et desiderium hoc, ut placeret oblatio mea in conspectu Domini. Audiebam interea tale quidpiam, quod me recordare faceret illius ex historia veteri, quod cum locutus fuisset Dominus ad Moysen dicens : *Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas* (*Exod.* XXV), et illi certatim offerrent, venerunt artifices et dixerunt Moysi : *Plus offert populus quam necessarium est, oblata sufficiunt et superabundant* (*Exod.* XXXV, XXXVI). Simile huic audiebam, quia dicebatur adversum me : Iste scribit quod necessarium non est. Sancti scripserunt, sanctorum scripta sufficiunt et superabundant, non sufficimus legere quæ sancti scripserunt, nedum hæc quæ isti ignoti sine auctoritate de corde suo scribunt. Hæc et alia multo graviora surda aure præteriens, ut totus eram possessus ab ea quæ me tacere non sinebat, dilectione Verbi Dei, et primitias istas et alia nonnulla in cartallo meo congessi, donec venires tu amicus et patronus fidelis, per quem ego innotescerem sacerdoti Domini Ecclesiæ Agrippinensi. Ecce autem tu, sacerdos, gratuita vocatione Domini, tu pontifex factus ex spontanea electione cleri et populi, ad quem cum primitiis, imo et cum cunctis frugibus hujusmodi fiducialiter accedam et dicam : *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sim terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis* (*Deut.* XXVI). Scio enim quod professionem istam libenter accipias, ut dicam, quia Dominus Jesus, qui populo suo traducto per aquas Jordanis, sorte divisit terram in funiculo distributionis, id est qui credentibus et justificatis gratia ipsius *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti* (*Tit.* III) divisiones gratiarum distribuit, meam quoque parvitatem in eadem distributione cognovit secundum funiculum hunc (*I Cor.* XII), quem exprimens Evangelista : *Tunc*, inquit, *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV). Parum dixi quod libenter accipias professionem hujusmodi, imo et hoc veraciter dicere possum, quia nimis, et plus quam vellem insistens, etiam me adjurasti, ut non contentus dixisse tibi, scriberem quoque, qualiter in hanc terræ optimæ partem ingressus sim, cui adjuramento cur obedire necdum ausus sim, Deus scit, et tu mihi conscius, ex parte nosti (1). Suscipies ergo, o sacerdos Domini, cartallum de manu mea, et pones ante altare Domini, majori cum auctoritate quam hactenus feceris, et ego loquar in conspectu Domini, quoties vel tu, vel aliquis exemplo tuo, scripta nostra relegere dignatus fuerit, tanquam fruges terræ quam Dominus dedit, cui Dominus benedixit. Sunt autem præsentium primitiarum libelli XII et deinde cæterorum, quæcunque obtuli, numerum subscribere curavi. Commentariorum in Job librorum X abbreviatum ex abundantia sensuum atque dictorum beati Gregorii.

(1) Alibi fatetur ipse auctor ex divina revelatione se in Scripturis versatum esse.

Tractatus in Evangelium Joannis librorum XIV. Opus de operibus sanctæ et individuæ Trinitatis librorum XLII. Opus in Apocalypsim S. Joannis librorum XII. Opus in XII minores Prophetas librorum XXX. Opusculum de victoria Verbi Dei (quod pene totum proprium est) librorum XII [XIII]. Et opus de gloria et honore Filii hominis secundum Evangelium Matthæi, in quod tu more tuo me impulisti. Et opus ex libris Regum, de glorioso rege David, in quod me Dominus meus Coloniensis archipræsul vehementer impulit, quorum in altero usque ad octavum, in altero usque ad undecimum librum processi (2), in quibus nunc teneor, quæ cum vita comite, perfecero, dimittam et ista per manum tuam in conspectu Domini, et adorato Domino epulabor in omnibus bonis, quæ dederit mihi. Opusculum quoque in Cantica canticorum VII libellis explicui, quod tu tanto libentius legisti, quanto fidelius ac devotius beatam Virginem Mariam, dilecti Filii Dei Genitricem diligis, cujus honori idem opus totum dedicari studui. Hæc commemorans plurimum congratulor tibi quod aliquem jam fructum perceperis magnæ dilectionis, quia Verbum Dei te semper dilexisse et diligere optime novi. Hoc verbum flamma tua est, lux tua est, et hoc habens in corde et in ore, tuo, lucerna tu es quam Deus, qui accendit, non solum absconditam esse noluit, verum etiam majore quam eras in domo majus super candelabrum quam ste erat, poni ac lucere voluit (*Matth.* V). Nec dubito, quin omnis simplex oculus te videns, congaudeat propter lucem verbi, quæ ex ore tuo radiat, credo tanto abundantius, quanto plures in domo sunt, in qua lucem hujuscemodi ministrare debes. Ego præ cæteris exsultare debeo in lumine tuo. Nec vero ad horam exsultare volo, aut debeo in hoc lumine tuo, sed in exsultationem sempiternam tendo, quo et te tendere scio. In hoc est enim vera exsultatio, non quia ditior, aut gloriosor factus es in hoc sæculo, sed quia divitiarum præsentium et hujus gloriæ cumulus atque perfectio manet in cœlo, dum divitiæ præsentes manum implent ad faciendam eleemosynam, cupienti thesaurizare in cœlo (*Matth.* VI). Et gloria præsens, quoniam secundum Deum est, materia fit amplioris dilectionis, et gratiarum actionis, quia misericordiam hanc sociat roborat veritatis spes, juxta illud: *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam, Domine, misericordia te hic exaltavit* (*Psal.* LXXXVIII). Veritas illic te beatum faciet, scientem nunc, et perfectius sciturum tunc sanctorum jubilationem de quibus ita dictum est: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur* (*ibid.*).

(2) Complevit autem postea in Matthæum sane libros XII, in David XV.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE DIVINIS OFFICIIS PER ANNI CIRCULUM

LIBRI XII

PROLOGUS.

Ea quæ per anni circulum ordine constituto in divinis aguntur officiis, et attentum auditorem, et eruditum, ut bene exponantur, expetunt venerabilium Scripturarum didascalum atque symmistem. Altissimarum namque signa sunt rerum, et maxima quæque continent cœlestium sacramenta secretorum; quorum ad majestatem contemplandam, non nisi eruditus et religiosus quispiam aspirare idoneus est. Siquidem ab his viris ordinata hæc, atque in obsequium Domini nostri Jesu Christi, qui est caput Ecclesiæ, instituta sunt (Ephes. I); *qui sacramenta incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejus, et sublimiter intellexerunt, et prædicare voce, litteris atque hujusmodi signis fideliter et sapienter curaverunt. Videlicet imitati sunt hoc pacto benedictos filios Noe, Sem et Japhet, qui nuditatem patris, ridente maledicto Cham, assumpto pallio post dorsum suum, reverenti diligentia contexerunt (Gen.* IX). *Nam, quid aliud Noe de vinea sua quam plantavit (Psal.* LXXIX), *ipse inebriatus dormiensque et in tabernaculo suo nudatus, nisi Dominum Jesum Christum præfiguravit, qui a vinea sua, quam de Ægypto transtulit et plantavit, inebriatus aceto pœnarum (Joan.* XIX), *sopitus somno mortis, id est habitu inventus ut homo, palam quod passibilis mortalisque esset, apparuit? Sed exeat et foris nuntiet, cumque infirmitatis arguat Cham, quod interpretatur* calidus, *scilicet omnis hæreticus calens ad rixam, contentiosus et impatiens. Nam* inclytus Sem, et dilatatus *Japhet, videlicet catholici atque Apostolici Patres, honesto sacramentorum pallio, propter nos assumptam ornant et venerantur infirmitatem, et hoc post dorsum suum, quia sane infirma illa transierunt, nec ea præsentes ipsi viderunt. Hæc vero sacramenta celebrare, et causas eorum non intelligere, quasi lingua loqui est, et interpretationem nescire.* Qui autem lingua loquitur, *inquit Apostolus,* oret ut interpretetur (*I Cor.* XIV) *Hoc inter spiritualia charismatum dona, quibus Ecclesiam suam Spiritus sanctus exornat, magis æmulari nos hortatur, ut prophetemus, id est, ut ea quæ spiritu oramus aut psallimus, mentis quoque intelligentia capiamus. Sed non omnino, quemadmodum si orem lingua, spiritus quidem meus orat, mens autem sine fructu est, ita*

de his quoque sentiendum est. Nam qui mysteria vel signa Ecclesiæ fideliter et pie frequentant, quamvis causas eorum scire non potuerint, non tamen sine fructu sunt. Ideo quippe hæc instituta sunt, ut miro modo secreta Dei, quæ a paucis possunt intelligi, pene ab omnibus possint agi. Nunquid quia in operando soli vident oculi, cætera membra, quæ non vident et tamen operantur, sine fructu sunt? Sed unumquodque membrum suam dignitatem habet. Præeminent autem oculi, qui cætera ducunt et dirigunt; igitur sacramentorum omnium opificem invoco Spiritum sanctum, ut qua per sanctos Patres hæc ordinavit, eadem mihi secundum sensum et auctoritatem Scripturarum, *aperire dignetur gratia. Visum est autem hoc opusculum sic ordinari, ut primum ea quæ pene quotidiana sunt, deinde quæ certis temporibus et causis variantur, digeram, ipso adjuvante Christo, cujus pio sanguine universa terra purpurata est, cujus victoriis cœlum floret, cujus mysteriis tempora insignita sunt, cujus memoria dies et horæ ornatæ sunt. Illud a bonis omnibus hujusce studii merium vel dignitas impetrare debebit, ut, quamvis vetus cum suavitate vinum bibere assueti sint, nostra tamem musta despuenda non judicent. Neque enim auctoritati veterum quidquam detrahimus. Ammalarii scilicet et aliorum, si qui forte scripserunt de hujusmodi, sed licuit, semperque licebit cuique dicere salva fide, quod senserit. Primum qaidem quotidianum nostræ servitutis pensum, videlicet septem diei horæ, quas canonicas, id est regulares dicimus, unde causas institutionis acceperint, jam dicendum est.*

LIBER PRIMUS

7 CAPUT PRIMUM.
De horis canonicis.

Septem canonicas horas diei non licet a quoquam, qui in conspectu Dei vacuus et ingratus apparere nolit, negligenter præteriri. Hæ siquidem Creatori nostro deferunt laudes, et pro certis ac magnis ejus beneficiis quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Sol namque verus et dies æternus Christus, duodecim habens horas spirituales, et sempiterne secum stantes, has septem horas temporaliter currentes clarissimis misericordiæ suæ radiis illustravit atque dedicavit. Singularum rationes de thesauro Scripturarum proferemus.

CAPUT II.
De prima.

Prima hora Creatori nostro laudes referre debemus, ante omnem curam corporis, qua scilicet hora Dominus noster jam consputus et illutus, atque alapis cæsus, et adhuc opprobriis saturandus Pilato propter nos ligatus astitit (*Matth.* XXVII). Itemque, redivivus stans in littore, cum in captura piscium a quibus retia rupta non sunt, significasset Ecclesiam, qualis futura est in resurrectione mortuorum, mellitum cum septem discipulis celebravit convivium (*Joan.* XXI). Quia ergo primum quærendum est regnum Dei, et cætera adjicientur nobis (*Matth.* VI); et in lege jubet Dominus omne sibi primitivum offerri (*Exod.* XIII, XXIII), primum offeramus horam diei nostro Redemptori, et quæramus regnum ejus, « qui passus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV). »

CAPUT III.
De tertia.

Hora tertia duplici ratione splendet insignis. Namque hac hora Dominus Jesus spinis coronatus, et linguis Judæorum crucifixus est (*Matth.* XXVII), juxta illud : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus (*Psal.*

A LVI, » videlicet quia Pilato judicante illum dimitti « firmaverunt sibi sermonem nequam (*Psal.* LXIII), » pertinaciter clamando : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX). » Et Spiritus sanctus, qui in remissionem peccatorum non fuerat datus, antequam Jesus esset glorificatus, super nascentem Ecclesiam in igneis linguis effusus est, et est impletum discipulis promissum Domini dicentis : « Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* I). »

CAPUT IV.
De sexta

Hora sexta Christus Dominus propter nos in cruce exaltatus est, ut ad se omnia traheret, et exstincto modico lumine Judæorum, de quo ipsa lux vera dixerat : « Adhuc modicum lumen in vobis est, currite dum lumen vitæ habetis, ut non tenebræ vos comprehendant (*Joan.* XII). » Corporalibus B quoque super terram irruentibus tenebris, lumen verum transivit ad illuminationem gentium.

CAPUT V.
De nona.

Nona quoque hora, jure in laudem Dei clamamus, quando « clamans » Dominus « Jesus voce magna emisit spiritum, » latrone admisso in paradisum (*Matth.* XXVII; *Luc.* XXII; *Marc.* XV), et venia, quamvis sero, veraciter pœnitentibus et confitentibus delicata, et rescisso velo legis et prophetarum, cœpimus revelata facie contemplari gloriam Domini. Tunc etiam latere ejus perforato formandæ Ecclesiæ profluxerunt elementa [sacramenta], sanguis quo redimimur, aqua qua abluimur (*Joan.* XIX).

C 8 CAPUT VI.
De matutina et vespertina synaxi.

Vespertinæ atque matutinæ laudis sacrificium magnis est nobis sacramentis dedicatum. Omitto quod in umbra veteris Instrumenti, mane et vespere jugiter offerebatur holocaustum, de quo dicit lex : « Sacrificium est Domino in odorem suavitatis oblatione

perpetuo in generationes vestras (*Exod.* xx). » Ad A evangelicam enim propero gratiam. Inde harum splendide clarescit horarum dignitas. Vespere Dominus panem et vinum assumens, et veritatem sui corporis et sanguinis repræsentans (*Matth.* xxvi; *Luc.* xxii), suis portatus in manibus, testamentum scribit suis hæredibus (*Hebr.* ix); humilitatem scilicet et charitatem, lavando pedes discipulorum, maxime commendans, iterumque recumbens, longi solemnitate sermonis, amicis et filiolis jam moriturus ultimum vale dixit (*Joan.* xiii). Item in vespera sepelitur (*Matth.* xxvii). In vespera nihilominus apparens vivus in habitu peregrini, cognoscitur in fractione panis et hospitalia discipulorum corda injecto suæ charitatis igne succendit (*Luc.* xxiv). In matutino Petrum, qui ter negaverat, galli cantus redarguit, B Dominus respicit, et negator pœnitens ad lacrymas confugit (*Matth.* xxvi; *Luc.* xxii.) Item, diluculo sanctis mulieribus resurrectione Domini a dealbatis angelis annuntiata, tristitia fidelium jam incipit converti in gaudium (*Matth.* xxviii). Quæritur vivens cum mortuis, et vivum se ostendit, tangi quoque dignatur et adorari (*Luc.* xxiv; *Joan.* xx). Notandum quod cum cæterarum septenæ sint partes horarum, id est versus *Deus, in adjutorium meum intende*, cum *Gloria Patri*, *hymnus*, *psalmi*, *lectio*, *responsorium* vel *versus*, *supplicatio Litaniæ*, et *oratio completiva*. His horis octavum additur *canticum de Evangelio*, quia scilicet canuntur pro octava, spectant enim in beatitudinem resurrectionis, qua maxime insignitæ sunt, juxta sensum illius evangelici capituli: « Vespere Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati (*Matth.* xxviii). » C

CAPUT VII.

De completorio.

Hora completorii nobis illud commemorat de passione Domini, quod jam egresso Juda, « pavere cœpit et tædere (*Marc.* xiv), » factusque in agonia, prolixius oravit, et sanguineas guttas prostrato corpore sudavit (*Luc.* xxii), torcular tunc solus calcans (*Isa.* lxiii), et in futuro sanguinem martyrum pro posse fundendum præsignans. Itemque illud de resurrectione ejus, quod priusquam fecerat pacem inter Deum et homines (*Ephes.* ii), legatus fidelis rediens evangelizavit nobis, stans in medio discipulorum suorum, dicens eis: « Pax vobis (*Joan.* xx). » D

CAPUT VIII.

De vigiliis nocturnis.

Vigilias nocturnas, de quibus et Propheta: « Media, inquit, nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* cxviii), » item evangelicæ nobis gratiæ claritas magnificentius instituit. Nam Dominus noster, media nocte de Virgine natus (*Luc.* ii); itidem, ut Samson quondam obsessus ad Allophylis (*Jud.* xvi), media nocte confractis portis inferi surrexit a mortuis (*Matth.* xxviii). Media nihilominus nocte venturus asseritur (*Matth.* xxv). in similitudinem Ægyptii temporis, quando pascha celebratum est, et exterminator venit, et Dominus super tabernacula transiit, et in typum nostrarum frontium sanguine agni postes consecrati sunt (*Exod.* xii). « Unde reor, inquit beatus Hieronymus, traditionem apostolorum permansisse, ut die vigiliarum Paschæ ante noctis medium dimittere non liceat populos exspectantes adventum Christi, et postquam advenerit illud tempus, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. »

CAPUT IX.

Cur vesperæ vel matutini, ordine a cæteris differunt horis.

Cur autem, exceptis nocturnis vigiliis, hæ septem sint horæ diei, matutini, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorium, matutini et vesperæ a cæteris horis et numero psalmorum et ordine hymnorum, non immerito differunt. Nam ex Veteri quoque Testamento, antiquam, ut dictum est, auctoritatem trahunt. Nec enim nihil momenti habere debuit in his antiquitas illa matutini et vespertini sacrificii et, ut supra repetam, immolatio paschalis agni, quæ fiebat in vespera (*Exod.* xii), et illud quod fiebat in vigilia matutina, quia respexit Dominus supra castra Ægyptiorum, et interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum (*Exod.* xiv). Itemque illud quod in mundi creatione, aliis horis tacitis, commemorantur vespere et mane, in senaria divinorum operum distinctione (*Gen.* i). Jure ergo hymnum, qui est evangelicæ lætitiæ, exemplo Domini, qui hymno dicto exivit in montem Olivarum (*Matth.* xxvi; *Marc.* xiv); his duntaxat horis psalmi vetustæ auctoritatis antecedunt, et quia ex Evangelio maxima sacramenta commemorant, et ob hoc evangelicis decorati sunt canticis, hymnos eisdem pene conjunctos habent. Completorium quoque, quia apud quosdam canticum de Evangelio habet, cum eodem cantico post psalmos hymnum habet contiguum. Nec mirum, cum in psalmorum quoque titulis, nunc *Psalmus cantici*, nunc *Canticum Psalmi* (*Psal.* xxiv. lxv), et ipsa commutatio ratione non careat. Omnium in commune horarum dignitatem reverendam et hoc indicat, quod earum initium, et finem pariter referimus ad Deum. Nam initio Deum *in adjutorium* invocamus, in fine *Deo gratias* referimus.

CAPUT X.

De ordine horarum in festivitatibus.

Quoties de tempore gratiæ, materiam laudis sumptam habemus, verbi gratia, diebus Dominicis et sanctorum natalitiis, genua in ipsis horis non flectimus, stando proferentes libertatem et gratiam (*Gal.* iv; *Ephes.* ii), quæ colli nostri, qui eramus curvi, jugum ferreum confregit (*Jer.* xxviii), ut incederemus recti (*Isa.* xlv). Tunc et vigilias in tribus dispartimur nocturnis, ut non solum verbo, sed etiam facto, tres vigilias prædicemus, de quibus ait Dominus: « Beati servi illi quos, cum venerit Dominus invenerit vigilantes; et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia, et ita invenerit, beati

sunt servi illi (*Luc.* XII). » Tunc legendi atque canendi officia, quæ ad ædificandam Ecclesiam instituta sunt, numerosius concrepant, ut nos præparemus ad aperiendum Domino, quacunque hora pulsaverit (*Apoc.* III), ad modum duarum Veteris Testamenti tubarum, quæ ad movendum castra crebrius atque concisius clangere jussæ sunt (*Num.* XX). Ipsa autem lectionum pluralitas non eadem in omni ordine est. Nam clerici novem, monachi duodecim legunt. Illis novenarius est tetragonus, id est æquis undique quadrus lateribus, hoc innuit quod verbum 9 et opus prædicatorum æqualia semper esse debent, his vero duodenarius inæqualibus constans lateribus. Nam ter quatuor vel quater tria, duodecim faciunt. Hoc insinuat, ut in uno magis extendantur, et exemplo Jacob, cum Domino luctantes claudicent (*Gen.* XXXII), scilicet minus operantes, ut amplius meditari queant hi qui fidem Trinitatis mundo quadrifido prædicant. Nam in utroque ordine pluralitas lectionum pluralitatem significat prædicatorum, qui ex tempore gratiæ plures in mundum missi sunt. Sic enim profunda nocte gallus rariores atque productiores cantus edere solet, vicina vero die crebriores atque citatiores, sic ante incarnationem Dominicam pauci et rari, post vero multi et crebri præcones vitæ missi sunt. Paucitatem anteriorum in tribus privatarum noctium lectionibus, multitudinem posteriorum in Natalibus Domini vel sanctorum Novi Testamenti significamus. Adeo autem causa hæc vim rationis obtinuit, ut Romanus ordo, qui divinarum rerum causas secundum apostolicam fidem laudabiliter executus est, in ipsa nocte paschali non plus quam tres lectiones habere decreverit. Illa namque nocte prædicatores sancti, scilicet apostoli, et numero pauci, et metu Judæorum muti, et de morte Domini mœsti, videri fugiebant, audiri metuebant. Nam in ipso crepusculo, referentibus sanctis mulieribus quod resurrexisset Dominus, et quod visus esset ab eis, non crediderunt, et visa sunt coram eis quasi deliramenta verba hæc (*Luc.* XXIV). Nec solum illa nocte, sed exinde quoque usque ad Pentecosten, causam eamdem in paucitate lectionem considerat, quando prædicatores sancti et numero plures, et fervore sancti Spiritus facundi sunt. Non tamen minus rationi appropinquant, qui majestatem solemnitatis attendentes, integrum et solemnem lectionum observant numerum, quia et si apostoli muti fuerunt (*Matth.* XXVIII), angelorum alloquia, et ipsius Domini frequens visitatio (*Joan.* XX, XXI), valde celebris et sequenda prædicatio est.

CAPUT XI.

Cur lectiones oratione prævenimus

Prædictas lectiones ideo oratione prævenimus, quia rogare debemus Dominum messis ut mittat operarios in messem (*Matth.* IX), et ut aperiat cor nostrum in lege sua et in præceptis suis (*II Mach.* I), ne semen verbi Dei, quod audituri simus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia A petræ frustrata radice supplantet (*Matth.* XIII, *Luc.* VIII).

CAPUT XII.

De « Jube, Domine. »

Lecturus vero, benedictionem petens, hoc significat, quod nemo nisi missus aut permissus, officium prædicandi usurpare debeat. « Quomodo enim prædicabunt, inquit Apostolus, nisi mittantur? (*Rom.* X). »

CAPUT XIII.

De « Tu autem, Domine. »

Quodque in fine dicit : *Tu autem, Domine, miserere nostri,* hoc innuit ne ipsum quidem bonum officium prædicandi sine alicujus vel levis culpæ pulvere posse peragi. Nam, ut ait B. Agusti- B nus : « Verbum prædicationis securius auditur quam dicitur. » Prædicator quippe cum benedicere se sentit difficile nimis est, ut non quantulumcunque spiritu elationis tangatur. Et quia quasi per terram ambulat, et pedes ejus aliquo pulvere sordidantur, idcirco misericordia Dei indiget, ut in hac parte lavetur, etiamsi mundus sit totus.

CAPUT XIV.

De « Deo gratias.

Quod vero *Deo gratias* succinit chorus, non ad ultimam precem lectoris, sed ad totam lectionem respicit. Gratias namque agimus Deo, quod doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, ne fame audiendi verbum Dei pereamus (*Isa.* XIV; *Luc.* XV). Nam et lectiones, quarum in fine. *Tu autem,* C *Domine*, non dicitur, scilicet ad capitula horarum regularium quia verbum Dei est, in quo vivit omnis homo (*Deut.* VIII; *Matth.* IV), *Deo gratias* succlamamus.

CAPUT XV.

De responsoriis.

Responsoria, quæ post lectiones canimus, nobis innuunt sanctis monitis Dei factis nos respondere debere, ne simus similes pueris sedentibus in foro, ludentibus ac dicentibus : « Cantavimus vobis, et non saltastis, lamentavimus vobis, et non plorastis (*Luc.* VII). » Dicuntur enim a respondendo. Tristia namque tristibus, et læta lætis debemus succinere lectionibus. Si quidem neque moris est, neque decoris, ut, cum lector tristia dixerit, verbi gratia, D quæ sunt pœnitentiæ, sive lamentum aliquod Dominicæ passionis, chorus in responsorio saltet de gaudio regni et gloria resurrectionis. Sed dum lector velut « Joannes non manducans neque bibens (*Matth.* XI) » prædicat pœnitentiam nos itidem in responsorio ploramus ; dum ille, velut « Filius hominis, manducans et bibens (*ibid.*), » cantat nobis de gaudio regni, succinentes eidem, apte saltamus. Quodque uno præcinente, tam in his quam in cæteris ejusmodi, chorus concorditer sequitur, illud astruit quod Apostolus obsecrat, ut idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata (*I Cor.* I).

CAPUT XVI.

De campanis.

Sonora esse instrumenta in Ecclesia quibus ad laudem Dei populus excitetur, divinæ auctoritatis et antiquæ consuetudinis est. Nam olim tubæ aut campanæ, diversa quidem specie, sed eadem habentur ratione. Legimus in Levitico tubas ex jussu Domini factas, quarum usus esset in Jubilæo (*Levit.* XXIII, XXIV; *Num.* X), tantæ virtutis, ut ad crepitum earum corrueret Hiericho (*Josue* VI). Et Paralipomenon inter cantores, nablis arcana cantantes et inter levitas pro octava canentes, concinente et subsiliente David, septem tubarum clangorem personante coram arca fœderis Domini (*I Paral.* XV). At nunc ad confitendum Domino et ad annuntiandum mane misericordiam ejus et veritatem ejus per noctem (*Psal.* XCI), et æneа signa personant, et ad omnem horam divini officii, tanquam in exordio præclaræ orationis, has partes tenent, ut attentos docilesque ac benevolos divinæ laudis auditores efficiant. Hæc igitur Ecclesiæ signa atque illæ legales tubæ, unum atque idem significant scilicet sanctos Ecclesiæ prædicatores, qui « ad Sion montem et civitatem sanctam, cœlestem Hierusalem, et multorum millium angelorum frequentiam (*Hebr.* XII), » et ad futurum Dei judicium populum invitant **10** et præparant, magnitudine rei, magnitudine dicendi, qui possunt, exprimere contendunt, ut repositas intrinsecus aures cordis percellere, sensumque surdi auditoris ad audiendum flectere et vincere contendant. Quamvis ad potiora festinet oratio, prætereundum non est quomodo prædicator perfectus hujusce signi quadam similitudine formetur. Duritiam metalli, fortitudine mentis, plectrumque ferreum quo sonus eliditur, constantia sermonis imitetur. « Ecce dedi, ait Dominus, faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, et ut adamantem, et silicem faciem tuam (*Ezech.* III.) » Fugiens quoque terrenam habitationem, et dicens : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III), » sursum cor suspendat, pendensque de turri fortitudinis, quæ stat contra faciem inimici (*Psal.* LX), speculatorem se meminerit positum esse domui Israel (*Ezech.* III). Gestet autem lignum crucis in capite, id est in principali suo, quod est mens, funemque exinde colligatum, id est vinculum charitatis, usque ad infirmos fratres, quasi usque ad terram porrigat, quo commonitus, personare, et os suum dilatare nunquam desistat, dicens : « Charitas enim Christi urget nos (*II Cor.* V). » Ita custos super muros Hierusalem constitutus, non taceat, sed quocunque viderit vel audierit annuntiet, juxta illud : « Qui reminiscimini Domini, ne taceatis et ne detis silentium ei, et tota die et tota nocte (*Isa.* LXII), » instans opportune, importune (*II Tim.* IV), his qui dormiunt in lectis eburneis, et lasciviunt in stratis suis (*Amos.* VI), non taceat laudare nomen Domini, ne usque ad matutinum, id est usque ad tremendum Dei judicium male pacato consepulti somno pereant. Ad postremum illud notandum, quod quemadmodum ex tempore gratiæ plures prædicatores mimi crebrius theologicis concrepant symbolis, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est eis (*Rom.* XII), differentes ita signa prædicta quantitate et sono differentia, quoties aliqua donationis evangelicæ festiva commemoratio fit, tumultuarius tinniunt, et personant crebrius, et productius reboant, ut dormientes in nocte, et ebriosos (« qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui enim ebrii sunt, nocte ebrii sunt (*I Thess.* V) ») ad laudem Dei quasi violenter excitent. Et si non evincunt sic, ut eos exsurgere cogant ad orandum, ne intrent in tentationem, saltem secure dormire non permittant. Trinum itaque solemnis diei classicum, id est matutinum, sic imitetur, evangelicus prædicatorum chorus, ut semper prædicet, lamentationes præsentis vitæ, carmen futuræ, væ, gehennæ!

CAPUT XVII.

De ministerio altaris.

Jam nunc ad thesaurum summi sacramenti, scilicet ad missæ secretarium accedere, quotidiani cursus ordo situs exposcit. Quod si mihi pervium fecerit thesaurarius salutis atque ordinator charitatis, si aperuerit clavis David, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit (*Apoc.* III), gratulari, et cantare licebit animæ meæ, quod eam rex in cellam vinariam introduxerit (*Cant.* II). Hoc enim sacrarium propriationis est, hoc illud propitiatorium, in quod versis vultibus duo cherubin (*Exod.* XXV), id est duo Testamenta mutuo se aspiciunt. Nam quod in Veteri Testamento promissum, præsignatum et a longe salutatum, in Novo autem datum, revelatum et palam est factum, hic præsentialiter exhibetur, non in umbra, sed in veritate, non in figura, sed in re (*Hebr.* IX, X). Hic illud agitur, in quo noster David insanire videbatur regi Achis, quando tympanizabat pendens in cruce, et impingebat ad ostia civitatis (*I Reg.* XXI), id est ad conclusa corda non credentia sibi, quando ferebatur in manibus suis tenens panem et vinum, et dicens : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus novum testamentum (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII), » quando defluebant salivæ in barbam, id est videbatur loqui infantilia, dicens ; « Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI). » Fugit quippe ab illo populo suo, quem nunc vocat Achis, in est quomodo est, eo quod dixerit ; « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? (*ibid.*) Vocabat autem eum prius Abimelech, id est patris mei regnum, et accepto regno super verum Judam verumque Israel, nunc mysticum sensum Paralipomenon, « indutus stola byssina, vestitus Ephod lineo, » præcentor inclytus choros ducit sacrificans, et subsilit coram arca fœderis Domini (*I Par.* XV). O regem, o sacrorum principem ! Quid sibi vult tantum, tam clari capitis

tripudium, dum tendit arcæ Dei tabernaculum, et indutus Ephod offert holocaustum, et in nomine Domini benedicit populum, ad quem, cum esset de tribu Juda, non pertinebat sacerdotium? (*I Par*. XVI.) Sed repulit Dominus tabernaculum Sylo, et occisis sacerdotibus Sylo elegit tribum Juda, elegit David servum suum (*Psal*. LXXVII). Ecce prægesti de rex tribu [*f*. prælegit rex de tribu, etc.] Juda confidenter agere in his, quæ deberi sciebat filio suo, Domino suo, in quem hæc dicebat : « Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Matth*. XXII; *Psal*. CIX). » Ecce imperat sacerdotibus, mandat levitis, ut sanctificentur, cantores constituit, eligit qui cantent arcana, qui canant pro octava, qui clangant tubis, qui personent buccinis, qui concrepent lyris, cymbalis, nablis, organis (*I Par*. XV). In his omnibus ad filium respicit. « Ascendens enim in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal*. LXVII; *Ephes*. IV). » Sciendum namque arcam Domini, quæ interdum pro quovis rectore Ecclesiæ accipi consuevit, multo magis convenienter designare humanitatem Salvatoris Christi, quæ in latere fenestram habet, id est, vulnus lanceæ quo fluxerunt aqua et sanguis (*Joan*. XIX), intus continens manna, id est unitum sibi verbum Dei, et tabulas testamenti (*Hebr*. IX), quia « in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Col*. II), » et virga sacerdotalis et regiæ potestatis. Arcam ergo Dei noster David, mortis imperio, quasi regno Saul destructo, deducit in Hierusalem, et collocat in tabernaculo cœli, quod ipse tetendit (*II Reg*. VI). Quod respiciens Ecclesia diebus proximis sanctæ resurrectionis, exemplo prioris populi se excitat ad concinendum suo David, dum hoc responsorium cantat : *Decantabat populus in Israel alleluia* (*I Par*. XV). Canit ergo universa multitudo Jacob legitime, et ipse David cum cantoribus citharam percutit in domo Domini. Quidquid enim Israel canit, hoc magistro, hoc præcentore, citharas cordium digito Dei percutiente, didicit. Ab hoc concitatus jubilus chordis in voces corporeas chorique concentum, nunc graviter, nunc acute aut excellenter erumpit, et magni corporis Ecclesiæ per omnes gentes diffusæ, quia una fide resonat, cantus pariter, et in simul ubique et undique multiplex et unus ab ipso suaviter auditur. Igitur ordinem altaris, ordinem magnæ et interminatæ rationis jam libet attingere, et eorum quæ præcesserunt in capite, scilicet Christo, sacrorum principe sacerdotibus, qui sunt membra corporis, imitationem, ipso aperiente, vel ex parte cognoscere. Et primum de sacerdotalibus vestibus dicendum.

11 CAPUT XVIII.

De habitu sacerdotis.

In habitu sacerdotali nihil esse quod vacet a ratione, apud veteres quoque constitit, sicut beatus Hieronymus scribens ad Fabiolam testis est. Apud nos ergo quanto sacerdotium Christi veteri sacerdo- A tio dignius est, tanto in habitu sacerdotali causas habere probatur digniores. Illi enim sacras vestes secundum colorem, materiam positionemque cujusque ad quatuor elementa mundi, ad duo hemisphæria cœli partesque Zodiaci, ipsumque cœlum referentes, ad ultimum in auri lamina, quæ in fronte pontificis erat, inscriptum habens ineffabile Dei nomen (*Exod*. XXVIII), hoc significari volentes, quod omnia quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernentur, justum esse commemorabant, ut pontifex Creatoris [Creatorem] non solum pro Israel, sed et pro universo mundo rogaret, licet nostri et beatus Hieronymus, juxta morem suum, in his quoque spiritualis intelligentiæ vela pandere soleant. Quoniam ergo nec vetera ratione caruerint, nos exemplaria cœlestium supergressi, ipsa potius in vero sacerdotio B cœlestia contemplemur.

CAPUT XIX.

De amictu.

Sacerdos in officio altaris, capitis sui, scilicet Christi, cujus membrum est, personam gerit. Quidam amictu caput suum obnubit, donec super os casulæ illum revolvat, et velut caput aut coronam illi coaptet. Illud est quod in Apocalypsi legimus angelum fortem descendisse de cœlo, amictum nube (*Apoc*. X); et in Isaia : « Ecce Dominus ascendit super nubem candidam (*Isa*. XIX). » Veniens enim ad salvationem mundi, Dei Filius, Angelus magni consilii, nube amictus est, dum divinitatem suam, quæ est caput et principium, in nostra carne abscondit. Hoc ergo carnis latibulum prima vestis sa- C cerdotis, id est amictus significat.

CAPUT XX.

De alba.

Alba lineum vestimentum et strictum, quæ, ut Hieronymus ait, Hebraice dicitur *ephobad*, et est ab antiquo sacerdotalis ac levictici generis, longissime distans a tunicis pelliceis, quæ de mortuis animalibus fiunt, quibus post peccatum vestitus est Adam (*Gen*. III), utpote nihil mortis habens, sed tota candida, novam vitam sacerdotii ejus designat, quam docuit et in baptismo dedit, ut de baptismo surgentes, cingamus lumbos in veritate (*Ephes*. VI), et tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur. Unde et David : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal*. XXX). » D Lingua ejusdem vestimenti sursum affixa cœlestem ejus doctrinam insinuat. Unde Joannes : Qui de cœlo venit, inquit, super omnes est, cujus testimonium qui accipit, signavit, quia Deus verax est (*Joan*. III). »

CAPUT XXI.

De stola.

Stola, quæ super amictum collo sacerdotis incumbit, obedientiam significat Filii Dei et servitutem, quam Dominus omnium propter sæculorum salutem obiit (*Gal*. IV). Nam, quod cum magna reverentia cogitandum est obedienter passus et mortuus est Filius Dei (*Phil*. II), causam quippe mortalitatis,

scilicet peccatum nec origine contraxit, nec actu A admisit, et idcirco morti nil debuit. Sed dedit illi calicem Pater, non judex; amore, non ira; voluntate, non necessitate gratia, non vindicta. Et sicut Jacob liber et ingenuus, præcepto patris Isaac, et matris consilio Rebeccæ parens, servivit Laban, ut Rachel et Lyam in conjugium duceret (*Gen.* XXXVIII, XXXIX), sic Filius Dei, præcepto Patris et consilio Spiritus sancti obediens, servivit mundo, subjectis humeris ejus peccata portando, ut Synagogam de Judæis et Ecclesiam de gentibus assumeret. Cum ergo sacerdos stolam accipit, meminisse debet et scire, quia grande jugum, licet suave, grande, licet leve, super se tollit (*Matth.* XI).

CAPUT XXII.

De casula.

Casula magni sacerdotis nostri, Christi vestimentum, significat illud vestimentum veri Aaron, cujus in oram descendit unguentum, quod est in capite, primum descendens in barbam ipsius Aaron (*Psal.* CXXXII). Quod est illud vestimentum? Sancta Ecclesia catholica. Nam barba Aaron, quod interpretatur *mons fortitudinis*, barba, inquam, Aaron, id est Christi apostoli sunt, atque apostolici viri, fortes et perfecti. Unguentum autem regale et sacerdotale Spiritus sanctus est, cujus tota plenitudo est in capite, scilicet Christo (*Col.* II), atque inde primum in apostolos quasi in barbam, deinde in totam Ecclesiam, et usque in extrema membra Ecclesiæ, quasi in oram vestimenti descendit. Casula ergo, vestimentum Christi, quod est Ecclesia, significat. Est autem integra et undique clausa, ut unitatem vel integritatem veræ fidei demonstret. Huic autem superducitur, et ori ejus apte circumponitur amictus, quo ante caput sacerdotis tegebatur. Quem, nubem humanitatis ejus, in qua latuit divinitas, significare jam diximus, quia videlicet caput, corona et decus Ecclesiæ humanitas Christi est, caput autem humanitatis Deus (*Ephes.* I; *I Cor.* XI). In eo vero quod casula, cum sit una et tota integra, aptatione manuum, quæ extensionem manuum crucifixi Domini apte depingit, in anteriorem et posteriorem partem quodammodo dividitur, antiquæ Ecclesiæ quæ passionem Domini præcessit, et novæ quæ subsequitur signum est.

CAPUT XXIII.

De tunica.

Quæ hactenus dicta sunt, presbyteris et episcopis sunt communia; quæ vero sequuntur episcoporum propria. Tunicam quam subter casulam habet pontifex, in veteri sacerdotio coloris erat hyacinthini, tintinnabulis, et malis punicis inferiori parte pendentibus, ut totus vocalis incederet pontifex, ne moreretur (*Exod.* XXVIII). Significat autem, ut Hieronymus ait, rationem sublimium, quæ non patet omnibus, sed majoribus et perfectis. Hanc habuerunt Moyses, et Aaron et prophetæ, omnesque quibus dicitur: « In montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa.* XL). » Præcipue vero hanc habuit tunicam evangelicæ textus doctrinæ, sapientia Dei, Christus Dominus, et dedit illam apostolis suis. « Omnia enim quæcunque audivi a Patre meo, inquit, nota feci vobis (*Joan.* XV). » Sed non nisi Spiritu sancto superveniente, induere vel portare potuerunt. Hanc quoque signavit illa tunica Domini, quam scindere milites **12** noluerunt, eo quod esset inconsutilis, desuper contexta per totum (*Joan.* XIX), damnum fore maximum significantes his qui Christianæ fidei Scripturam hæresibus scindere conarentur.

CAPUT XXIV.

De sandaliis.

B Sandalia pontificis illud significant Dominicæ incarnationis calceamentum, de quo ipse in psalmo: « In Idumæam, inquit, extendam calceamentum meum (*Psal.* LIX), » id est gentibus notam faciam incarnationem meam. Ut enim sacerdotio fungeretur pro nobis Filius Dei, nostra carne quasi calceatus in hunc mundum venit. Sandalia ergo pontificis incarnationem, ut dictum est, significant Filii Dei. Et pulchre quod in amictu capitis idem in calceamento pedum signatur; nam et in carne divinitas latuit, et per carnem ejus notitia universum mundum percurrit. Per lingulas, quibus ipsa pedibus sandalia constringuntur, idipsum accipimus quod Joannes Baptista per corrigiam calceamenti signasse probatur, cum de sponso Christo loquens: « Cujus, inquit, non sum dignus corrigiam calceamenti ejus C solvere (*Marc.* I; *Luc.* III). » Copulam ergo illam ineffabilem, charitatem inæstimabilem, vincula sancti Spiritus insolubilia, quibus divinitas Verbi nostræ carni se conjunxit, per sandaliorum corrigias designari accipimus. Præterea dum tam sacrum tamque mysticum pontifex pedis sui spectat ornatum, meminisse debet et scire se quoque pedem esse speciosum, juxta illud: « Quam pulchri supra montem pedes annuntiantis et prædicantis pacem (*Isa.* LII), » etc.

CAPUT XXV.

De annulo.

Annulus digiti donum significat Spiritus sancti, quo dives et ornatus ad Ecclesiam suam descendit Filius Dei, quodque credentibus in se per multas D et differentes donationes secundum beneplacitum suum distribuit, alii dans sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ (*Rom.* XII; *I Cor.* XVII), etc. Harum divisiones gratiarum invisibiles imitatur visibiliter, utpote Christi vicarius, catholicus pontifex, per sacrorum divisiones ordinum, ponens quosdam in Ecclesia sacerdotes, alios diaconos, et cæteros sacri altaris officiales. Latius autem significatio prædicti extenditur annuli, quia dum omni Ecclesiæ sanam doctrinam et fidem integram prædicat, velut oppignoratam annulo sponsam Christo subarrat. Non ergo ab re in ejus digito gemmatus fulget annulus, per cujus ministerium Chri-

stus Dominus tam fulgida distribuit dona sancti Spiritus.

CAPUT XXVI.

Quod signo crucis aurea lamina cessit.

Signo crucis Christi aurea lamina veterum pontificum cessit, quod olim erat in fronte micans octavum decus pontificum (*Exod.* XXVIII), inscripta nunc est pene eadem ineffabilis majestas nominis. Illic enim erat ineffabile nomen Dei, hic est inæstimabile mysterium crucis. Crux namque inæstimabile signum est, admirabilis virtus est. Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, destructio superborum, consolatio pauperum, sustentatio inopum, spes desperatorum. Crux regum magnificentia, sacerdotum gloria. Crux igitur aurea lamina sacratius ornamentum. Nec statim occurrant, decus hoc ideo non esse pontificis, quia cum illo toti quoque commune est plebi. Nam illa dignitas habet in hoc aliquid quod nec inferioris ordinis sacerdotibus commune sit. Sic enim in fronte sua Christicolarum signifer hoc vexillum bajulat, ut in subjectæ plebis frontibus soli sibi sacro chrismate pingere liceat. Sicut apostolorum erat baptizatis imponere manus, ut acciperent Spiritum sanctum, sic et hoc ad diem valens, proprium est episcoporum. Ecce quale quantumque ornamentum accepit in suis sacerdotibus filius ille prodigus, cui revertenti de longinqua regione, ubi porcos paverat, benignus pater occurrens vitulum saginatum fecit occidi. Applaudit sibi tota familia patris in gloria pœnitentis filii, frater autem ejus major ille agrarius foris stans invidia torquetur, et fraternæ salutis convivio participari noluit (*Luc.* XV).

CAPUT XXVII.

De pallio archiepiscopi.

Est tamen octavum archiepiscopis indumentum pro aurea lamina, quod dicitur pallium, ab apostolica sede datum; quod a collo circa pectus dependens, situ suo illam, quæ valde condecet episcoporum partem, et eorum concilii principem, patenter designat humilitatis vel sapientiæ torquem. Quam hoc illorum privilegium habeat rationem, non videtur prætereundum. Postquam duodecim apostoli per universum mundum dispersi, singulis civitatibus præsiderent, tam ipsi quam successores eorum, misere per contiguas suis sedibus provincias prædicatores, quos et episcopos ordinaverunt, ut ubi recepti fuissent, omnia Christianitatis sacramenta, velut ipsi apostoli, peragerent, ut per urbes comprovinciales episcopos ordinarent, et aliorum quidem apostolorum successores patriarchæ sunt dicti. Petri autem successor, pro excellentia principis apostolorum, apostolicus nominatur. Qui autem ab eis per provincias missi sunt, tam ipsi quam successores eorum, archiepiscopi vocantur, et qui ab his per urbes comprovinciales ordinati sunt, et qui illis succedunt, usque hodie simpliciter episcopi nominantur. Initium ergo fidei habentes ab aposto-

A lica sede regulam hanc metropolitanæ observant Ecclesiæ, ut neminem habeant pontificem, nisi ab eadem sede missum, a qua primus illis prædicator fidei missus est. Illa autem missio, supradicti pallii largitio est, quod, ut dictum est, a collo dependens, humilitatem Domini significat, dicentis: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Joan.* XX). » Inter cæteros vero Galliarum archipræsules, merito Remensis auctoritate præeminet, quia videlicet antiqua metropolis cum esset, accessit et hoc, quod ejus pontifex beatus Remigius (quod magnum est) ab ipso Deo missus, et antequam nasceretur, magnifice promissus, gentes Francorum simul cum rege primus perduxit ad fidem catholicam. Quam ejus missionem Ormisda pontifex Romanus a B. Petro

B quinquagesimus tertius, ut debuit, approbans, eidem Remensi pontifici vices suas delegavit per omne regnum Ludovici, et Remensis Ecclesiæ primatum adaugens, summa auctoritate confirmavit. Trevirensi autem Ecclesiæ Maternus, a B. Petro apostolo missus, hæreditatem pallii suis successoribus dereliquit. Moguntinæ Crescens, apostoli Pauli discipulus, prædicavit. Trajecti Sanctus Willibrordus, a Sergio papa missus.

Sed primatum Colonia metropolis obtinuit, ea maxime causa, quia Crescens prædictus Coloniæ
13 quoque apostolicam Verbi Dei visitationem primus intulit. Cantuariæ vero, nobili Anglorum metropoli, Augustinus a B. Gregorio missus est pontifex primus, qui toti Anglorum genti, ut

C Christum cognosceret, strenua prædicationis administratione subvenit. Et de vestibus quidem sacris quantum ad præsens attinet, pro posse satis dictum.

CAPUT XXVIII.

De ante introitum.

Sacerdote tandem ad sanctum altare ingressuro, debet tam ipse sacerdos quam et tota præsens Ecclesia, dilatare animam suam, et amplo fidei sinu tenere memoriam incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis Domini nostri Jesu Christi, et memoriam omnium sanctorum, qui tum ab initio mundi votis exspectaverunt, gestis præfiguraverunt, dictisque aut scriptis prophetaverunt, et in eorum contemplatione in voces erumpere, præcinendo an-

D tiphonam, quæ dicitur ad introitum. Nam sicut introitus sacerdotis ingressum Filii Dei in hunc mundum, sic antiphona, quæ dicitur. Ad introitum, voces et exspectationem præferunt patriarcharum et prophetarum. Ingreditur ergo antiphona prædicta, non minus quam semel decantata cum ejusmodi pompa quæ significatæ rei aptissime congruit. Procedunt flammantes cereoli, videlicet in signum gaudii, quod in ortu Salvatoris omni mundo effulsit, de quo angelus ad pastores: « Annuntio vobis gaudium magnum (*Luc.* II), » etc. Præcedunt sacerdotem ministri duo, non pariter, neque a latere incedentes, sed ante subdiaconos. Signant enim hi duo Vetus et Novum Testamentum, id est legem et Evange-

lium, quorum lex tempore prior, Evangelium vero dignitate majus est. Hæc namque salutis ministeria Salvator invexit, qui Evangelium quidem attulit, legem vero non solvere, sed adimplere venit (*Matth.* v). Isti sunt duo pedes angeli, qui ut supra dictum est: Descendit de cœlo amictus nube, et posuit pedem dextrum suum supra mare, sinistrum super terram (*Apoc*, x). Legalis enim moralitas, Joanne Baptista vel ipso Domino docente, tranquillius audita est (*Luc.* iii) contra evangelicam vero dignitatem, id est manifestam fidei doctrinam, verbi gratia cum diceret: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x); » Et: « Antequam Abraham fieret ego sum (*Joan.* viii), veluti mirabiles elationes maris fluxa et falsa corde tumuerunt (*Psal.* xcii). Subdiaconus quoque præfert textum Evangelii, quia profecto lex testimonia continet Christi, sicut ipse dicit Judæis: « Si crederetis Mosi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit (*Joan.* v). » Portat vero clausum quia videlicet antequam Agnus occisus aperuisset signacula septem, clausum erat in libro legis sacramentum ejus passionis (*Apoc.* v).

CAPUT XXIX.

De incenso.

Ingressus ergo sacerdos, ubi sancto altari assistit, thuribulum ei qui incensum adoleat, datur in manu. Nam prædictus « angelus, » sicut in alia periocha Apocalypseos legimus, » stetit juxta aram, habens thuribulum aureum in manu sua (*Apoc.* viii), » dum in conspectu Ecclesiæ se ostendit Dei Filius, habens immaculatum corpus, quod et implevit igne, quia corporaliter in ipso septiformis Spiritus sancti gratia requievit (*Col.* ii). Interim chorus concinit *Kyrie eleyson*, quod significat omnes universales Ecclesiæ preces, quæ sunt incensa vera, de quibus ibidem dicitur: « Data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei (*Apoc.* viii). »

CAPUT XXX.

De « Gloria in excelsis. »

Mox sequitur hymnus *Gloria in excelsis*, quem ab ore angelorum Ecclesia sancta rapuit. Hic hymnus et angelorum est et hominum. Primum autem angelorum congratulantium quod nato Domino accensa jam esset lucerna clarissima (*Luc.* ii), cum qua sine dubio perditam drachmam inventura esset æterna sapientia (*Luc.* xv). Inde est, quod jam præoccupantes dicunt: « Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* ii), » quia pacem nemo omnium, qui sunt in cœlo, vel qui subtus terram (*Apoc.* v), poterat facere inter Deum et homines hic factor omnium Deus, propter homines homo factus, jamjam facturus esset in carne sua, soluto pariete inimicitiarum (*Ephes.* ii).

CAPUT XXXI.

De collecta.

Quæ post hæc sequuntur orationes, a sacerdote salutatione præmissa, per quam attenti fiant auditores, secundum orationes dicuntur ipsius Domini, cujus tota vita continua pro nobis et perpes, oratio fuit quæ et designatur in Apocalypsi per fumum aromatum, qui ascendit in conspectu Dei de manu angeli (*Apoc.* viii). Homo namque verus, passioni propter nos destinatus cujus illa vox est: « Holocaustum pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio (*Psal.* xxxix), » semper unitum sibi pro nobis orabat Verbum Domini, Patremque et Spiritum sanctum et ut ait Apostolus, in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Dominum, qui salvum illum posset facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* v). » Quam ejus orationem bene psalmus septimus innuit, cujus titulus inscribitur: *Psalmus ipse David, quem cantavit Domino pro verbis Cusi*, id est Æthyopis, scilicet multos populi, qui jam cum Herode vel post Herodem illum persecuti sunt et maxime Pharisæorum (*Luc.* xiii), qui ut mali agricolæ vineæ Domini dixerunt: « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Matth.* xxi). » Quod autem in fine orationis subjungitur: *Per Dominum nostrum*, eo respectu fit, quod Dominus noster Jesus Christus, mediator est Dei et hominum, et impossibile est æterna Dei beneficia per aliam viam decurrere ad nos quam per ipsum. Per ipsum ergo petimus et impetramus, sicut sæpe per mediantem cristalli lapidem subjectam escam, a longinquo sole cœlestem mutuamus ignem. Huc usque missæ initium quod dicitur introitus, commemorans nobis introitum Salvatoris in hunc mundum, id est a nativitate ejus usque ad Joannis prædicationem quando baptizatus ipse et orans quadraginta dierum jejunium celebravit (*Matth.* iv).

CAPUT XXXII.

De epistola.

Epistola personam gerens legis et prophetarum præcursionis debitum agit officium ante sanctum Christi Evangelium. Lex enim per manum Mosi infantem Dei populum, velut pædagogus, custodiendum suscipiens, futurum Christi adventum exspectare docuit, et per **14** os digitumque Joannis jam præsentem Christum eidem alumno suo jam adulto, ut eum sequeretur, indicavit (*Matth.* iii; *Joan.* iii). Præcessit namque lex evangelium, sicut virga Spiritum mansuetudinis, sicut timor charitatem sicut initium perfectionem, sicut dominantis præceptum præcedit amantis consilium. Epistola vero vox legis est, suam in Joannem imperfectionem profitentis, et ad perfectionem evangelicam suos auditores transmittentis. Quamvis autem sæpe de apostolicis sumatur litteris, tamen in eo gradu est, ac si semper de lege sit et prophetis. Semper enim moralitatem vitamque activam magis quam contemplativæ sublimitatem, quæ in Evangelio radiat, apostolica quoque lectio instruit et dispensat. Epistola vero Græce, latine dicitur *supermissio*, vel *supererogatio.* Quod nomen bene congruit litteris apostolicis; quia videlicet Evangelio Christi supererogatæ sunt. Siquidem ordo apostolicus, stabularius ille est, cui

noster Samaritanus, id est custos, Dominus noster Jesus Christus, hominem illum, quem latronibus despoliatum, vulneratum, et semivivum relictum invenerat, commisit. Proferens duos denarios, id est legem et prophetas, et dicens ei: « Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi (*Luc.* x). » Bene ergo litteræ, quas apostoli Evangelio Christi superogaverunt, epistolæ appellatæ sunt. Differunt autem pene pariter, ut lex aut prophetæ, a majestate sancti Evangelii, quia videlicet pariter de moribus tractant. Et Evangelii sacramenta illi ventura denuntiant, hi jam præterita commemorant. Igitur, ut supra dictum est, morale legis officium agit epistola, tantum distans ab eo quod in officio missæ præcedit sancto evangelio quantum servus a Domino, præco a judice, legatus ab eo qui misit illum. Quapropter cum legitur, non injuria sedemus; cum autem sanctum evangelium audimus, demissis reverenter aspectibus, sicut Domino nostro assistimus. In eo quod sanctum prævenit Evangelium, Baptistæ Joannis imitatur officium; qui prævaricatores legis corrigens, et mores eorum evangelicæ fidei suscipiendæ præparans (*Luc.* III; *Matth.* III), implebat quod de illo dixerat angelus: « Ipse præibit ante Dominum in spiritu et virtute Heliæ, parare Dominum plebem perfectam (*Luc.* I). »

CAPUT XXXIII.
De manipulo.

Manipulus quem in brachio sinistro gestat subdiaconus, dextro vacante, ut expeditum sit ad administrandum, illud nobis innuit, quod si timentes securim judicii æterni; quæ jam ad radices arborum posita est, ut omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidatur, et in ignem mittatur (*Matth.* III), prædictam pœnitentiam susceperimus, et dignos pœnitentiæ fructus fecerimus, manipulos justitiæ reportabimus, juxta illud: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV). Fimbriæ vero manipuli, vel stolæ, vel cujuslibet sacræ vestis perseverantiam significant eorumdem bonorum operum, vel completionem morum, quia fimbria est ulterior pars vestis. His fimbriis gloriosa in psalmo circumamicta est filia regis (*Psal.* XLIV), sicut talari tunica filius accrescens et decorus erat inter fratres suos Joseph (*Gen.* XXXVII).

CAPUT XXXIV.
De graduali.

Graduale ad pœnitentiæ respicit lamentum, cantus asper et gravis adeo ut illud excellentibus offerre vocibus nec usus nec decus sit. Significat enim non jam requiem remuneratorum, sed laborem operantium. Propter quod diebus post Pentecosten de officio tollitur, quia videlicet dies illi futurum in regno Dei felicem sanctæ Ecclesiæ statum significant, quando jam area Christi ventilabro, quod est in manu ejus, purgata erit, nullumque ex residuis granis jam timebit, quod ab horreo dominico debeat

A in ignem palearum inexstinguibilem projici (*Matth.* III; *Luc.* III). Attamen in prima Paschæ hebdomada cantari consuevit, cujus consuetudinis causa suo melius loco reddetur. Dicitur autem graduale a gradibus humilitatis utpote illi conveniens, qui needum ascendit de virtute in virtutem, sed in convalle plorationis positus, jam tamen ascensiones in corde suo disposuit (*Psal.* XLIII). Quarum ratio cum in multis inveniatur locis in mysticis maxime quindecim graduum canticis distincta est. Ejusmodi ascensoris initium et perfectionem cantor innuens, ad gradum sæpius constitit, et inferior eo stare consuevit, qui subsequens *alleluia* concinit.

CAPUT XXXV.
De alleluia.

B Alleluia Latinæ linguæ peregrinum nomen est, cujus mysterium, velut quoddam gaudii stillicidium, de divitiis supernæ Hierusalem, primum in mentem patriarcharum et prophetarum, post in apostolorum ora plenius per Spiritum sanctum delapsum est. Significat enim æternum angelorum et beatarum animarum convivium, quod est semper laudare Dominum, et præsentis semperque videndi vultus Dei, novum sine fine cantare miraculum. Ad hoc vitæ præsentis inopiam nullatenus aspirare meretur, scire autem ubi sit et prægustare illud gaudio spei, sitire et esurire quod gustaveris, hæc illa, quæ dicitur, sanctorum in hac vita perfectio est. Quapropter interpretatum hoc Hebraicum nomen remansit, ut peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum nihilominus signaret, potius quam exprimeret vocabulum. C Quoniam igitur futuræ beatitudinis, quasi proprium est vocabulum, jure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus, ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit et promissum. Ut autem aliis quoque temporibus ad missam caneretur, olim Romanæ Ecclesiæ consuetudo non erat, sed a B. Gregorio institutum, imo restitutum est. Namque a tempore Damasi papæ, cum prius fuisset eadem consuetudo, defecerat. Denique cum de hoc et de aliis nonnullis quosdam murmurare sentiret, tanquam constanter Ecclesiæ consuetudines sequeretur, non dedignatus est rationem reddere, dicens: « Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti sumus. » Nam ut alleluia hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia, ex beati Hieronymi traditione temD pore beatæ memoriæ Damasi papæ traditur tractum. Et ideo in hac magis sede alleluia consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita. Canitur ergo *alleluia* post graduale, canticum lætitiæ, post luctum pœnitentiæ, et summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ reposita est illis, qui nunc lugent, jubilamus magis quam canimus, unamque brevem digni sermonis syllabam
15 in plures neumas, vel neumarum distinctiones protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, et rapiatur illuc, ubi « sancti exsultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus suis (*Psal.* CXLIV).

CAPUT XXXVI.

De Evangelio.

Hactenus seorsum sedebat sacerdos, malorum victor cogitationum, dominique victoriam sedendo significans, cui victo tentatore, sedenti et imperanti ministrabant angeli, sicut scriptum est : « Reliquit eum tentator, et accesserunt angeli et ministrabant ei (*Matth.* IV). » Surgit tandem ad altare accedens, ita ut opportune veniat nobis in mentem Dominus Jesus, præparata sibi per Joannem via ad corda hominum, de deserto rediens, ut doceat ipse, et discipulos suos eligens, mittat ad prædicandum. Mittit namque sacerdos diaconum ad legendum sanctum evangelium, petitam dando benedictionem, quod subdiacono prius epistolam lecturo non fecerat. Legem enim et prophetas invisibilis invisibiliter misit ; apostolos autem et evangelistas, quorum diaconus personam gerit, visibilis factus, et sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam osculans osculo oris sui (*Cant.* IV), visibiliter misit et docuit. Accipit diaconus textum sancti Evangelii, quod bajulans ad lectricium, efficitur pes Christi. Præcedunt ceroferarii cum thuribulo, per quæ significantur gaudium et bona opinio. Gaudium enim semper est in bono nuntio. Bonæ quoque opinionis se esse noverunt qui hoc bonum portant nuntium, qui et confidenter dicunt, « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (II *Cor.* II). » Quapropter incensum bonæ opinionis signum, locum ipsum aspergit in quo legendum est evangelium. Qui locus si sit dies festivus, quando solet convenire populus, eminentior est, ut ex ipso statu commoneatur diaconus, quod is qui sursum ad Dominum desidem invitat populum, stare debeat in monte virtutum juxta illud: « Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem (*Isa.* XL). » Quam ejus fortitudinem et stola prædicat, quæ super humerum posita, inde usque ad succinctionem lumborum deducitur, quod fortitudinem ad vocem exaltandam tunc habeat, si fortis sit ad operandum, et succinctus contra pugnas libidinum, evangelica namque prædicatio quæ est « fons hortorum, puteus aquarum viventium (*Cant.* IV), » non fluit impetu aliunde, nisi de Libano, id est de corde casto et de ore candido, quia sordes vitiorum, dum conscientiam coarctant, os quoque angustant, ne aquæ vivæ cum impetu fluant. Quod dalmaticam non nisi festis diebus induit, hoc significat, quod rationem sublimium sacramentorum, non nisi postquam glorificatus est Dominus Jesus, et Spiritus sanctus advenit, discipuli portare potuerunt. Nam tunicam ejusmodi ex auctoritate beati Hieronymi, rationem significare sublimium supra diximus. Est autem clausa circa collum, ut pectus sit opertum, quia, sicut ait Apostolus, Evangelium in his qui pereunt, est opertum (II *Cor.* IV). Præcedit subdiaconus diaconum, portans quem Evangelio substernat pulvillum, quia videlicet ad omne quod loquitur Evangelium, lex competens suggerit testimonium. Summa vero reverentia debetur ad audiendum Evangelium, quod maxime est Verbum Dei, quam diaconus prima voce quam emittit, satis venerabiliter exigit, dicendo : *Dominus vobiscum.* Cujus enim melius quam Domini præsentia reverentes et religiosi auditores petitum debent præstare silentium ? Attenti ergo et benevoli sunt illico, et eo cordibus conversi et vultibus, respondent : *Et cum spiritu tuo.* Statim dociles quoque reddit, dicendo : *Sequentia sancti Evangelii.* Hoc autem dicimus, non quod majestas Evangelii dignata sit unquam regulis oratorum subjici, sed quia quod in hominibus facere nititur studium eloquentiæ, hoc in Ecclesia sua melius perficit summa natura sapientiæ. « Nam, ut ait beatus Augustinus, eloquentia sapientiæ comes est, et quocunque domina hæc progreditur, illa ut ejus ancilla subsequitur. » Respondemus, *Gloria tibi, Domine*, glorificantes Dominum, quod misit nobis verbum salutis juxta illud quod in Actibus apostolorum legimus : « Et glorificaverunt Dominum, dicentes : Ergo et gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit (*Act.* XI). »

CAPUT XXXVII.

Idem de Evangelio.

Sanctum Evangelium principale est omnium quæ dicuntur ad missæ officium. Sicut enim caput præeminet corpori, et illi cætera membra subserviunt, sic Evangelium toti officio præeminet et omnia quæ ibi leguntur vel canuntur, intellectuali ratione illi consentiunt. Exempli gratia : Dominica prima Adventus Domini hoc Evangelium legitur : *Cum appropinquasset Dominus Jesus Hierosolymam* (*Matth.* XXI), etc. Ut intelligamus quomodo huic evangelicæ lectioni cætera membra consonent officii, quæramus primo, in quo eadem lectio congruat tempori. Ad hoc brevi argumentatione hoc modo respondendum est. Idcirco advenit Dei Filius, ut genus humanum a diabolo peccatorum vinculis colligatum miseratus absolveret, et in cœlestem Hierusalem, unde homo captivus abductus fuerat vias suas docendo, placidus assessor cordium reduceret. Hoc autem procul dubio mysticus Evangelii ejusdem continet intellectus.

LIBER SECUNDUS

16 CAPUT PRIMUM.

De symbolo « Credo in unum Deum. »

Lecto evangelio, majore quæ sequuntur egent intentione, quia videlicet majora continent salutis nostræ sacramenta. Sicut enim, post passionem Domini, majora quam ante charismatum dona gratia largiente effusa sunt, sic post evangelii lectionem majora sacramenta ordinata sunt. Tunc ergo, si sit dies Dominica, vel aliqua condigna festivitate decorata, cantatur symbolum, quod est : *Credo in unum Deum*. Maxime enim Dominicæ resurrectionis, vel Pentecostes sacramentum respicit hoc fidei tripudium, quando nova soboles Ecclesiæ vitalis fontis ingressura lavacrum, reddebat ejus, quam catechizata didicerat, symbolum [*add.* fidei]. Hoc igitur concentu bene et consone chorus catholicus doctrinæ respondet evangelicæ, et ne dicat ei puer electus, cœlestis cantilenæ doctor, jucundus musicus : « Cantavimus vobis, et non saltastis (*Matth.* XI), » cantando et alacri mente saltando ostendit quam bene suavem cantilenæ ejus modum retinuerit. Interim subdiaconus apertum circumfert Evangelii librum, omnibus religioso osculo salutandum, quem ad introitum portaverat clausum, quia post prædicationem Christi cœpit lex credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere fidem evangelicam.

CAPUT II.

De offerenda.

Post symbolum cantatur offerenda. Offerenda cantus est Ecclesiæ, nomen hoc habens ab offerendo tractum, eo quod tunc canitur quando omnipotenti Creatori nostro incorruptum laudis offerimus vel præparamus sacrificium (*Psal.* XCIV). Hic magis ac magis aperiendum fidei ostium et animæ triclinia ponenda sunt, ut ingrediatur veritatis opus, quo panis et vinum in verum corpus et sanguinem Domini transferuntur, ne efficiantur sicut Achis (*I Reg.* XXI) ille de quo supra dictum est. Multi namque fidei oculos non habentes, in sancto Sacrificio præter panem et vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur eis : Corpus et sanguis Domini est, murmuraverunt dicentes, quomodo est ? Latuit enim eos, quas voces suas septem tonitrua locuta sint, cum clamasset angelus ille fortis voce magna, « quemadmodum cum leo rugit (*Apoc.* X), » et quod illæ voces quidquam attineant ad mysterium sacrificii juxta Psalmistam dicentem : « Circuibo et immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis (*Psal.* XXVI ; *II Cor.* IV). » Nos autem credimus propter quod et loquimur, quia quidquid angelus ille clamavit magno clamore Evangelii æterni (*Apoc.* XIV), quidquid post clamorem ejus, Ecclesiæ suæ locutus est Spiritus sanctus, donorum suorum septiformi tonitru, verum

A Dei Verbum, verum Dei Filium, sancta Ecclesia catholica offert Creatori suo, credens corde, et ore confitens (*Rom.* X), pariterque manibus panem et vinum, sicut sibi tradidit ipse Salvator offerens (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII). Nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori, et illuminatori suo, si nihil aliud ei quam panem et vinum offerret ? Solum denique terrenum corpus hujusmodi fructibus aliter et sustentatur ? Etiam antequam crevisset Ecclesia tempusque nuptiarum attigisset, antequam conjuncta viro suo filium ex eo suscepisset, quem in acceptabile sacrificium offerre posset non erat sacrificium ejus adeo vacuum, ut nihil præter id quod videbatur in se contineret. Habebat namque causas invisibiles pro-

B pter quas invisibiles hostias offerret, videlicet opera Dei memoria digna, verbi gratia, manum quam extendit Dominus super primogenita Ægypti, transiens super tabernacula Israel signata sanguine agni, transiens et salvans, protegens et liberans, transitumque Israel per mare Rubrum, et submersionem Pharaonis et exercitus ejus et curruum, cæteraque Dei magnalia (*Exod.* XII). Hæc autem omnia umbræ futurorum erant, quæ in figura contingebant illis. Igitur et ipsa sacrificia, quæ propter has fiebant causas, sancta quidem, sed sanctiorum umbræ, bona quidem, sed meliorum erant figuræ. Quales causæ, tales et causarum memoriæ. Non ergo solum panem et vinum, quæ corporaliter videntur, sed et quod non nisi fidei oculis aspicitur, Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum et

C verum immolans sacrificium, quia jam concipit, corde credendo ad justitiam, jamque parit, ore confitendo ad salutem (*Rom.* X). Ipsa enim est mulier illa magna, quæ in Apocalypsi visa est amicta sole, scilicet Christo, quem induit in baptismo, lunam habens sub pedibus (*Apoc.* XII), videlicet omnia mutabilia calcans. Luna enim mutabilis est (*Eccli.* XXVII), atque ideo mutabilem mundum designat, et in capite suo gestans coronam stellarum duodecim, id est chorum duodecim apostolorum, qui in ejus initio præfulserunt, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. Hujus in utero habentis, clamantis et parturientis salubrem cruciatum, offerendæ, de qua loquimur, gravis et grandisonus imitatur cantus ; quæ

D neumis distenta frequentibus, et suis fecunda versibus quantumvis longa jubilatione non valet satis exprimere **17** quod significat. Ne ergo dicas in corde tuo : « Quis ascendit in cœlum, hoc est Christum inde deducere (*Rom.* X), » ut is qui in se resurgens ex mortuis jam non moritur, adhuc per sacri altaris hostiam in suo mysterio pro nobis iterum immoletur. Prope est enim verbum in ore tuo et in corde tuo (*Deut.*

vi), hoc est, « verbum fidei quod prædicamus, inquit Apostolus (*Rom.* x). » Quoniam ergo prope est in ore tuo, et in corde tuo Verbum Dei, Verbum crucis Christus Dominus, si hujus verbi flumen super panem et vinum elluderis, et ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum et vinum in corpus et sanguinem suum transferendo suscipit, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua nostram de Maria virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit. Nec duo corpora dicuntur aut sunt, hoc quod de altari, et illud quod acceptum est de utero Virginis, quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane. Alioquin et ille panis, quem heri sacrificavimus, et ille quem hodie vel cras sacrificabimus, plura sunt corpora, nec recte dicimus offerri ab Ecclesia corpus Domini, meliusque diceremus corpora, quia quotidie pene toto offeruntur panes, quot habentur in Ecclesia sacerdotes, sed hoc prohibet causa, convincit ratio, religio respuit. Unitas enim Verbi unitatem efficit sacrificii. Similiter enim unum Verbum, et olim carnem de Maria virgine sumpsit, et nunc de altari salutarem hostiam accipit; igitur unum corpus est, et quod de Maria genitum in cruce pependit, et in sancto altari oblatum, quotidie nobis ipsam innovat passionem Domini. Cum autem Ecclesia quoque corpus sit Christi, propter ejusdem Verbi, vel spiritus unitatem; nam eumdem spiritum Christi idemque in se manens habet Verbum Dei quod univit sese carni de carne Mariæ virginis, sciendum est quod non tantum de Verbo Dei, sacræ hostiæ accedit, quantam habet gratiam ejusdem Verbi unus quilibet sacerdos, qui ad sacrificandum assistit. Unusquisque enim suam divisivam habet gratiam, vel donationem Verbi aut Spiritus sancti. In sacram autem hostiam tanta se plenitudo divinitatis infundit, quanta in Mariæ virginis uterum descendit, quanta in corpus Ecclesiæ per gratiarum divisiones sese distribuit. Nam quomodo deifer panis ille non de uno, sed de multis conficitur granis, et vinum illud sacrosanctum non de uno, sed de multis confluxit acinis, sic nimirum non tantum habet Verbi Dei, quanta est gratia unius hominis, sed quanta est plenitudo totius corporis Christi, quod est Ecclesia (*Ephes.* i), quæ de multis hominibus consistit, quæque per unumquemlibet catholicæ fidei hominem universa ad sanctum altare in loco, vel tempore quolibet assistit. Sed jam cœptum ordinem prosequamur, et qualiter hæc fiant, non sicut supradictus Achis, qui semper dicit, quomodo est (*I Reg.* xxi), sed sicut verus Abimelech, id est patris mei regnum, cui vere dicitur: « Regnum Dei intra vos est (*Luc.* xvii), » quantum possumus, admota fide speculemur.

CAPUT III.

Item de oblatione.

Cum concentu memorato, suscepta sacra panis et vini oblatio, sic ad sanctum altare pervenit, ut subdiaconus ad diaconum, diaconus ad manus perferat sacerdotis. Vel quod apud diligentiores fit, in ipso componat altari. Hæc enim, quam per sublimes manus significari jam diximus, sacrificium nostræ salutis tantum præfiguravit in Melchisedech, vel per evangelicam traditionem ad altare, hoc est, ad sublime altare Ecclesiæ pervenit (*Psal.* cix; *Hebr.* vii).

CAPUT IV.

De silentio post offerendam.

Post hæc jam sacerdos silentio solitudinem expetit, instante memoria Dominicæ passionis, conversus ad altare, concentu chori finito et omni Ecclesia conticescente. Hoc autem significat illud quod Dominus noster jam non palam ambulabat apud Judæos, cum cogitarent eum interficere, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Efrem, et ibi morabatur cum discipulis suis (*Joan.* xi). Collegerunt ergo pontifices, et pharisæi consilium, dicentes: « Quid facimus? videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post illum abiit. Et prophetavit unus ex illis, nomine Caiphas, pontifex anni illius, quod expedit, ut unus homo moriatur pro gente, et ab illo die cogitaverunt, ut interficerent eum (*Joan.* xii). » Hoc ipsum autem a mysterio non vacat. Non enim timore passionis se abscondit, qui ad hoc venit, ut pateretur, sed hoc prætendebat foris, quod intus agebatur in illorum cordibus. Nam vere abiturus erat in regionem gentium pedibus evangelizantium, quæ erant juxta desertum illorum, quibus jam tunc dicebat: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* xxiii), » non in ipsum desertum, quod erat illi incredulitas Judæorum. Sacerdos ergo in silentio stans, et silenter super oblata dicens orationem, sanctum præparat sacrificium, quia Dominus noster, etiam cum se absconderet, nec palam apud Judæos ambularet, salutare nobis passionis suæ meditabatur sacramentum. Quia vero proximo jam Pascha, cum multi ascendissent in Hierosolymam ut sanctificarent seipsos ante Pascha, et requirerent eum dicentes: « Quid putatis; quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices, et pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. Venit Dominus Jesus Bethaniam ante sex dies Paschæ, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit, et fecerunt cœnam ibi, et Martha ministrabat, quia tunc iterum ambulabat palam, ita ut Lazarus esset unus ex discumbentibus cum eo (*Joan.* xi, xii). » Levat iterum sacerdos vocem suam dicendo: *Per omnia sæcula sæculorum.* Dicturusque rem attentione dignam, præmittit salutationem, optans nos quoque tales esse, cum quibus manere Dominus, et apud quos convivium facere dignetur. In mente enim tunc habere debet Ecclesia mulierem illam formosam, quæ attulit ad convivium illud « alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis (*Joan.* xii), » et audire, quod dicere incipit sacerdos: *Sursum corda Habemus ad Dominum*, ut et ipsa, sicut vere mulier unguentaria, sursum ad ipsam divinitatem Filii Dei levet cor suum,

et illud caput æquale Deo Patri fide contingens, unguento perungat catholicæ confessionis, quam sacerdos subsequendo canit. Gratias enim agere debemus omnipotenti Deo nostro *per Christum Dominum nostrum*, credendo et confitendo quod per ipsum *majestatem* ejus *laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates*, etc. Nimirum hoc est, divinitatis ejus arcanum contingere principium, et odoriferum super caput ejus effundere pietatis unguentum. Hoc unguentum ex medulla pigmenti confectum est evangelici, scilicet ex eo quod Joannes ait de Verbo, quod « in principio erat Deus **18** apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » Hujus nunc odore domus Ecclesiæ repleta est, sed muscæ morientes perdiderunt ejus suavitatem (*Eccle.* X), videlicet omnes hæretici sordibus obvoluti, quos erroris stercora fetore pascunt, et verba veritatis bono odore interficiunt. Igitur sacerdos post interjectum, ut dictum est, silentium, quasi post Domini latibulum, vocem levans, ipsum palam venientem in Bethaniam, palam convivantem, et unguento delibutum quodammodo repræsentat. Et illam sacræ confessionis unctionem sic determinat mulier illa magna, quæ est sancta Ecclesia, ut cum angelis et pueris, qui in crastinum obviaverunt Domino canentes, ramosque palmarum sublevantes (*Matth.* XXII), decantet hunc devoti pectoris hymnum : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI), etc. Ubi enim dicitur. *Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini*, prædictum piæ confessionis unguentum dimittit, ut non solum caput, sed et pedes unguat Domini, passionis mortalis hominis fideliter respiciens, ad quam cum prædictis turbæ multæ laudibus benedictus advenit.

CAPUT V.

De secreta.

Post laetam populi acclamationem sequitur historia secreti mœroris, et profundi causa silentii. Secreta namque memoria Dominicæ passionis est, quam diu choro silentium indicit, quæ per hebdomadam ante paschalem ordine hoc cucurrit. Eadem die, qua laudes acclamatæ sunt ipsi Filio David, decima luna, quando inferebatur in domos Judæorum typicus ille paschalis agnus (*Exod.* XII), ingressus est hic Agnus Dei civitatem Hierusalem, et nequissimis lanistis obsessus, multis insidiis quærebatur ad mortem, traditus a Deo Patre, « qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII), » traditus nihilominus a semetipso quia (dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis (*Ephes.* V). » Secunda feria et tertia nihil proficiunt (*Joan.* XII), dum eum contingere non audent populi metu (*Matth.* XXVI ; *Luc.* XXI), qui circa illum multus adque audiendum illum totus erat. Quarta feria Judas unus ex duodecim, a diabolo supplantatus, vendidit illum Pharisæis et tradere spopondit, ut caperent eum sine turbis (*Marc.* XIV). Feria quinta jam agone propinquo, testamentum suum scribit hæredibus suis, consignans eis thesaurum corporis et sanguinis sui (*Luc.* XXII). Eadem nocte capitur, ligatur, et illuditur (*ibid.*). Feria sexta crucifigitur, primo linguis Judæorum, post manibus gentilium, tandem hora nona facto terræ motu tradidit spiritum (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV ; *Luc.* XXIII). Sabbato quievit in sepulcro. Prima Sabbati resurgens a mortuis, pacem discipulis, pacem omni mundo annuntiavit (*Matth.* XXVIII ; *Joan.* XX). Horum omnium forma faciesque vera, ita secreto repræsentatur in canone, eorumque procursu, et vere vivo flumine super panem et vinum confluente, tam veram divinitatem, veramque humanitatem Christi in cœlo sedentis et regnantis excipimus, quam veram substantiam ignis a sole supposita crystalli sphæra exigua, fere quotidie mutuare possumus. Hoc sole operantur manus Christi, tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis (*Cant.* V), ejus, qui dixit : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV.) » Manus, inquam, Christi hoc operantur per manus sacerdotis, quæ manibus suis confortatæ sunt, maxime, quia ut hoc operari cum ipso et per ipsum et in ipso possint, oleo sancto pro clavis passionis ejus signatæ sunt. Igitur singula eorum quæ supra digesta sunt, quibus in locis commemorentur in canone, laboriosum non est investigare, præsertim cum quædam ex ipsis per se satis evidenter appareant.

CAPUT VI.

Te igitur.

Ab initio canonis, quod est : *Te igitur clementissime Pater*, usque ad eum locum, *qui pridie quam pateretur*, quatuor dierum rationes adnotantur, quorum in primo verus Agnus, a Deo Patre vel a seipso, ut dictum est, traditus (*Rom.* VIII ; *Ephes.* V), illatus est in domos Israel, veniens in civitatem Hierusalem. Quæ illatio vel traditio trina crucis figura signatur, dicendo *uti accepta habeas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.* In quarto autem a Juda traditus et venditus est quæ venditio vel traditio item tribus crucibus insignitur dicendo *benedictam, ascriptam, ratam.* Illic Ecclesia, quæ prius præ nimia paupertate non habens hostiam, quam offerret, dicebat : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (*Psal.* CXV), » gratias agit sanctæ Trinitati, quod meruit calicem salutaris accipere, et nomen ejus invocare. *Hæc dona*, inquit, *hæc munera.* Eadem sacrificia dona sunt, munera sunt : Dona quia nobis ab ipso dati ; munera, quia a nobis illi oblata. Donum enim est quod a superiore datur ; munus quod ab inferiore. Illic, inquam jam in prima actione commemoratio omnium fit, quorum idem sacrificium, quique illi vera similitudine conveniunt, in eo quod cum sint multi, sic per unam fidem unumque spiritum, in unum corpus Ecclesiæ sunt conjuncti quomodo panis ille de multis confectus est granis, et vinum illud de multis confluxit acinis. Illi autem sunt, non solum apostoli et martyres, sed et omnes fideles, illorum meritis sperantes, hoc sibi proficere ad salutem, quibus jam

proficit ad honorem. Igitur quomodo (quoniam) et scriptum est : Alienigena non vescetur ex eis, quoniam sancta sunt (*Exod.* XXIX) ; solum illum assumimus ad esum hujus Agni qui nostræ conjunctus est domui (*Levit.* XXII), scilicet omnem domesticum fidei (*Gal.* VI), a principe usque ad plebeium, ab apostolo usque ad publicanum.

CAPUT VII.

Hanc igitur oblationem.

In orationis tomo sequenti, sic sacram oblationem, quomodo diligentem publicæ salutis legationem *benedictam, ascriptam, ratam, rationabilemque* fore deposcimus. Legatio namque est regis ejus, « qui cum decem millibus non valens occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, mittens rogat ea quæ pacis sunt (*Luc.* XIV). » Nam quia de solis factis justificari non valemus coram illo, qui non solum de factis, sed et de cogitationibus rationem exacturus, quasi cum duplici venit exercitu, præsentis sacrificii legationem mittentes, rogamus ea quæ pacis sunt. Magnæ autem laudis est, sic legationem hanc peragere, ut ab illo, cui mittitur, mereatur benedici eloquium Ecclesiæ, sicut benedixit David sapienti Abigail, dicens : « Benedictus Dominus Deus Israel, et benedictum eloquium tuum et benedicta tu quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer de manu mea (*I Reg.* XXV). » Abigail namque, quod interpretatur *patris mei exsultatio*, scilicet sancta Ecclesia, quondam uxor Nabal, id est stulti, videlicet diaboli, legatione præsentis sacrificii, prævenit Verbum David, id est manu fortem vel desiderabilem Christum, perferentem **19** persecutiones Saul, id est, in passionem mortis agonizantem, rogatque pacem, ne se ulciscatur manu sua propter stultum Nabal ita, ut ipsa quoque cum illo æterna damnatione pereat. Quæ quoniam absque consilio vel conscientia stulti illius festinat, et præmissa munera oratione subsequitur et adorans loquitur sapienter quæ pacis sunt, oblationem perficit benedictam, dum benedicitur eloquium ejus, et ascriptam, dum nulla oblivione deletur ; et ratam, dum data remissio peccatorum, nulla ulterius sententiæ mutatione convellitur.

CAPUT VIII.

Qui pridie quam pateretur, usque : in mei memoriam facite.

Miraculum tantæ novitatis integrescit, et quidquid dicere conamur, collatus cum re sermo, vix ullius apparet esse momenti. Nam maxime, cum ad summi sacramenti verticem, cum ad ipsam perventum est sancti sacrificii mentem, disparet sermo, lingua deficit, et incircumcisa labia mentem nihilominus incircumcisam in suis cœptis, temeritatis, impudentiæ, coarguunt. « Quis enim novit ordinem cœli, aut ponet rationes ejus in terra ? » (*Job.* XXXVIII.) Ordo namque cœli præsenti ex capitulo nobis effulsit, cujus claritatem ferre non valuit sæpe nominatus et nominandus Achis (*I Reg.* XXI). Abiturus hinc in sacrarium cœli pontifex summus per viam passionis

A sacrificat modo mirabili secundum ordinem suum, secundum cœlestis sacrificii ritum, accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et dicens : « Hoc est corpus meum, » accipiens præclarum calicem vini, et dicens : « Hic est calix sanguinis mei (*Matth.* XXVI). » Quid ergo ? silebimus, et silentio nostro videbimur consentientes esse his, quorum polluta labia non tetigit Seraphim rubenti calculo (*Isa.* VI), quem attulit de altari, et dicunt semper : Quomodo est ? quomodo est ? Imo clamemus. Et ne desit quid clamemus, pulsemus et ostium amici, qui tres panes commodare consuevit (*Luc.* XI), id est fidem, spem, charitatem, quæ in hoc maxime negotio necessaria sunt. Patitur enim nos, non contradicentes, sed nosse cupientes. Igitur ne omnino nesciamus quomodo est, libet nunc intueri in ordine
B tam admirabilis sacrificii tria, quæ in opere cujuslibet auctoris egregii requirere consuevimus, id est materiam, intentionem, causamque finalem sive utilitatem. Quæ cum singula nobis, fidei manu pulsantibus, gratiæ clavicula secretarius veritatis aperuit, « et si nondum facie ad faciem, saltem per speculum et in ænigmate, videbimus, quomodo est (*II Cor.* XIII). »

CAPUT IX.

Materia.

Materia vel substantia sacrificii, quod erat tunc, et nunc est in manibus pontificis nostri, non simplex est, sicut nec pontifex ipse solius divinæ vel solius humanæ substantiæ est. Est enim tam in pontifice
C quam in sacrificio divina substantia, est et terrena. Terrena in utroque est, id quod corporaliter vel localiter videri potest : divina in utroque, verbum invisibile est « quod in principio erat Deus apud Deum. » Nam cum diceret idem magnus pontifex panem et vinum tenens, « hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, » vox erat Verbi Incarnati, vox æterni principii, verbum antiqui consilii. Verbum quod humanam acceperat naturam, id est in carne manens, panis et vini accipiebat substantiam vita media, panem cum sua carne, vinum cum suo jungebat sanguine. Quemadmodum in corporeis sensibus menti et corpulento aeri media lingua intervenit, et utrumque conjungens unum sermonem efficit, quo in aures dimisso, id quod audibile est, cito absumitur et transit : sensus autem sermonis et in dicente
D et in eo qui audit, integer permanet et inconsumptus. Sic Verbum Patris, carni et sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, et pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod cum in ora fidelium sacerdos distribuit, panis et vinum absumitur et transit. Partus autem Virginis cum unito sibi Verbo Patris, et in cœlo et in hominibus integer permanet et inconsumptus. Sed in illum, in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit. Quemadmodum asinus ad lyram, cum irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percepit. Tales com-

parantur Judæis vel patribus eorum, de quibus Dominus : « Patres, inquit, vestri manducaverunt manna et mortui sunt (*Joan.* vi. » Qui autem cum fide accipiunt, illi comparantur, de quibus Apostolus : « Patres nostri, inquit, omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (*I Cor.* x). » Nam alii per incredulitatem patres sunt Judæorum et hæreticorum, alii per fidem Patres apostolorum atque credentium. Panis ergo invisibilis, qui de cœlo descendit, vita est. Panis visibilis, qui de terra crevit, unus tamen panis est, quomodo qui de cœlo descendit, et qui conceptus et natus est de utero Virginis, Christus unus est. Quapropter qui visibilem panem sacrificii comedit, et invisibilem a corde suo non credendo repellit, Christum occidit, quia vitam a vivificato B sejungit, et dentibus suis mortuum laniat corpus sacrificii, atque per hoc reus est corporis et sanguinis Domini (*I Cor.* xi). Sed dicit adversarius : Vivens et sensibilis in corpore suo mobilisque est Deus et homo Christus. Corpus autem sacrificii vitam non habet, sensum non habet, mobile non est. Hoc assumpto concludit sic : « Corpus igitur Domini non est, Christus non est. » Ad hæc, inquam, obsecro te, quam in corpore Domini vitam requiris? Est enim vita animalis, est et vita spiritualis. Animalis vita quinque sensibus fungitur, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu. Hæc vita animalis est, carnalis est, caro est : « Dominus autem dicit, quia caro non prodest quidquam (*Joan.* vi). » Si enim Judæi carnem quam crucifixerunt, concidere et devorare sicut carnem agni maluissent aut potuissent inte- C gram vivamque absorbere, sicut cetus maris viventem absorbuit Jonam (*Jon.* ii), nihil illis profuisset, imo majori sacrilegio conscientias suas polluissent. Animalis igitur vita, quia caro est, si in corpore Domini adesset, nihil nobis prodesset, ac propter hoc illam requirere superfluum est. Nam quid cœlestis homo per sacrificium cœleste hoc administraret quod nobis non deerat? Non enim prudentiæ ejus est, curiositatem nostram non necessariis pascere miraculis. Quærebat hoc curiosus Herodes, quando erat ex multo tempore cupiens Jesum videre, quia sperabat signum aliquod ab eo fieri (*Luc.* xxiii). Quod quia non fecit, sprevit illum, et remisit indutum veste alba. Solam ergo vitam spiritualem in sacrificio nobis administrare sapientiam ejus dece- D bat. Et nostræ necessitati expediebat, quæ est sanctificatio et benedictio, misericordia et veritas, justitia et pax. Hæc autem ejus vita spiritualis sic est in corpore sacrificii, absque vita ejus animali, quomodo lux solis absque **20** calore ejus in corpore lunæ nobis repræsentatur. Igitur his pariter ex rebus sacrificium nobis constituit pontifex summus, quibus totus homo vegetatur, id est ex Verbo Dei, in quo vivit homo (*Deut.* viii), et ex terræ fructibus, quibus solum vivit corpus, his duntaxat qui omnium primi sunt. Panis enim eorum, quæ ad esum, vinum eorum, quæ ad potum pertinent, primum est.

CAPUT X.

Intentio.

Intentionem tanti operis, purissimum oculum tam lucidi corporis dum quærimus, noster quoque simplex oculus, et lucidum debet esse nostrum corpus, id est, ut ducamur discendi voto, non contradicendi proposito Ubi ergo inveniemus admirabilem hujus pulchritudinis oculum, scilicet quo tendat tantum tam pulchri operis sacramentum? In capite ipso, in eodem, quod sonuit nobis, verbo veritatis. Ait enim : « Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Qui habet aures audiendi (*Matth.* xxvi), » sic accipit hoc dictum, sicut lacrymabilem morientis pro filiis patris affectum, sicut germanæ pietatis eloquium, sicut præacutum vulnificæ charitatis spiculum. « Quia venerat ejus hora, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, » quia verum erat quod dicebat discipulis, « quo ego vado, vos non potestis venire (*Joan.* xiii). » Et Petro dicenti : « Domine, quo vadis? Quo ego vado, inquit, non potes me sequi (*ibi.*) ; » quia, inquam, non poterat eum tunc sequi, hæreditatem illis competentem scribens, visibilem sui memoriam commendabat. Non enim Scripturarum solam commonitionem ad hoc sufficere judicabat. Obliviosum namque et ex magna parte indocilem ægrotum, scilicet genus humanum curandum susceperat. Ecce videmus ejus, quæ in sacris Scripturis est, medicinalis disciplinæ difficultatem. Quota enim pars nostri capit illam, quæ in sancto Evangelio fragrat tam optimis unguentis, antidotum illud quod « in principio erat Verbum, » Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, quodque caro factum est? (*Joan.* i.) Nam illud quidem ruminare, medela est probatissima, et dulcis faucibus amantis animæ, sed tantus cibus valde paucorum est. Præterea meditatio hæc solius mentis pabulum est, solius animæ sanctificatio est. At ille utrumque nostrum corpus et animam sibi astringere ardebat, utrumque infirmum, imo utrumque mortuum, immortalitatis medicamento sanare properabat. Magna igitur charitatis arte pigmenta sua Dei sapientia composuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renovata quotidie suæ salutis commemoratione, percelleret, et infantilium edentulam plebem animarum, quæ Verbi antiqui et æterni principii solidum non poterat terere et ruminare cibum dulcissimo hoc liquamine confecto, Verbi ejusdem Divinitatem, in panis et vini sacramento sorbilare consuefaceret. Aufer a cœtu Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exsequias, et vide quem merito dicat ipse Salvator, « quæ utilitas in sanguine meo? » (*Psal.* xxix.) Refrigescente enim ea quæ hoc modo nunc ubique calet, ejus memoria, refrigescet universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, contescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel (*Gen.* iv), qui per traditum tanti sacrificii ritum quotidie reparat vocem, quotidie laxat os bibentis, et vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, et maturam indigne fusi sanguinis vindictam repo-

scens. Calente ergo memoria tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum ædificium fidei, spes quotidiana peccatorum remissione reviviscit (*Matth.* xxiv).

CAPUT XI.

Utilitas.

Utilitas hæc est in virtute hujus sacramenti, quod ejus ope fit possibile his, qui in terra sunt, in cœlum ascendere. Aliter namque illud possibile non est; ait enim Salvator: « Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* v). » Uni et soli qui descendit de cœlo, Filio hominis, quia una persona est cum Filio Dei, cum Verbo Patris, quod de cœlo descendit, et de corde Patris in uterum venit Virginis, uni, inquam, et soli Filio Dei Filioque hominis, tanquam suo capiti cuncta membra corporis adnectuntur (*Coloss.* ii), omnes qui in fide hujus sacramenti, in plenitudine hujus charitatis sunt recepti, et sic unum corpus, una persona, unus Christus, caput cum suis membris in cœlum ascendit (*Ephes.* v), dicitque gratulabundus gloriosam Deo assignans Ecclesiam: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea (*Gen.* ii). » Et ostendens se atque illam in personæ convenisse unitatem, et erunt, inquit, duo in carne una. Magnum hoc sacramentum est. Caro Christi, quæ ante passionem solius erat caro Verbi Dei, per passionem ita crevit, adeo dilatata est, ita mundum universum implevit, ut omnes electos, qui fuerunt ab initio mundi, vel futuri sunt usque ad ultimum electum in fine sæculi, nova conspersione hujus sacramenti, in unam Ecclesiam faciat Deum et homines æternaliter copulari. Caro illa unum erat granum frumenti, quod antequam cadens in terram mortuum fuisset, nunc postquam mortuum est, crescit in altari, fructificat in manibus et corporibus nostris, et ascendente magno et divite domino messis, terram fructiferam, in qua crevit, secum vehit in horrea cœli (*Joan.* xv).

CAPUT XII.

Unde et memor es, Domine; usque, et calicem salutis perpetuæ.

Quoniam ergo tanta est commendatæ utilitas memoriæ, tria sibi beata Ecclesia deinceps ejusdem memoriæ proponit insignia, scilicet tam beatam passionem, nec non et ab inferis resurrectionem, sed et in cœlos gloriosam ascensionem. Quorum primum Ecclesiæ vulnerat charitatem, alterum confortat fidem, tertium lætificat spem. Ubi enim dicens, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ, quinarium crucis signaculum panis et vini imprimit substantiæ, Christo sedenti ad dexteram Patris veraciter, ut dictum est, concorporatæ, eruditum contemplatorem rerum ad illam beatam passionem mittit. Nam abhinc usque dum corporale desuper auferat, pendendis in cruce spirat agon, et passio Domini. Hæc ergo sunt illa viventis petræ foramina, in quibus formosa est et immaculata columba, scilicet Ecclesia; in quibus tunc certius nidificat, cum intra verba prædicta, vel quinque crucis signacula, quinque dilecti sui plagas, videlicet duas manuum totidemque pedum, unam lateris, fida tenet et contemplatur memoria.

21 CAPUT XIII.

Sicuti accepta habere dignatus es munera Abel, et reliqua.

Sicut similitudinis est, non quantitatis. Multo enim acceptius hoc sacrificium est Deo, quam quod obtulit Abel, quod obtulit Abraham, quod obtulit Melchisedec. Valet namque amplius res, quam umbra; veritas, quam figura. Ipsam ergo similitudinem desideremus magis quam acceptionis quantitatem. Similes offerendo simus Abel, si recte offerentes, nihilominus recte dividamus: quod quia Cain non fecit, peccavit (*Gen.* iv). Sua namque cui debebat, Deo recte obtulit, sed seipsum sibi retinens, et cor suum Deo auferens, male divisit. Abel vero intus in corde suo sacrificium justitiæ obtulit, quia non seipsum sibi retinuit, sed Deo subdidit, ac propter hoc ad exteriora ejus munera Dominus placide respexit. Similiter Abraham, egregie fide totum se prius offerabat, et propter hoc cum offerret sua, placidas offerebat hostias (*Gen.* xxii). Quod ut sciremus et imitaremur nos, patrios ab illo Deus affectus exegit, et immolari (*adde* filium) sibi jussit, statimque promptum ejus animum invenit, imo nobis ostendit. Melchisedech quoque nisi seipsum prius obtulisset, et in sublime altare Dei cor suum deposuisset, non potuisset prævidere causas, quarum intuitu panis et vini sacrificium sine exemplo prius obtulit (*Gen.* xiv). Itaque et nos, si assistentes ad offerendum recte, ut dictum est, dividimus, id est, prius nosipsos offerentes, arietinam spiritus propter viam, taurinamque feritatem, hircinamque libidinem jugulantes, mortificamus, juxta illud quod in psalmo canimus: « Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis (*Psal.* LXV); » recte divisimus, et idcirco, sicut munera Abel, sicut sacrificium Abrahæ, sicut Melchisedech immaculatam hostiam, nostra sacrificia Dominus accepta habere dignatur. Et juxta consequentem orationem, jubet hæc per manus sancti angeli sui perferri in sublime altare suum, et in conspectu divinæ majestatis suæ inlocaliter atque invisibiliter. Ubique enim est majestas inlocalis et invisibilis, ubique sublime altare ejus, quod est Ecclesiæ catholicæ fides.

CAPUT XIV.

Nobis quoque peccatoribus.

Moris est plerisque Ecclesiis, cum ad id ventum est: « Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, » paululum expressa voce silentium rumpere. Namque in illo Dominicæ passionis articulo subvenire nobis debet in mentem latronis confessio (*Luc.* xxiii), simulque responsio Domini de tribunali crucis, illum paradiso adjudicantis.

CAPUT XV.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas.

Tandem dum tribus illis crucibus, quibus, edicit sacerdos, « per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, » passio Domini consummatur, et illud nobis commemoratur, quod clamans voce magna emisit spiritum (*Matth.* XXVII. Quapropter statim corporale aufertur, quia velum templi scissum est, imo quia quæ de illo scripta erant, hactenus clausa et operta fuerant, et erat verbum absconditum ab eis, quidquid ipse de passione sua prædixerat, nunc autem ubi consummatum (*Luc.* XXVIII), etiam revelatum est. Quodque discooperto calice trinum de hostia super calice pingitur crucis signaculum, dicendo: « Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, » confessionem exprimit cum voce centurionis, qui viso terræmotu, et his quæ fiebant, clamavit voce magna : » Vere Filius Dei erat iste (*Matth.* XXVII). » Duæ vero cruces, quæ pinguntur in latere calicis, dicendo, omnis honor et gloria, sacramenta nobis sanguinis et aquæ repræsentant, quæ patefacto latere Domini lancea militis, et redemptionem salutis nostræ profluxerunt. Tunc accedit diaconus, et exaltatum parumper sacrificium de altari reverenter, tam ipse quam sacerdos iterum deponit, quia venit Joseph ab Arimathæa cum centurione, et Nicodemus quoque et impetratum a Pilato corpus Jesu deponentes sepelierunt. Sepelierunt, inquam, quod nobis in eo significatur quod calix iterum corporali cooperitur. Ibi competenter, beatus Gregorius Dominicam orationem dici constituit, incongruum esse astruens, ut cum super Eucharistiam oratio diceretur quam scholasticus composuit, ipsa oratio non diceretur, quam per se ipse Dominus noster dictitavit. Quod cum a Græcis accepisse videretur, in hoc tamen differre voluit, ut cum apud Græcos ab omni populo dicatur, apud nos a solo sacerdote cantetur. Tunc ergo quia Jesus, ut dictum est, clamans voce magna tradidit spiritum, centurio clamavit dicens : « Vere Filius Dei erat iste, » et mulieres lamentabantur flentes Dominum, levat sacerdos vocem, dicendo : « Per omnia sæcula sæculorum, » et Dominicam orationem. Similiter chorus respondendo, imitantes paucos fideles, qui contrito et confracto corde lugebant Dominum, veluti quondam occisum Abel invidi furore fratris maligno, pauci parentes impatienti dolore et inconsueto cordis dolore lamentati sunt. Post hoc iterum breve silentium fit, sabbatum respiciens, quo Dominus in sepulcro quievit.

CAPUT XVI.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Tunc rursus elevatio vocis bonum significat nuntium Dominicæ resurrectionis, dicente sacerdote : « Pax Domini sit semper vobiscum. » Quod nobis illud commendat, quia Dominus noster stans in medio discipulorum suorum, dixit eis : « Pax vobis A (*Joan.* XXIX ; *Luc.* XXIV). » Interim tenens corpus Domini, quia cognitus est in fractione panis, tripartita fractura suam sanctæ Trinitati assignat hostiam, particulamque unam, quæ personam insinuat Filii, sacro sanguini demissam immergit.

CAPUT XVII.

Agnus Dei, qui tollis.

Statim ad gloriam ascensionis memoria gaudentis Ecclesiæ transcurrit, dicendo : « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui sedes ad dexteram Dei Patris, miserere nobis, » Ad dandam enim pœnitentiam, et remissionem peccatorum Deus illum suscitavit (*Hebr.* X ; *Act.* V), et principem et salvatorem exaltavit.

22 CAPUT XVIII.

De communione.

B Tunc religiosa consuetudine legatum nobis a sacerdote damus et accipimus invicem pacis osculum, gaudentes atque hoc commemorantes, quia « reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus (*Rom.* V). » nosque colligari debere signantes osculo pacis (*Ephes.* IX), quod est vinculum perfectionis (*Coloss.* V). Cantus, quem communionem dicimus, quem post cibum salutarem canimus, gratiarum actio est, juxta illud : « Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum (*Psal.* XXI). »

CAPUT XIX.

De collecta.

C Collectæ, quæ dicuntur ad complendum, orationes sedentis in cœlo capitis nostri Jesu Christi signant, qui mortuus est, inquit Apostolus, imo qui et resurrexit (*Rom.* XIV), qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Interpellat enim pro nobis pontifex summus, quia nos per id quod nostri est similis reconciliat, et per id quod Patri est æqualis, absolvit.

CAPUT XX.

De « Benedicamus Domino. »

Ultimam particulam diaconus adjicit, id est, « Benedicamus Domino, » et hoc dicto populum excitat ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, quia profecto Redemptore ad dexteram Patris sedente et interpellante pro nobis, perseverant ejus apostoli, dicentes nobis, « Semper gratias agite, sine D intermissione orate (*Ephes.* V ; *I Thess.* V). » Si autem solemnitas aliqua sit, in illud tempus respiciens, quo nostræ salutis missio celebrata est, et diaconus dalmatica indutus, perfectionem designat futuræ beatitudinis, tunc dicit : « Ite missa est. » Hæc enim populi solemnis dimissio est, reverenda modulantis enuntiatione nitens rei dignitatem exprimere, et quasi extrema manu in abeuntis populi cordibus memoriam ejus stabilire. Hoc autem sacrosanctum altaris mysterium idcirco missa dicitur, quia ad placationem et solutionem inimicitiarum (*Ephes.* V), quæ erant inter Deum et homines, sola valens et idonea missio est.

CAPUT XXI.

Quomodo vel a quibus missæ officium ordinatum sit.

Olim non tanto exterioris apparatu decoris missarum solemnia celebrabantur, nec ab uno quolibet hæc omnis religiosi obsequii gloria consummata et perpolita est. Pontifices quippe sacri, splendida Romanæ sedis luminaria, sicut diversis temporibus affulserunt, ita paulatim studii sui claritate, venustatem hujus salutaris officii perfecerunt. Et sicut traditum a Domino per Moysem sacrificii veteris ordinem, præcipue David et Salomon (*III Reg.* VII), sacerdotum et levitarum ministerio (*I Par.* XXIII), cantorum multiplici numero, psalmorum divinorum tripudio, templi vel altaris illustri gloria, sacrorumque multitudine vasorum, splendidius amplificaverunt; sic traditum a Domino mirabilem novi sacrificii ritum, per primos apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli cura conservavit, diligenti apparatu exornavit. Quæ ergo quique eorum contulerint, jam dicemus, magis secundum ordinem illorum, quæ ordinata sunt, quam eorum, qui ordinaverunt.

INSTITUTIO COELESTINI PAPÆ.

Cœlestinus, papa quadragesimus primus, constituerat, ut psalmi David centum quinquaginta ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, sed tantum epistola et evangelium recitabantur. Ex hoc institutio excerpti de psalmis introitus, gradualia, offertoria, communiones cum modulatione ad missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt.

GREGORII.

Gregorius, LXI (3), Antiphonarium regulariter centonizavit et compilavit, « Kyrie eleison » a clero ad missas cantari præcepit quod apud Græcos ab omni populo cantabatur. Alleluia extra Pentecosten ad missas dici fecit. In canone tria verba hostiæ superaddidit, « diesque nostros in tua pace disponas, ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari » Orationem quoque Dominicam post canonem super hostiam censuit recitari.

SYMMACHI.

Symmachus, XLIX, constituit omni die Dominico, vel natalitiis martyrum, » Gloria in excelsis » ad missas cantari : quem hymnum Telesphorus papa, a beato Petro VII, nocte tantum natalis Domini ad missas, a se in ipsa nocte constitutas, cantari instituit, et in eo ad angelorum verba, quæ sequuntur, adjecit.

GELASII.

Gelasius, XLVII, tractus et hymnos composuit, et sacramentorum præfationes cauto et elimato sermone dictavit.

INNOCENTII.

Innocentius, XXXVIII, pacis osculum ante communionem dari decrevit.

(3) Id est a B. Petro papa sexagesimus primus.

LEONIS.

Leo, XLIII, qui in homeliis declamandis multum valuit, addidit in canone : « Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

DAMASI.

Damasus, XXXV, « Credo in unum Deum, cantari instituit, ex decreto sanctæ universalis synodi, a CL episcopis Constantinopoli celebratæ.

ALEXANDRI.

Alexander VI ad consecrationem Eucharistiæ instituit, quod sicut de latere crucifixi Domini effluxit sanguis et aqua (*Joan.* XIX), ita aqua vino misceatur in ipsa consecratione: nec vinum sine aqua, nec aquam sine vino debere offerri, decernens.

SIXTI.

Sixtus, VII, hymnum, « Sanctus, Sanctus, Sanctus » cantari instituit.

SERGII.

Sergius, LXXX, ultimum hoc instituit, ut inter communicandum, « Agnus Dei » a clero cantetur. Sic studiosa divinæ legis Ecclesia Romana paulatim protulit de thesauro suo nova pietatis monumenta, et quoddam velut ex auro lapidibusque pretiosis religiosi officii sancto sacrificio **23** fabrefecit diadema. Non quidem sanctius hinc est quam erat prius [*adde* quando] ad sola verba Domini solamque Dominicam orationem consecrabatur, sed maxime decuit ut fides, quæ adhuc erat illo tempore rudis, et ut ait quidam tam doctus quam fidelis, agresti turbida cultu, nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos, ubi ornari potuit, maxime in hac parte, tanquam in capite suo, deauraretur, et earum rerum quæ superius dictæ sunt, veneranda similitudine fulgeret.

CAPUT XXII.

De azymo.

Cur sancta Romana Ecclesia nunquam in sacrificio fermentum admiserit, non otiose quæritur nec inutiliter scitur, maxime quia consuetudini huic tota hactenus Græcia refragatur. Nam de fermento Græci immolant, et nescio qua auctoritate suffragante (quæ procul dubio de authenticis nunquam profecta est Scripturis), tam legalem quam evangelicam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem nimis pertinaciter abhorrent. Veris persæpe rationibus superati sunt, sed Constantinopolitanæ sedis arrogantia multarum hæresum genitrix, cedere dedignata est. Leo, IX hujus nominis papa, a B. Petro CXLVIII, per Epistolam ad imperatorum Constantinum scriptam, animum ejus consilians, apocrisiarios suos Hunibertum Silvæ candidæ episcopum, et Petrum Amalitanorum archiepiscopum, Fridericum quoque VII levitam et cancellarium, Constantinopolim dirigens, multas Græcorum confutavit hæreses, qui inter cætera Latinos vocabant Azymitas, et eos nimis persequentes, eorum ecclesias claudebant, et Mi-

chaelem patriarcham, a gratia et palatio imperatoris remotum, excommunicationis gladio percussit. Tantis autem hæresibus fermentata est Græcia, ut mirum videri non debeat hoc quod de fermento immolat. Tantæ econtra sinceritatis semper fuit sancta Romana Ecclesia, ut cui deest Scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debeat ejus auctoritas. Nam Constantinopolitana non solum hæreticos, sed et hæresiarchas protulit multos. Romana vero Ecclesia, super apostolicæ fidei petram altius fundata, firmiter stetit, et tam Græciæ quam totius orbis hæreticos semper confutavit, et de excelso fidei tribunali data sententia judicavit. Scripturarum tamen suffragia deesse non debent, ne ullam tam sincera auctoritas videatur passa esse jacturam. Quæ certius atque commodius peterentur, si vel scripto vel auctore certo constaret, quid rationis super fermentato sibi videantur habere Græci. Nam Romanæ Ecclesiæ consuetudo legalibus, propheticis, evangelicis atque apostolicis rationibus consona est. Ferunt tamen quidam, hanc a Græcis fermentati se audivisse rationem, eo quod Maria prægnans de Spiritu sancto facta fuerit, atque ideo per fermentatum signari recte Dominicam incarnationem, et manifestum virginei ventris tumorem. Quicunque ex eis huic innituntur rationi, longius a sanæ doctrinæ regula absunt, quam si nullas omnino supradictæ rei causas redderent. Quid enim ideo fermentatum offerunt, ut imprægnatum et tumidum Mariæ significent uterum? Nempe hoc respectu panem sacrificii Mariam, vitium autem panis, id est fermentum Christum ejus filium esse volunt. Hæc ratio duabus ex causis evidentibus, infirmata contemnitur. Primo, quia non Mariæ, sed Christi solius, qui solus pro nobis crucifixus est, corpus offerre debemus. Secundo, quia fermento, ut aliquid boni significari mereatur, nulla omnino sacræ Scripturæ de Veteri aut Novo Testamento auctoritas suffragantur; pulchrius atque rationabilius memoriam Dominicæ incarnationis ex sancto Evangelio recognoscimus. Nam quod dixit Dominus de pane quem accepit, « hoc est corpus meum (*Matth*. xxvi), » quoties illa sacrosancta actione iteramus, incarnationem ejus ita nobis reparamus, ut ad hoc non uterum beatæ Mariæ, sed solam ejus fidem, per quam concepit, necessariam habeamus. Est autem ejus fidei signum altare visible, sicut recte placet doctoribus Ecclesiæ. Igitur cum Dei Verbum per fidem Ecclesiæ descendens, panem accipit de signo fidei, quod est altare, renovatur nobis illud quod idem Verbum Dei, per fidem Virginis descendens in uterum ejus, carnem assumpsit. Atque ita incarnationem Dominicam nobis reparamus, non sicut fermentum in pane significante Mariam, sed sicut Dei Verbum in pane Catholicam significante Ecclesiam, in eo quod sicut unus ille panis de multis confectus est granis, sic Ecclesia de multis hominibus una consistit per fidei unitatem. Significari autem pane illo dixi Ecclesiam, non in eo quod

A offertur et consecratur, sed in eo quod de multis, ut dictum est, granis conficitur. Nam in eo quod consecratur, nec ipsum individuum corpus Domini significat, sed est transfusio in se Dei Verbo per fidem passionis, resurrectiodis et ascensionis Domini. Dominus enim non hoc significat, sed, « hoc est corpus meum, » inquit. Infirma ergo et merito contemptibilis est supradicta fermenti ratio. At vero azyma tam ex evangelica quam ex legali auctoritate profecta sunt. Nam Dominus et in lege, ubi typicum paschæ sacrificium mandavit, fermentum abjici jussit (*Exod*. xii; *Deut*. xvi), et in Evangelio, ubi novum sacrificium primus celebravit, azyma nihilominus ipse consecravit. Et ne forte aliter suspiceris, fermentum in domibus Israel tunc non inveniebatur,
B lege enim Domini sancitum erat. Dum ergo a vetere ad novum sacrificium proficiscens, azyma non reliquit, sed azyma benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, « hoc facite in meam commemorationem (*Marc*. xiv; *Luc*. xxii), » nunquid de fermento quidquam dixit aut questus est, quod cogente consuetudine legis fermentum sibi defuerit? Imo qui in lege de azymis jussit, in gratia quod contrarium erat, statuere non debuit. Notandum quippe est, et animo memori retinendum, nullas antiquæ legis consuetudines, contrariis supervenientibus ex Evangelio decretis, esse destructas. Sed quæ abolitæ sunt vel destructæ, melioribus non contrariis cesserunt, ut circumcisio baptismo. Nam circumcisio bona quidem, sed baptismus melior. Nec mutabi-
C litate usus est Deus, dum bono prætulit melius, præsertim cum bonum illud irritum fecisset ille populus, sicut ipse Deus improperat illis per prophetam dicentem: « Et irritum fecistis pactum meum (*Malach*. ii), » etc. Magis autem præputium oppositum videtur circumcisioni scilicet ut habitus privationi. Sed Dominus de præputio nihil dixit, imo de utroque tacuit, « quia circumcisio nihil est, præputium nihil est, ait Apostolus, sed fides quæ per dilectionem operatur (*Galat*. v). At verum azymum et fermentum manifeste opposita sunt, ut contraria immediata. Igitur non decebat Deum, ut tanquam sibimet contraria, abjecto azymo de fermento præciperet de quo ante prohibuerat dicens: « Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ tuæ (*Exod*. xxiii). » Approbat vero Deus azymum, non propter ipsum, sed propter id cujus
D est signum. Significat quippe sacrificantibus nobis, ut epulemur **24** paschali convivio, « non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor* v). » Nec ideo rei tam necessariæ significatio hæc rejicienda est, quia de legis antiquæ cæremoniis illam constat esse profectam. Non enim cunctas legis antiquæ significativas consuetudines abjecimus (*Exod*. xii). Adhuc quippe plenariam lunæ faciem consideramus, nec unquam in defectu ejus pascha celebramus, et quotidie thus sacrum Domino in odorem suavitatis adolemus, et oleum unctionis sanctum apud nos est (*Levit*. ii; *Exod*. x), et pro tubis campanas habemus, et multa

ejusmodi (*Num.* x). Nam illa quæ significantur, A quoniam bona sunt moralia, significationes ipsas omnes quidem lectione, quasdam vero actu quoque celebramus, ut significata ipsa nostris sensibus, opportune importune ingerantur. Quis hoc improbare audeat? De gentibus quoque exemplo apostolorum atque doctorum, solemus auferre, si qua ab aliis probe dicta vel facta sunt, et tanquam captivæ mulieris ungues pilosque superfluos amputare (*Deut.* XXI), ut ab alienigena falsitate mundata sententia, thalamum veritatis digna sit introire. Nonne ergo familiarius aut justius antiquitatum suarum reminiscitur Ecclesia? quæ in Canticis canticorum gloriatur et dicit: « Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi (*Cant.* VII). » Igitur azyma non propter hoc abjicienda erant, quia significationis gratia B in antiqua lege tradita fuerant, quin potius ideo retinenda, quia quod significant, optimum, et huic tempori gratiæ magis congruum est. Significant enim id quod apostolica tuba probabiliter sentiendum personat, videlicet ut inter Christum, qui de massa peccatrice carnem sine peccato, tanquam azymum assumpsit de fermentato, et Christianum populum ita nequitiæ et malitiæ nihil intersit, quomodo in azymo pane cum fermento, et aqua nihil veteris massæ aut alienæ confectionis intervenit (*I Cor.* v). Aqua namque populum significat, juxta illud: « Beati qui seminatis super aquas (*Isa.* XXXII). » Frumento autem significari Christum, nullo melius quam ipso auctore probamus, qui seipsum mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum, figurate prædicans: « Nisi, inquit, granum frumenti C cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XV). » Aqua frumento mista sine fermento, simplices debere esse significat populos, Christo per fidem conjunctos. Cum ergo monimentum sit sinceritatis et veritatis ejus, in cujus azymis nos epulari hortatur Apostolus expurgato veteri fermento (*I Cor.* v), ut simus nova conspersio, jure inter utilia legis antiquæ signa, reservata sunt azyma, auctore magno pontifice Christo, et per succedentem sibi beatum Petrum, Romanæ Ecclesiæ fideliter delegata. Quæ beata, quod in fundamento suo petram illam excepit, quam in suo veritas ore laudavit et beatificavit (*Matth.* XVI), tali stuctura super illam ædificata est, ut contra omnes hæreses D perstaret murus inexpugnabilis. Et quacunque mundi ex parte periclitata fide ad illam confugit, « mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium (*Cant.* IV), » qua se defenderet, pendentem et præparatam invenit.

CAPUT XXIII.

De ornatu altaris vel templi.

Sacrosanctum altaris ministerium idcirco, ut dictum est, missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum et homines, sola valens et idonea mittitur legatio. Cujus divina ratio, quamvis assidui splendoris sit, cultus tamen exterior in vasis sacris, in apparatu altaris et ministrorum ejus, semper quidem sancta, sed pro dierum vel temporum diversa ratione celebritatem splendidior est. Auro et argento, lapidibus pretiosis, pro posse fidelium singulis in locis splendet festiva devotio, quæ cum in sæcularibus ambitionis insignia sint, in ecclesiasticis et divinis rebus pietatis officia sunt; non quia Deum, qui spiritus est, plus aurea quam lutea, plus gemmata quam nuda delectent corpora; sed quia homines, quod diligunt, cum Deo libenter offerunt, dilectione Dei, qua illud a se separant, quidquid illud sit, Deo pretiosum efficiunt. Diligunt enim aurum quod maxime concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum (*I Joan.* II). Cum ergo illud offerunt non indigenti Deo, sicut David concupitam libavit aquam Domino, procul dubio sanctum et Deo placitum est quod offerunt (*II Reg.* XXIII). Nimis reprehensibiliter sic ungerentur pedes luxuriosorum et nequam hominum, quomodo super pedes Domini unguentum effusum est, quod potuit venundari multo, et dari pauperibus (*Matth.* XXVI; *Joan.* XII). Sed hoc ideo laudabiliter fecit Domino devota mulier quia Dominus, cui non indigenti hoc factum est, in libra unguenti pistici libram appendit potius pietatis et fidei, et ideo pro odore qui respersus est in una domo, memoriam prædicandæ mulieris spirare fecit in toto mundo. Igitur dum auro, et lapidibus, ac sericis vestibus honoratur Christus in altaris apparatu, poterat et hoc dari pauperibus, sed non ideo jure ornatus mensæ Domini reprehenditur, cujus habitus, dum est incultus, non sine culpa eorum despicitur, qui illam ornare posse videntur. Nam quod Dominus per prophetam arguit populum, dicentem: « Mensa Domini contaminata est (*Malach.* I), » ideo facere videtur, quia sine culpa tunc erat quæ putabatur contaminatio esse altaris, nuda paupertas. Reversus namque de Babylone populus, altare tantum fecerat fortuitis, ut ait Hieronymus, et impolitis lapidibus, absque templo, absque urbis ædificiis, absque exstructione murorum, et putabant minorem esse cultum religionis quia templi ornatus deerat, nec intelligebant, omnipotentem Deum non aurum gemmasque et hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntatem. Cæterum ubi opportunitas et opes non deerant, Dominus ipse aurea sibi et argentea fieri mandavit opera, summa artificum industria (*Exod.* XXV, XXVI et XXVII). Nec statim nobis illud objiciatur ex dictis beati Hieronymi. Quod si hæc ex Veteri Testamento suscipimus, consequenter et victimarum ritum, et legem Sabbati, et his similia suscipere deberemus. Pugnat enim hæc ejus sententia, ne aurea vel gemmata divini cultus ornamenta, velut necessaria requirantur. Nam scribens adversus Vigilantium, itemque ad Demetriadem virginem, eleemosynam quidem pauperum præfert, sed de hujusmodi unusquisque, inquit, in suo sensu abundet, non damno, non reprehendo (*Rom.* XIV). Sed et manifesta ratione colligimus, figuras ejusmodi, quales de constructione

tabernaculi beatus Gregorius moraliter exponit, præsentia veritatis non ita dissipari, ut non debeant etiam nunc in exteriori cultu Ecclesiæ simili vel eadem ratione proponi; ut in illo nobis eluceat, qualis interioris domus Dei, quod sumus nos, ornatus esse debeat. Quamvis enim auctor veterum et novarum figuratarum promissionum sacramenta mutaverit, quia promissa perfecit et denuntiationibus, ut ait magnus Leo, cessationem imposuit, quoniam denuntiatus advenit, in præceptis tamen vel figuris moralibus (*I Cor.* III), nulla prioris testamenti reprobata decreta, **25** sed evangelico magisterio multa sunt aucta. Dictis, factis, pulchrius Evangelium quam lex, frequentius Christus quam prophetæ, parabolas vel allegoricas proponit similitudines, cujus magisterium sequens Ecclesia, rerum habitu visibilium, res imitatur invisibiles, non solum in eorum, de quibus supra dictum est, ministrorum sacro cultu, sed in cæterorum quoque templi vel altaris ornatu. Nam si nulla significantur in hoc quoque spiritualia, cur pretiosa pallia, et holoserica dorsalia parietibus appenduntur, et sacrosanctum Domini corpus lineo corporali superpositum obtegitur? Nam juxta dignitatem ejus, quod pretiosissimum habere possemus, merito illi circumponeremus. Arcana ergo aliqua, quæsitu et intellectu digna, cum hac discretione animadversa sunt. Nam corporale lineum, in quo Dominicæ passionis celebramus memoriam, tribulationem ejus, et singularem designat in eo carnis munditiam. Linum quippe de terra natum, multis attritum pressuris, ad nivei candoris honorem et levem subtilitatem pervenit. Grossum et ingloriun e terra consurgit, sed inter manus prementium opificum subtiliatur et candescit. Tribulationem ergo Domini in lineo corporali advertimus. « Ascendit enim sicut virgultum et sicut radix de terra sitienti, non habens speciem neque decorem (*Isa.* LIII); » sed propter munditiam animæ suæ, quam pro peccato nostro posuit, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus directa. Quod diligentiores observant, ut duplex corporale sit, linteamina significans capitis Domini quibus corpus ejus aromatibus conditum involvit Joseph (*Matth.* XXIII; *Luc.* XXIII). Pallia vero, quæ ut dictum est, solemniter appenduntur templi parietibus futuram sanctæ Ecclesiæ gloriam significant in regno Christi, quod nobis præsentes solemnitates commemorant, « ubi exhibebit sibi Christus gloriosam sponsam, non habentem maculam vel rugam (*Ephes.* V). » Codices quoque evangelici auro et argento, lapidibusque pretiosis non immerito decorantur, in quibus rutilat aurum cœlestis sapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum pretiosi lapides, quæ manus Christi tornatiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ sunt. His atque aliis hujusmodi ornatibus loquitur quodammodo regina, quæ assistit a dextris speciosi ac potentissimi regis, ut vestitum deauratum, et varietates, quibus ipsa circumamicta est, omnemque gloriam

A ejus, quæ est ab intus in fimbriis aureis (*Psal.* XLIV), id est, in perseverantia bonorum operum, recogitemus et ad memoriam revocemus, et admoniti de visibilibus, invisibiles ornatus et repositam in cœlis ejus gloriam avida mente speculemur. Tunc solemne est cantoribus, sed et omni choro psallentium, pretiosum de sacrario capere vestitum, et magnis vocibus atque amplificatis cantibus jucundum sacri sacrificii celebrare convivium. Causa postulat quiddam nostri ordinis, id est monachorum, non præterire proprium. Solemus enim in hujusmodi festis omnes in albis stare vel procedere: qua veste novam sanctorum vitam designari superius expositum est. Tunc namque in contemplatione ejus novitatis positi sumus, de qua nos hortatur

B Apostolus dicens: « Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Itaque cum simus comæ illæ, de quibus scriptum est: « Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus (*Cant.* V), » quia scilicet capiti nostro adhærentes, humili conscientia nigri esse, et victo mundo sursum tendere debemus; tunc tamen quando commemoratur ejus sæculi status, quo cum filiis semper est sponsus, convenienter lætitiam præferentes, quotidianam salubris tristitiæ nigredinem læto candore obducimus, juxta illud: « Non possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus (*Matth.* V). » Convenienter ergo in albis procedentes, simul etiam omnes a senibus usque ad infantes, manipulos portamus, quia videlicet in illa vita, quæ per albas si-

C gnificatur, « propriam unusquisque mercedem accipiet, secundum suum laborem (*I Cor.* III), » et « venientes venient cum exsultatione, portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV). »

CAPUT XXIV.

De cappis.

Cappas quoque in majoribus festis superinduimus, ut amplius in Deo gloriemur, aspicientes in futuram resurrectionem, quando omnes electi, (quibus nunc post depositionem carnis in anima tantum remuneratis, singulæ stolæ albæ datæ sunt (*Apoc.* VI), binas accipient stolas, scilicet requiem animarum, et resuscitatorum gloriosam immortalitatem corporum (*I Cor.* XV). Quæ cappæ bene ab interiori parte patulæ sunt, et omnino præter solam necessariam fi-

D bulam inconsutæ, quia profecto immutata jam et immortalia corpora nullis animam obcludent angustiis, corda non contegent, nec obsistent internæ sanctæ Trinitatis contemplationi. Fimbriis quoque subter ornatæ sunt, quia nil nostræ tunc deerit perfectioni, sed quod nunc « ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus, cognoscemus sicut et cogniti sumus, quia facie ad faciem videbimus (*I Cor.* XIII). »

CAPUT XXV.

De rasura capitum.

Verumtamen sic subornati, caput intactum præferimus, et rasuram, quam coronam nominamus, nullo ornamento contegimus. Non est enim plenum

gaudium nostrum, quia non in re præsentium, sed in spe gaudemus futurorum. Idcirco autem rasi sumus, quia filii sumus Core, id est calvi, scilicet Domini nostri Jesu Christi, qui in Calvariæ loco crucifixus est, dictumque est ei, videlicet vero Elisæo, a stultis et insensatis pueris cum illusione: « Ascende, calve, ascende, calve (*IV Reg.* II). » Rasis ergo capitibus antiquam Nazaræorum legem immutavimus (*Num.* VI). Olim namque Nazaræi capillos nutriebant, nos econtra capillos decidimus, quia Nazaræorum princeps Dominus Christus decalvatus, id est in loco Calvariæ, ubi damnatorum capita abscindebantur, crucifixus est. Dalila, id est paupercula et mentis inops synagoga, rasit caput fortissimi Samson, id est solis nostri, et tradidit in manus Philistinorum (*Judic.* XVI). At ille

A captus, quasi victus, eos qui se ceperant vicit, eorumque hostium occidit mortuus quam occiderat vivus. Mortuus enim Dominus infernum confregit, mortem vicit, vitam reddidit. Nos, quamvis in supradictis ornatibus de victoria ejus gaudeamus, tamen in rasura capitum decalvationem ejus per compassionem lugemus. Hoc autem humilitatis insigne vocamus coronam, id est victoriam, quia fidelis illa Domini decalvatio, cujus hæc rasura signum est, procul dubio victoria est, triumphus est, honor et gloria nostra est. « Mihi autem absit gloriari, » ait Vas electionis, « nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Galat.* VI). » Sed nondum apparuit hæc gloria quid erit, habetque adhuc tristitiæ speciem, donec tristitia convertatur in gaudium, et gaudium nostrum plenum sit (*Joan.* XVI).

LIBER TERTIUS.

DE ORDINE ECCLESIASTICO AB ADVENTU DOMINI.

26 PROLOGUS.

Angustioribus atque profundioribus enavigavit oratio, dum superius sacramentum Dominici corporis et sanguinis pertentans potius quam perlustrans, nullum fidei passa est periculum, satisque confidit in Deo jam adulta vel exercitata fide, quia quotiescunque per hoc profundum fuerit navigandum, nullum alicujus obice saxi incurrit naufragium. Nunc juxta propositum nostrum, ad ordinem anni, qui circa ipsum agitur sacramentum, ingredientes, ipsum, quo regimur, sanctum poscimus Spiritum ut placida sui favoris aura nostrum implere velum non desinat, donec propositum opus ad optatæ consummationis portum perducat. Quod ab adventu Domini inchoantes, primum cur illud tempus sic nuncupetur, vel quid hoc significetur vocabulo, consulta causarum ratione nosce debemus.

27 CAPUT PRIMUM.

De Adventu.

Tempus, quod Dominicæ nativitatis memoriam antecedit, ideo adventus nuncupatur, quia totus ejus ecclesiasticus ordo juxta contemplationem adventus Domini dispositus est. Advenire autem Dominus recte dicitur, qui ubique est invisibili præsentia majestatis, dum assumpto eo quod visibile est nostrum, visibus carnis visibilem se ostendit. Quod tunc factum est, quando Verbum, per quod omnia facta sunt, quod erat in mundo, et mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit, caro factum est, ut visibiliter habitaret in nobis (*Joan.* I); itemque futurum est, quando is qui nunc a dextris Dei sedet, et licet nobiscum sit usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXIV) non aliud assumendo, sed quod semel assumpsit nobis repræsentando, et sicut ipse dixit: « Videbimus Filium

B hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate magna et majestate (*Luc.* XXI). » Illud igitur tempus, quod Dominicæ nativitatis memoriam antecedit, idcirco adventus nuncupatur, quia hæc quæ dicta sunt, partim præterita, partim futura commemorantur. Nam prima Dominica, primus adventus jam præteritus quasi futurus in persona antiquæ commemoratur Ecclesiæ. Secunda et tertia Dominica, secundus adventus exspectantibus et desiderantibus jamjam instare, propheticis atque apostolicis tubis denuntiatur. Ideo vero secundus adventus duabus Dominicis declamatur, quia primum adventum sola, quæ præcessit incarnationem Domini Ecclesia promissum exspectavit, secundum autem tam præcedens quam subsequens audivit, illa propheticis tantum, C hæc autem propheticis pariter atque apostolicis edocta præconiis. Quapropter in secunda ex ipsis Dominicis propheticum personat officium, quod est populus Sion. In tertio vero Apostolicum: « Gaudete in Domino semper (*Philipp.* IV). » Quarta Dominica, quæ semper Dominici natalis diem novissima respicit, tempus illud commemorat, quo imprægnato jam et tumido utero Virginis prope erat Dominus, et calcians se divinitas corrigiam illam suæ ligabat incarnationis (*Matth.* III), quam in Evangelio ejusdem Dominicæ Joannes se non esse dignum solvere profitetur (*Joan.* I).

CAPUT II.

De prima Dominica adventus Domini.

Quod hæc ita sint, ex ipsis earumdem Dominicarum patenter cognosci potest officiis. Nam prima D Dominica non jam retributionem, sed initium justitiæ postulat humanum genus. Nec jam patriam attingit, sed viam sibi postulat ostendi: Ait enim: « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas

tuas edoce me (*Psal.* xxiv). » Vox hæc veteris hominis est, originalis peccati vinculis alligati, et in suam cœlestem patriam nescientis redire, nec valentis. Propter quod illa tunc Evangelii lectio recitatur, in qua vel maxime commendantur illæ Domini viæ, per quas illuc, unde corruit homo, debeat et possit redire, scilicet obedientia, mansuetudo, et humilitas charitasque summa. Obediens namque Patri, ut pateretur pro nobis, ultro ad passionis locum venit mansuetus et humilis, sicut propheta de illo prædixit : « Dicite, filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super pullum asinæ (*Zach.* ix). » Charitas autem erat illa qua major non est, sicut ipse dixit : « Majorem hac dilectione nemo habet (*Joan.* xv), » etc. præterea tota primi adventus causa, in illa sancti Evangelii lectione typice continetur. Sed de hoc superius dictum est, ubi ad comprobandum quod Evangelio cohæreant et consentiant, cætera membra officii, quemadmodum corpus capiti, hujus Dominicæ officium exempli gratia propositum est. Asinam namque alligatam vel pullum ejus, humanum genus significare novimus, ad cujus solutionem Dominum advenisse manifestum est, ut sessor et possessor nostri factus, in cœlestem Jerusalem per vias suas e quitatu salutis nos reduceret. Igitur ex officio constat primam Dominicam primum
28 Domini spectare adventum. Cujus officii constat hanc esse intentionem, ut his quibus necdum venit Dominus (illis enim necdum advenit, qui fidem incarnationis ejus nondum receperunt; illis, inquam, qui necdum in adventu ejus crediderunt) adveniat tanta salus per fidem, ut confidentes in Domino non erubescant, neque irrideant inimici, id est dæmones, diutius asinam illam, quam alligaverunt vinculis peccatorum, sed solutæ vias Dominus demonstret illi, et semitas suas doceat (*Psal.* xxiv). Hoc in introitu, in graduali, et in alleluia manifeste conclamatur. Intervenit apostolus Paulus, et in lectione Epistolæ demonstrat asinæ vias, quas ambulare, vel quas non ambulare debeat. Quarum demonstrationem sic inchoat : « Scientes quia hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* xiii). » Nimirum hæc et reliqua dicens, quasi fidus auriga, ascensuro Domino, ut dietam suam perficiat, asinam infrenat, quo rectas vias teneat, ad summum dicens, « sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum, » quod idem est ac si dicat eidem asinæ : Ascensorem suscipe regem Sion. Quod autem post Evangelium idem clamat offerenda quod antiphona ad introitum, hoc innuit, quod asina illa, etiam cum acceperit sessorem suum Dominum, secura esse non debet, priusquam perveniat cum equite suo in supernam civitatem Jerusalem. Potest enim fieri, ut offensus eques suum velit mutare vehiculum, quod prius probasse visus est, ideo perseverat in offertorio dicere Ecclesia, quod in introitu dixerat, addendo : « Dirige me in veritate tua, » etc. Communio quoque : « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* lxxxiv), » manifeste vox est antiquæ

A Ecclesiæ, primum Domini exspectantis adventum. quando de benignitate Spiritus sancti, terra nostra, id est, uterus Virginis concipiens, dedit fructum suum, Deum et hominem proferens, benedicta in æternum. Ea quæ dicta est ad introitum collecta, quæque super oblata, quæque ad complendam, manifeste ad idem, scilicet ad primum Domini respiciunt adventum.

Cur statio ad Sanctum Petrum fiat.

Notandum quoque quia statio Dominica hac juxta sacratissimam ordinationem vigilantissimi papæ Gregorii, jure ad sanctum Petrum fit ; ipse est unus, imo primus discipulorum, qui ad solvendam illam magnam asinam missi sunt. Siquidem et in apostolatu circumcisionis Deus illi operatus est (*Galat.* ii), B et inter gentes cum consorte suo beato Paulo eadem legatione functus, pro Christo Romam ingressus est, ut imperium orbis tanquam prædictæ caput asinæ solveret, ita ut pulchre nobis illi duo, qui a monte Olivarum missi sunt, ad solvendam illam animalem asinam, in typum omnium prædicatorum, in his duobus, videlicet Petro et Paulo, repræsentari videntur, qui caput mundi Romam Domini Christi regis æterni vehiculum et habitaculum, cursum atque thronum effecerunt.

Cur in adventu non utuntur consuetis vestibus sacris diaconus et subdiaconus.

Ex tunc usque ad sacram Dominici natalis noctem, diaconus et subdiaconus imminuti procedunt. Nam neque diaconus dalmaticam, neque subdiaconus induit tunicam. Subdiaconus tanquam lex, quæ ante C incarnationem Domini carebat ornatu Evangelii ; diaconus tanquam ipsum Evangelium, cujus claritas, quanta sit, nondum apparuerat ante sacramenta nativitatis, passionis resurrectionis et ascensionis Domini. Horum enim non præsentiam, sed exspectationem significat tempus illud ; propter quod et adventus Domini, ut dictum est, nunc nuncupatur. Utuntur autem interdum casulis quam vestem sacerdotis esse diximus, dum de habitu ejus loqueremur. Quod neminem movere debet. Non enim sic utuntur casulis subdiaconus aut diaconus, ut in ipsis legant vel ministrent, sed lecturi aut ministraturi illas exuunt manifeste profitentes, illam suam non esse vestem, nec propter suum ordinem sibi debitam, sed propter Dominicæ vel alicujus festi reverentiam se accipere D accomodatam, ut inopem atque indecentem consolentur exspoliationem. Eamdem ob causam, *Gloria in excelsis Deo* tunc non dicitur, et *Ite missa est* intermittitur, quia videlicet illud tempus signat, ut dictum est, quo adhuc exspectabatur gaudium pacis. et illud quod nunc usque solliciti præstolamur, consummationem nostræ salutis.

CAPUT III.

De Dominica secunda.

Dominica secunda statio ad sanctam Jerusalem. Totum enim officium ejusdem Dominicæ ad lætificandum cor illius decantatur, quæ primum Filii Dei recepit adventum, quæque per fidem justificata,

(*Rom.* v), et pacem habens ad Deum, desiderat in secundo adventu videre gloriosum regem suum. Mulier quippe casta est, quæ viri sui absentiam plorat, præsentiam desiderat; et sic unici sponsi sui suspirat thalamum, « quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum (*Psal.* xli). » Huic ergo desideranti, festinanti atque anhelanti, præsens officium lætitiam prænuntiat, spem inculcat, patientiam prædicat. Primum Evangelii sententiam contemplemur, cui cæteræ officii partes, plenæ gaudii, plenæ consolationis et pacis, consonare probentur, præmissis signis, quæ gloriosum illum adventum præcessura sunt. « His ergo, inquit Dominus, fieri incipientibus, levate capita vestra, quoniam appropinquavit redemptio vestra (*Luc.* xxi). » — « Levate capita vestra, ait beatus Gregorius, id est exhilarate corda, » juxta hujus veridici promissi consolationem, præcinit ad introitum tuba prophetica populo Sion : « Ecce, inquiens, Dominus veniet ad salvandas gentes, et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ in lætitia cordis vestri (*Isa.* xxx). » Parvulus enim et pupillus est in hoc exsilio natus populus Sion, peregrina matre, et illo quem nunquam vidit, genitus patre; patrem absentem gemitibus quærens, et assiduis cœlum pulsans vagitibus, quo patrem suum abisse, matre narrante, audivit, et vix infantulus intellexit. Cui flenti et in orationibus vagienti commiserens mater totum hoc officium canit (*Act.* i), jamjam imminere contestans desideranti reditum patris, et audiendam esse gloriam vocis ejus, quando dicet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum in lætitia, inquit, cordis vestri (*Matth.* xxv), » quæ tota erit, ut signis ejus fieri incipientibus juxta Domini dictum, debeamus levare capita nostra (*Luc.* xxi), id est exhilarare corda. Quod quia per nos fieri non potest, nisi nos ipse gaudio spiritus sui lætificet, recte in collecta deprecamur, dicentes : *Excita, Domine, corda nostra*, id est leva atque exhilara ad præparandas Unigeniti tui vias, scilicet, ut parata sint occurrere illi ; non per timorem fugiendo, sed cum amore adventum ejus excipiendo. Ad hæc opportune nobis hæc apostolica lectio recitatur : « Quæcunque scripta sunt, **29** ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* xv), » et reliqua. Valet enim ad correptionem impatientis animæ, nimis ægræ, cupientis dissolvi, et esse cum Christo, dum abundantiam spei nobis optando, moras venturi Domini nostri ferre suadet, cum pace et gaudio (*Philip.* i). Graduale manifeste venturum eum canens, « cujus species decoris ex Sion est (*Psal.* xliv), » juxta illud, quia salus ex Judæis est, eamdem lætitiam sanctis ejus prædicat (*Joan.* iv), qui congregandi sunt ad dextram ejus, eo quod ordinaverint testamentum ejus novum super vetera sacrificia (*Psal.* xlix). Alleluia duobus fecundum versibus primo versu gaudium spei prædicat ejus, cui dictum est : « In domum Domini ibimus, lætitiamque ex re futuram (*Psal.* cxxi), » ubi stabunt pedes ejus in atriis Jerusalem. Lecto autem supradicto evangelio præcentore gaudii, et confirmata promissione veritatis, ubi dicitur : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Luc.* xxi), » jam velut consolatione recepta, gratulatur populus Sion, et dicit credens veritati : « Deus, tu convertens vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te (*Psal.* lxxxiv). » Vivificabis nos, inquit, scilicet per resurrectionem, convertens nunc per fidem, « et plebs tua lætabitur in te. » Lætabuntur filii sponsi reddita sibi ejus præsentia, et pristina tristitia in gaudium conversa, pleno gaudebunt gaudio. Longum nimis est, neque a nobis propositum exponentis more omnia persequi. Solam enim concordiam cujusque officii, velut compagem cujusque corporis perquirere propositum est. Summa igitur hujus officii est, ut peregrina Jerusalem, id est Ecclesia præsens, hujus vitæ exsilium spe patientissima perferat, et cum secundum Evangelii jam dicti præmonstrationem, mundi ruinam imminere cognoverit, levet caput suum, et juxta communionis cohortationem surgat, et stet in excelso, terrena respuens et amans cœlestia, sicut petit collecta, quæ dicitur ad complendum, et videat jucunditatem (*Baruch* v), quæ veniet sibi a Deo suo, ac velut propinquante æstate mœroris sui nubila discutiat, quia vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt (*Apoc.* xxi).

CAPUT IV.

De Dominicæ tertiæ officio.

Dominicæ tertiæ totum officium consolationem decantat, maxime rectoribus Ecclesiarum : quorum status quanto eminentior, tanto vita judiciis hominum subjectior, et tanto magis persæpe apud homines laceratur opinio, quanto eorum meritum in divino fulget judicio. Venturum namque illis annuntiat, qui harum illuminet abscondita tenebrarum; quia ipse judex eorum est et conscius, qui omnino errare non novit judicio. Ut ergo tanto teste vel judice venturo gaudeant, vel quid de illo sperent ut sciant, opportune recitatur illud præclarum atque famosum quod de Joanne Baptista perhibuit, testimonium, dicens :« Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* xi). » Magnum testimonium, grande præconium. Negavit Deus hominem esse illum mollibus vestitum negavit arundinem esse vento agitatam, enuntiavit, officio, vel meritis esse angelum. Ostendit in uno quod in omnibus facturus est, quoniam veniens ad judicium in conspectu Patris, et sanctorum angelorum, congrua singulis testimonia reddet Quis ergo non erubescet flere, eo quod competens suis meritis non habeat ex hominibus testimonium tanto sibi reposito in cœlis præcone meritorum ? « Gaudete potius in Domino semper, iterum dico gaudete, inquit Apostolus (quod cantant in introitu), modestia vestra nota sit omnibus hominibus (*Philip.* iv). » Quod si oculos suos compresserint, et lucem vestram coram eis lucentem videre noluerint, nihil solliciti

sitis, Dominus prope est, qui lucem vestram videre nolentibus ingeret, tantummodo petitiones vestræ innotescant apud Deum : unus enim ille testis contra omnes criminatores prævalebit. Promissam consolationem hanc subsequens compleri collecta postulat, dicens : *Aurem tuam, Domine, precibus nostris accommoda , et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra*. Tenebras enim quas patimur, in eo quod errantes falso judicamur et judicamus, illustrabit ejus adventus, quem non tardari poscimus. Sicut in subsequenti lectione epistolæ ait idem Apostolus : Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV). » Tota enim hæc lectio tendit in hoc, ut nobis pro minimo sit judicari ad humano die, sicut fuit Joanni, qui, ut supradictum est, in Evangelio prædicatur a Domino arundo vento agitata non esse (*Matth.* XI). De eadem re Dominus, flebiliter postulatur in graduali, præmissa laude competenti : « Qui sedes, Domine, super Cherubim (*Psal.* LXXIX), » etc. Nam in eo quod sedet super Cherubim, id est, super plenitudinem scientiæ, novit et potest occultam cordium nostrorum abyssum penetrare, et quæcunque ibi latent, vero testimonio in publicum proferre. Ad hoc juxta vocem psalmi, quæ in alleluia personat, excitabit potentiam suam, et veniet. Et sicut in offerenda quasi jam factum, quia procul dubio futurum est, præsumimus dicendo : « Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob (*Psal.* LXXXIV), » gaudebunt electi stantes a dextris testimonio sibi reddito a vero judice, et libertatem accipient filiorum Dei (*Rom.* VIII), juxta quod in alio loco scriptum est : « Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel (*Psal.* XIII) » Cujus libertatis spe confortat pusillanimes tuba prophetica in communione : « Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere (*Isa* XXXV), » qui sæpe dum humana contra se audivit præjudicia, quamvis de reposito in conscientia thesauro debeant consolari, tamen valde trepidant, quia necdum sciunt, quales in illo tremendo Dei judicio inveniendi sunt. Unde beatus Gregorius, qui multis hominum præjudiciis fatigatus, satis et plus aliis multis erat expertus, quid paterentur, vel quanta intra hæc consolationem indigerent rectores Ecclesiæ, et idcirco hoc illis celebri statione officium dedicavit, scribens ad Mauritium imperatorem, inter cætera dicit : « Quod autem dominorum pietas illud mihi pavendum et terribile omnipotentis Dei judicium intentat, rogo per eumdem omnipotentem Dominum, ne hoc ulterius faciat. Nam adhuc nescimus quis ibi qualis sit. » Et Paulus egregius prædicator admonet, dicens : « Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordium (*I Cor.* IV). »

Cur statio ad sanctum Petrum.

Sciendum vero est, præsentis Dominicæ officio A stationem congrue fieri ad Sanctum Petrum, quia videlicet ille rectorum Ecclesiæ primus et præcipuus est ; quibus idem officium prædicat gaudium et patientiam in tribulatione, longanimitatem in spe, quorum in animo quanta pressura sit, « et præter illa quæ extrinsecus sunt, quanta instantia quotidiana (*II Cor.* XI), » quanta sollicitudo commissarum sibi animarum, **30** nulli præter ipsos, qui experti sunt, perfecte et liquido noverunt, quamvis frequenti lectione, maxime ex libris beati Gregorii nonnulla ex parte a studiosis et cordatis lectoribus queant cognosci. Ipse autem beatus Gregorius egregium Romanæ sedis post Petrum apostolum decus ; qui optime, ut dictum est, angoris, ejus conscius exstitit, hoc sese cum illis officio consolatus est ; quippe, qui B ut in libro vitæ ipsius legimus, stationes per basilica vel beatorum martyrum cœmeteria (secundum quod hactenus plebs Romana, quasi eo vivente, certatim discurrit) sollicitus ordinavit ; per quas et ipse simul discurrens, dum adhuc loqui prævaluit, viginti homilias Evangelii diverso tempore declamavit, reliquas vero ejusdem numeri dictitavit quidem, sed lassescente stomacho, languore continuo aliis pronuntiandas commisit. Qui sicut vere dulcissimum sancti Spiritus organum, quidquid scripsit, digito Dei dictante concepit : sic easdem stationes non sine eodem Spiritu deposuit, et tam hæc quam cætera ejus opera, tanquam aurum rutilant in Christi Ecclesia.

CAPUT V.

De quatuor temporum jejuniis.

C Inter cæteras hebdomadæ ferias, quarta et sexta feria maxime jejuniis ideo deputantur, quia Dominicæ passionis memoria quæ aliis insignitæ sunt. Quarta namque feria Dominus a Juda traditore venditus, et sexta a Judæis crucifixus est (*Matth.* XXVI). Itaque et per singulas Dominicas proprias Evangeliorum et Epistolarum lectiones, habent, et jejuniis, litaniis atque abstinentiis pœnitentium magis idoneæ judicatæ sunt ; ut quibus diebus innocens Dominus venditus, et pro servis suis passus est, servus peccator fleat et jejunet, et lectionem sanctam, quæ est animæ pabulum, solemnius audiat. Quapropter quatuor temporum jejunia per easdem ferias celebrari instituta sunt, addita Dominicæ sepulturæ die, scilicet Sabbato, ut tres dies D jejunii sint, quatenus trium mensium cujusque temporis temperiem bonam, trium dierum, quibus jejunamus, salubri commercio impetremus, et pro mercedem unum Domino offerentes, tranquillam et quietam hanc vitam sub elementis mundi, a spiritualibus nequitiis (*Ephes.* VI), et ab aerearum malignitate tempestatum peragamus.

CAPUT VI.

De jejunio in Adventu Domini.

Terria igitur Dominici adventus hebdomada, quarta feria brumalis temporis jejunium præfixum est ; quod propter adventum Domini aliorum temporum jejuniis celebrius est, et officium tam diurnum quam

nocturnum magis plenarium habet, ad ipsum Domini pertinens adventum, ut dum caro jejuniis affligitur, anima redemptionis suæ testimoniis, ex lectione sacra vel concentu Ecclesiæ, copiosius lætetur. Prima jejunii die, scilicet quarta feria statio ad Sanctam Mariam convenienter ordinata est. Ad illud enim templum Domini, ad illud sacrarium Spiritus sancti, in quo totus Deus novem mensibus habitans, dignatus est homo fieri, totum ejus diei officium proprie pertinere manifestum est (*Luc.* I). Nam ex Evangelio Dominica recitatur annuntiatio vel incarnatio, propheticis tubis ante declamata, per angelum præsentaliter allata, per fidem beatæ Virginis suscepta, per incorruptum ejus uterum completa et reddita. Quæ omnia propheticus clangor in introitu breviter percinens: « Rorate, cœli (*Isa.* XLV). » inquit, et cætera. Dicendo « rorate, cœli, desuper, » ministerium angelicæ expressit allocutionis, qua verbum Deus in interiorem aurem credulæ Virginis, sicut pluvia in vellus (*Judic.* XXI), descendit, et per hoc quod ait, « et nubes pluant justum, » se atque cæteros prophetas, qui ut nubes justum, scilicet Christum, et fideles ejus in terra cordis nostri cœlesti doctrina depluunt. « Aperiatur, inquit, terra (*Isa.* XLV), » suscipiendo Verbum, et dicendo, « ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I), » et germinet salvatorem benedicta in æternum, Deum nobis proferens et hominem. Quæ post hæc sequuntur, omnia similiter Evangelico sensui consonant. Epistolaris lectio jejunantium animas dupliciter reficiens, primo montem illum prædicat, qui secundum consonum Evangelium, sedem suscipiens David patris sui, et de lapide parvo crescens in montem (*Dan.* II), et implens orbem terrarum, regnabit in domo Jacob in æternum (*Psal.* LXV), cui lectioni pulchre succinit versus subsequens gradualis : *Quis ascendit in montem Domini* (*Psal.* XXIII), etc. Quia videlicet non nisi innocens manibus et mundo corde, et cujus vita concordat cum fide, partem habebit in illa Domini incarnatione. Reliqua officii membra patenter ad eumdem Evangelii sensum pertinent, nec ad hoc probandum immorari opus est, quoniam manifestum est. Igitur hac die secundum hujusmodi officium statio ad Sanctam Mariam convenienter ordinata est.

CAPUT VII.

De feria sexta jejunii.

Sexta vero feria statio ad sanctos apostolos præscripta est. Ratio quidem occultior est, sed quærentibus parva ex scintilla citius elucet. Nam in Evangelio diei præsentis, in cantico Beatæ Virginis dignum illud memoria dictum est, quod patenter ad ipsos apostolos attinet : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (*Luc.* I). » Nam de sede spiritualis magisterii, de cathedra Moysi, deposuit potentes de sede, id est superbos, scribas et pharisæos, et exaltavit in eamdem sedem humiles apostolos. Sicut alias ipse Dominus : « Confiteor tibi, inquit, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). » Quod quia in veritate judicii factum est, et cum hæc diceret beata Virgo, prope erat Dominus, scilicet in utero ejus, bene congruit hic introitus : *Prope esto, Domine, et omnes viæ tuæ veritas* (*Psal.* CXVIII). Et quia florente tunc virga de radice Jesse, jam requiescebat super florem ejus spiritus Domini, ut de plenitudine ejus accipiens Joannes, exsultaret in utero Elizabeth (*Joan.* I; *Luc.* I), apte convenit Evangelio hæc Epistola : *Egredietur virga de radice Jesse* (*Isa.* XI), etc. Singula percurrere nimis longum est, et quia per se patet quod ad eamdem rem pertineant, fastidiosum est. Communio tandem : *Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo* (*Zach.* XIV), ad eorumdem perspicue spectat glorificationem apostolorum, qui cum eo venturi sunt in secundo adventu ejus ad judicium.

31 CAPUT VIII.

Cur una tantum lectio legatur ad missam.

Quæri autem potest cur quarta feria prima scilicet die jejunii, duæ sint lectiones, duoque ascripta gradualia, sexta feria una tantum lectio, sequenti vero Sabbato legantur sex ? Ad quod respondendum, quia cum quarta feria duas legerimus, sexta secundum profectum jejunii tres legere deberemus, Sabbato autem quatuor. Verum quia Sabbato solent ordinationes fieri, translatæ a feria sexta duæ, quatuor Sabbati lectionibus appositæ sunt, ut his maxime sacri officii proferenda reservetur opulentia, qua et jejunantes, et sacrorum ordinum tirones descripti sunt.

Cur Sabbatos jejunii duodecim lectiones titulentur, cum sex tantum legantur.

Sciendum quoque quod cum Sabbato sex tantum legendæ sint, duodecim in titulis lectiones ea de causa prænotantur, quia cum. Romana Ecclesia de Latinis et Græcis esset permista, singulæ lectiones in utraque lingua recitabantur. Nam in una lingua recitatæ, ab utriusque linguæ populis intelligi non poterant. Itaque dum unaquæque bis legitur, duplicato senario lectionum numero, duodecim computantur. Præterea notandum est, ordinationum sacramenta Dominicæ diei deputari, cujus in vespera fiunt, et tam vespera Sabbati quam mane prima Sabbati posse et licere jejunis a jejunantibus celebrari.

CAPUT IX.

Sententia Leonis papæ, quod ordinationes cum Sabbati vespere fiant, ad diem Dominicam pertineant.

Dicit enim magnus Leo, scribens ad Dioscorum Alexandrinæ civitatis episcopum, « Quod a patribus nostris propensiore cura servatum esse novimus, a vobis quoque volumus custodiri ; ut non passim diebus omnibus sacerdotalis, vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati, hoc est noctis ejus, quæ in prima Sabbati lucescit, exordio, sub lege divini officii substituatur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis a jejunantibus sacra benedictio

conferatur quod ejusdem observantiæ erit, si mane A ipso die Dominico continuato Sabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt :quam ad diem resurrectionis (sicut etiam in Pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est. Nam præter auctoritatem consuetudinis quam ex apostolica novimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat quod cum apostoli Paulum et Barnabam ex præcepto sancti Spiritus ad evangelizandum gentibus mitterent, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus (*Act.* XIII), ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie et laudabiliter apostolicis mores gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris, ut his qui consecrandi sunt, nunquam benedictio, nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespere Sabbati initium constat ascribi, et quæ tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quidquid Domino est insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, et mors interitum, et vita sumpsit initium. In hac Apostoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac sicut beatus evangelista Joannes testatur, cum congregatis in unum discipulis, clausis januis, ad eos Dominus introisset, insufflavit et dixit: « Accipite Spiritum sanctum, et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum detinueritis, detenta erunt (*Joan.* XX). » In hac denique promissus a Domino apostolis Spiritus sanctus advenit (*Act.* II). Ita cœlesti quadam regula insinuatum et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium, in qua collecta sunt omnium dona gratiarum.

CAPUT X.

Item de Sabbato, et cur statio ad Sanctum Petrum.

Hoc Sabbato, et omnibus horum quatuor temporum Sabbatis, statio ad Sanctum Petrum congrue celebratur. Cui enim primo post Christum, Ecclesiæ summum collatum est pontificium, quique primus et princeps sacras in Ecclesia celebravit ordinationes, cujus vice maxime fungitur Romanus pontifex, cum Ecclesiæ sanctæ ministros et ovibus Christi pastores ordinat necessarios, congrue, ut tanquam ad summum recurratur, apud ipsum statio celebretur. Convenientes igitur ad Beatum Petrum jejunos mater Ecclesia filios, velut ex ore ipsius Petri multiplicatis in anima reficit sacramentis, et ex ipsius auctoritate spiritualium divisiones ministrationum distribuit. Ubi notandum, quintam semper lectionem, quæ superadditæ doctrinæ novissima est, non mutari, semperque illam esse, qua legitur angelus Domini cum Azariæ et sociis ejus in fornacem ignis descendisse (*Dan.* III). Quod magna et mystica non vacat ratione. Nam quemadmodum pueris a Babylonio rege missis in fornacem ignis, cœlestis gratia subvenit, et fecit, medium fornacis quasi ventum roris flantem; sic nos a confusionis rege diabolo, libidinum flammis appetitos jejuniorum et orationum instantia liberat. Hoc denique genus non ejicitur, nisi in oratione et jejunio (*Matth.* XVII). Hac ergo lectione prælecta, sequitur et hymnus eorumdem puerorum, quo ad benedicendum Creatorem omnis creatura commonetur, priusquam sacerdotes ordinentur, ut animadvertamus, illorum ora manusque ad benedictiones dandas, et quod maximum est, conficiendum corpus et sanguinem Domini jure admitti, qui a confusionis rege succensam fornacem vitiorum potenti fide superaverunt. Jam quæ sequuntur, manifeste secundum Domini prædicant adventum, et voci consonant B « clamantis in deserto, parate viam Domino (*Isa.* XL; *Matth.* III), » etc. Hoc enim evangelium ejus diei est principium scilicet prædicationis, qua Joannes peccatorum corda percutit, et ad pœnitentiam invitat, genimina viperarum, securim dicens jam esse positam ad radices arboris, et ventilabrum in manu judicis, ut purgans aream suam, triticum congreget in horreum, paleas autem comburat igne inexstinguibili (*Matth.* III). Hoc evangelium eodem epistola sensu præcurrit, scilicet secundum prædicando adventum Domini, quo revelatum prius hominem peccati, filium perditionis interficiet spiritu oris sui (*II Thess.* II), et destruet illustratione adventus sui. Sed et antiphona ad introitum : *Veni et ostende nobis faciem tuam, Domine, qui sedes super* **32** *Cherubin,* C *et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX), manifeste tempus illud respicit, quo (sicut in offerenda quoque canimus) exsultanti filiæ Sion : « Veniet rex suus sanctus et Salvator mundi (*Zach.* IX), » et sicut in tractu præmissum est : Excitans potentiam suam veniet (*Psal.* LXXIX), et eum quem deducit, velut ovem Joseph, segregatum ab hædis qui a sinistris ejus erunt, ad dexteram suam constituet (*Matth.* XXV). Interim tamen plorandum est ante eum qui fecit nos (*Psal.* XCIV), ne fortis et terribilis, qui juxta communionem « exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII), » nemine adversantium parvulorum valente sibi resistere, de quibus scriptum est : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum (*Psal.* LXIII), » cum venerit, item gigas nobis sit, et multa fortitudine sua D nobiscum in judicio contendat, et magnitudinis suæ mole premat nos.

CAPUT XI.

Cur Dominica quarta vacat.

Dominicæ quartæ officio præscriptum est, *Vacat:* videlicet, quia nulli sanctorum apostolica cautione stationi deputatum est. Quod quam recte cautum sit, considerata ejusdem officii ratione perpendere licebit. In evangelio Dominicæ hujus, agitante vento Pharisaicæ interrogationis, hæc scintilla splendidæ veritatis emicat de flamma ignis divini, qui calebat ardens et lucens (*Joan.* V), in sancta mente Joannis: « Ipse est, inquit, qui post me venturus est, qui ante

me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti (*Joan.* I).» Ab hac probabilis testimonii sententia gravi et digna corde et ore tanti præcursoris, omnia pendent membra concrepantis officii. Stat Idumæa illa, quæ visitationis suæ propheticum illud audierat promissum: « In Idumæam extendam calceamentum meum (*Psal.* LIX, CVII), » et respiciens in illud tempus quo de accubitu suo, scilicet de sinu Patris, egressus rex ille qui hoc promiserat, jam in utero Virginis calceabatur, mirabilem illam atque insolubilem incarnationis corrigiam suis circumdans gressibus. Illud, inquam, respiciens, Idumæa scilicet alienigena gentilitas, clamat in introitu: « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui (*Psal.* CV), » videlicet in filio tuo, in quo tibi beneplacuisti solo ex millibus populis, quicunque tuus fuit ab initio mundi, visita nos in eodem salutari tuo, ad modum medici jacentem ægrotum dignatione gratuita visitantis (*Matth.* III, XVII). Quæ deinde sequuntur, id est collecta, epistola, graduale, alleluia, cuncta pariter juxta considerationem imprægnati uteri Virginalis, prope esse Dominum, et celerem ejus adventum consonant. In offerenda vero palam est, non exemplo angeli, salutare illud templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, thalamum sanctitatis, triclinium divini consilii; in quo, ut dictum est, divinitas veniens ad nostram salutem, nostra carne calceata est. Hoc tantum regis Christi mysterium, cui sanctorum, qui omnes officiales ejus sunt, ita fuit creditum, ut merito decantetur hoc officium præscripta statione apud quemlibet illorum? Nam quæ apud singulos eorum officia solemnibus deputata sunt stationibus rite considerentur, singulorum virtutibus vel meritis consonare probantur. Sic apud beatum Petrum, qui principaliter jus obtinet ligandi atque solvendi statio fit (*Matth.* XVI), quando, ut dictum est, in typum Ecclesiæ nobis evangelizatur solutio asinæ (*Matth.* XXI), sic quando agimus scrutinia, et catechumeni præsignantur, ad catechizatorem gentium Paulum statio celebratur. Hanc autem ligaturam corrigiæ solvere, id est sanctæ incarnationis Christi mysterium denudare, ipse Joannes se indignum asserit, quo major inter natos mulierum nemo surrexerit (*Joan.* I, *Matth.* XI). Investigare enim quis potest, quomodo corporatur Verbum, quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet, et exstitit et concipitur? Nulli ergo sanctorum hoc mysterium ita fuit creditum, ut apud illum propria statione hoc assignari debeat officium. Proinde vacat, non quod (ut nonnullis videtur) minus sit authenticum, sed quod de ordinatissima stationum dispositione, rationabiliter sit exceptum, utpote materiam habens totius salutis et sanctitatis effectricem, sed nulli sanctorum investigabilem; omnibus impensam, sed per solum Spiritum sanctum administratam, qui in triclinio Virginalis uteri solus medius, solus conscius et unus cœlestium fuit architriclinus nuptiarum, (*Luc.* I). Nocturnalia, studio vitandæ prolixitatis, prætermittimus officia, maxime quia per se satis patent, quod a diurnalibus non discrepant. Notandum vero quod antiqua et universali sanctæ Ecclesiæ consuetudine per hoc tempus rationabiliter legitur Isaias propheta, qui tam primum quam secundum Domini adventum eloquenter evidens, et evidenter eloquens, nobilis propheta, imo magnus et verus nuntiat evangelista. Nam per totum annum juxta rationes causarum vel temporum, sacræ lectiones probabiliter (sicut in sequentibus locis suis liquebit) ordinatæ sunt.

CAPUT XII.

De officio in vigilia natalis Domini.

In vigilia Natalis Domini, frequens ac celeberrimum est in ore Ecclesiæ pulchrum illud divinæ consolationis oraculum: « Hodie scietis, quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus. Judæa et Hierusalem, nolite timere (*Exod.* XVI), » etc. Per hoc mittit quemquam nostrum ad historiam libri Paralipomenon, quando regnante Josaphat, congregati sunt filii Ammon et Moab, cum habitatoribus montis Seir adversus Judam (*II Par.* XX). Convenitque omnis Juda in Jerusalem et in templum Domini ad deprecandam faciem ejus. Et stantibus illis coram Domino cum uxoribus et parvulis aut liberis, et vociferantibus ad Dominum, exclamavit Hiaziel, filius Zachariæ, filii Barachiæ, levites de medio multitudinis facto super se spiritu Domini: « O Juda et Jerusalem, nolite timere, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum, » etc. Illuc ut dictum est, mittit quemquam nostrum Ecclesia, summa cura nitens excitare corda nostra, ut vigilanter advertamus per hanc similitudinem, quam opportune subvenit nobis nativitas Filii Dei secundum carnem. Non enim parva similitudo est. Nam quemadmodum tunc visibiliter congregati fuerant visibiles hostes adversus Judam, scilicet filii Ammon et Moab (*Jer.* XLVIII), et habitatores montis Seir (*Ezech.* XXXV), qui sæpe in Scriptura sacra pro peccatis et vitiis et malignis spiritibus ponuntur (*Gen.* XVI), nominibus quoque ad hoc ipsum congruentibus; Ammon enim interpretatur *populus turbidus*; Moab *ex patre* scilicet diabolo: Seir *pilosus* vel *hispidus*; sic ad interitum nostrum congregabantur peccata et vitia nostra, nec erat qui adjuvaret.

CAPUT XIII.

De officio ejusdem diei

Ipsum nomen, quod dicitur vigilia, nos excitare debet, ut vigilanter advertamus ea, quæ in officio diei hujus congesta sunt. Quæ cum **33** perspexerimus, quibus ex Scripturarum locis conquisita sint, miranda nobis significatio potius quam expressio sese offeret profundæ intentionis, qua compositor officii nostras in meditatione divina mentes occupare per hujusmodi officium intendit. Primum itaque de introitu dicendum: ***Hodie scietis quia veniet Dominus.*** Hoc de Exodo parva mutatione sumptum est. Nam cum dixisset Dominus filiis Israel: « Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, dixerunt Moyses et Aaron ad illos: « Vespere scietis

quod eduxerit nos Dominus de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam ejus (*Exod.* xvi). » Cum ergo nobis, in exspectatione Dominicæ nativitatis mente vigilantibus, hoc in introitu canitur, quod dictum est, tunc panem de cœlo, id est manna suscipientibus, facile persentit chorus eruditus quid innuat piæ calidus intentionis oculus, id est quo tendat, vel ad quid sensus nostros invitet officii compositor vere sapiens, et scriba doctus magni sibi thesauri, conscius (*Matth.* xiii). Denique ad hoc invitat nos, ut recogitemus, manna illud, quod datum est filiis Israel, de Ægypto egressis, et tendentibus ad terram repromissionis, figuram fuisse Verbi Dei, quod per Virginem carnem assumens, nos in se credentes pascere venit, qui eramus a Deo jejuni, solis carnis vitiis, tanquam carnibus Ægypti distenti atque crapulati. Hujus interpres similitudinis, non quivis hominum, sed ipse est, qui dixit : « Ego sum panis vitæ : patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex illo manducaverit, non moriatur : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi (*Joan.* vi). Hoc igitur intelligentes, et magnifice exsultantes, amplius ex subjunctione psalmi dilatamur in intellectu gaudio spirituali, dicentes : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* xxiii). Quod de psalmo sumpta est offerenda quoque cum versibus suis. Convenit namque diei vel rei psalmus hic per omnia, quia totius hodierni officii psalmique hujus una fere intentio est. Nam et in vigilia præsenti contemplari jubemur, non solum quod natus sit, sed et cur natus, vel quando natus sit Christus, sicut et cantamus : *Intuemini quantus sit gloriosus iste* (*Hebr.* vii). Et in psalmo juxta titulum, qui talis est : « Psalmus David in prima Sabbati, » agit Propheta de victoria Christi, quæ facta est in resurrectionem, in prima sabbati (*Luc.* xxiv), exhortans fideles, ut tanto regi semetipsos, sicut decet, præparent advenienti, tollentes, sicut in offertorio cantamus, portas suas, portas mortis, id est vitia, vel elevantes portas justitiæ, virtutes, ut introeat rex gloriæ Dominus virtutum, ad debellandum fortem armatum, cujus est orbis terrarum, quia ipse super maria fundavit eum (*Psal.* xxiii), dum sicut olim « divisit mare Rubrum in divisiones (*Psal.* cxxxv), » ita et nunc orbem, id est populum Christianum, educens inter dissensiones amaricantium populorum, fundavit in fide, et super flumina præparavit, id est super principes sæculi stabilivit eum. Nihilominus et hoc, quod eidem introitui, in graduale transformato, versus iste subjungitur : *Qui regis Israel, intende* (*Psal.* lxxix), sensum vigilantem ædificat. Nam psalmus ille oratio est pro Judæis, et gentibus, qui cito apparente Domino Jesu commutandi erant in eum. Et pro perfidis quoque Judæis, qui in titulo appellantur Assyrii, id est seipsos dirigentes secundum reputationem suam, « qui justitiam suam statuere volentes, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* x), pro perfidis, inquam, Judæis orant in illo psalmo fideles, ut tandem

A convertantur, quod ipsi tandem futurum prævident. Et in supradicto versu sub nomine Israel Judaicus populus, sub nomine Joseph, quod interpretatur *accrescens*, gentium designatur multitudo, quæ illis addita est juxta illud : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere (*Joan.* x), » etc. De Evangelio vel Epistola palam est, quod eis introitus supradictus conveniat, videlicet quia sensus utriusque hoc maxime intendit attestari, qualem per portam cœli supradictum manna nobis Dominus pluerit, scilicet per Virginem, dicente angelo in Evangelio : « Quod enim ex ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet autem filium (*Matth.* i), » etc. Pauli autem in Epistola : « Qui factus est ei ex semine David (*Rom.* i). » Maxima

B namque portarum cœli, quas Dominus, ut hoc manna plueret, nobis aperuit, Maria exstitit, per quam ad nos Verbum Dei, caro factum, de cœlo descendit. Siquidem aliæ portæ, id est omnes sanctorum animæ, quæ ab initio verbum illud in gremio fidei meruerunt suscipere, ore suo verbum salutis pepererunt, id est prædicaverunt, sanctamque Scripturam composuerunt, dicentes : « A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus. Spiritum salutis tuæ fecimus super terram (*Isa.* xxvi). » Hæc autem Verbum illud ita plena gratia concepit, ut visibilem hominem factum pareret, in veritate carnis, eodem Spiritu sancto et per ora prophetarum verbum hoc eloquente, et conceptionem ejus in utero virginis operante. Quod et ipsum cœlitus significatum

C est in eo quod de supradicto manna scriptum est : « Cumque descenderet mane ros supra castra, descendebat pariter et manna (*Exod.* xv). » Ros enim Spiritum sanctum, de quo nunc dictum est, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, manna vero, ut sæpe dictum est, verbum Dei significabat, quod per operationem ejus humanæ naturæ unitum est. Et quod populus inobediens, de eo quod collegerat, reservavit, nec totum, ut jussum erat, comedit, hoc illud est quod non totum quod accepit a sanctis prophetis de verbo Dei, credere voluit. Quod autem de manna reservatum est, quale fuit ? « Computruit, inquit, et scatere cœpit vermibus (*Exod.* xvi). » Nimirum hoc est quod usque hodie Judæa de manna comedere, id est de verbo Dei credere refugit : Quod videlicet putredinem, id est carnem

D nostram assumpserit, et vere sit vermis, quod purum manna fuerat, id est homo vere mortalis sit factus, qui Deus, imo Verbum Dei erat, quod autem die Sabbati non computruit neque vermis est inventus in eo, quia pulchre illud significat, quod, ut ait Apostolus : « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi). » Recte igitur in introitu cantamus : *Hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis,* etc. quia hodie, id est in præsenti vita scimus et credimus quia de cœlo descendit panis vivus, *mane,* id est in resurrectionis gloria, videbimus non solam humanam, sed gloriosam divinitatis ejus formam, et ut in

communione canimus, *revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei nostri* (*Isa.* XL).

CAPUT XIV.

De eo quod solet quæri, cur Deus lapsum hominis evenire permiserit, pro quo incarnatio ejus necessaria fuit.

Importuna plerumque a nonnullis hæc nobis impingitur quæstio : Cur Deus lapsum hominis evenire permiserit, cum utique, ut omnipotens, impedire potuerit, saltem ipsum tentatorem ab ingressu paradisi procul arcendo, maluerit que suam incarnationem humano generi necessariam existere, quam compendio serpentem **34** ab hominis collocutione abigere. Hoc Apostolus Judæis scandalum, gentibus autem ait esse stultitiam ; nos autem, si spiritu pietatis regimur, ut mites simus, et ideo quærimus ut inveniamus, scienter profitebimur hoc stultum Dei sapientius esse hominibus (*I Cor.* I). Quod ut probari possit facilius, libet prius rei tantæ majestatis aliquam apponere similitudinem, ut quia divinam justitiam vel sapientiam in semeptisa radiantem, infirmi perspicere non queunt oculi, tanquam in subjecto speculo contemplantes, speciosam illam esse intelligant per ipsius imaginem. Nunc ergo ab eo, quod scriptum est : « et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit, » et paulo post : « Et intravit Israel in Ægyptum (*Psal.* CIV), » etc., competentem licet capere similitudinem. Quærimus nunc ab eis qui supradicta quæstione moveri solent, cur Deus voluerit, ut Israel in Ægyptum intraret, unde postea signis atque portentis, cum ipsorum grandi labore, per Moysen et Aaron educerentur ? (*Exod.* VII, VIII.) Nam testamentum suum, quod disposuit ad Abraham, quod juravit ad Isaac, quod statuit Jacob in præceptum, dicens : « Tibi dabo terram Chanaan (*Psal.* CIV), » cum essent incolæ ejus, scilicet terræ Chanaan, illud, inquam, testamentum sic poterat ratum facere, ut non vocaret famem super terram, neque intraret Israel in Ægyptum, et ibidem, id est intra Chanaan, augere poterat populum suum vehementer, et firmare eum super inimicos ejus, non relinquens hominem nocere eis, et corripiens pro eis reges (*ibid.*) ; » sed maluit, ut dictum est, causam evenire, propter quam intraret Israel in Ægyptum et illuc mittere Moysen servum suum et Aaron, ponens in eis verba signorum suorum, et increpare mare Rubrum, ut exsiccaretur, et subversis hostibus deduceret eos per desertum quadraginta annos, et portaret mores eorum, et interim pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis (*Psal.* CV). Hoc ergo respondeat qui altiora quærit, cur tantis morarum vel operum dispendiis reducendos, illuc intrare permiserit. Dicet fortassis quod in promptu est, et quod verum est, quia ut notam faceret in gentibus virtatem suam, ut essent quæ utiliter annuntiari possent inter gentes opera ejus (*Psal.* LXXVI) ; ut sciremus, quia ipse Dominus Deus noster (*Psal.* CIV), et experimento probaremus, quia in universa terra judicia ejus (*ibid.*) ; ut, inquam, notus fieret Deus, sine cujus notitia non vivit omnis homo, idcirco quod supradictum fieri permisit. Et recte, bene, irreprehensibiliter. Si enim homo non debet oblata occasione omittere quin proferat quod in se utile habet, pro eo quod scriptum est : « Sapientia abscondita et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque ? » (*Eccli.* XX.) quanto magis benevolentia Dei oblatam sibimet occasionem debuit amplecti, id est mittere in servum venundari Joseph (*Gen.* XXXVII ; *Psal.* CIV), ut sapientiæ suæ thesauros utiles ostenderet, quia videlicet illa venditio captivitatis illorum causa vel initium fuit. Non enim Deo imputandum est illius captivitatis initium, quia vocavit famem super terram, sed eis, a quibus in servum venundatus est Joseph. Non ergo dubium est quin irreprehensibile sit quidquid illic a Deo permissum est vel actum. Quopropter cum descenderent in Ægyptum, solus pater Jacob, qui culpæ illius fuerat expers, spe promissionis recreatus est. Audivit enim Deum sibi dicentem : « Noli timere, descende in Ægyptum, ego descendam illuc tecum ; et ego inde adducam te (*Gen.* XLVI). » At vero illius divinæ justitiæ, de qua supra propositum est, hæc imago est, atque ad exemplar cœlestium hæc in terrenis acta sunt. Eadem simplicitate oculi, id est intentione utilia faciendi, permisit Adam volentem descendere in hanc Ægyptum, id est in tenebras peccati, cum posuisset eum in amœnitate paradisi, cujus illa terra typum gessit, in qua Abraham et Isaac et Jacob peregrinari jussit, repromittens eam illis. Et cuncta utilitas, quæ provenit ex eo, quod Israel in Ægyptum intrare permisit, tanto minor est illa quæ de peccato Adæ provenit, quanto minor est figura veritate, similitudo re, umbra corpore. Nam, ut cætera nunc omittam, quorum latissimæ quidem significationes sunt, sed aliis temporibus vel locis adhibendæ sunt, illud quod pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis (*Psal.* LXXVII), vere magnum et mirificum bonum, quanto minus est isto, quem significat, pane angelorum, qui est Dei Verbum, Verbum Deus, Verbum caro factum. Siquidem illud manna, Verbi hujus incarnati fuisse signum, non solus in Evangelio testatur Dominus, ubi ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI), » sed et Moyses in Deuteronomio præscribit. Qui cum dixisset : « Et dedit tibi cibum manna, quem ignorabas tu et patres tui, » statim addidit, « ut ostenderet tibi quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei (*Deut.* VIII). » Et ut supradictam divini oculi simplicitatem, id est intentionis puritatem utrobique planius perpendas, promptum est perspicuis probare testimoniis, quo ad erudiendam creaturam, non solum humanam, sed et angelicam, hæc vel illa fieri oportuit. Nam de manna cum dixisset Moyses quod supra positum est, paulo post adjecit utique hominibus loquens : « Quia sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus tuus erudivit te

(*Deut.* VIII). » De sacramento autem Verbi incarnati, Paulus ad Ephesios scribens, « Ut innotescat, inquit, principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III). » Igitur quemadmodum in speculo patet, subjectæ similitudinis clarissimus, et ab omni, quod reprehensione vel nota stultitiæ, ut gentibus visum est (*I Cor.* I), dignum sit, purissimus justitiæ Sol, in dispensatione suæ incarnationis incedit, quia modorum omnium, quibus omnipotens malitiam diaboli pervertere, vel cassare potuisse, vel debuisse asseritur, a mundi hujus sapientia, quam stultam fecit Deus; omnium, inquam, modorum optimus hic modus est, qui Deo complacitus est, ut diabolus ad suæ damnationis cumulum hominem decipere permitteretur, et suæ fraudis effectu potitus tum demum per hominem ad judicium traheretur. Et sedens in superbiæ principatu Ægypti rex, id est tenebrarum princeps, primum decem plagis, id est decem legis præceptorum flagris contunderetur, deinde nobis ad manducandum hoc manna per baptisma concurrentibus, ipse insectator fluctibus ejusdem enecaretur, nobisque hoc in manna Verbi incarnati refectis atque confortatis, terramque ejus, id est cœlestem patriam, quam ille superbiendo perdidit, invadentibus, ipse cum satellitibus suis videlicet spiritualibus Chananæis trucidaretur, quod in die judicii futurum est, quando mirabili et pulcherrima ordinatione hic Deus et homo puniet, et quod in Deum, et quod in hominem retum est, id est et superbiam, qua contra Deum tumult, et invidiam, qua hominem decepit. Hæc omnia Deus, priusquam hominem conderet, præscivit et prædestinavit, ipsum autem hominis lapsum præscivit quidem, sed non prædestinavit, neque voluit, quinimo sub interminatione mortis vetuit (*Gen.* II). Nam bona sola Deus præscivit et prædestinavit, mala autem præscivit tantum, non etiam prædestinavit, sed condigna eis loca juste deputavit. Addit adhuc quærere aliquis. **35** Cum prævaricatio nulla sit, si præceptum aut lex non fuerit, cur Deus homini præceptum dedit, quod non servandum præscivit? Videlicet quia Creator erat ille, iste creatura, et a Creatore creaturam erudiri oportuerat, quippe quæ ita creari non potuerat, ut suapte natura perfecta esset, quod solius divinæ naturæ est, neque sciri posset quia Deus mitis et humilis corde est (*Matth.* XI), nisi eruditione proficeret. At vero præceptum in omni disciplina eruditionis initium est. Igitur præceptum dari oportuerat, illud præsertim quo ad humilitatem creaturam disponeret, videlicet prohibendo ne plus vellet sapere, quam oporteret sapere (*Rom.* XII), quem ob culpam ceciderat diabolus, et ideo in Ezechiele cum improperio et ironia appellatur cherub (*Ezech.* XXVIII), id est plenitudo scientiæ. At ille, ut scientiam boni et mali, id est omnium scientiam, sicut Deus haberet, comedit lignum, quod exinde ita appellatur scientiæ boni et mali, non quod vere ita

A fuerit, sed quod de illo diabolo fallente mulier credidit (*Gen.* III). His ergo breviter præmissis, propter eos duntaxat, qui nobiscum Dei scientiam inclinato corde expetunt, non propter eos qui insidiose agunt, qualibus dicit Apostolus: « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid potest figmentum dicere ei, qui se finxit: Quare me fecisti sic? » (*Rom.* IX.) quorum insidiosis respondere quæstiunculis, nec nostræ facultatis, nec præsentis propositi est: his, inquam, præmissis, gloriam prædicamus ejusdem Dominicæ incarnationis, Deum Patrem laudantes, qui per illam nobis faciem suam ostendit, glorificantes Filium salutare nostrum, qui carnem nostram assumpsit, gratias agentes sancto Spiritui, cujus proprium opus illa novi hominis mirabilis

B conceptio fuit.

CAPUT XV.

Cur duæ legantur in Natali Dominico ad missam epistolæ.

Illud quæsitu dignum est, cur in hac solemnitate Dominicæ nativitatis, tam die quam nocte duæ ad missarum solemnia legantur epistolæ, quod alias per totum annum eo modo non fit. Quodque maxime prætereundum non est, prima semper de Veteri, sequens de Novo Testamento sumpta est. Quod inquirentibus nobis splendida beati Gregorii doctrina viam intelligentiæ protinus aperit. Ait namque: Bene duo cherubim, quæ propitiatorium tegunt, sese invicem aspiciunt, versis vultibus in propitiatorium. Cherub quippe *plenitudo scientiæ* dicitur. Et quid per duo cherubim, nisi utraque Testamenta

C signantur? Quid vero per propitiatorium, nisi incarnatus Dominus figuratur? De quo Joannes ait: « Ipse est enim propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II). » Et dum Testamentum Vetus hoc faciendum denuntiat, quod Testamentum Novum de Domino factum clamat, quasi utraque cherubim invicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt, quia dum inter se positum incarnatum Deum vident, a suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis ejus mysterium concorditer narrant (4). Redditam ergo nobis eamdem intelligimus similitudinem, dum, sicut duo cherubim versis vultibus in propitiatorium sese mutuo respiciunt, sic duæ lectiones ex duobus Testamentis, evangelicam lectionem, qua propitiatorium nostrum, id est incarnatum Verbum præ-

D dicatur, concordibus testimoniis et uno eodemque sensu respiciunt. Cur autem *ad sanctam Mariam* hoc officio *statio* celebretur, causa evidens est, scilicet quia de utero hæc salus Judæ, et Jerusalem exspectata et suscepta est.

CAPUT XVI.

Quod Christus nocte natus sit.

Dominica nocte natum esse Christum probabile est, quamvis sacra Evangelii de hoc historia tacuerit. Namque si per regulam computi retro percurras, invenies ejus anni quo natus est, concurrentes quinque. Quos addens regularibus decembris septem

(4) S. Greg. XL Homil. in Evang. lib. II, hom. 25, n. 3, edit. Migne.

vel, ut compendiosius fiat, regularibus Januarii tribus, invenies diem illum, quo december inchoatur, quintam fuisse feriam, et cum quo Januarium, primam, id est diem Dominicam, sublatis videlicet septem ex eo numero, qui regularibus et concurrentibus compositis accrescunt. Cum autem december quinta feria, vel Januarius inchoatur prima, necesse est diem natalis Domini, qui post Kalendas decembris xxv et ante Kalendas Januarii est octavus, primam feriam, id est diem existere Dominicam. Nocte ergo Dominica natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine, ut quo die dixit : « Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I), » ejusdem diei nocte exoriretur in tenebris lumen rectis corde, et visitaret nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris sunt et in umbra mortis (*Psal.* III ; *Luc.* I). Nocte vero congrue natus est, ut ipso die ortus sui tempore, ad illuminandam noctem nostram se advenire signaret.

CAPUT XVII.

Cum duæ missæ ea nocte celebrantur.

Idcirco noctem illius sacratissimam memoriam duæ missæ a sanctæ memoriæ Thelesphoro papa institutæ, decentissima veneratione illustrant. Vere apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ fides, quæ in unius nativitatis Filii Dei anniversaria nocte, geminæ nativitatis, divinæ scilicet et humanæ, gloriam solemnibus vigiliis ita commemorari constituit, ut in honorem ejus nativitatis, qua ex utero suo, id est ex propriæ secreto substantiæ, Deus Pater illum genuit ante luciferum (*Psal.* CIX ; *Prov.* IX), id est ante angelicam naturam, et antequam quidquam faceret, primam missam ordinaret, et in venerationem ejus, qui per uterum Virginis benedictus advenit in nomine Domini, secundam laudans et exsultans succineret.

CAPUT XVIII.

Cur tunc legitur liber generationis ante primam missam.

Hac nocte ante missarum solemnia legitur nobis *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* I), quod pulchro satis ordine et mystica sanctæ Ecclesiæ traditum est institutione. Ecce enim vere divini structores ordinis, per hujus seriem lectionis, scalam illam nobis repræsentant profundo noctis tempore, quam nocte dormiens Jacob vidit, cui summitate sua cœlos tangenti Dominus innixus, eidem Jacob apparuit, et semini ejus terram hæreditariam repromisit, quando pro ejusdem propagatione seminis ibat jussu Patris sui, ut acciperet uxorem de domo et cognatione patris et matris. Nam, ut de mortalitate nunc taceam, quo secundum hoc, quod omnia in figura contingebat illis (*I Cor.* X), scala illa præfiguravit, cui Dominus innixus, ut jam dictum est, apparuit, nisi generationem Jesu Christi, quam sanctus evangelista divino ore ita contexuit, ut per Joseph ad Christum perveniret. Cui videlicet Joseph, supremo scalæ **36** gradui Dominus parvulus innixus est. An non illi beato innixus est, quando pupillus in hoc sæculo, id est absque carnali patre natus, solatio ejus cum puerpera matre amplectari dignatus est? Et, ut cætera taceam, nonne tunc vel maxime illi innixus est, quando ne ab iniquo Herode vel cæteris inveniretur, qui quærebant animam ejus, in Ægyptum ab eodem nutritio suo deportatus est, iterumque defuncto Herode in terram Juda relatus est (*Matth.* II). Cum igitur nos media noctis librum illum generationis Christi audimus, non somno corporeo, sed supernorum contemplatione dormientes, juxta quod sponsa dicit in Canticis : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V) ; » cum, inquam, generationem illam audimus, tunc prædictam scalam non tam somniamus, quam vigilanti animo, et certa fide videmus. Et Dominum nostrum parvulum propter nos factum, et per portam cœli, quam supremus gradus scalæ, scilicet beatus Joseph, sponsali dignitate contingit ; per portam, inquam, cœli, id est per beatam Virginem egressum Dominum nostrum parvulum et vagientem, et eo modo, qua jam dictum est, scalæ innixum audimus, nostram, id est gentium salutem pro magna benedictione promittentem, imo promissam adimplentem. Nam quod in illo somno Jacob audivit dicentem Dominum : « Atque in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXVIII), » hoc impletur in hac Christi generatione. Quod et vere divinus evangelista respiciens, Rahab meretricem et Ruth Moabitem, generationi huic nominatim inseruit ; videlicet intuens hoc quod Christus non Judæis tantum, sed et gentibus secundum carnem venerit ; quippe qui ex gentibus matres habere dignatus sit, quod et prophetæ ante testati sunt, dicente David : « Memor ero Rahab et Babylonis (*Psal.* LXXXVI), » id est latitudinis confusarum gentium. Rahab enim *latitudo*, Babylon vero interpretatur *confusio*. Isaia vero dicente in visione super Moab : « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti, ad montem filiæ Sion (*Isa.* XVI), ac si aperte diceret : Emittes, Domine, Agnum tuum Christum de medio gentium, ut non glorietur carnalis Israel, quod proprius ejus sit Christus, cui æstimationi ejus hoc manifeste repugnet, quod tu eumdem Christum de gentibus emittes ad montem filiæ Sion. Nam per petram deserti designatur Ruth Moabitis, quæ, stans firmiter in petra solidæ fidei, patrios deos populumque suum oblita, venit cum Noemi, juncta viro Booz Bethleemitæ genuit Obed avum regis David (*Ruth.* IV), in quo facta est et parens Salvatoris. Duobus igitur ex populis, Judaico scilicet et gentili, patres progeniti, tanquam duobus scalæ lateribus, diversi gradus inserti Christum Dominum sustinent egressum a summo cœli, omnesque angeli sancti descendunt et ascendunt per eam, et omnes electi prius ad suscipiendam incarnationis ejus fidem humiliantur, ut postmodum ad videndum divinitatis ejus gloriam subleventur. Unde et alibi ipse Dominus : « Amen, inquit, dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descentes

supra Filium hominis (*Joan.* I), » id est supportante et sublevante Filio hominis, videbitis sanctos omnes ascendentes ad Deum, apertis sibi cœlorum claustris per redemptionem Filii hominis, et ut post ascendere possint, prius descendere ad orationem crucis vel passionis ejus in spiritu humilitatis. Utrumque scilicet ascensum hunc et descensum Matthæus et Lucas innuere videntur, dum alter eorum descendendo (*Matth.* I), alter vero ascendendo Christi generationem contexuit (*Luc.* III) quia videlicet factus homo Deus, dum vagit in cunis, invitat nos, ut humiliemur exemplo suæ humilitatis, baptizatus autem dum cœlestibus incipit coruscare miraculis, humiles suscitat ad intelligendam gloriam suæ divinitatis. Lecta tandem prædicta generatione Christi protinus laudem Deo solemnem chorus Ecclesiæ concrepando succinit. Et merito. Si enim Jacob, cum evigilasset a somno ait : « Vere Dominus est in loco isto (*Gen.* XXVIII), » etc. : si inquam, adeo demiratus est propter umbram vel figuram futurorum, quæ in somnis viderat, quanto magis nos peractam rei veritatem intuentes, excitari debemus in laudem, et vocare locum hunc, id est sanctam Ecclesiam, Bethel, id est domum Dei, ubi vere non est aliud nisi domus Dei, et porta cœli, scilicet non aliud quam beata progenies, et gloriosa Virgo quæ cœli Regem genuit? Et si statim « surgens Jacob tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper (*ibid.*) » quanto magis nos confestim, ubi nobis hæc generatio recitata est, attollere debemus summis laudibus lapidem summum, angularem, pretiosum (*I Petr.* II), quem supposuimus capiti, id est cordi nostro, ut stabile fundamentum et super illum fundere oleum piæ confessionis et devotæ gratiarum actionis? Bene ergo statim missarum solemnia celebramus, et sicut visi sunt angeli ascendentes, et descendentes, nos quoque ascendimus per fidem, primam missam, ut dictum est, in laudem divinæ nativitatis, secundam cantantes in confessione et honore humanæ quam propter nos subiit generationis.

CAPUT XIX.

Cur evangelista Christi generationem ita contexuit, ut illam ad Joseph potius quam ad Mariam deduceret.

Quærat nunc forte aliquis cur evangelista, cum possit ab Abraham vel David illam tenere lineam generationis, qua carnalem beatæ Virginis patrem, et ipsam Virginem matrem, filiumque contingeret ex ea nascentem, cur ita contexere maluit, ut ad Joseph descenderet, qui sine dubio carnalis pater Christi non est? Ad quod respondendum quod sic recte fieri debuisset, si hoc evangelista intendisset, quos vel qualis per patres carnalem David vel Abrahæ generationem caro Christi contingeret. Sed non hoc intendit, quippe cum non sit tam magnum carnaliter Christi esse propinquum, ut evangelico ore opus esset per totum mundum declamari. Siquidem multi et carnaliter ejus propinqui et mali esse potuerunt, de quibus dicit : « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt (*Psal.* XXXVII). » Quid ergo potius intendit? Illud utique, ut eorum prosapiam texeret deorum, de quibus Psalmista : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI), » quos ipse Dominus in Evangelio testatur deos esse dictos, quia ad eos sermo Dei factus est (*Joan.* X). Constat vero sermonem Dei, qui ad illos factus est, non alium esse, quam hoc Verbum, quod caro factum est, cujus incarnationem aut ipsi per Spiritum sanctum, ut Abraham David, aut per prophetas ad se missos audierunt, ut Achaz, cui cum dixisset propheta : « Pete tibi signum a Domino, » paulo post intulit : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* VII), » etc. Igitur illam ob causam generationem hujusmodi contexuit, quia per illos, aut ad illos hujus incarnationis promissio facta est. Nec vero dubium quin illorum omnium primus Abraham, ultimus beatus Joseph exstiterit; ad quem tunc idem sermo factus est Dei, quando illi dictum est : « Joseph, fili David, noli timere **37** accipere Mariam conjugem tuam (*Matth.* I) » Notandum diligenter, quod dicitur, cum in hac generatione David atque Abraham cæteris insignius nominati sint, dicente evangelista : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*ibid.*). » Hic quoque B. Joseph non natura carnis, sed affectu et officio, pater Domini non minus excellenter nominatur, cum in eadem generatione appellatur « vir Mariæ. » Hic autem dicitur ei ab angelo : « Joseph, fili David » etc. Cum ergo sint tres primi, tres nominatissimi, Abraham, David Joseph ; nominati, inquam, inter omnes, ad quos repromissio facta est, quærendum summopere est quo evangelista intendit, ut istos excellentius nominaret. Nimirum repromissionis incrementa consideravit quibus Christus, homo, rex atque Deus diversis temporibus istis, tribus repromissus est. Nam Christum, quæ ad Abraham repromissio facta est, hominem verum protestata est : « In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Quæ autem ad David facta est, non solum hominem, sed et regem fore signavit : « De fructu, inquit ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Quæ vero ad beatum Joseph facta est, manifeste Deum pronuntiat : » Paries, inquit, filium et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Salvare enim a peccatis, solius Dei est. Hæc eadem tria, id est mortalem hominem, regem, atque Deum tres magi postmodum mysticis muneribus testati sunt, mira sancti Spiritus operante gratia, ut quæ diversis temporibus genti Judaicæ promiserat, eadem cuncta subito addisceret bruta quondam et indocta gentilitas. Igitur bene et quomodo cœlestium mysteriorum inspectatorem decuit, sic sacra Christi generatio contexta est, ut deduceretur ad Joseph, ad quem, ut dictum est, ultima quidem, sed optima repromissio facta est, quæ sic finitur : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eo-

rum. » Quod et proinde vel maxime delectat, quod hæc eadem generatio, quasi longa linea piscatoris, sæculi hujus fluctibus injecta est, in summo hamum ferreum habens in esca, id est verum Deum in carne vera ad capiendum Leviathan, serpentem magnum, humanas, velut pisces exiguos, devorantem animas (*Job.* XL; *Isa.* XXVII). Constat vero quia non carni, sed ferro linea piscatoris innexa est. In hoc igitur similitudinis pulchritudo perfecta est, quod sæpe dicta Salvatoris prosapia, non secundum carnalem genituram ad Mariam deducta est, sed secundum divinam propinquitatem pervenit ad Joseph, qui cum Christi non carnalis sit pater, sed fidei et supradictæ promissionis penultimus hæres, quasi non carni, sed hamo ferreo linea subligata est. Superius jam dictum est Dominica nocte Christum natum fuisse, videlicet, ut qua die dixit Deus : « Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I), » eadem die vera nobis lux in tenebris exoriretur. Addere nunc libet et illud, quod hic idem mirabilis Plastes noster, qui, ut dictum est, Dominica nocte natus est, feria sexta conceptus est. Nam si superius scriptos illius anni quinque concurrentes uni Aprilis regulari adjicias, fiunt sex. Cum autem sexta feria mensis Aprilis incipitur, profecto octavo Kalendas Aprilis sexta nihilominus feria habetur, quando Dominicam annuntiationem habemus. Igitur pium atque pulchrum ordinem, providamque dispositionem in hoc salutis nostræ opifice mirantes veneramur, qui die, qua veterem formavit Adam de limo terræ, novum sibi reformare cœpit hominem de vera carne Virginis Mariæ (*Gen.* II; *Luc.* I), eadem nihilominus die redempturus mortis passione.

CAPUT XX.

De officio primæ missæ.

Primæ namque missæ officium : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II), divinam Filii Dei nativitatem pene per omnes partes suas manifeste commemorat. « Nam *hodie*, ut ait Beatus Augustinus, quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum, quia quidquid æterni est, semper est ; divinitus accipitur secundum id dictum, *ego hodie genui te*, quæ sempiternam generationem virtutis et sapientiæ Dei, quæ est unigenitus Filius, fides sincerissima et catholica prædicat (5). » Cum ergo toties hoc ex persona Dei Patris venerabile dictum repetitur, in introitu, in graduali, in alleluia, et in communione : nam offerenda : *Lætentur cœli* (*Psal.* XXV), *lætantibus angelis et gloria in excelsis canentibus* succinit, et in collectis nativitatis quidem Domini commemoratio fit, sed incarnatio Verbi nec in illis adhuc exprimitur, sed magis claritas veri luminis, perspicue divinam præcipue generationem, Filii Dei obsequium hujus veneratur officii : quomodo ergo consonant Evangelio, manifeste humanam ejus nativitatem enarranti ? Plane per unum illud dictum splendidæ et venerandæ dignitatis, quod imperitus Helvidius cæcis non videns oculis, et venerari nesciens, in contumeliam vertit intemeratæ et perpetuæ Virginis. Hoc enim ibi legis, « et peperit filium suum primogenitum (*Luc.* II). » Helvidio quidem putide argumentanti, quod alios beata Maria filios habuerit de Joseph, qui fratres Domini dicti sunt, eo quod primogenitum illum evangelista dixerit, primogenitum non dici asserens eum, cui fratres non sunt, atque per illud antecedens consequenter hoc debere recipi, bene et diserte responsum est a beato Hieronymo primogenitum esse omne quod vulvam aperit, omnemque unigenitum esse primogenitum, sed non converti, non enim omnis primogenitus est etiam unigenitus (6). Cæterum venerabilius accipiendum est neque evangelistam disertissimum tam superflue primogenitum posuisse ut ad matrem referret, quam Virginem matrem esse, quod longe majus est, quam cuivis matri sit primogenitum parere, tota superiori narratione firmaverat, Beda quoque super eumdem Lucam idipsum sentiente. Nam primogenitus est omnis creaturæ Dominus Christus, Dei virtus et sapientia (*I Cor.* I), quæ dicit : « Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam (*Eccli.* XXIV). » Ipse enim, qui secundum humanam naturam post Joannem, et post alios multos sanctos venit, secundum altiorem gloriam, et gratiæ in labiis suis diffusæ privilegium primogenitus est in multis fratribus (*Rom.* VIII). Ita ergo accipiendum est et sic distinguendum : « Et peperit filium suum primogenitum, » subauditur enim, ante omnem creaturam. Quam generationem ejus quis enarrabit ? (*Isa.* LIII). Quamobrem non potest fieri, ut juxta tenorem supradicti ordinis, quæ in cantu laudatur vel memoratur divina nativitas, in lectionibus enarretur.

CAPUT XXI.

De officio secundæ missæ.

Secundæ missæ officium, totum dictis pastorum consonat dicentium : « Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum, » etc. (*Luc.* II.) **38** Pastores animarum, quarum illa vox est : « Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus (*Psal.* XCIV) ; » pastores, inquam, santi, qui vigilantes et custodientes vigilias noctis, id est vitæ præsentis, supra gregem Dominicum, legendo et canendo erudiunt animas eorum : referunt eidem gregi suo, quod viderint in Bethleem, id est in domo panis, videlicet ejus qui de cœlo descendit (*Joan.* VI). Et gratulantes dicunt : « Lux fulgebit hodie super nos, » etc. (*Isa.* IX.) Et subjungitur : « Dominus regnavit, decorem indutus est (*Psal.* XCII). Dum enim Dominus Deus homo factus est, regnavit super nos, illum indutus decorem, de quo alibi dictum est : « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in decore, quo coronavit eum mater sua (*Cant.* V). Ipsa namque humanitas, quam propter nimiam charitatem suam, qua dilexit

(5) D. August. Enarr. in psal. II.

(6) D. Hieron. De perpetua virgin. B. Mariæ, n. 10, edit. Migne.

nos (*Ephes.* II), induit divinitas, ornatus est, ornatus miserationis, diadema pietatis, corona gloriæ, decor gratiæ, pulchritudo charitatis. Quæ deinde sequuntur, cuncta, ad eumdem spectant sensum. Duæ lectiones : *Spiritus Domini super me* (*Isa.* LXI), *Apparuit benignitas* (*Tit.* III), tanquam duo cherubim, ut supra dictum est, claris et apertis vultibus id est sensibus, in illud respiciunt in Evangelio, quod est incarnatus Deus, propitiatorium (*Exod.* XXIII). Ipse in graduali benedicitur, in alleluia decorem indutus, de quo dictum est prædicatur, in offerenda orbem terræ firmasse laudatur (*Psal.* XCII), eumdem, qui in Evangelio per Betaleem, id est domum panis, figuratur, videlicet sanctam Ecclesiam, quam in eo firmavit, quod ipse homo natus est in ea, qui fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI), et extunc parata est sedes ejus (*Psal.* XCII), ex quo in illa homo natus est, qui a sæculo Deus est. Ipsa est eadem Bethleem domus ejus, quam decent sancta in longitudine dierum (*Psal.* XXII). Et quia primus paries ex Hebræis est (*Ephes.* II), quorum primitiæ supradicti pastores fuerunt (*Luc.* II), communio bene congruit : *Exsulta, filia Sion* (*Zach.* IX). Proprie namque Ecclesia, quæ ex Hebræis est, filia Sion et filia Hierusalem dicitur, Ideo maxime, quia in Sion, quæ et Jerusalem, templum et sancta eorum erant. Utraque *missæ statio ad sanctam Mariam* esse debuit, sed causa intercurrit, ut *ad sanctum Anatasiam* ageretur, videlicet passio ejus, quæ Romanorum nabilissima matronarum, sub Diocletiano imperatore post longum laborem castitatis, et ministerium sanctorum, post diutinos carceris squalores, tandem per manus et pedes extensa, et ad palos ligata, et circumposito igne cremata, ipso die Natalis Domini cœlo nata est.

CAPUT XXII.

De officio majoris missæ.

Die sancto Natalis Domini principalis illa clangoris evangelici tuba personat, quam Spiritus sanctus perflans, majore animavit gratia, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Hæc est tuba illa mirabilis, quæ dum caneret in Sion, vocavit gentes, annuntiavit populis, annuntiavit in finibus terræ, et in insulis (*Isa.* LX), quæ procul erant, quia longe a Domino recesserant (*Ephes.* II). Dominum et Salvatorem nostrum advenire dixit : hic, inquam, sonus ille magnus cœlorum, gloriam Dei enarrantium, qui in omnem terram exivit (*Psal.* XVIII), hic tonitrus firmamenti opera manuum ejus annuntians, qui verba cœlorum eloquentium in fines terræ fecit audiri, scilicet quod Verbum Deus, Deus absconditus (*Isa.* XLV) « in sole posuit tabernaculum suum, procedens tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* XVIII ; *Rom.* X). » Nuntiat enim gentibus cunctis pedibus pulchris, apportantibus nuntium bonum, prædicationem pacis, annuntiationem salutis (*Isa.* LII). Erupit namque de angustiis Judææ finibus, in qua sola notus erat Deus, et de carnali Israel, in quo solo magnum erat nomen ejus (*Psal.* LXXV) ; et hoc salutare Dei evangelica tuba cunctis locuta est gentibus, nec jam sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur supradictæ voces cœlorum (*Psal.* XVIII). Hoc est quod in introitu secundum prophetam canimus: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX). Hæc mirabilia, quorum causa in subjunctione cantare Domino canticum novum debemus. Hoc illud est brachium, quod secundum propheticam hujus diei lectionem, « paravit Dominus in oculis omnium gentium (*Isa.* LII). » Hoc salutare Dei nostri, quod omnes fines terræ viderunt (*ibid.*). Hoc illud est quod secundum consequentem lectionem apostolicam : *Novissime diebus istis locutus est nobis Deus in Filio*, qui *multifariam, multisque modis olim patribus in prophetis locutus est* (*Hebr.* I). Sic secundum graduale, *viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri et notum fecit Deus salutare suum* (*Psal.* XCVII). Sic secundum alleluia, *Lux magna descendit super terram, quia Verbum Deus, lux vera Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, descendit per nubem carnis, descendit super terrenam conversationem nostram.* Hæc omnia per se satis elucent, quod prædicto Evangelio capiti suo consonent. Unum est quod quæsitu dignum est, scilicet offerenda, in qua dominatio et potestas Domini nostri Jesu Christi, magni et metuendi judicis regisque victoriosi prædicatur, maxime in eo versu. « Tu humiliasti sicut vulneratum superbum (*Psal.* LXXXVIII). » Nam arbitraremur totum hoc officium ad solam noctem illam respicere, qua Dominus natus est. Sed in illa nocte necdum sciebat puer, qui natus est nobis, vocare patrem, aut matrem (*Isa.* VIII), videlicet per ætatem susceptæ carnis. In hac autem offerenda, et in supradicto maxime versu, illa fortitudo laudatur, qua secundum illud propheticum nomen suum ; « Accelera spolia detrahere, Festina prædari (*ibid.*), » superbum diabolum humiliavit sicut vulneratum, ascendens in altum et captivam ducens captivitatem (*Psal.* LXVII), inimicos suos dispersit in virtute brachii sui, quod ultimum præmissi particulam spectat Evangelii qua dictum est : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate (*Joan.* I). » Nam gloria hæc est incarnati Verbi, quod spolia detraxit, et festinanter infernum deprædatus est. Igitur non tantum vagitus infantis et præsepe absconditum spectat hoc officium, sed sonus est apostolorum, qui in omnem terram exivit, dicentium : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII), » totumque annum Domini acceptabilem prædicantium, totam salutem annuntiantium, quam fecit Verbum caro factum. Unde cum pro excellentia tantæ diei, tum et ideo, quia beatus Petrus apostolus hoc salutare Dei nostri primus vidit, primusque confessus est, revelante sibi Patre qui in cœlis est (*Matth.* XVI), et Romanæ arci nuntium bonum princeps intulit, jure apud ipsum statio fit. O vere « magnum sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, justifica-

tum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* III). » Pulchre cum legit, hoc, vel quidquid sanctum Christi continet Evangelium, pene omnibus Ecclesiis hæc vetus consuetudo est, ut diaconus tanquam ab austro veniens, ad aquilonem stet conversus. « Ecce enim ab austro venio, dicit Dominus; » et Habacuc : « Deus, inquit, ab austro veniet (*Habac.* III). » Ab austro quippe venit, quia ex operatione Spiritus sancti venit et incarnatus est Filius Dei, et per Spiritum sanctum **39** « semetipsum obtulit hostiam Deo in odorem suavitatis (*Ephes.* V). » Pulchre ergo diaconus, tantam salutem recitaturus, ad aquilonem convertitur ut per hoc indicet quod quando hoc salutare Dei missum est gentibus (*Isa.* LII), fortis contra diabolum legatio directa est, quod Deus dixerat, « Dicam aquiloni : Da (*Isa.* XLIII). »

CAPUT XXIII.

De officio, « Dum medium silentium. »

Die Natalis Domini officium gaudium est, ut diximus, gentium, quæ omnes viderunt salutare Dei, et quarum assumptio vita est ex mortuis, scilicet Judæis (*Rom.* XI), hoc autem certæ diei sedem non habens, et pene viduum revocandorum in fine sæculi præconium est Judæorum. Non enim gloriari debet oleaster adversus ramos bonæ olivæ, quod propter incredulitatem fracti sunt et ceciderunt. Ipse autem contra naturam insertus est et fide stat (*idid.*). Neque dignum est ut exsultet junior frater quod se recepto et convivante cum patre, major frater iratus ingredi recusat, sed inter convivia rogat patrem suum, ut exeat et blandis delinitum monitis introducat (*Luc.* XV). Hæc ita esse vel ex communione præsentis officii satis elucet. « Tolle, inquit, puerum et matrem ejus, et vade in terram Juda; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri (*Matth.* II). » Nunc enim puer ille, scilicet incarnatus Deus, reliquit domum suam, et dimisit hæreditatem suam (*Jer.* XII), quia sicut scriptum est : Ascendens super nubem candidam, ingressus est Ægyptum, abiit ad gentes quæ antiqui Pharaonis, id est diaboli, fuerant regnum (*Isa.* XIX). Tunc autem defunctis his, qui quærebant animam ejus, id est sopita modernæ invidiæ flamma, qua sanctorum ejus animas quæsierunt et sanguinem fuderunt in terram suam, id est in suæ gentis notitiam, revertetur. Tunc, inquam, juxta mysticum Evangelii sensum, illato Jesu in templum, id est in Synagogam Judæorum per fidem. « Erant pater ejus et mater, » scilicet, omnis parentela ejus carnalis, « mirantes super his, quæ dicuntur de eo. Et benedixit illi Simeon (*Luc.* II), » id est populus jam justus et timoratus, atque ita qui nunc « positus est in ruinam, » tunc ponetur « in resurrectionem in Israel (*ibid.*). » Cujus adventus, quia sciri a nobis non potest, tempus merito nocti comparatur, atque ideo in introitu : *Dum medium silentium* (*Sap.* XVIII), quod præteritum est, canitur propter hoc simile futurum. Tunc implebit id propter quod misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret (*Gal.* IV), et liberabitur hæres, qui adhuc parvulus intellectu, sub elementis, id est litterali sensu serviens detinetur. Tandemque obtinebit regnum et sedem David patris sui ipse de quo in graduali canitur : *Speciosus forma* (*Psal.* XLIV).

CAPUT XXIV.

De sancto die Epiphaniæ.

Sanctus dies Epiphaniæ, cum tribus ex causis sit celebris, ea namque die a Chaldæis Dominus est adoratus (*Matth.* II), itemque annorum triginta jam esse incipiens, a Joanne baptizatus est (*Luc.* III), atque redeunte anno ex aqua vinum fecit ad nuptias (*Joan.* II); cum, inquam, tribus ex causis his sit celebris, primam secundum diurni officii solemnitatem rationabiliter accepit. Videtur in his tribus excedere, quod Dominus baptizatus est a Joanne, propter quod et Græci baptismi sacram et tum hæc die numerosius atque solemnius celebrare feruntur. Verum sancta Romana Ecclesia, semper illa revelatione, qua Petrus Christum Filium Dei cognovit, illustrata, consuetudinem hanc vitandam esse proclamat scriptis evidentibus. Dicit enim Leo Magnus, scribens universis episcopis per Siciliam constitutis, inter cætera : « Miros vos vel prædecessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio, nullam esse differentiam crederetis inter diem quo adoratus est Christus a magis, et diem quo resurrexit a mortuis (7). » Ac deinceps : « Proprie, inquit, in morte crucifixi, et in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita, dicente beato Apostolo : « An ignoratis, quia quicunque in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per « baptismum in mortem (*Rom.* VI) (8). » Et post pauca : « Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diem esse legitimum, in quo orta est et virtus muneris, et species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus, postquam resurrexit ex mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebantur, et formam et potestatem baptizandi tradidit, dicens : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos « in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse (9). » Item post aliqua : « Si quis autem Epiphaniæ festivitatem, quæ in suo ordine debito honore

(7) (S. Leonis Magni epistolæ, epist. 16, ad univers. episc. per Siciliam, cap. I.

(8) Ibid., cap. 3.

(9) Ibid.

veneranda est, ob hoc existimat habere privilegium baptismatis, quia hoc quidam putant, quod eadem die Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam fuisse gratiam, aliam rationem, nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per sanctum Spiritum renascuntur, de quibus dicitur : « Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate « carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati « sunt (*Joan.* I). » Dominus autem nullius remissione indigens peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari (*Matth.* III), quomodo et circumcidi, hostiamque emundationis pro se offerri (*Luc.* II), ut qui factus erat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret sub lege (*Gal.* IV), quam non venerat solvere, sed adimplere (*Matth.* V), et adimplendo finire, et sicut beatus Apostolus prædicat, dicens : « Finis autem legis Christus, ad justitiam omni credenti, (*Rom.* X) » Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens, se docuit esse principium (*Col.* I), et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus fluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis (*Joan.* XIX) (10). » Non ergo in tribus causis illud eminet, quod Dominus a Joanne baptizatus est, quia non tunc, sed quando de latere ejus sanguis et aqua profluxerunt, baptismi sui nobis condidit sacramentum. Eminet autem et præcipuum est illud, quod a magis utique gentilibus adoratus est, et illuminatarum cordibus gentium magnum spiritualium præstat materiam gaudiorum. Gentium namque primitiæ jam tunc in illis assumptæ sunt. Assumpsit enim illos pax nostra, quæ fecit utraque unum Deum et hominem in se unum Christum, Judæos atque gentiles in unum conjungens populum (*Ephes.* II). De hoc ergo digne totum missæ compositum est officium, in quo sancta Ecclesia de gentibus electa, pro suæ vocationis initio gratiosum Deo pro sua salute laudis offert præconium. Tota vero laudum materia, dona sunt regum, aurum, thus et myrrha (*Matth.* II). Dona quippe illa fuerunt, fide fecunda cœlesti magisterio deposita, per Spiritum sanctum **40** intellecta. Quid enim cœlesti magisterio dignus, quam auro regem, thure Deum, myrrha confiteri mortalem? Nihil tale paries ille de proximo contulit, qui de Judæis veniens, in pastoribus angulari lapidi primus sese conjunxit. Nec mirum, illos enim scilicet Judæos pastores angelicum instruxit magisterium (*Luc.* II). Illos autem, videlicet gentiles, novam stellam suscipientes, solum divini Spiritus invisibiliter perdocuit oraculum (*Matth.* II). Bene ergo regum munera sanctæ Ecclesiæ fidem integerrimam testantia, totum hujus diei officium propheticis testimoniis et laudibus personat, veneratur, honorat. De tertia jam dictæ festivitatis causa, scilicet de eo quod Dominus vinum fecit de aqua, quæri solet, qualiter eodem die, quo Dominus baptizatus est, factum esse conveniat. Dominus namque qua die baptizatus est, neque discipulos elegit, neque miracula fecit, sed

A statim ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo, ubi et quadraginta dierum celebravit jejunium, atque inde reversus, tum demum discipulos elegit, quos et doctrinis instrueret, et miraculis confirmaret (*Matth.* IV). Numquid annum suæ ætatis trigesimum, cujus in initio baptizatus est, totum sine discipulis exegit, et ita redeunte anno eadem die illud admirabile signum primum coram discipulis fecit? Ita sane credendum est, quomodo tria hæc, quæ superius dicta sunt, una die celebrata esse secundum sanctæ Ecclesiæ auctoritatem negare non possumus. Nam antequam Joannes traditus esset, Christus neque publice prædicavit, neque duodecim apostolos elegit. Aperte quoque liquet secundum Lucæ narrationem, quod egressus in virtute

B Spiritus in Galilæam publice prædicans, non statim discipulos elegit, sed ita docebat in synagogis Judæorum, et magnificabatur ab omnibus, « et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ab ore ipsius (*Luc.* XIV). » Et ante persecutionem passus est, ita ut ad præcipitium duceretur, fugiensque de civitate in civitatem docebat per synagogas sabbatis (*ibid.*). Ante et socrum Simonis, quæ tenebatur magnis febribus, curavit, et alia nonnulla fecit, propter quæ dixerant ei concives sui venienti Nazareth, ubi nutritus fuerat : « Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*ibid.*). » Tribus igitur miraculis ornatum sanctum diem Epiphaniæ colimus. Nam, ut cantavimus : *Hodie stella magos duxit ad præsepia, hac die Christus a Joanne baptizatus est,*

C *hac die ad nuptias vinum ex aqua factum est.* Brevi itaque, id est tredecim diebus, triginta annorum ætas ejus commemoratur. Reliqui tres anni, quibus ipse prædicavit miraculis, divinitatem suam declaravit, tribus illis, quæ sequuntur post Epiphaniam, Dominicalibus commemorantur officiis. Quæ ideo ad Epiphaniæ, id est manifestationis rationem pertinent, quia quæcunque per tres suæ prædicationis annos cœlestia divinitatis suæ sacramenta docuit, quæcunque manibus suis tornatilibus et aureis (*Cant.* V), id est facile operantibus et divinis fecit, documenta fuerunt, quibus vera per carnem divinitas innotuit. Unde in prima Dominica illud ponitur Evangelium, in quo primum testatus est patrem se habere Deum, dicens parentibus suis : « Quid est

D quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? » (*Luc.* II). In secunda vero legitur Evangelium, quo invitatus ad nuptias aquas convertit in vinum ((*Joan.* II). Quod vere magnum divinitatis fuit indicium, solus enim Deus mutare potest naturam, et nostræ reparationis qua mortale nostrum induet immortalitatem, et corruptio incorruptelam possidebit (*II Cor.* XV), venerabile signum, pulchrumque et conveniens signorum ejus fuit initium. In tertia nihilominus Dominica, qua dicimus, *Atque ad protegendum nos dexteram tuæ majestatis extende,* secundum extensionem ma-

(10) S. Leonis Magni epistolæ, epist. 16, ad univers. episc. per Siciliam, cap. 3.

nus, qua tetigit leprosum dicens : « Volo, mundare » (*Matth.* VIII), vera divinitas ejus secundum fidem centurionis, elucet, dum absens corpore sanans puerum centurionis, Deum se esse designat, qui præsens est ubique. Tribus igitur Dominicalibus officiis Domini manifestatio, scilicet tota trium annorum ejus prædicatio commemoratur.

CAPUT XXV.

Cur in purificatione sanctæ Mariæ candelas portemus.

In Purificatione sanctæ Mariæ ideo candelas portamus, ut felici gaudio justi Simeonis aliquatenus participemur, qui Christum infantem gestans in ulnis agnovit, et confessus est paratum « ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium (*Luc.* II). » Hoc enim signo commoniti exterius, ipsum verum lumen, « quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), » in mente nostra fidei ulnis arctius astringimus, et absentiam ejus corporalem, sursum tendentibus de-

A siderio, gementes querimonias, quærentes [illegible] Profectus namque in cœlum est, antequam hinc abiret, jam supra infantiam, in qua portatus est a Simeone, ætate et sapientia profecerat (*Luc.* II). Ejus igitur visibile signum portamus omnes in manibus, quem jam visibiliter portare, sicut Simeon, nec necesse habemus, nec possumus. Bene autem consecrati cereoli, id quod visibile erat Christi nobis significant. Nam sicut apes ceram cum melle virginali producit opere, sic Maria Virgo Christum, Deum et hominem, salva uteri sui genuit integritate. Apes namque neque ullo concubitu miscentur, neque libidine solvuntur, nullis partus doloribus concutiuntur, et subito magnum filiorum examen emittunt, de foliis et herbis ore suo prolem legentes. Convenienti igitur signo, vectationem infantis

B Christi, prout possumus, imaginamur, beatitudinem ejus corde et ore prædicantes, qui, tamdiu vixit, ut Christum Dominum videret, vidit ut adoraret, adoravit ut in pace dimissus feliciter hinc abiret. (*Ibid.*)

LIBER QUARTUS.

---

41 CAPUT PRIMUM.

De Septuagesima.

In hoc capitulo multa quærenda sunt, videlicet quod vocetur septuagesima, et cur vocetur hoc nomine : qua ratione ante passionem Domini celebretur, et cur alleluia de ore Ecclesiæ tollatur. Hæc omnia tam veras tamque certas habent rationes, ut quidquid aliud dixeris, recalcitret undique tota veritas, et oppositorum vel repugnantium multitudine inopem et deficientem conscientiam reverberet. Verbi gratia cum dixeris septuagesimam ideo nominari, quod ab hac Dominica usque ad Sabbatum, quo albæ deponentur, septuaginta dies computentur, et per hos dies significari captivitatem nostram, qua peregrinamur a Deo in hoc sæculo (*II Cor.* V), illud statim valde repugnans nostræ computationi occurrit, quod dies Dominicæ resurrectionis, nobilitas anni, decus mensium, arma dierum, hunc intra numerum computentur. Quis enim dies indignius captivitatem significare videtur, quam ille, quo victo captivatore Dominus resurrexit ? (*Ephes.* IV.) Quis dies libertatem significare merebitur, cum primus Dominicæ resurrectionis dies sexagesimus quartus occurrat in numero dierum, qui captivitatem nostram significant, significatam quondam totidem annis, quando populus Dei sub Nabuchodonosor fuit exsul in terra Babylonis ? (*Jer.* XXV.) Itemque et illud repugnat quod cum a prædicto Sabbato Dominica hæc septuagesima sit (*Dan.* IX), sequens Dominica (quam sexagesimam dicunt) nullo modo sexagesima est, et quinquagesima nullo modo quinquagesima est, et quadragesima nullo modo quadragesima est.

C Quid ergo septuagesimam nominemus, altius atque constantius pandendum est.

CAPUT II.

Quid septuagesimam nominemus.

Septem Dominicas continue sequentes magnis ac mysticis officiis insignes, septuagesimam nominamus, quarum in prima clamat homo a paradisi felicitate et a Creatoris sui facie projectus (*Gen.* III) : « Circumdederunt me gemitus, » etc. In septima redeunte de peregratione hac et de convalle lacrymarum, dicitur voce prophetica : « Lætare, Jerusalem, et diem festum agite, qui diligitis eum (*Isa.* LXVI). » etc.

CAPUT III.

Cur septuagesimam nominemus.

D Idcirco autem primam Dominicam, quæ septima est ab ultima, septuagesimam potius nominamus et sexagesimam, quæ sexta est, et quinquagesimam, quæ quinta est, quia idem commemoratur officiis, quod significatum est illa septuagenaria captivitate populi Dei, qua realiter sedit et flevit super flumina Babylonis (*Psal.* CXXXVI). Quid autem illud est ? Septenaria distinctio ætatum mundi, quarum prima est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, vel secundum quosdam, usque ad Moysen, tertia a Moyse usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis, quinta a transmigratione Babylonis usque ad adventum Domini, sexta ab adventu Christi usque ad finem sæculi, septima jam ætas mundi requies est illa, ad quam quotidie transeunt electorum animæ, et requiescunt inter ubera lætantis matris suæ supernæ Jerusalem (*Isa.* LXVI). Quia ergo per has septem

Dominicas illud idem commemoratur, quod per septuaginta Babylonicæ captivitatis annos significatum est, Dominica hæc prima de septem, recte septuagesima dicitur, quod quam ratum sit, posterius ex ipsarum Dominicarum officiis clarius lucebit. Nunc qua ratione ante passionem Domini ordinatæ sint, dicendum est.

CAPUT IV.

Qua ratione sic ante passionem Domini septem Dominicæ ordinatæ sunt.

Beatus papa Gregorius, qui (sicut in libro vitæ ejus contineri jam supra diximus) officium atque stationum ordinator exstitit solertissimus, intellexit eo sensu quem illi Spiritus sanctus aperuit, dignam a | reverendam memoriam salutiferæ passionis Christi expetere, ut illi ab omnibus sanctis et electis, quicunque fuerunt ab initio mundi, testimonia redderentur, cui quasi communes per os præsentis Ecclesiæ redderentur exsequiæ. Omnium quippe sanctorum a mundi constitutione una fuit salus et exspectatio, passio Redemptoris, et concordibus eorum dictis prænuntiata, gestique præfigurata est, ac velut uni subjecta soli, diversis licet ex locis eamdem imaginem multa reddunt specularia; sic plures sancti diversis temporibus ac meritis venientes, præcurrentes Salvatorem, unam eamdemque variis figuris ejus præfiguraverunt passionem. Cum ergo jam dictus ordinator officiorum, commemorata jam Christi nativitate, apparitione, et manifestata triennii ejus prædicatione, passionis ejus memoriam **42** anno [animo] nostro in Scripturis esset, laudabilem fecit digressionem, ad mundi recurrens initium, et de diversis ætatibus congruas Ecclesiæ voces colligens, quasi de diversis locis septenos choros rationabili ac venerabili ordine produxit. Quid vel quomodo singuli chori præsenti Ecclesiæ concinant, paulo post explicandum est. Nunc illud primitus dicendum videtur, cur de ore Ecclesiæ diebus istis alleluia, quod est laus Dei, tollatur.

CAPUT V.

Cur alleluia dimittatur.

Si recte consideremus quam laudem Dei alleluia (quod nomen est antiquæ dignitatis et auctoritatis) significet, perpulchrum et rationabile videtur, ut vere est, quod de ore sanctæ Ecclesiæ vox hæc consuetudinaliter ablata est. Significat autem non quamlibet laudem Dei, non laudem majorum aut minorum creaturarum cœli et terræ, et maris, et omnium quæ in eis sunt. Alioquin, si quamlibet laudem Dei significet alleluia, frustra diebus istis de ore nostro tollitur, cum a laudibus Dei non cessantes, laudamus quod in principio fecit cœlum et terram, quod diviserit lucem a tenebris, quod fecerit firmamentum, et posuerit in medio aquarum, quod ad jussum ejus germinavit terra herbam virentem, lignumque afferens fructum juxta genus suum, quod luminaria fecerit, et in firmamento posuerit, quod pisces, quod volucres, quod bestias prodire jusserit, quod denique hominem ad imaginem suam creaverit (*Gen.* I).

A Quam ergo Dei laudem significat alleluia? Illam utique, illam cui dicit Deus Pater in Psalmo: « Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI, CVII). » Gloria Patris, Dei Filius, perfecta laus et sempiterna musica, utpote summa sapientia, quæ de corde nata ejusdem Patris æterni musici, citharam nostræ humanitatis assumpsit, quam et confractam ab invidis et stultis pueris, qui ad cantum ejus saltare debuerant (*Matth.* XI), rursus per gloriam resurrectionis reformavit, et inviolabile: psalterium fecit illa, inquam, gloria hæc cithara, sive psalterium, alleluia nostrum est. Quidquid enim supernæ jucunditatis auditoribus suis exhibuit, quorum beati oculi qui viderunt, et aures quæ audierunt (*Luc.* X); quidquid, inquam, de cœlestibus gaudiis ore suo Domi-

B nus Jesus Christus præcinuit, alleluia est, canticum novum est, laus suavis est. Hoc autem neque veteres sancti viderunt, aut audierunt, de quibus ait ipse Dominus: « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt, neque nos (*Luc.* X; *Matth.* XIII), » quandiu sumus in corpore (quia recessit in cœlum) videre possumus, aut audire meremur. Quandiu enim « sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* V). » Cum vero probabilem antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrum que incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro satis ordine alleluia ab ore nostro tollitur. Quia videlicet, qui per illud significantur, « ille nondum venerat, a nobis jam recessit, et oblatus est

C sponsus a filiis suis (*Matth.* IX). » Recte hoc consideravit, qui hoc responsorium cecinit alleluia. Dum præsens est imitantur illam, et desiderant illam cum se eduxerit; dum enim hic de alleluia dixit hoc quod de sapientia scriptum est (quæ sine dubio Christus est) profecto per alleluia Christum intelligi voluit. qui dum præsens esset, imitati sunt illum, et desideravarunt eum, cum se eduxit, ascendens in cœlum, « et in perpetuum coronatus triumphat (*Sap.* IV) » ante Dominum Patrem (*Ephes.* IV), sicut scriptum est: « Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII). » Non ille nugas trivit, aut pueriles ineptias contexuit, cum diceret, *alleluia, revertere in thesauros tuos, te benedicent angeli.* Reversus est enim in thesauros suos Christus Dominus, id est, in secreta

D cœli, ubi ab angelis benedicitur, et a filiis suis hic peregrinantibus desideratur. Non solum autem ipse gloriosus Ecclesiæ sponsus, novus homo Christus, hoc nomine prædicatur, sed et sponsa ejus nova, sancta Ecclesia (qui corpus ejus est), quia et ipsa musicæ illi organum est, id est, divinæ sapientiæ, cujus in homine Christo tota plenitudo corporaliter inhabitat (*Ephes.* I; *Coloss.* II), eodem nomine jure prædicari potest. Quapropter die Dominicæ resurrectionis, quando nova soboles renascitur, et claritate replentur agni novelli, qui venerunt ad fontes, ipsam novam Ecclesiam, nova cuncto modo, gaudia nuntiantem, non inaniter tali compellamus nomine

alleluia, quæ et placido nobis vultu et dulci voce respondet, quia totum ejus diei, vel totius hebdomadæ paschalis officium illorum est exsultatio, qui tunc per aquam et spiritum renati sunt. Sed de his suo loco melius dicemus, nunc ad superiora redeamus.

CAPUT VI.

De officio septuagesimæ, et cur statio fiat ad sanctum Laurentium.

Quoniam septem Dominicis septem ætates mundi significari supra dictum est, qualiter officium septuagesimæ primæ conveniat ætati jam dicendum est. Primoque non prætereundum cur statio fit ad sanctum Laurentium. Causa namque conveniens et idonea est. Sicut enim in primæ ætatis Ecclesia protomartyris Abel sanguis justus clamat de terra ad Deum, quæ aperuit os suum et suscepit eum de manu Cain fratris sui, sic in Romana Ecclesia, pretiosa mors beati Laurentii, novo et inaudito genere passionis clamavit in cœlum, clamavit, et audita est per mundum universum. Quem clamorem suum ipse sanctus martyr jam prævidens, dicebat ad Hippolytum : « Magis in absconditis, in homine interiore absconde Christum, et postmodum cum clamavero, audi, et veni. » Vox ergo primæ Ecclesiæ conveniens est præcentore Abel : « Circumdederunt me (*Psal.* XVII) ; » circumdederant enim illum gemitus mortis, vitæ gaudiis per primos parentes perditis. Siquidem ille languidus, qui descendens a Jerusalem in Jericho, inciderat in latrones, spoliatusque et vulneratus, semivivus ab illis fuerat relictus, genuerat illum in suis doloribus languidus ægram, saucius morbidam, moriens mortalem (*Luc.* X). « Et in tribulatione mea invocavi, inquit, Dominum, et exaudivit de templo sancto suo vocem meam (*Psal.* XVII). » Hoc longe post futurum, per spei certitudinem, quasi jam factum fideliter præsumit, jam enim divinum de reparatione suæ salutis acceperat oraculum, dicente Domino ad serpentem : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius (*Gen.* III). » Victoria namque Redemptoris nostri jam tum promissa est, qui cum sit semen mulieris, inimicitias contra draconem antiquum in tantum exercuit ut caput ejus contereret, et omnem potestatem auferret. Dicat ergo : « Exaudivit de templo sancto suo vocem meam. » Sed quanta exspectatio ? Quanta salutis dilatio ? Generatione namque LXXVII ab Adam usque nativitatem Christi sunt. In Evangelio secundum Lucam ita invenimus (*cap.* III). Bene ergo hi, qui secundum Evangelium præsentis **43** dici mane conducti sunt, murmurantes dicunt : « Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus (*Matth.* XX). » Pondus enim diei et æstus portaverunt hi, quos a mundi initio, quia diu contingit hic vivere, necesse fuit etiam longiora carnis tentamenta sustinere. Hoc igitur longissimum stadium est, de quo in Epistola, prædicto Evangelio

A consonante : « Nescitis, inquit Apostolus, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (*I Cor.* IX) ; » et consolabantur se longa nimis in spe, quodammodo dicentes quod in graduali canimus : *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem* (*Psal.* IX). Tractus itidem sicut collecta in qua dicimus : *Ut qui pro peccatis nostris juste affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur* ; tractus, inquam, de profundis vox est hominis sub manu Dei juste inter verbera gementis et dicentis : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ?* (*Psal.* CXXIX.) Hoc autem in tractibus notandum est quod omnes fere gravioribus compositi sunt vocibus, nec unquam his qui authenticì dicuntur modis exaltari merentur ; sed cuncti

B plagalium inferioribus terminis contenti, fletum et tristitiam in humilitate sonorum decantant. Quod congrue satis observatum est. Tristitiæ namque tempus exigit, ut alleluia, quod lætantium carmen est, intermitteretur. Bene ergo tractus, qui interim pro alleluia cantatur, altitudinem atque excellentiam gaudii, gravi succentu, et modestis declinat incessibus. In offertorio : *Bonum est confiteri Domino* (*Psal.* XCI), quæ similiter vox est flagellati, justitiam ferientis inter verbera confitentis, licet vel maxime versus primordiis conveniat infantis Ecclesiæ : *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi* (*ibid.*). Non enim in infantia ejus, quando justi Abel sacrificio glorificata, primoque ejus sanguine purpurata est (*Gen.* IV);

C non in pueritia ejus, quando loquente Deo ad Noe vel ad Abraham, prima doctrinæ salutaris rudimenta percepit (*Gen.* VI ; XII) ; non in adolescentia ejus, quando pædagogum, id est legem Moysi, ne lasciviret, accepit (*Exod.* XXIV) ; non in juventute, quando sanctis regibus a David incipientibus coronata est : sed in senecta ejus, quando regum prophetarumque jam effeta erat, « exaltatum est cornu ejus, sicut unicornis, » id est Christus rex potentiæ singularis ; « et senectus ejus in misericordia, uberi, » quia videlicet in multitudine misericordiæ rex Israel benedictus advenit (*Galat.* III). Communio quoque : *Illumina faciem tuam super servum tuum* (*Psal.* CXVIII), vox ejusdem Ecclesiæ est, secundum primam ætatem mundi ; vox, inquam, hominis spoliati gloria

D vultus Dei, et parietem inimicitiarum (*Ephes.* II), quo interjecto, veris solis faciem humanarum animarum specularia perdiderant, dissolvi ac dirui postulantis.

Hactenus a die nativitatis Dominicæ de Novo Testamento erant, quæcunque legebantur in vigiliis nocturnis, congrue scilicet propter præsentem vitam ejusdem novi hominis Christi, quam significant dies illi, magnusque præco sanctæ novitatis Paulus, cum veteri lege novam conferens gratiam, legem factorum deprimebat, et legem fidei cum palma justitiæ sublevabat (*Rom.* V). At nunc juxta rationem super memoratam, antiqua repetitur historia, qua veteris

vitæ narrantur miseriæ, quas in officio præscripto sancta deplorat Ecclesia.

CAPUT VII.

De Sexagesima.

Præclarum hujus Dominicæ officium tempus illud secundæ ætatis respicit, quo primum exiit, qui seminat seminare semen suum, quo primum reconciliationem mundi præparare incipiens locutus est Noe, et Ecclesiam jam infantiles annos egressam, primis præceptorum suorum elementis imbuere cœpit. Nam ex quo de tranquillo et quieto paradisi utero ejecta, in hanc nata est miseriam, quam ejus nativitatem beatus Job in ejusdem Ecclesiæ persona (ut ait Beatus Gregorius) deplorat, dicens: « Pereat dies in qua natus sum (*Job* III), » et cætera, nullam illi præceptorum suorum legitur tradidisse disciplinam. At vero locutus cum Noe, dicens : « Quia ecce ego statuam pactum meum vobiscum (*Gen.* IX), » et iterata benedictione, superductam incipiens abolere maledictionem, paulatim pueritiam mundi suo magisterio subjicit, dans præcepta quædam, primum Noe, deinde Abraham, et in illis primoribus initians justitiam fidei. Perfecit autem hæc in plenitudine gratiæ, dum exiit in hunc mundum formam servi accipiens (*Philip.* II), per seipsum in populo Judæorum, et per sanctos apostolos in omnibus gentibus seminare semen suum. Hac igitur Dominica legitur hoc evangelium : *Exiit qui seminat seminare semen suum* (*Luc.* VIII); agiturque statio ad sanctum Paulum, digna sane et evidenti causa, quia dux verbi præcipuus, et vere seminator verborum ipse est, per quem omnes gentes cognoverunt gratiam Dei. Antequam ergo sacerdos introeat, velut antequam seminator ille ad opus suum exeat (*Act.* XIV), dum adhuc in accubitu suo est, et in sinu Dei Patris quiescit, conclamat chorus : *Exsurge, quare obdormis, Domine ?* (*Psal.* XXIII.) Exurgendo enim et semen suum seminando hoc effecturus erat, ut facies ejus, quam propter peccatum averterat, id est, notitia ejus humano generi rursus illucesceret. Ignorantia namque Dei, terræ nostræ sterilitas fuit. Seminator igitur sapientiæ cœlestis, quia suum ad opus ut dictum est, exiens, et aratores suos, id est, sanctos apostolos conducens, maxime beatum Paulum, qui plus omnibus illis laboravit, operarium utilem habuit, quem ad gentes misit, et acuto vomere linguæ ejus corda dura proscindens, fidei et morum copiosum semen infudit (*I Cor.* XV). Ingressus sacerdos statim in collecta : *Deus, qui conspicis*, celebrem ejusdem doctoris gentium memoriam præmittit (*II Cor.* XI), ut stationem convenienter ascriptam egressa quoque proprietas manifestius commendet. Amplius autem ad hoc sequens Epistola pertinet, qua idem fortissimus cœlestis agricolæ operarius veros labores suos enumerat et pericula, quibus illum affecerunt hi, qui Domini sui fines invaserant, nec arari permittebant. Graduale ad utramque partem hominum respicit, et eorum scilicet, qui tanquam bona terra, semen Verbi Dei suscipientes, fructum justitiæ retulerunt, et eorum qui rebellantes universæ terræ Dominatori aratrum ejus confregerunt, bovesque innocuos jugulaverunt. Disseminato namque verbo Dei factum est quod ait : « Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus Altissimus super omnem terram (*Psal.* LXXXII), » et hi qui illud repulerunt positi sunt, ut rota, scilicet in eo quod surgentes in his, qui retro sunt, id est in carnalibus, cadunt in anteriori parte, id est in intellectualibus; et, quemadmodum stipula dispergitur ante faciem venti, sic disperierunt flante spiritu iræ Dei. In tractu gratias agit sæpe dicto seminatori, commota terra et conturbata (*Psal* LIX), id est universi peccatores, **44** qui quando culturas suas adverterunt esse Deo exsecrabiles, commoti sunt ad pœnitentiam, et per significationem prædicationis incipientes timere, fugiunt a facie arcus, id est a die judicii, in quo duobus testamentis, quasi duobus cornibus inflexis, rebelles Verbi divini damnationis æternæ sagitta ferientur. Lecto tandem Evangelio consona sequitur offerenda: *Perfice gressus meos in semitis tuis* (*Psal.* XVI). Timendum est enim, ne suscepto semine Verbi Dei secus viam expositi et in exterioribus vagantes, a volucribus, id est, a spiritibus immundis diripiamur, aut a sollicitudinibus et spinosis divitiis sæculi suffocemur; aut humorem, id est pinguedinem charitatis non habens, bonum semen arescat in nobis, et sic non perficiantur gressus nostri. Mirificat misericordias suas, dum semen misericorditer injectum custodit ut pupillam oculi (*ibid.*), ne compungatur a suffocantibus spinis, protegit sub umbra alarum suarum (*ibid.*), ne siccetur ardoribus solis, eripit ab impio, ne auferat verbum de cordibus nostris ; ut dicat bona terra fructum afferens in patientia : « Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo (*ibid.*). » Et, sicut in communione cantamus, *Introibo ad altare Dei* (*Psal.* XLII). Semen itaque Dei terram nostram in qua crevit (quod mirabile est !) sursum vehit secum in horrea cœli ; quia cum terra simus, nisi Verbo Dei portemur, quod est Christus, in cœlum non ascendimus, sicut ipse ait : « Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* V). » Cum ipso ergo et per ipsum sublevabimur, portantes manipulos justitiæ, lætificante Deo juventutem nostram, in vigore novitatis æternæ.

CAPUT VIII.

De Quinquagesima.

Dominica hæc tertiam mundi ætatem significat, qua adolescentulam, pubescentemque Ecclesiam respiciens Deus, cum jam tempus ejus juxta prophetam tempus esset amantium (*Ezech.* XVI), eripuit illam de medio fornicatorum, mittens Moysen, et Aaron, et per signa magna atque portenta filios Israel educens de servitute Ægyptiorum. Cui rei valde præsentis Dominicæ congruit officium, valde competit id, quod hac die legitur Evangelium. Nam sicut hic sedens cæcus viam postulabat lucem, sed a turbis increpabatur ut taceret (*Luc.* XVIII), ita

illic filios Israel intendentes ad fidem patrum suorum Abraham, Isaac, et Jacob, et clamantes ad Dominum, ut educeret eos de Ægypto, quod in lingua nostra tenebras sonat, cultumque sui nominis eos doceret, quæ vera et necessaria illuminatio est, increpabantur ab Ægyptiis opprimentibus et superbe dicentibus : « Vacatis otio, et ideo dicitis, Eamus et sacrificemus Domino (*Exod.* v). » Igitur cum Dominus mittens Moysen et Aaron, jussit populum suum adduci ad se, et coram illis fecit mirabilia per quæ potuit verus Deus agnosci, deditque legem scriptam et mandata vitæ, ritumque colendi, jam tunc magnus ille cæcus, id est, humanum genus cœpit illuminari, et nunc usque illuminatur magis ac magis, contradicentibus licet atque increpantibus turbis, semper quidem invisibilibus, nonnunquam autem etiam visibilibus. Hoc enim Dominicæ hujus consonat officium. Nam ingressuro jam sacerdote quasi prævenit clamoribus adventum illuminatoris sui cæcus supradictus, dum chorus concinit : *Esto mihi in Deum protectorem* (*Psal.* xxx). Nempe quod ait : « Propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me (*ibid.*), » ad viam spectat juxta quam sedet cæcus mendicans. Via pariter et dux idem est Christus. Sequens itidem collecta : *Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi*, clamor est cæci, magis ac magis ut exaudiatur, inclamantis. Nam ut ait, *atque a peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custodi*, turbam percutit eorum, quæ in oratione patitur, phantasmatum, sicut ille cæcus in Evangelio turbam increpantium, sicut filii Israel Ægyptios prohibentes et violenter se tenentes, ne irent ad sacrificandum Domino Deo patrum suorum (*Exod.* v). Epistolæ quoque lectio, *si linguis hominum loquar et angelorum*, non ex eo tantum loco quo dictum est : Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*II Cor.* XIII), sed ex tota serie sua, ad ejusdem illuminationem cæci respicit, dum cunctis charismatibus excellentiorem viam demonstrat, id est charitatem. Charitas enim oculus cordis est, qua quisquis caret, cæcus est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat (*I Joan.* II). Nam et cum illuminare cœpisset Deus humanum genus, ut dictum est, legem dando filiis Israel, hoc primum collyrio oculos ejus inunxit, dicens : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum (*Deut.* VI). » Graduale, cum solam liberationem filiorum Israel (de qua dictum est) cunctis pene dictionibus personare videatur, tamen ex eo quod dicitur : « Notam fecisti in gentibus virtutem tuam (*Psal.* LVII), » ad eamdem spectat magni cæci illuminationem. Sic et in Tractu quod dicitur : *Intrate in conspectu ejus* (*Psal.* LXLIX), et cætera, idem est ac si diceret : Accedite ad eum et illuminamini. Quodque lecto supradicto Evangelio dicimus in offertorio : *Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas* (*Psal.* cx), nimirum aliis verbis illuminari postulat cæcus. Statim viæ laudes arripit, juxta quam sedens et mendicans illuminatus est, tantoque concentu, tam grandi vociferatione viam testimoniorum persultat, viamque veritatis, et viam mandatorum congeminat, ut saxorum quoque duritiam ad glorificandum illuminatorem suum excitare queat. Quia vero non satis est, ad viam pervenisse, et illuminationem scientiæ percepisse, nisi abjiciamus desideria carnis, congrue terremur illorum exemplo, de quibus dicimus in communione : *Manducaverunt et saturati sunt nimis, quia propter desideriorum incontinentiam prostrati sunt in deserto, nec pervenerunt ad repromissionis terram* (*Psal.* LXXXVII ; *Num.* XIV). Quorum nos exemplo Paulus quoque sollicitos reddens : « Sic currite, inquit, ut comprehendatis (*I Cor.* IX). » Quem autem ducem credimus fuisse vel pastorem, cum iterum populum suum et oves pascuæ suæ Dominus educeret de terra Ægypti, dividens illis per divisiones gratiarum mare Rubrum baptismi, quod de latere ejus pendentis in cruce proluxit ? Nempe beatum Petrum apostolum, qui et in magno corpore sæpedicti hujus cæci princeps illuminatus est, dicente ad eum Christo Filio Dei vivi : Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis (*Matth.* XVI). Convenienter ergo ad eumdem apostolum Dominica hæc statio fit, ut omnis plebs videns magnificet Deum exemplo ejus dicentis : « Populus acquisitionis, annuntiate virtutes ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum (*I Petr.* II), »

CAPUT IX.

De prima dominica Quadragesimæ.

Dominicæ hujus officium, propheticum sancti Spiritus personat uniformiter atque congeminat oraculum, sine mutatione rerum ac personarum, quo pugnanti contra draconem antiquum promittitur sanctæ Ecclesiæ competens altissimum adjutorium. Spectat Dominica hæc quartam mundi ætatem, qua **45** mundus plenaria juventute roboratus est, et populus Dei quasi viriles annos ingressus, coronatus est diademate regum, et ornatus sanctorum sapientia prophetarum. Nam patriarcha David electus secundum cor Domini remoto Saule, primus regum, præcipuus prophetarum, manu fortem vel desiderabilem Christum nomine præsignat (*I Reg.* XVI), victoriis præfigurat, propheticis oraculis ac spiritualibus canticis annuntiat. Et quia clausa fuit, usque ad Christi adventum, hujus et cæterorum Scriptura prophetarum, ac sicut tenebrosa aqua in nubibus aeris, ita contenebrabatur occulta scientia in prophetis, donec Agnus Dei, solus dignus accipere librum et solvere signacula ejus (*Apoc.* V), in passione sua complendo propheticas aperiret voces : idcirco ab hac Dominica vela dependent ante sancta Ecclesiæ altaria, ut populus Sancta sanctorum non videat, donec in ante paschalia hebdomada depositione velorum, eadem renovetur significatio, quæ facta est per hoc quod velum templi scissum est, spiritum

tradente Domino (*Matth.* xxvii). Hac igitur Dominica A posito hoc Evangelio, quo caput Ecclesiæ Christus, jejunans in deserto, tentatoris insidias superasse narratur (*Matth.* iv), atque ita super aspidem et basiliscum ambulasse, leonemque et draconem conculcasse (*Psal.* xc), propheticæ de toto officio circumsonant tubæ, victoriam eamdem cunctis membris ejusdem capitis, et toti repromittentes corpori Ecclesiæ. Cujus officii statio ad sanctum Joannem ad Lateranas præscripta, valde congruit. Sicut enim hoc officium totum in veram Salvatoris decantatur felicitatem, qui præ omnibus et pro omnibus super aspidem et basiliscum ambulavit, et totum propheticum est ; sic eadem Lateranensis ecclesia, et in nomine ejusdem sancti Salvatoris, et in honore prophetæ et plusquam prophetæ Joannis (*Matth.* xi), B ab imperatore Constantino constructa est. Itaque propheticæ laudes congrue illic apostolica statione celebrantur. Non solum Dominica hæc Quadragesima dicitur, quemadmodum illæ, quæ præcesserunt, quinquagesima, sexagesima atque septuagesima, sed et hoc omne tempus, quod ab hac die usque ad sacratissimam Paschæ solemnitatem tenditur, quadragesima nuncupatur, videlicet propter imitationem Dominici jejunii, quam per hos dies extendimus. Sed ad hanc rationem quatuor dies deesse prabantur. Nam licet ab hinc usque ad sacram Paschæ noctem, quadraginta duo dies computentur, tamen non nisi trigenta sex, Christianæ devotionis parcimonia sibi dedicare præsumit. Canonica namque vetat auctoritas, ne primam Sabbati, Dominicæ resurrectionis splendore illustratam, ulla unquam jejuniorum publica offuscet nubecula. Ut C igitur nostri solemnitas jejunii Dominico magis coaptetur exemplo, quatuor dies, qui hanc Dominicam præcedunt, additi sunt ad prætextam totius anni decimam : totius quippe anni, id est dierum trecentorum sexaginta, supradictus numerus, id est triginta sex, decima est. Quibus additis quatuor, fit quadragesima, id est quatuor cum decima. Et hæc verior est nominis etymologia : alioquin una dies, id est hujus hebdomadæ tertia feria sola a die Paschæ, quadragesima est. Sanctæ memoriæ papa Telesphorus, a beato Petro septimus, hanc salutarem ante sanctum Pascha constituit præparationem, ut Christiana plebs, quæ apostolicæ abstinentiæ tenorem exqui non posse, non omnino relinqueret. Apostoli D namque primi ejus, qui ablatus fuerat, sponsi filii, tota sua vita jejunium fletumque amaverunt, et renuit consolari anima eorum, tantumque in eo quod ejus memores erant, delectati sunt. At postquam multiplicari cœpit numerus credentium, tamque indiscretos pisces retia fidei contraxerunt, ut cum abstinentibus, multitudo quoque intraret ebriosorum, subvenit ecclesiasticæ disciplinæ magisterium, et tanquam severa mater, edacium puerorum intemperantiam moderata est, ut quia de toto cogi non poterant, vel partem observarent, vitæque decimas abstinentiæ dedicarent. Cum ergo de universo tempore gratiæ dictum sit illud Apostoli : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* vi), » et cætera ; hac tamen Dominica illa lectio Epistolæ recitatur, qua temporalis jejuniorum observantia, quæ ut dictum est, esse continua debuerat, inchoatur.

CAPUT X.

Cur cineres capitibus imponimus.

Si omnes lugendi scientiam haberemus, cunctisque æqualiter saperet illud quod propheta deplorans : « Cecidit, inquit, corona capitis nostri ; væ nobis, quia peccavimus (*Thren.* v), » et omnibus in promptu esset facere quod item dicitur nobis : « Scindite corda vestra et non vestimenta vestra (*Joel.* ii) ; » tunc neque cineribus capita nostra aspergere, neque nudis pedibus opus esset ambulare. Nunc autem maxima pars nostrum neque sponte meminit, qualem ornatum capitis, id est cordis sui, Deum offendendo, perdiderit, neque facile possunt corda lapidea scindi, nisi extrinsecus adhibitis adjuvemur instrumentis Igitur, ut nostra nobis calamitas ad memoriam revocetur, et meminerimus, quia pulvis sumus (quod oblitus fuerat pater noster Adam, quando projecit Deum coronam suam et exinde sensit nuditatem suam), idcirco et cinere capita nostra aspergimus et summas partes corporis, id est pedes nudamus : hoc habitu confitentes, quia non dii, neque de cœlo sumus, sed homines sumus, et de terra principium habuimus ; et quia per peccatum gloria nostra spoliati, et inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigemus.

CAPUT XI.

De secunda Dominica Quadragesimæ, cur vacat.

Dominica quadragesimæ secunda, quæ in ordine et ratione Dominicarum septem supra dictarum, quinta est, pulchra et rationabili dispositione vacat, tanquam non habeat Ecclesiæ pontifex, jam defessus cantor, quæ vel quibus, aut ubi verba canticorum Domini decantet, aut certe infructuosos fastidiens auditores, organa suspenderit ad salices. Significat enim quintam mundi ætatem, quando templo Domini diruto, et populi Dei in Babyloniam adducto, duplici captivitate Ecclesia Dei congemuit, peregrina in hoc mundo, captiva sub Nabuchodonosor (*Psal.* cxxxvi ; *Jerem.* lii) ; tunc etenim populus Dei, neque templum neque altare habebat, et Babylonios deos statuamque regis Nabuchodonosor diaboli typum tenentis, minaci proposita fornace, cogebatur adorare (*Dan.* iii). Non ergo ab re et rationabili diligentia dispositum est, ut cum hujus temporis omnes privatæ quoque feriæ propriis officiis locupletatæ certisque sint stationibus insignitæ, præter solum (quod est ante Palmas) Sabbatum, de quo etiam suo loco ratio quærenda est ; sola hæc Dominica vacet, sed nec officium nisi aliunde mutuatum habeat. Attamen ex narratione evangelica lectionem habet, illi jam dictæ captivitati populi Dei verissime consonantem. Nam quod significaverat illa captivatio, Nabuchodonosor plebem Dei tyrannice de illa nobili Sion

et templo Domini abstrahente et barbarici stimuli imperio violenter fatigante, hoc idem significatur **46** in Evangelio præsentis Dominicæ, dæmonio vexante filiam Chananææ, scilicet humanas animas passionibus mali desiderii nequiter a diabolo conflammari et longo fune peccatorum ad miseram servitutem voluntatis ejus, mala consuetudine violenter trahi. Clamabat post Dominum mulier Chananæa (*Matth.* XV), interveniebat fides patriarcharum, meritumque Danielis et sociorum ejus, ut solveretur captivitas Babylonica (*Dan.* IX): clamat et nunc superna mater nostra Jerusalem, ut pœnitentibus detur peccato resistendi facultas. Epistolam quoque habet de proprio, in qua cum dicit Apostolus: « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore (*I Thes.* IV), » et cætera, ad illius servitutis effugium provocamur, quæ significata est, ut dictum est, per hoc, quod vasa domus Domini Babylonica captivitate translata sunt et polluta; ita ut biberet in eis rex Babylonis, et optimates ejus, uxores et concubinæ ejus (*Dan.* V); itemque significatur in Evangelio per hoc quod filiam Chananææ, vas utique Creatoris, spiritus immundus invaserat. Cætera quamvis mutuata sint, et de feria quarta jejunii sumpta, cunctis consonant sensibus his quæ dicta sunt. Nam quod in introitu rogamus Dominum reminisci miserationum suarum, ne unquam dominentur nobis inimici nostri (*Psal.* XXV). Et in collecta aut cunctis adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Et in graduali rogans Ecclesia ut de necessitatibus suis eruatur: *Ad te*, inquit, *levavi animam meam ibid.*). Et in offerendæ versu: *Miserere mei secundum eloquium* (*Psal.* CVIII). Itemque in communione: *Intellige clamorem meum* (*Psal.* V). Hæc omnia clamores sunt magnæ illius mulieris (*Apoc.* XVII), scilicet Ecclesiæ matris, pro qualibet peccatrice anima, videlicet sua anima, post Dominum clamantis jugiter. Quæ ideo competenter de jejunii die mutuata sunt, quia mali desiderii passiones, quæ per dæmoniosam Chananæa filiam, itemque per captivatorem populi Dei Nabuchodonosor præsignatæ sunt, non ejiciuntur, nisi in oratione et jejunio (*Matth.* XVII).

CAPUT XII.

De Dominica tertia Quadragesimæ.

Post illius captivitatis mysticam commemorationem, qua vasa templi Domini sustulit rex Babylonis, typum, ut dictum est, gerens diaboli, sequenti hac Dominica, quæ sextam mundi ætatem significat, hoc Evangelium ponitur, quo fortis armatus custodiens atrium suum, fortiore superveniente, vasa vel arma, in quibus confidebat, amittere narratur, et immundus spiritus, qui exierat ab homine, quærens requiem, et non inveniens dicit: « Revertar in domum meam unde exivi (*Luc.* XI; *Matth.* XII). » Sexta namque mundi ætate veniens in hunc mundum Filius Dei per incarnationis mysterium, et pugnans digito Dei, mutum ejecit dæmonium, et locutus est mutus, qui juxta alium evangelistam erat et surdus. Tunc etenim ejecto dæmonio audivit surdus, et locutus est mutus, quando foras misso principe mundi, audivit mundus verba Dei, et locutus est laudem Dei. Sic direpta sunt vasa forti armato illi, scilicet diabolo, quæ transtulerat de honore paradisi (*Gen.* III), velut supradictus Nabuchodonosor filios Israel, et vasa templi Domini ad contumelias Babylonis. Ecce autem immundus spiritus, qui exierat ab homine (*Matth.* XII), videlicet a populo Judaico, nunc iterum reversus est in eum, assumptis secum septem aliis spiritibus nequioribus se, quia nunc deterius delinquunt Judæi, in synagogis suis maledicentes Christum, quam olim in Ægypto diis alienis servientes. In hujus ergo Dominicæ officio dicit ad Introitum gloriabundus hic mutus, qui ejecto dæmonio loquitur: « Oculi mei semper ad Dominum (*Psal.* XXIV), » causamque reddit, quam audivit a sanctis prædicatoribus qui fuerat surdus, « quia ipse, inquit, evellet de laqueo pedes meos (*ibid.*), prosequitur facundia muti, cujus os sapientia aperuit, « respice in me, et miserere mei, » causamque nihilominus reddit satis oratoriam, qua Deum auditorem flectere possit, et patronam efficere misericordiam, « quoniam, inquiens, unicus et pauper sum ego (*ibid.*) » Quodque in collecta dicimus, *atque ad defensionem nostram, dexteram tuæ majestatis extende*, invocatio est ejusdem fortioris, qui, ut dictum est, forti armato supervenit (*Luc.* XI). Vasa illa, quæ forti illi victo atque ligato direpta sunt, alloquitur in Epistola Paulus, fortioris jam dicti miles et adjutor egregius, ut sacro baptismate a priscis emundata sordibus, non jam rursus inquinentur, cum dicit: « Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur in vobis (*Ephes.* V), » etc. Graduale: *Exsurge, Domine* (*Psal.* IX), *non prævaleat homo*, clamor est omnis vasis electi adversus eumdem fortem armatum, custodientem atrium suum, et in pace sua possidentem ante fortioris adventum. Tractus quoque: *Ad te levavi oculos meos* (*Psal.* CXXII), facunda vox est muti sæpe jam dicti, salutem suam æternam eloquentissima prece deposcentis, eamdemque precem decenti similitudine perornantis. In offerenda prædicat idem mutus, jam eloquens justitias Domini rectas, quod ejecto a se dæmonio, rursus ad illum hominem, a quo dudum exierat, scilicet ad populum Judaicum, permissus sit reverti, quia videlicet hoc in veritate judicii Dei sit factum: « Judicia, inquens, Domini vera (*Psal.* XVIII), « pro sui vero oris apertione gratias agens: « Et erunt ut complaceant, inquit, eloquia oris mei (*ibid.*), » etc. In communione gratulatur idem de muto redditus orator, quod tanquam « passer invenerit sibi domum, et sicut turtur nidum, » scilicet « altaria tua, Domine, virtutum, » id est sanctam patriarcharum Ecclesiam, ut cum « beatis, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudet te (*Psal.* LXXXIII). » Hujus autem officii prælibata ratio commendat, quod scri-

ptum est, statio ad sanctum Laurentium. Nam quorum nisi sanctorum martyrum, et hujus præcipue prælus hic, de quo dictum est, fortis armatus de atrio suo, quod Roma fuit, ejectus est? Dicit enim Prudentius :

Jam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce,
Ritum triumphas barbarum.

PRUDENT., *Peristephanon* hymn II, 2, 3.

Item qui supra in persona ejusdem martyris :

Discede, adulter Juppiter,
Stupro sororis oblite,
Romam relinque liberam.

Ibid., 465-467.

Item ergo ad victoris militem, victum canimus fortem.

CAPUT XIII.

De « Lætare, Jerusalem » et Dominica media quadragesima.

Dominica hæc ab ea, quæ septuagesima dicitur, septima est, Sabbatum mundi, id est requiem significans, in qua sanctorum et electorum animæ, deposito carnis onere, et velut post bella victores, depositis armis feriatæ lætantur, et nunc iterum iidem electi singulis stolis, id est animæ beatitudine munerati resurrectionem, in qua binas stolas (*Apoc.* VI), scilicet tam animarum quam corporum immortalem gloriam recipient, præstolantur. Illic autem Jerusalem illa, quæ de sursum est, quæ libera est, quæ omnium nostrum mater est (*Gal.* IV), lætatur, et diem festum agens pro numerositate filiorum suorum,
47 de hujus sæculi peregrinatione redeuntium, repositas effundit epulas, et lacteas ex uberibus suis exprimit maternæ consolationis delicias. Illic, inquam, pater antiquus Deus, novusque sponsus, Dei Filius, reduces filios consolatur, quemadmodum per prophetam promiserat dicens: « Pueri eorum in humeris portabuntur, et super genua consolabuntur, quemadmodum mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini (*Isa.* LXVI). » In hac ergo Dominica, quæ, ut dictum est, illius Sabbati signum est, totum officium ejusdem requiei, ejusdem consolationis præconium est, quo commonentur nunc peregrinantes illius tantæ tamque liberæ matris filii, præsentem tristitiam spe consolationis futuræ supergredi, ut sint, juxta Apostolum, « spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom.* XII), » qui in superna Jerusalem uberibus consolationis potandi sunt. Primoque dicendum quod evangelicum illud convivium, quo Dominus de quinque panibus, et duobus piscibus satiavit quinque millia hominum (*Joan.* VI), prædictæ significationi Dominicæ hujus sub mystico sensu valde congruit. Significat enim, ut auctoritas ecclesiastica tradit, vitale illud sanctarum Scripturarum convivium, quo de paucis Moysi, prophetarumque libris crescente copia divinæ benedictionis, inter ora comedentium, id est, inter studia tractantium, affatim reficitur mundus, quondam a scientia

A Dei jejunus, et affluentia dictorum sensuumque repletis armariis lassi atque victi convivæ absistimus. Hoc autem convivium divinæ cognitionis hic incipitur, perficietur vero in illius Sabbati, de quo loquimur, perenni gloria. » Nunc enim cognosco ex parte, ait Apostolus, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII), » etc. Nam juxta prophetam : « Jam non dicet vir fratri suo : Cognosce Dominum omnes enim a minimo usque ad maximum cognoscent me, dicit Dominus (*Jer.* XXXI) » Igitur illam divinæ cognitionis ac visionis abundantiam significat hæc, quæ de Evangelio recitatur hac Dominica, satietas hominum quinque millium. Tunc Jesus, qui vere abiit trans mare Galilææ, quia resurgens a mortuis omnes amaritudines sæculi turB bulenti et inquieti transgressus est sequentium se credentium turbam, omnes supernæ Jerusalem filios jam grandes, jam ablactatos grandi saturabit convivio : cujus in typum pater Abraham, ablactato filio liberæ unico Isaac, grande convivium fecisse legitur in die ablactationis ejus (*Gen.* XXI). Igitur ejusmodi convivio manifeste consonat illa gratulabunda sancti Spiritus allocutio, prophetali ore præmissa : *Lætare, Jerusalem*, et cætera consolatio de qua hic canitur : *Et satiemini ab uberibus consolationis vestræ* (*Isa.* LXVI) ; ipsa est, quam in collecta subsequenti poscimus dicendo : *Ut qui ex merito nostræ iniquitatis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus :* videlicet quando anhelantes peregrini post laborem captivitatis hujus sedebimus
C in illa Jerusalem cœlesti, dicentes : « Facti sumus sicut consolati (*Psal.* CXXV). » Ipsa est consolatio libertatis, de qua itidem gratulamur in Epistola, dicente Apostolo : « Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum ; » ipsa eadem « pax in virtute ejus, et abundantia in turribus ejus (*Psal.* CXXI), de qua in graduali canimus : *Lætantes in his quæ dicta sunt nobis a sanctis apostolis et doctoribus nostris, in domum Domini ibimus.* Ad quam cum pervenerimus, complebitur et quod in tractu dicitur: *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem* (*Psal.* CXXIV), cum ablata virga fuerit, id est potestas peccatorum, quam etsi ad tempus dimittit ad probationem, « non relinquet Dominus super sortem justorum (*ibid.*). » In offertorio quoque consolationis
D ejusdem beatificamus convivas, lætantes in epulis laudum, ipsumque convivii patrem benedicimus ex Sion, qui habitat in Jerusalem (*Psal.* CXXXIV) : ut ex præsenti Ecclesia, quæ dicitur Sion, id est specula, in qua positi videmus nunc per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII), laudem, donum et benedictionem personare incipientes, perficiamus in ea qua habitat ipse in cœlesti Jerusalem. Ipsa est, quæ secundum communionis verum et mysticum sensum, necdum consummata est, et adhuc ædificatur ut civitas de vivis et electis lapidibus, in qua « ascenderunt tribus, tribus Domini (*Psal.* CXXI), » tribus nobiles, tribus regales, tribus sacerdotales. Ipsa

quoque Ecclesia, ad quam statio præsenti officio præscripta est, eamdem civitatem Dei cœlestem Jerusalem nomine ipso designat. Dicitur enim et ipsa sancta Jerusalem, ut peregrinantibus in hoc sæculo cœli civibus, non habentibus hic manentem civitatem, sed futuram inquirentibus (*Hebr.* XIII), nomine ipso memoriam atque desiderium excitet ejus civitatis, quam inquirunt, et a longe peregrini salutant. Differt autem hujus stationis ratio ab ea quæ est Dominica adventus Domini secunda, quia videlicet illa futuræ beatitudinis est annuntiatio, hæc quasi præsentis contemplatio. Unde et festivius agimus, quia spei nostræ solemnitas est. Lætatur Christiana plebs, et sicut in die solemni Christianus imperator coronatur, et ludis innocentibus futuræ pacis otium, quo feriabimur in illius supernæ matris sinu, meditari admonetur. Hujus solemnitatis amplitudinem et hoc indicat quod ad complendum duæ collectæ Romani ordinis auctoritate dicuntur; sicut et annuntiatione Dominica duæ nihilominus ad introitum præscribuntur, ut quasi duplex officium pro dignitate solemnitatum hujuscemodi persolvisse videamur. Et ne quis illud objiciat, cur ergo in maximis solemnitatibus nativitatis ac resurrectionis Dominicæ, cæterisque præcipuis festis, nihil tale observatur? Illud dicendum est, nihil hac duplicatione in illis solemnitatibus opus esse, quia per octavas producuntur, nec ad earum rationem unius diei coangustantur observantia. Post septem Dominicarum ordinatissimam dispositionem, quibus, ut dictum est, septem ætates mundi figurantur, quæ omnes passione Domini redemptæ, et sanguine ejus respersæ sunt, ipsius Dominicæ passionis inchoatur celebratio, et quasi longa funeris pompa præmissa, sequitur ipsa salutis nostræ victima, nostrarum mentium ingerens oculis ea, quæ nostri causa pertulit, vulnera. Inchoatur autem a catechumenis nostris, scilicet feria quarta, quando celebramus scrutinia; quæ quam habeant rationem, vel cur ea potius die celebrentur, posterius prout Dominus dederit dicemus. Nunc ne officia feriarum quadragesimæ omnino intacta relinquantur, concordiam Evangeliorum atque Epistolarum tantum Spiritus sancti luce præeunte contemplemur, quæ tanta est tamque utilis, ut absque consideratione nullatenus debeat præteriri. Nam cætera prosequi nimis longum est atque fastidiosum, præsertim cum his perspectis, illa quoque per se quærentibus satis clarescere possint.

CAPUT XIV.

De Evangeliis et Epistolis feriarum quadragesimæ, in quibus sibi concordent.

Secunda feria primæ hebdomadæ hoc Evangelium legitur, quo Filius hominis venturus in majestate sua, ore suo declaratur, congregatasque ante se omnes gentes separaturus, **48** sicut pastor separat oves ab hædis, « et statuet, inquit, oves a dextris suis, hædos autem a sinistris (*Matth.* XXV), » etc. Hoc nimirum sermo propheticus Evangelii præcur-
A sor, juxta eumdem sensum prævenit, dicente Domino: *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum* (*Ezech.* XXXIV), etc. « Educam eas, inquit, de gentibus, » videlicet « sicut pastor segregat oves ab hædis, » in pascuis uberrimis pascam eas. Quæ profecto non sunt alia quam regnum, de quo ait: « Venite, benedicti (*Matth.* XXV), » etc.

Feria tertia in Evangelio ejectis his qui vendebant et emebant in templo, cum calumniantibus et interrogantibus Pharisæis respondisset Dominus: « et relictis illis, inquit evangelista, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit (*Matth.* XXI). » Hoc autem, ut ait beatus Hieronymus, præfigurabat illud quod illos ob incredulitatem relicturus, et
B ad gentium salutem esset migraturus, quæ per Bethaniam, id est domum obedientiæ, designantur, ideo quia Verbo Dei obedientes factæ sunt, juxta illud: « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris odedivit mihi (*Psal.* XVII). » Bene ergo in lectione prophetica præmittitur: « Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est (*Isa.* LV), » et cætera quæ sequuntur, ad quærendum Dominum idonea, et inventionem ejus efficientia. Nam cum hæc diceret Propheta, profecto futurum prævidebat tempus, quando a Judæis inveniri non posset, et ad gentes transiens, tanquam ad domum obedientiæ, illis inobedientibus jam prope non esset.

Feria quarta, duplicata solemnitate jejunii legitur Evangelium, quo spiritus immundus egressus
C ab homine, ambulans per loca inaquosa, quærere requiem et non invenire asseritur (*Matth.* XII); quia procul dubio, juxta beatum Job, magis cubat in locis humentibus (*Job.* XXXIX), dum exsiccata jejuniis fastidit corpora. Huic doctrinæ evangelicæ præmittuntur exempla Moysi et Eliæ, quorum uterque in singulis lectionibus quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunasse perhibetur (*Exod.* XXIV; *III Reg.* XIX).

Feria quinta, Judæos in Evangelio gloriantes et dicentes: *Pater noster Abraham est*, convincit Dominus eo quod opera Abrahæ non faciant; et concludit, quod potius ex patre diabolo sunt, faciendo opera diaboli, et quærendo eum interficere, quod Abraham non fecit (*Joan.* VIII); vel, ut quibusdam
D hac die legere moris est, dives cruciatus apud inferos, patremque vocans Abraham, et deprecans eum, non exauditur ut filius (*Luc.* XVI). Ad hoc manifeste spectat illud propheticum quod in Epistola præmittitur: « Quia vir justus si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem et universa detestanda facientem, ipse quidem in justitia sua vivet, filius autem ejus, qui operatus est iniquitatem, morte morietur (*Ezech.* XVIII).

Feria sexta significatur in Evangelio baptismi gratia; qua renovatur sicut aquilæ juventus animæ, et redimitur de interitu vita ejus, et coronatur in misericordia et miserationibus (*Psal.* CII). Angelus

enim, qui descendebat in piscinam, significabat Christum magni consilii Angelum, ipsa autem piscinæ aqua, quæ movebatur populum Judaicum, qui motus est seditionibus, descendente in illum eodem magni consilii Angelo per assumptionem carnis (*Isa.* IX), et ita motus aquæ turbatus est, ut illum crucifigeret. Ille unus, qui descendebat in aquam, et sanabatur, unam sanctam Ecclesiam catholicam, quæ descendens in baptismum Christi, sanatur ab infirmitatibus, figurabat: qui autem triginta octo annos jacuerat, universitatem eorum, qui gravibus sceleribus languentes; et ipsi nihilominus per fidem Christi sanantur. Hoc autem Judæi velut iniquum reprehendunt; semper enim gentium salutem oderunt. Bene ergo lectio prophetica præmittitur, in qua dicente Domino: *Si averterit se impius ab impietate sua, et fecerit judicium* (*Ezech.* XVIII), et cætera, in quacunque die ingemuerit, salvus erit, murmurant et dicunt: « Non est æqua via Domini (*ibid.*). » Non autem perfunctorie, si quis ingemuerit, sed si ad baptismum Christi peccator ingemiscens convolaverit, statim salvus erit, quia omnes præteritæ ejus injustitiæ non recordabuntur. Privata vero pœnitentia laboriosa est, nec inter labores pœnitentem adeo securum reddit de venia.

Sabbato sacerdotibus ordinatis, et cæteris altaris Christi ministris, hoc evangelium competenter legitur: *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem, et duxit eos in montem et transfiguratus est ante eos* (*Matth.* XVII). Sacerdotes enim et cæteri altaris ministri, dum ad tantum ministerium promoventur, quasi in montem altissimum cum Domino ascendunt ut revelata facie speculandam ejus gloriam speculentur (II *Cor.* III), et intelligant, quid cum ipso vel de ipso Moyses et Elias, id est, lex et prophetæ loquantur, et populo inferiori annuntient, et cum fide Christi legalem moralitatem propheticamque doctrinam habentes, parati sint reddere rationem omni poscenti (*I Petr.* III). Apte igitur illa præmittitur Apostoli lectio, quæ dicit: *Rogamus vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes* (*I Thess.* V), etc. Ipsorum est enim hoc officium, qui ad hoc ut pastores animarum sint, ordinati sunt.

CAPUT XV.

De feriis secundæ hebdomadæ.

Hebdomadæ secundæ feria secunda illa legitur Evangelii lectio, qua Judæis comminatur Dominus, se ab illis propter perfidiam ipsorum recessurum dicens: *Ego vado et quæretis me et in peccato vestro moriemini* (*Joan.* VIII); quod utique dicendo, ad gentes migraturum se esse significabat. Unde et illi quasi divinantes dicunt: « Nunquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? » (*Joan.* VII.) Huic sane evangelio congruit prophetica Danielis, quæ præmittitur (*Dan.* IX), oratio qua furorem et iram Domini ab eodem postulat auferri.

A Hunc enim furorem et hanc iram maxime lacrymosa prophetæ deplorat conquestio.

Feria tertia Dominus in evangelio culpans Scribas et Pharisæos, quod sedentes super cathedram Moysi, vane sibi magisterium arrogent, dicendo et non faciendo, et quod ament salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi, tandem eos percutit, dicens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XVIII). Videlicet quia superbi illi, a magisterio scientiæ Dei removendi, et humiles magistri Ecclesiæ de gentibus cathedram illorum erant accepturi. Quod per illam viduam Sarephtanam, de qua in præmissa narratur lectione, præsignatum est; ad quam ex præcepto Domini perrexit Elias, cum multæ viduæ essent in Israel (*III Reg.* XVII). Sic

B enim Ecclesia de gentibus, legis prophetarumque doctrinam missam sibi a Deo, fidei hospitio suscepit, remanente apud Synagogam siccitate et sterilitate, quia sicut alibi comminatus fuerat Dominus illi, mandaverat nubibus suis, scilicet gratiæ suæ prædicatoribus sanctis, ne plucrent super eam imbrem (*Isa.* V), atque ita hæc se humilians, a Christo, dum colligit duo ligna crucis, ut faceret sibi subcinericium panem, panem pœnitentiæ, exaltata est, non deficiente apud eam hydria farinæ, **49** nec imminutio lecytho olei (*III Reg.* XVII), id est perseverante scientia legis, pariter et gratia Evangelii. Illa autem se exaltans humiliata sit, adeo ut nec legis farinam molitores ejus Pharisæi molere sciant, nec oleum Evangelii in phylacteriis suis et magni-

C ficis fimbriis ambulantes (*Matth.* XXIII), invenire queant.

Feria quarta illa Evangelii lectio ponitur, qua Dominus consilium suum discipulis suis secreto revelat, dicens: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur ad crucifigendum* (*Matth.* XX), etc. Per hæc autem diabolus, hostis noster et inimicus capiendus et judicandus erat. Bene ergo illa lectio præmittitur, qua Esther adversus Aman, Dei implorat auxilium (*Esth.* XIX). Aman quippe diaboli typum gessit in eo quod adorari affectans populum Dei morti tradere voluit, et Mardochæo crucem paravit. Qui sicut in eamdem crucem quam paraverat actus est, ita diabolum Christus, ut ait Apostolus, « palam traduxit confidenter in semetipso, et ipsum chyrographum tulit de medio affigens illud cruci (*Coloss.*

D II). » Hoc ergo sola commendatur oratio Esther, quia totam narrare historiam, quæ, ut dictum est, Dominicæ passionis typus est, nimis longum et onerosum fuisset. Nobis quoque diabolum vincendum, non nisi per passionis ejusdem communicationem, ex occasione duorum Zebedæi filiorum insinuat.

Feria quinta, Dominus in Evangelio sui exemplo docet non in hominum, sed in solius Dei confidendum esse testimonio, dum dicit, loquens secundum fragilitatem carnis: *Et si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum verum est: alius est qui testimonium perhibet de me* (*Joan.* V). Et subjungit: « *Et testimonium perhibet de me, qui misit*

me Pater. » *Vos*, inquit, *misistis ad Joannem, et ille testimonium perhibuit veritati : ego autem habeo testimonium majus Joanne* (*Joan.* v). » Itemque : « *Ego testimonium ab hominibus non accipio* (*ibid.*). » His procul dubio consonat, quæ præmissa est prophetica lectio de Jeremia, in hæc verba : « Maledictus vir, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, ut a Deo recedat cor ejus, erit enim quasi myricæ in deserto (*Jer.* xvii). » Et post pauca : « Benedictus vir, qui confidit in Domino (*ibid.*), » etc.

Feria sexta legitur illa parabola, quam dixit Dominus ad Pharisæos malos, et male perdendos divinæ legis agricolas, eo quod missum a se unicum filium patris familias, id est seipsum, quem vereri debuerant, occidere deliberabant, dicentes : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* xxi), quibus idcirco auferendum erat regnum Dei et dandum genti facienti fructus ejus. Huic parabolæ profecto illa de libro Genesis, quæ præmissa est lectio, pulcherrime congruit, in qua missum ad se Joseph videntes fratres a loquebantur mutuo, dicentes : « Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, et videamus, quid illi prosint somnia sua (*Gen.* xxxvii). » Joseph namque in eo quod venditus et in carcere missus est, ipsius Domini typum gessit, qui venditus et morti traditus ac sepultus est, et sic ejectus de vinea sua, tanquam lapis inutilis ab ædificantibus reprobatus, cum regno Dei ad gentes facientes fructus ejus transmigravit, quemadmodum Joseph a suis venditus et ejectus, Ægyptios pavit.

Sabbato, tam in Evangelio quam in Epistola duorum populorum Judaici atque gentilis continetur figura, quorum prior quantum ad unius Dei cultum, scilicet Judaicus, minoris, id est, gentilis populi pœnitentiam pio patre suscipiente, invidia torquetur foris stans, quem gaudere oportuerat, quia *frater suus mortuus fuerat, et revixit, perierat et inventus est* (*Luc.* xv), quia, sicut eadem die cantamus : *Lex Domini irreprehensibilis convertens animas, et sapientiam præstans parvulis* (*Psal.* xviii). Bene itaque consonat Evangelio præcurrens Epistola, cum illic juniore fratre epulante cum patre, major foris remanet *in agro* (*Luc.* xv) ; hic Esau, Jacob fratre suo offerente epulas, et ad benedictionem festinante, consilio matris suæ Rebeccæ (quæ Spiritum sanctum significat) foris in venationibus occupatus tardat (*Gen.* xxvii). Terrenis enim sensibus et carnalibus observationibus detentus populus Judaicus spiritualem amittit gratiam.

CAPUT XVI.

De feriis tertiæ hebdomadæ.

Hebdomadæ tertiæ feria secunda præsignat in Evangelio Dominus se in patria sua, scilicet in Judæa, honorem non habiturum, et ad gentes, ubi honoretur, transiturum, dum dicentibus Pharisæis : *Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua* (*Luc.* iv), respondet : *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua* (*ibid.*). Iterumque cum terribili illa ac venerabili juramento suo per simile, non tantum in uno expresse docet, illis posthabitis, gentes potius a peccatis suis esse curandas : *In veritate*, inquiens, *dico vobis, multæ viduæ erant in Israel in diebus Heliæ, et ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sidoniorum. Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, et nemo illorum mundatus est, nisi Naaman Syrus* (*ibid.*). Amplius autem in eo quod *surrexerunt et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum in supercilium montis, supra quem civitas illorum posita erat, ut præcipitarent eum* (*ibid.*), significatur ab illis transitura salus, dum dicitur : *Jesus autem transiens per medium illorum ibat* (*ibid.*). Cum enim illum Judæi crucifigentes, in profundum oblivionis præcipitare vellent, ipse, aversus et per medium illorum transiens, ivit ad gentium populos pedibus suis, pedibus speciosis, id est prædicatoribus sanctis. Bene ergo huic Evangelio præmittitur lectio illa de Naaman Syro. Helisæus Christum, leprosus Naaman gentilem populum significat, immundum et idololatram. Quod non ipse Helisæus exivit ad illum foras, sed mandavit illi dicens : *Vade et lavare in Jordane septies, et mundaberis* (*IV Reg.* v) : hoc prophetice innuit quod factum est, quia per semetipsum Christus non prædicavit gentibus, sed mittens præcepit eos baptizari : « Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii). » Septies autem lavatur leprosus, quia in baptismo propria est operatio septiformis Spiritus sancti, ex quo et renascimur, et remissionem peccatorum accipientes, novi restituimur.

Feria tertia in Evangelio commendatur lucidum opus misericordiæ, dicente Domino : *Si peccaverit in te*, id est, te sciente, *frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum solum* (*Matth.* xviii), etc. Et quia ubi duo consentiunt, scilicet corrector et auditor, neque opus est ut alium adhibeas, neque Ecclesiæ dicas, eo quem corripis inter te et ipsum solum, sponte audiente, quia, inquam, tunc parata venia confestim impetratur a Domino. *Amen*, inquit, *dico vobis, si duo ex vobis consenserint, ex omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo* (*ibid.*), et, quia de impetratione veniæ dixerit, hoc testatur ipse, dum præmittit : *Amen dico vobis, quia quæcunque alligaveritis super terram, alligata erunt in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlo* (*ibid.*). Terminatur autem sic : *Domine, quoties peccabit in* **60** *me frater meus, et dimittam ei ? Usque septies ? Et dicit illi Jesus : Non dico tibi, Petre, usque septies, sed usque septuagies septies* (*ibid.*). Ad hæc pulchre lectio, quæ præmissa est, concinit. Mulier namque, quæ clamat ad Elisæum pro duobus filiis, quos creditor in servitutem tollere contendit (*IV Reg.* iv), ipsa est Ecclesia, quæ pro filiorum peccatis, quos in baptismate genuit, sollicita est, ne exactor diabolus pro nummo malæ voluptatis, quem illis credidit, debitores trahat in damna-

tionem perpetuæ mortis. Cui verus Helisæus, scilicet Christus, præcepit oleum infundere vasis, ostio clauso (*ibid.*), quia peccatoribus privata correptione conventis, præcipit remissionem et absolutionem indulgeri, data potestate ligandi atque solvendi, sicut in Evangelio jam dicto promisit, et veritate interposita, id est *amen*, promissionem confirmavit. Clauso ergo ostio vasis infusis redundat oleum, quia per privatam correctionem pœnitentibus confestim venia peccatorum affluit. Cum autem quis secreto correptus inter te et ipsum solum non audierit, postquam Ecclesiæ dictum fuerit, non tam facilis indulgentiæ leniendus erit oleo, sed congrue pœnitentiæ secandus cauterio.

Feria quarta calumniantibus Pharisæis quod discipuli Domini transgrederentur traditiones seniorum, non lavando manus suas, dum panem manducarent, redarguit eos Dominus, et criminationis spiculum retorquet in auctores : *Quare*, inquiens, *vos transgredimini traditiones Dei propter traditiones hominum? Nam Deus dicit : Honora patrem tuum et matrem tuam : Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri suo aut matri : Munus, quodcunque est ex me, tibi proderit* (*Matth.* xv), etc. Docuerat enim avaritia Pharisæorum juvenes, quorum laqueus omnes facti erant, ut, injussu parentum, imo præcepta parentibus donaria deferentes ad templum, reclamantibus parentibus se hoc pacto inhonorari a filiis, cum Deus dicat : « honora patrem tuum et matrem tuam (*Exod.* xx), » illud objicerent : Imo hoc pacto honoramus patrem. Nam Deus Pater noster est, ad cujus hæc deferimus templum, et quod illi offerimus filii, vobis parentibus proderit. Hæc et hujusmodi culpat Dominus in traditionibus hominum, quas traditionibus Dei præferebant, simulque edocet quod sola transgressio mandatorum Dei coinquinet hominem (*Matth.* xv). Bene ergo in lectione libri Exodi ipsa Dei mandata præferuntur: « *Honora patrem tuum et matrem tuam* (*Exod.* xx), » etc. De quibus in Evangelio convincuntur hypocritæ, foris nitidi observando traditiones hominum, intus autem coinquinati transgrediendo traditiones Dei, quia *non quod intra in os, sed quod exit de corde, coinquinat hominem* (*Matth.* xv).

Feria quinta venientes ad se turbas, ut sese facerent regem, quia manducaverant de panibus ejus et saturati fuerant, hortatur Dominus : *Operamini*, inquiens, *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* vi), etc. Dixerat autem eis : *Amen dico vobis, venistis ad me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus et saturati estis* (*ibid.*). In quo sacerdotum quoque turbam percutit, quia turbatim veniunt ad altare Domini, non quia delectat eos contemplari mysteria, quæ illic commemorantur incarnationis, nativitatis, passionis resurrectionis et ascensionis Domini nostri Jesu Christi, sed quia manducant de panibus ejus et saturantur, videlicet de decimis et oblationibus fidelium, sola quærentes stipendia corporis. Quapropter

A illa congrue lectio præmittitur, qua Hieremiæ dicitur a Domino : *Sta in porta domus Domini, et prædica ibi verbum istud* (*Jer.* vii), etc. Sic enim et illi, qui pompatice ingrediebantur portas domus Domini, et cupiditates suas pascentes applaudebant sibimet, dicendo *templum Domini, templum Domini, templum Domini est* (*ibid.*), magis per illud prædas agere de populo, quam (secundum quod in eadem lectione jubetur) bonus facere vias suas et bene dirigere studentes.

Feria sexta legitur in Evangelio Dominus Jesus fatigatus ex itinere hora sexta sedisse super puteum, loquensque cum muliere Samaritana, quæ venerat haurire aquam : *Si scires*, inquit, *donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses*
B *ab eo ; et dedisset tibi aquam vivam* (*Joan.* iv), etc. Notum atque celebre est fidei sanctæ Ecclesiæ lectionis hujus mysterium, videlicet Dominum nostrum Christum ex itinere, quo ad nostram salutem venit, fatigatum *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* ii), sedisse super puteum, id est mundanæ sapientiæ exsuperasse profundum, mulieremque Samaritanam, id est Ecclesiam alienigenam, quæ de profundis, imo obscuris philosophorum doctrinis mortuam aquam haurire consueverat, de qua sitientem animam ut non sitiret *iterum*, satiare non poterat, didicisse, quia *qui biberit ex aqua* hac, *sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam* ipse dederit, id est de Spiritu sancto, *non sitiet* unquam sed *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* iv). Huic
C Evangelio valde congruit præmissa lectio, in qua congregatis filiis Israel adversus Mosen atque dicentibus : *Da nobis aquam* (*Exod.* xvii), jubente Domino ducit eos ad aquam, ad petram Oreb, et quanquam diffidens percutit *virga bis silicem, et egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta* (*Num.* xx). Moses namque significat hac in re Judaicum populum incredulum, populus sitiens, humani generis exspectationem, petra Christum. Percussit bis silicem virga Moses, id est Judaicus populus duobus lignis crucis appendit Christum, et egressæ sunt aquæ largissimæ aquæ vivæ, quas in Evangelio supradicto se habere indicat Dominus mulieri Samaritanæ. Aqua hæc Spiritus sanctus est, qui tunc datus est, quando petra Christus virga
D crucis percussus, imo post percussionem resurrectione atque ascensione glorificatus est.

Sabbato mulierem in adulterio deprehensam legimus in Evangelio, et adductam ad Dominum Jesum a Scribis et Pharisæis tentantibus, sicamque latrocinii sui ancipitem occultantibus, ut quidquid respondisset, calumniantes criminarentur (*Joan.* viii), id est si ut misericors dimittendam diceret accusaretur injustus, et legis adversarius, si puniendam, velut immisericors infamaretur. Quibus ita obviavit mansuetudo cum justitia, ut, cedentibus accusatoribus, quippe quos sua subtraxerat conscientia, soli duo remanerent misera et misericordia. Huic Evangelio illa, quæ præmittitur, Danielis lectio congruit :

quamvis, ut ait Beatus Hieronymus (11), in Hebraico non habeatur, qua legitur Susanna a falsa criminatione adulterii Dei auxilio liberata (*Dan.* XIII). Nam hæc per misericordiam, illa lapidationem evasit per justitiam. Atque ita in ejusdem diei officio quodammodo misericordia et veritas obviant sibi (*Psal.* LXXXIV), paribus in personis, eodemque præsidio pietatis, quamvis disparibus causis.

CAPUT XVII.

De feriis quartæ hebdomadæ.

Quartæ hebdomadæ secunda feria in Evangelio Pharisæis interrogantibus ac dicentibus: *In qua potestate hæc facis, et quod signum tu ostendis nobis* (*Joan.* II)? cum respondisset **51** Dominus: *Solvite templum hoc, et post triduum excitabo illud*: quod *de templo dicebat corporis sui* (*ibid.*), paulo post evangelista subjungit: *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia non erat ei opus ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine* (*ibid.*). Huic Evangelio recte præmittitur illa lectio de duabus meretricibus, quæ coram Salomone de vivente filio contenderunt: quarum alteri, quæ dixit: *Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur* (*III Reg.* III), non credidit infantem vivum sapientissimus Salomon. Nam illæ mulieres Synagogæ atque Ecclesiæ typum gesserunt, infans autem Christi, quem Synagoga utero fidei nec concepit, nec peperit, imo et desiderabat occidi, et adhuc memoriam ejus cuperet exstingui, ut nec apud se, nec apud Ecclesiam gentium viveret. Bene ergo verus et vere sapientissimus Salomon, ut ait evangelista, non credebat semetipsum Judæis, tendens ad Ecclesiam de gentibus, et quodammodo dicens apostolis suis: *Date huic infantem vivum, hæc est enim mater ejus* (*ibid.*).

Feria tertia loquens Dominus ad Judæos, et arguens homicidas atque impios, Mosen, cui quondam oranti pro illis, quando fecerunt vitulum in Oreb, dixerat: Dimisi secundum verbum tuum, verumtamen *in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* XXXII). Mosen, inquam, hactenus orantem pro ipsis iratus removet dicendo: *Nonne Moses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem* (*Joan.* VII.) Removet enim quem ad illos non pertinere omni modo prævaricatione eos saparante, ostendit. Statimque Mose intercessore remoto, de crimine reos convincit: *Quid me*, inquit, *quæritis interficere?* (*ibid.*) At illi, suo more insanientes, dicunt: *Dæmonium habes, quis te quærit interficere* (*ibid.*) Ipse vero Mosen, quem perdebant, tertio commemorans, magis ac magis reos convincit. Bene ergo ipsa præmittitur lectio, qua Mosi dicitur: *Descende de monte, peccavit populus tuus quem eduxisti de Ægypto. Recesserunt cito de via quam ostendisti eis, et fecerunt sibi vitulum conflatilem* (*Exod.* XXXII). Et dicente Domino: *Permitte me, ut deleam eos* (*ibid.*), sequitur: *Moses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irasceris in populo tuo?* (*ibid.*) etc. Hæc oratio Mosi valuit pro illis, donec veniret hoc tempus, quo tantum facturi erant homicidium, crucifigendo Dei Filium, qui nunc ait illis: *Quid me quæritis interficere?* Propter quod jam nunc removendus erat Moses intercessor, sicut tunc placatus dixerat illi. Dimisi juxta verbum tuum. Veruntamen *in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.*

CAPUT XVIII.

De feria quarta scrutiniorum.

Feria quarta sacramenta, quæ novæ Ecclesiæ propria sunt, inchoantur, quibus sacrosancta Redemptoris nostri passio, venerabili ritu sanctæ Ecclesiæ in filiis adoptionis sanctam novitatem Spiritus operando figuratur. Hac enim die catechumeni nostri ex antiqua traditione sanctæ Romanæ Ecclesiæ signantur, ut sacrosancta solemnitate nostræ Redemptionis ex aqua et Spiritu sancto renascantur (*Joan.* III), Christo in baptismate commorientes, et conresurgentes, juxta Apostolum qui ait: « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Moris quippe erat olim in sancta Ecclesia, non alio tempore regenerationis hujus celebrari Sacramentum, nisi in his, quibus forte superveniente infirmitate vel ægritudine, mortis immineret periculum. Cuncta pene Ecclesiæ proles, quam per annum verbo prædicationis novam gignere poterat, instante solemnitate paschali, hac die sua nomina dabat, et per sequentes dies usque ad ipsam Paschæ solemnitatem, rudiens quisque regulam fidei, unde et catechumenus dicitur (catechumenus namque *auditor* interpretatur) lactatus et grandescens, tandem in plenitudine temporis postquam luna plena est, plena fide in solemnitate sancti baptisterii symbolum reddens, Christo commoriebatur et conresurgebat. At, postquam Christianitas crevit, et sagena illa verbi Dei piscibus impleta est (*Matth.* XIII), quia periculosum erat tantam multitudinem differre propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ sunt, maxime propter turbam infantum, ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera vita persæpe levi occasione succiditur, visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentia baptizandi concessa, imo oblata, cuncta antevenire pericula, baptismi tamen solemnitatem vel in paucis cum Dominica resurrectione, cui similis est celebrare. Quarta ergo feria novæ Ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur scrutinia. Scrutinia vero dicuntur a scrutando, videlicet quia perscrutandum erat in his qui ascendebat, ne qua radix amaritudinis subesset, velut fuit in Simone Mago (*Act.* VIII), in hæreticis et hæresiarchis quamplurimis, ut sancta non illis darentur, nisi prius Christiana fides in mentibus eorum radices altas fixisset. Cur autem

(11) D. Hieron. Apol. adv. lib. *Ruf.* lib. II 33, édit. Migne.

hac potissimum die celebrentur, vel subsequentium usque ad passionis Dominicæ diem numerus dierum mysterium contineat, jam dicendum est.

CAPUT XIX.

Cur quarta feria fiant scrutinia.

Idcirco quarta feria potius quam quinta, vel sexta, maximum scrutinium celebratur, ut jejunantes, et vasa sua suscipiendæ gratiæ præparantes, quindecim dies jejunii usque ad diem quo Dominus est crucifixus, habeant, quia quinta decima luna Dominus noster, verus Agnus, immolatus est. Quod a magno mysterio non vacat. Luna namque paschalis, de qua Dominus ait ad Mosen : « Mensis iste principium vobis mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus tollet unusquisque vestrum agnum, et servabitis eum usque ad quartum decimum diem (*Exod.* XII ; *Levit.* XXIII). » Luna, inquam, hæc paschalis (lunares enim soles menses noverunt et computant Hebræi) sanctam Ecclesiam significat, ab eodem vero sole illuminatam, quæ in plenitudine fidei passionem ejus suscipiens, commoritur illi et consepelitur in sacramento baptismatis. Igitur quoties Ecclesiæ nova soboles ad commoriendum Christo præparatur, ut numerus dierum præparationis ejus, id est arctioris jejunii ætati lunæ, quæ illam significat, exæquetur, feria quarta scrutinia celebrantur. Nam, si sexta feria potius celebrarentur (quæ quinta decima est die Dominicæ crucis) non nisi tredecim jejunii dies eorum præparationi restarent. Duæ namque Dominicæ intercurrunt. Dominicis autem diebus jejunare non licet. Igitur, dum quarta feria scrutinia celebrantur, et sequentes quindecim dies jejuniis atque doctrinæ fidei expenduntur, nova Ecclesia, « pulchra ut luna (*Cant.* VI), » ad plenitudinem proficit, ut crucifixo plena luna Christo commoriens et conresurgens, illi in baptismo copuletur.

52 CAPUT XX.

Quod hoc scrutinium præcipuum sit septem scrutiniorum.

Sciendum autem hoc non solum agi antiqui moris fuisse scrutinium, sed omnium esse præcipuum. Nam, juxta ordinem Romanum, usque in Sabbatum sanctum in vigilia Paschæ, septem agebantur scrutinia, ut, dum septenario numero implerentur catechumeni, daretur illis gratia septiformis Spiritus sancti. Quorum primum erat tertia quadragesimæ hebdomada, feria secunda, qua magnum hujus diei, scilicet quartæ feriæ scrutinium sic erat ad catechumenos pronuntiandum. Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite, ibidemque sollicita devotione sequenti quarta feria, circa horam tertiam convenire dignemini, ut cœleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruitur, et janua regni cœlestis aperitur, inculpabili ministerio peragere valeamus. Item feria quarta, finitis missarum solemniis, annuntiabat presbyter, ut in ipsa hebdomada reverterentur ad scrutinium, ita dicendo : *Die* A *Sabbati veniente, colligite vos temperius ad ecclesiam illam.* Iterum atque iterum annuntiabat presbyter, qualem diem voluisset, ita dicendo : *Illa feria veniente colligite vos temperius ad ecclesiam illam*, donec septem, ut dictum est, scrutinia complerentur.

CAPUT XXI.

De officio ejusdem quartæ feriæ.

Jam vero hac feria, quam sanctum, quam pium, quam mysticum, secundum ea quæ dicta sunt, sequitur missæ officium. Primum in Evangelio, quod, ut sæpe dictum est, totius officii principale est, catechismi simul atque baptismi sacramentum, speciose a specioso nostræ salutis opifice, Dei Filio, præfiguratum est. Homo enim cæcus a nativitate B (*Joan.* IX), genus significat humanum, magnum utique cæcum, et valde cæcum, qui pulchros oculos ad videndum Creatorem, menti (ubi fulget imago Factoris) inditos, in primo parente principem tenebrarum respiciente, perdidit, atque ideo per hominem a nativitate cæcum, congrue significatur. Cui revocato ad veritatis lumen, dum prædicatur a ministris Christi incarnatio ipsius Filii Dei, cæteraque mysteria, quæ in carne pro nostra salute gessit, *lutum* ipse facit *ex* ipso *sputo*, et linit *super oculos* cæci (*ibid.*). Sputum enim oris et labiorum ejus, in quibus « gratia diffusa est (*Psal.* XLIV). sputum, inquam, quod a capite descendit, significat divinitatem Christi Filii Dei, Verbum bonum, quod eructavit cor Patris (*ibid.*), qui, ut ait Apostolus : C « Christi caput est (*I Cor.* XI). » Expuit namque caput Deus in terram et sputum suum pulveri, quem omnis ventus agitabat et circumferebat, univit, quando Verbum suum eructavit cor ejus in terrenum uterum Virginis, et pulveri nostræ naturæ in unam personam conjunxit, ut a tali tantoque sputo tantillus pulvis formam stabilem, speciemque atque decorem accipiens, conservaretur. Igitur, dum hujus incarnationis fides humano generi prædicatur, magni cæci, ut dictum est, oculi luto, quod fecit Dominus, linuntur. Cum autem ita catechizatus idem cæcus ad sacros fontes pervenit, et lavatur fonte visibili, purificaturque virtute invisibili, hoc utique agit, quod Dominus imperavit : *Vade ad natatoriam Siloe et lava* (*Joan.* IX). Fons namque visibilis, invocata virtute Spiritus sancti factus est natatoria D Siloe, id est *missi*, quem ascendens ad Patrem, missurum se esse dixit, et misit discipulis suis Filius Dei. Ille, inquam, missus in natatoriam suum descendit, et illitos oculos fide Christi, sua remissione lavat a peccatis, illuminat agnitione Dei. Ab hoc quasi capite universa membra pendent officii. Primum in introitu, vox prophetica : *Dum sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de universis terris, et effundam super vos aquam mundam* (*Ezech.* XXXVI), etc. Sanctificatur enim Dominus in catechumenis, dum audiunt, et credunt quia sanctus est, et ideo effusa super se aqua munda, id est Spiritu sancto, per quem hæc visibilis aqua mundatur et mundifi-

cat, emundati ab omnibus inquinamentis suis, sic deinceps vivant, ut testimonio sint eis, quod sanctus sit, cujus præcepto et ipsi sancti sunt (*Levit.* xx, xvi). Hoc in utraque lectione diversis verbis, sed eodem sensu repetitur. Nam in primo, quæ est Ezechielis prophetæ, idem, quod in introitu cantatum est, legitur, et additur : *Et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* xxxvi), etc. Cor namque carneum, id est molle ac tenerum, et facile cedens novam legem scribenti digito Dei, habent catechumeni nostri, dum inscriptam sibi capiunt doctrinam fidei, quam non capiunt, qua constringuntur lapidea corda Judæorum, quorum in typum confractæ sunt priores tabulæ, quas præciderat Moses (*Exod.* xxxii), et aliæ præcisæ in typum gentium (*Exod.* xxxiv). In secunda, dum dicit Esaias : *Lavamini, mundi estote. Et si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (*Isa.* i), nihilominus remissio peccatorum, quæ accipitur in baptismate, commendatur. Gradualia quoque pulchre atque consone ad eumdem sensum concinunt. Cujus enim, nisi catechizantis novam sobolem Ecclesiæ, vox est : *Venite, filii, audite me, accedite ad eum et illuminamini ?* (*Psal.* xxxiii.) Nam ut juxta Evangelium paucis immutetur verbis, idem est ac si dicat : Venite, cæci, ut luto, quod fecit Dominus ex sputo, vestri liniantur oculi, accedite ad natatoriam Siloe, et illuminamini. Hoc autem, quod duæ lectiones totidemque gradualia præsens accumulat officium, sacramenti celebritas poposcit, videlicet ut propter augmentum filiorum habeat quoque spiritualium augmenta ciborum. Lecto autem Evangelio, in quo sæpe dictus cæcus illuminatus et extra synagogam ejectus, Filium Dei foras invenit, imo a Filio Dei foras inventus est, *et procidens adoravit* (*Joan.* ix), conveniens huic significationi sequitur offerenda : *Benedicite, gentes, Deum nostrum* (*Psal.* LXV). Nam in psalmo illo, de quo sumpta est, juxta sacram expositionem venerabilium doctorum, loquuntur apostoli, exhortando gentiles laude inenarrabili, et opere et voce Deum laudare, et de occulto et terribili judicio ejus, quo illos assumpsit, et populum sibi ante peculiarem et electum repudiavit, intra se expavescere et timere, ne forte, si naturalibus ramis non pepercit, quia inobedientes fuerunt, imo, quia cæcum illuminatum extra synagogam ejecerunt, id est gentibus cadentibus communicare noluerunt, nec ipsis parcat, si superbiant (*Rom.* xi). Bene ergo de psalmo illo, utpote de voce apostolorum, qui magnum cæcum, id est omnes gentes, catechizaverunt, offerenda hæc sumpta cum versibus suis ad rem concinit, maxime in eo quod dicimus : *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui* (*Psal.* LXV), etc. Mentiti sunt enim inimici ejus, dicentes : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit demonia (*Matth.* xii), » cum ipse in digito Dei ejecerit. Hoc autem illud præibat **53** agendum, quod in catechismo Christianæ fidei spiritualem induunt, cæteris a bonis detrahebantur per idololatriam possessi, quos ipse fortis armatus in atrio suo custodiebat in pace (*Luc.* xi). Bene ergo et venerabiliter canimus hac die, quæ de hac ejectione multitudinem dæmoniorum confusionem et ejus Judæi, quod non habet spiritum Dei. Sed frustra. Nam illis blasphemantibus hoc fit quod sequitur : *Omnis terra adoret te. Venite et videte opera Dei, quam terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV), videlicet in illius prioris populi abjectione, et gentium assumptione. Communio quoque canora, ac suavi modulatione acutas voces efferens, gratulabunda prædicatione sive testificatione humani generis, incarnationem Filii Dei confitentis, juxta illud : *Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal.* cxv). Et sicut indignantibus et maledicentibus Pharisæis, et extra synagogam ejicientibus, non tacebat ille, dicens : *Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, et linivit oculos meos et modo video* (*Joan* ix), sic beati illi, quibus ait Dominus : *Beati eritis, cum oderint vos homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis* (*Luc.* vi), quanto magis maledicunt eis inimici Christi, et eos eorum opprimunt, tanto magis prædicant scientes, et intelligentes lutum illud, id est incarnationem Christi, illuminationem omnium esse videntium.

Ad introitum.

Ubi aguntur scrutinia, proprie quoque collectæ pro catechumenis dicuntur.

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, Ecclesiam tuam spirituali fecunditate multiplica, ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cœlestes.

Secreta.

Remedii sempiterni munera, Domine, lætantes offerimus, suppliciter exorantes, ut eadem nos et digne venerari, et pro salvandis congruenter exhibere perficias per Christum.

Complenda.

Tu semper, quæsumus, Domine, tuam attolle benignus familiam, tu dispone correctam, tu propitius tuere subjectam, tu guberna perpetua bonitate salvandam per Dominum nostrum.

Cur statio ad S. Paulum

Considerata, ut dictum est, scrutiniorum ratione, perspicuum est quod statio ad Sanctum Paulum præscripta, valde rei conveniat. Ipse enim magnus et mirabilis catechizator orbis terrarum, et, ut ipse ait « doctor gentium in fide et veritate (*I Tim.* ii), » ipse idem magnifice et mirabiliter catechizatus est, quia « Non ab homine, neque per hominem, sicut ipse ait ad Galatas, Evangelium meum, quod evangelizatum est, non est a me, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi (*Gal.* i). » Cum voce namque, quam de cœlo corporaliter audivit, qua carnalis ejus sensus percussus et occisus est (*Act.* ix), incorpoream quoque

vocem accepit cœlestis magisterii, quam per triduum audiens, juxta magistri catechizantis efficacissimam potentiam, ipse quoque catechumenus mirabilis, perfectus redditus est doctor Evangelii. Nec longe dissimilis illi cæco evangelico utpote corporaliter cæcus ad natatorium baptismi salutaris missus est, ubi et corpore et anima illuminatus, disceptantibus contra se Pharisæis, omnibus Christi inimicis, enarrare non desiit, quid fecerit sibi homo, qui dicitur Jesus, quomodo sibi aperti sunt oculi, et lutum ipsum quod fecit ex sputo Dominus, id est incarnationem Verbi Dei, omnibus ostendere non cessavit (*Act.* XVIII). Propter quod et maledixerunt ei, et extra synagogam suam ejecerunt, quinquies quadragenis una minus cæsum. (*II Cor.* XII).

CAPUT XXII.

De Fera quinta.

Feria quinta in Evangelio, ubi ait Dominus : *Pater meus usque modo operatur, et ego opero.* (*Joan.* V), ut indicet nobis, quomodo operetur, et non falsum dixerit Scriptura per Mosen ministrata, quia « Deus requievit ab omnibus operibus suis in die septimo (*Gen.* II), » ut, inquam, indicet, quia tunc operatus est, cum fecit mundum, et usque nunc operatur, cum regit mundum, paulo post subjungit : *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V). Quod se dixisse ostendens de resurrectione, quæ nunc fit, « qua transeunt homine, ut ait beatissimus Augustinus (12), a morte infidelitatis ad vitam fidei, a morte falsitatis ad vitam veritatis, a morte iniquitatis ad vitam justitiæ. » *Amen,* inquit, *dico vobis quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte ad vitam* (*ibid.*) « Et hoc attendite, inquit idem Augustinus (13). Non nunc transit, sed jam transiit a morte ad vitam. » Ac deinceps : *Amen,* inquit, *dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* : « Non, inquit (14), quia vivunt, audiunt, sed quia audiunt, reviviscunt. » Per quod amplius claret de hac resurrectione hæc dici, qua mortui in infidelitate et ignorantia Dei sic resurgunt, ut prius audiant, et audiendo reviviscant. Ista resurrectione, si recte credimus, resurreximus, et nosipsi, qui jam resurreximus, alteram in fine resurrectionem exspectamus. Huic Evangelio recte præmittitur illa lectio libri Regum, de filio Sunamitis, quem puer ab Heliseo missus cum baculo, non resuscitavit. Per semetipsum vero Helisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc illucque deambulans, et in ore pueri septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per mysterium compassionis animavit (*IV Reg.* IV). Eamdem enim resuscitationem humani generis, quæ fit per fidem, de qua supra dictum est in Evangelio, teste beato Gregorio, hæc pueri resuscitatio significavit « Auctor, inquit (15), humani generis Deus mortuum puerum doluit, cum exstinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit : et quia per Mosen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cum dicebat : Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte, timor suscitare non valuit, sed ad statum vitæ apparata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante : « nihil « ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* VII). » Ipse autem per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens, ad exæquanda sibi mortui membra se collegit : « Quia cum in forma **54** Dei esset, « non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, « sed semetipsum exinanivit, formam servi acci« piens, in similitudinem hominum factus, et habitu « inventus ut homo (*Philipp.* II). « Huc illucque deambulabat, quia, et Judæam juxta et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies spirat, quia per operationem divini muneris gratiæ septiformis Spiritum in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque juvenis erigitur, quia is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris Spiritum puer ad vitam rediit. »

CAPUT XXIII.

De feria sexta.

Feria sexta legitur Evangelium de resurrectione Lazari. Notum est mysterium hujus miraculi, et pene a cunctis doctoribus celebratum, quod videlicet Lazarus, quem amabat Dominus, de quo ipse ait : *Lazarus, amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem illum* (*Joan.* XI), et cujus sorores sæpe Domino ministraverant, typum gesserit jam fidelis et intra Ecclesiam positi hominis, qui cum sit amicus Domini nostri Jesu Christi per fidem, moritur illi per iniqua operationem, et in sepulcro malæ conscientiæ, consuetudine scelerum obrutus, jamque fetens per infamiam, tandem per occultam inspirationem Dei magno timore futuri judicii, quasi magno Salvatoris clamore concussus, ad vitam pœnitendo resilit, et male sepulcrum conscientiæ per ultroneam aperiens confessionem, vinculis peccatorum meretur absolvi, quia vivit. Hoc autem in filio mulieris Sarephtanæ præfiguratum est, ad quam Helias Domino jubente ierat, relicta apud carnalem Israel siccitate et fame. Nam et illa mulier, ut jam superius dictum est, Ecclesiam de gentibus mystice significavit quæ legem et prophetas, imo Christum, qui ipsis agnoscitur, tanquam Heliam hospitio fidei suscepit. Filius vero hujus viduæ, unusquisque fideles est, qui tunc moritur, quando dignum morte

(12) S. Aug. in Joan. tract. 19, n. 8 ; Patrol. tom. XXXV, edit. Migne.
(13) Ibid., n. 7.
(14) Ibid., n. 10.
(15) S. Greg. lib. IX. Moral. c. 4, in Job X ; Patrol. tom. LXXV, edit. Mign.

peccatum admittit. Et quod in clamore Domini Lazarum evocantis significatum est, in cujus domo et ipse a sororibus ejus pascebatur, hoc idem in clamore Heliæ præcessit clamantis ad Dominum, et dicentis : « Obsecro, Domine, etiamne viduam, apud quam ego utcunque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus ? » (*III Reg.* XVII.) Ad hoc quoque, quod Lazarum amicum suum appellavit Dominus, pulchre convenit illud quod hic fuisse dicitur filius Amathi, id est veritatis. Affirmant enim Judæi, quod Jonas fuerat istius Sareptanæ viduæ filius, quem resuscitavit Helias, matre postea dicente ad eum : « Nunc cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Dei in ore tuo verum est (*ibid.*). » et ob hanc causam, ipsum puerum Amathi vocitatum ; Amathi namque ex Hebræo in Latinam linguam, *veritas* dicitur, et ex eo quod Helias verum locutus est, ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis. Sed et hoc quod mortuum ut suscitaret Helias, supra lectum suum posuit, a mysterio non vacat. Lectus namque Heliæ, catholicam Christi designat Ecclesiam, in qua sola per remissionem peccatorum mortuæ reviviscunt animæ. Nam de hac Ecclesia dicitur in Canticis canticorum : « En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt (*Cant.* III.) » Supradictam ergo lectionem Evangelii bene, et consonanter ista de libro Regum lectio præcurrit.

CAPUT XXIV.

De feria septima Sabbato.

Sabbato hoc Evangelium ponitur, in quo Dominus cum dixisset : *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII), obviantibus Judæis et dicentibus : *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*ibid.*), evincit eos firmo et vero argumento, dum dicit : *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est* (*ibid*). Et statim proponit, quod necessario concedendum sit : *In lege vestra scriptum est* : *Quoniam duorum hominum* A *testimonium verum est* (*ibid.*). Et protinus adjungit : *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater* (*ibid.*). Quod et ipsum concedi oportet. Palam namque est auditum testimonium Patris dicentis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III). » Et mortui resuscitati, etc., quæ ostendebat eis ex Patre suo opera bona, testimonia erant de ipso, tam Patris quam Filii. Testimonium ergo verum atque fidele falso calumniabantur, contra legem suam prævaricatores legis. Ad hæc, quæ procurrit lectio prophetica, pulchre accedit in eo quod ait : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus* : *Ecce gentem, quam nesciebas vocabis*, videlicet tuus ipse testis, *et gentes, quæ non cognoverunt te*, B *ad te current, propter Dominum Deum tuum, et Sanctum Israel, quia glorificavit te* (*Isa.* LV). videlicet juxta hoc quod de illo dicis : *Et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*. Idcirco namque gentes credendo ad Filium currunt, quas nesciebat, quia ipsum Filium Patremque Deum, qui duo testes sunt, quia duæ personæ, sed non duo illi sunt, fideles et idoneos comprobant quorum testimonium recipiant, ex dictis et ex factis utriusque, certum tenentes quod ipse Filius ad ipsorum salutem a Patre missus sit. Sed et in eo, quod ait in Evangelicæ principio lectionis : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII), etc. ; et in eo quod in propheticæ lectionis exordio prædictum est : *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV), etc., summa utriusque consonantia C est. Nam et illa lux inebriat, et hæc aqua sapientiæ potatos illuminat, testante Psalmista, qui cum dixisset : « Quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* XXXV), » protinus subjunxit : « Et in lumine tuo videbimus lumen (*ibid.*). » Una eademque sapientia Dei Patris, fons est vitæ lumenque de lumine. Et de utroque præmissum est : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ (*ibid.*). »

LIBER QUINTUS.

55 CAPUT PRIMUM.

De Dominica in Passione Domini.

Præcedenti vespera Dominicæ hujus, annua Dominicæ passionis celebritas inchoatur. Cur autem tot dies ante illum diem, quo crucifixus est Dominus, incipiatur, ex Evangelio Joannis animadvertere possumus. Ait enim : Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? (*Joan.* XI.) » Et cum prophetasset unus ex ipsis Caiphas nomine, qui erat Pontifex anni illius, quod expediret unum hominem mori « pro gente et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (*ibid.*) » secutus adjungit evange- D lista : « Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum (*ibid.*). » Ac deinceps : « Jesus ergo jam non palam apud Judæos ambulabat, sed relictis illis, abiit juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Effrem, et ibi morabatur cum discipulis suis (*ibid.*). » Et quando concilium illud habitum sit, item ex consequentibus colligi potest. Sequitur enim : « Proximum autem erat Pascha Judæorum, et ascenderunt multi in Hierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos (*ibid.*) » Plane per hoc, initium primi mensis tunc exstitisse commendatur, quando Lazarus suscitatus est, propter quod signum non multo post concilium habitum est. Moris enim Judæis erat, ex præcepto legis, sanctificare seipsos

ante Pascha, ipsamque sanctificationem initiari prima die mensis primi : qua die et tabernaculum dedicatum est, sicut in Exodo legimus, loquente Domino ad Mosen : « Mense primo, prima die mensis eriges tabernaculum testimonii, et pones in eo arcam (*Exod.* XL), » etc. Et paulo post : « Assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur (*ibid.*), » etc. Illud quoque non prætereundum quod ejusdem mensis initium, id est luna prima, in sexta feria tunc exstiterit. Siquidem sexta feria, qua Dominus crucifixus est, quinta decima exstitit, ac per hoc ita esse, ut dictum est, nemo qui dubitat. Nam quinta decima in eamdem feriam semper occurrit, in quam et prima. Igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam ecclesiastici compositor officii supradictum Evangelium de resuscitatione Lazari non sine causa sexta feria legi voluit, quæ quinta decima dies est ab illa, qua Dominus crucifixus est. Ex his, inquam, quæ dicta sunt, datur intelligi quod Dominus ipso die neomeniæ Lazarum suscitaverit. Delectat valde legitimus hic Regis nostri processus, legitimus et sanctus summi Sacerdotis nostri clangor in die neomeniæ hujus. Ipsi qui quondam jusserat filiis Israel per Mosen, dicens : « quando exibitis ad bellum contra hostes, qui dimicant adversum vos. Si quando habebitis epulum, et dies festos et Kalendas, clangetis tubis super holocaustis et pacificis Victimis (*Num.* X). » Ipse rex noster exiturus ad bellum passionis, contra diabolum principem mundi, ipse summus sacerdos noster habiturus epulum corporis et sanguinis sui, quod cum traderet discipulis suis : « Desiderio, inquit, desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar (*Luc.*, XXII). » Habiturus diem festum suæ sacrosanctæ resurrectionis. Habens, inquam, Kalendas, id est initium mensis vel lunæ, cujus in plenitudine hæc facturus erat, clangit tuba tanti tamque excellentis miraculi, quo et hostes suos attonitos reddidit, et corda piorum magis ac magis ad credendum animavit. Namque et hostes ejus turbati dicunt : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum (*Joan.* XI), et plebs ad credendum magis animata præcipue propter hoc signum, postmodum illi venienti Hierosolymam cum palmis et laudibus obviam processit. Suscitato autem Lazaro, non longum erat ut hoc Pharisæi audirent. Bethania namque ab Hierosolymis quindecim tantum stadiis, id est non integris duobus distat milliariis. Et ex Judæis, qui fuerant cum Jesu, quando illum suscitavit : « Quidam, inquit evangelista, abierunt ad Pharisæos et narraverunt eis quæ fecit Jesus (*Joan.* XI). » Nec mora fuit post hoc colligendi concilii. Mox enim sic evangelista conjungit : « Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium. » Rursus non longum erat aut difficile tunc illud colligi. Cum enim, ut ait evangelista, quia « proximum erat Pascha Judæorum, multi ascenderunt Hierosolymam, ut sanctificarent seipsos, » tunc vero præcipue pontifices et Pharisæi, qui erant clerici Judæorum, si qui forte

A ex ipsis procul aberant, solemniter convenerant. Continuata quoque duorum solemnitas dierum, id est Sabbati et neomeniæ, quæ, ut supra dictum est, pridie fuerat, agendo concilio frequentiores atque expeditiores reddiderat. Nihil igitur repugnat, quin eodem Sabbato (cujus in vespera Dominicæ passionis annuam inchoamus memoriam) illud impiorum concilium collectum fuerit, et quin ab illo die cogitaverunt, ut interficerent eum, idcirco in vespera, quasi post horam ejusdem concilii, luctum publicum incipiat Ecclesia suo Domino per omnia compatiens, ut corpus capiti. Hac ergo Dominicæ passionis, ut dictum est, commemoratione inchoata, res digna spectaculo procedit. Præmissa namque per septem Dominicas **56** superius digestas, quasi pompa funeB ris, et secundum ritum officii procedente Ecclesia in ordine suo per totidem ætates sæculi, tandem ipsa mors Christi, cui omnis illa pompa præordinata est, effertur præ oculis et piis fidelium mentibus, ingeruntur vulnera, cunctaque mortis insignia, quæ pertulit pro cunctis unica salus, Deus et homo Christus, Dei unigenitus. Nihil quippe tam frequens quam prodeuntia vexilla regis, fulgidumque mysterium crucis. Acetum quoque, fel et arundinem, clavos et lanceam perforati corporis, tam in nocturnis quam in diurnis meditamur canticis, quæ de authenticis Veteris pariter ac Novi Testamenti Scripturis congesta sunt. Sicque fiunt comæ capitis Ecclesiæ, id est cogitationes cordis ejus, « quasi purpura regis juncta canalibus (*Cant.* VII), » dum C passionem Redemptoris meditatur, sensum suum authenticis adhibens Scripturis, videlicet pretiosis purpuræ tincturis, quæ per opera prophetarum et apostolorum, velut per quosdam canales, Spiritu sancto conficiente, profluxerunt.

CAPUT II.

Cur « Gloria Patri » non dicimus.

Verumtamen hac Dominica totaque hebdomada luctus ille remissior est, quia non statim post habitum concilium traditus est Agnus in manus lanistarum impiorum, ut portaretur ad victimam, sed quia jam ex tunc quæri cœpit, et quia mandatum dederant pontifices et Pharisæi, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum (*Joan.* XI), et quia « Jesus jam non palam ambulabat apud Judæos (*ibid.*), » nos quoque cum illo quodammodo D secedimus, dum vocem lætitiæ et laudis aliquantulum supprimimus. Nam de responsoriis, *Gloria Patri* subtrahimus, et apud quosdam ad missas quoque cum introitu officii non dicitur. Siquidem, brevis licet versiculus, quia sanctæ Trinitatis magis expressa magisque propria laus est, bene capitis nostri solitudinem atque silentium non palam ambulantis, dum non dicitur, significat.

CAPUT III.

Cur hac Dominica Hieremias legatur.

Hieremias quoque propheta competenter per hos dies ad nocturnas legitur vigilias. Hic enim non solum dictis, sed et passionibus suis Redemptoris

nostri passionem præfiguravit, et in eo quoque quod in eisdem tribulationibus suis non decessit, sed ruinæ civitatis vel templi superstes fuit, quamvis post hæc a populo descendente in Ægyptum lapidatum illum Judæi autument, et in eo, quod secundum prophetiam ejus, captus est Sedechias, et occisis filiis ejus oculos quoque ipsius eruit rex Babylonis. Nam et Redemptor noster, cum putaretur et desideraretur exstingui et conteri de terra viventium, juxta illud : « inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur et peribit nomen ejus (*Psal.* XL), » cunctis tribulationibus suis et morte atque inferis emersit, et superstes fuit, imo est atque erit parricidæ civitati, quæ, cum vocaretur Hierusalem, pars illius meritis effecta est, « quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus (*Apoc.* XI). » Et secundum prophetiam ejus, qua dixit : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut non videntes videant, et videntes cæci fiant (*Joan.* IX), » captus est, in superbia sua Judaicus populus, et occisis filiis ejus, id est carnalibus legis operibus, in quibus nihil vitalis gratiæ Dei remansit, insuper oculos ejus eruit spiritualis Nabuchodonosor, scilicet diabolus, et obscurati sunt oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurvatur (*Psal.* LXVIII). Bene itaque Hieremias propheta per hos dies legitur, Christi Domini passionem in suis pressuris designans, futuramque abjectionem gentis Judaicæ sub typo ejus captivitatis, quæ tunc acciderunt, lacrymosis lamentationibus deplorans.

CAPUT IV.

De officio ejusdem diei.

Totum missæ officium illud personat, quod per eamdem passionem Domini erat futurum, videlicet quod deserendum erat vetus sacerdotium Judæorum, per ipsum Novi Testamenti mediatorem, novique sacrificii pontificem. Quod et sanctum Evangelium mystice significat, et præcurrens apostolica lectio manifeste denuntiat. Nam cum dixisset Evangelista : *Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum*, statim adjecit : *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo* (*Joan.* 8). — « Et quid abscondendo se, ait B. Gregorius (16), Dominus designat, nisi quod eis ipsa veritas absconditur, qui ejus verba sequi contemnunt ? Eam quippe, quam non invenit humilem, veritas fugit mentem. » Hoc ergo innuit, quod templum et universa Judæorum sancta, propter superbiam et duritiam cordis eorum deserturus esset, cunctæque præsides templi virtutes quas Josephus testatur auditas esse, dicentes : Transeamus ex his sedibus, essent meliores aditturæ sedes, quas inhabitante Domino et ipsæ protegerent. In lectione autem Epistolæ dicit Apostolus : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum* (*Hebr.* IX), etc. Quibus dictis aperte declarat, ad quæ meliora de templo Judæorum exiens pontifex noster emigraverit. Introitus vero : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII), etc. Itemque illud in graduali : *Eripe me de inimicis meis* (*Psal.* XVII), voces sunt ejus exeuntis templo et orantis secundum humanitatem, ut manifesto discrimine discernatur causa ejus, scilicet fides Evangelii a justificationibus legis, quod et factum est in eo, quod et templum destructum est, et sacrificia Judæorum abolita sunt. Nam etsi stetisset potentia Judaici regni, cultusque templi veteris majori fuissent impedimento Christianæ fidei quia non facile discernere possent carnales, et infirmi vacuitatem veteris sacerdotii, si fulciretur prosperitate et gloria temporali. Quomodo ergo prius mortuus est Moses, et postmodum filii Israel Josue duce transierunt Jordanem, sic expediebat prius destrui templum, veteremque sacerdotium ut absque scrupulo ad salutarem Christi transiremus baptismum. Quod autem in graduali sequitur : *Doce me facere voluntatem tuam* (*Psal.* CXLII), illud est quod cum imminente mortis articulo, dixisset orans : « Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI), » postulans, non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis propinatum biberet calicem, unde et signanter non dixit, Transeat a me calix, sed calix iste. » Cum, inquam, hoc orasset, revertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei Filique confirmat : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (*ibid.*). » Deinde, tanquam si requiras cur de templo aversus et iratus exierit, sequitur in tractu ; *Sæpe*, inquiens, *expugnaverunt me a juventute mea* (*Psal.* CXXVIII), id est ab Ecclesiæ primordiis, « a sanguine Abel justi (*Matth.* XXIV), » sæpe, inquam, expugnaverunt me, in membris meis, in corpore meo, quod est Ecclesia, occidendo prophetas, et lapidando eos, qui ad se missi sunt (*Matth.* XXI), « et prolongaverunt iniquitatem suam (*Psal.* CXXVIII) » **57** perseveranter occidendo usque ad meipsum, de quo nunc dicunt : « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Matth.* XXI). » In offerenda : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo* (*Psal.* CX), præmium reposcit obedientiæ, « factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II), dum dicit secundum formam servi : « Retribue servo tuo, ut vivam (*Psal.* CXVIII), id est ut resurgam, *et tunc custodiam*, id est custodiri faciam, *sermones tuos, vivifica me secundum verbum tuum* (*ibid.*), id est per inhabitantis in me verbi tui potentiam. Sequens versus juxta evangelica verba, quæ prædicta sunt : *Quis ex vobis arguet me de peccato? Qui est ex Deo, verba Dei audit* (*Joan.* VIII), immaculatos beatificat, « qui ambulant in lege Domini, et scrutantur testimonia ejus (*Psal.* CXVIII). » Alius quoque versus, *viam veritatis elegi*, totus vocalis, dictis elegans neumisque canorus, vox est devotæ fidei, conterritæ et excitatæ de hoc, quod paulo ante audivit : *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* (*Joan.* VIII). Cum enim hunc Ecclesiæ chorus cum vociferatione extollit, exsilire

(16) S. Greg. XL Hom. in Evang., hom. 18, 5, Patrol. tom. LXXVI, edit. Migne.

videtur de cœtu illorum qui coarguuntur non credentes veritatem: dicenti, quique propterea verba Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt, apprehendensque vexillum veritatis: *Da mihi*, inquit, *intellectum* (*Psal.* cxviii), etc. Juxta quod ad hoc dicunt apostoli: « Adauge nobis fidem (*Luc.* xvii).» Communio. *Hoc corpus quod pro vobis tradetur* (*Matth.* xxvi), notissima et percelebris est vox hæc summi sacerdotis Christi, novi testamenti mediatoris, de templo sæpe dicta egressi et secundum præcedentis Epistolæ dicta, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introeuntis semel in sancta (*Hebr.* ix). Cujus sacerdotii, quia beatus Petrus primus hæres, primusque post Christum tempore, et dignitate pontifex est, quem et dicentem : « Sequere me (*Joan.* xxi), » secutus est simili more cinctus, et quo nolebat adductus, recte ad ipsum statio præsenti officio præscripta est.

CAPUT V.

De consonantia ferialium lectionum.

Feria secunda legitur hoc Evangelium, in quo dictum est : *Miserunt pontifices et Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum* (*Joan.* vii). Sequitur: *Jesus autem dixit eis: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui misit me* (*ibid.*). Et quid, deinde illis eventurum esset subjungit: *Quæretis me, et ubi ego sum, vos non potestis venire* (*ibid.*). scilicet muro infidelitatis obsistente. Quod dicto perspicue se, relictis illis, ad gentes commigraturum esse minabatur. Unde illi quoque quasi divinantes dicunt : *Nunquid in dispersionem gentium iturus est, docturus gentes?* (*ibid.*) Huic Evangelio recte illa præmittitur lectio de Jona, qui prædicare nolens Ninivæ civitati magnæ, fugit in Tharsis, et fluctibus maris se tradidit (*Jon.* iii), desertionem utique gentis suæ veritus futuram, ut ait Hieremias, cum gentilibus Deus innotesceret. Jonas enim quod interpretatur *columba*, qui missus prædicare Ninivæ civitati gratiam Dei, Christum significat Dominum ad salutem totius mundi a Deo Patre missum. Nam sicut Jonas magnam Niniven nolens adire, potius maris fluctibus se tradidit, sic Dominus noster corporali præsentia gentes adire nolens, intra seditiones Judæorum persequentium remansit (*Joan.* viii). Efferbuit mare, « et timuerunt nautæ (*Jon.* i).» Audiens enim Pilatus accusationem dicentium : quia « Filium Dei se fecit, magis timuit (*Matth.* xxvii), » tandemque persistente gravi fluctatione clamantium « crucifige, crucifige (*ibid.*), » lotis manibus in modum nautarum, qui dixerunt, « quæsumus, Domine, ne des super nos sanguinem innocentem (*Jon.* i), » dicensque : « Innocens ego sum a sanguine justi hujus (*Matth.* xxvii), » tradidit illis Jesum, ut crucifigerent, quasi mari immittens. Et absorbuit eum cetus, id est mors, sed ardente ventrem ejus divinitatis igne, tertia die vivum rursus evomuit. Et tunc demum ad prædicationem ejus territa Ninive magna, scilicet mundus, trina mersione baptismi, quasi triduana pœnitentia salvatur, et hedera, quæ A obumbrabat capiti Jonæ, videlicet Judæa, quondam habitaculum Christi, aruit.

Feria tertia, ubi dictum est in Evangelio : *Ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat ire in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere* (*Joan.* vii), et paulo post tamen : *Et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto* (*ibid.*), sequitur *Judæi ergo quærebant eum in die festo*, dicentes : *Ubi est ille? Et murmur multum erat de eo in turba. Alii dicebant: Quia bonus est: alii: Non, sed seducit turbam.* Huic sane Evangelio nonnulla similitudine congruit illa, quæ præmittitur lectio de propheta Daniele, licet in Hebraico non habeatur, quod congregati Babylonii adversus regem, dixerunt : *Trade nobis Danielem, qui Bel destruxit et* B *draconem interfecit* (*Dan.* xiv), etc. Nam et Judæi vere et spiritualiter Babylonii (*I Petr.* v), qui nunc quærebant Jesum, tandem congregati adversus præsidem Romanæ potestatis, Pilatum, quæ Roma scribitur et est spiritualiter Babylon (*Apoc.* xviii). petierunt excitata seditione, ut sibi traderet illum, feceruntque sicut ipse queritur per prophetam : « Deduxerunt in lacum mortis vitam meam, et posuerunt lapidem super me (*Thren.* iii) » Cumque victor leonum, scilicet malignorum spirituum, vivum se iterum præbuisset, » exclamavit rex Babylonis » videlicet Romanum imperium voce magna dicens: « Magnus est Deus Danielis (*Dan.* xiv).» Voce, inquam, magna Magnus quippe sonus exstitit, cum primum imperator Romanæ urbis, magnæ utique Babylonis, fidem C Christi suscepit. « Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta (*I Petr.* v), » inquit apostolus Petrus, Romam tropice percutiens.

Feria quarta in Evangelio, circumdantes Judæi Dominum, dicunt : *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* x). Et respondens Jesus: *Loquor*, inquit, *vobis et non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me* (*ibid.*). Et post aliqua subjecit : *Ego et Pater unum sumus* (*ibid.*). Audiat Arius, *unum sumus*, audiat Sabellius, quia non dixit unus, sed *unum*. Volentibusque eum lapidare, et de blasphemia calumniantibus: *Et si mihi*, inquit, *non vultis credere, operibus credite* (*ibid.*). Hic, quia non solum Christum, quod quærebant, sed et Deum se esse protestans, quod intelligere nolunt D hæretici, cum intellexerint Judæi, dixerunt : *Quia tu homo cum sis facis teipsum Deum* (*ibid.*), recte illa præmittitur lectio, qua patribus eorum per singula pene præcepta Dominum se prostestatur, et Deum tanquam contumacis servi cervicem duram contundens (*Levit.* xix). Nam et isti, filii rebellium et incredulorum tentatorum et murmurosorum tentantes, et cervicem suam obdurantes hoc merebantur, ut quemadmodum corpora illorum prostrata sunt in deserto (*Num.* xiv), sic ipsi longe a repromissione pellerentur, stantes contra sanguinem proximi, et cuncta supradictæ lectionis præcepta transgredientes.

Feria quinta totum lugubre officium, sterilitatem

deplorat Judaicæ gentis, quæ in morem salicum virilitatem habens per legis scientiam, nullum tamen fidei aut boni operis fructum referebat. Ipsi namque, ipsi præcipue Judæi, qui Domino prædicante obsurduerant, quibus **58** ipse dixerat : « Cantavimus vobis et non saltastis (*Matth.* XVII), » salices erant illæ, de quibus eadem die sub persona antiquorum sanctorum atque novorum luctuose cantatur : *In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra* (*Psal.* CXXXVI), etc. Nam ex quo pretiosum illud humanitatis Christi organum in ligno crucis confregerunt, cui dicit Pater in psalmo : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVII), » suspenderunt organa sua sancti Patres et prophetæ ad salices illas, quia propheta nullus ad Judæos extunc missus est, et ipsos prophetarum libros, quos legunt, quia non intelligunt, velut organa suspensa vacarei permittunt. Videndum ergo quid tam lugubri officio consonum sit in ejusdem diei Evangelio : Reversi ministri, quos miserant pontifices et Pharisæi ut apprehenderent Jesum, reversi, inquam, sine crimine, pleni admiratione, cum dicerent eis illi : *Quare non adduxistis eum, responderunt: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur* (*Joan.* VII). Plane hoc dicendo, cunctis organis cunctisque cantoribus quicunque ab initio cantaverunt nobis hymnum de canticis Sion (*Psal.* CXXXVI), dulcissimam illius cautionem, id est doctrinam, veraciter prætulerunt. At illi invidentes et intra semetipsos rixantes, attende quid tandem fecerint. *Reversi sunt*, inquit evangelista, *unusquisque in domum suam* (*Joan.* VII). O salices infructuosæ! Expressius significari non potuit summæ ac salutaris cantilenæ contemptus. Merito ergo in dominibus suis hactenus retrusi [reclusi], quas distribuere non potuerunt hi, qui distribuunt domos Sion, sicut illis in psalmo præcipitur : « Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus (*Psal.* XLVII). » In domibus, inquam, suis, id est in malis conscientiis conclusi non merentur ad publicum revocari, ut audiant organa Scripturarum, quæ illis suspensa sunt, nobis autem dulciter et aperte canunt. At illi conjuncti filiis Edom, imo caput illorum effecti, commisti, inquam, terrenis et sanguineis persecutoribus sanctæ Sion, de quibus eodem die cantamus : *Memento, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem* (*Psal.* CXXXVI), primum illud proprium divinitatis organum supplicio crucis confregerunt, et inde sapientes et Scribas ad se missos occiderunt, flagellaverunt, lapidaverunt, et persecuti sunt de civitate in civitatem (*Matth.* XXIII), et in civitatibus quoque gentium persecutionem apostolis per seditionem excitaverunt (*Act.* XII, XIV), quodammodo dicentes : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI), ut funditus tunc, si possent, nascentem Ecclesiam subruerent. Et sicut in ecclesiasticis historiis legimus, cum spiritualis Nabuchodonosor, scilicet diabolus, Christianos compelleret ad idololatriam, isti nonnunquam vehementis urgebant. Bene ergo supradictum Evangelium lectio præcurrit de libro Danielis prophetæ, quæ est oratio trium puerorum qui secundum historiam super flumina Babylonis sedentes et flentes, et in medio ejus salicibus, id est infructuosis hominibus laudem Dei se frustra canere dolentes, insuper statuam auream adorare jussi, et quia noluerunt in fornacem projecti martyria victoriasque Ecclesiæ præcurrerunt (*Dan.* III). Idcirco autem hac potissimum die convenienter positum est hoc officium, quia post hanc diem nulla legitur Evangelii lectio de eo quod Dominus Judæis publice prædicaverit, et ecce illud divinitatis organum in illis salicibus Babylonis suspensum est.

Feria sexta legitur hoc Evangelium : *Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (*Joan.* XI), causamque suæ sollicitudinis, quasi rationabilem adhibentes : *Et venient,* inquiunt, *Romani et tollent nostrum locum et gentem* (*ibid.*). Nam sub imperio Romanorum erant, quia jam ablatum erat sceptrum de Juda, et dux de femore ejus (*Gen.* XLIX) et Pilatum Romanæ potestatis præsidem habebant. At illi quia sic timuerunt pruinam, irruit super eos nix (*Job.* VI), et duplici contritione contriti sunt (*Jer.* XVII). Nam et locum et gentem perdiderunt, et deleti de libro viventium (*Psal.* LXVIII), in terra scripti sunt. Bene ergo illa lectio, Hieremiæ prophetæ præmittitur adversus canes illos, qui Dominum circumdederunt, adversus illud concilium malignantium quod obsedit illum : *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, et recedentes a te in terram scribentur* (*Jer.* XVII), et post pauca, pravam sollicitudinem eorum intuens qua dicunt : *Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI), *Paveant*, inquit, *illi, et non paveam ego. Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos* (*Jer.* XVII). Quod factum est per Titum et Vespasianum, quando regno Dei jam perdito, locum quoque et gentem perdiderunt. Quamvis autem multoties Judæi Dominum quæsierunt occidere ; nam et lapides non semel sustulerunt ut illum lapidarent, ministros quoque miserunt pontifices et Pharisæi, ut illum apprehenderent. Recte tamen de hoc concilio dixit evangelista : *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum* (*Joan.* XI). Nunc enim quasi non tumultuarie vel populari seditione, aut cum præjudicio, sed legitima judicii sessione sibi videbantur actitare, sollicitudinem suam, ut dictum est, prætendentes, ne cum rex appellaretur, ipsi rei majestatis [læsæ] apud Romanum imperium, sub quo erant, addicerentur.

CAPUT VI.

Cur vacat Sabbato ante Palmas.

Sabbato vacat, quando dominus papa eleemosynam dat, hoc Sabbatum illud est, quo Dominus Bethaniam venit, et in domo Lazari, quem suscitaverat, cœnam habuit, sicut Evangelista refert. « Jesus ergo ante sex dies solemnitatis paschæ venit

Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus quem suscitavit. Fecerunt autem ei cœnam ibi. Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti (*Joan.* XII). Ibi celebri mysterio commendatum est odoriferum opus eleemosynæ. Maria namque typum gessit Ecclesiæ, pedes autem Domini, pauperes sunt infirmi, qui quamvis extrema, tamen ejus membra sunt per conjunctionem et unitatem fidei. Mulier pedes Domini ungit et capillis suis, qui utique corpori superfluunt, extergit, quoties divites qui sunt in Ecclesia, pauperes fideles misericordiæ blandimento refovent, et iis quæ sibi abundant, illorum inopiam supplent. Ut ergo Romanus papa celebrem cum Maria Domino cœnam exhibeat, hoc Sabbato eleemosynam dat, atque ita circa pedes Domini occupato eo, Sabbatum vacat.

CAPUT VII.

Dominica in palmis.

Dominica hac, qua Dominus in civitatem Hierusalem passurus venit, luna decima exstitit. Dohac die præceperat Dominus in lege filiis Israel: « Decima die mensis primi tollet unusquisque agnum per familias et domos 59 suas, et servabitis eum usque ad quartum decimum diem mensis ejusdem, et immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam (*Exod.* XII). » Nota et celebris est mirabilium historia, quæ ante fuerant gesta scilicet quod decem plagis Pharaonem et totam Ægyptum Moses in virga manus suæ percusserit: quibus Pharao, quamvis afflictus, victus tamen non est, donec agnus immolaretur in domibus Israel. Verum quid hoc significaverit, quomodo « hæc omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X), » et ad præsens negotium pertinet, prætereundum non est. Pharao, diaboli, Ægyptus, mundi, filii Israel, omnium qui ad vitam præordinati sunt et populus Dei vocantur, typum gesserunt. Captivitas servitusque filiorum Israel, captivitatem illam designant qua diabolus hominem in paradisi libertate conditum, per prævaricationem in tenebris hujus sæculi captivavit, et morti obnoxium fecit. Stetit Moses cum Aarone coram Pharaone, tenensque virgam in manu, dixit: « Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum (*Exod.* VII). » Nimirum in virga Mosi legis disciplinam, in Aaron ejusdem legis agnoscimus sacerdotium. Hæc enim duo dicta sunt, ut Dei populum a servitute Pharaonis, id est diaboli eriperent. Decem plagæ, quibus percussus est, decem legis præceptorum, quibus populus Dei diabolo captivatori humani generis repugnare jussus est, similitudinem prætulerunt. Nam tunc primum « mors, quæ regnavit ab Adam usque ad Mosen (*Rom.* V), » cœpit audire in regno suo contradictionem, Deo debitum sibi exigente ab hominibus cultum, et suorum obedientiam præceptorum. Sed sicut Pharao decem plagis non adeo victus est, ut filios Israel dimitteret, ita diabolus decem præceptorum legis observatione non adeo superatus est, ut homo in paradisum rediret. Igitur sicut post inefficacem virgam Mosi tandem agnus immolari jussus est, et tunc mortua sunt primogenita Ægypti, et hac una plaga tactus Pharao dimisit populum, et ipse cum reliquis Ægyptiis persequens transeuntes, in mari Rubro submersus est; sic postquam constitit, quod nihil ad perfectum abduceret lex (*Hebr.* VII), Agnus Dei Christus immolatus est, et in morte ejus primogenitum, id est originale peccatum, deletum est, et in mari Rubro baptismi Christi sanguine rubentis actualia quoque peccata cum diabolo penitus absorpta sunt *Colos.* II; *I Cor.* X). Luna ergo decima, ut dictum est, Dominus Christus, verus Agnus, præcepto Patris obediens, civitatem Hierusalem passurus ingressus est. Sed nec ipse ingressus ejus vacat a mysteriis; quocunque enim verus hic sol procedit, similitudines ejus quam operatur salutis, quasi umbras interjecto corpori smiles reddit. Veniens igitur ad passionem, videamus quas jaciat umbras fulgidæ misericordiæ, cujus in multitudine benedictus advenit. Primum a monte Oliveti duos mittit discipulos in castellum, quod erat contra ipsos, ut asinam illic alligatam pullumque ejus solventes sibi adducerent (*Matth.* XXI), etc. In his profecto, quæ utilitas in sanguine suo, quis fructus suæ passionis, ad quam veniebat, mystice præsignavit. Ascensurus enim propter passionem mortis, gloria et honore coronatus (*Hebr.* II), ad dexteram Patris, qui est mons Olivarum, id est pater misericordiarum, et Deus totius consolationis (*II Cor.* I), Deus pacis, fonsque et origo luminis, atque inde dando hominibus dona, missurus erat apostolos suos qui ligandi atque solvendi potestate accepta, asinam et pullum ejus, id est utrumque populum, Judaicum atque gentilem, ab erroris stultitia, peccatorumque oneribus absolverent, et abducto sibi humano genero per fidem, ipse supersedens, juxta quod scriptum est: « Et equitatus tuus salvatio (*Habac.* III), » in cœlestem Hierusalem animas induceret, turbis angelorum cum laude occurrentibus, palmasque victoriam cum ramis olivarum, quæ sunt pacis insignia, sublevantibus.

CAPUT VIII.

Quod propter processionem palmarum, Dominicalis processio non sit omittenda.

Diligentibus evangelicæ auctoritatis inspectoribus recte complacuit ut cum hodierna processione palmarum, qua procul dubio Redemptoris nostri recolimus passionem, non computent illam quæ Dominicalis est, qua singulis Dominicis gloriosam ejusdem commemoramus resurrectionem. Constat enim quod contraria sive repugnantia non possint simul uno eodemque actu convenienter exhiberi, hæc autem manifeste dissident, sibique contraria sunt. Quid enim magis contrarium quod tristitiæ gaudium, morti vita, occasui resurrectio? Singulis Dominicis a prima Sabbati, qua Dominus resurrexit, dedicatis, hoc nobis processionis ordine significamus,

quod in Galilæam, id est in transmigrationem, ad videndum Dominum cum apostolis ejus exire debeamus, scilicet ut non simus vetusti homines quod fuimus, sed « in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Unde semper in hujusmodi processionibus prælatos nostros præeuntes, quasi Dominum in Galilæam sequimur, et locus ipse, quo processionem suprema statione terminamus recte a nobis Galilæa nuncupatur. Hanc vero annuam palmarum processionem, nemo qui nescit passionis esse præconium, et illud nobis ob recreationem devotionis actu renovari, quod *pueri Hebræorum tollentes ramos olivarum obviaverunt Domino, clamantes et dicentes : Hosanna in excelsis.* Rectius igitur faciunt hi, a quibus accepimus ante tertiam memoriam Dominicæ resurrectionis, quæ per totum annum occurrit, de more peragentes, sicut in cæteris Dominicis, et post tertiam cum processione palmarum, Dominicæ passionis efferentes sacramentum.

CAPUT IX.

Quod hæc major hebdomada mundanæ creationis hebdomadæ respondeat.

Magnum illud est et admiratione dignum quod die Dominica, quæ prima est, in qua creationem mundi cœpit Deus operari, ingreditur Salvator ad laborem passionis, et per totam hanc hebdomadam, quæ major hebdomada dicitur, salutem nostram operatus, die septimo cessavit, et in sepulcro requievit. Tot diebus salutem hominis operatus est quod diebus hominem et quidquid propter hominem creavit, in mundo disposuit. Et prout operum diversorum creatione alii plus, alii minus rerum et officiorum diversa quantitate consecrati sunt. Primus hic dies, qua cum tanta claritate opus ingreditur salutiferæ passionis, dignitati illius respondet in qua dixit: « Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I), » Et de singulis cæterorum suo loco dicetur ; nunc de hujus diei officio pauca perspiciamus.

CAPUT X.

De missa ejusdem diei.

Illa nostri traditio, qua Pater illum tradidit, sicut Apostolus ait : « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit **60** illum (*Rom.* VIII). » Illa, inquam, traditio materia vel causa tam magni tamque solemnis est officii. Hac enim die Pater illum tradidit in eo quod ex voluntate Patris in manus inimicorum venit, qui hactenus, multoties cum seditione quærerétur, omnes eorum frustraverat impetus. Obediens namque voluntati Patris, calicem passionis bibere venit, et cum caro infirma esset ad bibendum, spiritu promptus (*Matth.* XXVI) dicebat : « Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* XXII). » Quia ergo Pater illum hac die tradidit, et calicem passionis dedit illi, recte passio legitur cum eisdem cum quibus exceptus est palmarum ramis, totique officio venerandam ipsa præbuit materiam. Nam ex eo quod ait pendens in cruce : « *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Matth.* XXVII), constat vicesimum primum psalmum totum ex ipsius esse persona conscriptum, propter quod hac ipsa die pene totus in ejusdem officii unius persona decantatur. Primum in introitu: *Domine, ne longe facias auxilium tuum a me* (*Psal.* XXI), orat ipse, qui tanquam « vermis et non homo (*ibid.*) » absque ullo respectu, leviter conculcabatur, propter nos relictus ad tempus, orat, inquam, Patrem, ne elonget auxilium suum, id est festinet resurrectionem suam, et a potestate eorum, qui sunt unicornes, id est singularis superbiæ, liberet humilitatem suam (*ibid.*). Deinde in tractu hoc ipsum amplius egit et ipse noster David, secundum titulum ejusdem psalmi, *tendens in finem*, id est in victoriam *pro assumptione matutina*, id est pro resurrectione, ut fiat « valde mane, » sicut et facta est, « cum adhuc tenebræ essent » ad monumentum (*Marc.* XVI; *Joan.* XX). Epistola quoque non dubie passionem legendam præcurrit præconio. Nam quod orat Dominus secundo in passione dicens : *Mi Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum* (*Matth.* XXVI), quod summus Deus in summa humilitate hominis illuditur, conspuitur, dorsum suum dat « percutientibus, et genas suas vellentibus (*Isa.* L), » et cætera patienter fert, *obediens voluntati Patris usque ad mortem crucis* (*Philipp.* II), hæc omnia nobis Paulus in Epistola manifeste proponit imitanda, dicens : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu* (*ibid.*), etc. Item in graduali, dum dicit : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me* (*Psal.* LXXII), pulcherrime illud insinuat quod Deus Pater, quasi læva manu sua dexteram illius tenuerit, id est divinam potentiam ejus, ne se defenderet, quodam modo compressit, et in potestatem inimicorum, id est in civitatem Hierusalem, in voluntate sua deduxerit. Quæri potest cur graduale hoc cantetur hac die, cum non totum ejus personæ conveniat. Neque enim illi congruit, ut dicat : *Mei autem pene moti sunt pedes et pene effusi sunt gressus mei* (*ibid.*). Sed sciendum quia psalmus, de quo sumptum est, correptio illorum est qui pro sospitate corporis et prosperitate vel affluentia rerum temporalium Deum tantummodo laudabant. Hujusmodi autem laudes non defecerant, priusquam Dominus noster, rex omnium sæculorum, adveniret, et ex his quæ passus est confirmaret nos, ne scandalizaremur malos prosperari, bonis autem non recte succedere videntes. Quis enim justus, videns ipsam justitiam esse crucifixam ab his quorum *iniquitas quasi ex adipe prodiit*, qui *in labore hominum non* erant, *et cum hominibus* non flagellabantur (*ibid.*), quis, inquam, justus, cum sibi aliquid simile acciderit, dicat jam : *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas* (*ibid.*). Nam si narraverit sic, ecce *nationem filiorum Dei*, imo ipsam Filii Dei passionem reprobavit (*ibid.*), Bene ergo in ostensione flagellati, et crucifixi justi cantatur : *Quam bonus Israel Deus rectis corde* (*ibid.*). ut non moveantur *pedes* nostri, id est ratio et judicium nostrum, quando *pacem peccatorum* videmus (*ibid.*). Offerenda quoque cum versibus sumpta de

psalmo sexagesimo octavo, qui totus ex persona Salvatoris orantis in passionis agone conscriptus est, indicat cum quanto desiderio charitatis illa susceperit quæ in passionis serie prælecta sunt, dum dicit: *Improperium exspectavit cor meum et miseriam*; improperium, scilicet in verbis exspectavit, id est desideravit cor meum, et miseriam, scilicet in factis. *Et sustinui*, id est expectavi, *qui simul contristaretur*, videlicet de perditione sua mecum doleret, et *non fuit*, subauditur, qui id faceret, *consolantem me quæ visi*, id est bene operantem per pœnitentiam, *et non inveni. Et dederunt in escam meam fel*, hoc est, amaros se mihi reddiderunt, etc.

CAPUT XI.

De feria secunda hebdomadæ sanctæ.

Feria secunda minus ornata videtur cæteris hujus hebdomadæ diebus, quarum omnium officia lectione passionis vel cæteris Dominicæ mortis insignibus purpurata sunt. Nec mirum; nam et ejus primæ hebdomadæ, qua cuncta creata sunt, cujus hæc similis est, ut supra dictum est, dies secundus minus aliquid quam cæteri, Creatoris placito commendatur. Cum enim dixisset: « fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis (*Gen* I), » non est additum, sicut in operibus cæterorum dierum, « et vidit Deus quod esset bonum (*Ibid.*). » Hoc enim in Septuaginta quidem additum est, sed in Hebraico non habetur. In hoc quoque, ut ait Hieronymus (17) binarius numerus infamatur, quia primus ab unitate degenerat, et divisionis initiator est. Et quia divisio aquarum superiorum atque inferiorum, divisionem significat bonorum et malorum, quamvis justam, tamen propter pœnam ipsorum qui dividuntur malam, ipsaque divisio secunda die facta est, ipsumque quod dicimus secundum, a binario non voce, sed sensu proficiscitur, recte juxta Hebraicam veritatem, non est additum in opere diei secundi « et vidit Deus quod esset bonum. » Igitur, cum secunda dies mundanæ creationis laude operis minus illustrata sit, non mirum est quod hujus hebdomadæ, quæ illam respicit, secunda dies minus passionali officio purpurata sit. Habet autem Evangelium hujus diei, quod exceptus cum ramis palmarum civitatem Hierusalem ingressus. Et cum gentiles eum videre vellent (*Joan.* XII), utpote salutem suam, de quo Jacob longe ante prophetaverat, dicens: « Et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX), » et propter hoc granum frumenti figurate se appellasset, mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum, cum, inquam, clarificationem suam saluti gentium dilucescere postulasset, orans ad Patrem et dicens: *Pater, salvifica me ex hac hora. Pater, clarifica tuum nomen, venit vox de cœlo dicens: Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII). Et quia voluntati obediens, in manus quærentium animam suam tradidit seipsum, veniens in sæpedictam civitatem, bene hæc prophetica lectio præmittitur: *Dominus Deus aperuit mihi*

(17) S. Hierom epist. 69, 6.

A *aurem*, scilicet ut voluntati ejus obedirem, *ego autem non contradico, retrorsum non abii: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus* (*Isa.* L), et cætera quæ ad hoc consonant, quod pati non refugiens, pro salute mundi seipsum tradidit. Ad hoc autem quod in Evangelio sese orat clarificari, scilicet gloria resurrectionis, cuncta membra consonant **61** officii, quo se eripi, seque nocentes, atque impugnantes, judicari postulat atque expugnari.

CAPUT XII.

De feria tertia.

Feria tertia legendam passionem bene præcurrit Hieremiæ lectio, quia in persona ejus dicit: *Tu, Domine, demonstrasi mihi et cognovi, tu ostendisti mihi studia eorum, et ego quasi agnus, qui portatur ad* B *victimam et non cognovi quia concitaverunt adversum me consilia, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem ejus, et conteramus eum de terra viventium. Tu, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam, quæso, ultionem tuam ex eis* (*Jer.* XI). Nam per hos dies usque in quartam feriam, hæc studia, hæc illorum consilia magis ac magis fervescebant, sed metuentibus « ne forte tumultus fieret in populo (*Matth.* XXVI), » facultas deerat. Namque ipse Dominus noster, » diebus quidem, » ut ait Lucas evangelista, « erat docens in templo, noctibus vero exibat in montem, qui vocatur Oliveti, et populus magnificabat eum in templo (*Luc.* XXI). » Et in tantum nulli unquam adulatus est, ut ait Hieronymus, ut in magna et ampla civitate vel C unius noctis hospitium nunquam habuerit. Et quomodo superbissimus Aman erecta cruce in domo sua, quam paraverat Mardochæo quærebat opportunitatem, qua suggereret regi de illo mane, ut appenderetur (*Esther.* XI), sic diabolus inito consilio in domo sua, id est in cordibus Judæorum, dicendo. *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, id est crucem in corpus ejus, quærebat opportunitatem, ut Romanæ potestati traderet Jesum. Ultionem ergo videntes ex eis, ut in Epistola dictum est: *Gloriamur in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Nam is, a quo consilium acceperunt, ut mitterent lignum in panem ejus, eodem ligno transfixus et spoliatus est, et crux Christi gloriosa, a pœna reorum sublevata est in frontibus imperatorum. Itaque in introitu D cantamus: *Gloriari nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Cætera quæ sequuntur in officio, manifeste verba sunt personæ ejus agonizantis, et resurrectionem suam exorantis.

CAPUT XIII.

De quarta feria.

Feria quarta venditio capitis nostri, totius corporis Ecclesiæ, contritionis et humilitatis inusitatæ principium est. Hac namque die « *abiit Judas et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus quemadmodum Jesum traderet eis. Et gavisi sunt, et pacti sunt illi pecuniam dare. Et spopondit* (*Luc.* XXII). » Igitur pro eo quod Ecclesia hac die capite

diminuta est, deponit hac eadem die consuetudinalem processionis suæ cultum, totiusque nocturni atque diurni psallendi post hunc diem, gaudium obscurat usitatum. Sed et per totum anni circulum in pœnitentialium observatione jejuniorum, propter causam supradictam, quarta feria post sextam, in qua Dominus noster crucifixus est, secundum obtinet gradum. Nunc in officio hujus quartæ feriæ, quia præ cæteris sacra dispositione perfulget, imo qui pene totum venditi capitis nostri luctuosa vox est, paulisper immorari libet. Primoque hoc dicendum quod geminas lectiones longumque ac lugubrem, pro secundo graduali, tractum propter jam dictam Domini venditionem, præsentis diei meruit officium, cunctaque officii membra reverentiæ Domini orantis, et in faciem suam prostrati venerabiliter subserviunt, de quo hac die legitur in passione secundum Lucam, hoc modo : *Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis, et positis genibus orabat dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Et factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram. Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum* (*Luc.* XXII). Et quidem cæteri quoque evangelistæ orasse retulerunt eum ad Patrem, quo indubitanter minor est secundum humanitatem, in qua etiam « minoratus est paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII). » Sed hic disertus Vitulus, scilicet Lucas, victimationem salutaris vituli elegantius prosequens, ex habitu ejus in infirmitate nostra orantis, magis admirabile mundo et angelis et hominibus præbet spectaculum. Unde contremiscit Ecclesia tantorum mirabilium contemplatrix, et in introitu, quasi attonita repentino clamore concrepat : *In nomine Domini omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Phil.* II), etc. Nimirum omnium angelorum hominumque Dominum procidisse, et in sudore sanguinis agonizari videns, humana corda hoc terrifico clamore percutit, ne quis audeat stare rigidus et elatus, cum ille tantus in tam magna sese propter nos humilitate dejiciens genua posuerit. Magnum piumque hujus diei dignumque spectaculo mentium nostrarum officium, quod laborat sancta Ecclesia singulorum corda filiorum ad tantæ rei præsentiam, per contemplationem reducere, et per voces apostolorum, atque prophetarum quasi præscutium, et agonizantem Dominum circumstantium, in admirationem et compassionem excitare. Conclamata namque, ut dictum est, antiphona introitus, quæ de Apostolo sumpta est, quod valde rarum est (paucæ namque de Novo Testamento sumptæ sunt), protinus Isaias propheta desiderantissimus hujus Dominicæ passionis exspectator et præco, quasi præsens accurrit, lectoris voce nos ad videndum agonem illum excitans atque dicens : *Dicite, filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit* (*Isa.* CXI). Et addit : *Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo* (*ibid.*). Pulchre satis breviterque commendans, et opus passionis, cui intendebat et mercedem gloriæ vel honoris quo coronandus erat per divinitatem, quæ cum eo est, scilicet in unius ejusdemque unitate personæ. Statimque admirans illius habitum : *Quis est*, inquit, *iste, qui venit de Edom*, id est de sanguineis sive terrenis Judæis, *tinctis vestibus*, id est membris corporis, quæ sunt vestimenta divinitatis, tinctis ex purpura sanguinis, *tinctis*, inquit, *vestibus de Bosra ?* (*Ibid.*) Bosra interpretatur *firma* atque *munita*, significatque civitatem Jerusalem, quam ipse, qui ab illa cruentatus est Dominus, suo quondam auxilio magis quam murorum ambitu firmaverat atque munierat. Est autem civitas *in Moab* : quo nomine fortiter Hierosolymitanos percutit Judæos. Consequitur enim ut ipsi Moabitæ sint, ut vere sunt; Moab quippe interpretatur *ex patre*. Et Dominus cum dixisset Judæis : « Si filii Abrahæ estis, opera utique Abrahæ facite, nunc autem quæritis me interficere, hoc Abraham non fecit (*Joan.* VIII), » subsecutus adjunxit : « Vos ex patre diabolo estis (*ibid.*). » Itaque cum dixisset : *Quis est iste*, illo respondente, ac dicente : *Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum* (*Isa.* LXI), rursus interrogat : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ?* (*ibid.*) Id est, cum tu loqueris justitiam quare cruentatus est pressura crucis ? At ille : *Torcular*, inquit, *calcavi solus* (*ibid.*), subauditur pro omnibus ut omnes liberarentur. His auditis Ecclesiæ chorus, sciens agonem Domini, sudoremque sanguineum et orationem pro se, imo suam esse, suas adjungit voces, nec tamen loquitur **62** pluraliter, eo quod una sit persona cum Christo, tanquam corpus cum capite suo, succinitque graduale : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo*, id est a me, qui sum puer tuus, id est, servus tuus, *quoniam tribulor*, scilicet pro te, *velociter exaudi me*, id est resuscita me. *Salvum me fac, quoniam aquæ*, id est Judæi, qui semper sunt in motu invidiæ, *intraverunt usque ad animam meam*, id est eo usque ut me occidant, inter quos commorans *infixus sum in limo profundi*, qui ita sunt quod *non est substantia* (*Psal.* LXVIII), quia verum esse amiserunt. Itemque altera lectione ejusdem prophetæ declamata, quam ille cum eloqueretur, prævidebat eum spirituali oculo in eodem schemate, in quo nunc ab evangelista repræsentatur, scilicet non habentem speciem neque decorem, ascendentem sicut virgultum, et sicut radicem de terra sitienti, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, vulneratum propter iniquitates nostras, et attritum propter scelera nostra, cum sceleratis reputatum, et pro transgressoribus exorantem (*Isa.* LIII). Hac, inquam, lectione pronuntiata fit, quod nunquam alia die per annum agitur præter hanc feriam quartam, et magnum diem Parasceven, et præter Sabbata Quatuor Temporalium jejuniorum, scilicet quod Epistolam non graduale, sed tractus sequitur. Nam præter supra dictos dies, semper graduale sequitur epistolam aut alleluia, si ratio temporis graduale submoveat, quod fit per dies Pentecostes. Causa

autem hæc est, quia musicus ille, qui dixit : « Cantavimus vobis et non saltastis, lamentavimus et non plorastis (*Matth.* xi). » cujus cantationi alleluia, quasi saltatio, lamentationi vero graduale, quasi ploratio pœnitentiæ respondet, sicut suo loco jam dictum est. Ille, inquam, musicus his diebus aufertur. Nam feria quarta venditur, feria sexta sequenti crucifigitur. Sed die Parasceves singulas lectiones singuli tractus subsequuntur. Hac autem die, quia venditus, licet tamen adhuc cum discipulis habebatur, unus tantum tractus pro graduali tanquam imperfectus adhuc luctus assumitur. Quod autem tractus lugentium sit, magnisque luctui congruat quam graduale, quod est pœnitentium lamentum, illud comprobat, quod non cum alleluia ut graduale, sed pro alleluia canitur his diebus, quibus mortem, quæ subintravit in mundum per invidiam diaboli (*Sap.* ii), id est a Septuagesima usque in Pascha lugemus. Tractus autem hic de psalmo centesimo primo est, qui rei et tempori valde congruit. Nam et titulus ad articulum temporis pertinet, quo vel in agonia factus prolixius oravit, sanguineo sudore madens (*Luc.* xxii), quod signum erat sanguinis plurimi cæde martyrum effundendi, vel quo pro transgressoribus oravit, dicens : *Pater dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii). Itemque : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*ibid.*). Sic enim se habet titulus : *Oratio pauperis: cum anxiaretur, et coram Domino effunderet precem suam* (*Psal.* ci). Pauper hic ipse est qui, ut ait Apostolus : « cum dives esset » gratia sua, « propter nos egenus factus est (*II Cor.* viii). » Cum hoc ergo paupere pro nobis orante, cuncti pauperes spiritu, qui corpus unum cum illo sunt, illo præorante, pariter orant. Aureumque thuribulum immaculati corporis tenenti huic summo angelo, suæque orationis incensum præferenti (*Apoc.* i), suarum quoque chorus noster orationum incensa certatim simul injicit, dicendo ac repetendo : *Domine, exaudi orationem meam* (*Psal.* ci), etc. Lecta quoque passione, sacrificium ejusdem iteratæ orationis in offerenda subjicit. Communio quoque de eodem psalmo est : « *Potum meum cum fletu temperabam* (*ibid.*), ut advertas totum hunc psalmum in persona ejus esse conscriptum : « Qui, ut ait Apostolus, in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui illum salvum facere possit a morte, cum clamore valido ac multis lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* v). » Illud ad summum non prætereundum quod hac die convenienter hic sol justitiæ ad nostram salutem venditus est, quia in illa mundanæ creationis hebdomada sol iste visibilis ad lucendum mundo formatus est. Et, o vere mira divinæ gratiæ dispositio ! Magna et mira charitatis unicæ dignatio ! Sic pro nobis perditis dignatus est pati, ut pro venditis quoque non dedignaretur venundari. Venditi quippe fueramus nos venditione miserabili, sicut et ipse per prophetam Dominus dicit : « Gratis venundati estis, et sine argento redimemini (*Isa.* lii). » Vera et

A divini ponderis sententia. « Gratis, inquit, venundati estis, » id est falsis promissionibus decepti. Quid enim saltem temporalis emolumenti miser assecutus est homo, pro eo quod recessit a Deo, seipsum tradens diabolo ? « Et sine argento redimemini. » Quid enim, captiva filia Sion, pro redemptione tua dedisti? Nullis præcedentibus meritis, sed sola gratia, Christus venditus, venundatos redemit.

CAPUT XIV.

De feria quinta, quam cœnam Domini nominamus.

Feria quinta, quam cœnam Domini nominamus, partim lætarum, partim tristium variatur commemoratione rerum, et secundum utriusque habitus, lætitiæ scilicet ac tristitiæ, distantiam, regularium quoque officiorum diversas ac pene contrarias retinet qualitates. B Missa namque integrum, et valde festivum, imo plus quam usitatum habet officium : per regulares autem horas, neque festivum, neque more usitato, integrum Deo debitum reddimus servitium, singulis horis capita, id est initia præcidimus, fines quoque earum sub silentio abscondimus. Missa vero et plenarie solemniterque perficitur et per manus pontificis, multiplicibus pietatis sacramentis singulariter fecundatur. Et sicut die quinta in hebdomada mundanæ creationis, genus ex aquis ortum, partim gurgiti remissum, partim in aera levatum est, ut stirpe una prodita, diversa raperent loca, sic feria quinta hujus hebdomadæ, qua sumus recreati, sacramenta unius ejusdemque salutis, partim nos deprimunt in tristitiam, partim levant in gaudium, ut pro una salute edita, valde diverso C cultu vel habitu celebrentur mysteria. Causas ergo juxta textum requirentes evangelicum, ab his quæ læta sunt, sumamus initium.

CAPUT XV.

Cur solemnis fit missa ejusdem diei.

Solemnitatis, qua prædictæ diei missa tristes inter horas exsultat, sicut medias inter nebulas sol interdum subrutilat, causa hæc est, quod Dominus Christus, Sanctus sanctorum, cui a Patre cum juramento dictum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* cix). » Ipse pontifex, ipse et hostia, novi nobis sacrificii ritum instituit, *qua nocte tradebatur, accipiens panem et calicem* vini, benedicensque ac dicens : *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei* (*Matth.* xxvi ; D *I Cor.* xi), tunc enim primum officio sui functus est sacerdotii, finem imponens sacerdotio veteri, et post esum agni typici seipsum, qui verus est Agnus, Deo Patri suis offerens manibus, atque hoc est quod Apostolus ait : *Quia non per sanguinem hircorum aut vitulorum,* **63** *sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa* (*Hebr.* ix). Ipsum namque corpus quod occisum est ab impiis, ipsum eumdem sanguinem qui in cruce fusus est, ipse tunc sempiternus sacerdos obtulit, et de quo alio loco dictum est, cum illum Judæi lapidare vellent : « Jesus autem abscondit se, et exivit de templo (*Joan.* xviii), » nunc vere de

templo Judæorum exivit, et eorum sacrificia dereliquit seque in sacrificio panis et vini ita abscondit ut ab impiis omnino agnosci non valeat quid ibi sit. Igitur quia verum sacrificium hodie contradidit (*Hebr.* IX), novumque testamentum suis hæredibus moriturus suo sanguine conscripsit in spiritu humilitatis et in animo contrito, sicut ipse dicit: « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI), » recte in medio tristitiæ, quæ per omnes horas sigillentur, sola missa solemnem concentum lætumque ministrorum altaris meretur ornatum. Et ne quid venustatis sancto sacrificio desit, utpote in die suæ institutionis, *Gloria in excelsis* quoque a pontifice decantatur. Et quisque pontifex, quidquid sui est officii, debet hac die de integro perficere. Itaque pœnitentes Ecclesiæ restituit, oleum benedicit, chrisma conficit, quo signati testimonium accipientes Spiritus sancti (*Ephes.* IV), dicimus Deo: « Signatum est super nos lumen vultus tui (*Psal.* IV). » Venerabilis et pius est ordo consecrationis, sed si causas eorum quæ in eadem consecratione aguntur, vel tenuiter inspexeris, multo amplius intima pietatis pulchritudine delectaberis. Ordo quippe ipse ab omnibus videtur, sed nos juxta propositum causas quæremus. Quid ergo chrisma significet, aut quid in illo nobis agatur, vel cur hac die consecretur, quidve mysterii consecrationis ejus ordo contineat, veri luminis largitore præeunte, considerare cupimus.

CAPUT XVI.

De chrismate.

Chrisma Græce, Latine dicitur *unctio*, a quo nomine Dominus noster Christus, id est *unctus* nuncupatur. Chrismate ungendum primus Moses instituit in Exodo (*Exod.* XXX), quod et jubente Domino composuit, et eo primum Aaron et filii ejus uncti sunt (*Levit.* VIII). Eratque eo tempore mystica unctio tantum in regibus et sacerdotibus, qua Christus rex summus et sacerdos verus præfigurabatur. Sed postquam per seipsum veniens Christus Dei Filius, a Deo Patre cœlesti et vero unguento est delibutus, jam non soli pontifices et reges, sed et omnis Ecclesia unctione chrismatis per impositionem manuum consecratur. Quod solis debeatur episcopis ut consignent et Spiritum Paracletum tradant, non solum consuetudo Ecclesiæ demonstrat, verum et illa lectio Actorum apostolorum, quæ asserit, quibusdam in nomine Domini Jesu baptizatis per impositionem manuum Pauli apostoli datum esse Spiritum sanctum, ut ibi legitur: « Et cum imposuisset manus illis Paulus, venit super eos Spiritus sanctus (*Act.* XIX), » etc. Item in alio loco scribitur quod apostoli Hierosolymis Petrum et Joannem miserunt Samariam, ut jam baptizatis traderent Spiritum sanctum: « Tunc imponebant illis manus: et accipiebant Spiritum sanctum (*Act.* VIII). » Ubi aperte datur intelligi solis pontificibus, apostolorum vicariis deberi, ut consignent, et Paracletum tradant. Legitur autem in Gestis pontificalibus quod Sylvester papa constituit ut baptizatum etiam presbyter chrismate, levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis, ne propter absentiam episcopi, et difficultatem eum conveniendi, sine hujus impositione baptizati migrent. Presbyteris itaque chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem (quod solis debetur episcopis) sed verticem. Forte aliquis dicat: Quid mihi prodest post baptismatis mysterium, mysterium confirmationis? Nam si post fontem, adjectione novi generis indigemus, quantum video, non totum de fonte suscepimus. Non ita intelligendum est. Nam quid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat hæreditatem, nisi provideat illi tutorem? (*Gal.* IV.) Paracletus quippe regeneratis in Christo custos et consolator, et tutor est, qui possent suadente diabolo, sicut parvuli facultatem, perdere baptismi utilitatem, si hunc non haberent tutorem. Igitur chrisma Spiritus sancti signum est, cujus et virtutem continet. Et pulchre Spiritui sancto, per hanc speciem suam nobis complacuit dare gratiam. Fructus namque et pinguedo est oleæ, quæ arbor pacis et luminis ministra est, commisto balsamo, cujus arbor odorifera una est et præcipua arborum aromaticarum. Sanctus autem Spiritus divinæ substantiæ pinguedo est, ita ut quicunque ex eo refectus fuerit, dicat: « Impinguasti in oleo caput meum (*Psal.* XXII). » Et balsami odor in oleo suavitatem ejusdem Spiritus sancti significat, qua cunctos qui nasum, id est virtutem habent discretionis, bono odore allicit et suimet appetentes efficit. Quem quicunque accipiunt, cum Apostolo dicunt: « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II; *Hebr.* XIII). » Bene ergo Spiritus sanctus, qui propter nos idcirco agit visibilia, quo per hæc facilius capere queamus invisibilia, per hoc simile suam nobis suavem et odoriferam infundit gratiam.

CAPUT XVII.

Quod recte hac die chrisma consecretur.

Notum est hunc diem quartum decimum diem primi mensis referre quo agnus immolari ad vesperam jussus est, et de sanguine ejus uterque postis signari, et superliminare domorum, in quibus comedendus esset, ut eo signo viso, exterminator Ægypti sacri convivii domos intactas præteriret. Constat autem, ideo frontibus nostris ex ipso chrismate imprimi signum crucis Christi, et ut exterminator diabolus in domibus animarum corporumque nostrorum jus nocendi nullum habeat, et hoc illius typici agni sanguine, quo postes signabantur, fuisse præfiguratum. Recte ergo, qua die figura tantum illud agebatur, nobis hoc præsentis rei sacrum solemniter conficitur. Secundum hanc similitudinem consequens videretur ut hac ipsa nocte domus eorum in quibus agnus comedendus est, id est frontes eorum, in quorum mentibus fides, Agni Dei Christi reconditur, sacro chrismate signarentur. Quod recte videretur, si hac eadem nocte,

paschale convivium celebrare conveniret cum eo quod lugemus scelere Judæorum. Nunc autem licet Dominica passio salutis nostræ summa sit, rationabiliter tamen sancta Ecclesia diem illum, in quo passus est, luctui potius et silentio dedicavit, et gaudium solemnitatis ejusdem, qua sumus redempti, usque in diem tertium, quo victor ille resurrexit, differendum censuit, ut tunc demum et pro recuperata animarum salute, quæ sexta feria patrata est, et pro futura corporum resurrectione, quæ illo resurgente prima. Sabbati nobis donata est, convivium paschalis agni celebremus in domibus nostris, dicentes : « Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis 61 et veritatis (*I Cor.* v). » Rectius ergo sumentes illud, unde postes nostrarum frontium signemus, quiescimus usque in vesperam Sabbati, quæ nobis est vespera paschalis convivii, et tunc signatis frontibus baptizatorum, qui verum Pharaonem, scilicet diabolum, effugientes, per mare Rubrum baptismi ad eum tendunt, illud nostrum « in voce exsultationis et confessionis (*Psal.* XLI) » inchoamus convivium. Et si quæras cur non ipsa quoque chrismatis consecratio dilata est, ideo scilicet quod ab hac feria quinta usque in vesperam Sabbati, qua hora utendum est chrismate, vacamus a missarum solemniis, eo loco quo pacem accipimus fas est consecrare. Et ante hæc baptismum celebrari hoc Sabbato sancto, ratio exigit, de quo dicendum est suo loco, id est magno Sabbati sancti officio. Non igitur chrismatis quoque consecratio differri debuit aut potuit.

CAPUT XVIII.

Quid mysterii contineat ordo consecrandi chrismatis.

In eo loco, ubi solemus uvas benedicere consecratur oleum pro infirmis, concluditurque conclusione : *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, etc. Non enim proprium habet officium, id est nec in capite verba salutationis, hoc est *Dominus vobiscum*, ne in fine concluditur, ut cæteræ orationes, *per Dominum nostrum*. Hujus vero chrismatis olei consecratio, quæ dicitur principalis, quia ad ejus unctionem principalis tribuitur Spiritus, id est septiformis Paracletus, habet officium per se. Primo exorcizatur, deinde ad *Dominus vobiscum*, et *sursum corda*, ejus benedictio inchoatur, finiturque *per Dominum nostrum*. Consecratur autem in eo loco, ubi pacem solemus inter nos dare, et hoc est opus divinæ gratiæ, ut pax et concordia regnet in nobis. Duodecim presbyteri, qui ordinantur circa episcopum, testes et auditores ejusdem mysterii, duodecim apostolos significant, quorum in præsentia summus pontifex Christus hodie testamentum conscripsit, totamque hæreditatem salutis, suæque discessionis fructum, id est Spiritum Paracletum ostendit, dicens : « Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI). » Ejus namque gratiæ sacramentum chrisma continet, qui ex quo mortis Christi pretio

A quodammodo emptus et acquisitus est, cœpit (quod ante non fiebat) in remissionem peccatorum dari. Unde et Paracletus tunc primum appellatus est, quia pro damnatis nobis in primo parente, peccatorum remissio, sola paraclesis, id est *consolatio*, est, quæ non nisi abeunte, id est moriente Christo nobis unquam acquisita fuisset. Dicit libellus Romani ordinis de consecratione chrismatis: Continuo duo acolythi involutas ampullas cum sindone alba de serico teneant in brachio dextro, ita ut videri possint a medio. Ampulla, antequam veniat ante episcopum ad altare, media ejus pars est cooperta, et media nuda. Ampulla cum chrismate quodammodo significat corpus Christi, sumptum ex Virgine corporaliter in se habitans, continens Spiritus sancti B plenitudinem (*Col.* II). Quod, antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, et aliquo nudum. Primævo tempore erat coopertum, quando ita fugit in Ægyptum (*Matth.* II), quasi non esset Rex regum, et quando ita portatus est ad templum (*Luc.* II), quasi non esset omnipotens, quando ita subditus erat parentibus (*ibid.*), quasi non esset auctor parentum. In his et similibus coopertum, latebat. Nudum erat, postquam miracula cœpit facere, simulque prædicare, et se Deum demonstrare, ut « Ego et Pater, inquit, unum sumus (*Joan.* X). » In his et aliis nudum erat. Ampulla vero, postquam benedicta fuerit, et ab altari redit, a pontifice et ministris altaris visibiliter et nuda salutatur, hoc significat quod Christus, postquam ab altari crucis transivit, præsentiam suam corpo- C ralem eis præbuit, quos testes suæ resurrectionis esse voluit (*Luc.* XXIV). Quod cæteris invisibilis et operta ad salutandum defertur, significat quod Christus rediens in cœlum, invisibilis hominibus factus est, ut ipse testatur : « Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (*Joan.* XVI). » Nos vero, quamvis corporalem ejus præsentiam non videamus, tamen venerando eum quotidie salutamus.

CAPUT XIX.

Quod recte hac die pœnitentes Ecclesiæ restituantur.

Omni quidem tempore illa debent episcopi fungi legatione ad reconciliationem peccatorum, de qua Apostolus loquens, cum dixisset : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, et posuit in D nobis verbum reconciliationis (*II Cor.* V), » protinus adjunxit : « Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo (*ibid.*). » Maxime tamen hoc die hujusmodi legatis solemne est, hac legatione fungi, et peccatores, qui baptismum criminibus superductis perdiderunt, et propter hoc extra Ecclesiam missi sunt, et « sicut ablactatum super matre sua (*Psal.* CXXX), » facti sunt oblata reconciliatione, ultro in sinum matris eorum revocare, et ut ipsam reconciliationem libenter acquiescentes suscipiant, palam et solemniter foras egrediendo obsecrare. Astitit enim hac die « vultui Dei pro no-

his Christus (*Hebr.* IX), » Pontifex summus in multitudine misericordiæ, et sicut supra dictum est : Semel officio sacerdotii functus est, tradens, sacramentum corporis et sanguinis sui, statimque sacerdos ipse, qui et hostia, captus et ligatus, ad passionem ductus est. Utquid enim misericordia ligata est, nisi ut misericors peccatores solveret pœnitentes ? Utquid Christus, nisi pro impiis mortuus est? « Commendat autem, inquit Apostolus, charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* V). » Quamvis ergo a divitiis bonitatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen et largior est per indulgentiam remissio peccatorum et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur renovandis, crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde est gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Cujus peccatoris cor adeo frigore criminum induruit, ut non colliquescat calore pietatis, dum audit vocem sæpe dicti sacerdotis Christi, pro foribus Ecclesiæ dicentis, per tubas suas rationales : *Venite, venite, filii, audite me, timorem Domini, docebo vos ?* Nam, ut probemus hanc ejus esse vocem, sumptum est hoc de psalmo tricesimo tertio, cui titulus inscribitur : *Psalmus David, cum commutavit vultum suum coram Abimelech, et ferebatur in manibus suis, et dimisit eum et abiit.* Est autem celeberrimum in Scripturis sacris, et jam a nobis dictum est, David, id est *manu fortem* et desiderabilem, qui fugiens persecutionem Saul, venit ad Achis, qui hic appellatur Abimelech, et coram illo immutavit vultum suum, et ferebatur in manibus **65** suis (*I Reg.* XXI), significasse Dominum Jesum, qui coram Abimelech quod interpretatur *patris mei regnum,* scilicet coram Judæis immutavit vultum suum, id est sacrificandi ritum, quando immolato jam Paschæ veteris agno, sumens panem et vinum ferebatur in manibus suis, dicens: « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI.) » Hoc autem hac remissionis et gratiæ die factum est. Cum ergo tantus Pontifex Deo Patri assistit, tenens panem et vinum, et invitat omnes ad corporis et sanguinis sui convivium, nullum justum, nullum excipiens peccatorem, dicensque per ora pontificum : *Venite, filii, audite me,* cujus peccatoris vel saxeum pectus ad lamentum pœnitentiæ non emolliatur ? Magna vox invitantis est magnus et capax suscipientis sinus est, omnes ecclesiæ patent januæ, ut advertas neque ab austro neque ab aquilone venientes, id est neque justos neque peccatores debere prohiberi, quin accedant ad apertos divinæ misericordiæ fontes.

CAPUT XX.

De lotione pedum simul et officio.

Quod Dominus et Deus omnium pedes lavit discipulis suis, dupliciter nos videlicet morali pariter atque allegorico sensu instruit. *Si enim*, inquit, *lavi pedes vestros, Dominus et Magister, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes ? Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (*Joan.* XIII). Quomodo nos, cum simus pulvis et cinis, non erubescimus rigidam cervicem, et staturam, ad quam nemo nostrum cogitans cubitum unum potest adjicere (*Matth.* VI ; *Luc.* XII), in contemptum nostri similium erigere, cum audimus humani plasmatis Opificem, solo flexis genibus curvatum, lavandis discipulorum ne applicuisse vestigiis ? Hoc igitur facto, validum contra superbiam nostram suæ humilitatis posuit exemplum. Quod ideo jam moriturus egit, ut eorum quos suos conscribebat heredes mentibus arctius inhæreret. Solent enim piis et amantibus filiis arctius inhærere dicta vel facta, quæ pater moriens ultima dixit, quæ mandavit, quæ locutus est, quæ rogavit aut jussit. Porro per hoc humilitatis opus, majus aliquid mystice significavit, quod ideo prætereundum non est, quia totum inde officium hodiernæ missæ pendet. Per hoc namque quodammodo elocutus est, quia surrexerat a cœna, id est a convivio paternæ gloriæ et posuerat vestimenta sua, « semetipsum enim exinanivit, formam servi accipiens (*Philipp.* II), » et terrena carne nostra, quasi linteo (cujus utique materia nascitur e terra) præcinctus, sanguinem suum effudit velut aquam in pelvim, atque inde quotidie lavat pedes nostros, cum illum in remissionem peccatorum nostrorum sumimus. Pedes quippe nostros, id est actus nostros quotidie necesse habemus lavari, quamvis semel loti per baptismum, toti simus mundi per fidem. « Si dixerimus quia peccatum non habemus, » et sic lavari pedes nostros recusaverimus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Quamvis lotus, quamvis mundus esset Petrus : *Et si*, inquit Dominus, *non lavero te, non habebis partem mecum* (*Joan.* XIII). Cui par est illud, quod alibi dicit: « Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI). » Secundum hunc veracem et a Patribus approbatum hujus evangelicæ lectionis sensum, recte illa de Apostolo præmittitur lectio : *Convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam cœnam manducare* (*I Cor.* XI), etc. Illic enim ostenditur, qualiter hoc sacramento lavemur, et non *judicium* nobis manducemus et bibamus, videlicet ut *probet se* quisque nostrum, *et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*ibid.*). Nullo quippe alio modo melius a sordibus terrenorum actuum purificamur, si non peccata nostra foventes, sed odio habentes, et toto corde fugientes, ad hanc mensam accedimus. Quoties sancto altari assistimus, Christi utique personam, vicemque gerentes, sicut suo loco jam dictum est. Nam et Apostolus dicit : « An experimentum vultis ejus, qui in me loquitur Christus? (*II Cor.* XIII), » quoties hæc ejus verba super panem vinumque effundimus : « Hoc est corpus meum : Hic est calix sanguinis mei (*I Cor.* XI), » etc., ipse minister speciosus et elegans, qui « non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX), » de missa quodammodo atque

complicata imperii sui purpura, birro sustrictus byssino, totusque ministrorum in morem expeditus, propinaturus nobis calicem salutis cum pane vitæ, aureum liquidumque divinitatis suæ superfundit pigmentum, atque ita singulis subministrans haurientibus nobis in gaudio, infundit usque in interiores sensus animæ, purificatque eos qui terrena curantes, et si non penitus ea conculcent, tamen non possunt omnino evadere quin ex aliqua parte vel leviter sordidentur. Quod quanta charitate et humilitate faciat ut sciremus, illud nobis sui corporis et sanguinis sacramentum traditurus, prius pedes lavit, sicut jam dictum est; per hoc simile purificationem illam decentissime commendans. Recte ergo talis apostolica lectio jam dicto præmittitur Evangelio. Quia vero, *postquam lavit pedes* eorum *accepit vestimenta sua et cum iterum recubuisset, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis* (*Joan.* XIII), *etc.*, apte hæc offerenda sequitur: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini* (*Psal.* CXVII). Postquam enim ministerium nostræ salutis omne peregit, recepit vestimenta gloriæ et claritatem de qua dixerat orans in forma servi: « Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te (*Joan.* XVII). » Et recumbens iterum in dextera Dei « aperuit illis sensum, « dato Spiritu sancto, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV), » et scirent quid fecerit eis. Et tunc impletum est quod multo ante prophetatum, nunc eo respectu canitur, ut dictum est. Quod enim hic dicitur: *Non moriar, sed vivam*, hoc est quod Apostolus ait: « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim vivit, vivit Deo (*Rom.* VI), » ex illo recubitu suo. *Narrabo*, inquit, *opera Domini* (*Psal.* CXVII), et dicit: *Scitis quid fecerim vobis*, per interpretem suum Spiritum sanctum, quem dedit nobis. Reliqua patenter ad eumdem sensum pertinent.

CAPUT XXI.

Cur a prælatis lavari debeant pedes subditorum.

Interea valde notandum est quam vere, quam sapienter nobis consuluit in eo quoque exterius egit, dum apostolos suos omnesque prælatos Ecclesiæ, talis servitii quodammodo vectigales esse voluit, ut solemni more subditorum suorum pedes exemplo suo lavare debeant. Per hoc enim quotannis inculcat, et replicat id quod ait Lucæ XXII. « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super illos benefici vocantur, vos autem non sic, sed qui major est vestrum, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator. » Valde namque repugnantia sunt, dominari **66** ut reges gentium, et ex debito jussuque regulæ evangelicæ lavare pedes in modum servorum. Unde unus ex magnis apostolis: « Non prædicamus, inquit, nosmetipsos, sed Jesum Christum, nos autem servos vestros per Deum (*II Cor.* IV). » Sed non in vitiis suis possunt subditi hac libertate uti. Cum enim ho- [A] mines vitiose vivunt, bestiales, id est bestiis similes fiunt. Ut autem prælati Ecclesiæ bestialibus dominentur, vetus quoque illis auctoritas suffragatur, qua creatis primis hominibus præcipitur, ut bestiis terræ dominentur (*Gen.* I). Igitur ubi subditi similes fiunt bestiis, illic evangelicus homo dominari se debere jure recognoscit. Dum ergo prælati subditis suis hac die pedes lavant, dum cibum reverenter porrigunt, potumque miscent, perit auctoritas dominandi, totumque regum gentium et eorum, qui potestatem habentes benefici vocari affectant, deprimitur in ipsis supercilium. Quod autem lotis pedibus discipulorum os suum aperuit Dominus, sermonemque edidit splendidissimum, quo paracletum illum tam sedule repromittit Spiritum sanctum, quodque et nos, lotis [B] ejus exemplo pedibus, eumdem sermonem legimus vel audimus, hoc significat quod non nisi lotis et mundi gratia sancti Spiritus ostenditur. Unde et in Apocalypsi, cum Joanni dixisset angelus: « Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, et faciens iniquitatem et mendacium (*Apoc.* XXI), » protinus adjungitur: « Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni (*ibid.*). » De hoc fluvio et in Ezechiele legimus: « Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt (*Ezech.* XLVII). » Non enim omnes, ad quoscunque pervenit visibilis baptismi fons, salvi fiunt, alioquin Simonem Magum, visibiles baptismi aquas ingredientem, salus non refugisset (*Act.* VIII). Sed de hoc vitæ fonte pacisque fluvio dictum est, [C] penes quem est omne arbitrium salutis quem Dominus supradicto modo purificatis hoc subsequenti sermone se daturum repromittit.

CAPUT XXII.

De mandato pauperum.

Mandatum quod agitur inter pauperes, non omnino ejusdem rationis est. Illud enim Christi, hoc Ecclesiæ est. Illud dici præsentis, hoc præteriti spectat historiam Sabbati. Sabbato namque, quando *venit* Dominus *Jesus Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit, Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis pedes ejus, et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII). » Mulierem illam imi- [D] tatur Ecclesia, pedes Domini ungens, id est pauperes eleemosynis refovens, qui licet intima, tamen ejus membra sunt, et sicut pedes, ita magni corporis ejus, extremæ reputantur partes. Hos pedes capillis suis tersit, id est superfluis rerum suarum refecit, sicut Apostolus ait: « Vestra abundantia illorum inopiam suppleat (*II Cor.* VIII). » Hoc ergo mandatum Ecclesiæ obsequium est, ideoque cuncta congregatio pedes lavat pauperum, in illo autem soli, ut dictum est, prælati vice Christi deserviunt. In quo pulchre Dominum suum Ecclesia prævenit, ut antequam Christus discipulorum pedes lavet, ipsi discipuli pedes Christi, id est, pauperum et lavent et eleemosynæ unguento ungant; *et domus in qua*

Christus præsens futurus est, hora, qua pedes nostros ipse per prælatos nostros lab[illegible]vit, præparetur, *impleta hujus odore unguenti*. Hæc ita esse, ex eo quoque perspicuum est quod cantamus in diebus illis : *Mulier ergo Maria unxit pedes Jesu, et extersit capillis, et domus impleta ex odore unguenti.* Causæ hujus respectu rationabilis mos institutus ab iis apud quos regionis studium ferventius est, hoc modo tenetur. Primum pauperes intra claustrales officinas introducuntur, et antequam fratres debitum illis in lavandis pedibus charitatis exhibeant obsequium, discumbunt ad convivium, sufficientibusque ferculis reficiuntur. Nimirum tunc in illis Christus suscipitur in Bethaniam, id est domum obedientiæ, fidesque non vana gratulatur ibi se illi cœnam fecisse (*Matth.* x, xxv). Tunc cuncta congregatio consurgens tanquam mulier illa evangelica, Maria quippe illa typum Ecclesiæ gesserat; consurgens, inquam, de mensa, ad quam confidens et modice gustans, jejunium fregerat propter tantum hospitem (qui procul dubio in pauperibus suscipitur) convenit ante pauperes, ferens libram unguenti, id est intentionem eleemosynæ, suaviter coram Christo redolentis, et procumbens coram illis, sic per omnia tanquam Christo deservivit.

CAPUT XXIII.

Quod per horas trium dierum Ecclesia suum ordinem non servat.

Consummatis missarum solemniis, quæ ob causas supradictas festive celebrata, mediis tristitiæ nebulis, ut jam dictum est, quasi sol interfulserunt, statim profundiora ejusdem tristitiæ sequuntur et augescunt silentia. Non enim Ecclesia suum ordinem servat, quem a vigiliis nocturnis ejusdem diei mutare atque imminuere jam cœperat. A nocturnis ergo vigiliis incipientibus, tantæ mutationis seu diminutionis causas breviter exsequi cupimus.

CAPUT XXIV.

De inusitatis trium noctium vigiliis.

Primo dicendum est, harum trium noctium vigilias, quas et inusitato ordine decantamus, et in tenebris consummamus, exsequias esse triduanæ mortis Domini, et ideo mortis ejusdem luctui quintæ feriæ vigilias attributas, quia vesperam Sabbati, noctemque ipsam, « quæ lucescit in prima Sabbati (*Matth.* xxviii), » non decuit exsequiarum planctui deputari, cujus medio resurgens Dominus totam noctem ipsam cum præcedente vespera victoriæ suæ gaudiis illustravit. Extunc namque cœptum est, ut in omni solemnitate diem præcedat nox, semperque vespera futuræ diei claritate præfulgeat. Ut ergo triduanæ mortis Domini triduo peragamus exsequias, noctem feriæ quintæ ascivimus simul, quia miserrimi Judæ infami commercio jam venditus fuerat Dominus. Itaque quod canonici nunquam in privatis diebus, monachi vero neque privatis neque solemnibus unquam facere consueverunt, uterque ordo vigilias cum novem expendit lectionibus, tali ordine talique schemate, ut parum aut nihil ab officio defunctorum distare videatur.

67 CAPUT XXV.

Cur nulla fi[illegible] quæ [illegible].

Non solum autem, sed et cunctæ diei sic transiguntur horæ, ut neque initium neque finem habeant consueto more. Et recte; nam Dominus noster, qui initium et finis est sicut ipse ait : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* viii). » Et alibi : « Ego sum α et ω, initium et finis (*Apoc.* i), » ipse, inquam, qui est caput nostrum principiumque Jesus Christus, per hos dies ablatus est nobis, traditus in manus impiorum, et inter impios projectus. Itaque recte jucunditatis nostræ laudibus, id est regularibus horis capita præcidimus, finesque earum sub silentio abscondimus, et inter psallendum *Gloria Patri* omnino subtrahimus.

CAPUT XXVI.

Cur candelæ exstinguuntur.

Quod candelæ exstinguuntur, illud significat quod, crucifixo Domino, « tenebræ factæ sunt super terram, ab hora sexta usque in horam nonam (*Matth.* xxvii), » imo idipsum significat exstinctio candelarum, quod tenebræ illæ significaverunt, scilicet excæcationem Judaicæ gentis, quæ prius occisis prophetis et lapidatis eis, qui ad se missi fuerant, tandem occiso ipso Domino prophetarum (*Matth.* xxi), merito in tenebris perfidiæ projectæ et a lumine vultus derelicta est. Numerosa quippe luminaria, quæ surgentes ad vigilias ardentia reperimus, universos significant sanctos, qui prophetico sermone lucentes, solemque justitiæ nasciturum et passurum, tanquam stellæ præviæ nuntiantes, lumen divinæ scientiæ populo illi diversis temporibus infundere missi sunt. At illi, vitam eorum exstinguentes corporalem, cæcitatem sibimet intulere spiritualem, tandemque audire meruerunt, « ut veniat super eos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi (*ibid.*), » etc. Igitur candelæ in eo quod singulæ post singulos exstinguuntur psalmos, prophetas significant, qui singuli expleto prophetiæ suæ ministerio, ab illis occisi sunt. Illa quoque quæ ultima non major cæteris exstinguitur, ipsum Dominum significat, qui reputatus quasi unus ex prophetis, tandem occisus est; post quem nullus apud illos propheta surrexit, et hic exstinctus profundas illis erroris et perfidiæ tenebras reliquit.

CAPUT XXVII.

Quid tropi significant.

Plerisque moris est, ut exstinctis luminaribus, in ipsis tenebris lugubres tropi, præcinentibus cantoribus et choro respondente, flebili modulatione decantentur, incipientibus a *Kyriæ eleison*. Significant autem lamenta sanctarum mulierum, quæ, ut in Evangelio legimus, lamentabantur Dominum, « sedentes contra sepulcrum (*Matth.* xxvii). »

CAPUT XXVIII.

De novo igne.

Amisso igne, qui ad matutinos, ut dictum est,

exstinguitur, ad lapidem per eosdem tres dies confugimus, ut vel lapidem percutientes, ex abstrusis ejus venis ignem occultum eliciamus, vel liquidum crystalli lapidem sereno cœlo soli objicientes, radium ejus trajectum, per ejusdem crystalli orbiculum spectabili miraculo in subjectam suscipiamus escam. Nimirum per hoc nobis pulchre depingimus, quod Deus, qui « dixit de tenebris lucem splendere, illucescat in cordibus nostris ad illuminationem claritatis suæ (*II Cor.* IV) » per mortem Christi, quem sicut in matutinis præfiguratum est, Judæi sibimet exstinxerunt, et tenebræ factæ sunt. Lapis enim, cum de illo ignem sic excipimus, Christum significat, quem « lapidem reprobaverunt ædificantes, qui factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII). » Unde et in benedictione ejusdem ignis oratio talis est : *Deus qui per Filium tuum angularem scilicet lapidem, charitatis ignem tuis fidelibus contulisti, productum e silice, nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sanctifica*, etc. Prudentius quoque in hymno suo, qui cantatur in Sabbato sancto (18), cum dixisset :

.... Lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere,

ut ostenderet fieri hoc ad commemorandum illud, quod de lapide Christo procedit nobis ignis sancti Spiritus protinus adjunxit (19),

Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram
Nostris igniculis unde genus venit.

Lapis ergo, quem percutientes ignem elicimus, Christum significat, qui percussus verbere crucis, Spiritum sanctum nobis effudit. Quod si crystalli lapidem soli objicimus, escamque subjicimus, ut mediante crystallo carbones exstincti reviviscant aspectu phœbeæ lampadis, illud nobis gratissime commemorari debet, quod « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* II), » inter Deum exstinctosque homines medius interveniens, nostræque infirmitati usque ad mortem appropinquans, longe a nobis secretum ignem, id est sancti Spiritus altissimam divinitatem infundit, ignem utique Spiritus sancti, quem sicut testatur ipse, venit mittere in terram, et voluit vehementer accendi (*Luc.* XII). Non enim vana religio est, solemni processione ad novi ignis benedictionem exire. » Eamus, inquit Apostolus, ad eum extra castra, improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII). » Procedentes namque ad illum ignem, meminisse debemus exeundum nobis esse ad eum, quem Judæi extra castra civitatemque suam projecerunt, ut per ignem sancti Spiritus vitam æternam habeamus, credentes in eum, quem illi a præsenti vita exstinxerunt. Deinceps imminente vespera, majora tristitiæ sequuntur incrementa. Altaria spoliantur, vino et aqua lavantur, campanæ conticescunt, omnes, præter vigilias nocturnas, regulares horas absorbet triste silentium. Usum novimus, mysteria requiramus.

CAPUT XXIX.

Cur campanæ non sonant.

Signa Ecclesiæ, quæ campanas dicimus, sanctos Christi præcones significare suo loco jam dictum est, qui charitatis igne excocti, et divina instructione formati, in protectione Dei cœli, tanquam in turri fortitudinis commanentes (*Psal.* LX), imo suspensa mente pendentes quadam fraternæ dilectionis chorda commoventur, totaque die et tota nocte commoventur, ut non taceant prædicare nomen Domini, dicentes : « Qui reminiscimini Domini ne taceatis et ne detis silentium ei (*Isa.* LXII). » Notum est autem primos hujusmodi præcones, scilicet sanctos apostolos, non solum conticuisse, sed et relicto eo omnes fugisse (*Matth.* XXVI). Petrus quoque cæterorum princeps, cujus ab ore primum veritatis præconium « in omnem terram exivit (*Psal.* XVIII), » **68** dicentis : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XV). » vocem illam clarissimam repressit, conticuit, Christum reliquit, fugit et negavit (*Matth.* XXVI). Igitur ea hora qua Dominus traditus est, recte signis Ecclesiæ silentium indicimus, Christumque solum torcular calcantem, solum in ligno crucis, extenso corpore tympanizantem, testimonium veritati humili ac solitaria voce perhibentem, ligneo malleolo in tabula suspenso et personante, populumque ad Ecclesiam invitante significamus.

CAPUT XXX.

Cur altaria nudentur.

Cur altare nudetur scire volentibus facile liquet, si prius animadverterint, quid ipsum altare significet. Significat autem Christum, quia sic illud in templo, quomodo Christus toti corpori Ecclesiæ dignitate et honore præeminet. Quod si et auctoritas desideratur, occurrit illa Domini dicentis per Mosen : « Altare de terra facietis mihi (*Exod.* XX). » Quod beatus Gregorius sic exponit : « Altare de terra facere, est in incarnatione Mediatoris sperare. Tunc quippe a Deo nostrum munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est super Dominicæ incarnationis fidem posuerit, quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus (20). » Cum itaque nudum altare conspicimus, dignum illud memoria quod magnifice propheta, flebiliterque deplorat ; nostris intimis personare auribus, nostris internis præsentialiter debet apparere conspectibus : « Ecce vidimus eum, et non est species ei neque decor, et nos consideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit (*Isa.* LIII). Hæc de passione ejus dicta esse perspicuum est. Ille enim « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), »

(18) Prudent. Cathemerinon V, 7, 8 ; Patrol. tom. LIX, edit. Migne.
(19) Ibid., 9-12.

(20) S. Greg. Moral. lib. III. c. 26, n. 51, in Job II ; Patrol. tom. LXXV, edit. Migne.

qui « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* II), » maxime in passione sua visus est non habens speciem, neque decorem, et quasi absconditus vultus ejus. Nam antea decorus incedebat, et magnificabatur ab omnibus, quia sicut laudatur in Canticis : « Venter ejus eburneus, distinctus erat sapphiris (*Cant.* V), » id est naturæ infirmitas interdum cœlestibus in illo resplendebat miraculis. Ac nunc quia « Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, ascendit sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti (*Isa.* LIII). » Illa facies ejus et oculi, ex quibus, ut ait Hieronymus igneum quiddam et sidereum radiabat, verbi gratia quando vendentes et ementes ejecit de templo (*Matth.* XXI), quod infinitus facere non possit exercitus, illa inquam, facies nunc despiciebatur, alapis cædebatur, velabatur, conspuebatur. Vellebantur genæ ejus, quæ sicut areolæ aromatum gratum prope accedentibus spirant odorem, ita contuentibus benignitatem ejus exprimebant et mansuetudinem. Manus ejus, quæ ita faciles erant ad operanda miracula divini beneficii, ut merito dictæ fuerint « tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis (*Cant.* V), » vinculis astrictæ sunt, clavis confixæ sunt. Propter talia dictum est : « Et aspectus in eo non est, et non est ei species neque decor (*Isa.* LIII). » Insuper hoc ad denudati altaris causam pertinet, quod idem Dominus vestimentis suis spoliatus est. « Milites namque cum crucifixissent eum, diviserunt sibi vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem (*Joan.* XIX). » Et de tunica dixerunt : « Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit (*ibid.*). » Tale vinum bibit noster Noe (*Genes.* II), quod interpretatur *requies*, scilicet Dominus Jesus, in quo requiem invenimus animabus nostris, tale (*Matth.* XI), inquam, vinum bibit ex vinea sua, quam plantavit, scilicet ex gente Judaica, quam de Ægypto transtulit (*Psal.* LXXIX), quia cunctis amaritudinibus inebriatus, soporatus est somno mortis, et in cunctis a divinitatis suæ gloria nudatus ad tempus apparuit. Cum ergo altare Christum significet, recte ob commemorationem horum, vestitu et ornatu suo spoliatum est.

CAPUT XXXI.

Cur vino et aqua laventur.

Causa vero, cur laventur altaria, non minus his quæ dicta sunt, scientem delectat. Videlicet idcirco illa lavari institutum est, quia Dominus noster, quem altare significat, ut dictum est, de latere suo lancea militis perforato sanguinem et aquam effudit (*Joan.* XIX). Ideo lavantur vino et aqua. Vinum enim pro sanguine, in sacramento quoque sacrificii, ipso Domino auctore, ascitum est. Sanguinem, inquam, et aquam effudit de latere suo summus nostræ opifex salutis, quæ prima sunt ejusdem elementa salutis. Sanguine redimimur, aqua abluimur. Hæc enim aqua, prima sui fuit origo baptismi, quo baptizamur nos, quem a nullo accepit, sed ipse primus ejus auctor exstitit. Hoc ideo dicimus, ne putemus illum a Joanne suum accepisse baptismum, quod Romana auctoritas non concedit, Græcorum contradicendo traditioni, ut die Epiphaniæ baptismum celebremus, sicut in nocte paschali, quod et supra dictum est, ubi de die Epiphaniæ mentio facta est. Sed de origine baptismi opportunius dicemus, cum de morte Domini in sequenti Parasceve, vel Sabbati sancti officio, tractatus vel ordo cantuum poposcerit. Sciendum autem quod rectius faciunt hi quos et nos imitamur, et ordini evangelico magis eorum propinquat consuetudo, qui hodie quidem, id est feria quinta, altaria nudant, sed ipsa die Parasceves lavant. Nam hac feria quinta cœpit quidem Dominus ad vesperam agonizari, sed feria sexta sanguinem et aquam de latere suo lanceatus effudit. Idcirco et cum cantu ad passionem pertinente, vel cum psalmodia pœnitentiali lavare consuevimus. Hispidi quoque ramusculi, cum quibus lavantur, flagella significant, quæ pectus illud sacratum Deique capax atrociter secuerunt. Non enim divinitas inhabitans, passibilitatem carnis excluserat, sed veros dolores verasque virgarum vibices in illo nostra caro pertulit.

CAPUT XXXII.

Cur horas sub silentio cantamus.

Quod non solum campanarum clangor silescit, sed regularium quoque concentum horarum noster omnino chorus abscondit, illud significat quod apostoli Christi non solum prædicare cessaverunt, ut soliti fuerant circuire « per castella evangelizantes et curantes ubique (*Luc.* IX), » sed et nocte hac, postquam hymno dicto exierunt cum illo in montem Olivarum, diffugientes et oppressi tristitia, cuncti a laude communi conticuerunt. Idcirco autem a completorio profundum hoc incipitur silentium, quia circa hanc horam, cum dixisset discipulis : « Ecce appropinquavit, qui me tradet (*Matth.* XXVI), » ipsi graves esse cœperunt et præ tristitia dormitabant, tandemque ubi turba, et qui vocabatur Judas, venit, cum tenerent eum, « relicto eo, omnes fugerunt (*ibid.*). » Nec quisquam ex illis ad eum propius jam accessit, nisi discipulus ille, qui, ut Joannes ait, « notus erat **69** pontifici, quique dixit ostiariæ et introduxit Petrum (*Joan.* XVIII), » quem Hieronymus ipsum fuisse Joannem asserit.

CAPUT XXXIII.

Cur matutinas sicut horas sub silentio non dicamus.

Quæri hic potest, cur cum diurnas horas triste silentium operiat, nocturnas vigilias vel laudes intecta melodia depromat? Ad quod dicendum, tempus aliud per diem, aliud significari per noctem. Nam diurnis horis præsentiam significamus Dominicæ passionis, nocturnis autem vigiliis tempora priora, per quæ futuram eamdem passionem prophetæ prænuntiaverunt. Qui quia non tacentes interfecti sunt, idcirco nobis voces illorum proferentibus candelæ, ut supra dictum est, exstinguuntur, quarum ultima, quæ exstinguitur ad canticum Evangelii, ipsum Dominum, qui evangelizans occisus est, significat.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Parasceve.

Dies sextus ab illo quo Dominus noster civitatem Jesusalem cum gloria (*Matth.* XXI), quam mox invidia sequeretur, ingressus est, illud evidentius confirmat, quod superius commendatum est, scilicet hanc hebdomadam humanæ restaurationis respondere, mysteriorum ordine, primæ illi hebdomadæ mundanæ creationis. Nam hominem, quem in illius sexta feria Creator mirabiliter condidit, in hujus nihilominus sexta feria idem ipse Salvator mirabilius redemit. Dies hic Parasceve vocatur; parasceve autem *præparatio* interpretatur. Quo nomine Judæi, qui inter Græcos conversabantur, sextam Sabbati, quæ nunc a nobis sexta feria nuncupatur, appellabant, quod eo videlicet die quæ in Sabbatum forent necessaria præpararent, juxta quod de manna quondam erat præceptum: « Sexta autem die colligetis duplum (*Exod.* XVI), » etc. Qui vero inter Romanos vitam ducebant Judæi, usitatius eam Latine cœnam puram cognominabant. Quia vero sexta die homo factus, et tota mundi est creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, id est requiem vocari præcepit; recte Dominus eadem die sexta crucifixus humanæ restaurationis implevit arcanum. Unde, cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est* (*Joan.* XIX), id est sexta die, quod pro mundi refectione suscepit, totum est opus perfectum.

CAPUT II.

Cur hac die missa non cantetur.

De hac die primum illud quæritur, cur officium non habeat, imo (quod maxime mirum videtur) cur a missarum solemniis vacet, cum passio Dominica, quæ hac die celebrata est, sacrificii principium, nostræque salutis summa sit. Videtur namque jure tanta res solemnibus summe celebranda esse gaudiis. Si enim martyris uniuscujuslibet annua dies, qua per passionem mortis ad immortalitatis gloriam transmigravit, festivis honoratur gaudiis, et merito, quia « pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV), » cur dies hæc solemnium gaudiorum orbata est instrumentis, qua martyrum et sanctorum omnium Rex sanctis omnibus antiquis et novis per mortem suam paradisum aperuit et latroni quoque, cui dixit: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII), hoc die solutum est admirabile pretium, cujus pondere, ut cantamus, captivitas mundi redempta est, inferni claustra confracta sunt, et cœlestis nobis aperta est janua regni. Quæritur

A ergo, cur adeo publicis gaudiis exempta sit, ut nec missarum lætitiam ordinis ecclesiastici auctoritas illi ascripserit. Unde consulto gratiæ cœlestis oraculo, breviter aliquid super hoc capitulo dicendum est. « Gloriari quidem ut Apostolus ait, nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Gal.* VI), » et in gratia tanti pretii, quod pro nostra redemptione datum est, fideliter cunctis posthabitis exsultare gaudiis. Sed sunt aliqua quæ gloriam hanc et exsultationem nostram nimium nimiumque obnubilant. Primum nostræ conscientia causæ, propter quam imperiosa sanctæ Trinitatis charitas, hominem tantæ reverentiæ, tantæque dignitatis, qui cum Deo verbo una persona est, hominem invocantem, et morti nihil debentem, morti addixit, sicut Apostolus
B ait: « Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Non enim ita gaudere debemus de gratia tradentis, vel de charitate morientis, ut non etiam doleamus, quod tanto Domino tormentorum, et mortis causa fuimus. Siquidem non gaudere, ingratitudinis; non dolere autem, crudelitatis est. Non ita simus incauti laudatores providentiæ vel præscientiæ Dei, ut præscientiam ejus et ordinationem idem esse arbitremur. Non enim hæc, id est præscientia et ordinatio Dei, æqualia sunt, aut converti possunt, quia præscivit. Deus quidem omnia, quæ ordinavit, sed non præordinavit vel prædestinavit, ut fierent omnia, quæ prescivit. Nam de 70 homine, cum faceret eum, duo præscivit: scilicet et quomodo per fraudem diaboli decipiendus esset, et quomodo per
C omnipotentiam suam deceptum et perditum restaurare posset. Hæc, inquam, duo præscivit, sed eorum alterum, id est lapsum hominis, fieri permisit, ad cumulum diabolo debitæ damnationis; alterum autem, id est restaurationem ejus, præordinavit, ut, sicut ait Apostolus ad Ephesios, innotesceret « principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III). » Unde et Hieronymus in commentario ejusdem Epistolæ (21): « Si, inquit, principatibus et potestatibus in cœlis, quas sanctas ministrasque Dei accipere debemus, ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam revelata est, quanto magis patriarchis et prophetis ignota fuit, quos supra non ignorasse mysteria Christi, sed ita ut Apostolus
D [apostolos] nescisse, monstravimus. Multiplex quippe sapientia Dei per Ecclesiam ejus, nunc et principatibus et potestatibus revelata est, quam olim Deus futuram in sua mente decreverat, et nunc, esse perfectam ex eo quod videmus, agnoscimus. Crux itaque Christi non solum nobis, sed et angelis

(21) S. Hieron. Comment. in Epist. ad Ephes., lib. II, cap. 3, vers. 10, Patrol., tom. XXVI, edit. Migne.

cunctisque in cœlo virtutibus profuit, et aperuit sacramentum, quod ante nesciebant. Deo quoque ad cœlum cum corpore revertentem mirantur et dicunt: « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus « de Bosra? Iste formosus in stola sua (*Isa.* LXIII). » Et in alio loco: « Quis est iste rex gloriæ? Dominus « virtutum, ipse est rex gloriæ (*Psal.* XXIII). » Non ergo putemus divinæ ordinationis utrumque fuisse, et hominis lapsum, et ejusdem restitutionem, sed præscitum quidem lapsum fieri permisisse Deum, ad diaboli damnationem, restaurationem autem præordinasse, ad multiformis sapientiæ suæ ostentionem. « Et non sicut blasphemamur, inquit Apostolus, et sicut aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est (*Rom.* III). » Dixerat enim: « Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* V). » Quod quidam juste damnandi sic pervertebant, ut illum dixisse assererent quod oporteat nos facere mala, ut veniant bona. Quorsum hæc? Videlicet ut advertamus, quia multo magis Deus, cum faceret hominem, nec voluit, nec ullo modo dixit: Fiant mala ut veniant bona; sed eo nolente, eo prohibente, mortemque comminante, diabolo consentiens homo malum fecit (*Gen.* III); Deo autem disponente, bonum venit. Et « ubi abundavit peccatum, » in tantum « superabundavit gratia, » ut quia satisfactionem pro culpa nullus debebat, nisi homo, nullusque solvere poterat nisi Deus miseratus Deus homo fieret, qui cum pro se nihil morti deberet, moriendo pro nobis debitum nostrum solveret. Igitur nostræ, ut supra dictum est, conscientia culpæ gaudium nostrum reverberat, ut non exsultemus hac die, sed ambulemus demisso capite, quia vulnera illa nostra fecerunt crimina, quia contumaces servi commisimus, quod vapulat ille omnium Dominus, quia quæ ille exsolvit, nos rapuimus (*Psal.* LXVIII). Deinde evangelicæ quoque auctoritatis est, et ex Domini dictis accepimus, ut hac die gaudere Judæis relinquamus, et nos contristemur. Nam cum dixisset: « Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me (*Joan.* XVI), » secutus adjunxit: « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium (*ibid.*). » Adhuc autem huic tantæ rei tristitiam convenire probabili exemplo confirmat, dicens: « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum (*ibid*). » Mulieri quippe Ecclesiam suam assimilat, quæ quia Christum diligit, quem ex Deo Patre genitum, in nostram naturam suscepit, recte hac die moriente illo per mortem, quasi per partum in vitam æternam et in immortalitatis gloriam exeunte, tristitiam habet, et clamat « ut in utero habens, et clamat parturiens (*Apoc.* XII), » et quia postquam resurrexit, æterno suo regno natus, « gavisi sunt discipuli viso Domino (*Joan.* XX), » sicut ipse dixerat; « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI), » perpulchre perfecta est, quæ præmissa fuerat, mulieris similitudo, quæ postquam pepererit, « jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. »

CAPUT III.

Quod celebritas nostræ redemptionis a feria sexta ad Dominicam transferatur.

Differendum est igitur gaudium tantæ salutis, tantæ tamque necessariæ redemptionis, tanti pretii, cujus pondere captivitas mundi redempta est, inferni claustra confracta sunt, januæ cœlorum apertæ sunt, latro pœnitentium exemplum, cum Domino paradisum ingressus est (*Luc.* XXIII). Differendum, inquam, usque in diem tertium, quo tantus ille victor surrexit quo nobis victoriam suam annuntiavit, quo nobis in semetipso, quid de nobis speremus, ostendit, et tunc pro redemptione animarum, quæ hac die patrata est, et pro resurrectione corporum, quæ illa luce condita est, pro hoc, inquam, duplici munere inenarrabilis, inæstimabilis, infinitæ solemnitatis, dignitatis toto corde, toto ore totisque viribus concelebranda est. Hac interim die tristitia regnet, hac, inquam, die tristitia denominata, id est tristi die contristemur ad pœnitentiam. Gladius Dominicæ passionis nostram pertranseat animam, clavi manuum ac pedum ejus carnem nostram configant, crux ejus nostram suspendat concupiscentiam. Compatiamur, ut conregnemus (*Rom.* VIII). Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia tollitur de manibus. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici. « Dominus, inquit Moyses, pugnabit pro vobis et vos tacebitis (*Exod.* XIV). » Quandiu ergo torcular calcat solus, et indumentum ejus sanguine conspergitur (*Isa.* LXIII), quandiu ligatus deridetur, velata facie colaphizatur, et alapatus, consputus, quandiu illuditur veste alba indutus, itemque arundinem accipiens in dextera, vestemque purpuream, et spineam coronam, clavorumque fixuram, quibus in cruce pendens, legis factus est maledictum, bibitque aceti poculum, quandiu tot opprobriis exsaturatur (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXIII; *Joan.* XIX; *Deut.* XXI), tandiu nos, id est a mane usque ad horam nonam, juge ac profundum teneamus silentium, mœrori amicum, et interiorem penetrantes meditationis solitudinem, solventesque cum Moyse calceamenta de pedibus nostris, audiamus illum tanquam de medio rubi dicentem: « Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum ejus audivi, et descendi liberare eum (*Exod.* III). » Nunc enim quasi in rubo spinis inhæret, clavis confixus, spinisque coronatus, crucisque arbustum guttis sanguinis quasi rubentibus pullulat moris, ut, sicut ait quidam:

Tristes purgantur sanguine culpæ,
Quam contorta rubus densis cruciatibus edit.

71 CAPUT IV.

Cur hora nona convenimus adorare crucem.

Hora autem fere nona (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XVII ; *Luc.* XXIII), quando mox traditurus spiritum clamavit voce magna, dicens : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII) : » vidensque quod factum fuerat, et quod sic clamans emisisset spiritum, centurio, nostræ fidei præcentor, clamavit et ipse dicens : « Vere Filius Dei erat iste (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XXIII), » jussitque Pilatus ad petitionem Joseph reddi corpus, venitque Nicodemus ferens myrrhæ et aloes quasi libras centum, et acceperunt corpus Jesu, et involverunt linteis cum aromatibus (*Matt.* XXVII ; *Marc.* XVII ; *Luc.* XXIII ; *Joan.* XIX) ; tunc inquam, licuit his et aliis discipulis appropinquare, et querelas tanto funeri depromere, paulatim dilapsis persecutoribus : vel quia diutino Dominicæ mortis satiati spectaculo discesserant ; vel quia viso terræmotu, quo velum templi scissum est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, territi diffugerant (*Matth.* XXVII). Circa nonam igitur horam conveniamus et nos, et supremo funeri, non tam missale officium, quam funebrem exhibeamus planctum, quem et hoc ordine peragimus.

CAPUT V.

De officio vel ordine adorandæ crucis.

Narrandam sacræ passionis historiam illa duo præeunt animalia, de quibus et cantamus : In medio duorum animalium innotesceris ; scilicet lex et prophetæ, quæ illi concorditer attestantur, juxta quod Moses et Elias apparuerunt in monte, quando transfiguratus est, cum eo loquentes (*Matth.* XVII). Nam prima lectio Osee prophetæ est : *In tribulatione sua mane consurgent ad me : Venite et revertamur ad Dominum, quia cœpit et sanabit nos, percutiet et curabit nos, vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (*Osee.* VI). Secunda de Exodo est : *Dixit Moses filiis Israel : Mensis iste principium vobis mensium primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per domos et familias vestras, et immolabitis eum decimo quarto die mensis hujus ad vesperam* (*Exod.* XII), etc. Prima sane, resurrectionis præconium est ; secunda passionis, et eidem passioni, quæ hac die legenda est secundum Joannem, proprie congruit, maxime pro eo quod idem evangelista sumpsit hoc ex illa testimonium : « Os non comminuetis ex eo (*Joan.* XIX). » Singulas lectiones singuli sequuntur tractus, quem cantum proprium esse legentium, longe supra in Septuagesima dictum est. Primus nos ad tremorem excitare molitur, dicente Habacuc ; *Domine, audivi auditum tuum et timui* (*Habac.* III). Sic enim Habacuc hic ex eo quod in certamen et luctamen, ut ita dicam, amplexu cum Deo congreditur, amplexantis, id est luctantis sortitus est nomen ; « nullus enim, ut ait Hieronymus, tam audaci voce ausus est Deum ad disputationem justitiæ provocare, et dicere ei, cur in rebus humanis tanta versatur iniquitas? *Usquequo,* A *Domine, clamabo et non exaudies?* (*Habac.* I), etc. Si, inquam, hic Dei colluctator fortis et rigidus stans super custodiam suam et figens gradum super munitionem, dum Christum in cruce contemplatur, et videt cornua in manibus ejus, et ibi absconditam fortitudinem ejus *timui*, ait, *et expavi*, quid nos longe impares, longeque minorem in die judicii fiduciam habentes, quando videbimus manifestam in nubibus cœli fortitudinem illam, quam hic timet absconditam in cornibus crucis, quæ erant in manibus ejus? Quid facient tabulæ, si tremunt columnæ ? Recte ergo, ut nostrum tractus hic magis ac magis excitet timorem, in plerisque ecclesiis religione imitandis ita cantatur, ut post singulos versus semper primus vicissim nunc a principio, nunc a B medio repetatur. Sequens tractus : *Eripe me, Domine, ab homine malo* (*Psal.* CXXIX), secundum titulum ejusdem psalmi, qui est : *In finem psalmus David*, vox est ejusdem *manu fortis* propugnatoris nostri, pro nostra salute in passione sua decertantis, et hæc illi oratio hac de causa attribuitur, ut nos quoque simili exemplo in periculo existentes, orationis devotione a Domino liberari mereamur.

CAPUT VI.

Cur hac die legitur passio secundum Joannem.

Quamvis et ipse ordo scribendi poposcisse videatur, ut hac die post alios evangelistas passio Domini secundum Joannem legeretur, constat enim illum reversum de Pathmos insula, ubi exsilio relegatus fuerat, post omnes evangelium suum scripsisse ultimum ; tamen hæc altera major causa est, quia C præsens interfuit, et cæteris adesse non audentibus, ipse, quia, sicut de seipso ait, et sicut Hieronymus perhibet, *notus erat pontifici* (*Joan.* XVIII), fiducialius secutus est, et juxta crucem stetit. Stantibus enim juxta crucem Jesu, Maria matre ejus, et sorore matris ejus, *cum vidisset Jesus matrem suam, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus, deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (*Joan.* XIX). Et paulo post de se ait : *Et qui vidit, testimonium perhibuit, et testimonium ejus verum est* (*ibid*).

CAPUT VII.

Cur evangelista suum interposuit testimonium.

Non prætereundum tantæ hujus rei sacramentum, D cui sanctus evangelista tam diligenter suum interposuit testimonium, et congrua de Scripturis subjecit exempla. Dixerat enim, quia *milites*, qui fregerunt crura latronum, *cum venissent ad Jesum, et viderunt eum jam mortuum non fregerunt crura ejus, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Facta sunt*, inquit, *hæc, ut Scriptura impleretur, quæ dicit de eo : Os non comminuetis ex eo.* Et iterum alia Scriptura dicit : *Videbunt, in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX). Cur agnus qui immolatus est, noluit ut os comminueretur ex eo ? Non enim casu, sed eo nolente et disponente actum est. Siquidem non alia, quam quæ

voluit ac disposuit ipse ab his qui cum voluntate sua vel propria nequitia peremerunt, tormenta perpessus est. Unum de similibus nobis locutus est, hoc scilicet, quod, ut nos mortalis ac passibilis homo natus est. Cætera dissimilia nobis cuncta locutus est, quia quando voluit et quomodo voluit natus est, quando voluit, et quomodo voluit mortuus est. Cur ergo noluit, ut crura sua frangerentur, sicut et illorum sceleratorum, inter quos reputatus est? Videlicet, idcirco, quia ossium fractura nullum usquam bonum sua similitudine commendat.

72 CAPUT VIII.

Quod singula eorum, quæ Dominus passus est, aliquid mystice significent.

Consideremus ea, quæ in passione sua pertulit Dominus noster, et inveniemus alia quædam, quæ nos spiritualiter amplius ædificent, per illa significari. Nam non solum quæ gessit, et quæ pati voluit, sic disposuit, ut cum interiora perspexeris, si exteriora hæc attendas, sic utrobique consonam invenies similitudinem, quomodo ex qualitate seu ex proprietate figurarum vel apicum, eamdem scriptoris manum diversis in locis recognoscis.

CAPUT IX.

Quid crucis figura significet.

Primum ipsa crucis figura nihilne mysticum significat? Taceo, quod decentissimum esse nullus abnuat, salutem humani generis in ligno crucis constitui, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Quodque ait quidam :

Neve quis ignoret speciem crucis colendam,
Quæ Dominum portavit, ovans ratione potenti
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.

Illud non præteream quia salutis, quam operabatur, primas januas, id est fidem, spem et charitatem, quartamque illarum, perseverantiam, in ejusdem crucis, in qua pendebat, figura significabat. Habet enim crux longitudinem, latitudinem, sublime atque profundum, id est acumen, quo fixa terræ inhæret; longitudinem, id est usque ad brachia; latitudinem, in eorumdem expansione brachiorum; altitudinem, ab ipsis brachiis sursum versus, quo caput imminet. His autem quatuor supradictæ virtutes signantur : Profundo, fides, quæ occulta voluntatis Dei vocatione, prima in fundo cordis quasi fundamentum in ædificio, ponitur; longitudine, perseverantia; altitudine, spes, quæ nobis in cœlestibus reposita est; latitudine, charitas. Nam de his, inquit Augustinus, Apostolum dixisse intelligo : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum (*Ephes.* III). » Salutis ergo primos aditus in supplicii sui figura Salvator noster prædicabat.

CAPUT X.

Quid significet, quod aceti poculum cum gustasset, noluit bibere.

Per hoc autem quod oblatum sibi acetum, felle mistum, cum gustasset, noluit bibere (*Matth.* XXVII), reprobationem significat vineæ suæ, scilicet gentis Judaicæ. « Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.* V). » At illa, quam ipse exspectaverat, ut faceret uvas, et fecit labruscas (*ibid.*), tandem illi mortis miscuit amaritudinem, qua gustata modice, id est per triduum, jam de genimine vitis illius bibere non vult (*Matth.* XXVI). « Resurgens enim a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). »

CAPUT XI.

Cur chlamidem coccineam circumdari sibi permiserit.

Sed et quod clamidem coccineam, cum illuderetur, non dedignatus est circumdari sibi (*Matth.* XXVII), nunquid non congruit illi, quod propter nos in passione sua fungebatur ministerio charitatis? Coccus enim coloris ignei, qui in tabernaculo Domini offerri, et in veste sacerdotali bis tinctus jubetur assumi (*Exod.* XXVI), geminam significat dilectionem, Dei et proximi, qua fit ut quidquid offerimus, ignitum et quasi bene coloratum coram divinis placeat conspectibus. Ipse autem propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos (*Ephes* II), bibebat calicem passionis, sicut ipse, « ut cognoscat, inquit, mundus, quia ego diligo Patrem (*Joan.* XIV); » et : « Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » Igitur huic Regi nostro chlamys coccinea bene congruebat, ut ipso habitu se illum esse ostenderet, qui in lege significabatur per vitulam rufam, cujus corpus pro peccato jubebatur extra castra cremari, et cinis ejus in aqua cum hyssopo super populum aspergi (*Num.* XIX).

CAPUT XII.

Cur arundinem in manu acceperit.

Arundinem quoque sive calamum ab illudentibus accipere non recusavit in manu sua, « quo, ut ait Hieronymus (22), sacrilegium scriberet Judæorum, sive venenata interficeret animalia. » Habebat namque in manu sua virgam, id est, suam in propria potestate animam, ut volens poneret atque iterum sumeret eam. Et sicut Moses coram Pharaone suam projecit virgam, quæ versa est in colubrum, devoravitque versas in colubros virgas magorum, iterumque rediit in virgam (*Exod.* VII), sic ipse nunc suam quodammodo positurus erat animam, ut descenderet in mortem, quæ per colubrum intravit in mundum (*Sap.* II), colubrosque Ægyptiorum, id est, mortes absumeret peccatorum, atque iterum in virgam, id est in potestatem rediit pristinam.

CAPUT XIII.

Cur spineam coronam gestaverit.

Per spineam autem coronam illud visibiliter quoque significat, quod de illo propheta prædixit : « Et peccata nostra ipse portavit (*Isa.* LIII). » Spinæ namque peccata designant, quæ animam pungunt et lacerant. Nam et propter peccatum homini datæ sunt, dicente Domino ad Adam : « Cum operatus

(22) Hieron. Comment, in Evang. Matth lib. IV, cap. 27, Patrol. tom. XXXVI, edit. Migne.

fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et A tribulos germinabit tibi (*Gen.* III). » Cætera quoque omnia, quæ passus est, quibus illusus est, mysteria simul et moralia continent documenta. Nam in eo quod facies ejus velatur, ac deinde colaphizatur, velamen illud significat, quod super corda Judæorum expandebatur, ut videre illum non mereantur quem nunc usque in synagogis suis conviciis colaphizant et exalapant maledictis. Nobis autem fortissimum in his omnibus præbet humilitatis exemplum. Quis enim non erubescat collum erigere, et pingui armari cervice (*Job.* XV), cum Deus et Dominus omnium ab illudentibus sit pro nobis colaphizatus? Nam hominis humilitatem imitari superbi dedignaremur, humiliato sub tot conviciis Deo, superbire erubescamus.

73 CAPUT XIV.

Cur sua crura frangi noluerit.

Qui ergo cætera rationabiliter pertulit, non frustra, sed disponente eo frangi sibi crura noluit. Ossa namque quæ ubique in Scripturis mystice pro virtutibus accipiuntur, nihil nobis mysterii prædicarent in eo quod frangerentur. Sed econtra crura ejus in eo quod integra conservata sunt, illud nobis mysticant, quod universæ viæ ejus rectæ et inviolabiles sunt (*Psal.* CXVIII). Crura namque ejus, vias ejus significant, unde et in Canticis dicitur: « Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas (*Cant.* V), » id est itinera ejus pulchra super divinitatis sapientiam in rectitudine firmata. Quid igitur vitata crurum fractura fieri maluit?

CAPUT XV.

Cur sanguinem et aquam de latere suo fuderit.

« Sed unus militum, inquit evangelista, lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). » Cur igitur hoc fieri maluit? Videlicet, ut illam super nos effunderet aquam cum sanguine suo, quam dum commendaret, dixerat: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei (*Joan.* III). » Siquidem hujus aquæ sacramentum ab hoc miraculo sumpsit exordium. Baptizatus ergo Dominus in passione sua (*Luc.* XII), talem ad nos salutiferæ mortis participationem jam mortuus emisit. Non est novum hoc aut mirum, quod illum in passione sua dicimus baptizatum, matre filiorum Zebædei postulante ac dicente « Magister, dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam in regno tuo (*Matth.* XX), » respondens dixit: « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? (*ibid.*) » Qui cum respondissent: « Possumus, calicem, inquit, meum bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini (*ibid.*), » etc. Nomine calicis sive baptismi passionem voluit designare martyrii, qua et ipsum et illos decebat consummari. Unde et alibi de passione sua loquitur: « Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? (*Luc.* XII). » Græce autem baptismus, Latine *ablutio* dicitur. Quas ergo sordes habebat Dominus, ut baptismo passionis ablueretur? Nempe mortalitatem nostram et passibilitatem, propter quam sordidus et contemptibilis apparebat hominibus sicut in Zacharia legimus: « Jesus autem indutus erat sordidis vestibus. Dixit autem angelus his qui stabant coram se: Auferte ab eo vestimenta sordida (*Zach.* III). » Jesus, inquit Hieronymus, indutus erat sordidis vestibus, qui cum non fecisset peccatum pro nobis peccatum factus est, et ipse infirmitates nostras tulit (*Isa.* LIII; *II Cor.* V). Et in Apostolo legimus: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (*Gal.* III). » Hic in vicesimo primo psalmo loquitur: « Longe a salute mea verba delictorum meorum. » Et in sexagesimo octavo: B « Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. » Quæ universa, inquit, appellantur sordida vestimenta, et auferuntur ab eo, cum in morte sua nostra delet peccata. Cum igitur « videmus Dominum Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum (*Hebr.* II), » et a nostris quæ ipse portaverat, ablutum, recte illum accipimus suo baptismo in morte sua baptizatum atque ut eumdem suum ad nos transfunderet baptismatum, sanguinem et aquam de latere suo profudisse jam mortuum. Baptismum autem, quo a Joanne baptizatus est, non ad eamdem pertinuisse virtutem, alias jam dictum est.

CAPUT XVI.

Cur nec solus sanguis, nec sola aqua de latere ejus exivit, vel cur aqua sanguini sociata sit.

C Idcirco nec solus sanguis, nec sola de latere Salvatoris aqua manavit, quia divinus ordo nostræ salutis utrumque depoposcit. Sanguine namque redimimur, aqua abluimur. Nec ad hoc redempti sumus, ut tales nos ille possideret, quales eramus prius. Unde et Apostolus: « Non enim, inquit, vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Jesu (*I Thess.* IV). » Et in alio loco, cum priora commemorasset peccata: « Et hæc, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis (*I Cor.* VI), » etc. Ut ergo esset unde a peccatis lavaremur, aqua, quæ corporales tantum lavare poterat sordes, sanguini, qui est pretium nostræ redemptionis, sociata est, et ex ejus societate virtutem atque auctoritatem sumpsit, ut ad abluendas invisibiles pecca- D torum sordes, digna sit sancto cooperari Spiritui. Societate, inquam, vivifici ac pretiosi sanguinis hoc accepit, ut comparetur vera similitudine Rubro mari, per quod salvatus populus transivit, Pharaone submerso cum curribus et equitibus suis (*Exod.* XIV). Nam fugientes Ægyptum hujus sæculi, mundatos in veram repromissionis terram transmittit, diabolum persequentem penitus absorbet cum præteritis actibus et pompis suis. Igitur, ut supradictum est, longe rationabilius fuit, ut lancea militis latus Domini aperiretur, quam ut ejus crura frangerentur. Rationabilius, inquam, ac decentius tanto fuit salutis artifici, valdeque accessit ad pulchritudinem

operis, ut illud sibi mortuo de latere educeret, unde nasceretur Ecclesia, qui dormienti Adæ costam eduxit, unde formaretur Eva (*Genes.* II). Hac enim similitudine quid pulchrius, quid elegantius, quid dulcius? Siquidem ille primus Adam obdormivit, iste secundus, ut dictum est, resurrecturus obiit. Illi Dominus soporem immisit, huic Pater calicem passionis dedit.

« Egredimini ergo et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis illius (*Cant.* III). » Egredimini, inquam, de tenebris illis, quæ « super terram factæ sunt ab hora sexta usque in horam nonam (*Matth.* XXVII), » imo de illis, quæ per illas significatæ sunt, et nunc operiunt faciem cordis Judæorum. De his ergo tenebris exite et videte intenta contemplatione illum, qui « vos vocavit in admirabile lumen suum (*I Petr.* II). » Regem magnum, regem pacificum in diademate spineo, quod est charitatis et magnæ miserationis ornamentum, quo coronavit eum mater sua Synagoga in hac die desponsationis ejus, qua, ut dictum est, nasciture sibi sponsæ Ecclesiæ in lætitia cordis sui prima elementa produxit.

CAPUT XVII.

Cur hac die solemnes fiunt orationes pro statu Ecclesiæ.

Omni quidem tempore pro statu sanctæ Ecclesiæ fideliter orandum est, sed hac die præcipue solemnes pro illa orationes secundum graduum vel dignitatum ordines ac diversitates, a sacerdote perorandæ, rationabiliter **74** institutæ sunt. Hac enim die Salvator noster pro cunctis oravit, et commune pro omnibus sacrificium factus est, de quibus et passioni appropinquans, imo jam ad aram crucis pene assistens, cum pro discipulis suis rogaret, dixit : « Non pro his tantum rogo, sed et pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me (*Joan.* XVII). » Nempe hic ille erat magni consilii Angelus (*Isa.* IX), de quo in Apocalypsi legimus : « Stetit angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua (*Apoc.* VIII). » Hodie juxta aram templi, id est in conspectu Ecclesiæ assistens, aureum immaculati corporis thuribulum in conspectu Dei, pendens in cruce sustulit, et orationis incensum dignum cum clamore « valido et multis lacrymis, ut ait Apostolus (*Hebr.* V), » pro nobis adolevit. Recte ergo et nos cum illo solemnes pro nobis et pro cunctis orationes offerimus, juxta quod illic additum est : « Et data sunt ei incensa multa (*Apoc.* VIII). » etc.

CAPUT XVIII.

Cur pro Judæis genua non flectimus.

Ubi notandum, quod cum in singulis orationibus ad pronuntiationem diaconi *genua flectamus*, in ea tantum, quæ pro Judæis dicitur, hoc non facimus, videlicet, quia donec plenitudo gentium subintroeat, cæcitas, quæ contingit in Israel (*Rom.* XI), nullius orationis manu depelli vel expelli potest. Itaque divinis nec debere, nec velle, aut posse contraire

A judiciis profitentes, vehementer pro illis nunc intendendum non esse rationem significamus in eo quod genua non flectimus, et tamen oramus utcunque et pro his, quia futurum est ut illos quoque trahat ad se, qui idcirco in cruce exaltatus est, ut ad seipsum omnia traheret (*Joan.* XII).

CAPUT XIX.

Cur ab his, qui crucem apportant, cantetur : « Popule meus » et aliæ antiphonæ, et ad singulas respondetur Græce Ἅγιος, *et Latine « Sanctus, Deus. »*

Tres istæ antiphonæ, *Popule meus* : *Quia eduxi te, quid ultra debui*, quæ aportando crucem decantantur, sensibus parum aut nihil differentes, verbis quoque ac modulatione consimiles, triplicem significant Scripturam tituli, sensumque ejus consonant, B qui super caput Domini Hebraice, Græce ac Latine descriptus est : « Jesus Nazarenus rex Judæorum (*Joan.* XIX). » Nam, quia ibi scriptum est : « Jesus Nazarenus, » hic per singulas antiphonas in fine subjicitur, *Salvatori tuo* ; juxta interpretationem ejusdem nominis. Et quia vere est « rex Judæorum, » licet hoc illi negaverint, et titulum quoque mutare voluerint, dicentes : « Noli scribere rex Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum (*Ibid.*); » hoc in eisdem antiphonis astruitur ab effectis, verum et antiquum exponendo Regis officium, videlicet quod eduxerit eos de terra Ægypti, quod deduxerit per desertum quadraginta annis, quod manna cibaverit; quod in terram satis bonam introduxerit. Et quia causa hæc Jesus Nazaremus rex Judæorum, C tripliciter, ut dictum est, scripta est, id est Hebraice, Græce et Latine, ad singulas antiphonas, quibus in fine subjicitur, *Salvatori tuo*, quod est in illo titulo Jesus, Græce et Latine respondetur Ἅγιος, ἅγιος, Sanctus, sanctus, quod est in eodem titulo Nazarenus, Hebraice; vero non respondetur, videlicet, quia gens illa regem suum adhuc negat, tituiumque illum averso corde maledicit et detestatur. Supradictas ergo cantando antiphonas illo defertur crux, quo sibi Græce et Latine fideliter respondetur, quia videlicet, crucifixus Dominus, a negantibus Judæis sese promovens ad confessionem gentium proficiscitur, appropinquantibus apostolis et cantantibus, id est totis viribus opprobrium crucis (*I Cor.* I), quam non erubescunt (*Rom.* I), prædicantibus, et interdum multa passis gravique persecutionum pondere fes- D sis ; quod et pulchre significatur per quod ejusdem crucis portatores nunc eunt, nunc tanquam lassi subsistunt.

CAPUT XX.

Quid significet quod crux hactenus operta nunc discooperitur.

Velamen, quo hactenus tegebatur eadem crux, quodque aufertur, dicendo : *Ecce lignum crucis*, velamen illud significat, sub quo sese Dominus a Judæis abscondit, quodque cordi eorum oppansum est, nobis autem revelatur, quia ut ait Apostolus, in Christo aufertur (*II Cor.* III). Nobis enim seipsum ostendit in prophetis, sensumque aperuit, ut intelli-

gamus prophetas, non sicut Moses ponebat velamen super faciem suam (*Exod.* XXXIV), dum non possent filii Israel intendere in faciem ejus (*II Cor.* III), » sed faciem nobis revelat, « ut gloriam ejus speculantes, in eamdem imaginem transformemur a claritate legis in claritatem Evangelii, tanquam a Domini spiritu (*ibid.*). » Hæc revelatio primum per illud significata est, quod eo tradente spiritum, « velum templi scissum est a summo usque deorsum (*Matth.* XXVII). » Extunc enim omnia legis sacramenta patuerunt, atque ad gentilium fidem arcana Judæorum transierunt. In Evangelio quoque secundum Hebræos, superliminare templi infinitæ magnitudinis, inquit Hieronymus, fractum esse atque divisum legimus. Præterea Josephus refert virtutes angelicas, præsules quondam templi, tunc pariter conclamasse, « Transeamus ex his sedibus. » Sed et in hoc, quod « terra mota est, petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*ibid.*), » juxta litteram quidem magnitudo signorum est, quod crucifixum Dominum cœlum et terra et omnia contremiscant, sed mystice tremorem significat credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis et emollita cordis duritia, qui prius erant similes tumulis mortuorum, postea cognoverint Creatorem. Unde et in psalmo: « Commovisti, Domine, terram et conturbasti eam (*Psal.* LIX). » Item: « Commota est et contremuit, terra (*Psal.* XVII). »

CAPUT XXI.

Item de cruce.

Hæc ergo crucis adorandæ revelatio, sicut et illa veli templi scissio, illud mystice significat, quod credentibus in crucifixum clausa prius Scripturarum mysteria pateliant. Nam per creditam Christi passionem vel crucem, nunc intelligimus sacramenta legis et arcana prophetarum, verbi gratia, cur Pharao vel Ægyptus, quæ decem plagis verberata non cessit, solo sanguine agni victa, filios Israel dimisit, et quis ille sit in prophetis, cujus « factus est principatus super humerum ejus (*Isa.* LV); » quisve « sicut ovis ad occisionem ductus sit, et sicut agnus coram tondente se obmutuerit, et non aperuerit, os suum (*Isa.* IX). » Hæc et cætera clausa prius, nunc crucem Christi suscipientibus aperta sunt. Sicque factum est, ut bibere jam possimus de aquis Mara, quas, sicut **75** in Exodo legimus, non poterat bibere populus, donec clamante Moyse ad Dominum, ostendit ei Dominus lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt (*Exod.* XV). » Aquæ enim Mara legem significant, quæ non parvam in se amaritudinem habet, dum dicit: « Oculum pro oculo, dentem pro dente (*Deut.* XIX), » et similia. Dulcescit autem per lignum, dum proposito Dominicæ passionis exemplo, ei qui te percusserit in maxillam, præbes et aliam (*Matth.* V), etc. Adoramus igitur in cruce Domini nostri Jesu Christi opportunam, ut ait Paulus, gloriam, salutem acquisitam, reducem vitam, salvationem perfectam, liberationem perpetuam. Adoramus crucem, fidei præsidium, spei A firmamentum, charitatis solium, misericordiæ titulum, pietatis argumentum, gratiæ vehiculum, pacis vexillum. Adoramus crucem, quæ superbiam excidit, invidiam obtrivit, culpam correxit, pœnam destruxit. Crux Christi, janua cœli, clavis paradisi, diaboli dejectio, hominis erectio, captivitatis nostræ solatium, libertatis pretium. Crux exspectatio patriarcharum, promissio prophetarum, triumphus regum, dignitas sacerdotum. Crux tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos sublevat, pauperes honestat. Crux tenebrarum excidium, lucis infusorium, mortis effugium, vitæ navigium, salutis imperium. Quidquid Deo proficimus, quidquid acquirimus, quidquid speramus, adorandæ crucis est fructus. Per crucem Christus ad se traxit omnia (*Joan.* XII). Regnum Patris, sceptrum Filii, sigillum Spiritus sancti, B totius est testimonium Trinitatis.

CAPUT XXII.

Cur pridie Dominicum corpus in hodiernum diem reconditum sit.

Causa poscere videtur, ut die Dominicum corpus conficientes, et inde usque ad Sabbatum recondentes, toto eodem Sabbato jugi silentio consopiti, usque in primam Sabbati ab omni diurno psallentio cunctoque sacri altaris ministerio vacaremus. Sic enim rei proprius accedere putaremur pro eo quod hac die Dominus noster immolatus, Sabbato quievit in sepulcro, totamque sequentem noctem discipuli ejus in tristitia transegerunt, donec diluculo redeuntibus a monumento mulieribus, quæque audierant et viderant referentibus, paulatim respirare et in gaudium C reviviscere cœperunt. Verius itaque triduanam Domini mortem observare videremur, et illam de veteri historia similitudinem rectius tenere, qua dictum est de manna, quod filiis Israel in figuram Dominici corporis datum est: « Die sexta colligant quod inferant, sitque duplum quam per singulos dies colligere solebant, quia die septima non invenietur (*Exod.* XVI). » Nunc autem econtra die septima apud nos invenitur, quia post meridiem corpus solemniter in voce exsultationis et laudis conficimus. Hac vero die sexta quodammodo non invenitur, quia non conficitur, sed pridie, id est feria quinta, illatum et reconditum est, quod hodie sumamus. Cur ita fiat, quia ratione non vacat, vigilanter intuendum est. Dominus noster non tunc solum vel tunc primum D immolatus est, quando a Judæis in cruce suspensus est, sed et pridie, quam pateretur, quando accipiens panem et calicem benedixit, et dedit discipulis suis, dicens: « Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei (*Matth.* XXVI), » suis manibus immolatus est, suis ipse manibus nobis, ut jugiter immoletur, agnus commendatus est. Ab illa immolatione prima Sabbati, tertia dies, ab ista vero Sabbatum ipsum tertia nihilominus dies est. Constat autem quod, ut superius dictum est, noctem sive vesperam Sabbati ab illo silentio vel tristitia, quam exigebat requies sepulcri, causa illa vehemens abstrahit, quod in parte ejusdem noctis Dominus

resurgens, totum illum comparabilis gaudii jubare A sol verus illustravit. Triduum ergo Dominicæ mortis, quod perfici nequivit eo respectu quo ipse a Judæis est trucidatus, pulchre et rationabiliter ad hunc respectum transponitur quod ipse suis manibus est immolatus. Cujus rei vel maximum illud est judicium, quod tribus his noctibus minutas, exstinctis luminaribus, canimus vigilias similitudinem tenebrarum, quæ patiente Domino, super terram factæ sunt, significando, ut supra dictum est, cæcitatem, quæ extunc accidit in Israel (*Rom.* xi). Sicque fit ut sacrificium novum, quod mortem Domini pridie per manus ipsius præcesserat, resurrectionis ejus nihilominus pridie, quod est in sacrosancti Sabbati vespera, solemniter occurrat. Itaque quomodo hac die, quæ est feria sexta, qua Christus hostia salutaris B a suis trucidatur inimicis, recte a nobis quasi sepultum est sacrificii decus, et cœleste illud manna, quia hodie non invenitur (*Exod.* xvi), feria quinta paravimus et intulimus quod hac die sumamus, fuitque duplum quam per singulos dies colligere consuevimus (*ibid.*).

CAPUT XXIII.

De eo quod duo presbyteri corpus Dominicum de loco, quo pridie reconditum fuerat, deferant, et quod dicitur super illud oratio Dominica tantum.

Tandem salutata cruce, duo presbyteri deferunt ad altare corpus Dominicum, quod pridie reconditum est, et assistens sacerdos præmissa oratione sic incipit : *Oremus, præceptis salutaribus moniti.* Constat locum hunc esse in canone, ubi elevato C calice cum corpore Domini dicitur : *Per omnia sæcula sæculorum,* et sequente Dominica oratione, rursus operitur calix, per quod nobis illud ex passione Domini repræsentatur, quod depositum corpus ejus de cruce, sepultum est. Sed de hoc in secundo hujus opusculi libello jam dictum est, quo et cætera, quæ secundum ordinem Dominicæ passionis in canone dicenda erant, adnotata sunt. Nunc illud dicendum est duos presbyteros, qui corpus Domini ad altare deferunt, significare Joseph justum ab Arimathia et Nicodemum, qui petitum et concessum sibi a Pilato corpus Jesu, detulerunt ad sepeliendum (*Joan.* xix). Nos autem cum silentio communicamus, sed sanguis ille, quem sumimus, ad Deum de ore nostro clamat, sicut scriptum est : « Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra D (*Gen.* iv). » Nos enim, id est Ecclesia, terra sumus, quæ aperit os suum et sanguinem Abel (*ibid.*), id est Christi, bibit fideliter, quem Cain, id est populus Judaicus, effudit crudeliter. At ille maledictus est super terram eamdem, vagusque, et profugus est super eam (*ibid.*), sicut scriptum est in psalmo : « Disperge illos in virtute tua (*Psal.* lviii). » Maledictus, inquam, illa maledictione, quam sibi posterisque suis ultro arrogavit, dicendo : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* xxvii). »

76 CAPUT XXIV.

Incipit de Sabbato sancto.

Sabbato post profundam tristitiæ noctem diescit nobis post meridiem in summam lætitiæ claritatem, imminentemque vesperam noctis ejus, qua verus sol Christus ab inferis victor ascendit. Omnis anima Christiana vigilanter attendens et præexsultans, plaudit sibimet et dicit : *Et nox ut dies illuminabitur, et nox illuminatio in deliciis meis* (*Psal.* cxxxviii). Quapropter quotquot sacerdotalis aut levitici sumus ordinis, jure *pro tanti regis victoria tuba intonamus salutari*, juxta illud in psalmo : « Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ (*Psal.* lxxx). » Quis enim dies nocte hac insignior ? quæ solemnitas hac victoria præstantior ? quæ alia nostra est neomenia, nisi illa, qua hac nocte in Christo per baptismum renascitur nova Ecclesia ? Jure ergo nunc *angelica turba cœlorum*, exsultat, *tuba salutaris* insonat, gaudet *tellus, mater Ecclesia* lætatur, et omnis aula divini nominis magnis resultat populorum vocibus.

CAPUT XXV.

Cur hoc Sabbatum vocetur sanctum.

Sabbatum hoc pro magnitudine rei commune nomen excessit, quod est vigilia, scilicet attenta, exspectatio vel præparatio cujuslibet magnæ et cum devotione suscipiendæ festivitatis. Dicitur autem Sabbatum sanctum, tum propter alia plura, tum maxime propter hoc quod ad suscipiendam tantam luminis claritatem, nova Ecclesia sacro baptismi fonte sanctificatur. Hac enim die solemne est juxta veram et evangelicam Patrum traditionem, fontes benedici, et præparata per fidem, tam corporum quam animarum credentium vasa, regeneratione nova sanctificari. Præparantur animæ, quæ mortuæ fuerant, vitæ victrici, morte victa (*Ose.* xiii ; *I Cor.* xv) ; de bello revertenti, ut in magna regis Christi curia nullus sit vernaculus aut servus emptitius, qui non ad ingressum triumphantis Domini gratiæ serico, castitatis auro vestiatur. Sed de hoc in sequentibus suo loco dicemus.

CAPUT XXVI.

Quot vel quibus ex causis præfulgeat paschalis solemnitas.

Nunc, antequam de ordine vel ratione officii disseramus, dicendum est, quot vel quibus ex causis Paschæ solemnitas tam illustris tamque celebris habeatur. Multi enim solum hoc in illa respiciunt, quod « in prima Sabbati » resurrexit Dominus (*Matth.* xxviii), unde et dies Dominicæ, resurrectionis appellatur. Magna plane solemnitatis et lætitiæ cordis nostri materia ; quia, dum illo resurgente resurrectionem mortuorum esse credimus, nos quoque resurrecturos esse sperantes, jure gaudemus. Verum in hujus contemplatione solemnitatis nunquam illud gaudium memoriæ nostræ debet præterire oculum, de nostrarum redemptione animarum, quod, ut superius dictum est, in hanc diem dilatum est a feria sexta, qua per crucem et sanguinem

suum Salvator noster illam operatus est. *Hæc sunt enim festa Paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, ejusque sanguine postes consecrantur. Pascha* quippe *nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* v), *qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.* Duæ sunt iste Paschalis magnæ et innumerabiles causæ festivitatis : redemptio annimarum, quæ die Parasceves morte Christi parta est ; et resurrectio corporum, quæ prima Sabbati Christo resurgente data atque confirmata est (*I Cor.* xv). Additur his tertia necessaria baptismatis solemnitas omnem nobis illarum conferens utilitatem vel fructum, quæ pro eo quod ab illis exordium, totumque suæ rationis sumpsit sacramentum, recte in eisdem paschalibus gaudiis addita est. Tribus igitur ex causis *nox hæc ut dies*, illuminata refulsit *in deliciis nostris. O vere* festa dies, vere *beata nox*, nobilitas anni, mensis decus, arma dierum, splendor horarum, nox in qua desertus infernus, apertus est paradisus. Nox ista, mortis exitus, vitæ reditus est. Lux gratiæ, splendor gloriæ, suavitatis poculum, fluvius deliciarum, inundatio pacis, acquisitio fortitudinis, laus consilii divini. Hac nocte cessavit exactor, quievit tributum, captivi redditi sunt, lassi respiraverunt, contracta est virga persequentium, computruit jugum dominantium. Pulchritudine noctis hujus paradisus refloruit, cœlum purpuratum est, angeli candidati, homines exhilarati sunt. Nox ista Pascha dicitur. Pascha autem Hebraice, Latine dicitur *transitus*. Quia ergo transivit ? unde et quo transivit ? Christus Dominus transivit de hoc mundo ad Patrem, de morte ad vitam, de ignobilitate ad gloriam, de servitio ad regnum, de contumeliis ad honorem, de fluctibus sæculi ad portum cœli, de medio latronum ad Patris consessum. Transivimus et nos. « Pascha enim nostrum Christus est, » transitus noster immolatus Christus est. Quo ergo transivimus ? Quam ex longinquo ? Transivimus a duplici perditione ad duplicem corporis et animæ salutem, de diabolo ad Deum, de hoste ad Patrem, de tyranno, qui nec Deus est, et nec homo, ad Regem nostrum, qui Deus est, et homo. Transivimus, inquam, de tenebris ad lucem, de fatigatione ad requiem, de planctu ad canticum, de nuditate ad tegumentum, de paupertate ad opulentiam, de reatu ad gratiam, de pœna ad gloriam.

CAPUT XXVII.

Cur Pascha non celebretur ante plenilunium, quod primum occurrit post vernum æquinoctium.

Tam jucundam solemnitatem, tam miram veri luminis claritatem, tam splendidam gratiæ celsitudinem omnis sexus agnoscere, omnis ætas in mente habere, omnis debet conditio suscipere. Nescire enim calamitatis ; non habere, captivitatis ; non indigere, damnationis. Siquidem paganus, quia nescit, miser est ; quia non habet Judæus, captivus est ; quia non diligit hæreticus, damnatus est. Ut ergo tamen hoc bonum majorum sapientiam delectet, minorum infantiam lætificet, mediocrium profectus ædificet, A divina suffragatur auctoritas, elementorum concurrit natura, ecclesiastica simul nititur industria. Divinæ namque auctoritatis est, et ex antiqua lege Mosi traditum, ut non celebretur ante primi mensis plenilunium (*Exod.* xii), videlicet ubi primum plena luna post vernale occurrit æquinoctium. Valde hoc delectat ingenia sapientium, quia magnum et pulchrum in se continet mysterium. Luna quippe, quæ proprium non habet, sed a sole mutuatur lume, sanctam significat Ecclesiam, quæ non habet a semetipsa, sed a vero sole Christo interni luminis accepit gratiam. Æquinoctium vero, quo transacto, jam dies noctem **77** supergreditur, noctisque, horas decerpens, illi minuit et sibi adjicit, illud significat, quod post ignorantiæ noctem dies scientiæ Dei longa B cœpit serenitate produci, et multitudinem ignorantium studium et labor imminuit veritatem Dei cognoscentium. Dum ergo paschalis agnus immolatur et populus Dei, submerso Pharaone cum exercitu suo, de servitute liberatur, plenilunium est (*Exod.* xiv), et nox vincente die superatur, quia dum Agnus Dei Christus patitur, plenitudo gratiæ sanctam illustrat Ecclesiam, ut tanquam luna revelata facie veri solis gloriam contempletur, et jam idonea jamque placens, in thalamos ejus ire meditetur. Sicque dies noctem superat, quemadmodum scriptum est : « quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* v). »

Elementa quoque nos in hoc lætificant, nostrique sensus lactant infantiam, quod post hiemis asperitatem mollis aer vernas spirat blanditias, tellusque C dudum sterili frigore decrepita, viridi juvenescit herba, floresque ac segetes redivivo fructu vernant, et volucres cœli, gelu tristi terso, dulce jubilant. Nam inter gaudia, quæ celebramus, dum hæc aspicimus, ex ipsis visibilibus similitudine congrua commoneri debemus, qualiter in invisibilibus per Christi resurrectionem profecerimus, scilicet, quia pulso perfidiæ gelu vitiorumque imbribus, fidei virtutumque pulchritudine refloruit mundus, unde et in Canticis dicitur : « Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra (*Cant.* ii). Temporis ergo sive elementorum considerata qualitas nonnihil gaudia piæ contemplationis amplificat.

D Quantum autem ad cognoscendam solemnitatis ejusdem gratiam, carnales quoque ecclesiastica juvit industria. Nam quia nequeunt ad spiritualia videnda mentis oculos aperire, nisi causarum corporaliter accidentium vi majore excitentur quæsitæ sunt causæ, quarum impulsu vehementer excitandi percellerentur. Jejunium quippe quadragesimale, quod pro decimis dierum offerri Deo alibi jam dictum est, sic dispositum, sicque præfixum est ut non ante hanc sacratissimam noctem ullo modo terminetur, ac deinde quinquaginta dierum numerus continue sequatur in quibus omnino jejunia relaxantur. Itaque, dum per abstinentiam corpus atteri-

tur, nec aliunde laxatio, nisi ab hac paschali nocte speratur, vel sic eadem beata nox a carnalibus quoque ambitur, et cum exspectatione suscipitur et, antequam veniat, sic omnes dies quadragesimæ qui intersunt, tanquam diurna desiderati victoris itinera pene quotidie diligenter computantur, omnibus ergo, ut dictum est, dulcis est hæc sacra solemnitas, omnibus cara, cunctis desiderabilis est, sicut lux ambulantibus in tenebris, sicut sitientibus fons aquæ de petra salientis, sicut peregrinantibus « tabernaculum, quod Deus fixit (*Hebr.* VIII). » Sed jam nunc ipsum attingamus officium, quod tandem læta laxemus ora post triste silentium.

CAPUT XXVIII.

De cereo.

Proprium quoddam hujus tantæ solemnitatis decus est, cereus a Zosimo Romanæ Ecclesiæ pontifice tricesimo nono, per Ecclesias benedici institutus, a cujus dulcisona benedictione præconia sanctæ resurrectionis Christi inchoantur. Significat vero eumdem Dominum nostrum resurgentem, suorum tristitiam discipulorum, imo mundum universum lætitiæ competentis claritate serenantem. Hoc vere congruit et vis ipsa significationis exposcit, ut sicut præteritis noctibus exstincta luminaria faciem Ecclesiæ contristaverunt, sic eadem nocte hac cereus illuminatus jugi flammæ tripudiantis jubare lætificet.

CAPUT XXIX.

Quid cereus significet.

Supradictum est, per candelas, quæ exstinctæ sunt, mortes significari prophetarum et justorum, qui a sanguine Abel justi usque ad Christum occisi sunt, ipsamque candelam, quæ ad Evangelium non major cæteris exstinguitur, ipsum Dominum significare, qui evangelizans occiditur, unus ex prophetis reputatus. Constat autem quia qui contemptus et humilis occisus est, hunc Deus suscitavit, ac « principem et Salvatorem exaltavit, ad dandam pœnitentiam in remissionem peccatorum (*Act.* V). » Bene ergo significationis ordo procedit, dum claram resurgentis magnitudinem præclari significat magnitudo cerei. Eo vel maxime cereus ad Christi similitudinem accedit, quod parvula, quæ substantiam ceræ educit, apis mater absque concubitu concipit et parit, cui recte comparatur virgo Maria Dei genitrix, quæ inviolata nobis Deum in carne, quasi mel in cera protulit. Cum ergo recte humanitatis Christi similitudinem gerat, annus illi ab Incarnatione ejusdem Domini Christi consequenter inscribitur. Et quia crucifixus est, crucis quoque figura congrue nihilominus insculpitur. Amplius autem, id quod dictum est, ejusdem cerei benedictio confirmat. Primo cum in Præfatione benedicens rogat : *Ut qui me, non meis meritis, intra levitarum numerum dignatus est congregare*, luminis sui gratiam infundendo, cerei hujus laudem implere præcipiat. Laus enim cerei nullo modo nominanda esset, nisi Christum Filium, qui cum Patre et Spiritu sancto Deus unus et solus laudandus est, significaret, præsertim cum laus eadem cerei noctis hujus jucundum ut prælibes præconium sit et resurgentis gratiam atque victoriam, vetera cum novis conferens, tanquam tuba clarissima personet.

Sed jam columnæ hujus, inquit, *præconia novimus quam in honorem Domini rutilans ignis accendit. Qui licet divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non novit.* Ex his quoque duobus versiculis magis ac magis sæpe dicta cerei significatio collucescit. Quod enim ait : *Columnæ hujus præconia novimus*, aperte nobis innuit quod illud idem per hanc pretiosam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnam, quæ castra filiorum Israel de Ægypto exeuntium per mare Rubrum præcedebat (*Exod.* XIII, XIV). Significabat autem illa columna nubis bene notam nobis nubem humanitatis Christi, in qua proprie thronum suum posuit sapientia Dei, sicut ipsa dicit : « Thronus meus in columna nubis (*Eccli.* XXIV). » Siquidem nunc illa columna nubis populum suum a diaboli servitute liberatum et Rubrum mare baptismi transeuntem præcedit dux itineris, ut inducat in terram veram repromissionis terram viventium, quam, sicut Moses ait, « Dominus Deus noster die ac nocte intuetur (*Deut.* XI), nunc cœlestibus doctrinis compluens, ut vere columna nubis, nunc igne sui spiritus ascendens, ut vere columna ignis. Jam ergo veræ columnæ hujus mysteria novimus.

Quod autem adjicit de natura ignis dicens : *Qui licet divisus in partes, mutuati tamen luminis* **78** *detrimenta non novit ;* multa namque luminaria de uno videmus accendi, nec illud unum propterea sibimet lumen diminuit, nihilominus ad idem argumentum proficit. Nunquid enim rem talem tali in loco præsertim omnibus notam, non propter aliud, quam propter semetipsam docere nos voluit ? Siquidem ineptum fuisse hoc absque mysterio tantis inserere laudibus. Cum ergo columnam ceream rutilans ignis accendit, sic de sua naturali copia, laudatus, per hoc aliud perpulchrum piumque spectaculum nostrarum mentium oculis ingeritur. Denique illud innuitur quod exstinctam in sepulcro jacentem humanitatis Christi substantiam de supernis aspirans ignea divinitatis potentia rursus animavit, et sicut vere rutilans ignis, gloria beatæ resurrectionis hac nocte in perpetuum nobis gaudium feliciter illuxit.

Item eodem igne consecrati cerei cuncti, qui in Ecclesia sunt, illuminari debent cereoli. Quod, cum fit, opportune nobis illud in mentem subvenit quod Dominus noster ea die, qua resurrexit, cum esset sero, stans in medio discipulorum suorum, manusque et latus ostendens eis, insufflavit et dixit eis : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX). » Illic enim cœpit ille hominibus dari ignis, quem per hunc visibilem ignem constat significari, quem venit ipse mittere in terram et voluit vehementer accendi (*Luc* XII).

CAPUT XXX.

Cur diaconus cereum benedicat.

Hic ipsa rei novitas admonet, ut quæratur cur tantæ materiæ, tantæ dignitatis benedictionem super cereum pronuntiet diaconus, præsente sacerdote vel etiam pontifice sacrisque indutum vestibus causa manifesta sese offert quærentibus. Constat enim, quia bonum sanctæ resurrectionis Christi nuntium per minorem sexum id est per mulieres, sanctis apostolis flentibus et lugentibus, evangelizatum est (*Luc.* xxiv). Hoc autem tam rationabili divinitatis dispositione actum est ut inter illa quæ significative fiunt in Ecclesia, memoriale suum omnino jure habere debeat. Nam, quia mulier a diabolo missa viro mortem obtulit, pulchre sexus idem a redivivo Christo missus, virili sexui vitam evangelizavit. Recte itaque gradus inferioris minister, tam dulci, tam pulchra, tamque melliflua cerei benedictione, tantæ solemnitatis nostræ gaudium inchoat, quia per inferiorem sexum tam jucundum, tamque pium Dominicæ resurrectionis miraculum, viris non quibuslibet, sed ipsis apostolis annuntiatum est.

CAPUT XXXI.

Cur ad benedicendum cereum quoque portat incensum.

Cumque diaconus cum cæteris subministris ad benedicendum accedit, frustula quoque portantur incensi, ut cruciculæ, quæ cereo insculpta est, offerendo infigat. Et hoc quoque ad causam prædictam respicit. Illæ namque mulieres, quæ mortuum quærebant Dominum, et vivum videre meruerunt, aromata ferebant, sicut evangelista refert : « Maria Magdalena, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum (*Marc.* xvi). »

CAPUT XXXII.

Cur dicatur, vel sit sacrificium vespertinum.

Offerens igitur incensum dicit : *In hujus igitur noctis gratia suscipe, sancte Pater, incensi hujus sacrificium vespertinum.* Vespertinum esse sacrificium totumque, ad vesperam Sabbati, « quæ lucescit in prima Sabbati (*Matth.* xxviii), » diei præsentis pertinere officium, clarum est. Cur autem hæc sacrosancta solemnitas utrumque, scilicet, matutinum et vespertinum habeat sacrificium, supradictis ex causis colligi potest. Supra namque dictum est, duabus ex causis præsentem splendere solemnitatem, scilicet ex redemptione animarum, quæ die Parasceves morte Christi parta est, et ex resurrectione mortuorum, quæ illo resurgente prima Sabbati confirmata est. Constat autem quod idem resurrectionis nostræ auctor, imminente vespera, caput inclinans tradidit spiritum (*Joan.* xix), et hora, qua primus Adam requisitus, clamante Domino et dicente : « Ubi es Adam (*Gen.* iii), » inobediens deprehensus est, eadem hic secundus Adam consummata passione sua, clamans et dicens : « In manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* xxv), » obediens inventus est. Oblaturi igitur sacrificium matutinum A pro eo quod hic Lucifer matutinus, resurrectionis primogenitus, diem nobis æternitatis resurgendo aperuit. Sacrificium quoque vespertinum primum offerimus pro eo, quod, ut dictum est, imminente vespera, spiritum tradens, eamdem vesperam sua morte fecit memorabilem, sed ejus celebritas dilata, ut dictum est, et competenter in hanc transposita est.

CAPUT XXXIII.

De baptismo.

Æqua victoriæ lex est inter homines, ut quicunque ante bellum fuerant victi, post bellum cedant in jus dominationemque victoris, mittanturque legati in universam victi potestatem, qui victum esse priorem tyrannum annuntient, titulosque victoris reci- B piendos ostendant, et ejus jura prædicent. Unde et ipse Dominus, qui ad debellandum humani generis inimicum venerat, dicit in Evangelio : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet : si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet (*Luc.* xi). » Hac nocte adversus illum fortem armatum, scilicet diabolum, fortior superveniens Filius Dei, crucisque vexillum ejus bellator inferens, ipsum cepit, alligavit, arma ejus abstulit et spolia paradiso reddidit. Ille tam fortis, qui universam terram conculcavit, hamo crucis captus est, quia, dum fragilitatem carnis in Christo morte appetiit, divinitatis aculeo transfixus est. Recte igitur hac eadem nocte celebratur baptismi sacramentum, quo constanter adversus victi C potestatem iniquam eunt sacerdotes nostri, legati utique victoriosi regis Christi, titulosque victoriæ proferentes, victi abrenuntiationem, victorisque ab hominibus exigunt professionem. De cujus magnitudine sacramenti aliqua debere dici, tempus et officii ejus ordo nunc exigit, atque in primis dicendum videtur, quomodo, vel quid mors Christi per baptismum operetur in nobis. Consequens enim esse videretur, ut quomodo propter peccatum mortales facti sumus, in remissionem autem peccatorum baptizamur, jam post baptismum immortales existeremus.

79 CAPUT XXXIV.

Quomodo, vel quid per baptismum mors Christi operetur in nobis.

D Paulus apostolus dicit : « An ignoratis, fratres quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem ut, quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* vi). » Hic patenter ostendit lucrosam commutationem factam esse nostræ duplicis ac sempiternæ mortis, cui juste fueramus addicti, scilicet, ut per baptismum cum Christo injustæ morti addicto morientes, mori ultra non debeamus. Idcirco namque mortuus mortis suæ fluvium, scilicet sanguinem et aquam de latere suo Christus effudit, ut non deesset nobis, in quo ejusdem

mortis suæ possemus participes fieri, et sic a nostra liberari. Valde namque repugnat justitiæ, et cum justo Christo mori et cum peccatore diabolo damnari. Sed non eadem justitia pariter et hoc admittit, ut « quicunque in morte Christi Jesu baptizati sumus, » statim quoque a morte corporis liberi simus. Nam in baptismo unius simplæ mortis Christi, quam suscepit, similitudo est. Nos autem duplam, scilicet, corporis et animæ mortem debentes baptismi subimus remedium. Igitur propter unam Christi mortem, cujus similitudini complantati facti sumus *(ibid.)*, unam a nobis mortem, quæ erat animæ salvatrix, gratia depulit, aliam vero quæ corporis est, justitiæ censura reservavit. « Corpus quidem, inquit apostolus, mortuum, » id est, certissime moriturum est, « propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem (*Rom.* VIII). » Sed habent spei suæ consolationem ipsa quoque baptizatorum corpora, quia quorum spiritus nunc vivit propter justificationem, » ipsa quoque immutabuntur per resurrectionem, id est fient impassibilia, quando absorbebitur id quod mortale est a vita (*II Cor.* V). Nec hoc dictum est, quod ideo resurrectio consequatur quia baptizati sumus, alioqui quicunque non baptizantur, non resurgerent, sed quia baptizati sumus, præmium recipiet fides, ut cum omnes mortui resurgant, soli immutentur fideles. « Omnes quidem, inquit, resurgemus, sed non omnes immutabitur. » Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, « id est immortales effecti, » et nos immutabimur (*I Cor.* XV), id est impassibilitatem quoque obtinebimus, quæ infidelium non erit. Nam « qui mala egerunt, procedent in resurrectionem judicii (*Joan.* V). » Nunc ergo præsentem accepimus in baptismo spiritus justificationem, futuræ vero immutationis spem. Et sicut præcedens mors animæ causa exstitit corporeæ mortis omniumque corruptionum carnis, sic nunc vita vel justificatio spiritus, quo in baptismo reviviscimus, causa efficiens erit in resurrectione, ut immutemur, id est impassibiles simul. De morte vero corporis argumentandum non est, quod consequenter et ipsam baptismi virtus absorbere debuerit. Quamvis enim et hæc ab originali peccato, quod in baptismo deletur, initium acceperit, modo tamen diverso mors utraque peccanti homini accidit. Nam mortem quidem animæ contumax divinitatis appetitus intulit, corpori autem materiam semper vivendi, subveniendo potius quam persequendo Deus abstulit: « Ecce, inquiens, Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum ; nunc ergo videte ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum (*Gen.* III). » Videntur hæc iram sonare vel vindictam, sed, si recte considerentur, verba sunt paternæ providentiæ, nosque jam tunc a longe circumvolantis quædam præparatio misericordiæ. Quid enim esset jam vitiato homini vita æterna, nisi æterna miseria ? Quod Plotinus quoque gentilium quidam philosophorum recte, Augustino teste, intellexisse laudatur. Nam, cum de humanis animis ageret : « Pater, inquit, misericors mortalia illis vincula faciebat. » Ita hoc ipsum, ait Augustinus, quod mortales sunt homines corpore, ad misericordiam Dei Patris pertinere arbitratus est, ne hujus vitæ miseria semper tenerentur. Tunc enim a dæmonibus quid differrent? Nunc autem longe differunt, quia cum sit Dei beata æternitas, vel æterna beatitudo, dæmonum autem misera æternitas, vel æterna miseria, homo, cujus est miseria mortalis vel mortalitas misera, a Dei quidem beatitudine cecidit, sed usque ad dæmonum miseriam non pervenit, providente misericordi Deo ac dicente : « Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum. » Non ergo conquestione ulla ventilandum arbitramur, cur in baptismo nostra corporea mors non deleatur, quin potius viro fideli, optanda est ut veniat, et tanquam misericordiæ profectus, animam a miseria vitæ præsentis absolvat. « Non enim est quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur (*Num.* XXIII). » Unius ejusdemque gratiæ propositum, quod tunc incœpit, quuando hominem immortalem esse vetuit, nunc in fide baptismatis ostendit, perficiet autem in die resurrectionis.

CAPUT XXXV.

Quod juxta sententiam Domini nullus unquam, nisi renatus ex aqua et Spiritu sancto, regnum Dei introierit, et quod illa hora, qua Dominus noster sanguinem et aquam de latere suo fuderit, universa Ecclesia, quæ jam erat vel fuerat ab origine mundi usque ad latronem, qui in cruce confessus est, baptizata sit.

Tantum autem, tamque necessarium est baptismi sacramentum, ut sine illo, juxta sententiam Domini, non possit quis videre regnum Dei (*Joan.* III). Hic jam de illo latrone quæri potest, cui confitenti in cruce et dicenti : « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum; Amen dico tibi, inquit Dominus, quia, quia hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » Hic enim secundum regulam, quia singuli baptizamur nos, baptizatus non est. Quomodo ergo defenditur illa Domini sententia, dicentis : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest videre regnum Dei ? » (*Joan.* III.) Sed, si de hujusmodi permovemur, angustus est adhuc cordis nostri intellectus, claramque majestatem sacri baptismatis nondum satis apertis intuemur oculis. Solum rivum, quem ad nos, qui fortis eramus, Christus emisit, dicens discipulis suis : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII), » solum, inquam, rivum sacri baptismatis, qui ad nos exivit, attendimus, ipsumque fontem domus David (*Zach.* XIII), ubi quando, vel quantum, priusquam ad nos derivaretur, inundaverit minus diligenter animadvertimus. At ille fons salutaris universæ Ecclesiæ, quæ ab initio per sex mundi ætates collecta, propter originale peccatum ab ingressu paradisi arcebatur, cunctisque qui adhuc viventes jam corpore erant ejusdem Ecclesiæ, Dominum nostrum audiendo ipsumque fideliter sequendo, universæ,

A inquam, Ecclesiæ ab Adam usque ad latronem supradictum, fons ille baptismi salutaris **80** inundavit : qua hora patefacto lancea militis Christi latere, sanguis et aqua prorupit (*Joan.* XIX). Ibi pariter totam Ecclesiam, quæ jam erat, vel ab initio mundi fuerat, lavit Christus a peccatis ejus in sanguine suo, ut exhiberet sibi sponsam gloriosam, non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V). « Nam ex quo primi parentis peccata maculata, et propter hoc in medio corruptionum veterascens, corrugata est vel, ut Isaiæ verbis utar, « ex quo bibit de manu Domini calicem iræ ejus, et usque ad fundum calicem soporis bibit, et potavit usque ad feces (*Isa.* LI), » non fuit, ut idem ait propheta, qui suscitaret eam ex omnibus filiis, quos genuit, et non fuit, qui apprehenderet manum ejus ex omnibus filiis, quos B enutrivit. Filii tui, inquit, projecti sunt, dormierunt in capite omnium platearum, sicut bestia illiqueata (*ibid.*), » Quamvis enim idem salutiferæ curationis auxilium, circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus tunc ageret, quod nunc baptismus agere, revelatæ gratiæ tempore, consuevit, hoc omnino exceptum est, quod regni cœlestis januam necdum intrare poterant; tantum in sinu Abrahæ post mortem beata spe consolati, supernæ pacis ingressum feliciter exspectabant, donec adveniret ipse, qui in eodem propheta post pauca loquitur: « Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum (*Isa.* LII). Et paulo post idem propheta de eodem : « Iste, inquit, asperget multas gentes (*ibid.*).» De qua aspersione C loquitur Ecclesia per os David, qui ex supradictis Ecclesiæ filiis antiquæ unus erat : « Asperges me, inquit, hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Per hyssopum, quæ herba humilis est, nasciturque in petrosis locis, et bibita tumorem pulmonis deponit, de qua in lege quoque præceptum erat, ut fasciculo hyssopi intincto in sanguine victimæ aspergerentur leprosi et sic mundarentur (*Levit.* XIV; *Num.* XIX), per hyssopum, inquam, herbam humilem atque salubrem, passionis Christi significat humilitatem, qua aspergenda, lavanda et super nivem dealbanda erat ipsa, quæ per David hoc loquitur, Ecclesia. Hinc et propheta Zacharias cum dixisset de ingressu ejus, quo in civitatem Hierusalem passurus intravit : « Ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum D filium asinæ (*Zach.* IX), » post pusillum conversus ad ipsum : « Tu quoque, inquit, in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua (*ibid.*), » id est, in sanguine passionis tuæ eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est ulla misericordia, tua clementia liberasti. Hanc autem munitionem, ad quam per eumdem prophetam eosdem vinctos cohortatur Dominus, statim adjungens : « Convertimini ad munitionem vincti spei (*ibid.*), » non aliam debemus accipere, nisi habitationem paradisi, in quam primus cum Domino latro ingressus est.

Baptizatus ergo Jesus in passione sua, de qua et ipse dixerat : « Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coartor usque dum perficiatur (*Luc.* XII), » qua hora sanguinem et aquam de latere suo profudit, eadem hora totum corpus ejus, quod est Ecclesia, quantacunque ab initio mundi usque in eamdem horam concreverat, semel simulque baptizata est, et aspersa hyssopo, ut supra dictum est, mundata est, et tota super nivem dealbata est. Propter eos autem qui foris erant, nec adhuc ejusdem Ecclesiæ corpori per fidem uniti fuerant, idcirco non eos illo fluctus attigerat, nec enim baptizatur quis, priusquam ejusdem baptismi fidem habeat: propter eos, inquam, positum est quasi ante fores ejusdem Ecclesiæ derivatum baptismi sacramentum, ut quicunque Judæorum sive gentilium Ecclesiam ingredi cupiunt, baptizantur, quia Ecclesia ipsa baptizata est. Inde est quod singulariter Paulum quidem legimus baptizatum (*Act.* IX), videlicet, quia quando universaliter, ut dictum est, Ecclesia baptizata est, ipse in corpore ejusdem Ecclesiæ nondum erat, sed in Synagoga Satanæ, quæ Christum caput Ecclesiæ crucifixerat. Petrum, vel quemlibet cæterum qui Christo adhæserant, baptizatos singulariter non legimus : nec ipse Augustinus reperire potuit in epistola, quam ad Seleuciam interrogatus de baptismo apostolorum scripsit. Nam ante passionem suam Jesus, inquit evangelista, non baptizabat, sed discipuli ejus (*Joan.* IV). Quomodo autem baptizabant discipuli ejus, nisi quemadmodum et discipuli Joannis, videlicet, in pœnitentiam ? Siquidem et Romana papæ Leonis auctoritas ex evangelica serie comprobat, quia baptizandi regula ante passionem Domini data non fuerat, sed post passionem ac resurrectionem ejus ab ipso data est, dicente : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Cæterum de his viderit quisque, quid sentiat, utrum eos baptizatos esse asserat. De latrone supradicto illum nemo est qui dubitet, quin cum Domino paradisum ingressus sit ; et tamen non nisi in universali Ecclesia simul illo qui de latere Domini effluxit, flumine præsentialiter baptizatus est : Baptizata quippe, ut sæpe dictum est, tunc est omnis, quæ super terram, vel subtus terram erat Ecclesia, sicque de mortui Christi latere renata sicut de latere dormientis Adæ fabricata est Eva (*Gen.* II). Nam, sicut costa Adæ causa materialis exstitit unde formaretur Eva, sic fluvius ille, qui de latere Christi fluxit, causa fuit effectiva, ut paradiso vel cœlo, Christique spirituali conjugio sancta ejus sponsa renasceretur Ecclesia. Siquidem nullus adhuc de omni genere humano regnum Dei videret. Dixerat autem ipse absque ulla exceptione, tam præteritorum quam præsentium vel futurorum : quia « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei (*Joan.* III). » Omnes igitur oportuit renasci, omnem Ecclesiam veterum pariter ac novorum, quia fuerat in prævaricatione primi Adæ generata, oportuit in fide

secundi Adæ regenerari, ut posset videre regnum Dei.

CAPUT XXXVI.

Cur nulli veterum sanctorum sua tristitia suffecerit, ut per eam illic, unde primus homo lapsus est, posset restitui absque baptismo sanguinis Christi.

Miretur aliquis cur hactenus nemo justorum, nemo sanctorum patriarcharum aut prophetarum, nec ipse pater Abraham, cui primo contra spem in spem credenti fides ad justitiam reputata est (*Rom.* iv), quique ob ejusdem fidei meritum amicus Dei appellatus est (*Jac.* ii), per laudabilem justitiam saltem in seipso, delere peccatum originale, seque paradiso restituere potuerit. Sed de hoc profecto quicunque divini vel etiam humani juris peritiam habet, minime miratur. Reus enim et condemnati capitis servus quomodo redimet caput suum, si nihil ad id quod ad servitium, vel etiam minuat, quod debuerat ante reatum. Aliis enim et minoribus debitis alia majora debita non redimuntur. Verbi gratia: Homo ille, qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho, et incidit in latrones (*Luc.* x), debebat regi suo Hierosolymitano decem millia talenta (quis enim æstimare possit quantum creatura debeat Creatori?) eratque **83** dives et inclytus in illa civitate, nec illi tanti debiti persolvendi facultas deerat. Præmonitus fuerat ab illo domino suo, ut esset fidelis ac subditus, præceptumque acceperat, quo non difficulter observato, tunc demum emeritus jure altioris dignitatis gradu promoveretur. At ille ab anathemizato principe Hiericho domini sui inimico, spe regnandi sollicitatus ut descenderet, ut tanquam regnare idoneus servire contemneret, descendit, secumque omne domini sui debitum abstulit: statimque ab illo deceptore spoliatus, et plagis impositis, semivivus relictus est. Hic proditor jacens in Hiericho, qui antequam transfugeret decem millia talenta debebat, nunquid pro satisfactione centum offerens denarios, debitum omne rependit, suis quoque medetur plagis, proditionisque opprobrium diluit, ut infamis inter famosos proceres in illa regali sedet curia? Imo bene ac misericorditer cum illo agitur, si tantum in illa civitate vel curia non receptus, non etiam ignibus exuratur, vel alia pœna funditus a vita, qua indignus est, extrudatur. Bene ergo cum Abraham, et Isaac, et Jacob, vel quolibet justo egit clemens Divinitas, quod a paradiso exclusus, non etiam inferni cruciabatur ignibus, sed in pace collocatus, illum exspectabat legislatorem, qui veniens benedictionem daret, « ut videretur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). » Quidquid enim fidelis servitii Deo quilibet justus obtulit, tantum erat ad comparationem ejus laudis et glorificationis, quam homo conditus in paradiso suo debuerat Creatori: quantum ii compares centum denarios decem millibus talentis. Unde ergo peccatum quoque originale redimeret? Ad hoc etiam accedebat, quod vita hæc misera sine actualibus quoque peccatis saltem levibus, sicut nunc, ita et tunc transigi omnino non poterat. Non ergo summæ Dei justitiæ congruebat, qui in hoc terrestri sanctuario suo maculatum quodpiam sibi offerri prohibet, ut in illis cœlestibus sanctis sanctorum aliquid nisi immaculatum susciperet, et inemendatam humanam creaturam angelicæ dignitati penitus incorruptæ compararet: fieretque injustus, sicut et justus, et clarissima cœli respublica tali inordinatione confunderetur.

Et ne forte, quod absit! judicia Dei reprehendamus cum his qui juxta Ezechielem intra se parabolam vertebant, dicentes: « Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt (*Ezech.* xviii), » libet propositam similitudinem, quoniam ex Evangelica parabola est, adhuc secundum humanæ legis æquitatem persequi, quoniam homines sunt, qui reprehendunt judicia Dei: Audiant hæc et respondeant mundanæ legis æqui censores, et divini examinis iniqui reprehensores. Supradictus homo, postquam descendit in Hiericho, genuit, sicut Scriptura refert, ad imaginem et similitudinem suam filios et filias (*Gen.* v). Quid namque est, quod ait, « Genuit Adam ad imaginem et similitudinem suam? » Hoc utique voluit intelligi, quod a latronibus despoliatos ut supra dictum est, genuit nudos, plagatos morbidos, semivivus et ipsos semivivos. Vitiatæ namque succus radicis, nihilominus vitiose in fructibus erupit. Et quod valde dolendum est, sicut spoliatus et semivivus multo plures generavit, quam generare debuerat, si in priori sanitate custos paradisi fidelis et obediens permansisset; Tunc enim ex illo soli nascerentur hi, qui ad vitam præordinati sunt, quippe nunc per Christi gratiam ad eamdem revocantur vitam. Nam propter peccatum, « Maledicta, inquit Deus, terra in opere tuo: cum operatis fueris eam, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* v). » Cui terræ, scilicet, mulieri: « Multiplicabo, inquit, ærumnas tuas et conceptus tuos (*ibid.*). » Multiplices itaque conceptus de terra carnis, quæ propter superbiam, qua Divinitatem appetivit, luxuriæ subjecta est, tanquam tribulorum et spinarum densitas, excreverunt super numerum: tanti nascuntur reprobi, ut ad comparationem illorum pauci sint electi (*Matth.* xx). Dicant nunc hominis illius filii, qui omnes in Hiericho nati sunt: hominis, inquam, qui civitatem Hierusalem, quia sponte dereliquit, juste perdidit: dicant, utrum jure hæreditario civitatem eamdem reposcant, legaliter patri adjudicatam: Dicant, inquam, legisperiti, in qua Romanorum seu barbarorum curia simile quid judicare præsumant.

Sed dicit aliquis: Dominus ipse, cujus in ore lex clementiæ est, « Filius, inquit, non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii (*Ezech.* xviii). » Bene. Sed rursum alius Propheta dicit: « Patres nostri peccaverunt et non sunt, nos autem iniquitate eorum portavimus (*Thren.* v). » Et Moses ad Deum: « Qui reddis, inquit, peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem

(*Exod.* xx). » Quapropter quærenda est earum consonantia tibiarum: quia, cum spiritus illas unus idemque perflaverit, in ipsis dissonantia non debet intelligi. Videlicet portant iniquitatem patrum filii qui sequuntur. Dicis itaque mihi: Abraham, Isaac et cæteri justi non sunt secuti primorum iniquitatem parentum, sed omni testimonio fidei probati inventi sunt (*Hebr.* xi). Fateamur igitur quia nec portare debuerunt, verumtamen in quantum non secuti sunt. Et qui omnino non secutus est, Christus Deus carnem habens ex carne Adam, et ossa ex ossibus Adam, omnino nec portare debuit. At illi quam longe ab illa parentum iniquitate ad altitudinem justitiæ provecti sunt. Unus ex præcipuis Isaias dicit: « Facti sumus ut immundi nos omnes, justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ (*Isa.* vi). » Non igitur æquum erat ut illorum justitia, quoniam menstruata erat, cœleste sanctuarium introiret, donec fons ille domus David, fons baptismi, de quo nunc sermo est, juxta prophetam Zachariam in ablutionem menstruatæ pateret (*Zach.* xiii), videlicet lancea aperiente latus Domini crucifixi. Interim illis ampla merces, et omnem illorum justitiam supergrediens erat

A apud inferos præsens requies, et futuræ per Christum glorificationis secura et beata spes. Gratias misericordi Dei justitiæ, et justæ misericordiæ, quæ sic adversatus est ut subveniret, sic percussit ut sanaret (*Isa.* xix), et juxta illud Psalmistæ: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* lxxxiv), » sic veritatem et justitiam adversas culpam exercuit, ut misericordiam et pacem reservaret homini. Nam quia satisfactionem pro culpa non nisi homo debebat, et non nisi Deus perficere poterat, Deus homo factus est, quatenus unus idemque Christus, et verus Deus ab homine exigeret, et ut verus homo persolveret.

Igitur, sicut supra dicere cœpimus, ut participatione mortis Christi justificaremur, « in morte
B ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* viii), de cujus renovationis sacramento vel ordine, qui post supra memoratam cerei consecrationem celebratur, jam dictum est.

LIBER SEPTIMUS.

82 CAPUT PRIMUM.

De ordine ejusdem baptismi.

Ea quæ in baptismo celebrantur, quæ dicuntur, quæ aguntur, crimina sunt illa, propter quæ tanquam maleficia martyres accusabantur, rapiebantur, occidebantur. Diabolus enim, cui per Christianæ fidei professionem in sacro fonte renuntiatur, in quem judiciales sententiæ proferuntur, habens iram magnam, sæviebat in cordibus impiorum, et tuba divini nominis offensus, illorum cæcitate et insania pro suis adversus Deum armis utebatur, et sicut in Apocalypsi legitur (*Apoc.* viii), qui canente tuba magnus non sardens iracundia, confugiebat in profundum cordis impiorum, et divinis exorcismis, per quos ejectus fuerat, maleficii crimen effingens, leges econtra dictabat. Sed vos testes mei (*Isa.* xliii), dicit Dominus videlicet quia nihil malæ artis nos a bono magistro didicisse, optime conscii sumus. In his igitur quæ dicuntur vel aguntur, virtutem qua diabolus damnatur et confoditur, admoto fidei speculo contemplemur.

CAPUT II.

Quod lectiones et tractus præsentis diei ad baptismi pertineant sacramentum.

In primis lectiones de Veteri testamento ad Novum hoc sacramentum pertinentes leguntur et cantica similiter, id est tractus ad idem respondentes, succinuntur. Difficile namque est numerare, quam familiare, quam frequens Spiritu sancto fuerit, etiam

C ante adventum Christi maxime circa aquas operari, et mysticis dictis aut factis gratiam præsignare baptismatis. Inde ergo lectiones sacræ baptismo congruentes, ad instructionem baptizandorum solemniter recitantur. Et sicut servus Abrahæ missus, ut filio domini sui Isaac uxorem acciperet, Sara matre ejus mortua, Rebeccam invenit ad fontem aquæ, et inaures dedit ad ornandum faciem ejus, et armillas in manibus et ita præornatam adduxit ad Isaac (*Genes.* xxiv): sic legati Dei Patris, id est sacerdotes ejus ad fontes baptismi venientes, novam sponsam, id est, novam plebem Christo Filio ejusdem Antiqui dierum, per fidei doctrinam acquirunt. Adjuravit enim eos Deus Pater charitate magna, coæterni sibi Verbi incarnationem exhibens, cujus in typum ille
D senex Abraham prædictum servum adjuravit super femur suum: et ipsi quoque fuerunt secum de omnibus bonis domini sui, quia divites facti sunt in verbo et in omni scientia (*I Cor.* xv), magnarumque operatione virtutum adjuravit, inquam, eos Deus Pater ut filio suo vero Isaac, id est, risui vel gaudio nostro novam sponsam Ecclesiam de gentibus accipiant: quia mortua est, quæ secundum carnem illum genuit, Synagoga mater ejus, et ejusdem filii sui, quem occidit, enecata est sanguine, quia dixit: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* xxvii). » Dum ergo lectiones sacras baptizandis recitamus, quasi Rebeccam, quæ interpreta-

loquitur, datque inaures, id est fidei doctrinam, quæ obedientem bene prærornat aurem. Accipit illa et armillas in manibus, dum quod credit in mortificatione suæ carnis operatur, propter quod et in morte Christi baptizatam se esse meminit. Nec mora, libenter ad Isaac contendit, obliviscens populum suum et domum Patris sui (*Psal.* XLIV), totamque expeditam cœlestibus præbens nuptiis.

CAPUT III.

De lectione prima quid ad baptismum pertineat.

Illa, quæ prima ponitur lectio, libri Genesis, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, fortasse quærat aliquid quid ad baptismi pertineat sacramentum. Et qui talis est, quasi clausus adhuc sacculus est, qui antequam excutiatur non apparet quid in illo contineatur. Sed prophetæ quorum Moses primus vel maximus est, jam excussi sunt, ut inde, quæ clausa et operta sacramenta continebant, manifesta procederent. Quod quia primitus apostoli fecerunt, ipsi namque primi post Christum quasi excutiendo nobis prophetas aperuerunt, idcirco dicuntur in psalmo » filii excussorum (*Psal.*CXXVI).» Et hæc maxime lectio jam a magnis, et fortibus viris excussa et exposita est, a quibus et vocatur hexameron, id est, *opus sex dierum.* De quorum dictis si omnia congregarentur, quæ ad baptismi pertinent sacramentum, nimia prolixitas præsenti loco magnum afferret fastidium. Breviter ergo dicendum, quia maxime ex hoc præclarum baptismo Christi perhibet testimonium, quod ait : Et Spiritus Dei ferebatur super aquas, simulque divini nominis in quo baptizamur, id est, sanctæ Trinitatis semel et iterum evidens personat oraculum. Ait : « *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). » Quod aliud principium intelligendum putabimus, nisi filium? Ipse enim de seipso interrogantibus Judæis quis esset : « Principium, ait, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Ergo principium Filius. Per Filium fecit Deus cœlum et terram. « Omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I), » sicut Joannes evangelista narrat, « et sine ipso factum ctum **83** est nihil. » Nam procul dubio in Dei nomine Pater, in Principii nomine Filius intelligendus est. Profecto, cum dixisset : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), subsecutus adjunxit : *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*ibid.*). qui tertia est in Trinitate persona.

Item in eadem lectione : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.*). Unde Gregorius : « Cuncta, inquit, dixit Deus et facta sunt. » Cum vero facere hominem decernit, hoc quod reverenter pensandum est præmittit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ut videlicet quia rationalis creatura condebatur, quasi cum consilio facta videretur, quasi per studium de terra plasmatur, et inspiratione conditoris in virtutem vitalis spiritus exigitur, ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operotionis existeret, qui per imaginem Dei fiebat. De eo, quod supra dictum : *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, et de similitudine, quæ hic posita est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, aliquid eloqui præsenti negotio competit. Nam vere idcirco nunc Spiritus sanctus fertur super aquas, ut similitudidem Dei, quæ in homine per peccatum abolita fuerat, per regenerantem baptismi gratiam restituat Quod ut commodius fieri possit, dicendum prius est quæ inter imaginem similitudinemque Dei distantia sit.

CAPUT IV

Quæ imaginis et similitudinis Dei distantia sit et quod non imaginem, sed similitudinem homo peccando perdidit, ad quam reformatur per baptismum Christi.

Ad imaginem Dei homo factus est, in eo quod rationalis est, ad similitudinem vero in eo quod divinæ bonitatis imitator conditus est. Imago namque Dei vel figura substantiæ ejus (*Hebr.* I), sicut Apostolus ait, filius est : bonitas autem vel charitas Dei et imaginis ejus, Spiritus sanctus est. Et idcirco non est dictum : *Faciamus hominem* ad similitudinem et imaginem meam, sed, *ad imaginem et similitudinem nostram*, quia similitudo non unius tantum, sed duarum personarum, scilicet, Patris et Filii est, imago autem non duarum, sed unius, scilicet Patris est. Filius namque Patris tantum, non etiam Spiritus sancti filius est. Spiritus autem sanctus non solum Patris, sed et Filii Spiritus est. Potuit autem creatura rationalis amittere id quod ad similitudinem Dei facta est, non potuit vero eo carere quod ad imaginem Dei condita est. Quare? quia videlicet, divinæ bonitatis imitatio, per quam Dei similitudo retinetur, creaturæ quoque voluntatem exigit ; rationalitas autem, quæ impressione imaginis Dei humanæ animæ insculpta est, a sola Creatoris arte processit.

Igitur, ut similitudinem Dei, quam nostra voluntate perdidimus, nostra nihilominus voluntate recuperare possimus, bonitas Dei Spiritus sanctus illuc usque descendit, quo pervenire nos facile possumus, dum superfertur aquis, quæ præsto sunt, de nostro solam voluntatem postulans, cætera gratis omnia procurans. Nam et aquam illam, quæ de mortuo Christi corpore profluxit, ipse creavit, qui corpus ipsum Christi de nostræ aqua naturæ fotu suo concrescere fecit, sicut habemus in symbolo : *Et incarnatus est de Spiritu sancto* vel in Evangelio : « Quod enim in ea natum, est de Spiritu sancto (*Matth.* I). » et qui in mundi creatione, ut in præsenti lectione scriptum est, superferebatur aquis, in modum volueris, ut ait Hieronymus, ova sua calore animantis ipse nunc superfertur aquis baptismi, ut ingredientes sub gratiam suam confovens, in veram regeneraret vitam expendens alas suas, et assumens eos atque portans in humeris suis (*Deut.* XXXII). Et si opus est ut amplius appropinquet alicui, id est si ab aquis arceatur aliquis, ut volens ad illas pervenire non poeeit, sicut arcebatur Cornelius (*Act.* X), Judæis prohibentibus gentiles recipi, vel sicut multi Christum in persecutione confitentes,

necdum baptizati, ad aquas pervenire non poterant arctati carceribus et vinculis præpediti. Si, inquam, opus sit, propter aliquid hujusmodi, tunc demum advolat mater gratiæ Dei, suasque ultra nidum aquarum alas extendit; sicut adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, et erant loquentes linguis et magnificantes Deum (*Act.* x).

CAPUT V.

Quod martyres baptismum non consecuti, recte dicantur in sanguine et morte sua baptizati.

Sed illos, tanto defensore tutos, jussit Petrus aqua baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; multi autem persecutionis articulo præoccupati sine aquæ baptismo suppliciis affecti, pro Christo consummati sunt. Quid ergo? Nunquid hi B baptizati sunt? Imo tanto majorem gratiam præ illis, qui in pace Ecclesiæ moriuntur, assecuti sunt, quanto graviori dispendio morti et sanguini Christi communicaverunt. Nam in baptismo communi, tantum similitudo mortis est, sicut ait Apostolus: « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* vi), » in martyrio autem ipsa mors. Quod si martyrium baptismus non esset, nunquam Dominus de passione sua dixisset, quod jam supra commemoratum est: « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur! (*Luc.* xii.) » Verum exceptis his quos ejusmodi articulus non intercipit, nulli Spiritus sanctus extra fontem occurrit, totamque remissionem peccatorum intra aquas continet, nec C ultra extendit. Ex his maxime locis, de quibus dictum est, memorata lectio baptismi Sacramento congruit. Cæterum nisi vitandi subesset causa fastidii, poterat ex authenticis doctorum tractatibus ostendi quod tota series mundanæ creationis quæ in eadem lectione digesta est, similitudines præferat nostræ, quæ per baptismum agitur, renovationis. Nam qui « in principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* i), » et cætera fecit sex dierum opera, nunc dicit: « Novos cœlos et novam ego terram creo (*Isa.* lxv), » id est, novos sanctos, et novam Ecclesiæ plebem. « Et divisit aqua ab quis (*Gen.* i), » et positum est firmamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* ii), dividens divinæ aquas sapientiæ, quas continet ab aquis humanæ vel carnalis prudentiæ. De quo Psalmista: « Extendens, inquit, D cœlum, sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus (*Psal.* ciii), » et congregatis aquis in unum locum, « circumdedit Deus mari (*Job.* xxxviii), » id est turbinibus hujus sæculi, terminos suos: posuitque vectem et ostia, et dixit: « Huc usque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos, » et sic terra Ecclesiæ a naufragio liberata germinaverunt campi eremi, id est latitudines gentilitatis, germen odoris Israel, quia floruit in gentibus patriarcharum et prophetarum fides. Et posita sunt in firmamento propheticæ vel evangelicæ Scripturæ; firmamentum enim, inquit Augustinus, contra insidiosiores errores

A Deus ponere voluit in Scripturis, in firmamento, inquam, sacræ Scripturæ, posita sunt sol et luna, et **84** numerositas stellarum, id est majorum minorumque ac mediocrium luminaria doctorum, et baptizatorum alii per contemplationem evolvuntur dicentes: « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* iii): » alii sæcularibus innatant curis, et proficiente cultu Christianitatis, animalia quoque quadrupedia (*Act.* v), id est carnalium turbæ, ad fidem Christi prorepsere. Et talis creaturæ Dominus est, novus Adam, custos et possessor tam terræ quam cœlestis paradisi, quem serpens non decepit, mulier non seduxit, qui peccatum non fecit, et ideo morti nihil debuit.

Sed ipsum tempus anni primum, id est vernum eidem congruit similitudini, quia non solum in exitu Israel de Ægypto sanguis agni restitutio fuit libertatis, sed et totus mundum initium suæ sumpsit creationis. Unde magnus Leo dixit: Nunc ad prænuntiatum festis omnibus festum, sacer novorum mensis enituit, ut, in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium. De qua nova creatura Paulus apostolus dixit: « Scimus enim quoniam omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc (*Rom.* viii), » videlicet, usque ad revelationem filiorum Dei, quam ipse præmiserat dicens: « Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat (*ibid.*). » Ac deinde secutus: « Non solum autem illa; sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, » id est, qui primi dona Sancti Spiritus accepimus, « ipsi intra nos gemimus (*ibid.*), » etc. Quamvis enim perfecti videamur, tamen, dum corruptibiles sumus, securi non vivimus, neque comprehendisse nos arbitramur (*Philip.* iii).

CAPUT VI.

De lectione secunda.

Lectio secunda est illa libri Exodi: *Factum est in vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis et ignis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum* (*Exod.* xiv). Non dubie neque per partes, sed manifeste tota lectio hæc salutaris baptismi Christi typum præfert, et notum est quia passim in Scripturis sacris lectionis hujus sacramentum a doctoribus concelebratum est. Et in supra memorata cerei benedictione sic dictum est: *Hæc nox est in qua primum patres nostros filios Israel eduxisti de Ægypto, quos postea Rubrum mare sicco vestigio transire fecisti.* Qualiter hoc fiat, nunc in singulis per baptismum Christi, sola suis fides intuetur oculis: et ideo cantat Domino Canticum Mosi, id est tractum sequentem: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare* (*Exod.* xv). Qualiter autem hoc gestum sit in Patribus sanctis et omnibus electis, quid apud inferos hunc exspectabant transitum, quantus beatarum animarum exercitus, duce potenti anima Christi, per illud mare transierit, quod de latere ejus in aquam et sanguinem divisum exiit,

quanta exsultatio de tenebris, exeuntium, quanta lætitia paradisum introeuntium « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). »

CAPUT VII.

De lectione tertia.

Lectio tertia: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur* (*Isa.* IV), etc. Hæc quoque ad baptismi sacramentum, et ad instructionem manifeste pertinet baptizandorum. Sed jam nunc dicendum cur quatuor legantur lectiones, de lege et prophetis assumptæ. Videlicet lectio prima idcirco legitur, quia, ut dictum est, de creatione mundi et hominis conditione narrans, aquarum quoque mysteria, cum Spiritus Dei auctoritate interserit. Tres vero reliquæ tria mundi tempora respiciunt, id est primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, quibus cunctis temporibus remedium baptismatis necessarium fuisse commendatur. De his, qui ante legem fuerunt, claret, quia sicut jam dictum est in secunda lectione, baptismum Christi præfiguraverunt in eo quod mare transierunt, et sicut Apostolus dicit: « Omnes sub Mose baptizati sunt in nube et mari (*I Cor.* x). » Nondum enim data erat lex. De his autem, qui sub lege erant, in tertia lectione dicit Isaias: *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris* (*Isa.* IV). De quo ardore dicit Joannes Baptista in Evangelio: « Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Joan.* III). » Vir ille Christus est, quem juxta hanc lectionem *apprehendent septem mulieres*, id est septem gratiæ Spiritus sancti. De quibus idem propheta alibi dicit: « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Hæ septem gratiæ apprehenderunt Jesum, quem, ut ait Hieronymus, multo tempore desideraverunt, quia nullum alium invenire potuerunt, in quo æterna statione requiescerent. Quod autem gratia Spiritus sancti cuncta possideat, exponi non indiget. Ideo *panem nostrum*, inquiunt, *comedemus, et vestimentis nostris operiemur*. Sed quia in hominibus semper opprobrium, nullo vivente ut sancti Spiritus dona poscebant, propterea Jesu nomen sibi cupiunt invocari, ut quod in lege imperfectum erat in Evangelio compleretur.

CAPUT VIII.

De lectione quarta.

Lectio quarta: *Scripsit Moses canticum* (*Deut.* XXXI); sive: *Hæc est hæreditas servorum Domini* (*Isa.* LIV). Utraque enim vicissim leguntur in Pascha et in Pentecosten, et ambæ hoc tempus gratiæ manifestius exprimunt. In ea, quæ est: *Scripsit Moses canticum*, ait idem Moses: *Novi enim quod post mortem meam inique agetis*, etc. Mortem Mosi finem legis accipiunt pene cuncti doctores sancti, id est,

A adventum Christi, cujus gratia sic legi, quemadmodum Josue successit Mosi, qui populum Dei trans Jordanem eductum ingentibus præliis in terram repromissionis, dux victoriosus introduxit, Jesum Christum nomine præfigurans et opere, qui omnem electorum populum, quorum neminem lex ad perfectum adduxerat, sanguine suo contra diabolum dimicans, victor mortis per baptismi gratiam in paradisum reduxit: Profecto in hoc tempore, juxta canticum, quod Moses scripsit, « Peccaverunt Domino, non filii, » scilicet Judæi, « generatio prava atque perversa, populus stultus et insipiens, » quem constituerat Dominus et Pater suus super excelsam terram (*Deut.* XXXII), scilicet legis prophetarumque notitiam, ut sugerent mel cœlestis doctrinæ de petra, quæ Christus erat, oleumque, id est gratiam Spiritus sancti, de eodem saxo durissimo per resur-
B rectionis potentiam immortaliter solidato: et ecce econtrario de vinea Sodomorum, et de suburbanis Gomorrhæ uva eorum, uva fellis, et botrus amarissimus (*ibid.*). « Et propter hæc abscondam, ait, faciem **85** meam ab eis (*ibid.*), etc. At vere cœli et terra, de quibus alibi per Prophetam dicit: « Novos cœlos et novam terram ego creo (*Isa.* LXV). » Novi, inquam, cœli et nova Ecclesiæ terra audivit verba oris ejus, sicut in sequenti tractu cantamus: *Et concrescit in eis ut pluvia doctrina Domini, et fluit ut ros eloquium Domini, quasi imber super herbam et quasi stillæ super gramina*, quia nomen Domini invocatur super nos, nomen Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII), quod totam vim
C continet ejus, quæ per baptismum agitur, nostræ regenerationis. Non minus illa Isaiæ lectio: *Hæc est hæreditas servorum Domini*, hoc idem, ut supra dictum est, tempus gratiæ respicit, provocans credentes et dicens: « Omnes sitientes venite ad aquas (*Isa.* LV). » Ut veniant ad fluvium Dei, qui repletus est aquis (*Psal.* LXIV), et cujus « impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » ut bibant « aquas de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII), » qui loquitur ad Samaritanam: « Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam, et aquam, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Sciendum autem, quod ait Hieronymus, homo aquam tribuat, Deus autem
D Spiritum Sanctum quo sordes abluuntur, et peccata purgantur.

CAPUT IX.

De tractibus quos lectionibus eisdem succinimus.

Tantam, quæ his tribus lectionibus chorus succinit, singula singulis exsultationem indicant renatorum, quod jure exsultare debeant, quia submersis omnibus peccatis, ipsi per mare baptismi transeunt liberati. Verum hæc exsultatio in metu et tremore debet esse, et cum laboriosa et necessaria carnis mortificatione, quandiu sumus in corpore, stantes, sicut in Apocalypsi (*Cap.* XV) legimus, supra mare vitreum, quod graves et rursum oneratos peccatis

sustinere non potest. Unde oportet, ut abjectis oneribus sæculi, et simplici tunica contenti, persistamus, vel ambulemus super hoc vitreum mare baptismi, mistum igne Spiritus sancti, tenentes, sicut ibi legitur, citharas Dei, id est, tota carne mortificati, et in laude Dei extenti, canendo trementes, et tremendo canentes, juxta illud : « Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore (*Psal.* II). » Bene ergo verba canticorum Mosi et prophetarum, quæ succinimus, in tractus efferimus, quem canticum lugentium esse, et miseriæ præsentis exsilii congruere, jam dictum est.

Quartus tractus in hoc differt a cæteris, quod nulla lectione præmissa cantatur. Nec mirum. Non enim in officio præsenti sic est vox universalis Ecclesiæ, quemadmodum et illi. Eorum quippe solummodo vox est, qui in præsenti adsunt baptizandi, adhuc peccati originalis veneno infecti, et ideo festinant ad baptismum, ut juvenescant, « quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. (*Psal.* XLI). » Quod maxime ex subsequenti Collecta, confirmatur : *Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui, sicut cervus, aquarum tuarum expetit fontem.* Econtra lectio prima nullo subsequenti cantico terminata est, videlicet, quia creatis et completis mundi cunctis operibus non cantavit dignas homo ingratus Deo Creatori gratias : sed obmutuit a laude Dei, et, audito serpente, contra præceptum quod acceperat, obsurduit. Unde et baptizando dicitur, *Ephphetha, quod est adaperire*, sumptum de Evangelio, quod dominus noster curationem humani generis quod sic obsurduerat et obmutuerat, ut dictum est, in eo, quem sanavit, homine surdo et muto significavit. (*Marc.* VII). Nec prætereundum, quia neque collectis salutatio, id est, *Dominus vobiscum*, neque lectionibus supradictis ullæ superscriptiones, id est, tituli præferuntur : quos a nudiustertius cunctis lectionibus, tanquam corporibus capita præscidimus, donec caput nostrum Christus resurgendo nobis reddatur, cujus resurrectionis similitudo in his, qui baptizati de fontibus ascendunt Christum induti, ut Apostolus ait (*Galat.* III), fidei oculis repræsentatur: nec ante hoc signa Ecclesiæ concrepant, quorum causa jam superius dicta est.

CAPUT X.

De consecratione fontis.

Consecratio fontis in nomine sanctæ Trinitatis, et maxime invocatione perficitur Spiritus sancti. Quod idcirco recte fit, quia tota hominis regeneratio, licet totius sit opus Trinitatis, propria tamen est operatio Spiritus sancti. Sancta quippe Trinitas, ut ait Leo Magnus, ita sibi divisit opus hominis, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus regeneraret vel igniret. Veruntamen et Pater cum Filio et Spiritu sancto condidit, et Filius cum Patre et Spiritu sancto redemit, et Spiritus sanctus cum Patre et Filio regenerat atque illuminat. Nam et Pater dum conderet : « Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), et Filius dum redimeret, Pater illi calicem passionis dedit et ipse Filius per Spiritum sanctum bibit : sicut apostolus Paulus ait (Hebræorum *Cap.* IX) : « Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit Deo, » et cætera, et ut Spiritus sanctus regeneret, Pater eumdem Paracletum Spiritum dat, et Filius in eodem Spiritu baptizat, sicut Joannes Baptista in Evangelio sibi dictum insinuat : « Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in eo, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. » Spiritus ergo sanctus aquarum sanctificator est, sanctus Spiritus fontis nostri sanctificatio est, imo Spiritus fons vitæ est (*Psal.* XXXV), pacis fluvius est. Spiritus sanctus, illa paterni cordis benigna vena est de quo usque ad nos miseratio larga tanquam flumen inundans procurrit. Amor Dei torrens voluptatis Dei, Spiritus sanctus est. Hic illum duorum patrem filiorum, erga juniorem filium, idest gentilem populum, ingenita sibi pietate flexit, qui luxuriose vivendo suam paternæ substantiæ partem consumpserat, porcos alienos in longinqua regione paverat, id est spurcos dæmones coluerat, et tunc reversum suscipit, festum diem omnibus amicis, id est cœtibus indicit angelicis, jubet primam cum annulo stolam proferri (*Luc* XV). Quid enim intelligimus per annulum nisi fidei signaculum ? Nam catechumenus, dum baptizandus fidei sacræ, quam firmiter tenet, symbolum reddit, profecto illam tabulis cordis ejus inscripsit, decentem annulum in manu ejus dedit, et in eo, quod consignatus est cruce Christi : ut dicat cum Apostolo : « Christo confixus sum cruci (*Galat.* II), » et quod tertio submergitur, ut triduanæ morti Christi conformetur, et hoc mirabili pietatis officio vivus et incolumis crucifixo et mortuo atque sepulto configitur, commoritur et consepelitur procul dubio calceamenta accepit in pedibus. Calceamenta namque de mortuis animalibus fiunt. Et hæc manifeste Dominicæ mortis insignia sunt, quæ ideo suscipit, ut ejus exemplo, qui propter nos **86** crucifixus est, deinceps crucifigat carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, et mortificans membra sua, quæ sunt super terram, dicit : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* V). Cum autem candidam vestem accipit, quæ utique novam Christi consolationem significat, dicente Apostolo : « Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Coloss.* III), » profecto primam illi stolam induit pater, et « manducemus, inquit, et bibamus, quia filius hic meus mortuus fuerat et revivit perierat et inventus est (*Luc* XV). »

CAPUT X.

De missa ejusdem diei, et cur illi consuetudinalis cantus, id est introitus et communio, desit.

Statim ergo Paschale vespertini sacrificii construitur convivium, trina præeunte litania, in honorem sanctæ et individuæ Trinitatis (*Galat.* II), in

cujus nomine trino baptizatus illius hic, de quo, A loquimur, qui « mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est (*Luc.* XV), » concrepant signa, quæ hactenus fuerant muta, et personante symphonia chorus exsultat. Gaudent nobiscum angeli, et propter illorum gaudium nos repetimus omissum a Septuagesima hymnum ipsorum, id est, *Gloria in excelsis.* Adducitur vitulus ille saginatus, scilicet Deus et homo Christus, cujus carnem manducare, et sanguinem bibere debemus : qui ideo vitulus dicitur, quia homo pro nobis sacrificatus est : ideo saginatus, quia in ipso habitabat plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). Sed huic convivio senior frater, id est Judaicus populus, interesse non vult, stansque foris et audiens symphoniam et chorum, detrahit fratri suo, invidia tortus et odio, B patrisque clementiam reprehendens, tristitia mavult et fame consumi, quam cum fratre gaudere et epulari. Exibit autem pater quandoque, et faciem lætam averso et tristi filio dignanter ingerens, persuadebit, et precabitur illum opportunis interesse gaudiis et epulis, tenens manum ejus, et blandis consulens sermonibus, et tunc reliquiæ Israel salvæ fient. Interim, donec illud fiat, plenum vel integrum non erit paternæ domus, id est, præsentis Ecclesiæ gaudium : quia licet Judaicus populus semper gentium oderit salutem (*Rom.* XI), gentium tamen Ecclesia dolet, quod ille populus stat foris, quodque sua salus illi scandala sit. Igitur hujus diei sacrificio vespertino, tam festivo, tamque jucundo convenienter quædam ornamenta detracta C sunt, scilicet Introitus, Graduale, Offerenda atque Communio, quæ de Psalmis quondam a Cœlestino papa quadragesimo, primum ad canendum institutis ante sacrificium excerpta, et cum suavi modulatione in Romana Ecclesia cantari instituta sunt. Interea, dum vitulus adducitur, convivium præparatur, accedit coram ille ministrorum primus atque fidissimus Paulus, filiumque illum, qui reversus est, jam habentem annulum in manu, jam calceatum, jamque stola prima indutum, gratulabundus alloquitur in præsenti Epistola, dicens : « Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III). » O fidi procuratoris elegans facundia, et officiosa sedulitas : « Mortui, inquit, estis, » quia videlicet mor- D tuum est in vobis, quidquid super terram sapiebatis. Quid enim prius sapiebat ille filius desertor patris, luxoriosus et prodigus, nisi cum meretricibus convivia struere, sua dissipare, alienis inhiare, porcos alienos pascere ? (*Luc.* XVI.) Totum hoc mortuum, et in baptismo Christi sepultum est; vita autem nova, quæ de eodem baptismo surrexit, quæ filium talem longe alterum fecit : vita, inquam, nova, quæ cum Christo in Deo abscondita est, ipse idem novus homo Christus est, quem et candida vestis baptizati significat : « Cum enim, inquit, Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria (*Colos.* III). » Vitam eamdem, divina novitate conditam, significant et in Evangelio consequenti vestimenta angeli, quæ erant candida sicut nix. Ecce interea canore cœlestis personat symphonia, quo lætificentur convivæ, tanquam de cœlo remissum et ori nostro redditum *alleluia* : quod a Septuagesima nostra non cecinerunt organa, videlicet, quia diebus his captivitas præsentis vitæ significata est, et ideo quod futuræ vitæ jucunditatem significat *alleluia*, tacendo velut ad salices Babylonis hujus flentibus nobis pependerunt. At nunc, quia nox illa sacratissima jam incumbit, qua Christus libertatis auctor resurrexit, in qua jam, ut dictum est, prima resurrectione resurgunt, qui baptizantur novi Ecclesiæ filii, protinus tanquam de salicibus direpta nostra certatim organa persultant *alleluia*, dicuntque : *Confitemini Domino* (*Psal.* CXVII), causamque subjiciunt : *quoniam bonus* (*ibid.*), quod ab effectu comprobatur, *quoniam in sæculo misericordia ejus* (*ibid.*), subauditur exhibita in remissionem peccatorum, quam est largitus in baptismo : et hunc merito versiculum *alleluia*, primum arripit. Psalmus quippe centesimus septimus decimus, cujus hic primus versus est *alleluia*, in titulo habet, multum hanc misericordiam, et hanc diem solemnem, *quam fecit Dominus*, fidei nostræ commendat, *ut exsultemus et lætemur in ea.* Hoc *alleluia* sicut et reliquum hujus diei officium, maxime baptizatorum est exultatio, eo quod prima, ut dictum est, resurrectione jam conresurrexerunt cum Christo. Restat vero grandis labor, ut habeant partem in resurrectione secunda, et inter ipsum laborem bonorum operum superest metus, superest fletus, vel propter periculum gehennæ, vel propter desiderium vitæ æternæ. Recte ergo, quia necdum plenum est gaudium spei vocatorum, quod imminuit sollicitudo eorumdem adhuc a Deo peregrinantium, cum *alleluia*. Tractus quoque cantatur, quem cantum lugentium esse, superius jam dictum est. Itemque per totam paschalem hebdomadam usque ad Sabbatum, quo albas ipsi deponunt, eamdem pro causa Graduale cantatur, qui cantus est laborantium, nec nisi propter eos pertineret ad dies Pentecostes, quod tempus futuræ requiei, pacisque et gloriæ signum est. Nam et in canone per hanc hebdomadam hoc pro ipsis additum est : *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ : sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum.* Et ab hac vespera, qua baptizati sunt, per singulas hujus hebdomadæ vesperas clerus ad fontes procedit cum Christi resurrectione solemnitatem sancti celebrans baptisterii.

CAPUT XII.

Cur a nudius tertius omissum nunc reddatur pacis osculum.

Cur pacis osculum, quod papa Innocentius a beato Petro tricesimus octavus dari instituit, omissum fuerit a nudus tertius, et hodie reddatur, ex ipso cano-

nis loco, in quo datur, citius agnoscitur. Datur enim eo loco, quo **87** jam secundo calicem discooperuimus, et dicimus : *Pax Domini sit semper vobiscum.* Hic autem locus, sicut in ejusdem canonis tractatu dictum est, illud significat, quod Dominus noster resurrexit a mortuis, et stans in medio discipulorum suorum dixit eis : Pax vobis (*Joan.* xx). » Per quod illud nobis innuit quod paries inimicitiarum inter nos ac Deum erectus fuerat (*Ephes.* II), id est peccatum, ad quem dissolvendum Dominus noster transitu mortis protectus est. Quo effecto resurgendo rediens pacem annuntiavit, quam acquisierat nobis prima voce, quam emisit in medio discipulorum suorum, dicendo : *Pax vobis.* » Recte igitur, ex quo ad faciendam eamdem pacem profectus est, donec rediens diceret : « Pax vobis, » intermisimus : *Pax Domini sit semper vobiscum*, neque dedimus pacis osculum. Simul Judæ traditoris probrosum exsecrantes et anathematizantes osculum, quo Filium hominis tradens, sanctum et innocens apostolorum infamavit collegium apus eos, qui foris erant, occasionem maledicendi præbens, ac detestanti eos, quorum sanctitatis æstimatio magna fuerat, ut de illis tale quid cantitarent, quale illud est :

. . . . . . *Et crimine ab uno*
Disce omnes.

(VIRG. *Æneid.* lib. II, v. 65, 66.)

CAPUT XIII.

De die Dominicæ resurrectionis.

Octavam illam, quæ in Paralipomenon (*II Par.* VII), et in superscriptionibus quorumdam invenitur psalmorum (*Psal.* VI, XVIII), hæc sacra spectat dies, quam fecit Dominus, ut cesset solemnitas solemnitatum quemadmodum pro sui magnitudine dicuntur Sancta sanctorum, Cantica canticorum. Sicut enim illa cætera superant sancta vel cantica, si solemnitates cæteras hujus sacrosanctæ solemnitatis antecedit nobilitas. Octava autem illa futura est perfectæ atque consummatæ resurrectionis gloria, in qua electi omnes, qui nunc post depositionem carnis una et simplici solius animæ beatitudine perfruuntur, sicut in Apocalypsi legimus quia « datæ sunt illis singulæ stolæ albæ (*Apoc.* VI) ; duplici, id est corporis et animæ felicitate remunerabuntur, sicque binas perennis gloriæ stolas accipient. Quam octavam sicut septem mundi ætates ordine suo præeunt, quarum sexta nunc ab adventu Christi volvitur ; septima vero animarum est carne deposita quiescentium, sicut alio loco jam dictum est, si et hanc sacratissimam solemnitatem septem Dominicæ præcesserunt, quarum in prima : *Circumdederunt me gemitus mortis* (*Psal.* XVIII), in septima cantavimus: *Lætare Hierusalem* (*Zach.* II), singulæ singulis ætatum earumdem proprietate sui respondentes officii, sicut loco vel ordine suo jam dictum est, et interposita Dominicæ passionis memoria per duas hebdomadas, quod ipsum cur fiat, jam dictum est. Sequitu

A hæc octavæ ætatis, quo extra septem est, quia æterna est gloriosa Christi resurrectione commendata festivitas, nobilis, admirabilis, decora et suavis, splendida et desiderabilis. Non enim parum est quod in illa nobis octava repositum est. Nam sicut octava dies eadem quæ prima est, sic in illa ætate restituitur homo in hoc ipsum, ad quod conditus est, eritque corpore et anima immortaliter felix, et feliciter immortalis sicut angeli Dei imo supra primæ originis reparatus dignitatem, eo quod suam in unitate personæ Filii Dei, respiciat naturam, personam super omnia opera manuum Patris constitutam odorari, laudari et glorificari ab angelis in coessentia summæ et individuæ Trinitatis. Idcirco dum sanctorum recolimus natalitia, de quibus dubium non est, quod
B egressi a corporibus gloriam sempiternam jam adepti sunt, diem quoque celebramus octavum, beatificantes illos ex eo quoque, quod in futuro corporum receptorum immortalitatem gloriosam feliciter obtinebunt.

Hoc et per octo beatitudines evangelicas significatur, ubi octava redit ad caput. Namque et in prima, et in octava hæc eadem beatitudinis sententia est « quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Unde Augustinus : « Octava, inquit, sententia quæ ad caput redit perfectumque hominem declarat, significatur fortasse et circumcisione octava die in Veteri Testamento, et Domini resurrectione post Sabbatum, qui est utique octavus, id est primus dies, et celebratione octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus. » De illa igitur
C octava, quæ est resurrectio, quæ jam completa in capite nostro, scilicet Christo, nunc secundum diei præsentis, in quo resurrexit officium, ordinemque mysticum, aliqua dicenda sunt.

CAPUT XIV.

Cur Dominus non ante diem tertium resurgere voluerit.

Ternarius numerus, qui apud sæculares quoque philosophos insignis habetur pro eo quod imparium et eorum, qui præter unitatem nullam aliam recipiunt sectionem, primus est numerorum : Apud nos longe amplius præclari nominis, imo primæ ac divinæ est auctoritatis, tam propter ipsam essentiam sanctæ et individuæ Trinitatis, quam pro eo quod Salvator noster tertia die resurrexit a mortuis. Et profecto tertia
D dies hæc ad idem ipsum ejusdem sanctæ Trinitatis respicit sacramentum. Idcirco namque Dominus non ante tertiam resurrexit, quia congruum fuit ut propitiationem sanctæ Trinitatis triduana nobis obtineret mors carnis Christi. Alioquin cur cum sub trina mersione baptizamur in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti complantati dicimur, imo vere « complantati facti sumus similitudini mortis ejus (*Rom.* VI), nisi quia eamdem mortem suam, quam ante baptismum suum appellaverat, triduo pertulit et ipso in nomine et in obedientia Patris et Filii et Spiritus sancti. Siquidem et Pater Filio, sicut et ipse Filius testatur, calicem passionis dedit ; et ipse Filius ani-

mæ suæ in sua potestate propinavit, sicut ipse ait : « Potestatem habeo ponendi animam meam (*Joan.* x), » et Spiritus sanctus illi propinari fecit, sicut Apostolus ait : Quia « Christus per Spiritum sanctum semetipsum obtulit (*Hebr.* IX). » Congruenter ergo mors Domini triduana exstitit, quam sancta Trinitas disposuit, quamque ob obtinendam humano generi propitiationem ejusdem sanctæ Trinitatis, nostra in illo natura sola pertulit. Non solum autem, sed et tota vita ejus annorum suorum numero sanctæ Trinitati famulatum se exhibere, et ejus præcepto se obedire innuit. Nam in triginta tribus annis quibus super terram ambulavit, ternarius est repetitus hac sola differentia, quod unus ternarius, ut triginta sint, in decenum limitem consurgit, alius ut simplex sit, in singulari limite substitit. Cujus in typum Isaac quoque ad immolandum ternario dierum numero ductus est (*Gen.* XXII). Nam de Geraris, ubi tunc habitabat Abraham, usque ad montem Moria, id est sedem templi, dierum trium est, ut ait Hieronymus, et consequenter illuc die tertio pervenit, sicut historia refert, et venit in locum, quem dixit ei Deus in die tertia. Sed ut ad inceptum redeam, mira velocitas, mirabilis ille salvatricis **88** gratiæ cursus, ut triduo trium temporum sæculi peccata deleret, omnes, qui ante legem fuerant, omnes, qui sub lege erant, cunctos, qui sub gratia venturi erant, una Christi morte pariter solveret, pro singulis temporibus singulos dies ejusdem mortis appendens. Totam ejus velocitatem Spiritus sanctus innuebat, cum Prophetæ imperans dicebat : « Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, Festina prædari *Isa.* VIII). »

CAPUT XV.

Item de celebritate resurrectionis.

De hoc et illud in Canticis : « revertere, similis esto dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel (*Cant.* II). » Acceleravit enim inferni spolia detrahere, festinavitque prædari, reversusque ut caprea aut cervorum hinnulus, id est patriarcharum filius, ad salvandam velocissimus, apparuit super montes Bethel, id est visus est apostolis, ut eorum tristitiam cito in gaudium converteret, qui sunt montis Bethel, id est *domus Dei*, quæ est Ecclesia, principes summis virtutibus eminentes. Acceleravit, inquam, inferni spolia detrahere, id est electos omnes jure victoris adducere. Quæ enim mora fieret ad detrahendum, aut quæ difficultas ad discernendum ? Sol erat iste, illi autem qui quærebantur, tanquam specularia. Illorum fides speculum erat reddendo solis aspectum radio satis idoneum, sed ideo non splenduerat hactenus, quia soli objectus medius obstabat paries inimicitiarum (*Ephes.* II), scilicet originale peccatum. At illum in carne sua moriens Christus parietem solverat ac diruerat, qui illa specularia animarum verum solem exspectantium umbra tenebat adversa. Quæ ergo mora fieret, ut, diruto pariete, et descendente ad inferos vero sole, non statim relucerent illa vascula lucis exceptoria, id est electorum animæ ? Statim ut illic descendit, hic sol, id est anima Christi præpotens, et juncta sibi verbi omnipotentis divinitate coruscans, illi resplenduerunt, et tenebrarum principes dissipati sunt sicut fumus, et sicut fluit cera a facie ignis (*Psal.* LXVII). Et justi exeuntes de tenebris, et in paradisum recepti, cœperunt epulari et exsultare in conspectu Dei. Latrone simul epulante, cui dixerat Dominus in cruce pendens : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII), totoque Sabbato requievit ab omni opere Dominus Christus cum illis, et pascebatur dilectus in liliis (*Cant.* II), donec aspiraret tertia dies et inclinarentur umbræ. Die igitur tertia, propitia nobis facta divinitate sanctæ Trinitatis, cito mortem, quam gustaverat, rejecit a se, sicut significaverat, quando in cruce nostram salutem sitiens, et ideo se veraciter sitire dicens, cum oblatum sibi acetum noluit bibere. Mortis enim acetum paululum gustabat, quem cito, id est tertia die rejecturus, nec ultra bibiturus erat. « Resurgens enim ex mortuis jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). »

CAPUT XVI.

Quid significet quod Dominus noster nocte resurrexit.

Certum tenet Christiana fides quod Dominus noster, qui mortalis homo factus ad hoc venit ut judicaretur, ad hoc venturus est in fine ut judicet, et eamdem formam servi, in qua judicatus est, cum suorum cicatricibus vulnerum judicatoribus ostendet ad damnationis cumulum, ut videant in quem transfixerunt (*Zach.* XII) : dilectoribus autem suis ad æternum charitatis monimentum. Illa autem dies non cum exspectatione, sed ita sicut fur in nocte veniet, quemadmodum factum est in diebus Noe, vel in diebus Lot quondo vendentibus cunctis et ementibus, plantantibus et ædificantibus, uxores ducentibus et dantibus ad nuptias repentinus supervenit interitus (*Matth.* XIV) ; et secundum hæc erit quando Filius revelabitur. Convenienter ergo, dum judex venturus jam cum judiciaria potestate resurrexit, noctis tempus elegit, ut sicut in cæteris, tam factis quam dictis exterioribus alia quædam significare consuevit, sic et in hoc tempus significaret secundi adventus sui, quod prævideri non poterit. Itaque quemadmodum Samson, quod interpretatur *sol eorum*, obsessus ab inimicis nocte surrexit, portas tulit, et in verticem montis ascendit (*Judic.* XVI), sic verus sol noster Christus, obsessus custodibus et armis, media nocte de somno mortis resurgens, portasque inferni, id est omne jus mortis attollens, et ad dexteram majestatis in excelsis ascendens, ipso tempore innuit, quod semper debeamus esse parati, quia sicut tunc nocte cunctis quiescentibus surrexit, ita qua hora non putamus se venturum esse prædixit (*Luc.* XII).

CAPUT XVII.

Quid significet quod cum terræmotu resurrexit.

Terræmotus quoque magnus, qui factus est, ejusdem secundi adventus significationi cooperatur. Erit enim confusio maris et fluctuum, et non solum terra, sed etiam « virtutes cœlorum movebuntur et tunc

videbimus Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna et majestate (*Matth.* XXIV; *Luc.* XXII. » Passurus quippe venit occultus, tunc autem judicaturus manifestus veniet Deus noster, et tunc silebit, ignis in conspectu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX). » Et quia tunc arescentibus reprobis præ timore, justi levabunt capita sua, id est exhilarabunt corda, et pulchre hic unius ejusdemque angeli habitu utrumque præfiguratur, cujus « erat aspectus sicut fulgur, vestimenta autem sicut nix. » Nam impii custodes præ fulgore aspectus ejus exterriti, facti sunt velut mortui (*Matth.* XXVIII) : mulieres autem, quæ religiose Dominum quærebant, niveis ejus vestimentis et dulci alloquio consolatæ sunt dicentis : « Nolite timere vos (*ibid.*), » etc. Hinc est quod hac die cantamus : *Terra tremuit et quievit, dum resurgeret in judicio Deus* (*Psal.* LXIII). Dictum est enim hoc de die illa, quando auditum faciet judicium, dicens his qui a dextris ejus erunt : « Venite benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV) : » his autem qui a sinistris : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*ibid.*). » Tunc enim exsurgente Deo in judicium (*Job* XXII), qui nunc videtur sopitus esse, vel non curare ea quæ sub sole fiunt, terra tremet et quiescet, id est impii, qui terreni sunt, timebunt et quiescent, quia nocere desinent. Igitur dies hæc, cujus in nocte Dominus noster cum terræ motu resurrexit, diem illum æternitatis, diem significat futuræ resurrectionis, cujus diluculo idem Dominus noster improvisus, ut dictum est, cœlis ardentibus cœlorumque virtutibus trementibus apparebit (*Luc.* XXI).

89 CAPUT XVIII.

Quod Matthæus non dissentiat a cæteris evangelistis in eo quod dicit, « mulieres vespere Sabbati, » et quod vere vespere venire cœperint, et diluculo pervenerint, et cur ita egerint.

Sed et illud mystice nobis aliquid innuit, quod devotæ Christo feminæ quæ illum et vivum dilexerant, et mortuum desiderabant per noctem ambulantes, juvante luna, venerunt ad monumentum. Per noctem enim ambulaverunt, quæ diluculo ad monumentum fuerunt. Alioquin nisi per noctem venissent, quomodo ad sepulcrum tam mane adfuissent? Verbi gratia : Maria Magdalena, cujus domus erat Bethaniæ (*Joan.* XX), qui vicus quindecim stadiis distat ab Hierosolymis, quomodo prima ante alias una Sabbati juxta Joannem, valde diluculo venisset, dum adhuc tenebræ essent ad monumentum? Sepulto quippe Domino mulieres, quæ illum secutæ fuerant, Hierosolymis non remanserant. Sed, cum aspexissent ubi poneretur, revertentes, inquit Lucas, paraverunt aromata (*Luc.* XXIII). Quando autem paraverunt vel emerunt, manifestius Marcus indicat. « Et cum transisset, inquit, Sabbatum, Maria Magdalena et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum (*Marc.* XVI). Siquidem Sabbato, ut ait Lucas (*Luc.* XXIII), quieverunt propter mandatum, subauditur legis, quia lex Sabbato vetat operari (*Exod.* XX). Constat itaque quia in lacrymis pervigiles amore,

A nimiumque longa retardantis Sabbati mora fatigatæ, quo nec operari nec plus mille passibus ambulare licitum erat Judæis : mox ut onerosum illud Sabbatum abiit, recessit, transivit, non quieverunt nec dederunt oculis suis somnum (*Psal.* CXXXI), non luciferum ad proficiscendum præstolatæ sunt. Noctem pro die, desiderium pro duce, lunam rapuere pro sole. Luna quippe nocti non defuit, quia tunc septima decima extitit. Septima decima vero luna, clauso vespere paulo post, id est, fere post horam dimidiam exsurgit, toti deinceps lumen suum ministratura nocti. Falso igitur quidam Evangelistas calumniati sunt, quod contraria dixissent in eo quod Matthæus vespere Sabbati, cæteri prima Sabbati diluculo mulieres venisse dixerunt ad monumentum. Matthæus enim ut earum commendaret desiderium, quando
B venire cœperunt : cæteri dixerunt, quando pervenerunt. Quid igitur illud mystice nobis innuit, quod mulieres illæ sic venerunt, nisi quod animæ fideles paratæ (*I Thess.* V), id est mente vigiles, diligentes et Dominum quærentes, invenire festinanter satagunt, ad illum Filii hominis adventum, qui, ut supra dictum est, sicut fur in nocte veniet (*Joan.* XIX), non solum cum terræmotu, sed et trementibus cœlorum virtutibus, ut consolationem inveniant, dum impii non jam velut, sed vere fient mortui? Et ideo nunc parant et secum portant aromata, id est collecta de Scripturarum areolis cum virtutum odoribus, Dominicæ resurrectionis testimonia, scilicet, quod vere anima ejus non sit derelicta in inferno, et caro ejus non viderit corruptionem (*Psal.* XV). » Et sicut
C illis non satis fuit, quod Joseph justus et Nicodemus condierant illum cum linteis et aromatibus (*Luc.* XXIII) ipsis præsentibus et aspicientibus, nisi et ipsæ aliquid de suo tantæ pietatis operi addidissent; sic sanctis et fidelibus semper mentibus optabile est, ad ea quæ apostoli, vel apostolici viri scripserunt de fide resurrectionis, aliquid proprii superadjicere laboris, faciuntque hoc pene cuncti dictis aut factis, pauci etiam scriptis. Idcirco, quemadmodum illis vivum se præbuit et ut agnosceretur, Mariam suo nomine vocavit (*Joan.* XX), quod magnum est indicium suæ dilectionis; unde ad Mosen : « Novi te ex nomine (*Exod.* XXXIII), » inquit; sic omnibus tunc prope aderit quærentibus nunc eum in veritate (*Psal.* CXLIV) et nomina ipsorum ostendet illis scripta
D in libro vitæ (*Apoc.* III).

CAPUT XIX.

Quanto rectius nunc sancta sit prima Sabbati, qua mundi Redemptor resurrexit a mortuis, quam olim Sabbatum, quo idem mundi Creator ab opere suo cessavit.

Quanto præponderet primæ Sabbati sanctificatio, quæ nobis est data, sanctificationi illi, qua Judæis Sabbatum dedicatum est, ex comparatione causarum, vel temporum utriusque sanctificationis advertere licet : Diversis enim ex causis longeque imparibus, et Sabbatum Creator noster benedixit, et primam Sabbati idem ipse Salvator noster dedicavit : Causa

namque benedictionis Sabbato fuit hæc, quod Deus in illo cessavit ab omni opere quod patravit (*Genes.* II), causa vero primæ Sabbati, quod Deus homo factus in illa resurrexit a mortuis. Quis hæc longius a se differre non videat? Si enim Dei requies, causa sanctificationis diei est, consequenter ubi major ei verior ejus requies, illic sanctificatio copiosior est. Itemque ubi majorem in operante laborem attendimus, majorem nihilominus in cessante requiem agnoscimus. Constat vero, quia dum conderet mundum fatigatus non est, utpote qui omnia per Verbum suum operatus est, et universa componens de singulis dixit, fiat factum est. At ipse idem, cum, ut mundum redimeret, homo factus (*Hebr.* II), unus idemque Christus Deus et homo, passus et crucifixus et sepultus est, procul dubio fatigatione non parva fatigatus est. Qua ergo die resurrexit, veram utique requiem, gloria et honore coronatus (*Psal.* VIII), introivit, longe excellentius requievit quam cum a mundi creatione cessavit. Deus enim non in mundanæ creaturæ mole visibilis, sed in intellectualibus cœlis, id est, in sanctis animabus requiescit. Nunc enim gaudet sponsus super sponsam quam suo sanguine acquisivit, et gaudet super nos Deus noster, et delectant eum filiæ regum, imo quia una est Ecclesia, illa delectat eum regina, quæ astitit a dextris ejus (*Psal.* XLIV), quam et in præsenti præparat et vocat amicam, et in futuro torrente voluptatis suæ potabit eam (*Psal.* LV). Nulli itaque dubium, quin prima Sabbati tanto uberius sanctificata sit, quanto verius suam in requiem, quæ sanctificationis causa est, Deus homo Christus resurgens introivit. Relinquamus igitur Judæis postremi Sabbati suis vetus gaudium, quod est illis de creatione mundi visibilis, cujus solius semper fructu transitorio delectati sunt, cujus solius prosperitatibus semper lactari appetiverunt, pro cujus solius acquisitione creatorem ejus serviliter timentes colere uisi sunt. In tantum enim terrenis semper inhæserunt, ut quæcunque de cœlestibus illis promissa sunt, terrenarum quas amant, semper velari oportuerit nominibus rerum, ut est illud : « Audi Israel præcepta Domini, et ea in corde tuo quasi in libro scribe, et dabo tibi terram fluentem lac et mel (*Deut.* VI). » Nam et ipsum Deum et Dominum per quem mundus factus est, in propria venientem, idcirco ipsi qui sui erant, non receperunt, nec intelligere voluerunt eum esse regem Judæorum, quia contra carnalis sensus eorum opinionem beatitudinem pauperibus, et væ prædicabat divitibus, cum ipsi existimarent, **90** quod nunc quoque somniant regnante Christo, auream, gemmatam Hierusalem in terris, stratasque auro mundo plateas ejus se habituros. Noster Sabbatismus hac die de septima transfertur ad octavam, quæ et prima est. Nam eadem octava dies, quæ et prima. Idcirco autem jure in octavam transfertur, quia de alio opere quam de creatione mundi nostrum, ut dictum est, gaudium sumitur. Dupla namque operatio Dei, prima est creatio mundi, secunda, salvatio mundi. Secun-

A dum creationem, « nihil novum fit sub sole (*Eccle.* I), » quia qui vivit in æternum, creavit omnia simul : secundum salvationem, « Pater meus, inquit Christus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* VIII). » De creatione mundi sabbatizant dilectores mundi. Nobis autem de salvatione mundi gaudendum est, quorum vita et requies in Deo cum Christo abscondita est (*Coloss.* III).

CAPUT XX.

Qua ratione vel auctoritate ab hac die Dominicæ resurrectionis, processio cum benedictione aquæ cunctis per annum agatur Dominicis.

Proprium hoc habet hæc dies, quam fecit Dominus, idque ab eo sumpsit omnis prima Sabbati, quod aqua benedicta populis aspersis agitur processio solemnis.
B Verumtamen hac ipsa prima et principali Dominicarum omnium non benedicitur, neque die sancto Pentecostes, quia in præteriti Sabbati vespera sumpta est de sacro fonte baptismi, antequam immergatur aliquis, et antequam chrisma immissum sit. Non enim ad hoc aspergimur, ut rebaptizemur, sed divini nominis gratiam super nos, cum hoc memoriali baptismatis nostri, frequenter invocare debemus. Et idcirco singulis aspergimur Dominicis, quia in sacrosancta primæ bujus Dominicæ vespera, baptismum universaliter sancta celebrat Ecclesia, pro causa superius memorata. Unde et inter aspergendum hac die cantamus. *Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluia* (*Ezech.* XLVII), etc. De propheta Ezechiele sumptum est hoc. Civitatem illi ostenderat manus Domini facta super eum,
C ædificata super montem excelsum, et vergentem ad austrum, et in illa mirabile constitui templum (*Apoc.* I). Illa autem civitas Ecclesiam significabat, de qua Dominus in Evangelio : « Non potest, inquit, civitas abscondi super montem posita (*Matth.* V). » Quid ergo templum, nisi illud, de quo ipse idem : « Solvite templum hoc, inquit et post triduum excitabo illud, loquens de templo corporis sui? (*Joan.* XXI.) » Sed et Joannes in Apocalypsi, cum de eadem civitate sibi ostensa loqueretur : Et templum, inquit, non vidi in ea ; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et agnus (*Apoc.* XXI). » Quam de hoc templo aquam vidit hic egredientem, nisi vivificum sacri baptismatis fontem? Cum enim illud solvissent Judæi, sanguis et aqua,
D sicut supra dictum est, de latere ejus exivit. Et recte de latere dextro aqua exivit, de qua dicitur : *Et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt.* Nam hujus quoque templi non manufacti latera duo sunt. Dextrum quippe latus divina, lævum latus humana natura est. Signanter ergo dicendum fuit quo de latere aqua hæc exivit, quæ ad quoscunque pervenit, salvi facti sunt : a latere dextro, inquit. Et recte. Nam de divina Christi natura Spiritus sanctus aqua invisibilis procedit, qui aquæ visibili, quæ de latere lævo, id est, de humanitate lanceata profluxit salvandi virtutem tribuit. Hac igitur die Dominicæ resurrectionis, quæ sacri quoque bapti-

sterii celebratione est solemnis, recte inter aspergendum canit unus illud in laudem fluminis hujus, cujus inundatione per mortem Christi revivimus. Cæteris autem post Pentecosten Dominicis cantamus: *Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor* (*Psal.* L), quod et ipsum de fide baptismi Propheta prædixit, per hyssopum quæ herba est humilis, medicinalis, qua tumor pulmonis deponitur, fidem humilitatis vel passionis Christi significans: per nomen lavacri super nivem dealbantis, baptismum ipsius manifestius exprimens. Deinde cum crucibus et vexillis, quæ sunt insignia victoriæ Christi, omnes albati et exsultantes in laude resurrectionis sanctæ procedimus, cum tanta populi exspectatione sexus utriusque majorem pariter et minorum, ut corporaliter quoque illud propheticum in nobis impleri videatur: Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini, nam et montes et colles exilient expectantes vos cum gaudio (*Isa.* LV).

CAPUT XXI.

Cur Dominus discipulos ad videndum se in Galilæam invitaverit, cum et Hierosolymis visus sit, et quod ideo processio fiat singulis Dominicis.

Ut autem processio ageretur, ex mystica Evangelii auctoritate tractum est, scilicet, ex eo, quod angeli mulieribus præcipiunt, dicentes: « Ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam (*Marc.* XVI), » et ipse Dominus occurrens illis exeuntibus a monumento, cum tenuissent pedes ejus et adorassent eum: « Ite, inquit, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt (*Joan.* XX). » Primi hujus mandati, quod Dominus resurgens per angelos suos et per se ipsum suis mandat discipulis ut eant in Galilæam, « et ibi me videbunt, » inquit, si causam agnoverimus, procul dubio fatebimur merito fieri, quod mandatum illud hac die, cunctisque per annum Dominicis memoria celebri, id est, processione frequentamus solemni. Non enim sine causa, non absque divini pondere consilii sese in Galilæa videndum esse promittit, cum Hierosolymis sese illis ostendere potuerit, imo et quinquies ipsa die qua resurrexit ibidem visus sit. Quod si non aliud quam latus, manus et pedes palpandos et contrectandos illis in Galilæa ostendere disponit, hoc frustra vel sine pondere rationis, quod omnino incongruum divinæ est majestati, videbitur agi. Hoc enim tam secundum Joannem quam secundum Lucam, hac eadem die Hierosolymis fecit, cum reversis Hierosolymam duobus discipulis, quibus ostensus fuerat, euntibus in Emmaus, et referentibus quæ viderant illis secum mirantibus, stetit Jesus in medio eorum et dixit eis, « Pax vobis. » Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus (*Joan.* XX; *Luc.* XXVII). Quid ergo amplius in Galilæam evocatis ostenderit, quærendum est. Hoc nimirum, quod inimicum erat Hierosolymis terrenæ civitati, unde illos evocavit et templo sacerdotioque veteri, propositum suum, imo totius Trinitatis concilium illis aperuit: « Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo et in terra:

A euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Ecce hæc est illa magna transmigratio, quam Galilæa quoque suo commendat nomine. Magna, inquam, transmigratio Christi discipulis imperata, transmigrare de Judæis ad docendas et baptizandas omnes gentes, cum ante dixisset: « In viam gentium ne abieritis (*Matth.* X), » et de vetustate circumcisionis ad novam gratiam baptismi, cujus nunc regulam prescripsit, quam hactenus nusquam **91** tradiderat illis. Magna sane causa, et digna, quam Dominus non solum verbis ediceret, sed et facto præsenti præfiguraret. Nam quomodo ante passionem suam, plerisque dictis aut factis suis similitudines adhibere consuevit; verbi gratia, quo-
B modo superius octava abhinc die veniens ad passionem, ut genus humanum redimeret, eamdem generis humani redemptionem, per asinæ et pulli ejus significavit solutionem (*Matth.* XXI): sic tunc apostolis suis dicens, « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (*Matth.* XXVIII), » eadem gratiæ suæ transmigrationem significare voluit per Galilæam, quæ Latine vertitur in transmigrationem. Totum hoc ad nos, id est, ad Ecclesiam de gentibus respicit, ad quam salus ex Judæis hoc præcepto transmigravit. Recte igitur et merito in primi hujus mandati commemorationem, quod statim, ut visus est Dominus noster post resurrectionem, «Nuntiate, inquit, fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt (*Joan.* XX), » nos processionem agimus
C solemnem, nosque et loca nostra aspergimus aqua benedicta, in honorem hujus diei, quod jussi sumus baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

CAPUT XXII.

Quo die discipuli in Galilæa videntes Dominum adoraverunt, secundum Matthæum.

Illud quidem nemo qui dubiet, quod hac die, qua resurrexit Dominus, id est prima die Sabbati, discipulos in Galilæam invitaverit: sed illud per se non satis liquet qua die illuc abeuntes juxta Matthæum (*Matth.* XXVIII), illum videntes adoraverint. Verum Hieronymus item prima Sabbati, id est octava die, factum hoc esse astruit, et hanc eamdem esse apparitionem, de qua Joannes ait: « Et post dies octo
D iterum erant discipuli intus, et Thomas cum eis (*Joan.* XX). » Ait enim idem Hieronymus super Matthæum: Post resurrectionem Dominus in Galilææ monte conspicitur, ibique adoratur, quod licet quidam dubitent. Tunc manifestius ostenditur Thomæ, et latus lancea vulneratum, clavisque fixas manus demonstrat, ut vere, licet nonnulli numerando vices, quibus Dominus post resurrectionem visus esse describitur, aliter sentire videantur, nos tamen prædicto doctori hunc sensum non improbandum esse arbitramur. Et ipsa ratio admittit quos discipuli eadem die, qua Dominus resurrexit, toties in Galilæam ire jussi, non ultra dies octo distulerint,

præsertim cum eadem die sero illum videntes, quando Thomas non erat cum eis, siem festinantissimam iterum videndi eum, ardentiusque desiderium concipere potuerunt. Nihil enim est in quo Hieronymo auctoritas Evangelica refragetur. Nam quod ait Joannes, post dies octo iterum erant discipuli intus, non nos coarctat in eodem loco intus eos fuisse fateamur. Intus erant, sed in monte, id est, in civitate Nazareth, quæ in monte Galilææ sita est, Sic enim habemus in Luca. Qui, cum dixisset, quia Dominus postquam jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, reversus in virtute Spiritus in Galilæam, et jam magnificatus in Capharnaum, venit Nazareth ubi fuerat nutritus : et cum dixissent ei, « Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua, » ipseque respondisset eis, « In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in Israel, et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam (*I Reg.* XVII ; *Luc.* IV), cum, inquam, hæc dixisset evangelista, statim secutus, « Repleti, inquit, ira surrexerunt, et ejecerunt eum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum (*Luc.* IV.) » Non ergo alium in montem quam in Nazareth, quæ super montem sita erat, Dominum præcessisse et discipulos suos evocasse, putandum est. Itaque nulla, ut dictum est, auctoritas evangelica Hieronymo refragatur. Intus enim erant post dies octo, sed non in eadem domo, nec in eadem civitate. Et pulchre, ubi persecutionem primam pertulit, primoque desertionem Judæorum, et transitum ad gentes præfiguravit, sicut post supradicta scriptum est : « Jesus autem transiens per medium illorum ibat (*ibid.*), » ibidem post omnes persecutiones Judæos deseruit, ritumque eorum mutavit, circumcisione abolita, gentes omnes præcipiens baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

CAPUT XXIII.

Quod de Redemptore nostro prophetice dictum sit : « Nephtalim cervus emissus dans eloquia pulchritudinis. »

Simulque et hoc notandum, quod ubi ante passionem maxime prædicavit in finibus Zabulon et Nephtalim, sicut habemus in Evangelio, trans Jordanem Galilææ, et illic post resurrectionem eamdem consummavit doctrinam, dando baptizandi et docendi præceptum, ut sicut ab eodem evangelista testimonium subjunctum est de propheta : « Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, lucem videret magnam (*Isa.* XIX), » complens illam quoque prophetiam, qua dictum est : « Nephtalim cervus emissarius dans eloquia pulchritudinis (*Genes.* XLIX). » Emissus enim per divinam potentiam a canum insecutione, de quibus ipse dicit per os David : « Circumdederunt me canes multi (*Psal.* XXI), » emissus, inquam, in plenam securitatem, velocissimo saltu resurrectionis recurrit in fines Zabulon et Nephtalim, ubi ante docere cœperat, factus et ipse Nephtalim, id est dilatatus, videlicet expeditione charitatis, et hæc dedit, quæ prædicta sunt, eloquia pulchritudinis de nobis gentibus baptizandis, quæ sic finivit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* ult.). »

CAPUT XXIV.

Item de processione, secundum quod variatur in diversis monachorum et canonicorum ordinibus.

Prædicta processio sic agitur, ut sacerdotem præcedentem, officinas visitantem, semper in eo loco quo suprema statione consistimus, ante nos cum cruce inveniamus. Quod et ipsum ex eadem Evangelii pendet auctoritate. Nam Dominum nostrum, cujus personam sacerdos in suo gerit officio, sicut illo loco jam dictum est, et antequam pateretur, et postquam resurrexit, hac die discipulos suos in Galilæam præcessurum se dixit. Nam qua nocte tradebatur, « Postquam autem, inquit, resurrexero, præcedam vos in Galilæam, » et cum resurrexisset, sicut hac die legimus, « Ite, inquit angelus, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam (*Matth.* XXVI. *Marc.* XVI). » Huic significationi pulchre et ipsa, quam ibidem, id est in suprema statione, sacerdos dicit, oratio concinit, directa ad personam Filii : *Domine Jesu Christe, qui tribularum Hierusalem valvas sanctificasti*, etc. Nam ad Filii personam dirigitur, et sub nomine Hierusalem Ecclesiæ mentio fit, quæ de baptizatis omnibus gentibus **92** construitur, et sub nomine portarum ejus, nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti in quo baptizantur, significatur secundum Apocalypsim, ubi in significatione ejusdem divini nominis, patent civitatis quæ significat Ecclesiam, « ab oriente portæ tres, et ab occidente portæ tres, et ab aquilone portæ tres, et a meridie portæ tres (*Apoc.* XXI), » quia, quacunque ætate veniant ad fidem Christi, seu in pueritia, seu in adolescentia, seu in juventute, seu in senectute, ut ait Prudentius, occurrit quadrina ad compita nomen. Sicque fit, ut tota hæc processio nihil aliud, quam gratiarum actio sit, eo, quod resurgens Dominus statim memor nostri, qui eramus absque Deo (*Ephes.* II), discipulos suos in Galilæam ad hoc consilium evocavit, ut baptizaremur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Unde locum quoque, quo suprema statione processionem terminamus, nos Galilæam nominamus, et præeuntem sacerdotem semper in hujusmodi, id est dominicali processione majores quique post prælatum nostrum, ut caput digniora membra sequuntur. Et illud quoque majorum exemplis edocti, quia rei jam dictæ congruit, observamus, ut in hac processione nulla unquam Dominica quidquam, quod sit veteris historiæ, cantemus, sed semper quod de Novo Testamento sit, gloriamque personet Evangelii.

Sed de hoc principali die paschæ sermo nunc est, a quo omnis prima Sabbati insignita, et dominica dies dicta est, quo Dominus noster patres nostros

A apostolos ad audiendum, ut dictum est, gratiæ consilium, in Galilæam evocare dignatus est. Hujus diei statio, quo processio terminanda est, in medio templi splendide ordinata, rem ipsam, de qua dictum est, pulchre commendat, dum sacer Ecclesiæ chorus totus festivus, sexus utriusque populo circumstante, totis viribus in vocem exsultationis et salutis feliciter erumpit, cantando antiphonam: *Sedit angelus ad sepulcrum domini* (*Marc.* XVI). Hæc enim antiphona rem ipsam patenter exprimit, quam per docere omnes gentes jussi sunt apostoli, scilicet, quod Deus homo factus, mortem nostram moriendo devicit, et vitam nobis resurgendo reparavit. Cui rei valde et ipsa, quæ dictis insita est, congruit melodia, dum cantus is tetrardi [*tetradis*] garrulitate concinnus, agili recursu festiva dicta suspendens
B frequenter tripudiat, et læta pronuntians, velut alauda matutina per vocum suarum sæpe volitat acumina. Hæc igitur statio nobis illud festivo concentu commemorat, quod in Galilæa jussi a Creatore suo cœli enarraverunt gloriam Dei (*Psal.* XVIII), gloriam resurrectionis Christi, sicut legimus, quia virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri (*Actor.* VI). Quod ideo totis viribus est concinnendum, et toto corde totoque ore in auditu populorum circumstantium efferendum, quia « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. »

CAPUT XXV.

C *Quod nos recte beatam Mariam in principio nostræ lætitiæ proponimus in hac processione, omni Dominica, ad ejus memoriam prima statione divertentes, et quod credendum non sit quod Dominum resurgentem ipsa non viderit, et quod inter testes mater scribi non debuerit.*

Recte et laudabiliter a nostris, id est monachi ordinis, majoribus traditum est, quod hactenus pro lege fixum atque inconvulsum conservatur, ut in hujusmodi processionibus, cunctis per annum Dominicis beatæ Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus, decantando quodlibet, quod ejus proprium sit, eaque salutata et oratione dicta tunc demum processionem ordine supradicto peragamus. Sicque fervente sacræ religionis studio provisum est, ut infra claustrum habeatur ejusdem beatæ
D Virginis diversiorum, scilicet sacratum in ipsius honore, maxime propter hoc ipsum proprium nominis ejus oratorium. Quid Evangelicæ fidei convenientius Christiana sedulitas comminisci potuit? Quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari matri Virgini super resurrectione unigeniti, jam non morituri, in cujus passione gladius animam ejus pertransivit? (*Luc.* II.) Perpendere gestit Christiana devotio, quantus torrens gaudii repente inundans, locumque vulneris replens, animam ejus ferro doloris confossam inebriavit, cum redivivus Filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiavit, et dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Evangelio, referenti quod surgens Jesus primo Mariæ Magdalenæ apparuit? Absit. Sed omnibus, beatam Virginem matrem excipimus, testibus præordinatis, quos solos nominare ad Evangelistas pertinuit, vel quos Christi resurrectionem annuntiare decuit. Nunquid illam nuntiare decebat, ut verba ejus tanquam deliramenta viderentur ante apostolos? Si enim extranearum verba feminarum visa sunt eis tanquam deliramenta (*Luc.* XXIV), quomodo non magis matrem amore filii delirare crederent? Verissime ergo matri Filius resurgens apparuit, sed illa, ut ab initio cœperat, ita et nunc « conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc.* II). » Quod si idcirco verum non videtur, quia nullus evangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est quod nunquam post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando, vel ubi apparuerit illi, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem et matrem honorare præcepit (*Exod.* XX), absit, inquam, ut matrem propter se doloris gladio transverberatam (*Matth.* XV), tam dura negligentia talis filius inhonoraverit. Non sic apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Nam, cum hac prima die Paschæ stationem ad hanc, de qua loquimur, sanctam Mariam missæ officio prescripsit, quid aliud quam Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Si enim omnis anima timens Dominum sic benedicitur, « ut videat bona Hierusalem, et videat filios filiorum suorum, pacem super Israel (*Psal.* CXXVII). » Et ideo dicitur, et est ipsa quoque Hierusalem, quod est visio pacis: quanto magis ista ter quaterque beata Virgo dicenda est Hierusalem, quæ « benedicta inter omnes mulieres (*Luc.* I), » vidit Filium suum pacem super omnem verum Israel, scilicet Christum, de quo Apostolus ait: « Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). » Ipsa præ omnibus, ipsa ante omnes vidit hanc nostram pacem, ipsa est Hierusalem, pulchra, electa suavis et formosa, quam viderunt filiæ Sion (*Cant.* VI), et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt. Dum ergo hanc hodierna statione sancta Romana Ecclesia in principio lætitiæ Suæ, ut dictum est, proposuit, non hoc æstimavit, quod pacem super Israel venientem, id est Filium suum propter justificationem nostram resurgentem (*Rom.* IV), ipsa non viderit. Sed, ut ad propriam, de qua supra dictum est, hodiernæ et omnium dominicalium processionum causam sermo recurrat, nunquid vel tunc, quando undecim discipuli **93** abierunt in Galilæam (*Matth.* XVIII) in montem, sicut constituit illis Dominus Jesus, hanc beatam, de qua loquimur, Mariam prætererunt, et absque illa videntes eum adoraverunt? Imo non alias quam in domum illius, non alium in montem abierunt, ut viderent eum, quam in illum, super quem civitas

ejus Nazareth sita erat, sicut jam dictum est. Igitur pulchre et laudabiliter, ut supra diximus, traditum est a nostris majoribus, ut in hodierna, cunctisque per annum Dominacalibus processionibus, beatæ Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus, eamdem ob causam, qua hodiernæ missæ officio statio ad Sanctam Mariam præscribitur, ut eam, sicut jam dictum est, in principio lætitiæ nostræ proponamus, illud de Canticis recolentes, novum novæ Ecclesiæ sponsum, mox ut resurrexit, dixisse non vane arbitrantes : « Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris (*Cant.* IV). » Quam enim sui corporis parte altius, post ipsum caput suum Christum Ecclesiæ sublimitas eminuit, quam singularibus hujus reginæ angelarum meritis, cujus ex carne sine viro Christus, ut lapis de monte sine manibus (*Dan.* II), est editus ? Et quo in vertice montium tantum myrrhæ, id est mortificationis, cum thuris, id est, piæ orationis odoribus inveniri potuit, quantum in hujus beatæ Virginis anima, quam singulariter Dominicæ passionis gladius pertransierat. Ad hunc ergo montem myrrhæ vadimus et nos, expedita statione ad sanctam Mariam divertentes, ipsa propter eloquia cervi emissi, de quo supra dictum, « eloquia pulchritudinis (*Gen.* XLIX), » quibus ille de baptizandis omnibus gentibus mandavit, exultantes mystice depromimus hac die cantando : *Tota pulchra es.* Nota namque omnium pene sententia doctorum est, eorum his verbis Ecclesiam invitari, ut surgat et properet apostolica, quæ tunc numero parva erat Ecclesia de Libano venire (*Cant.* IV), id est, candidatione baptismi gentes ad Christum adducere, Maria matre fidei nostræ adjuvante, id est, « omnia verba hæc, quæ hactenus conservabat in corde suo (*Luc.* II), » jam aperiente.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De missa ejusdem diei.

Totum diei præsentis officium cunctis partibus suis in illum æternitatis diem intendit, cujus, nobis aditum Deus per Unigenitum suum, devicta morte reseravit, ubi « epulabuntur et exsultabunt jussi in conspectu Dei (*Psal.* LXVII), » qui nunc epulantur, ut cantamus ac legimus, *in azymis sinceritatis et veritatis* (*I Cor.* V), » bibentque vinum bonum, quod ex aqua factum est in cœlestibus nuptiis (*Joan.* II), » id est, in gloria delectabuntur immortalitatis, et impassibilitatis, a corruptione mortalitatis penitus immutati. Et recte : Ut quia Pascha transitus est, illo Paschale præsentis diei canticum intendat, ubi transeuntibus patria constituta est. Tunc illa sancta civitas Hierusalem splendebit novitate æterna, novumque cantabit Canticum, nova ipsa « non habens maculam aut rugam (*Ephes.* V). » Cujus Cantici æterni doctor ac præcentor erit novus ejus sponsus, qui primus resurrexit, cui cum diceret Pater, sicut habemus in psalmo : *Exurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara*, respondit, *exsurgam diluculo* (*Psal.* LVI, CVII), Recte ergo in Introitu hodierni officii primam vocem emittit, qui primus ressurrexit, dicitque : *Resurrexi, et adhuc tecum sum* (*Psal.* CXXXVIII). Ad hujus Cantici novitatem nos invitans et instruens Paulus in sequenti lectione Epistolæ : *Expurgate, inquit, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio* (*I Cor.* V), etc. Aperta similitudine baptizatos docet, dum novam, id est, absque fermento, conspersionem nos esse hortatur, eo quod ex multis hominibus unum Ecclesiæ corpus, tanquam ex multis granis unus panis efficiatur. Quale autem sit illud, quo panis iste fermentetur, et Paschali mensa fiat indignus, ex his, quæ supra Corinthiis dixerat, patenter agnoscimus. Dixerat enim, « Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui quis habeat (*ibid.*). » Et paulo post : « Non bona, inquit, gloriatio vestra. An nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Expurgate vetus fermentum (*ibid.*), » etc. Hoc igitur ecclesiastici compositor officii per hanc lectionem Ecclesiæ Christi intimare voluit, ut illam, quam accepit in baptismo, servet immaculatam nuptialem tunicam, utpote qualem exhibere sibi cupit Christus sponsam gloriosam, non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V). » Fornicatio enim, propter quam eadem lectio scripta est, ut supra dictum est, vel aliud quodlibet damnabile vitium, vetus fermentum est, vetusti hominis morbus est, veteris vitæ macula est. Itaque cum hæc dies novitatem vitæ prædicet, et æternam juventutem annuntiet, miranda plane et laudanda Romanæ Ecclesiæ diligentia in eo quoque, quod in officio præsenti legendum esse Evangelium secundum Marcum instituit. Ille namque præter hoc, quod in quatuor animalium admirabili figura leoni assimilitur, præter quod ejus Evangelium recte legi videretur, ut leo rugitum leonis resurgentis evangelizaret, de quo prædictum fuerat : « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti, ut leo et quasi leæna, quis suscitabit eum (*Genes.* XLIX)? » præter hoc, inquam, officium diei præsentis Evangelium ejus **94** maxime pro eo congruit, quod sanctæ resurrectionis nuntium, quem cæteri simpliciter appellant angelum, hic altiori mysterio juvenem appellat : « Viderunt, inquit, juvenem sedentem a dextris, coopertum stola candida (*Marc.* XVI). » Hæc enim duo, quæ posui, « juvenem, et coopertum stola candida, » duo itidem, quæ ab Apostolo in laudem

et [honorem] gloriosæ Ecclesiæ dicta sunt, prædicant A scilicet « non habentem maculam, non habentem rugam (*Eph.* v). » Nam quia gloriosa Ecclesia, pro qua Christus mortuus est, et propter cujus justificationem resurrexit (*Rom.* iv), in illa gloriosa resurrectione, cui se præparans, nunc vetus fermentum expurgat, ut dictum est, rugam vetusti hominis, quem exuit, non habebit, recte sanctus evangelista resurrectionis ejusdem præconem angelum, juvenem appellat: et quia maculam non habebit, quam Sponsus suus in sanguine suo lavit a peccatis suis (*Apoc.* xxii), pulchre coopertum stola candida, ut vere erat, diligenter expressit. Diligentissima ergo institutione, hac die secundum Marcum legitur resurrectionis Christi Evangelium, quo baptizatis nostris, quibus renovata est ut aquilæ juventus sua (*Psal.* cii), juvenis sedens in dextris dominici sepulcri, et coopertus stola candida, ipso suo habitu, quid acceperint, aut quid sperare debeant, prædicat cunctis consonantibus partibus officii, et hoc maxime conclamantibus concorditer, ut expurgato veteri fermento, in azymis sinceritatis et veritatis epulantes (*I Cor.* v), primam baptismi resurrectionem ita servemus, quatenus secundæ resurrectionis æternæ juventuti præparemur. Tunc, sicut in Offerenda cantamus, resurgente Deo in judicio, qui nunc sopitus esse, et humana curare non putatur, terra tremet et quiescet (*Psal.* lxxvi), id est, impii terrebuntur, et tradit, gehennæ nocere desinent, et erit in pace locus Domini, scilicet Ecclesia, et in Sion juvene, jamque candida, sicut angeli supradicti habitus prædicat, confractæ erunt omnes adversariæ potentiæ, arcus, scutum, gladiusque et bella vitiorum. Graduale, quod est cantus laborantium in hac peregrinatione, jam dictum est ad hos dies resurrectionis usque in Pentecosten non pertinere, sed propter baptizatos per hanc hebdomadam in officiis additum esse, ita tamen, ut sicut his, propter quos additum est, militiæ laborem, quem arripuerunt, præsens sublevet gaudium, de recenti remissione peccatorum: sic consuetudinalem gradualium neumarum serenent verba, diem, quam fecit Dominus, quotidie personantia, et exsultandum atque lætandum esse in ea, tam ex ipso quam ex versibus ejus accipimus, qui ex eodem psalmo sumpti per hebdomadam dispertiuntur.

CAPUT II.

De ordine inusitato vespertinæ laudis, cujus causa est per hanc hebdomadam solemnitas sancti baptisterii.

Cum omnes horæ regulares supradictæ novitatis et lætitiæ proferant insignia, tunc vero splendidius vespertina synaxis hujus festivitatis claritate, secundum ordinem Romanum est illustrata. Nam quia vespera Sabbati paschalis baptisma celebratum est, eadem hora per totam hebdomadam festivam regenerationis jucunditatem hoc modo retinet. Primum, quia in ipso baptismi ordine inceptum est *Kyrie eleyson*, et litania trina decantata est ob honorem et reverentiam adorandi nominis, Patris et Filii et Spiritus sancti, quo in nomine baptismus peragitur: idcirco non, ut fieri solet a versu, *Deus in adjutorium meum intende*, sed a *Kyrie eleyson* festivo concentu incipiuntur. Sequuntur ob eamdem causam tres psalmi sub uno *alleluia* decantandi, qui et per totam hebdomadam non mutantur, tum quia tota hebdomada hæc pro una die computatur, eo quod universalis diem resurrectionis aspiciat, tum quia tam hi quam cæteri, qui processionibus, de quibus dicendum est reservantur, insigni titulo, quod est *alleluia*, prænotantur, quod rei vel tempore congruere, imo proprium esse novimus. Verumtamen primus, id est, *Dixit Dominus* (*Psal.* cix), solus *alleluia* non habet in titulo, sed ad laudem Christi maxime et secundum divinitatem, et secundum humanitatem, auctoritate Dei Patris commendante decantatur, agens per B totam seriem de gloriosa et ineffabili exaltatione ejus, qua mortis torrente bibito, suum hodie exaltavit caput. Post tres psalmos pro capitulo dicitur canticum: *Hæc dies quam fecit Dominus*, sicut et per omnes regulares horas, nihilominus ob magnitudinem significandæ lætitiæ pro capitulo decantatur. Deinde *alleluia* cum versu suo pro hymno canitur, quia proprius patriæ cœlestis hymnus *alleluia* est. Post canticum de Evangelio cum antiphona, dicta oratione, proceditur ad fontes cum psalmo: *Laudate pueri Dominum* (*Psal.* cxvii), qui et ipse in titulo *alleluia* prænotatus perspicue congruit ipsis, qui reservatus est sacris fontibus. Admonitio namque divinæ laudis est ad pueros, id est novos Ecclesiæ filios, qui per baptismum pueri, id est, puri facti C sunt a vitiis, totusque hic psalmus tantum ad fideles de gentibus dirigitur, quod ex eo facile perpenditur, quia dicit: *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem* (*Psal.* cxii), id est gentilitatem prius sterilem, nunc matrem filiorum secundum fidem facit habitare in domo, id est in cœlesti Hierusalem completa prophetia, qua dictum est: « Lætare sterilis, quæ non paris (*Isa.* liv; *Gal.* iv). » Unde nunc apud fontes Ecclesia mater jubilans exsultat in laudem ejus gratiæ, per quam meruit esse, sicut audivit in Canticis: « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano, ut sint « emissiones ejus paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, cyprus cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum, myrrha et aloe, cum universis lignis Liban (*Cant.* iv). » Quæ D omnia diversis qualitatibus suis diversa merita vel profectus significant eorum, qui in fonte baptismi similitudini mortis Christi complantati sunt (*Rom.* vi), de quibus non est modo dicendum per singula. Hæc statione terminata, transitur inde ad oratorium sancti Andreæ apostoli, cantando: *In exitu Israel*, quo significatur exitus illorum, qui Israel, id est, *videntes Deum*, renascendo facti, *de Ægypto* hujus sæculi et *populo barbaro* infidelium exeunt mari; id est profunditate gentium, et *Jordane*, id est Judæis, Jordanis enim terræ Judæorum est fluvius, et *a retro fluens* interpretatur: gentibus, inquam, et Judæis videntibus ea, quæ per exeuntes mirabilia facta sunt,

fugientibusque ab infidelitate ad fidem, a carne ad spiritum, a diabolo ad Deum, quem reliquerant, retrorsum. Unde et *montes*, id est apostoli, *et colles*, id est eorum discipuli, *exsultantes ut arietes et sicut agni ovium*, gratulantur et dicunt: *quid est tibi mare, quod fugisti, et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Sic omnis Paschalis hebdomadæ vespera, qua hora Sabbato in sanctæ Trinitatis nomine baptisma celebratum est, trina statione completur. Et idcirco fortassis ad sanctum Andream pene omnis vespera terminatur, quia beatus Gregorius qui stationes, sicut hactenus, servantur, ordinavit, eidem sancto Andreæ specialiter devotus exstitit, **95** cui juxta et basilicam sanctorum Joannis et Pauli ad clivum Scauri, monasterium in proprio domate formavit: in quo relictis omnibus ex hujus mundi naufragio nudus evasit, diu desideratum monachicum cupiens indumentum. Nec mirum hunc illam vespertinam stationem pro devotione tanto apostolo consecrasse, cum et stationem ad sanctos Cosmam et Damianum, qua die cantatur: *Salus populi ego sum*, fecerit illustriorem, propriis ac solemnibus collectis, sicut a plerisque usque nunc observatur, sanctis eisdem dedicaverit, idcirco quod atavus ejus, IV Felix, sedis apostolicæ pontifex, vir magnæ in Christi Ecclesia reverentiæ, basilicam eorumdem sanctorum via sacra juxta templum Romuli, sicut hactenus, cernitur venustissime fabricavit. Forte et illud majestatem divini nominis respicit, Patris et Filii et Spiritus sancti, quo in nomine baptisma celebratum est, quod ad vigilias nocturnas tres tantum lectiones ordine Romano leguntur. Nam quo respectu ultra numerum hunc lectiones multiplicarentur? Siquidem prædicatores nostri, quos, ut alio loco jam dictum est, significat amplior in solemnitatibus numerositas lectionum, quia sub tempore gratiæ plures veritatis præcones mitti cœperunt prædicatores, inquam, Evangelii, id est apostoli, nunc erant muti et absconditi, neque, ut solebant Domino cum illis commorante, circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique (*Luc.* IX), Nec quisquam illud objiciat, quod tribus quæ præcesserunt luctuosis noctibus, plures lectæ sunt. Nam illarum alia ratio suo loco præscripta est. Igitur ternarius numerus, auctoritate divini nominis in baptismo illustratus, pulchre in hac solemnitate, tam in Psalmis, quam in lectionibus principatur.

CAPUT III.

Cur non monachi, æque ut canonici, per hos dies consuetam debeant immutare regulam.

Quamvis ea, quæ supradicta sunt, rationem habeant theoricam, nostri tamen, id est monachi ordinis, æque authenticam non debent immutare regulam, ut verbi gratia, nocturnas ulla dominica ad tres lectiones contrahant vigilias, aut per horas regulares litaniæ removeant supplicationes, et pro ipsis jucundum *alleluia* personent, idcirco quod in illa beatitudine, quam significat hæc paschalis solemnitas, nulla erit deprecatio miserorum, sed sola laudatio beatorum. Sed nec illud, ut cum non habeant fontes eas, quas propter solemnitates fontium fieri dictum est, vespertinas suas in locis suis agantur stationes, hæ non quæ pontificales et ad presbyteros plebium pertinentes sunt traditiones. Et licet beatus Gregorius, qui stationes ordinavit, et pene omnem cleri decorem digito Dei doctus expolivit, habitu monachico præfulserit, nec ideo tamen monachico tenendæ sunt ordini consuetudines hujusmodi; quas Pontificali potius officio tradens, inferioribus, id est, activæ vitæ procuratoribus instituit. Nunquam enim sancti Patres talem habuere consuetudinem, ut contraria vel pugnantia præciperent. Præceperat autem ante illum beatus Benedictus, qui, ut ipse asserit beatus Gregorius, spiritu omnium justorum plenus fuit, ut Dominica die nunquam minus a duodecim lectionibus ad vigilias nocturnas legantur. Similiter et de cæteris regularibus horis universaliter absque ulla exceptione canonem suo præscripserat ordini.

Non ergo credendum est quod beatus Gregorius, cum activæ vitæ ordinem institueret, ad quem se descendisse in suis deplorat epistolis, superiorem, id est, contemplativæ vitæ ordinem ex aliqua parte in contrarium deflectere voluerit. Rectius itaque suam quisque tenet ordo regulam, juxta illud: « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo (*Hier.* XXXI; *Habac.* III). » Tantum in eo concordantibus cunctis, ut usque Pentecosten genua non flectentes, sed stando perorantes, libertatem, quam nobis resurgendo Christus acquisivit, hac significatione profiteamur, et *alleluia* sine intermissione dicamus, et nos filii sponsi, quia nobiscum est sponsus, non jejunemus. Cæterum quicunque monachici ordinis supradictam ob causam supplicationem litaniæ, id est, *Kyrie eleison*, de horis regularibus per hanc septimanam amputant, consequens est, ut usque Pentecosten non repetant, quoniam non solum hæc hebdomada, sed universi quinquaginta dies isti æternum futuræ resurrectionis significant Jubilæum, quo nihil jam supplicandum, sed solum in salute perfecta exsultandum erit, et lætandum.

CAPUT IV.

Quam congrue fides resurrectionis per quadraginta dies confirmata sit, simulque de miraculo cuidam fratri ostenso hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo undecimo.

Miranda sane et prædicanda Salvatoris nostri studiosa charitas, qui cum passus propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV), nihilominus propter eruditionem nostram distulit quadraginta diebus ascensionis suæ gloriam, per quos et præbuit seipsum vivum in multis argumentis apostolis suis, quod elegit, ut essent testes suæ resurrectionis (*Actor.* I). Poterat enim eadem die, qua resurgendo super occasum ascendit (*Psal.* LXVII), nubem quoque ponere ascensum suum (*Psal.* CIII), et semel ostensum testibus suis verum hominem, vera Verbi divinitas, eadem velocitate qua suscita-

verat, post tres vel paulo plures dies in paternæ majestatis collocare dextera. Magna ergo charitas, et vere non quærens quæ sua sunt (*I Cor.* XIII), quæ, ut subveniret tardis ad credendum, triumphalem Christi tardavit ascensum (*Luc.* XXIV), et ut consummatam ostenderet gratiam, præparatam victori distulit gloriam. Itaque væ perfidis hæreticis, quos legitimus hic quadraginta dierum numerus exspectatos et incorrectos, justæ tandem sententiæ subigit. Legitimus namque est quadragenarius dierum numerus apud homines quoque in protelandis consultationibus, et is cui forte consulitur, etiam si lunaticus sit, id est stultus, « stultus quippe ut luna mutatur (*Eccli.* XXVII), » cum tot dies exspectatus sanum consilium non admiserit, justus judicetur, quoniam ante quadraginta dies luna mutatur, unde et hic plus quam stultus, qui per tot dies mutatus non est. Sed libet per aliud simile ex antiqua divinæ auctoritatis Scriptura comprobare, quod resurrectionis mortuorum detractores, jure nunquam ad ejusdem resurrectionis gloriam pervenire merentur, quam per quadraginta dies exploratam, adhuc pertinaci impietate calumniantur. Legimus in libro Numerorum, quia loquens Dominus ad Mosen in deserto Pharan, « Mitte, inquit, viros, qui considerent terram quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus ex principibus, id est, viros duodecim. Qui cum ascendissent, exploraverunt terram ascenderuntque ad meridiem, pergentes ad torrentem Botri, absciderunt que palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri, » etc. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, **96** alii detraxerunt terræ quam inspexerant apud filios Israel, dicentes : Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos. At vero Josue filius Nun, et Caleph filius Jephone, Terra, inquiunt, quam lustravimus, valde bona est. Si propitius fuerit Dominus, introducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. Cumque clamaret omnis multitudo, et eos lapidibus vellet opprimere, apparens Dominus, Omnes, inquit, homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me ecce jam per decem vices, nec quisquam qui detraxit mihi, intuebitur terram, pro qua juravi patribus eorum (*Num.* XIII, XIV). » Hæc illis in figuram contigisse Paulus quoque apostolus testis est. Nam, cum de hac sacra loquens historia dixisset : « Patres vestri omnes mare transierunt, et omnes in Mose baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum, inquit, beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto : » et quia tentaverunt Christum, « a serpentibus perierunt : » et quia murmuraverunt, interierunt « ab exterminatore, » et protinus adjungit : « Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos A fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X). » In figura videlicet, quorum, nisi eorum, quæ in hoc fine sæculorum, id est, in hac mundi sexta ætate facta sunt ? Christus Dominus, Ægypti rege, id est, tenebrarum principe debellato, per mare Rubrum baptismi sui traduxit illos, et nunc per vitæ præsentis desertum regit, ut inducat in repromissionem æternæ hæreditatis, id est, in eam, de qua nunc loquimur, gloriam beatam resurrectionis. Quam enim ab illo terram « lacte et melle manantem » sperare debemus, nisi conformitatem corporis Christi quod resurrexit, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis (*Coloss.* II), ut per illos reformet, sicut Apostolus ait (*Philip.* III), corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ ? Igitur et hi, B qui veritatem negant ejusdem resurrectionis, sicut et illusores, malerumque concupiscentes tentatores atque murmuratores, juste prosternuntur in deserto et pereunt, atque ab exterminatore intereunt. Totidem quippe, id est, quadraginta diebus evangelica refert Scriptura in multis exploratum esse argumentis terram carnis Christi, quod vere resurrexit a mortuis (*Actor.* I), ut veraciter agnoscamus ex illa, qualis erit nobis status futuræ resurrectionis. Ascenderunt fidei exploratores ad meridiem, id est, ubi elevatus erat verus sol Christus per altissimam resurrectionem, et attulerunt nobis botrum cum palmite suo, quem portant duo viri, id est ipsum Christum, cui dicit sponsa in Canticis : « Botrus cypri dilectus mihi (*Cant.* I). » portant, inquam, in vecte duo viri, id est, pendente in ligno crucis C cum veritate corporis, in quo resurrexit. Hunc enim susceptum portant duo viri, id est duo populi, Judaicus, atque gentilis : et sicut anterior ex eis qui botrum ferebant, portabant quidem, sed averso dorso non videbat, posterior autem et portabat et videbat : Sic anterior populus Judaicus testimonia passionis et resurrectionis Christi portat quidem in Scripturis, sed averso corde non credit, atque ideo non intelligit : posterior autem, id est gentilis, et portat et videt, quia quod legit, credens intelligit, intelligens credit. Hunc ergo botrum afferentes veritatis exploratores, id est, annuntiantes Christum, hunc nobis apostoli testes fideles dicunt scriptis (*I Cor.* V), dicunt miraculis, de gloria sperandæ resurrectionis : « Terra quam lustravimus bona est, sicut ex D his fructibus cognosci potest (*Num.* XIII) » Quo enim dissimile est huic illud quod nobis annuntiant, incorruptibilem carni superindui resurrectionis gloriam, veramque et eamdem carnis ejusdem permanere naturam ? « Lustravimus, inquiunt, eam, vidimus et perspeximus, manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ (*I Joan.* I). » Misimus enim manus nostras et palpavimus latus ejus, et contrectavimus cicatrices vulnerum in manibus et pedibus ejus, dicentis : « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere : » et manducavimus, inquiunt : et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis (*Joan.* XX). » At illi qui simul

ascenderunt explorare Scripturam, pleni alieno spiritu, falsi et fallentes, negantes veram resurrecturam corporum naturam, et corpus Dominicum post resurrectionem phantasticum fuisse suspicantur, id est, ventis et aere subtilius. In quo isti murmuratoribus illis dissimiles sunt detrahentes terræ quam inspexerant, dicebant : Terra ista quam lustravimus, devorat habitatores suos? » (*Num.* XIII.) Devorat quippe habitatores suos illa, speramus vita, si nos aliter non admittit, nisi vera in resurgentibus inhæreat corporum natura. Argumentantur enim et dicunt : Quomodo corpus Dominicum post resurrectionem verum fuit, quod clausis ad discipulos introivit januis (*Joan*. XX)? Videbor in ventum verba jacture, si contra hos inimicos fidei Christianæ multa velim responsionis argumentosæ spicula vibrare. Illæ namque vulpeculæ jamdudum tonitru cœli, id est, clamore fulminantis Ecclesiæ conterritæ ubicunque sint latitant in caveis subterraneis, nec prodire audent, ut vineas florentes fructumque parturientes (*Cant.* XI), suo more putido dente demoliantur. Sed ecce dum hæc scribimus, jucundo per quemdam fratrem nostrum gratia resurgentis nobis arridet miraculo. Testor illam beatam, ac deliciosam noctem, in qua Christus ab inferis victor ascendit, me nihil super hoc mentiri, nisi ille tam sacrilegus sit, ut de hujusmodi re quippiam fingere ausus fuerit, quo vito ejus vel propositum omnino prohibet vel suspicari. Fratris tamen ejusdem nomen tacebitur, quoniam et hoc obnixe precatur. Nam factum quidem lucere coram hominibus cupit, ut glorificetur Pater qui est in cœlis (*Matth.* V) : se autem videri non vult, nec suis reputare meritis miraculum, cujus sola Dei gratia, quo judicio nescimus, operatrix est, multi enim venient in illa die dicentes : « Domine, non in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo, virtutes multas fecimus? et respondebit eis : Amen dico vobis, nescio vos unde sitis (*Matth.* VII). » Res hujusmodi est : Hoc sancto Paschæ Sabbato, quo cereo de cujus quoque præconiis superius aliqua diximus, annus ab Incarnatione Domini millesimus centesimus undecimus inscriptus est, in ecclesia Sancti Laurentii ad præcedentes ejusdem diei matutinos, exstinctis de more cunctis luminaribus, dum eorum ultimum exstingueretur, et ad canticum Evangelii hæc antiphona a D. abbate Berengero imponeretur: *Mulieres sedentes ad monumentum*, ecce repente ante pedes illius projectum cecidit ipsius, quo firmiter substrictus erat, cingulum. Ille solutum esse et cecidisse suspicatus, quod tamen mirum fuisset, quia non delapsum fuerat, neque circum crura pedesque descenderat, sed ante pedes quasi projectum, ut dictum est, exsiliverat, inclinavit se ut tollens illud rursum sese accingeret. Cumque manus injecisset ut illud sibimet circumdaret, nondum, ut erat fortiter astrictus, non cedere sibi, ultra quam dici potest admiratus est, intendenti et secum **97** cum stupore magno reputanti, quidnam hoc sibi vellet, ecce vox facta est et sibilum tanquam auræ tenuis audivit dicentem sibi :

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.

Siquidem hæc, ut ipse referens testatus est, admiratio mentem ejus persæpe pulsabat, quomodo verum Domini corpus, unde ipse nullatenus dubitabat, clauso resurgere monumento, clausis potuit januis ingredi ad discipulos. Mox ergo illa ad memoriam simile illud rediit, quod Augustinus refert in libro *De Civitate Dei*, factum per quamdam Petroniam clarissimam feminam, quæ mirabiliter ex magno atque diutino, in quo medicorum adjutoria cuncta defecerant, dolore sanata est. Hæc a quodam Judæo dixit sibi fuisse persuasum, ut annulum capillario vinculo insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inventum bovis. Hoc alligato quasi remedio, ad sancti martyris Stephani limina veniebat. Sed profecta a Carthagine, cum in confinio fluminis Bagrapæ in sua possessione mansisset, surgens ut iter perageret, ante pedes suos illum jacentem annulum vidit et capillaciam zonam, qua fuerat alligatus, mirata tentavit. Quam cum omnino suis nobis firmissime, sicut erat, comperisset astrictam, crepuisse atque exsilivisse suspicata est. Qui etiam ipse cum integerrimus fuisset inventus, futuræ salutis quodammodo pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum solvens, simul cum eodem annulo projecit in flumen. Non credant hoc, inquit idem Augustinus, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos clausis ostiis fuisse ingressum non credunt.

Comparentur nunc duo hæc tam insignia divinæ pietatis miracula, recens hoc, quod hominem cingulum renum ejus firmiter obstrictum, et indissolutum transiit et exsilivit : et illud antiquius, quod zonæ insertus, nodo integro persistente, erupit annulus. Nescio quid mirer amplius, nisi quod hic pariter, ut supradictum est, vox divinitus audita est :

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.

Hoc igitur ubi accepi, mane quippe ubi primum loquendi copia fuit, duobus tantum fratribus, quorum unus exstiti, attonitus adhuc frater ille rem gestam retulit, obnixe postulans ut creditum nobis secretum nunquam cum suo nomine proderemus : ubi, inquam, hoc accepi, tanquam meis maxime oblatum a Deo usibus miraculum, lætus arripui. Siquidem eadem nocte ei eamdem paululum ante horam, quia illud accidit, supradictam similitudinem ruminare cœperam, scilicet quod hi qui fidei resurrectionis detrahunt, et ideo non veram carnis naturam credunt resurrecturam, quia Dominus clauso sepulcro surrexit, vel quia clausis ad discipulos ingressus est januis, similes sunt illis qui terræ quam inspexerant, detraxerunt apud filios Israel dicentes : « terra quam lustravimus, devorat habitatores suos. »

Non igitur importune longior nunc trahitur sermo de resurrectionis gloria, cui incœpto materiam adaugent cœlestia, quæ sese ultro offerunt, miracula. Non poterat quidem, etiam si ista deessent, Christiana fides comprehendere sapientes in astutia eorum: qui, dum credere fugiunt, clausis januis verum potuisse corpus ingredi, quod supra naturam est, illo declinent judicium, ut dicant illud ventis et aere subtilius effectum, quod contra naturam est. Non solum enim nihil sese adjuvant, sed et magis implicant, dum defendendo naturam ab eo, quod supra est, ad id devolvunt, quod contra illam est. Utrumque miraculum, sed hoc, ut dictum est, supra naturam, illud quod hæretici suspicati sunt, scilicet impalpabile de palpabili corpus factum esse, majus quidem, sed inutile et contra naturam miraculum est. Quid enim maluerit Divinitas, utrum id quod contra naturam, an id quod supra naturam est, in psalmo evidenter ostendit, dicens: « Posuisti super me manum tuam (*Psal.* CXXXVIII). » At nunc ponendo exempla supradicta, quod verum corpus hominis, verum cinguli sui corpus, id est zonam cervinam nodo firmiter obstrictam excessit, olimque nodum irresolutum annulus exsilivit, proponit Divinitas.

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.

Assumit ratio: Sed illa supra naturam facta sunt. Concludit fides supra naturam: Ergo verum Christi corpus clauso prodire sepulcro, clausis potuit januis introire ad discipulos. Et hoc vere Deum decuit, videlicet sua taliter uti potentia, ut quam ædificaverat naturam, non destrueret, sed eamdem permanentem, imo perfectam, quo vellet et unde, traduceret vel adduceret; quod qui non concedit, superest ut multo minus illud concedat, quod corruptibiles ac mortales adhuc Apostoli sic educti sint, quomodo in Actibus apostolorum scriptum est: « Carcerem quidem adhuc clausum invenimus cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas: aperientes autem carcerem, neminem intus invenimus (*Act.* V); » superest, ut istos quoque, qui necdum resurrexerant, in ventos et aerem subtilem, quo per patentes rimas efflari possent, evanuisse asserat, siquidem sacram recepturi sunt Scripturam. Quam qui non recipiunt, nec audiendi, sed ut infideles omnino vitandi sunt. Nobis credentibus illud pro argumento sufficit, quia de nihilo Deus cuncta creavit, et cuncta quasi nihilum et inane reputata sunt ei ad agendum quidquid voluerit, ad traducendum quippiam quocunque voluerit. Mirumque hoc potius esset, si ita non posset, cum nemo fere tam imperitus artifex sit, ut quod composuit, penetrare ipse vel aperire non possit. At ille cum voluit, aperta est terra et deglutivit Dathan (*Num.* XVI), statimque ora concludens operuit super congregationem Abiron, qui principes seditionis exstiterunt, promissionibus Dei detrahentes, et cum subsannatione dicentes: « Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis (*ibid.*)! » Quorum exemplum cavere A debuerant hi, qui resurrectioni fidei, ut supra dictum est, detrahere ausi sunt, quomodo et ipsi ex illis sunt, quibus « juravi, inquit Dominus, in ira mea, si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV), » nullus eorum introibit in hæreditatem credentibus promissam. Juravit enim illis in ira sua, lacessitus eorum nequitia.

CAPUT V.

Cur hæc Paschalis sacra solemnitas octavas habeat, cum ipsa sit octava, id est octavam mundi ætatem respiciat, quæ est universalis resurrectio.

Jam de reliquis paschalis hebdomadæ officiis locuturus, opportunum esse arbitror, de ipsis Paschæ octavis communiter aliqua præloqui. Quæri etenim potest, cur, cum hæc sacra solemnitas octavam B illam significet, ut superius dictum est, quæ septem labentibus hujus mundi ætatibus æterna stabilisque succedet, ipsa quoque octavas habeat. Nam de cæteris solemnitatibus **98** illud fere omnibus notum est, quod idcirco octavas habeant, quia principium jam illis adesse, finemque, id est consommationem felicitatis in resurrectionem futuram esse pariter considerantes, jure in octavam usque, celebritatis perducimus lætitiam. Hæc autem solemnitas, quia resurrectionis est, ipsam totam respicit octavam, et celebritas ejus ultra dies octo, id est usque Pentecosten protenditur. Cur ergo et ipsa octavas habeat, merito quæritur. Sciendum itaque est, quia resurrectio nostra quam exspectantes, jam nunc hujus solemnitatis occursu præoccupando celebramus, vera et perfecta C erit circumcisio, significata per illam, quæ in veteri lege carnali Israel mandata est, octavi diei circumcisionem (*Gen.* XVII). Hujus autem veræ circumcisionis, octo, ut ait Hieronymus, beatitudines sunt, et considera, inquiens, quia veræ circumcisionis, octava beatitudo martyrio terminetur. « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Veram ergo circumcisionem resurrectionis recte solemnibus octo dierum celebramus officiis, quam Dominus ipse, ut magnificam esse ostenderet, tanquam plenum et solidum corpus, longo, lato atque alto permensus est octonario beatitudinum numero commendans, qui ejusmodi est apud geometras, ut plenum et solidum corpus primus perficiat. Nostris enim numeris illi uti familiare est, imo suis, cui veraciter D dictum est: « Omnia in numero et mensura et pondere posuisti (*Sap.* XI). »

Verumtamen, quoniam non adeo geometricas traditiones, sed potius æterni musici Dei cantiones in Scriptura sacra cognoscere operæ pretium est, qui et citharam se habere indicat, cui dicit in Psalmo: « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI), » cantilenam ejusdem citharæ, imo citharam ipsam, in his octo beatitudinum sententiis tanquam octo chordis, quæ integram reddunt diapason, consideremus. Et hoc placeat vel maxime mysticis, quia, cum (sicut tradunt musicæ artis scriptores) citharas antiquitus octo per diapason

chordis tibi nos fuerit, musicus cœlestis Deus, A hanc illis in cithara sua, id est in ea quam assumpsit humanitate, de carnis nostræ sylva similitudinem repræsentat, dum æternæ lætitiæ cantilenam per integram diapason, id est per octo beatitudinum (*Matth.* v) chordas modulans, scitos pueros ad saltandum, id est dociles discipulos ad bene operandum excitat. Illud quippe fidei nostræ notissimum est, quia citharæ huic de septem vocum discriminibus nihil deest. Quid enim sunt septem spiritus Dei, quibus Dominicus homo, requietionis locus unicus est, nisi septem vocum spiritualium discrimina, quibus omnis ejusdem Domini nostri contexitur doctrina? Illud quoque prætereundum non est, quod, sicut vocum non nisi septem discrimina, et idcirco in diapason octava semper eadem est, quæ et prima, sic secundum Spiritus sancti septem munera, dum nobis cithara hæc, octo cordis id est octo beatitudinibus cœlestem diapason personat, octava beatitudo eadem est, quæ et prima, « quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

Quod ne nullius auctoris patrocinio fultum, forte alii contemptibile videatur, beati Augustini non longe dissimilem super eisdem Dei spiritibus, eisdemque beatitudinibus sententiam habeamus. Ille namque septem gradus, quibus ad divinam contemplationem possit ascendi, in libro *De doctrina Christiana* distinguens, septem spiritibus Dei, septem supradictas beatitudines hoc modo coaptat, octavam nunc interim omittens, quoniam ipsa eadem est quæ prima. De spiritu timoris Domini, timor, inquit, iste cogitationem de nostra mortalitate, et futura morte necesse est incutiat, et quasi clavatis carbonibus omnes superbiæ motus ligno crucis affigens, pauperes spiritu, id est humiles efficiat. De spiritu autem pietatis deinde inquit, opus est mitescere pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, cum vitia nostra percutit, sive non intellectæ, quasi nos aliquid melius possimus sapere. De spiritu vero scientiæ, tunc ille timor, inquit, quo cogitat de judicio Dei, et illa pietas qua non potest nisi credere sanctorum librorum auctoritati, cogit eum seipsum lugere. Nam ista scientia bonæ spei hominem, non jactantem, sed lamentantem facit. De spiritu fortitudinis, hoc, inquit, affectu impetrat sedulis precibus consolationem divini adjutorii, ne desperatione frangatur, et esse incipit in quarto gradu, hoc est, fortitudinis, quo esuritur et sititur justitia, et ab omni mortifera jucunditate rerum transeuntium fortiter esse avertens animus, extrahit. De spiritu consilii, ubi, inquit, aspexit quantum potest, in longinqua radiantem incommutabilem Trinitatem, eamdemque unitatem, suique aspectus infirmitate sustinere se illam lucem non posse persenserit, in quinto gradu, hoc est in consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem, seque in dilectione proximi gnaviter exercens, in ea perficitur. De spiritu intellectus, cum, inquit, hoc modo pervenerit ad inimici dilectionem, ascendit in sextum gradum, ubi jam ipsum purgat oculum, quo videri Deus potest, quantum potest ab his qui huic sæculo moriuntur, videtur per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII). » De spiritu sapientiæ, ita, inquit, purgans oculum cordis talis filius ascendit ad sapientiam, quæ septima est, qua pacatus tranquillusque perfruitur: « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX). » Ab illo enim usque ad ipsam per hos gradus tenditur et venitur. Sed nos jam ad rationes officiorum considerationem vertamus, et cum tanti doctoris auctoritate eadem officia, quæ octo beatitudines mystice prædicant, septem gradibus vel ordine donorum Spiritus sancti non dissonare firmemus. Adeo utrumque in his paschalibus præsentis hebdomadæ officiis, illa octo beatitudinum consonantia observata est, ut sanctorum ordini B sententiarum, quibus illas Dominus beatitudines contexuit, sensus et ordo officiorum, si diligenter examinetur, consonare probetur. Hoc autem superius in officio primi diei non dictum, sed usque adhuc opportune reservatum est, videlicet quia longum interjectis novarum considerationum, in quibus discendum videbatur, lectoris memoriam fatigare vel etiam fraudare poterat. Nunc ergo, ubi rationes officiorum prosequendæ sunt, competentius dicetur quod illic est reticitum.

CAPUT VI.

Iterum de officio primi diei Dominicæ resurrectionis, quod et cætera hujus hebdomadæ officia secundum octo beatitudines, et secundum septem donorum Spiritus sancti ordinata sunt ascensiones: « Beati pauperes spiritu. »

C Officium primi diei Dominicæ resurrectionis superius dictum est, ad universalis spectare diem nostræ resurrectionis, idque planis et sponte occurrentibus comprobatum est argumentis, maxime Offerenda manifeste concurrente ratione: « *Terra tremuit et quievit, dum resurgeret in judicio Deus*, (*Psal.* LXXV). » Hoc procul dubio Christianæ fidei militiam ingressos pauperes, **99** spiritu, id est humiles, exigit fieri, considerantes quia timor magnus et tremor erit, quando dicet Patri rex et judex omnium: *Resurrexi et adhuc tecum sum*, in suggillationem inimicorum suorum qui dixerunt: « Quoniam morietur, et peribit nomen ejus (*Psal.* XL); » eo quod nesciat quisque nostrum, quis ad dexteram, quis tunc statuendus sit ad sinistram. Quamvis D epulemur in azymis, et immolatus Christus Pascha nostrum sit (*I Cor.* v), quamvis carnes Agni pretiosæ sint, lactucæ agrestes cum quibus comedimus, valde amaræ sunt, et carnes propter quos baculos tenentes in manibus, et festinantes comedimus (*Exech.* XII), tota nocte formidandi sunt. Atque hic est spiritus timoris Domini, qui in fundo cordis, ut fundamentum ponitur, quo cætera quæ superædificanda sunt, firmiter portentur. Hæc illa paupertas, id est regina humilitas, quæ totius secuturæ beatitudinis cumulum, ne superbiæ vento exsuffletur, præposita servat. Hic est septem graduum primus, per quos juxta Ezechielem ad portam orientalem ascenditur (*Ezech.*

xl). Et ne quem moveat, quod aliter a doctoribus, quam a propheta gradus isti ordinentur, Spiritus namque timoris, quem primum ponimus, ab Isaia ponitur ultimus (*Isa.* xi), Gregorii sententia ponenda est: « Propheta, inquit, quia de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis a sapientia, et descendit ad timorem. Sed nos quia de terrenis ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeremus, ut a timore ad sapientiam pervenire valeamus. » Sed ut ad superiora revertamur, quid aliud in eodem officio per hoc significatur, quod sedit juvenis in dextris coopertus stola candida (*Marc.* xvi), nisi quod « beati pauperes spiritu (*Matth.* v), » a timore Domini ascendentes, regnum cœlorum obtinebunt, et ex ipsis collecta assistet « regina a dextris ejus in vestitu deaurato (*Psal.* xliv). »

Quod præter superius memoratas causas, statio ad Sanctam Mariam etiam secundum hæc conveniat, ex abundanti est per conquisita probare argumenta. Omnes enim illam humilium novimus esse reginam, cujus anima Dominum magnificans, cujus spiritus in Deo salutari suo exsultans, causam reddit: « Quia respexit, inquiens, humilitatem ancillæ suæ, » quia « dispersit superbos mente cordis sui, » quia « deposuit potentes et exaltavit humiles (*Luc.* i). » Vere atque fideliter. Nam posuit super eos orbem. Ubi enim habemus in cantico Annæ: « Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem (*I Reg.* ii), in Hebræo ita habemus: « Domini enim sunt afflicti terræ. » Afflictos terræ, Hebræi, inquit Hieronymus, pauperes spiritu et humiles corde intelligunt, super quos Dominum orbem posuisse dicunt, quia terra in meritis eorum stare autumant. Nos autem super fundamentum humilium apostolorum et prophetarum (*Eph.* ii), orbem id est Ecclesiam novimus esse positam, et scimus quia lapis ille, qui faciunt mons magnus (*Dan.* ii), hunc implet orbem, et sustinet, et de ventre humilitatis Mariæ, de qua loquimur, assumptus est. Et nunc quidem officium primi diei recapitulavimus, ob continuandas ut dictum est, octo beatitudines: deinceps, ut earum mystica series evidentius pateat, dabimus operam, singula juxta propositum percurrendo officia.

CAPUT VII.

De officio secundæ feriæ, « Beati mites. »

Jam sæpe dictum est Evangelium cujusque officii caput esse, cæterasque partes illi, ut membra capiti concordi sensu cohærere. Est autem diei præsentis hoc Evangelium, quod duo ex discipulis Domini Jesu, euntes in castellum nomine Emmaus, ostensum sibi Dominum in via, sed in alia effigie, tandem *cognoverunt in fractione panis* (*Luc.* xxiv), « et cum ipse evanuisset *ex oculis eorum*, illi ad invicem dixerunt: « *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, de Jesu, « *dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* ? (*ibid.*) » Primum ergo videndum de cæteris partibus officii, quomodo huic evangelio consonent, et maxime de introitu: *Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac et mel* (*Num.* xiv), etc., et tunc
A palam erit, quod beatitudinem secundam totum officium consonet sententiæ: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v). Et quidem difficile hoc esset, nisi compunctionem lacrymosam qua isti cor suum arsisse dixerunt, doctores nominati ante nos terram aquis irriguam appellavissent. Et recte, quia compunctione lacrymis excitante, fidelis anima tanquam bono terræ suæ frumento refecta, dicit: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* xli). » Huic animæ beatus Gregorius Axam filiam Caleph eleganter assimilat, quæ sedens asino, cum suspirasset, dixitque ei pater suus: « Quid habes? Ecce, inquit, terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis. Deditque ei pater suus irriguum superius, et irriguum inferius (*Josue.*
B xxv). » Omnis enim, inquit, fidelis anima sedens asino, id est, carnis suæ motibus præsidens, prius timore compungitur, quod est « irriguum inferius; » post amorem, quod est irriguum superius, et quæ prius flebat, ne deputetur ad supplicia, postmodum amarissime flere incipit, quia differtur a regno. » Et competenter similitudo hæc sese obtulit, quæ, cum in singulis electorum perficiatur invisibiliter, in his duobus de quibus loquimur, visibiliter quoque peracta est. Cum enim ambulantes secum tristes colloquerentur de his quæ acciderant (*Luc.* xxiv), quid aliud quam anima eorum velut Axa sedens asino suspirabat? Et cum Jesus accedens et jungens se in via: *Qui sunt hi sermones*, inquit, *quos confertis ad invicem ambulantes et estis tristes* (*Luc.*
C xxiv), quo dissimile est et quod Caleph suspiranti dixit filiæ: « Quid habes ? » Nam et ipsum nomen Caleph, Domino Christo congruit; interpretatur enim *quasi cor*. Verbum autem Dei Christus Deus, de corde Patris eructatum est (*Psal.* xliv), et paterno cordi, quo eructatum est, per omnia simile est. Sed et hoc quasi cor idem erat Dominus, quod discipulorum cordi sic se conformavit, ut quia apud semetipsos intus amabant et dubitabant, eis foris Dominus et præsens adesset, et quis esset non responderet. Cum autem corda eorum tanta charitate ditavit, ut magnitudine divitiarum ejusdem charitatis attoniti dicerent: « *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via* (*Luc.* xxiv). quis non attendat illum animabus eorum dedisse « irriguum superius, » scilicet ut superni amoris
D profundo vulnere compungerentur? Itaque, dubium nil remanet, quin in Evangelio tali hic Introitus consonet: *Introduxit nos Dominus in terram fluentem lac et mel*, atque ideo constans et probatum est secundæ hujus feriæ officio secundam beatitudinis prædicari sententiam: « Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. » Mites autem spiritus pietatis efficit quod et ipsa res indicat, et Augustini sententia superius dicta confirmat. Itaque tam secunda beatitudinis sententia, quam secundus donorum Spiritus sancti gradus præsentis officii causa materialis habetur. Lectio quoque Actuum apostolorum, quæ præmittitur per os Petri apostoli, ex eo maxime loco

huic Evangelio secundum suæ præcessionis officium succinit, ubi ait « *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen* **100** *ejus omnes qui credunt in eum* (*Act.* x). » Cum enim Dominus supradictos increpasset discipulos, quod tardi essent ad credendum: *Et incipiens* inquit evangelista, *a Mose et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas quæ de ipso erant* (*Luc.* xxiv). Similiter Offerenda: *Angelus Domini descendit de cœlo*, dictis evangelicis consonat, ubi referentes discipuli Domino, quem peregrinum esse arbitrantur, inter cætera dicunt: *Sed et mulieres quædam de nostris terruerunt nos, quæ diluculo fuerant ad monumentum et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes, se etiam visionem vidisse angelorum, qui dicunt eum vivere* (*ibid.*). *Alleluia.* Nonne cor nostrum futurum nobis illud inclamat, quod omnes, quorum cor nunc ardens est de Jesu in via, dum loquitur nobis per Scripturas, cum illum cognoverimus in fractione panis, de quo dictum est: « Beatus qui manducabit panem in regno Dei (*Luc* xiv), » tunc æterna exclamatione nos invicem commemorabimus desiderium, quo nunc ardemus, nostramque satietatem, quæ tunc plena sine fastidio erit, admirabimur, re ipsa tandem experti, quod nunc suspirantes credimus?

Cur statio ad S. Petrum.

Secundum ea quæ dicta sunt valde congruit et hoc, quod præsenti officio prescripta est statio ad S. Petrum. Cui enim Pater omnium Deus largiori gratia dedit « irriguum superius et irriguum inferius, » revocemus ad memoriam quæ circa illum acta sunt, et ecce manifestius apparebit. Mox ut trina negatione cecidit, « conversus, inquit evangelista, Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini quod dixerat ei, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, et egressus foras flevit amare (*Luc.* xxii). Tunc vere beatus inter omnes mites cœpit possidere terram vero timore compunctus, quod est accepisse « irriguum inferius. » Quando autem resurrexit Dominus et sicut in Evangelio legimus (*Luc.* xxiv), et in Communione hac die cantamus. *Surrexit Dominus et apparuit Petro*, quid putamus, quantus intro currenti ad se misericordiæ respondit gemitus, vero amore compunctus, quod est accepisse « irriguum superius? » Quis ergo et hic cunctis mitibus positus est in exemplum, et beata Dei Genitrix omnium regina est humilium, recte hodierna statione ad S. Petrum, beatos ejus exemplo prædicamus « mites quia possidebunt terram (*Matth.* v). Sicut hesterna statione ad S. Mariam, beatos ejus exemplo prædicavimus « pauperes spiritus, » id est, humiles « quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*ibid.*). »

CAPUT VIII.

De officio tertiæ feriæ, « Beati qui lugent.

Qualiter tertiæ feriæ officium tertiæ consonet supradictarum sententiæ beatitudinem, non citius approbaretur, nisi supra scriptis suffragantis Scripturæ A patrociniis sermo fulciretur. Nam constat quidem quod nulla contrarietas, sed nec ulla est in sensibus diversitas, sed in verbis manifesta dissonantia est, videlicet in illa sententia tertiæ beatitudinis, lugentes beatificantur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v). In hujus autem officii Introitu, aquæ sapientiæ beati viri potati referuntur. In Offerenda: Intonante de cœlo Domino et Altissimo dante vocem suam, fontes aquarum apparuisse memorantur (*Psal.* xvii). In Communione quoque qui cum Christo resurrexerunt, quæ sursum sunt sapere jubentur (*Coloss.* iii). Ita totum pene officium divinam nobis commendat scientiam, nusquam beatorum luctum propriis vocibus denuntians. Hic igitur necessario beati Augustini, quæ superius inter cæteras est, patronam B tenemus sententiam. « Tunc ille timor, inquit, et illa pietas, quæ non potest nisi auctoritati sanctorum librorum cedere, cogit eum seipsum lugere. Nam ista sententia bonæ spei hominem, non se jactantem, sed lamentantem facit. » Itaque nos ad tertium illum gradum considerationem conferamus, et hoc officium, quo scientia Dei sub nomine aquarum prædicatur, a beatitudine lugentium, non discrepare probemus.

Primo sciendum est luctum hunc de quo dictum est: « Beati qui lugent, » non esse mortuorum communi lege naturæ, sed peccatis et vitiis mortuorum. Sic Paulus apostolus flere se ac lugere dicit eos, qui post fornicationem et immunditiam non egerunt pœnitentiam (*II Cor.* xii). Lugendi enim sunt, quia C non luxerunt. Hic autem luctus in hodierno commendatur Evangelio, dicente Domino ad discipulos, quibus apparuerat: *Quia sic oportuit pati Christum et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*Luc.* xxiv). Pœnitere enim, pro peccatis lugere est. Sed nec ipsam, quæ luctum hunc efficit, causam hæc eadem Evangelii lectio penitus omittit. Cum enim dixisset Dominus discipulis suis: *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi et prophetis et in Psalmis de me, tunc*, inquit evangelista, *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (*ibid.*). Ipsum igitur effectum, id est pœnitentiæ luctum, causamque efficientem, id est scientiam, cæteræ partes prædicant officii. Scripturarum quippe intelligentia lamentorum sive luctus D causa est affectiva quia, sicut nemo fere adeo crudelis et stultus viator est, ut cum forte per medium occisorum graditur, non saltem aliquantulum represso risu et cachinno, subsistat compunctus: sic nemo est qui non aliquanto dolore mordeatur, cum rite intellectis versatus in Scripturis, prophetas occisos, Dominumque prophetarum crucifixum, omnesque præcones veritatis ab eo omissos, tribulationem passos attendit, qui omne præsentis vitæ gaudium vanitatem et deceptionem esse, flendo et moriendo testati sunt. In tantum autem prædicandæ scientiæ Dei compositio studet hujus officii, ut cum versus omnes Gradualis per totam hanc hebdomadam de

uno eodemque psalmo centesimo septimo decimo, sumpti sint, hodiernum versum: *Dicant nunc qui redempti sunt a Domino*, de alio, id est centesimo sexto psalmo sumi placuerit, quia videlicet totus psalmus ille exhortatio est ad omnes fideles laudare Dominum, quod per scientiam sui de quadruplici tentatione nos liberavit, scilicet, quia eripuit eos de necessitatibus eorum, id est de periculo Infidelitatis, quia liberavit eos de necessitatibus eorum, id est a debilitate pravæ consuetudinis, quia liberavit eos a tædio bonæ actionis, quia educit eos ab hæreticorum impugnationibus, et versutiis, qui prius errabant in solitudine inaquosa, id est in siccitate doctrinæ, sacrarum penuria Scripturarum. Antequam, sicut in Introitu cantamus, aqua sapientiæ potaret eos (*Eccl.* XV); antequam sicut in Offerenda canimus, intonante de cœlo Domino apparuerunt fontes aquarum (*Psal.* XVII), id est apostoli, per quos Altissimus dedit vocem suam (*ibid*), id est illam, de qua nunc loquimur, notam fecit viarum suarum scientiam. Plane igitur tertiæ feriæ officium, tertiam beatitudinis commendat sententiam, prædicando eam, quæ non jactantes, sed lamentantes faciat, scientiam.

101 *Cur statio ad sanctum Paulum.*

Statio ad sanctum Paulum convenienter huic officio præscripta est, juxta omnia quæ supra dicta sunt, vel rationabiliter dici possunt. Huic enim singulari gratia Dominus aperuit sensum ut intelligeret Scripturas, quo paulo ante de cæteris apostolis dictum est. Unde et ipse ait: « Evangelium meum, quod evangelizatum est, non est a me, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi (*Galat.* I). » Itemque quod in eodem Evangelio dictum est (*Luc.* XXIV), et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, maxime per hunc adimpletum est, per quem omnes gentes cognoverunt gratiam Dei, et per eum aqua sapientiæ gentes potatæ sunt, et maxime per eum luctuosa Dei scientia dictis et scriptis apposita est, quod uberius in Epistolis ad Corinthios inveniri potest. Dicit enim his inter quos fornicatio audita fuerat: Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis (*I Cor.* V), » etc. Item: « Contristati, inquit, estis ad pœnitentiam, contristati estis secundum Deum (*II Cor.* VII), » et reliqua. Et in tantum ab eis quibus prædicaverat, luctum exigebat, ut ipsi non lugerent, humilitatem se a Deo ipse deplangeret, et non lugentes lugeret, sicut ad eosdem Corinthios: « Ne cum venero, inquit, iterum humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditiam, et fornicationem, et impudicitiam quam gesserunt (*II Cor.* XII). » Hinc et beatus Job, cum de scientia quam habuerat priusquam sibi Dominus de turbine loqueretur, dixisset: » Auditu auris audivi se, » et de augmento ejusdem scientiæ, quod accepit ex collocutione Dei, subjunxisset: « Nunc autem oculus meus videt te, » statim multiplicem scientiam causam esse ostendens effectivam luctusque et pœnitentiæ, » idcirco, inquit, ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere (*Job.* XLII). » Removeamus igitur nostram a paschalibus gaudiis ineptam lætitiam, neque carnes Agni comedamus absque lactucis agrestibus, quia « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. »

CAPUT IX.

De officio quartæ feriæ, « Beati qui esusuriunt et sitiunt justitiam. »

Officium quartæ feriæ, qualiter quartæ beatitudinum sententiæ consonet, approbare operosum non est. Verum illud potius quærendum esset, qualiter quarta hæc beatitudo, qua dictum est: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, » quarto gradui gratiarum Spiritus sancti, id est fortitudini congruat, nisi ex supradictis Augustini verbis constaret, fortitudinis esse eo usque ab omni mortifera jucunditate rerum transeuntium animum evellere, ut vacet illi justitiam esurire ac sitire. Hoc autem quod præmissum est, scilicet præsens officium quartæ beatitudinis esse præconium, perspicue patet quia per convivium illud quod secundum hodiernum Evangelium, Dominus noster post resurrectionem cum septem disciplis celebravit, illa saturitas, ut beatus Gregorius exponit, significata est, quæ hic esurientibus et sitientibus justitiam in illo æterno convivio reposita est. Restat igitur hoc solum, ut præeunte mystico sensu Evangelii, videamus qualiter illud cæteræ consequantur partes officii.

Veridica doctorum expositione traditum nobis est hoc quod Dominus noster post resurrectionem suam, discipulis in mare laborantibus stetit in littore (*Joan.* XXI), illud innuere, quod ipse « resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI), » ac si rebus ipsi loquatur in æternitatis soliditate stabilitus. Jam vobis in mare non appareo, quia vobiscum in perturbationum fluctibus non sum. Quod mane facto stans in littore, discipulis nescientibus quia Dominus est: *Mittite*, inquit, *in dexteram navigii rete et invenietis* (*Joan.* XII), illud significat, quod mane, id est in die judicii, transacta præsentis nocte sæculi, omnes electos suos universali resurrectione ad dexteram suam congregabit. Magni etenim pisces et numerati omnes centum quinquaginta tres, omnes electos significant, qui meritis magni, et sanctæ Trinitatis fide perfecti, tunc ad littus maris, id est in finem sæculi sunt colligendi. Ibi septem discipulos ad convivium invitat, quia perfecta Ecclesia, jamque tota septiformi spiritu constructa, tunc receptis corporibus ad æternas cum illo discumbent epulas. Quid ergo sibi vult hoc quod cantamus in Introitu, dictum de die judicii: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV), nisi quia significatur hoc ipsum in Evangelio prædicto per aliud, quod exeuntibus discipulis ad littus, tantumque numerum magnorum piscum trahentibus, ait

Dominus : *Venite prandete* (*Joan.* XXI). Regnum enim illud unum æternum prandium est, una et perpetua cœna est. Illic invenientur omnes electi, quos hic appellat benedictos Patris sui, quippe per illos pisces magnos et numeratos signati sunt. Illic, inquam, in littore illo, id est, in sæculi fine, prunas invenient et piscem superpositum, piscem, inquam, assum, id est, Christum Deum et hominem assum, tunc in ignem non passionis, sed amoris prope positum, de quo amore loquitur Isaias : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Hierusalem (*Isa.* XXXI), » quia videlicet ignis amoris qui in Sion, id est in præsenti Ecclesia nunc est aliquantulus, tunc in Hierusalem, id est, in illa visione pacis æternæ perpetuus, et inexstinguibilis erit enormius. Invenient et panem positum, id est verum vitæ æternæ alimonium Deum, qui angelorum cibus est, quos pascit immortaliter. Epistola de Actibus apostolorum sumpta de beati Petri apostoli prædicatione more suo, cum testimonio secuturi præcurrit Evangelii, illum maxime locum contingens, quo dicitur : *Ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus.* Jam enim credo, inquit Gregorius, quod vestra charitas advertit quid est quod Petrus rete ad terram trahit. Ipsi enim sancta Ecclesia commissa est, ipsi specialiter dicitur : « Pasce oves meas (*ibid.*) » Hoc agit verbis, hoc agit Epistolis, hoc, ut ad incœptum redeam, illo sermone secundo egit, de quo præbicta lectio actione apostolorum sumpta est, quo millia quinque virorum retibus fidei conclusa sunt. Versus Gradualis : *Dextera Domini fecit virtutem* (*Psal.* CXVII), pulchre ad hoc concinit, quod ait : *Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis.* Altius quoque intuentibus liquet, quia congrua vox est ipsius Dominici hominis in littore stantis, ut supradictum est, et omnes mortalitatis nostræ fluctuationes egressi per potentiam resurrectionis. *Dextera*, inquit, *Domini fecit virtutem*, id est potentia Verbi mihi uniti fecit me vincere mortem, « *dextera Domini exaltavit me* (*ibid.*), » id est, laudabilem fecit me. Iterumque repetens : *Dextera*, inquit, *Domini fecit virtutem* ut ostendat ejusdem resurrectionis qualitatem, scilicet æternam, sicut sequitur in eodem Psalmo : *Non moriar, sed vivam* (*ibid.*). **102** Juxta quem sensum cantamus cum Apostolo in alleluia, in Communione : *Christus resurgens ex mortuis* (*Rom.* VI). Offerenda, *Portas cœli aperuit Dominus*, etc., tertio nobis inculcat et replicat quid ille panis significet, quem piscatores nostri, cum copiosa multitudine magnorum piscium ad terram egressi, cum asso pisce invenerunt, et ad prandium vocati sunt. Scilicet ille idem panis, in illa est nobis patria repositus, quem nunc in via gustamus, ut videamus, quoniam « suavis est Dominus (*Psal.* XXVIII), » quem in sacramento altaris sumimus. Aperuit enim Dominus portas cœli, et hunc panem pluit nobis, portas, inquam, cœli id est prophetas qui prædixerunt, angelos qui annuntiaverunt, Mariam quæ concepit, et peperit, apostolos et doctores alios, qui prædicando Dei verbum immiserunt in ora animarum nostrarum egentium, et suam inopiam anhelantium, ut gustaremus et agnosceremus, et ad patriam ubi panis hujus plenitudo est, tendentes in via non deficeremus.

CAPUT X.

Cur statio ad sanctum Laurentium.

Beatus Laurentius unus et bene notus de magnis illis piscibus, piscis magnus, idemque assus, cujus assatura suaviter in tota Christi fragrat ecclesia, in illa longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat et bene biberat, inquit Augustinus, tanquam illa esca saginatus, et illo calice ebrius, tormenta non sensit. Ibi enim erat qui dixit : « Spiritus est qui vivificat (*Joan.* VI). » Caro enim ardebat, sed spiritus animum vegetabat. Non cessit, et in regnum successit. Idcirco de cunctis eisdem piscibus, quos Simon Petrus ad terram trahit, convenienter hic unus electus est, cujus magnitudinem hodierna statio spectandam nobis demonstraret. In hoc enim Christianæ fidei fortissimo propugnatore maxime claret illud, quod superius cum Scripturæ auctoritate monstratum est, quartam beatitudinem, quod est esurire et sitire justitiam, quarto gradui congruere donorum Spiritus sancti, id est spiritui fortitudinis, quia martyr insignis esuriens in fortitudine, et fortis in esurie, adeo primo gustu panis illius saginatus est, ut tormenta non sitiret, quia et, sicut ait Augustinus, « præeuntem Sixtum episcopum sequi sitiens, accepit oraculum, vicit diabolum, pervenit ad triumphum. »

CAPUT XI.

De officio quintæ feriæ : « Beati misericordes. »

Qualiter officium quintæ feriæ, quintæ beatitudinum congruat sententiæ, qua dictum est : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V), » promptum erit agnoscere, proposito prius mystico sensu lectionis Evangelicæ Mariæ Magdalenæ, quæ fuerat in civitate peccatrix, quæque amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis, Ecclesiæ de gentibus typum gessit : quæ agnita veritate turbas errorum, quibus prostituta fuerat, deserens, ad fontem gratiæ lavanda concurrit, et vox Veritatis impletur, dicentis. « Dimissa sunt ei peccata multa (*Luc.* VII). » Judaico invidente populo, cujus in typum Pharisæus ille misericordiæ fontem reprehendebat, dicens : « Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis esset quæ tetigit eum, quia peccatrix est (*ibid.*). » Hæc eadem mulier, sicut in hodierno legimus Evangelio, *stabat ad monumentum foris plorans* : et post allocutionem angelorum *conversa retrorsum*, vidit Jesum : et ipsa prius ab illo vocata nomine suo, vocat eum et ipsa magistrum (*Joan.* XX), etc. In his quoque typum gerit ejusdem Ecclesiæ. Sic enim Ecclesia de gentibus foris stabat, quia legis et prophetarum scientiam non introierat, et tamen Dominum quærebat, sicut ille beatissimus centurio Cornelius (*Act.* X), vel sicut ille Æthiops eunuchus qui venerat adorare in Hie-

A rusalem, et revertebatur legens Isaiam prophetam, cujus aditum ad intelligendum invenire non poterat (*Act.* VIII). Sic et multi gentilium Deum quærentes foris stabant, quia per quem ad veritatis notitiam ingrederentur, non inveniebant; futurum erat, sed non ante Domini ascensionem, ut illis veritas illucesceret, et fidem suam apostolis indicarent, confitentes Christum ascendisse ad Deum patrem suum, id est, æqualem illum esse Deo Patri secundum divinitatem, quo minor est secundum humanitatem. Propter quod Mariæ volenti pedes ejus tenere: *Noli*, inquit, *me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum* (*Joan.* XX), etc. Ac si Ecclesiæ de gentibus quærenti eum, sicut supra dictum est, et sicut ante passionem ejus legimus gentiles B quæsisse eum, dicente Philippo: « Domine, volumus Jesum videre (*Joan.* XII), » dicat ipse: Nolite nunc me tenere, sed postquam ascendero ad Patrem, ipsam ascensionem meam credere vos, apostolis meis ostendite, qui fratres mei sunt, id est per me idem quod ego vobis conferre poterunt. Itaque diei præsentis Evangelium beatitudini illi consonat: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Nam in Osea de eadem Ecclesia Dominus dicit: « Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam (*Ose.* XII). » Et recte quinta hæc beatitudo, imo beatitudinis causa, quod est misericordem esse secundum Augustinum, sicut supra dictum est, quinto sursum gradui confertur donorum Spiritus C sancti, id est Spiritui consilii; quia sicut consilium regit animum, sic supradictam mulierem misericordia et compassio qua compungebatur, plorans ad monumentum, juvit ut prima videret Dominum, sic et Cornelium opera misericordiæ (*Actor.* X), id est eleemosynæ quas faciebat, ut indice angelo perveniret ad Dominum, imo sic omnium quærentium Deum misericordiæ consilium purgat oculum. Sed jam officii membra cætera, capiti suo, scilicet sensui coaptemus Evangelico. Primum pene idem in eunucho miramur apparere mysterium, de quo narrat præcurrens lectio Actuum apostolorum. Nam quod in evangelio significatur per peccatricem, in Epistola narratur cœptum agi per Æthiopem (*Actor.* VIII). Uterque enim justificandæ peccata significabat D Ecclesiæ. Illa peccatricis nomine, iste Æthiopica nigredine. Ibi peccatrix Dominum quærens, ipsos apostolos superabat amore, hic Ethiopia præveniebat Domino Deo manus dare. Illa quasi mortuum Dominum plorabat, hic in Isaia prophetiam passionis Domini compatiendo legebat. Illi tenebræ erant ad monumentum, huic deerat lucerna scientiæ ad intelligendum. Illa videns Dominum non agnoscebat; hic de illo legens comparationem ovis et agni, de quo diceretur, nesciebat. Ad summam, illius aperti sunt oculi et os, ut diceret: *Rabboni* (*Joan.* XX). Huic, ut magisterio veritatis consentiens, prædicante Philippo diceret: *Quis me prohibet baptizari?* (*Act.* VIII). Iste est multus per Mariam significatus, et in eunucho tanquam in primitiis assumptus est, iste, inquam, est mutus gentilium populus, et isti sunt **103** infantes scilicet idololatræ, Deum loqui nescientes, de quibus in Introitu cantamus: *Victricem manum tuam, Domine, laudaverunt pariter, quia sapientia aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas.* (*Sap.* X). Quam ob causam laudaverunt? Videlicet quia sicut in eodem libro Sapientiæ præmissum est, « inimicos eorum operuit mare, » scilicet baptismi, « et ab altitudine inferorum educti sunt (*ibid.*), » quia per baptismum resurrectione prima, quæ est animæ, resurrexerunt. Hæc ita esse manifestius ex subsequente Collecta comprobatur: *Deus, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti, da ut renatis fonte baptismatis, una sit fides mentium et pietas actionum.* Versus quoque Gradualis in eo congruit quod ait: *Dominus Deus et illuxit nobis* (*Psal.* CXVII), quia Mariæ quærenti viventem cum mortuis, tenebræ erant ad monumentum, per quas significabatur ignorantia Dei in cordibus gentium, quæ et manifestius expressa et per gentilem atque Æthiopem eunuchum. Nec aliud *alleluia* melius secundum hunc congruit sensum, quam, *Surrexit Christus et illuxit populo suo.* Dies ille solemnitatis nostræ, de quo in Offerenda canimus: *In die solemnitatis vestræ, dicit Dominus*, etc., dies magnus, dies præclarus, Christus est, dies de die, lumen de lumine, in quo exivimus de terra Ægypti, id est, de tenebris, quas illæ tenebræ significaverunt, quæ erant Mariæ ad monumentum, sive supradicti Æthiopica nigredo eunuchi. Dies, inquam, cujus in lumine gradiendo, tendimus ad terram, quæ veræ lacte et melle fluit, quia præsens illic est Deus et homo Christus, semper ex divinitate et humaninate suavis angelis, et hominibus dulcis, semper præsens, semper desiderabilis. Hic nobis ex tunc illuxit, ex quo nobis ad Patrem ascendit, id est ex quo illum agnovimus et credimus æqualem Patri. Ejus ergo virtutes recte in Communione annuntiare jubemur, « nos populus acquisitionis (*I Petr.* II), » quia secundum ea quæ dicta sunt, de malis et profundis tenebris « vocavit « nos » in admirabile lumen suum (*ibid.*). »

CAPUT XII.

Cur statio ad Sanctos Apostolos.

Statio ad Sanctos Apostolos perspicue supradicto congruit mysterio; per apostolorum enim factum est ministerium, quod os muti apertum est; quod linguæ infantium disertæ sunt, quod Æthiops horridus agnelli candido vellere vestitus est, quod peccatrix quælibet anima foramen crucis invenit in maxilla Leviathan (*Job.* XL), per quod effugiens, crucifixam non jam in monumento, sed in cœlo quærens inveniat misericordiam. Propter quod eosdem apostolos in Evangelio supradicto vocat Dominus fratres suos (*Joan.* XX), quia studiis illorum actum est, ut eo nihil minus habeat gentium Eccle-

sia, quod eam Dominus vultu suo corporali non illustravit præsentia.

Sed et Philippus, qui supra dictum fidei candore vestivit Æthiopem, nomine suo cunctos mystice signat apostolos. Philippus enim interpretatur *os lampadis*. Lampas autem, id est lux, mundi Salvator est, sicut Isaias dicit de illo: « Propter Sion non tacebo et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur (*Isa.* LXII). » Cujus os apostoli vel quique prædicatores sancti recte dicuntur, quia verum a falso separant, sicut alibi dicitur: « Si separaveris pretiosum a vili, os meum eris (*Jer.* xv). » Philippus ergo cunctos, ut dictum est, suo nomine signat apostolos, qui usque hodie scriptis suis Æthiopissas candidare non desinunt animas: insuper et redarguunt Synagogam murmurantem contra Dominum, propter gentium Ecclesiam, sicut quondam Maria murmuravit contra Moysen, propter uxorem ejus Æthiopissam (*Num.* XII).

CAPUT XIII.

De officio sextæ feriæ: « Beati mundo corde. »

Officium sextæ feriæ patenter respondet beatitudinum sextæ sententiæ: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). » Agit enim de felicitate transmigrantium scilicet omnium qui de vetustate carnis ad novitatem Spiritus transmigrantes (*Rom.* VII), mundato cordis oculo per longum desiderium gloriam summæ Trinitatis tandem visuri sunt. Eorum namque in typum patres nostri apostoli evocati, abierunt in Galilæam, in montem ubi constituit illis Jesus, sicut hodiernum refert Evangelium, *et videntes eum adoraverunt* (*Matth.* XXVIII), simulque mandatum acceperunt: qualiter omnia vasa quæ forti armato fortior ipse superveniens abstulerat (*Luc.* XI), emendarent, dicente Domino: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Illud nemo qui dubitet, quod cum dixerit: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » per munditiam cordis obtineri intellectum, ac per hoc supradictam Augustini in hoc quoque constare sententiam, sextam beatitudinis sententiam, sexto gradui donorum Spiritus sancti sursum versus congruere, id est munditiam cordis intellectui nunquam deesse. Igitur de cæteris partibus officii superest ut suo capiti, scilicet evangelico conferantur sensui.

Primum in præcedente lectione Epistolæ beatus Petrus, cum præmisisset dicens: *In diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam*, statim subjecit: *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (*I Petr.* III). Non quæsitu opus est, in quo lectio hæc supradicto Evangelio consonet, quo primum salutaris baptismi regula tradita est. Notum quippe est, et in doctorum scriptis authenticis usitatum similis formæ, ut ait, in hac Epistola Petrus apostolus, esse baptisma, et in ejus typum præcedens hoc, quod pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam in arca in diebus Noe. Christum namque præfiguravit Noe, tam actu quam nomine, videlicet quia Noe interpretatur *requies*, quod nomen illi a patre Lamech impositum est, dicente: « Iste consolabitur nos (*Gen.* v), » vel, ut in Septuaginta habetur: « Iste requiescere nos faciet ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Deus. » Christus etenim nostra requies est, sicut ipse dixit: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Cum ergo Noe gubernavit arcam super undas diluvii, quibus et peccatores deleti sunt, et hi qui cum illo erant, salvi facti sunt per fidem, quia credentes justitiæ Dei esse ab incredulis diviserunt: Christum actu quoque præfiguravit, ut dictum est, qui nunc gubernat Ecclesiam super undas baptismi quibus, qui non credunt condemnantur: qui vero credunt et baptizantur, cum ipso salvantur (*Marc.* XVI): et illis affert Spiritus sanctus pacem, id est peccatorum remissionem, cujus figuram tunc gessit columba ferens ad arcam in ore suo virentis olivæ ramum (*Gen.* VIII). Ipse autem octonarius numerus animarum, quæ in arca salvæ factæ sunt, quia a primo **104** pari, id est binario, proficiscens solidum corpus creat, scilicet habens longitudinem, latitudinem atque altitudinem. Nam bis bina bis, octo sunt, quod apud geometras et arithmeticos quoque usitatum est. Ipse, inquam, octonarius numerus animarum, perfectionem designat corporis Ecclesiæ, quod prævante mundo infidelium per aquæ judicium quo nunc fideles ab infidelibus separantur, fide sua se salvat, et in ligno crucis supernatat. Et pulchre arca illa fenestram habuit in latere, per quam salvandi illi ingrederentur, quia Christus lancea militis in latere est vulneratus, per cujus vulneris sacramentum cuncti credentes Ecclesiam ingrediuntur. Et quoniam Ecclesia de hominibus constat, pulchre arca illa, quæ Ecclesiam figurabat, quamdam humani corporis similitudinem in ipsa forma sua prætendebat. Siquidem humanum corpus sic est, ut longitudinis suæ sextam partem habeat in latitudine, decimamque ejusdem longitudinis in altitudine. Sic arcam constructam fuisse non dubium est. Trecentorum erat cubitorum in longitudine, quinquaginta in latitudine, triginta cubitorum in altitudine (*Gen.* VI).

Igitur per omnia, lectione Epistolæ, Evangelio consonante, cætera promptum est officii membra coaptare. Introitus: *Eduxit eos Dominus in spe: et inimicos eorum operuit mare* (*Psal.* LXXVII). Itemque Offerenda. *Erit vobis hic dies memorialis*, cum versibus suis, notis et propinquis sensibus, tam Evangelio quam Epistolæ fœderantur. Mittunt enim nos ad historiam patrum celeberrimam, qui in typum baptismi nostri, *omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari* (*I Cor.* x). Nam, sicut illos in spe eduxit Dominus, scilicet sperantes liberari, quamvis

Pharao cum suis persequeretur, et inimicos eorum visibiles operuit mare, sic omnes in Christum credentes, quamlibet maxima peccata se fecisse recordentur, cum certa spe remissionis ad illum egrediuntur, et omnia peccata eorum in mari, id est in baptismi fluctibus operiuntur. Et propterea dies hic scilicet Christus, cujus in lumine a tenebris exivimus, memorialis esse jubetur; Christus, inquam, qui dies noster, id est Pascha nostrum est, testus nobis atque solemnis, semper celebrandus atque in mente habendus est, qui tacentibus nobis solus pugnavit pro nobis, quia solus moriens pro cunctis, mare illud, quo inimici, id est peccata nostra operiuntur, de latere suo lanceatus effudit. Versus Gradualis: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII), illi sententiæ concorditer occurrit, qua Dominus noster gloriam et honorem, quo propter passionem mortis coronatus est (*Hebr.* II), exprimit, dicens in eodem Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Et recte in suggillationem eorum, qui lapidem talem reprobaverunt, supra dictæ sententiæ Evangelii, propheticum hoc jungitur testimonium. Et hoc est illud quod cum despiceretur coram pontificibus, patienter ferens: « Verumtamen dico vobis, inquit, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei (*Marc.* XIV).

CAPUT XIV.

Cur statio ad Sanctam Mariam.

Quod superius jam dictum est, cum non improbanda Hieronymi sententia, discipulos undecim abeuntes in Galilæam in montem, sicut hodierna Evangelii lectio refert (*Matth.* XXVIII), in Nazareth, quæ in monte sita est, et in domo Mariæ Dominum vidisse. Illud quoque nonnihil affirmat, quod statio ad Sanctam Mariam hodierno officio præscripta est. In hoc enim idem sensisse Romana probatur diligentia. Et pulchre hoc officium, quod secundum lectionem Evangelii totum, ut supradictum est, ad sacramentum pertinet baptismi, apud ipsam decantari apostolica statione præscriptum est, apud quam intus erant discipuli, et Thomas cum eis, ut Hieronymo placet, quoniam secundum hodiernam Evangelii lectionem unica baptizandi regula tradita est.

CAPUT XV.

De officio Sabbati: « Beati pacifici. »

Septima beatitudinum sententia est: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* V). » Pacifici vere hi sunt, qui pace inter se Deumque accepta, nihil jam, quod Deo repugnet, admittentes, simul et hoc satagunt, ut in via vitæ præsentis ad omnem hominem cum pace ambulent, juxta Apostolum qui ait: « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII). » Hujus rei nobis exemplum, in summo negotio præsentis Sabbati prædicat officium. Quod ut manifestius fiat, mysticum imprimis hodierni Evangelii ponimus intellectum: *Currebant*, inquit evangelista, *duo simul* (*Joan.* XX), videlicet Simon Petrus et ille A alius discipulus, quem diligebat Jesus, etc. Nota doctorum expositio est: Per Joannem, qui prior ad monumentum venit, sed non introivit, Synagogam significari, quæ habens legem et prophetas, prior Dominicam passionem legit, sed credere in mortuum noluit. Per Petrum vero, qui posterior venit, sed prior introivit, multitudinem gentium designari, quæ posterior ad ejusdem Dominicæ passionis notitiam pervenit, sed prior ad fidem accessit. Verum ad præsens pertinet negotium, quærere propter prædictam beatitudinis sententiam, qui ad Ecclesiam spectet in eo quod pacifica est. Quod per præcurrentem Epistolæ lectionem fidelis indagatio citius consequi potest. Nam cum præmisisset apostolus Petrus de lapide Christo dicens: *Ad quem accedentem* B *lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum* (*I Petr.* II), paulo post subjungit: *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt* (*ibid.*). Hujusmodi offensio vel scandalum manifeste paci opposita sunt, per quæ Judæi rebellionis, et credulitatis arguuntur, eo quod odio gentium concurrentium, quæ per Petrum, ut dictum est, designantur, adeo torquentur, ut, sicut per Joannem figuratur, maluit foris stando perire, quam cum societate gentium ad fidem passionis Christi introire. His ergo iræ et rixæ filiis exhæredatis, « Beati pacifici, quoniam C filii Dei vocabuntur, » sicut in eadem Epistolæ lectione Petrus adjungens: *Vos autem*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*ibid.*) etc. Talisque pacis filius, quia nullius hominis ad Deum tendentis societate offenditur, ascendit, inquit Augustinus, ad sapientiam, quæ septima est in ascensu graduum, id est donorum sancti Spiritus, et ipsa sapientia tranquillus pacatusque perfruitur. Dictum est enim supra secundum eumdem Augustinum, septem beatitudines (octava enim eadem quæ prima est) septem gradibus donorum Spiritus sancti sursum versus coaptari, quorum primum sive infimum est spiritus timoris Domini, supremum autem, spiritus sapientiæ, ad quam ascendunt, **105** ut nunc dictum est, « Beati pacifici filii Dei. » Secundum D ea quæ dicta sunt, consonanter præmittitur ad introitum: *Eduxit Dominus populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia* (*Psal.* CIV). Per hoc enim mittitur ad aliam similitudinem antiquam, qua idem præfiguratum est, quod nunc in Evangelio per Petrum et Joannem significari accipimus, scilicet ad historiam Patrum, qua referuntur hi, qui primum promissiones acceperunt, reprobati esse propter incredulitatem, de quibus in psalmo: « Quadraginta annis offensus fui generationi illi (*Psal.* LXXIV); » ac deinceps: « Quibus juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam (*ibid*). » Filii autem qui post ipsos surrexerunt, in illam

introducti repromissionis terram eumdem populum gentium sigillaverunt, qui nunc per Petrum posterius venientem, sed prius introeuntem in monumentum, designatus est, de illis quippe, qui reprobatis patribus introierunt in illam repromissionem, dictum est in psalmo centesimo quarto: *Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia.* Eduxit scilicet de deserto. Nam de eo quod de Ægypto educti sunt, supra dixerat: « Et eduxit eos cum argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus (*Psal.* LXXIV). » Sed et hoc quod sequitur, ita esse innuit: « Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt (*ibid.*). » Supradictus ergo introitus gratiarum actio est, quod retardante populo Judaico, juxta mysticum Evangelii sensum, gentes admissæ sunt, secundum illud Apostoli: « Quia cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret (*Rom.* XI). » Graduale vero jam ex hac die in alleluia conversum est, imo post hunc diem usque ad Pentecostem omittitur, videlicet quia hi, propter quorum acquisitionem novamque conscriptionem, hoc laboriosum carmen cantabatur, depositis albis, jam ab hac die pares nobis, in illius octavæ, de qua sæpe dictum est, contemplatione, nobiscum feriantur. Quod autem sequitur: *Alleluia, Laudate pueri Dominum* (*Psal.* CXII), simplici versu: adhortatio est ad ipsos qui recenti baptismate pueri, id est puri facti sunt a vitiis ut laudent Dominum voce et opere, quia, sicut in Petro figuratum est, qui prior introiens in monumentum vidit linteamina posita, et sudarium capitis Domini (*Joan.* XX), sic ipsi ad fidem ingressi, qui erant absque Deo (*Ephes.* II), notitiam acceperunt humanitatis ac divinitatis Christi. Totus enim psalmus ad electionem gentium dirigitur, quod maxime ex eo comprobatur, quod in fine ejus dicitur: « Qui habitare facit sterilem in domo (*Psal.* CXII), » etc. Offerenda quoque: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXVII), patenter eisdem pueris Dei congruit; hunc etenim versiculum psalmi centesimi decimi septimi cantaverunt et illi pueri, qui venienti ad passionem Salvatori occurrerunt, in manibus portantes ramos palmarum (*Matth.* XXI). Addit quoque mater Ecclesia dicens pueris suis: *Benediximus vos de domo Domini*, id est baptismate sacro signavimus vos, qui sumus familia Domini, quia Deus Dominus illuxit nobis, sicut alius propheta dicit: « Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX); » gentium, inquam, quarum, ut dictum est, in Evangelio præsenti Petrus gestat figuram. Duo quoque sequentes versus ad idem spectant. Primus jam *Hæc dies quam fecit Dominus*, ad gaudium gentium, quarum in typum Petrus introivit in monumentum; secundus, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, ad suggillationem Judæorum, quibus Christus lapis offensionis et petra scandali est (*I Petr.* II), quos designans Joannes, cum prior venisset, quasi offensus substitit, et a posteriore Petro præventus est. Communio: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III), manifeste consonat supradictæ beatitudinis sententiæ, « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » Præmiserat enim apostolus Paulus loquens ad Galatas, quos conturbabant quidam ex Judæis quibus erat Christus lapis offensionis et petra scandali. « Omnes, inquit, filii Dei estis per fidem in Christo Jesu (*ibid.*). » Et mox causam hanc subdidit: « Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. » Quod ideo ad baptizatos respicit, ut non quærant circumcisionem carnis, sed solam servent, quam acceperunt veram circumcisionem spiritus, nec lapis scandali Judæorum promoveantur: quem substitit Petrus, pro eo quod Joannes ante se vel pariter in monumentum non ingrederetur.

CAPUT XVI.

Cur statio ad Sanctum Joannem ad Lateranas.

Non solum hoc Sabbato, quo deponuntur albæ, sed et octava superius die, id est Sabbato sancto Paschæ, maternum Lateranensis Ecclesiæ privilegium exigit, ut nusquam apostolicus alias procedat, sed in eadem Ecclesia quæ sedes est apostolica, cœptas nihilominus sacri baptisterii concludat feriatus. Est autem in honore sancti Salvatoris sanctique Joannis Baptistæ ab imperatore Constantino constructa dicente: « Sit omnibus notum, nos jam Christi cultores effectos, ut intra palatium nostrum templum ejus nomini construamus, in quo populus Christianus una nobiscum conveniens, divinitati debitas gratias referat. » Nomen ipsum, quod dicitur ad Lateranas, antiqua probra spurci Neronis accusat, qui de fecorose potionibus usus maleficis, illic ut fertur, latens, ranas evomuit. Sed « ubi abundavit iniquitas, superabundante gratia (*Rom.* V), » nunc illic Romani imperii mater est Ecclesia, quæ illos, quos Sabbato sancto genuit, et Christi candore vestivit filios, nihilominus hac die octava, spiritualiter circumcidit petra. quam petram scandali Judæis, nobis autem credentibus petram honoris et caput anguli, in hodierna epistola, de qua supra dictum est, Petrus appellat. Circumcisio vero spiritualis, et vera ipsa est, de qua in eadem Epistolæ lectione præmiserat: *Fratres, deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias et omnes detractationes, sicut modo geniti infantes, rationabiles, et sine dolo, lac concupiscite* (*I Petr.* II), etc. Vera, inquam, et vere sancta, sola quæ necessaria est circumcisio hæc, qua nostri corporis sensus omnes, et ipsum principale nostrum, id est mens circumciditur. Nam sine hac circumcisione Christus in nobis moritur, id est Christi fides, nec prodest nobis illud, quod in communione gratulabundus nobis loquitur Paulus: *Omnes*, inquit, *qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III), sicut et Jacobus apostolis ait: « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). »

Quod bene per illud veteris historiæ factum præfiguratum est: « Cum esset Moyses in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, et volebat occidere

eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquam dixit ei : Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem (*Exod.* IV). » Moyses namque, in eo quod Sephoram uxorem habuit alienigenam, Christum significat, qui de gentibus alienigenam accepit uxorem, Ecclesiam. Unde illud quod « Aaron et Maria locuti sunt contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam (*Num.* XII), » doctores nostri mystice ad hoc referunt, quod Synagoga et vetus sacerdotium **106**, invidendo saluti gentium, usque hodie Christum blasphemat. « Moyses itaque cum esset in itinere in diversorio, » nondum circumcisis filiis, « occurrit ei Dominus et volebat eum occidere ; » quia dum Christus inter nos per fidem in itinere vitæ præsentis ambulans, in diversorio est id est ad eos qui nunc baptizantur, divertit, nisi illi filii ejus sic circumcidantur, ut supra dictum est, fides ipsius in eis citius moritura est.

Quod ne fiat, tollit cito Sephora, id est mater Ecclesia, petram acutissimam, et circumcidit filiorum suorum præputium, scilicet ea circumcisione, de qua supra dictum est in lectione Epistolæ. Petra illa quæ idem Christus est, de qua in eadem lectione dictum est, carnem, id est opera carnis, sollicite ac festinanter abscidit : Tangitque pedes ejus, id est vestigia sequitur, dicitque eisdem filiis suis: « Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II). » — « Sponsus, inquit, sanguinum tu mihi es, » videlicet quia me tibi despondens, sanguinem tuum in dotem fudisti, et cum causæ articulus exigit, ut pro te patiar, sanguinis mei vicem reposcis, et nunc interim, carnem meam crucifigam cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V). Igitur, ut supra dictum est, recte hac octava die agitur statio ad Sanctum Joannem Lateranensem, quia mater et apostolica sedes illa Ecclesia est, et quos Christo filios genuit, ipsa spirituali circumcisione circumcidit.

CAPUT XVII.

De octava die : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. »

Octava beatitudo redit ad caput, id est eadem est quæ prima, « quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Verumtamen et paululum differt, in eo scilicet quod præcedens causa beatitudinis alia hic, alia est illic. Illic enim, id est in prima dictum est : « Beati pauperes spiritu (*ibid.*) » hic, id est in octava dicitur : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*ibid.*). » Unde Hieronymus : « Et considera, inquit, quod octava veræ circumcisionis beatitudo martyrio terminetur. » Igitur, licet octava die cantetur idipsum officium, quod et prima, eo quod octava beatitudo ad caput, ut dictum est, redeat, recte tamen quoniam et præcedentes causæ beatitudinum primæ et octavæ differunt, aliud in eodem officio ab his qui diligentiores sunt, retinetur hebdomadæ sequentis evangelium, scilicet illud

A secundum Joannem. *Cum esset sero die illa* (*Joan* XX), etc. Nam et littera lectionis hujus octavam diem commemorat : *Et post dies octo iterum*, inquit, *erant discipuli intus* (*ibid.*). et interior sensus octavam beatitudinis causam non prætergreditur. Quid enim est quod discipulis, foribus clausis, intro manentibus, Dominus in medio stetit bonum ferens nuntium consolationis et pacis, nisi quod his qui persecutionem propter justitiam, quosque juxta alium evangelistam oderunt homines et separant eos (*Luc.* VI), sicut jam apostoli separati erant, non audientes coram illis procedere ad publicum, Dominus et Deus ipsorum familiaris sese accommodat contemplandum, ut gustent jam in suis tribulationibus, ut videant quomodo suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII), atque B ideo certior spes illos in medio tribulationis ambulantes consoletur, recolentes id quod illa, de qua loquimur, sententia replicando inculcare nititur. « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum ? » Debet autem semper epistola evangelio suæ præcursionis officium, et idcirco illa quoque quæ hujus Dominicæ est, lectio epistolæ non omittitur: *Omne quod natum est ex Deo vincit mundum* (*I Joan.* V). Nam hac lectione victoriosa fides nostra prædicatur et ipsa victoria mundi nuncupatur, quæ tribus adjuta testibus, nam Pater et Verbum et Spiritus sanctus in cœlo attestantur, totidemque in terra testes, id est idem ipse Spiritus et aqua baptismi, Christique et martyrum ejus sanguis veritati ejus astipulantur; ternis, inquam, in cœlo et in terra defensa testibus C regnum cœlorum adjudicat his, quorum jure belli est, scilicet « his qui persecutionem patiuntur propter justitiam. « Introitus vero : *Quasi modo geniti infantes* (*I Petr.* II), per sequentes hebdomadiæ dies decantandus est, qui etiam Evangelio prædicto congruit, sed non per eamdem sententiam, quæ jam dicta est, scilicet propter metum Judæorum discipuli Domini clausis foribus, intus erant persecutionem propter justitiam pati incipientes, quæ, ut diximus, octavæ beatitudinis causa est. Respicit autem ad aliam sententiam quam Dominus de futuris fidelibus proferens : *Beati*, inquit, *qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* XX). Nam ne solam nobis fidem sufficere arbitremur, opportune regula vivendi, sine qua fides mortua est, hoc introitu prælibata est; D nam nos quidem signati sumus in eo quod ait : Beati qui viderunt et crediderunt, sed si fidem nostram operibus sequamur. Ille etenim vere credit qui servat operando quod credit. Quocirca de his, qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Hinc et Jacobus dicit : « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II), » Recte ergo qualis vita fidem utilem efficiat, per hanc apostolici sermonis particulam in introitu demonstratur, ne seducamus nos audientes de nobis dictum : *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Ad hoc idem consonat et similiter accipienda est extrema præeuntis epistolæ

sententia : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se* (*I Joan.* v). Communio : *Mitte manum tuam*, plana quidem littera nostram ædificat, sed intus perspicientibus liquet quod ad Judaicum spectat populum, qui hactenus in incredulitate persistit, cujus in typum Thomas apostolus, diu dubitans, tandem vidit, palmavit et credidit. Neque enim si solam sequamur litteram, sensus per omnia stare poterit, quia *beati* quidem *qui non viderunt et crediderunt*, sed non ea comparatione vel intentione, quam littera sonat. *Quia vidisti me, credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx). Igitur in persona Thomæ, reliquiæ Israel, quæ salvæ fient, minoris fidei, quam gentes arguuntur, quia gentes non viderunt et crediderunt. Israel autem nisi res apparuerit, Elia et Enoch prædicantibus non credet, cum Paulus dicat fidem sperandarum substantiam esse rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* xi), atque ideo laudabilioris sumus fidei, qui rem nondum apparentem fideliter credimus.

LIBER NONUS.

107 CAPUT PRIMUM.

De Dominica secunda post albas.

Quia Dominica hac sanctæ Romanæ Ecclesiæ solemne est, agendis instare consiliis bene forma, quam sequi debeant pastores animarum, per ejusdem Dominicæ commendatur officium. Per Evangelium manifestissime id agitur quod is, qui non ex accidenti dono substantialiter bonus est, dicit : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* x), etc. Deinde ex opposita descriptione mercenarii suæque iterata commendatione bonitatis, liquidum præbet ovibus judicium, quod discernant, quos fugere, quibus suarum debeant animarum curam credere. Boni formam pastoris cæteræ collaudant partes officii. Primo ad introitum cantamus de illa: *Misericordia Domini plena est terra* (*Psal.* xxx), videlicet ut sicut ille non solum judicium diligit, sed et misericordiam : et primo loco misericordiam, secundo judicium, sicut in eodem psalmo, uno et eodem versiculo præmissum est : « Diligit misericordiam et judicium, » sic et omnes, qui judices animarum positi sunt, semper superexaltent misericordia judicium, ut idem ipsi consequantur. Quodque sequitur : *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*ibid.*), illud indicat, quod apostoli vel pastores apostolici, non sua fortitudine, sed verbi Dei virtute, tales effecti sunt, ut videntes lupum venientem, non fugiant, neque oves dimittant, ut mercenarii faciunt. Epistola voce non dubia, suæ præcursionis implet officium, ubi præmisso de hoc singulariter bono pastore, qui posuit animam suam pro ovibus suis : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* : subjungitur in fine : *Eratis enim aliquando sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum* (*I Petr.* ij). Offerenda vero non quidem adeo perspicue, sed non minus consone cum eodem incedit sensu Evangelii : *Deus, Deus, meus, ad te de luce vigilo* (*Psal.* LXII). Psalmus namque ille sic intitulatur : *Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ*, id est psalmus iste attribuendus est Christo, secundum quod egit vel pertulit positus inter Judæos, qui desertum ideo vocantur, quia deserentes Deum, et ipsi juste a Deo deserti sunt. Idumæi quoque dicuntur, terreni vel sanguinei, quia prophetarum et ipsius Domini sanguinem fuderunt. At vero hic pastor bonus illo deserto animam suam posuit pro ovibus suis. Recte ergo, qui exemplo ejus idem facere debent, voce ejus excitantur ut ad Deum de luce vigilent supra gregem suum, ad Deum non ad mercedem temporalem, anima et carne quam multipliciter sitiant, et in velamento alarum, id est in spe consolationis ejus exsultantes (*Psal.* LXII), lupum non timeant, neque dimissis ovibus fugiant.

CAPUT II.

De Dominica tertia.

Cæteræ quæ sequuntur Dominicæ usque ad Ascensionem Domini, promissionem ejus adimpletam suis officiis concelebrant, qua post habitam de morte sua tristitiam, corda discipulorum de resurrectione sua lætificanda fore promiserat, ea, qua tradebatur nocte loquens illis in cœna. Unde pulchre hac Dominica cantamus in introitu : *Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus* (*Psal.* LXV). Nam huic psalmo sensibus suis competens titulus præscriptus est : *in finem, canticum psalmi resurrectionis*. Causa vero vel materia jubilationis, quæ hic imperatur, illa est, quam Dominus in evangelio subsequenti præmisso tristitiæ nuntio subjungit : « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Ut autem similitudo, quæ præmissa est apostolis, mulieris, tristitiam habentis, cum parturit, nobis quoque congruat, quia sic expedit, bene hoc idem evangelium, hæc apostoli lectio præcurrit : *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* (*I Petr.* II), etc. In hac enim abstinentia labor est, sicut ait Psalmista : « Ibi dolores ut parturientis (*Psal.* LXXIV). » Præmiserat siquidem : « Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos (*ibid.*), » loquens de illis, qui juxta Apostolum contristati sunt ad pœnitentiam (*II Cor.* VII). Sed sicut dolor parturientis fructuosus est, « cum enim peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum (*Joan.* XVI), » sic et illud *quod*

detractant de nobis tanquam de malefactoribus (*I Petr.* II), sine consolatione non erit, cum tandem considerantes nos ex operibus bonis, glorificabunt Deum in die visitationis. Quod bene per Thamar in historia veteri præfiguratum est. Quam cum accusarent dicentes : « Fornicata est Thamar, et videtur uterus ejus intumescere (*Gen.* XXXVIII), » illa proferens annulum, armillamque et baculum, quem pro arrhabone dederat Judas : » De viro, inquit, cujus hæc sunt, concepi (*ibid.*). » Judas quippe, quod interpretatur *confessio*, Christum significat ; Thamar, quod interpretatur *amaritudo*, Ecclesiam de gentibus in qua est amaritudo pœnitentiæ, qua « et Petrus egressus flevit amare (*Matth.* XXVI). » Thamar igitur operiens vultum suum, id est Ecclesia de præteritis erubescens erroribus, sedit in itinere, quod **108** ibat Judas ad lavacrum ad tondendas oves (*Gen.* XXXVIII), id est occurrit Christo ad baptismum, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum (*Psal.* XLI). Quæ cum de Christo vero Deo fidem per Spiritum sanctum conceperit, et eamdem fidem tanquam annulum, et opera fidei tanquam armillam, justificationemque spiritus tanquam virgam pro arrhabone, id est pro pignore acceperit ; accusatur tam a gentibus quam Judæis, quod cum mendacio fornicata, et a spiritu erroris polluta sit. At illa patienter fallaces ferens accusationes, tandem *obmutescere* faciet *imprudentium hominum ignorantiam* (*I Petr.* II), probans per prædicta pignora quod de vero Deo conceperit, et cum eodem Deo glorificabitur in die visitationis. Offerenda : *Lauda, anima mea, Dominum* (*Psal.* CXLV), ad prædictum in Evangelio pertinet hujus mulieris de Christi resurrectione gaudium. Nam et hic psalmus *alleluia* habet in titulo. Quodque versu canimus : *Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos* (*ibid.*), congratulatio illorum est, quorum tristitia, juxta promissum Domini, resurgente illo, in gaudium conversa est (*Joan.* XVI).

CAPUT III.

De evangelio Dominicæ quartæ, quod dictum est : « Nisi ego abiero Paracletus non veniet ad vos, » etc.

Nonnullis infirma videtur et insufficiens hujus sententiæ vulgata expositio, videlicet quod idcirco apostolis expedierit, ut Dominus noster hinc abiret, quia nisi corporalem præsentiam suam illis abstulisset, ipsi spiritualiter illum amare nescirent, atque ideo dixerit : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI). Minus enim expositum videtur, quam exposcit majestas doni Spiritus sancti, maxime quia Dominus ipse ejusdem Spiritus sancti adventum baptismum vocat, dicens in Actis apostolorum : « Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos dies (*Act.* I). » Baptizari autem Spiritu sancto, nihil aliud est quam per Spiritum sanctum originalis peccati, et omnium actualium remissionem accipere peccatorum, totumque hominem veterem in vitæ transferri novitatem. Quo sensu prædicta expositio procul dubio minor est.

A Non enim spiritualiter Deum amare, et Spiritu sancto baptizari, paria sunt ; alioquin veteres sancti, qui sine dubio Deum spiritualiter amaverunt, imo et magna ejusdem sancti Spiritus dona perceperunt prophetantes et signa facientes, baptizati Spiritu sancto fuissent, id est remissionem peccatorum accepissent, neque apud inferos propter originale peccatum tenerentur usque ad Christi adventum. Sed et illud repugnat quod apostoli Dominum præsentem spiritualiter, quamvis non adeo fortiter amaverunt : verbi gratia, Petrus, cui dictum est amorem tertio confitenti : « Si diligis me, pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Nam hunc amorem ei non caro et sanguis revelavit, sed Pater qui in cœlis est (*Matth.* XVI). Non igitur proprietatem sensus in his

B Domini dictis nos invenisse arbitramur, nisi utramque ejus sententiam exæquemus, ut scilicet idem sit : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos* : ac si dixisset : Si enim non abiero, vos non baptizabimini Spiritu sancto. Quod facile est consequi, si prius advertamus quando, vel quomodo abierit. Multi enim illum tunc primum abiisse recolunt, quando videntibus apostolis ascendit in cœlum. Sed quando ascendit, apostoli gavisi sunt, et sicut cantamus : *Lumine læto, petentem sidera prosecuti sunt*, imo ut ait Lucas : « Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno (*Luc.* XXIV). » Dominus se abeunte tristandos illos fore prædixerat : « Tristitia, inquiens, implebit cor vestrum (*Joan.* XVI). » Et paulo post : « Amen, amen, inquit,

C dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini (*ibid.*), » etc. Igitur cum auctoritate evangelica non tunc primum illum abiisse constat, quando ascendit in cœlum, sed quando moriens reliquit mundum, et ivit ad Patrem. Nam de morte ejus loquebatur Joannes evangelista, cum diceret : « Sciens quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII), » etc. Eadem quippe nocte tradendus, sermonem habuit cum discipulis suis, de quo hæc lectio sumpta est, et circa finem orationis : « Et jam, inquit, non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio (*Joan.* XVII). » Propter quod passio ejus pascha dicitur, id est *transitus*. Itaque propter hunc ejus abscessum datum esse Paracletum, scilicet Spiritum sanctum in eo quo Paracletus est, hoc

D modo colligimus : Spiritus sanctus idcirco Paracletus, id est *consolator*, dicitur, quia captivos filios Adæ, filios efficit Dei per regenerationem baptismi (*Rom.* V), et in hoc sæculo peregrinantes consolatur, testimonium reddendo « spiritui nostro quod sumus filii Dei (*Rom.* VIII), » quando non solum in prophetiæ gratiam, sed in remissionem originalis peccati, omniumque actualium peccatorum, datur per fidem Jesu Christi. Hoc autem non fieret, nisi Christus unus pro omnibus nobis æterno Patri, Adæ debitum solvisset, et veteris piaculi cautionem pio cruore detersisset. Nec antea quisquam ea gratia Spiritum sanctum acceperat, testante in Evangelio Joanne

ne dicente : « Nondum enim erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* VII). » Nec alio modo nisi per sanguinem Christi reconciliationem accepimus (*Ephes.* II), in cujus morte juxta Apostolum baptizati sumus, et Spiritum sanctum, qui vera peccatorum remissio est, accepimus (*Rom.* VI).

Igitur quod ait : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, sic accipiendum est ac si dixisset : Nisi ego ad mortem traditus fuero, necessario non dabitur vobis paraclesis, id est peccatorum remissio. Nam si de ascensione accipiatur, repugnat et illud quod antequam ascendisset, imo eadem die qua resurrexit, insufflavit et dixit eis : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan* XX), » videlicet in remissionem peccatorum. Sequitur enim : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt (*ibid.*). » Ad summum et hoc nemo qui dubitet, quia si mortis expers Christus, cœlos ascendisset, nobis Paracletus iste non datus fuisset. Dixit enim : « Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, fructum multum affert (*Joan.* XII). » Itaque et hoc, et quidquid in illa cœna de abscessu suæ dixit, verius, rectius atque constantius de morte quam de ascensione accipimus, et quod ait : *Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis ?* (*Joan.* XVI), nullo modo melius accipitur, quam ut dictum sit quod posterius dicit : *Venit hora ut dispergamini et me solum relinquatis* (*ibid.*), eadem questione, qua per prophetam dixerat : « Torcular calcavi solus, circumspexi, et non erat auxiliator (*Isa.* LXIII). »

Itemque et quod ait : « Rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV), » æquabilius est de passione quam de paternæ dexteræ consessu accipi. Nam quod in cruce rogaverit, quod in morte clamaverit, Paulus asserit dicens de illo : « Qui in diebus carnis suæ præces supplicationesque ad eum, qui illum salvum facere possit a **109** morte, cum clamore valido ac multis lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* V). » Non enim postquam ascendit in cœlum, clamat ut salvetur a morte, ergo nec rogat, ut Paracletus nobis detur, sed dat, jam extunc utens data sibi potestate in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). Sed in cruce rogavit, utpote paulo minor ab angelis (*Psal.* VIII) ; ascendens autem in cœlum ego mittam « promissum Patris mei in vos, » ait (*Luc.* XXIV).

Quod vero Apostolus ait : « Præsenti tempore interpellat pro nobis Jesus Christus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est a dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII), » forte repugnare videatur, et astruere, quod nunc quoque supradicto sensu roget pro nobis. Sed si modus interpellationis rite animadvertitur, potius astipulatione firma his, quæ prædicta sunt, suffragari comprobantur. Illa namque interpellatio doctorum omnium vera assertione, non submissa est postulatio, sed ejus passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est (*Hebr.* X). Æterna commemoratio, quod in conspectu supernæ Trinitatis admissa sanguinis ejus innocentis exclamatio, homicidas qui fuderunt, convincens, nos autem qui bibimus in ministerio altaris, non indigna sed potenti interpellatione defendens. Alioquin quemadmodum antequam ascenderet ait : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; » sic et postquam ascendit ut possit interpellat, vel rogat dare nobis Paracletum. Sed dicit quis : Rogat per humanitatem, qui dat per divinitatem. Hoc plane verum est, quia tunc in morte paulo minus ab angelis minoratus (*Hebr.* II) rogavit per humanitatem, nunc autem gloria et honore coronatus, et constitutus super omnia opera Patris, dat per divinitatem, omnem habens potestatem, utpote a dextris Dei sedens. Unde sicut « resurgens ex mortuis, jam non moritur (*Rom.* VI), » sic illum ad hoc, ut roget Patrem jam, nemo invocat catholicus.

Amplius autem ea quæ dicta sunt constare poterunt, si conferantur ipsius Domini sententiæ, quæ nisi discernantur, videbuntur sibimet contrariæ, videlicet, quod ait : « Rogabo Patrem meum et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV), » etc., et quod posterius in eodem sermone dicit : « Illo die in nomine meo petetis ; et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis (*Joan.* XVI). » Causamque reddens : « Ipse, inquit, Pater amat vos (*ibid.*) » Statimque idipsum confirmat dicens : « Quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi (*ibid.*) » Quid est enim rogabo, et non rogabo ? Hoc nempe, quod in passione sua sacrificium futurus et rogaturus erat, ut Paracletum, id est spiritum remissionis peccatorum acciperemus, et sic paries inimicitiarum, qui medius erat inter Deum et homines, in carne ejus solveretur (*Ephes.* II). Quod soluto, illo, inquit, die, die pacis et consequentis gratiæ, « non rogabo Patrem de vobis. » Quare ? « ipse enim Pater amat vos, » inquit, id est semel enim moriens Deo reconciliavi vos in sanguine meo : et, sicut superius dixi, pacem reliqui vobis, pacem meam, id est per me inter Deum, et vos reformatam dedi vobis. Et hoc per fidem et dilectionem vestram, « quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi. » Itaque quod ait, « rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, » nullo modo melius accipitur, quam quod in cruce rogaverit, quod in morte sua clamaverit, juxta supradictam Apostoli sententiam. Verumtamen, quia ex die ascensionis apostoli certi facti de potentia ejus, exspectabant eumdem Spiritum sanctum, quem promiserat, recte cantamus et legimus, quomodo moriturus illum promisit, quomodo item ascendens in cœlum repromisit, ita ut mortem ejus causam donationis effectivam, ascensionem ejus, dandi potestatem esse sciamus effectam. Sed jam nunc ad superiora revertamur.

Huic quartæ Dominicæ evangelio rectæ illa præmittitur apostoli lectio : *Omne datum optimum, et*

omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I), etc. Spiritus sanctus Dei donum est optimum atque perfectum, sine quo natura, tam angelica quam humana, misera et miserabilis est, et cæca et nuda (*Apoc.* III), quod evidentissimum est, tam in dæmonibus quam in perditis hominibus. Non enim substantialiter differt a diabolo Michael, a Pharaone Moses, a Nerone Petrus; sed hoc solo discernuntur spiritu quem isti accipere meruerunt, illi indigni judicati sunt. Hoc tantum tamque necessarium donum, duplici ope humanæ subvenit inopiæ. Prima largitione, peccata nobis remittuntur; secunda, divisiones gratiarum distribuuntur. Et illo beneficio, scilicet remissione peccatorum universaliter atque uniformiter effunditur hoc donum, id est hic spiritus; in omnes; hac autem adeptione, id est gratiarum divisione, particulariter atque multiformiter datur aliis aliter. Unde et Apostolus cum easdem divisiones partim enumerasset: « Hæc autem, inquit, omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Utraque largitio sanctis apostolis mirabiliter certis temporibus certisque diebus effusa est, id est die Dominicæ resurrectionis in remissionem peccatorum (*Joan.* XX), die vero Pentecostes abundanti effusione gratiarum ad omnium mox futuram instructionem gentium (*Act.* II). Nam Dominus qua die resurrexit, mortuus propter delicta nostra, ut ostenderet se resurrexisse propter justificationem nostram (*Rom.* IV), stans in medio discipulorum suorum, pacem, quam fecerat inter nos et Deum prima vice nuntiavit, dicendo: « Pax vobis (*Joan.* XX), » statimque insufflavit et dixit: « Accipite Spiritum sanctum (*ibid.*). » In quo remissionem peccatorum, quam sanguine suo acquisierat, sese dare ostendens, non solum illis, omnibus quoque, qui credituri erant in illum. Statimque adjecit: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*ibid.*) » Et ut essent idonei, remissionem peccatorum, quam acceperant, universo mundo prædicare et testificari. Die Pentecostes idem Spiritus sanctus illis charismatum dona tribuit, et per hæc, sicut in hodierno lectum est evangelio: *Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio* (*Joan.* XVI). Igitur, ut supra dictum est, hæc epistolæ lectio recte huic præmittitur evangelio, quia, *datum optimum, et donum perfectum*, non est aliud, nisi iste Spiritus sanctus. Qui Spiritus, quia gratis datur imo ipsa gratia est, bene de hujus doni datore subjungitur: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis* (*ibid.*). Quod non est aliud quam si dixisset, per gratiam Spiritus sancti nos generavit, quia per Spiritum sanctum semen, id est verbum suum nostris ut renasceremur, mentibus infudit. Item et quod ait: *Scitis, fratres mei dilectissimi, sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*ibid.*) magnifico nos erudire poterit exemplo, si illam consideremus sententiam evangelicæ lectionis, ad quam intendit ecclesiastici diligens compositor officii. Non enim cujuslibet, sed ipsius Paracleti exemplo, præsumptionem humanæ vanitatis convenit, dum evangelio supradicto hanc apostoli lectionem præmittit. Nam quales nos Dominus esse vult ad loquendum, talem ipsum fore asserit Paracletum, dicens: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur* (*Joan.* XVI). Firmissima ratio sententiæ præcedentis, quam proposuerat dicens: **110** *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*ibid.*) Removet namque oppositum, quod est a semetipso loqui, sub quo continetur omne mendacium quod est sine dubio veritati contrarium. Ut autem hoc evidentius fiat, diffiniamus utrumque contrarium, id est a semetipso loqui, non a semetipso loqui. A semetipso loqui est, non existentia fingere: quo de peccato diabolum culpat in Evangelio Dominus, dicens: « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus (*Joan.* VIII), » subauditur mendacii. A semetipso non loqui est existentia proferre, etiam si nesciens proferat quis, ut Caiphas qui nesciens, imo aliud intendens, dixit expedire, ut unus moreretur homo pro gente. Multo magis ergo qui scienter existentia profert, non a semetipso loquitur, sicut ipse Christus, qui cum scienter existentia proferret, « Verba, inquit, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor (*Joan.* XIV), » scilicet non mendacium, sed veritatem, quam audivi et accepi ante meam, quam videtis, humanam naturam existentem, sicut et alibi Judæis, dicit: « Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Patre meo (*Joan.* VIII). » Hoc autem et Spiritus sanctus agit. Veritatem enim quam audivit a Deo; veritatem increatam Deo Patri consubstantialem, et coæternam loquitur nobis, vere existentem, essentiamque veracem et incommutabiliter permanentem. Vera ergo ratio, non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, comprobans id quod proposuerat dicens: *Docebit vos omnem veritatem.* Quod iterum confirmat subjungens: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Causamque reddens cur de meo dixerit: *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, mea sunt* (*ibid.*) Quæcunque enim habet Pater, quæcunque scit, quæcunque potest, dedit huic qui hæc loquitur Dominico homini, sicut ait in psalmo; « Dico ego opera mea regi (*Psal.* XLIV), » ostendens quid dixisset: « Eructavit cor meum verbum bonum (*ibid.*). » Omnem suam sapientiam, cunctam fortitudinem, totum denique verbum suum Pater in uterum Virginis eructavit, et humanæ naturæ univit, propter quod nunc dicit: *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Et non dixit, mea accipiet, sed *de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Non enim Spiritus sanctus apostolis illam sapientiam totam comprehensibilem fecit, sed illa docuit eos, quæ erant necessaria fidei, scilicet mysteria incar-

nationis, nativitatis, passionis et resurrectionis, quæ discipuli hactenus portare non poterant, quandiu corruptibilem et mortalem esse videbant, neque doctorem hunc dari fuerat æquum, nisi prius per mortem Christi Deo reconciliaretur genus humanum. Igitur ut ecclesiasticum persuadet officium, quod huic evangelio supradictam laudabiliter præmittit lectionem, non loquatur homo a semetipso, sed *sit velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*, id est audiat prius quid loquatur in se Dominus Deus, et secundum illum loquatur pacem (*Psal.* LXXXIV), quod facere noluit Arius, et ideo bella et scandala locutus est, et omnes qui a semetipsis loquuntur, gloriam propriam quærentes. Secundum hoc donum, secundum Paracletum, veterem cum suis actibus hominem deponimus, novumque induimus (*Col.* III), quod est cantare canticum novum: atque ideo recte hoc ipsum cantamus in introitu, et in offerenda jubilamus, quia donum hoc æternæ jubilationis efficiens causa est, quæ hic incipitur, et in futuro perficietur.

CAPUT IV.

De Dominica ante Ascensionem Domini.

Dominica ante Ascensionem Domini competenter hæc evangelii lectio ponitur: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (*Joan.* XVI). Hæc enim Dominus de ascensionis suæ gloria locutus est, per quam discipuli ejus certi facti de illius omnipotentia, petere cœperunt in nomine ejus, ut gaudium eorum sit plenum; et perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre ejus, et fratribus ejus, decimo die acceperunt Spiritum sanctum (*Act.* I). Hac ergo lectione opportune nobis suggeret, ut in nomine ejus fiducialiter petamus, illud ad memoriam revocantes in ascensione ejus, quod ait Joannes apostolus: « Quia advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio peccatorum (*I Joan.* II). » Nam ut spem nostram ad petendum animaret abiturus in cœlum per passionis viam, hoc circa finem sermonis, quem in cœna habuit, inculcare et replicare dignatus est, subjuncta protinus oratione qua completa, protinus traditus est. Verum non qualescunque simus nos, oblatam apostolis petendi facultatem, nobis æque ut illis rapiendam esse putemus. Nisi enim illorum similes simus, qui hæc audire mereantur: quibus et supra secundum Lucam dixerat: « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* XXII): » nisi, inquam, illorum similes simus, eadem fiducia nos ad petendum uti non possumus. Quapropter hæc apostoli lectio congrue præmittitur. *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos* (*Jac.* I). Fallit enim semetipsum miles, qui auditor, tamen non factor imperii, larga pro solo audito donativa reposcit. Idem post pauca: *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*ibid.*) Sane dum petimus lingua, quidam proprio linguæ motu [illegible] gitur, et absque fervore cordis, per [illegible] vel etiam noxia verba facile vagatur, difficile dum petit auditur, quia videlicet a corde, quod sæpe absens est, usque ad aures Domini Sabaoth tantum est intervallum, ut non facile mereatur audiri. Et his quidem qui ejusmodi sunt, aliquando dicit idem apostolus: « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis (*Jac.* IV). » Illis autem qui, sicut ait in fine lectionis hujus, immaculatos se ab hoc sæculo custodiunt, exemplo apostolorum, familiariter Dominus ait: *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Quorum in typum Elisæus, magistrum, non tantum corpore, sed et corde secutus, audire meruit: « Postula quid vis, ut faciam tibi antequam tollar a te (*IV Reg.* II). » Et ille merito concessa, cum magna fide utens fiducia: « Obsecro, inquit, ut fiat spiritus tuus duplex in me (*ibid.*). » Elias etenim currus Israel et auriga ejus Dominum nostrum præsenti capitulo significat, qui Ecclesiam suam ut auriga, verbo doctrinæ suæ regit, et ut currus divinitatis suæ vehiculo in cœlum subvehit. Elisæus vero, qui semel et iterum atque tertio residere sibimet permissus ob amorem magistri, permissu noluit uti, apostolos atque apostolicos exprimit viros, qui ob amorem Christi concessa quoque recusantes uti, sequuntur illum ultra terminum præcepti, spontanei spectatores consilii. Quod in Evangelio dives adolescens facere nolens, abiit tristis (*Matth.* XIX). Igitur ei qui ejusmodi est petenti et dicenti: « Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me, » dicit ascensor cœli Dominus Jesus: « Si videris, quando tollar a te, **111** erit quod petisti (*IV Reg.* II). » Si videris, id est si oculos mentis ad terrena non deflexeris, sed solis cœlestibus inhiaveris, erit quod petisti. In talibus quippe duplex fit spiritus Christi, quia cum ille mitis inter homines ambulaverit, sicut signavit Spiritus sanctus, dum super eum in specie columbæ apparuit (*Matth.* III), istos idem spiritus mites pariter et zelo ferventes, reddit. Ad subditos namque, prout causa vel tempus exigit, nunc virga, nunc spiritu venit et mansuetudinis (*I Cor.* IV). Hæc illa jucunditas est, cujus vocem in introitu usque ad extremum terræ nuntiare jubemur hoc illud est beneficium, pro quo in offerenda gentes Deum benedicere, et in communione cantare, et salutare ejus nuntiare commonentur (*Psal.* XCV), quia nostræ naturæ participem advocatum habemus (*I Joan.* II), cujus in nomine petentes, plenum gaudium accipere mereamur.

CAPUT V.

De rogationibus a sancto Mamerto institutis.

Hujus sponsionis memor et in ea spem ponens sanctus Mamertus, Viennensis episcopus cum Christianus populus longa et gravi afflictione urgeretur, ausis etiam divino judicio lupis turmatim cum confertis confligere hominibus, rabidamque dentium cædem, non solum villis, sed et plenis inferre mœnibus rogationes fieri solemnes ante diem ejusdem Domi-

nicæ ascensionis instituit, ut tanquam abeunti in cœlum Domino ac dicenti: « Petite et accipietis (*Joan.* XVI), » humanæ miseriæ commemoratio triduanis supplicationibus ambitiosius ingereretur, et ut rememorata sponsoris potentia fide petentium spes roboretur, in eisdem processionibus triumphatoris cœlos ascendentis insignia, scilicet cruces atque vexilla præferuntur. Horum usus in Ecclesia cœpit a Constantini temporibus, qui cum vidisset in somnis signum crucis in cœlo splendide collocatum, dictumque sibi fuisset: O Constantine, in hoc vinces; » jussit viros eruditos ex auro et lapidibus pretiosis in vexillum sanctæ crucis transformare signum, quod Labarum vocabatur. Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat, eo quod imperatorem præcedere, et adorari illud a militibus moris esset. Sciendum autem has rogationes triduanas litania majore, quam beatus Gregorius instituit, esse antiquiores. Siquidem a vicesimo Zenonis anno imperii, quo Mamertus episcopus prædictas rogationes instituit, usque ad novum Mauricii imperatoris annum, quo diluvium magnum in finibus Venetiæ, et Liguriæ et Italiæ factum est, quale post Noe tempus non creditur fuisse, et subsecuta est e vestigio pestis inguinaria, qua cum Romanus populus pene deleretur Gregorius adhuc levita, litaniam majorem indixit, Pelagio papa eadem peste exstincto, paulo plus quam centum anni secundum chromographos inveniuntur.

Utrorumque salutares et opportunæ traditiones eodem celebrantur officio, quo commonemur per evangelicam similitudinem, perseverare pulsantes ad ostium amici (*Luc.* XI), scilicet Domini nostri Jesu Christi, cujus ostium jam clausum est et pueri ejus cum ipso sunt in cubili (*ibid.*), quia videlicet ex quo ascendens in altum captivam duxit captivitatem (*Psal.* LXVII), in templa sua tanquam in cubili receptus, illic post laborem passionis in lectulo consummatæ gloriæ requiescit, et cum eo pueri ejus, id est sancti, qui de mundi hujus laboribus exierunt. Atque inde, sicut in introitu cantamus, *Exaudivit vocem nostram* (*Psal.* XVII), si quemadmodum in offerenda dicimus: *Confitemur Domino nimis in ore nostro* (*Psal.* CXVIII); nimis, inquam, id est usque ad improbitatem, propter quam surgat amicus ille evangelicus, et det amico suo panes, quotquot habet necessarios (*Luc.* XI). Epistola pulsantem ad amici januam competenter animat ad perseverantiam, de Elia proferens exemplum, ut argumentemur a simili, posse amicum vinci improbitate pulsandi. Nec desperet qui pulsat, eo quod sit peccator, et exemplum propositum est de justo. Peccatoribus enim propositum est. Siquidem peccatoribus loqui se indicat idem apostolus, sic incipiens: Confitemini alterutrum peccata vestra (*Jac.* III). » sed hoc est justitiæ principium. « Justus enim in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII), » id est ab accusatione sua incipit justificari. Peccatorem ergo, sed accusatione sua justificatum, illa concludit universalis sententia. « Multum enim valet deprecatio

A justi assidua (*Jac.* V), » et idcirco illi exemplo quoque licet uti, quod propositum est de justo Helia, ut pulsans, si non amicitiæ causa, sicut in Evangelio dictum est, saltem improbitate perseverantiæ vincat (*Luc.* XX).

CAPUT VI.

De missa in vigilia Ascensionis Domini.

In vigilia Ascensionis Domini illa ponitur evangelii lectio, qua Dominus Jesus mox tradendus; *Sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII). Causa autem cur in hujus solemnitatis præventione legatur, hæc est: Quia quod tunc oravit passurus, quando ascendit, completum esse innotuit hominibus, videlicet, quia moriens, sicut dicit in
B Canticis, ascendit in palmam, et resurgens apprehendit fructus ejus (*Cant.* VII). Quod quia per ascensionem, ut dictum est, innotuit hominibus ad ipsorum salutem: homines quippe sine notitia vel fide ejus non salvarentur. Recte hæc, ut dictum est, oratio legitur, qua hoc ipsum oravit, jamjam per passionis viam, per metiferi torrentis potum ad illam iturus gloriam. Notandum autem, quod cum dixit: *Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*, protinus adjunxit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, et omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam* (*Joan.* XVII). Non dixit, et da ei, sed *sicut dedisti ei potestatem*.

Quamvis enim propter passionem mortis, gloria et honore coronatus sit Dominus Jesus (*Hebr.* II),
C et idcirco Deus illum exaltaverit, quia « factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » tamen et ante ipsam mortem, et ante ipsam crucem, dederat ei Pater regnum, dederat ei potestatem omnis carnis; sed non erat tempus, ut in eodem regno vel potestate, cum adhuc mortalis esset, clarificaretur. Quod ut evidentius comprobetur, libet de veteri proferre historia similitudinem authenticam, cunctis pene venerabilium litterarum studiosis cognitam.

Ecce sanctus David, qui hunc desiderabilem atque manu fortem Christum nomine suo signavit, factis præfiguravit, repromissione hæreditavit, psalmis cecinit propheticis, alio juxta modum suum glorificatus est atque alio tempore, Dei dono, regni potestatem accepit. Tunc enim gloria sua glorificatus
D est, quando mortuo Saul ascendit in Hebron, susceptus primum a tribu Juda, deinde ab universo Israel (*II Reg.* II); tunc autem eamdem illi Deus dedit potestatem, quando sustulit eum de gregibus ovium et per manum Samuelis unxit in regem in medio fratrum suorum (*I Reg.* XVI). O quantis a potestate accepta, usque dum regno frueretur, interfluentibus potatus est amaritudinibus, quantis persequente Saul, Deus coronam ejus fabricans, erudivit **112** cum laboribus? Plane hac similitudine res quæ proposita est, facile colligitur. Sic enim et Dominus noster antequam clarificaretur ea clarificatione, pro qua nunc orat dicens: *Pater, clarifica*

Filium tuum (*Joan.* XVII); acceperat regiam dignitatem unctus oleo exsultationis præ participibus suis (*Psal.* XLIV), non tunc primum, quando Spiritus sanctus in specie columbæ venit super eum (*Matth.* III), sed jam tunc, quando in secreto Virginis utero assumptus est homo verus a vero Deo Dei Verbo per operationem sancti Spiritus, cujus universa plenitudo, quæ in illam incarnationem effusa est, bene per cornu olei designata est, quo David in secreto paternæ domus, ut ignoraret Saul, unctus est. Et sicut vitulus, quem ex præcepto Dei tulit secum Samuel, fefellit Saul, ut nesciret quid ageretur in domo, nec quidquam opinaretur, præter quod prætendebat præparatio vituli, id est votum sacrificii (*II Reg.* XVI), ita mortalis natura hominis, quæ in nomine apparuit, fefellit diabolum, ut nesciret quid actum esset in utero Virginis nec aliud quid opinaretur in Christo, nisi quod foris ostendebat caro passibilis, id est hominem purum, per omnia nostræ obnoxium corruptioni, ut putabat, carneæque peccati; deprehendit tamen processu temporis posse illum contraire suæ tyrannicæ dominationi, quemadmodum et Saul dæmoniosus, in virtutibus David intellexit, quod contra thronum suum ageretur in illo, per eum qui a se recesserat, et in David dirigebatur Spiritus Domini (*ibid.*).

Igitur quod ait Dominus noster, instante mortis articulo : *Pater venit hora, clarifica Filium, ut Filius tuus clarificet te*, statimque subjungit : *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam* (*Joan.* XVII), tale est ac si dicat David persequente Saul in deserto Ziph, sive in deserto Maon ad petram dividentem, quando desperabat posse evadere a facie Saul (*I Reg.* XXIII), dicat, inquam, Deo, qui exauditor est omnium : « Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (*Psal.* CXVIII), » vel : « Sicut jurasti David in veritate tua (*Psal.* LXXXVIII), » tunc videlicet quando tulisti me de ovibus patris mei, et unxisti me unctione misericordiæ tuæ (*I Reg* XVI).

Quod autem post ait : *Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te* (*Joan.* XVII) ; sic omnino accipiendum est, ut nullatenus Verbi divinitatem ab illa claritate, quam habuit in principio Deus apud Deum, obscuratam fuisse arbitremur. Nam neque orat Christus secundum divinam naturam, sed secundum eam, quæ protinus moritura erat, servi formam. Quomodo ergo natura servi claritate prius habita se poscit clarificari, vel quomodo eam priusquam mundus esset, habuit ? Videlicet propter personæ unitatem suam claritatem, illam veraciter asserit esse formam servi, quam habuit priusquam mundus esset apud Patrem, illa quæ sibi unita erat forma Dei. Et sic omnino claritatem tunc habuisse constanter dicenda est forma servi, quomodo dicitur de cœlo descendisse Filius hominis. Sic enim ait : « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III). » Non enim homo qui videbatur, de cœlo descendit, sed qui conceptus et natus est de utero Mariæ virginis. Itemque homo, Filius hominis, qui, ut dictum est, de terra carnis conceptus et natus erat, et hæc in terra consistens loquebatur, non in cœlo erat, sed in terra gradiebatur, paulo post capiendus, crucifigendus, in terra sepeliendus. Igitur quemadmodum propter personæ unitatem, Filius hominis de cœlo descendit, quia Verbum sibi unitum in cœlo et ubique erat : sic propter eamdem personæ unitatem nunc ait, orans natura hominis : *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te.*

Sed jam nunc ad cæteras hujus evangelicæ lectionis partes sermo concedat, de quibus cætera gaudent otheri membra. Post pauca ubi ait : *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII), continuo subjungit : *Quia tui sunt, et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis* (*ibid.*). Et circa finem ejusdem orationis : *Non pro his tantum rogo*, inquit, *sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut sint unum sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut sint et in nobis unum* (*ibid.*), etc. Unum, inquit, sint in nobis, sicut et nos unum sumus, modo, videlicet, supradicto, quia quos dedisti mihi, tui sunt, nec in meum jus transeundo, tui esse desierunt et mea omnia tua sunt et tua veritate mea quia mea esse cœperunt. Delectat propius hunc intueri modum communicationis, ut intelligamus ea quæ Patris sunt, ex eo verius Patris esse, ex quo homini Christo data sunt. Hoc itaque non prætereundum, quod antequam in rempublicam Dei Patris introduceretur hic Filius hominis, et sicut Daniel aspexit in visu noctis adduceretur usque ad Antiquum dierum, quia dedit ei potestatem, et honorem et regnum, ut omnes populi, tribus et linguæ ipsi servirent (*Dan.* VII), immunita atque inconjuncta Creatori erat rerum universitas, quia videlicet, inter Creatorem et creaturam nullus erat medius. Nam quidquid erat, aut Creator erat, aut creatura. Ut ergo medium inveniretur perfectæ societatis vinculum hic introductus est, qui ex eo Creatorem et creaturam firmius adnecteret quia unus idemque Christus utrumque est, Creator videlicet atque creatura : Creator, quia Deus : creatura quia homo. Et licet Apostolus dicat : « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit (*Hebr.* II). » nec sic tamen angeli expertes sunt hujus dignationis, quia profecto cum omnis creatura sit homo, habens esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum pecoribus, discernere cum angelis ; cum, inquam, homo juxta aliquid omnis creatura sit, hominem autem Deus assumpserit, relinquitur et angelis gratulari, quod is qui super ipsos Creator erat, creatura quoque cum ipsis est. Amplius autem et hoc ad rem attinet, quod homo, cum secundum solum corpus quamdam visibiliter mundi similitudinem gerat ex quatuor elementis compositus, unde a Græcis μικρόκοσμος, id est *minor mundus* appellatur,

secundum solam animam angelicæ substantiæ est, videlicet rationalis atque immortalis, hæc, sola ut angelus quoque a Creatore distans substantiali differentia, quod creata est. Itaque et ad angeli æternæ ex-ultationem illud attinet, quod Deus homo factus est. Igitur, sicut supra dictum est, ut esset quo Creator atque creatura firmius necteretur, hic in rempublicam Creatoris, Filius hominis mediator introductus est, qui in humana natura, quod non habuerat accipiens, potestatem non sibi usurparet, sed juxta Apostolum, Deo et Patri regnum traderet (*I Cor.* XIII), dicens, ut supra positum est: *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Atque hic est modus communicationis, et similitudinis, quam intendens ait: *ut sint in nobis unum, sicut et nos unum sumus.* Quem verissime tenens sacri compositor officii, huic evangelio lectionem illam de Actibus apostolorum præscripsit: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* (*Act.* IV), plane per hoc indicat qualiter accipiendum sit, **112** quod Dominus ait orans, *ut sint unum sicut et nos*, et quod præmiserat, *omnia mea tua sunt, et tua mea sunt.* Itaque si solem in sua, præ infirmitate oculorum altitudine perspicere non possumus, progressum ejus in gradibus suppositis contemplemur, id est. si hominem deificum, in communionem Trinitatis sine personarum augmento admissum, in seipso pervidere non possumus, quantæ plenitudinis sibi conscius, dicat: *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*, ad imitatores ejus respiciamus, de quibus dictum est: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*, etc. In hoc minori de majore illo argumentemur. Necessario concedendum est minus esse communionis, minus esse concordiæ vel charitatis, minus gratiæ Spiritus sancti in pluribus hominum personis, in multitudine hominum, quamvis credentium, quamvis justorum, quamvis in veritate et charitate ambulantium, plus vero in Patre et Christo Filio Deo et homine, in quo natura humana sic divinæ unita est naturæ ut cum illam personam duplicare non valeat, adeo concordiæ et charitatis fecunda, ut nulla unquam defuerit illi sancti septiformis Spiritus gratia. Sed ecce in his pluribus et longe minus habentibus tanta communio tanta charitatis concordia est, ut in spiritualibus cor illis unum et anima una sit, in corporalibus quoque nihil proprium, sed omnia sunt communia. De corporalibus liquet, quanta sit communionis charitas, quia tales profecti sunt de baptismo, ut eleganter comparentur gregi tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro (*Cant.* IV), ut spoliati velleribus rerum quas ponebant ante pedes apostolorum. De spiritualibus quoque passim in Scripturis, et maxime in Apostolo, clarum et evidens habemus unitatis indicium. Qui cum dixisset: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus (*I Cor.* XII), » paulo post subdidit: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra, cum sint multa, corpus unum sunt, sic et Christus (*ibid.*). » Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Tale quid et B. Laurenti responsis invenimus. Qui cum Decio pauperes ostendisset, non de panniculis vel morbidis eorum corporibus, sed de donis sancti Spiritus, quem credentes acceperant, dixit: « Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur nec decrescunt, qui in singulis asperguntur, et in omnibus inveniuntur. » Divisiones namque gratiarum pauperes Christi accipiunt, suoque singuli munere funguntur, ad suam singuli divisivam gratiam omnibus impartiuntur. Verbi gratia: spiritus scientiæ, spiritusque pietatis (*Isa.* XI), bonæ partes thesauri cœlestis in singulis Petro et Paulo aspersæ sunt, sed in omnibus inveniuntur, dum ab ore Pauli scientia cunctis auditoribus pro captu auditorum affluit: pietas autem Petri suomet erudita lapsu, cunctis peccatoribus, rite pulsantibus, misericordiæ competentis januas aperit. Sic universo corpori et oculus videt, et auris audit, nec potest dicere oculus manui: Opera tua non indigeo, nec caput pedibus: Non estis mihi necessarii.

Igitur illa Trinitatis communio assumptæ naturæ hominis: longe firmior unanimitatis connexio est, propter quam dicit: *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*: quam et si nunc videre non possumus, sicuti est, saltem per speculum ejus similitudinis nostræ nonnulla ex parte speculamur (*I Cor.* XIII). Et ecce magnum quiddam et mirabile, cœlisque ac cœlorum virtutibus spectabile, apparet in illa beati Filii hominis natura, cui cum Patre sunt omnia communia, scilicet et quæ in se habet naturaliter, et quæ sub se condidit potentialiter. Habet enim Pater in se naturaliter Verbum de se natum, sed hoc eructante illo, habet homo ille in se incarnatum, habet Pater nihilominus Spiritum sanctum nihilominus a se procedentem, habet homo ille Spiritum sanctum semper in se requiescentem. Condidit sub se Pater potentialiter cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, angelos, archangelos, thronos, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim atque seraphim, drachmamque decimam, id est hominem (*Act.* I). Conjunxit vero in seipso et pacificavit hæc omnia verus hic homo Christus, et super hæc omnia constitutus est, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). Sedet super thronum Pater ille Antiquus dierum, sedet et Agnus hic Filius hominis, imo « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V); » et, sicut alibi dicitur, « potestatem dedit illi judicium facere, quia Filius hominis est (*ibid.*). »

Omnes ergo gentes, sicut in introitu cantamus, *plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis* (*Psal.* XLIX), plorante et mœrore seipsam consumente

diaboli invidia, quia frustrata est, imo quia profuit, dum nocere cupit, quia priusquam caderet homo, tamen erat homo; nunc autem dum casum corrigit, dum ascendit, Deus et homo. Nunc est « Dominus, nunc est excelsus, terribilis, rex magnus (*Psal.* XLVI). » Dominus, inquam, est, et in universa terra admirabile nomen ejus excelsus, quia super cœlos elevata est magnificentia ejus (*Psal.* VIII); terribilis, quia quemadmodum ascendit, ita ad judicandos vivos et mortuos revertetur (*Act.* I). Et hic rex magnus, tunc in illa sedet curia victor ad dexteram Patris, honore coronatus et gloria, speciosus et exspectabilis rex in illa sua beata republica. Patris non mortui, sed et nunquam morituri hæres, mortuus semel, et ultra jam non moriturus, cunctos Patris imperatoris antiqui possidens thesauros, in arca pectoris sui reconditos, unde et dona dat hominibus (*Psal.* LXXVI), alii sapientiæ vel scientiæ sermonem, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum, alii operationem virtutum (*I Cor.* XII), et his similia. *Omnes* itaque *gentes*, ut dictum est, *plaudite manibus*, id est plaudite cum lætitia, bene operamini. Elegantius quidquam præmitti non potuit ad introitum, secundum prædictum Evangelii sensum, sive lectionis Actuum apostolorum. Nam in eo ait, *plaudite manibus*, et operatio, et supradicta charitatis communicatio, breviter commendatur. In plausu enim lætitia, manuumque concussio conspicitur. Ita ergo manibus plaudere jubemur, ut hilari charitate quidquid habemus, quidquid scimus, quidquid possumus, commune faciamus, hoc pacto unum simus, ut Christo tanquam corpus consona membrorum aptitudine cohæreamus.

CAPUT VII.

De officio in die Dominicæ Ascensionis.

Officium diei Dominicæ Ascensionis, gaudium cunctis ejus cantat dilectoribus: *Quia dum eumdem Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitamus*; et spei certitudine jam possidemus rem, ad quam illum pervenisse gaudemus. Nam sicut ipse ait, « ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ (*Matth.* XXVI), » id est, illuc subsequentur veri solis contemplatores et amatores claritatis ejus, ubi ipse **114** est, quorum animæ virtutum pennis cum terrenorum despectu ad cœlestia subvolant, nec ad terram propter cadavera sese iterum devolvunt. Etenim corpus quo solo hujusmodi aquilæ pascuntur, in cœlo est; corpus, inquam, Christi, « in quo corporaliter habitat plenitudo divinitatis (*Col.* II) », quæ angelos pascit, quæ cibus est, et vita æterna omnis creaturæ rationalis (*Joan.* VI). Hoc, inquam, gaudium diei præsentis prædicat officium, sed illud hoc ipsum sollicitat gaudium, quod pariter angelorum decantamus voce dicentium: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Nam ascendit quidem Deus in jubilatione, scilicet apostolorum, « qui adorantes, ut Lucas refert, reversi sunt in Hierusalem cum gaudio magno (*Luc.* XXIV), » cujus gaudii participes maxime sunt hi qui hanc perfectionem habentes charitatis fiduciam habent in die judicii. Ascendit, inquam, Deus illorum in jubilatione, sed ascendit et in voce tubæ (*Psal.* XLVI), id est cum terrifico ejusdem judicii præconio, dicentibus angelis: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Eorum quippe qui in pace Ecclesiæ finiuntur, nimirum rarus quisque est qui ita pugnet, ita legitime decertet, ut illa venientis regis insignia, scilicet crucem clavorumque signa securus aspiciat, et irreverberata descuietur conscientia: qui, inquam, ita crucem suam bajulando, illum secutus sit, ut jure larga reposcat pro laboriosa militia tanti triumphatoris donativa, imo ut secundum parabolam dictum sit ab ipso propositam: Rarus est qui talenta, quæ homo hic peregre proficiscens sibi credidit, cum debito lucro reportet (*Matth.* XXV), id est dona quæ dedit hominibus ascendens in altum et captivam ducens captivitatem (*Psal.* LXVII; *Ephes.* VIII), scilicet carnem, cujus natura nostras mentes in hoc sæculo tenet captivitas, ita proximorum utilitatibus impenderit, ut nihil ex eis in terra defossum, id est in terrenos usus prave detortum, ab usura spirituali vacare permiserit. Sed esto. Inveniuntur interdum qui probe viriliterque in hujusmodi studiis brachium suum roboraverit. Et merito laudatur, quia cum desides alii nudis ac desertis erant lateribus, hic multo milite stipatus incedit, et illi regi cum decem millibus occursurus est ad bellum, id est ad disceptationem judicii (*Luc.* XIV). At illi rex, justa parabolam evangelicam, cum viginti millibus venit (*ibid.*), quia videlicet cum hic servus bonus et fidelis, tantum de factis suis rationem reddere vix possit, illi Dominus ejus de cogitationibus quoque rationem exigit, cum redierit. Atque ita duplici territus interrogationum exercitu, necesse est suis diffidat simplicibus ac dimidiatis responsionibus.

Igitur dum de legatione mittenda et pace roganda solliciti responsum pacis ejusdem exspectamus, gaudemus quidem, ut supradictum est, in spe, sed hoc ipsum gaudium spei, magna ex parte metus imminuit. Et quia sollicitudo hæc salubris est, competenter hic epistolæ finalis aculeus, et ad introitum, et ad offerendam frequentatur: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Tota autem vis sententiæ, tota pene hujus evangelicæ animositas tubæ magis in ea personat dictiuncula, quæ verbo apposita est: *Sic veniet.* Percutit enim acriter infelicem superbiam eorum, qui illum transfixerunt, perditamque mundi sapientiam ac reprobam fulmine ferit prudentiam; quia tunc vere quod infirmum est Dei fortius erit hominibus: et quod stultum est Dei (stultitiam quippe Jesum Christum crucifixum reputaverunt) hominibus sapientius erit (*I Cor.* I), ipsis cum dolore fatentibus.

Tunc implebitur illis illud Isaiæ terrificum vaticinium: « Domine, exaltetur manus tua, ut non vi-

deant (*Isa.* XXVI), » subauditur, gloriam Domini. A Gloriam enim Domini, id est divinitatem hominis Jesu Christi non videbunt impii, quam videre salus videntium erit, sed videbunt carnem, quam spreverunt, illuserunt, conspuerunt, flagellaverunt, spinis coronaverunt, transfixerunt. Hoc etenim secutus ait idem propheta. « Videant et confundantur (*ibid*). » Quæ confusio malæ conscientiæ quanta sit exprimens : « Et ignis, inquit, hostes tuos devoret (*ibid*). » Tunc trement angeli et archangeli, impii autem ubi parebunt ? (*I Petr.* IV.) Trement, inquam, angeli, et, sicut ait Dominus ad beatum Job, « territi purgabuntur (*Job.* XLI), » quando Behemot, qui factus est, nullum timeret, « qui est rex super omnes filios superbiæ (*ibid.*), » mirabiliter creatus, et in sua natura malitiaque et ferocitate conspicua formi- B dabilis, coram Filii hominis fortitudine adducetur, patefactis inferni visceribus « et videntibus cunctis præcipitabitur (*Job.* XL). » Et quidem sancti angeli purgatorio terrore non examinandi probantur : solidati namque sunt ut firmamentum, quomodo mollities aquarum fertur in solidum verti crystallum, ex quo peccante illo peccati principe, ipsi peccare nolentes, in hoc remunerationem acceperunt, ut jam peccare non possint ; nisi quia conditionis ejusdem cum essent, peccare et ipsi potuissent, possibilitatem eamdem sibi unquam fuisse, fortassis intuitu præsentis iræ pavebunt, quam et ipsi incurrere poterant, si gratia deserti fuissent. Ait quippe dominus Effrem, quia ipsa agmina angelorum expavescent in die adventus ejus, et contremiscent. Sed de hominibus sanctis, qui annuntiando C veritatem Dei, supernorum imitantur officia spirituum, et idcirco commune cum illis vocabulum sortiuntur ut angeli vocentur (Angelus quippe nomen est officii, non naturæ) de his, inquam, hominibus non est dubium quin tremant, et terrore pungentur. Si ergo trement sancti angeli, ubi parebunt impii? Dies illa super eos dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde.

CAPUT VIII.

De eo quod dictum est : « *Et sedet a dextris Dei.* »

Hæc itaque sollicitudo nobis gaudium præsens imperfectum reddit, cujus summam solus in Evangelio Marcus perscribit. Nam cum dixisset : *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis ascendit in cælum* (*Marc.* XVI), addidit hoc : *Et sedet a dextris* D *Dei* (*ibid*). Summa quippe gaudii nostri est, quod vera carnis nostræ natura in illo hominis Filio nos præcedens, consedet a dextris Dei, quem venientem juxta Danielem in nubibus cœli, hodie venerandus ille Antiquus dierum cum millibus millium sibi ministrantium, et decies millies centenis millibus sibi assistentium, in illo throno suo flammeo suscepit (*Dan.* VII), dignam cano capite suo sententiam elocutus, juxta Patrem ipsius, secundum carnem David : « Sede a dextris meis (*Psal.* CIX), » etc. Quod non sic accipiendum est, ut Humaniformii putant, quod Deus ita ut nos hinc dexteram atque inde habeat sinistram, et humana forma circumscriptus sit, aut hoc ipsum quod Deus sedere dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, nec illud incidamus sacrilegium, inquit Augustinus, in quo exsecratur Apostolus eos « qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis (*Rom.* I). » Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium, ubi vere Dei templum est. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, seu judiciariam significat potestatem. Et **115** quod ait Christo Domino : « Sede a dextris meis, » id est in mei æqualitate, quod idem est ac si dixisset. Conregna mecum. Et hoc secundum humanam naturam illi dictum est, quia secundum illam datum est ei regnum et honor, et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient (*Dan.* VII), unde in communione canimus : *Psallite Domino qui ascendit super cælos cælorum ad orientem* (*Psal.* LXVII). Humana quippe Christi natura, dignitate virtutum omnium et sanctitatis, omnem spiritualem excessit creaturam in tantum ut ascenderet usque ad orientem, id est usque ad Filium sibi personaliter unitum, quia præter Deum nihil transcendendo dimisit. Ubi notandum quia non dixit ad ortum vel oriturum, sed ad orientem. Illa enim ineffabilis genitura, non secundum præteritum et futurum consideratur, sed sempiterno præsenti Filius Patre generatur. Verumtamen hoc localiter quoque accipiendum est, quia ascendit super firmamentum cœli, et hoc versus orientalem plagam. Nam quod dictum est, usque ad orientem, id est, usque ad Filium sibi personaliter unitum, non utique secundum locum, sed secundum humanæ naturæ immutationem dictum est, qua immutatione et nos juxta Apostolum pro modo nostro immutabimur (*I Cor.* XV). Nec vero sic immutata est, ut in illam orientis substantiam vera carnis substantia transiret, sed accessit gloria, non decessit natura : absorpta est passibilitas, successit impassibilitas, periit mortalis, acquisita est carni verbi coæternitas. Sic in similitudinem lapidis aquæ durantur. Crystallum namque similitudo lapidis est, non suapte natura lapis, quia durata gelu aquæ substantia, sicut aiunt physici, speciem hanc efficit. Quod ad prædictam immutationem carnis apta similitudine referri Gregorius perhibet in Ezechielem (23), dum dicit : « Corpus Redemptoris nostri, quia usque ad mortem passioni subjacuit, aquæ simile juxta aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lassescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo usque ad passionem suam per momenta temporum decucurrit. Sed quia per resurrectionis suæ gloriam ex ipsa corruptione in incorruptionis virtutem convaluit, quia crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et hæc eadem natura, et ipsa jam quæ fuerat, corruptionis immutabilitas non esset. Aqua ergo in crystallum versa est, quando incorruptionis ejus infirmitas per resurrectionem

(23) S. Greg. Hom. in Ezech. lib. I, hom. 7, 19, Patrol. tom. LXXVI, edit. Migne.

suam ad incorruptionis et firmitatem solidata. » Et notandum, quia cum species crystalli perpulchra sit, dicitur in hac significatione, quasi aspectus crystalli horribilis, quia Redemptor noster unus idemque serenus justis, injustis autem, ut supradictum est, apparebit terribilis. Igitur sicut aqua, non pereunte substantia vel substantiæ quantitate, sed sola in qualitate, quæ fluxa fuerat, in soliditatem transeunte, in similitudinem lapidis duratur, sic Dominicus homo, cui psallimus, non pereunte substantia membrorum, quæ servato numero vel quantitate, ascendit primum, quoniam resurrexit, ascendit, inquam, localiter ad orientis, id est divinitatis, de qua supradictum est, conformitatem atque contemperatem, sola penitus absorpta quasi fluxa qualitate, secundum quam timuit, cœpitque tædere et pavere, et dixit : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV), et cætera talia ; secundo autem ascendit et localiter hac die, videntibus apostolis, super firmamentum cœli, ut supradictum est, ad orientem, id est, ad orientalem plagam. Ubi autem et quomodo sit Dominicum corpus in cœlo, curiosissimum et supervacaneum est quærere, inquit Augustinus in libro de fide catholica. Tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cœlorum secreta discutere.

CAPUT IX.

Quod auctoritate Evangelii processio fiat in die Ascensionis Dominicæ.

Quod hac die processionem agimus, illud nobis commendat, quod Dominum nostrum sequi debeamus in ipsum cœlum, quo præcursor ipse introiit per eamdem obedientiæ viam, quam ipse, factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II), exemplo suo præmonstravit. Nam et ipse mox ascensurus in cœlum, hoc ipsum significare dignatus est sicut Lucas evangelista refert. Cum enim dixisset Dominus : « Ego mittam promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV), » secutus Lucas adjunxit : « Eduxit autem eos foras in Bethaniam (*ibid.*), » Eductione illa, quod nos eum sequi debeamus, ut prædictum est, nomine Bethaniæ, quod interpretatur *obedientia*, significavit, quod imitando ejus obedientiam, membra ejus esse, et cum illo omnia verbo virtutis suæ portante, ascendere valeamus. Recte itaque de responsoriis, quod magis ad eamdem pertineant eductionem, diligentioris Ecclesiæ ordines cantant in hac processione, ut nos responsorium hoc : *Eduxit Dominus Jesus discipulos suos foras in Bethaniam, et benedixit eis*, quod ex Evangelio Lucæ sumptum est. Hoc enim cantando et procedendo nobis invicem loquimur, et commemoramus idipsum, quod illa Dominus eductione significabat, videlicet, quod sequaces ejus de mundo foras exire debeant, sicut jam dixerat illis : « Ego elegi vos de mundo, ut eatis et fructum afferatis (*Joan.* XV). » Quo eatis ? Utique in universum mundum. Nam hoc est quod et tunc ait illis secundum

A Marcum : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI). In quo Judæos palam percutit vane gloriantes, quod peculiaris populus Dei fuerint. Nam præter hoc, quod juxta aliquid ut ait beatus Gregorius (24), homo omnis creatura est ; habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, discernere cum angelis, præter hoc, inquam, Judæos, ut diximus, percutit, dicendo *omni creaturæ*. Compendio quoque usus est, dicendo, *omni creaturæ* pro omni homini. Si dixisset, omni homini, reddenda erat ratio, cur non Judæo soli. Quæ autem ratio melior poterat reddi, nisi quia sicut Judæus creatura Dei est, ita et gentilis ? Unde Apostolus ait : An Judæorum Deus tantum ? nonne et gentium ? imo et gentium (*Rom.* III). B Pulchro igitur compendio usus est, dicens : *omni creaturæ*, quo nomine simul et omnem expressit hominem, et præcepti sui justam aperuit rationem.

CAPUT X.

Cur eadem processio non ante, sed post tertiam agatur.

Cum igitur hac die processionem rationabiliter agamus, nihilominus et hoc rationabile est, quod non, sicut in die Paschæ vel cæteris Dominicis, antequam tertia cantetur, sed ea cantata celebratur. Sola namque processio Dominicalis, quia tunc aqua benedicitur in memoriam et venerationem sacri baptismatis, sicut alias jam dictum est : sola, inquam, ejusmodi processio tertiam præcedit, qua hora Spiritus sanctus super apostolos advenit, ut sicut baptizamur, et sic Spiritum **116** sanctum accipimus, C sic aqua benedicta prius nos et loca nostra respergamus, et sic adventus Spiritus sancti memoriale, scilicet horam tertiam decantemus. Cur autem Dominica die sic nobis baptismatis sacri memoria renovetur, supradictum est, ubi de sacra paschæ solemnitate vel ordine pro posse diximus. Hæc ergo et cæteræ, quæ absque aquæ benedictione aguntur, processiones, jure præmissam sequuntur horam tertiam, et secuturo sine interruptione junguntur officio missæ.

CAPUT XI.

De Dominica post ascensionem Domini.

Dominicæ hujus officium vox est apostolorum, qui, juxta præceptum Domini ascendentis, sedebant D in civitate, quoadusque induerentur virtute ex alto (*Luc.* XXIV), ut erant unanimiter orantes cum mulieribus et matre Jesu, sicut in Actibus apostolorum legitur (*Act.* I). Non solum autem illorum, sed et nostra vox est corde et ore proferenda in aures Domini, ut spiritus ejus gratia dignanter ad nos usque descendat, quia videlicet, corporis ejusdem, in quo præeminent apostoli, nos quoque membra sumus, licet ultima. Descendat, inquam, in nos unguentum illud, quod plenarie redundans in capite, id est in Christo, descendit primum in barbam Aaron (*Psal.* CXXXII), id est montani, scilicet ejusdem

(24) S. Greg. LX Hom. in Evang., hom. 29, 2, Patrol. t. LXXVI, edit. Migne.

Christi Domini nostri, super montem cœli exaltati; in barbam, inquam, id est in fortes atque perfectos viros, Patres nostros apostolos, descenditque et in ora vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII), id est in vicinos apostolis electos ex Judæis, et sicut ros descendat in montem Sion (*ibid.*), id est in omnem ex nobis gentibus fidelem. Huic ergo exspectationi præsentis introitus officium valde congruit: *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te.* Psalmo namque vicesimo sexto descriptum est hoc, titulus hic inscribitur: *Psalmus David priusquam liniretur*, id est in regem ungeretur. Qui et mittit nos ad historiam. David adhuc in domo Patris sui, scilicet Bethlehem, puerulus unctus est a Samuele (*I Reg.* XVI), regem illum futurum Spiritu sancto sic præsignante. Deinde unctus est in Hebron, et super tribum Juda tamen regnavit mortuo Saule (*II Reg.* II). Postea vero tertio unctus est, quando totius Israelitici populi provinciam accepit. Quæ unctiones nobis mysticant aliquid. Sicut enim tertio unctus est David, sic quoque fideles participes debent esse ternæ unctionis. Prius in baptismo, ubi gratia Spiritus sancti innovantur; secundo, quando per impositionem manuum episcopi donis ejusdem Spiritus sancti augmentantur; tertio, in die judicii, quando ejusdem spiritalis gratiæ perfectam dulcedinem adipiscentur. Non est autem credendum David fecisse hunc psalmum, antequam, in domo patris liniretur, sed an post illam unctionem statim, an post secundam fecerit, incertum est. At nos quidem post secundam unctionem in exspectatione tertiæ hoc officium canimus, jam enim impositionem manuum ab episcopis accepimus. Apostoli autem quorum exspectationem imitatur, secundam post primam unctionem præstolabantur. Nam illi post peccatorum remissionem, quam in morte Christi acceperant, insufflante illo ac dicente: « Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX), » manuum impositionem exspectabant de cœlo, ab eodem Pontifice magno, qui penetravit cœlos Jesu Christo (*Hebr.* IV), quæ secunda exstitit illis unctio. Nos autem, hac secunda per illorum officium, ab episcopis cum sacro chrismate accepto, tertiam exspectamus gratiam pro gratia, quam in illa cœlesti percipiemus Ecclesia, tanta plenitudine, ut merito vocetur ebrietas, et affluens voluptas, sicut dicit Psalmista: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). » Et Isaias dicit: « Dicit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus

A ejus in Hierusalem (*Isa.* XXXI). » Donum quippe Spiritus sancti in Sion, id est in præsenti Ecclesia quantuslibet ignis est, in Hierusalem autem, id est in cœlesti patria, caminus plenus et indeficiens est. Igitur secundum prædictam exspectationem cantamus in introitu: *Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te* (*Psal.* XXVI), et quia non sufficit vox corporis, additur: *Tibi dixit cor meum: quæsivi vultum tuum*, etc. Epistola qualiter hoc ipsum orare debeamus, indicat dicens: *Estote prudentes et vigilate in orationibus* (*I Petr.* IV), etc. Evangelium: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XVI), idcirco congrue legitur, quia promissionem eamdem apostoli exspectabant, procul dubio in mente et in ore habebant simul et orationem, quam in finem sermonis pro ipsis et pro nobis,
B qui per verbum eorum credituri eramus, oravit ad Patrem. Propter quod et communio congruit: *Pater, cum essem cum eis* (*Joan.* XVII). Offerenda quoque: *Lauda, anima mea, Dominum* (*Psal.* CXLV), ab re non discrepat, quia sic scribit Lucas: « Et erant in templo laudantes et benedicentes Deum (*Luc.* XXIV). »

CAPUT XII.

Cur hactenus apostolicæ litteræ ad vigilias lectæ sint.

Idcirco per hos dies Dominicæ resurrectionis, id est a Pascha usque ad Pentecosten, apostolicæ litteræ lectæ sunt in vigiliis nocturnis, videlicet Actus apostolorum, Apocalypsis, cum septem canonicis
C Epistolis, quia testimonium personant ejusdem resurrectionis, sicut scriptum est: « quia virtute magna reddebant apostoli, videlicet tam voce quam litteris, testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi (*Act.* IV). » Diebus autem quibus tempus illud significatur, quo ante passionem suam in hoc mundo vixit Dominus, idcirco Paulus legitur apostolus, quia pene ubique tota intentio ejus est approbare gratiam toti mundo, id est tam Judæis quam gentibus, fuisse necessariam, nec ullam ex operibus legis, sed sola fide Christi posse salvari. Itaque toto tempore, quo sive ante, sive post passionem suam Domini nostri præsentia commemoratur, congrue novi testamenti præcones loquuntur, ut quasi ab sponsi præsentis uberibus filii ejus lacte consolationis potentur. Hæc
D siquidem Scripturæ ubera illa sunt, de quibus eidem sponso in Canticis Ecclesia dicit: « Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis (*Cant.* I). »

---

117 LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De adventu seu divinitate sive operatione sancti Spiritus.

Quam venerabilis et amplectenda sanctæ matri Ecclesiæ filiisque ejus universis debeat esse de adventu Spiritus sancti solemnitas, considerata personæ advenientis dignitas, simulque causa adventus ejus evidenter demonstrat. Ipse enim Deus et Domi-

nus est, Patri Filioque consubstantialis et coæternus, increatus atque immensus, utpote creatricis tertia persona Trinitatis, cujus absque gratia, nulla in ordine cœlorum consistit creatura rationalis; a quo recedens angelus, diabolus factus est; ad quem accedens homo, Deo similis redditus est. Causa autem adventus ejus hæc est, ut quia sponsus ablatus est, filiorum ejus curam atque tutelam pupillorum susciperet, et testamento Patris legatam illis, imo sanguine ejus conscriptam hæreditatem, advocatione legitima defendat, in omni prætorio, coram quovis judice, rege aut tyranno, sive principibus terræ. Proponenda namque erat lis in judicio de terminis paternæ possessionis, et cum Antiquus dierum dixerit huic, de quo loquimur, sponso, pupillorum Patri: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II), » futuri tamen erant qui hæreditatem ejus nimium vellent angustare, aut etiam annullare, ut Judæi, qui in sua tantum Synagoga, ut Donatus, qui in sola coarctare contendit Africa, ut pagani, qui nullam illius possessionem usquam esse volebant. Præterea cœlorum prædia, quæ perpendere poterant filii supradicto Patris testamento, sibimet legata, insidiantibus malignis spiritibus, tutorem hunc fidissimum adesse oportebat, qui illos erudiret, protegeret atque pro delinquentibus interveniret. « Nam quid oremus, inquit Apostolus, sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » Igitur juxta personæ advenientis dignitatem, et adventus causam, gloriosa, splendida, venerabilis, et dulcis est sanctæ Ecclesiæ domui solemnitas hæc de adventu Spiritus sancti, æque ut illa sacrosancta festivitas Dominicæ resurrectionis, quia videlicet sicut nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset, ita nihil nobis redimi profuit, nisi Spiritu sancto illuminari, et peccatorum remissionem accipere profuisset.

CAPUT II.

Qua auctoritate Sabbato Pentecostes, sicut a Sabbato Paschæ baptizandum sit.

Quapropter hæc duo tempora, id est Paschæ et Pentecostes, a Romanis pontificibus ad baptizandum præfixa sunt. Unde magnus Leo scribens ad universos per Siciliam constitutos, cum de Sabbato sancto Paschæ, quo baptizandum sit, dixisset, adjecit: « Additur sane huic observantiæ, etiam Pentecostes, ex adventu Spiritus sancti solemnitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo, et cum ad alios dies cætera festa pertineant, hæc semper ad eum diem, quæ resurrectione Domini est insignis, occurrit, porrigens quodammado auxiliantis gratiæ manum, et eos quos a die Paschæ, aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, invitans, ut quibuslibet necessitatibus impediti, desiderii sui effectum dono Spiritus sancti consequantur (25). » Et paulo post: « Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendimus, sed apostolica auctoritate satis idoneo probamus exemplo, sequentes B. Petrum apostolum qui, in ipso die, quo omnium credentium numerum promissus Spiritus sancti replevit adventus trium millium populum sua prædicatione conversum, lavacro baptismatis consecravit, quod sancta Scriptura quæ apostolorum continet actus, fideli historia docet (*Act.* II), dicens: « His auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad « Petrum et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, « viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, « inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in « nomine Domini Jesu Christi (26). » etc.

Digna sane et justa tanti Domini reverentia, quoniam æquitas paribus in rebus paria jura desiderat, ut quia filius non nisi in digito Dei fortem armatum resurgendo devicit, et vasa ejus deripuit atque mundavit (*Matth.* XXI; *Luc.* XI), quo huic digito Dei, scilicet Spiritui sancto advenienti, sicut et Filio resurgenti suum repræsentetur opus, id est sacri baptismatis effectus, maxime quia baptismatis ejusdem regeneratio, propria sancti Spiritus operatio est. De cujus regenerationis sacramento nonnulla superius in sancto Paschæ Sabbato, simulque de lectionibus et cantibus ad idem sacramentum pertinentibus, quantum proposita brevitas permisit, exposita sunt, quæ digna quæsitu videbantur.

118 CAPUT III.

Quid pertineat ad sancti Spiritus gratiam lectio; « Tentavit Deus Abraham. »

Verumtamen nunc illud prætereundus non est, quid ad baptismi gratiam pertineat illa, quæ de hac die legitur lectio: *Tentavit Deus Abraham* (*Gen.* XII). De qua re quærentibus facilis et aperta patet responsio, quia videlicet in illa, quam celebramus, effusione sancti Spiritus, illud impletum est, quod in hac lectione patri nostro Abrahæ Dominus ait: *Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito. benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris* (*ibid.*). Maximeque quod addidit: *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, atque in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, pro eo quod obedisti voci meæ* (*ibid.*). Illud, inquam, nunc impleri cœptum est, quando Spiritus sanctus, apostolorum pectora invisibiliter penetrans, novum dedit sanctificationis signum, ut in ore eorum omnium genere nascerentur linguarum (*Act.* II). Sanctus enim Spiritus tunc omnibus dari cœpit gentibus, manifesto super gentiles Cornelium et alios nonnullos veniens signo, qui una et sola Dei benedictio est, quia benedicantur omnes gentes in semine Abrahæ, qui est Christus, quem in utero Virginis idem Spiritus sanctus prævenit in benedictionibus, id est omnium gratiarum suarum effusionibus, ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus. Tractus hanc lectionem idcirco nullus prosequitur, quia canticum

(25) S. Leo Epist. XVI ad univ. episcop. per Sicil. const. cap. 3, Patrol. tom. LIV, Edit. Migne.
(26) S. Leo, ibid., cap. 4.

pater Abraham pro hoc facto nullum cecinisse scribitur, quippe quibus vel cum quibus caneret non habebat, unus et pene solus Dei cultor, idemque in terra aliena peregrinus. Cætera, ut supra dictum est, in officio Sabbati paschalis pro posse dicta sunt.

CAPUT IV.

Quod in honorem septiformis Spiritus, septem sint officia, quinta vacante feria.

In cunctis sacrosanctæ solemnitatis hujus officiis auctoritas Spiritus sancti præeminet, cujus et majestas materiam præbet, quod maxime in Epistolis sumptis de Actibus apostolorum clarum est, in quibusdam tamen Evangeliis, vel his quæ ad introitus officiorum, vel quæ dicuntur in offerendis, non adeo liquet in superficie litteræ, quod personam vel propriam sancti Spiritus operationem prædicent; sed si superscrutemur, et ut ad latentia grana perveniamus, spicas manibus confricemus, cuncta ad illius operationem atque ad baptizatorum competentem pertinere patebit instructionem. Sunt autem ab hoc Sabbato usque ad aliud Sabbatum officia septem, uno die, id est feria quinta proprium non habente, sed de Dominica mutuante officium videlicet in veneratione posita septem ejusdem Spiritus sancti donorum. Sed in his eo contenti non erimus, ut juxta propositum in officiis quæramus partium concordiam, magisque opificem nostræ salutis inquirendo, venerabimur sancti Spiritus divinitatem. Dignum quippe est ut prophetica vel evangelica seu apostolica pensando dicta, quæ in his congesta sunt officiis, organistam antiquum suis ex vocibus, non recentem agnoscamus esse Deum, præsertim cum in his quoque, quæ hoc minus in littera personare videntur, magnificentius interdum comprobetur, interiore fideliter ponderato sensu, ut est illud: « Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos (*Psal.* LXXX). »

CAPUT V.

Cur apostolus Paulus eos, qui in Joannis baptismate baptizati fuerant, nihilominus baptizari fecerit.

Lectio Actuum apostolorum: *Factum est cum Apollo esset Corinthi* (*Act.* XIX), etc. Cunctis hujus hebdomadæ diebus lectiones, de Actibus Apostolorum sumptæ, sancti Spiritus evidenter prædicant potentiam simul et gratiam, qua teneram nascentis Ecclesia cum tanta duldecine lactabat infantiam, ut, imponentibus manus apostolis, loquerentur linguis fideles et prophetarent. Sed hodierna, id est Sabbati lectio, unicam baptismi Christi commendat dignitatem, in eo quod Paulum discipulos, qui baptizati fuerant in Joannis baptismate, rebaptizasse, imo quia baptizati non fuerant in nomine Domini Jesu, baptizasse commemorat. Causa autem manifesta est, videlicet quia baptismus Joannis non ad eamdem virtutem pertinuit quam operatur in nobis baptismus Christi. Primo, quia Joannes baptizabat in pœnitentiam, Christus vero baptizabat in remisssionem peccatorum. Deinde, quod maximum est, Joannes

A non baptizabat in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti quæ sola et unica regula est baptizandi, quam suo sanguine conscriptam, Salvator post resurrectionem suam et non ante discipulis suis contradidit. Quæ tantæ virtutis atque auctoritatis est ut quantacunque dicat quis inter mersionem, si cuncta ex ordine quatuor Evangelia percurrat, totamque fidei catholicæ decantet expositionem orthodoxam, hanc autem solam omittat regulam, verbum abbreviatum quidem, sed consummans: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.* Si, inquam, istud omittit, non fecit opus baptismi, atque ideo frustratus, qui sic intinctus est, nihilominus baptizari indiget. Quod si sola hæc verba deprompta fuerunt, quicunque sit ille verbi et aquæ minister, quicunque
B baptizet, sive columba, sive corvus, id est sive castus, sive adulter aut ebriosus, sive Catholicus, sive hæreticus, sive etiam ludo quis forte baptizet, nullatenus baptismum licet iterari, ne tanti nominis invocatio videatur annullari. Unde licet fere nemo dubitet, libet tamen quidquam ad hoc pertinens inserere, quod ecclesiactica de Athanasii principiis refert historia.

Tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat, cum post exempla solemnia, conventuros ad convivium suos clericos exspectaret, in loco mari vicino videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium, ut fieri solet, episcopum atque ea quæ in ecclesiis geri mos est. Sed cum intentus diutino pueros inspectaret, videt ab his geri quædam etiam secretiora et
C mystica. Perturbatus illico vocari ad se clericos jubet, atque eis quid eminus ipse videret, ostendit. Tum abire eos, et comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumque adessent, quis eis ludus, et quid egissent vel quomodo percontatur. Illi, ut talis habet ætas, pavidi negare primo, dehinc rem gestam per ordinem pandunt, et baptizatos a se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint quidve responderint, simul et ab eo qui interrogaverat, ubi videt secundum religionis **119** nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorum, statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus
D et responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ a sacerdotibus mos est.

Manifestum est igitur baptismum Joannis longe imparis fuisse virtutis a baptismo Christi, neque ulla questione opus est, cur apostolus Paulus, eos qui tantum in Joannis baptismate baptizati fuerant, nihilominus baptizari fecerit: quippe qui interrogati: « Si Spiritum sanctum accepistis credentes, responderunt: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus (*Act.* XIX). » In quo satis liquet, quantæ imperfectionis baptismus Joannis fuerit, in quo nec nominabatur is, in quo sola baptismi subsistit vir-

tus, Spiritus sanctus in quo baptizat Christus, sicut idem Joannes ait : « Ego baptizo vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Matth.* III). » Et item : « Qui misit me, inquit, baptizare, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in eo, ille est qui baptizat in Spiritu sancto (*ibid.*). »

CAPUT VI

De proprietate consolationis, secundum quam Spiritus sanctus alius datus est Paracletus.

Spiritus sanctus, sicut alia persona est quam Filius, sic proprietate consolationis suæ qua consolatur nos alius est Paracletus, propter quod Dei Filius multa de seipso locutus, ait in hodierna lectione sancti Evangelii : *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis* (*Joan.* XIV), quod ut tandem commodius pateat, discretione diligenti opus est, ad cognoscendum quid proprie per Filium, quid proprie Pater in creaturis operetur per Spiritum sanctum.

Omnium substantia creaturarum per Filium condita est, sicut evangelista testatur, dicens : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » Sed omnibus exceptis quæ ad præsens negotium non pertinent, de angelica et humana tantum substantia dicendum est.

Omnis humana, vel angelica creatura omnesque substantiales qualitates, sine quibus nusquam ulla potest vel cogitari substantia, videlicet esse, vivere, sentire, discernere, quæ naturaliter insunt, et idcirco eidem adesse substantiæ non possunt, per Filium simul cum ipsa substantia conditæ sunt. At vero bene esse, sancte vivere, recte sentire, prudenter discernere, vel sapienter intelligere, accidentales qualitates per Spiritum sanctum appositæ sunt. Quas ex eo constat accidentales esse, quia videlicet adsunt bono, et absunt malo homini vel angelo, natura vel substantia permanente. Et ne qui calumniæ locus patere videatur, sic dictum est has qualitates accidentales esse, cum ipse Spiritus sanctus, cujus hæc dona sunt, substantia sit, sicut mulieri procul dubio accidens est, fetam esse, cum semen, quo impregnata est, vel illud de quo et per quod semen in ea transfusum est, substantia sit. Sed ut ad proposita redeam, nimiam patiuntur penuriam, qui, solius creatricis potentiæ beneficium assecuti, solis naturæ bonis utentes, quæ per Verbum creata sunt, necdum meruerunt superioribus ornari, quæ a Patre et Filio dantur per Spiritum sanctum. Amplius vero miseri sunt, qui illa nunquam accipere merentur, qualibus dicit Dominus : « Væ vobis quia habetis consolationem vestram ! » (*Luc.* VI.) Apostoli autem non ejusmodi erant, qui nunquam accipere merentur : nondum tamen divinæ dispensationis ordo poscebat ut jam acciperent, jamque perficerentur. Et quod inter eos Filius Dei erat, quod nondum Spiritu dato cum illis loquebatur, et inter eos ambulabat, præparatio temporis erat, quo mentibus eorum per eumdem spiritum infunderetur, per quem in utero Virginis humanæ naturæ fuerat unitus. Quodque dicebat eis : *Rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, tale est ac si sponsæ amanti, quæ dixerat : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I), » dicat inter oscula os suum post parietem stantis, per fenestram respicientis (*Cant.* II) : Destruam parietem hunc, qui oscula nostra vix per fenestras admittit, dividens inter te ventremque meum eburneum, distinctum sapphiris, et mox erimus duo in carne una, fietque per infusorium seminis, ut ultra sterilis non sis. Cum enim hæc ante passionem suam loqueretur Dominus, adhuc stabat paries inimicitiarum (*Ephes.* II), id est originale peccatum inter homines et Deum. Corporalis autem præsentia Christi, tanquam os erat dilecti, qui tot osculis amicam alliciebat, quot doctrinis vel miraculis Ecclesiam in paucis discipulis adhuc parvulam ad fidem invitabat. Sed sicut solo nunquam amica concipit osculo, sic animæ illorum impregnari non poterant virtute Verbi, quod est semen Dei Patris, nisi per ingressum Spiritus sancti copula Dei nostrarumque animarum perficeretur, et per illum usque ad interiora ventris earum semen, quod est Verbum Dei, perferretur. Quo facto, statim renuit consolari anima eorum in temporalibus seu naturalibus humanæ creaturæ bonis, et idcirco omnem rerum sæcularium consolationem respuerunt, quia memores fuerunt Dei (*Psal.* LXXVI), id est intellexerunt Deum esse incomparabiliter dignius et altius bonum, et hoc intelligentes delectati sunt (*ibid.*). De hac Patris et sui cognitione, paulo superius dixerat Dominus : « Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis (*Joan.* XIV). » Nam de qua cognitione dixit, nisi de experimento amoris ? Siquidem pro experimento copulæ naturalis, in sacra Scriptura, tam honeste quam proprie dici consuevit, virum uxorem, vel uxorem cognovisse virum. Qua similitudine, quia cognoscendum erat Deus ab Ecclesia, per passionem Filii, qui hæc loquebatur acquisita, statim addidit : « Et amodo cognoscetis eum (*ibid.*). » Et quia sic cognovisse vidisse est, continuo subjecit : « Et vidistis eum (*ibid.*), » præteritum ponens pro futuro, quod certissime futurum est, eo loquendi more quo et paulo post dicturus est : « Et jam non sum in mundo (*Joan.* XVII). » Quod si cui non placet, ostendat quomodo aliter quam per amorem suum Deus veraciter vel utiliter cognosci potest, aut quomodo jam viderunt Patrem, cum ipse Filius nunc dicat : « Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. » In qua propositione præcedens atque consequens, discipuli non cohærere arbitrantur. Unde ait Philippus : « Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis (*ibid.*), » ac si dicat : Te quidem ostendisti, et videmus te tantummodo, Patrem nobis ostende. At ipse hunc illorum non approbans sensum, quia nihil superesse putabant de Filio quod non vidissent, cum et ipse sit Deus, qui æque ut Pater corde videtur, sicut alibi dixit : « Beati mundo

corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). » ait: « Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? » (*Joan.* XIV). Non enim me cognovistis, qui viso me secundum hominem, totum vidisse putatis. « Qui videt me, videt et Patrem (*ibid.*). » Sed Patrem non vidistis, sicut ipsi fatemini, ergo nec me vidistis, « quia ego in Patre et Pater in me est (*ibid.*). » Quod non localiter accipiendum est, nec sic esse potest, sed hoc est quod ait: Cognitio **120** Patris in cognitione Filii, cognitio Filii in cognitione Patris est. Quæ utriusque cognitio per Spiritum sanctum fit, et hæc sola est consolatio sanctorum in hoc sæculo peregrinantium, quia sublevati ferunt patienter, imo gratanter, quod eos mundus odit, exprobrat, ejicit, persequitur, flagellat, occidit, et tam in prosperis quam in adversis orante pro illis hoc Spiritu gemitibus inenarrabilibus pro refectione habent flere (*Rom.* VIII), sicut scriptum est: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die et nocte (*Psal.* XLI). » etc.

Igitur quia propria Spiritus sancti operatio hæc est, recte alius Paracletus dictus est. Sequiturque hæc offerenda: *Emitte spiritum tuum* (*Psal.* CIII), etc. Hoc enim alio loco Paracleto dato, hoc Spiritu emisso, creantur homines novi, et sic renovatur facies terræ nostræ, quæ maledicta est in peccato Adæ et damnata spinas et tribulos, pullulante carnis luxuria, germinat (*Gen.* III), renovatur, inquam, et novam profert creaturam cujus « exspectatio, sicut ait Apostolus, revelationem filiorum Dei exspectat, quæ ingemiscit et parturit (*Rom.* VIII), » usque dum in illa revelatione filiorum Dei, revelet semen Dei, quod per hunc Spiritum primum a baptismi gratia concepit.

Inde in sequenti versu hortatur seipsam prægnans anima, benedicere Dominum propter suam vehementem magnificentiam. Quæ benedictio vel gratiarum actio, si tantum labiis fiat, adulatio est apud Deum; si autem corde diligente illam, quam laudat magnificentiam, benevolentia præmio digna judicatur apud eum. Unde recte magis internum animæ spiraculum, quam linguæ plectrum hortatur ad benedicendum Dominum. Talisque confessio decora est, quam induit Dominus, et ea tanquam luminoso amicitur vestimento. Causa benedicendi Dominum magis in hoc versu expressa, hæc est: *Extendens cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII). Nam per hunc, de quo loquimur, Spiritum sanctum extenditur cœlum, id est Scriptura prophetarum. Extenditur, inquam, sicut pellis, in qua nihil latet cum extensa fuerit. *Qui tegis*, inquit, *in aquis superiora ejus*, id est excellentem illis viam charitatis in donis Spiritus sancti superfundis. Communionem: Ultimo festivitatis die, manifestum est, ad donum Spiritus sancti pertinere, de quo ait: *Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, hoc enim dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII).

CAPUT VII.

De processione ejusdem Spiritus sancti, a Patre Filioque procedentis.

Sed quia propositum nunc est, non solum partium consonantium in officiis, sed et divinam quærere potentiam Spiritus sancti, prætereunda non hæc est sententia Salvatoris, quam non sola commendat dignitas sensus sui, sed et reverenda auctoritas dicentis, maxime quia cum clamore, ut attentos faceret, edixit. Sic enim scriptum est: « In novissimo autem die magnæ festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat (*Joan.* VII), » etc. Itaque si auditores sumus non ingrati, et tali oratore digni, non solum quid dixerit, sed et quali tempore dixerit (nam et hoc ad rem attinet) consideremus benevoli, dociles et attenti. Dies festus erat Judæorum Scenopegia. « Quid sit Scenopegia, noverunt, inquit Augustinus (26*), qui Scripturas legerunt. Faciebant die festo tabernacula, ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverant, cum educti ex Ægypto peregrinantur in deserto. Iste erat dies festus, magna solemnitas. Celebrabant hoc Judæi, velut reminiscentes beneficia Domini, qui occisuri erant Dominum. » In hujus festivitatis novissimo die stabat Jesus et clamabat, invitans ad bibendum non qualescunque, sed quosque sitientes. Bene. Interea dum reminiscerentur, ut dictum est, beneficiorum Dei, dirigebatur ad eos clamor invitantis ad populum Spiritus sancti. Nos autem educti de Ægypto infidelitatis, liberati a captivitate et servitio spiritualis Pharaonis, et traducti per mare baptismi, nunc in eremo vitæ præsentis peregrinantes habitamus in tabernaculis, quæ sunt ecclesiæ, vel cœnobia in quibus militamus, donec ad regnum supernæ hæreditatis perveniamus. Si ergo memores beneficiorum Dei festa celebramus, a malis operibus vacantes, et in contemplatione divinæ bonitatis exultantes, quia per passionem unici Filii salutem nostram operatus est, clamorem invitantis audimus, in siti currimus, bibimus, quia sic nobis benigna divinitatis vena, scilicet Spiritus sancti aperitur.

CAPUT VIII.

Quo ordine fiat eadem processio sancti spiritus.

Magna res et a Deo speranda, quam considerare proposuimus, scilicet quo ad creaturam suam ordine veniat Spiritus sanctus. Quod ubi animadversum fuerit clarebit et hoc quam recte in Evangelio, procedens dictus sit. Ordo necessarius hic est, ut prius in creatura rationali bona voluntas excitetur erga Creatorem, consideratione beneficiorum ejus. Hæc vero ut non deessent, « ille proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII) » Quomodo, inquit Apostolus, non cum illo nobis omnia donavit? Sed sunt homines ingrati, qui sicut in operibus mundi nulla benevolentia lau-

(26*) S. August. Tract. XXVIII in Ev. Joan. cap. 7, 3, Patrol. tom. XXXV, Edit. Migne.

dant Deum artificem, quos Apostolus percutit dicens : « Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt (*Rom.* I) » ita cum prædicatur eis tanta charitas Dei, quod pro nobis Filium suum tradidit, non venerantur magnitudinem beneficii, sed irrident ut stultitiam verbum crucis Christi (I *Cor.* I). Tales spiritus nunquam dignatur, quia Deo odibiles, ingratitudine nimia legem naturalem prævaricantur. Naturale namque est homini amantem redamare, et opus quod laude dignum, quodque indignum sit, posse discernere. Quod qua vitio suo, videlicet quia ingrati sunt erga Deum, facere nolunt, merito Spiritus Dei semetipsum non credit eis, eosque in desideria cordis ipsorum, in immunditiam; in passiones ignominiæ, et in omnem reprobum sensum, sicut Apostolus ait, traditos derelinquit (*Rom.* I). At vero quorum intuitum diabolicæ non cæcavit telum invidentiæ, cognoscentes ex operibus mundi Artificem, veneratur illum, et benevole sapientiam ejus laudant in æquitate operum magis autem incarnatum et passum pro omnibus audientes, Dei virtutem et Dei sapientiam Christum (*I Cor.* I) diligunt, approbant, amplectuntur, honorant. Unde est illud in Canticis : « Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I). » Itaque quemadmodum in sponsalibus, primum sponsæ ostenditur sponsus, laudatur genus, fortitudo prædicatur, divitiæ numerantur et forma commendatur, per quæ omnia mutuus affectus, voluntariusque puellæ exigitur assensus et demum per conventum amoris, is, qui in suis placuerat, totus in seipso cognoscitur. Ita, Creator noster, prius animarum nostrarum in se excitat affectum, suorum ostensione operum, suæque **121** divinitatis omnipotentissimæ et incarnationis sacrosanctæ, fideli prædicatione, et deinde ubi seipsum placuisse viderit, confidenter accedit, sicut de muliere forti scriptum est : « Confidit in ea cor viri sui (*Prov.* XXXI), » et plenitudinem sui amoris, » id est Spiritum sanctum, in illam effundit. Ibi manifestat ille seipsum, quod nunquam per aliud fit, nisi per hunc, de quo loquimur, Spiritum sanctum, idcirco jamjam passurus Dominus, et post eamdem passionem suam hunc Spiritum daturus, dilectionem attentius commmendabat (*Joan.* XI), videlicet ut dilectio cordis humani, dilectioni Dei, qui est Spiritus sanctus, occurreret locumque præpararet. Jam, ut id superiora revertamur, talem dilectionis sitim requirebat, cum in templo stans et clamans dicebat : « Si quis sitit, veniat et bibat. » Ubi et Scenopegiæ festivitas, quando memores beneficiorum Dei tabernacula faciebant, ut supra dictum est, ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverunt per desertum, quando de Ægypto educti sunt, festivitas, inquam, magna, solemnitatis ejus typus erat, quæ nostris in mentibus splendere debet, contemplantibus beneficia Dei, quæ per Filium suum Redemptorem nostrum magnifice nobiscum egit, et ob hoc sitientibus illum in seipso contueri, quem in tantis suis experti sunt beneficiis. In his nimirum clamor ille Domini non surdas aures invenit, dicentis : « Si quis sitit, veniat et bibat. » Et exponens quam sitim quærat, quid bibendum offerat, adjungit : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Qui credit in me, idem est ac si dixisset : Qui sitit me. Quid enim est in Christum credere, nisi Christum sitire ? Plus quippe multo est credere in Christum, quam credere Christo, vel credere Christum. Credere Christo, subauditur, quod verum credat, vel credere Christum, subauditur esse, non magnum est, siquidem et dæmones credunt et contremiscunt (*Jac.* II). At vero credere in Christum, id est per fidem ambulando tendere in Christum, venerari et amare Verbum per quod omnia facta sunt, amplius autem quod Verbum caro factum, et habitavit in nobis (*Joan.* I). Qui ergo sic sitit, illi datur bibere de Spiritu Christi. O quanta de inopia sublevatur creatura, ut cum Creatore suo unum eumdem spiritum habeat, qui solus æternarum divitiarum cumulus est, quo ita inebriatur, et impletur venter animæ, ut de illo fluant atquæ vivæ, scilicet dogmata divinæ sapientiæ, ut merito dicatur « fons hortorum, puteus aquarum (*Cant.* IV). » Igitur, ut supra dictum est, hic ordo consuetus, hæc præparatio competens est ante adventum sancti Spiritus, ut prius bona creaturæ voluntas erga Creatorem excitetur, prædicatione beneficiorum ejus, quia, testante Scriptura quæ dicit :

Hominis est præparare animum, Domini autem gubernare linguam (*Prov.* XVI) ; » itemque : « Hominis est disponere viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus (*ibid.*), » hac, inquam, Scriptura testante, naturale est ut humanus affectus, id est bona voluntas erga Creatoris benefacta moveatur. Quod ubi non fit, ingratitudinis vitium, et superbientis animi contemptus est. Nam quod ait Apostolus : « Deus enim est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate (*Philip.* II), » supradictæ non repugnat sententiæ. Siquidem hominis est animum præparare, id est bona velle, dum rationali sensu bonum discernit et approbat, sicut idem Apostolus ait : « Nam velle adjacet mihi (*Rom.* VII), » Deus vero hoc ipsum velle operatur, dum gratia sua causas agere, atque Domini ostendere dignatur, quarum intuitu voluntas ejus ad amandum Deum excitetur. Verbi gratia : Petri apostoli fuit, ut vellet paratus esse cum Domino in mortem et in carcerem ire (*Luc.* XXII), sed hoc ipsum velle operatus fuerat in eo Pater, qui Christum Filium suum in hunc mundum miserat, et huic revelaverat. Et quia Judæis invidentibus atque persequentibus, hic et cæteri apostoli suum velle Deo, sicut jam dictum est, accommodaverant, idcirco quod suum erat, perfecit Deus, mittendo illis Spiritum sanctum, quo accepto Petrus, qui jam velle habuerat, perficere quoque haberet, scilicet ut potenter pro Christo in carcerem et in mortem iret.

CAPUT IX.

Cur proprie Spiritus sanctus procedens dicatur, cum Filius a Deo processerit, sicut ipse ait: « Ego enim a Deo processi et veni. »

Cum et Filius a Patre processerit; sicut ipse Judæis loquitur, dicens: « Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim a Deo processi et veni (*Joan.* VIII), » merito quæritur cur proprie Spiritus sanctus procedens dicatur. Ad quod facilis promptaque patet responsio, quod videlicet, quia Filius semel missus, semel venit redimere mundum per incarnationis mysterium, et sicut omnia per ipsum semel et simul facta sunt, ita et per ipsum omnia semel et simul restaurata sunt. Propter quod non præsenti tempore ait: Ego enim a Deo procedo, sed præterito: « Processi, inquit, et veni. » At vero Spiritus sanctus non semel, neque cuncta simul electorum pectora perlustrat, sed diversis temporibus veniens diversis modis visitat, id est gratiarum divisiones unus idemque Deus ac Dominus varie dispensat (*I Cor.* XII), de cujus sanctificatione ait Filius: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V). » Duplex est enim operatio Dei. Et de alio opere Dei, quod per Filium operatus est, scilicet de creatione omnium, scriptum est: « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (*Eccles.* XVIII). » Idcirco cum de Spiritu sancto loqueretur Filius, dicens: « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, » præsenti tempore ait: « Qui a Patre procedit (*Joan.* XVI). » Et sicut lunæ corpus integrum semel in cœlo formatum est, semper autem beneficio solis, ut ab illo illustretur, indiget, quia lumine proprio non lucet: sic Ecclesia sancta semel in baptismo nata est, sed semper inter præsentis vitæ defectus variosque labores gratia sancti Spiritus visitari ac refici opus habet. Quapropter vultui divinitatis assistere satagit, dum quotidie Creatori suo pro beneficiis ejus gratias agit, verbi gratia, dum in consecratione eucharistiæ dignum et justum esse confitetur, illi semper et ubique gratias agere, cum cœli cœlorumque virtutibus suas quoque voces admitti deprecans, quia per Christum Dominum nostrum et ipsa condita, et per eumdem benedictum qui venit in nomine Domini, redempta est. Hac enim maxime beneficiorum ejus commemoratione vultui Creatoris sui occurrit, et tanquam luna, vero soli faciem cordis objicit, sicque spiritu sanctificationis, et in illis qui forte necdum acceperunt, initiatur, et in illis qui jam acceperunt, per adjectionem muneris perficitur.

Recte igitur Spiritus sanctus qui a Patre procedit, solus procedens dicitur; Filius vero, quia non procedo, sed « processi, ait, et veni, » non procedens, sed genitus, ut vere est, asseritur. Processit enim ante omnia tempora, de corde Patris natus; venit in tempore, ex Maria virgine incarnatus.

122 CAPUT X.

Item unde supra, et quod Spiritus sanctus sit capabilis humanæ animæ, quod est proprium divinæ substantiæ.

Si prudenter verba Domini superius posita advertimus, qui loquens de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: Si quis sitit, inquit, veniat et bibat (*Joan.* VII), etc., veram et perfectam sancti Spiritus divinitatem in his quoque agnoscimus, de qua nunquam aliquid aridus et inanis bibit Macedonius, omnesque alii quicunque blasphemando in Spiritum sanctum æterni delicti rei convincuntur. Quod ut manifestum fiat, primo ponendum est illud, de quo nemo dubitat, scilicet potum hunc non carne, sed spiritu percipi, non ore, sed corde, non palato, sed ratione discerni. Quod autem bibitur, profecto bibentis interiora penetrat, suaque subtilitate capabile, crassiora atque ideo sui capacia complet receptacula. Constat igitur quod Spiritus sanctus humanæ animæ capabilis sit, ejusque penetret interiora, utpote quem illa bibit, id est in interiora suæ substantiæ recipit. At vero hoc divinæ substantiæ proprium est, nihilque aliud humanum vel angelicum potest penetrare spiritum, præter ipsius omniumque creatorem Deum, cui dicitur: « Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum (*Act.* I), » hic, inquam, solus implet animam spiritus. Nam quod homo arreptius dæmone plenus dicitur, non sic accipiendum est, ut malignus spiritus spiritum hominis substantialiter introisse credatur. Uterque enim creatus est, neuter altero adeo subtilior, ut alter alteri capabilis, alteriusque capax sit: sed ita plenus dæmone quis esse potest, quo modo mero aut febri interdum non incongrue plenus dicitur. Quod utique secundum corpus accipitur, quia venas nervosque vel omnes occultos meatus corporis, non etiam animæ substantiam ingressa febris aut ebrietas, habitantem illic in suis sedibus fatigat animam. Igitur Spiritus sanctus Deus est, quia capabilis est humano spiritui, sicut jam dictum est, Christo auctore, qui ad bibendum illum sitientes invitat animas, quo sensu et illud Apostoli accipimus: « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra (*Gal.* IV), » et talia quam plurima.

CAPUT XI.

Item de processione Spiritus sancti in minore vel majore visitatione, juxta illud quod dictum est: « Spiritus ubi vult spirat. »

Cum vero idem spiritus humani cordis circuit profundum, nemo quidem scit, nisi ipse qui accipit. Flumina autem aquæ vivæ consequenter de ventre ejus fluentia (*Joan.* III), qui bibunt, de sapore magnitudinem infusi muneris agnoscunt. Unde Dominus in Evangelio: « Et vocem, inquit, ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat (*ibid.*). » Flumen quippe aquæ vivæ, id est affluentia salutaris doctrinæ, quæ de ventre fluit in Christum credentis, vox est Spiritus ubi vult spirantis, qui ubicunque spiraverit circuiens mentis uterum, fontem aquæ vivæ, id est sensum veritatis efficit, rivumque ejus ad os dirigens, corporea voce induit, et in aures tuas emittit, perque aures ad animam perfert, cui

bibenti saporis qualitas verum perhibet, quia Spiritus sancti vox est, scilicet dum intus in pectore, gratiam multis profuturam in electo vase componit. Siquidem nec ipse qui accipit, scit unde veniat aut quo vadat, licet sciat et sentiat quando venit et quando vadit, peracta visitatione sensibili. « Quasi enim sibilum auræ tenuis, ut ait Gregorius (27), subito percipit, atque hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis conspicit. » Verum per illum in Helia sibilum auræ tenuem frequentior visitatio designatur (*III Reg.* xix), qua divinitatis saporem degustat mens, quoties in contemplationis sublimitate suspenditur. De illa magis visitatione ad præsens pertinet opus, qua longe excellentius tunc mens humana clarificatur, quando ad publicum quis mittendus est, ut ad salutem multorum flumina de ventre ejus fluant aquæ vivæ, vel, ut alibi scriptum est, ut a timore Domini concipiens pariat, et spiritum salutis ejus faciat super terram (*Isa.* xxvi). Quomodo missi sunt patres nostri apostoli, vel apostolici viri, et si qui scribendi officio magis quam accessu vel præsentia corporis vivam nobis aquam emiserunt, quam de hoc fonte Salvatoris, de hujus sancti Spiritus abundantia, feliciter hauserunt (*Isa.* xii). In his magnificentius tunc illud adimpletur, quod in Canticis canticorum dicitur : « Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus (*Cant.* v). » Subito enim, dum nescitur, insilit Spiritus sanctus et quasi per foramen interius animæ claustrum illabitur, intremiscente protinus ad introitum ejus infirmitate humani spiritus, ob insolitum vigorem quem sentit et pondus. At ipse qui illapsus est, primitus familiari dulcedinis suæ blandimento, quasi osculo pavitantem animam consolatur. Deinde secundum opus, ad quod animam illam præparat, exsurgens, verbi gratia, si hoc intendit, ut, sicut dictum est, de ventre ejus fluant aquæ vivæ, id est largiora dogmata vitæ, exsurgens, inquam, circuit animæ uterum, et circumeundo dilatat, brevem prius et angustum mirabili suorum incremento circulorum futurum ejus significans in divina scientia profectum, tanta nonnunquam magnitudine inundans, ac si unum de paradisi fluminibus per dilatatum ejusdem animæ fluat alveum. Interea miratur ipsa suimet amplitudinem, vastumque sinus sui deambulatorium, vere terquaterque beata, quæ sicut scriptum est, « quia dilexit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habet amicum regem (*Prov.* xxii), » videlicet Christum, a quo tale percipit donum. Impleta tandem mensura, quam dare vult hic Spiritus, nam sicut spirat ubi vult (*Joan.* iii), sic et dividit singulis prout vult (*I Cor.* xii), ubi miraculum conquiescit, et anima in seipsam revertitur, tum vero recusare non potest, quin surgat et dilecto aperiat, id est ad doctrinæ ministerium se accingat, et ea quæ clausa sunt Christo corda aperiat semper voce, nonnunquam et litteris, amovere contendens pessulum incredulitatis, et quæ progrediens ad publicum præceptum exsequitur quod Salomon audivit : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide (*Prov.* v). »

CAPUT XII.

De die Pentecostes, quomodo dies quo data est lex, quinquagesimus computetur a die qua in Ægypto agnus immolatus est, cujus solemnitate die Spiritus sanctus datus est.

Primo illud prætereundum non est diem illum, quo data est lex, in cujus rei memoriam solemnitas magna erat Pentecostes, de quo die Spiritus sanctus apostolis datus est, diem, inquam, quo post transitum maris Rubri data est lex filiis in monte Sinai, plane quinquagesimum fuisse ab immolatione paschalis agni. Nonnulli enim, maxime qui computandi **123** scientiæ student, cum legunt quarta decima die mensis primi immolatum fuisse agnum (*Exod.* xii), mense autem tertio, tertia die mensis descendisse Dominum coram omni populo super montem Sinai (*Exod.* xix). Jam enim, inquit Scriptura, advenerat dies tertius, et mane incaluerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua (*ibid.*) etc., cum, inquam, hæc legunt, mirantur et hærent numerum quinquagenarium a quarta decima die mensis primi usque ad tertiam diem mensis tertii non constare probantes. Nam cum Hebræi solos lunares habeant menses, et luna primi mensis undetriginta dies habeat, luna vero secundi triginta, profecto a quarta decima die primi usque ad tertiam diem mensis secundi, non prætermittenda est quæstio, quæ hoc modo solvitur. Tertia quidem die mensis secundi descendit Dominus, ut prædictum est, super montem Sinai, sed vide quid post hæc sequitur : Mosi quoque dixit : « Ascende ad Dominum tu et Aaron (*ibid.*), » etc. « Solusque Moses ascendit ad Dominum, et illi non appropinquabant. » — « Venit ergo Moses et narravit plebi omnia verba Domini atque judicia (*Exod.* xxiv). » Ac deinceps : « Et mane, inquit, consurgens ædificavit altare ad radices montis (*ibid.*). » Et post pauca : « Dixit autem Dominus ad Mosen : Ascende ad me in montem et esto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel (*ibid.*). » Itaque non tertia die mensis, quando Dominus super montem ascendit, sed die quarta, quando tabulas et Scripturam suam dedit, lex data est. Igitur diem datæ legis ab immolatione paschalis agni quinquagesimum exstitisse planum est. Qua die cum datur Spiritus sanctus, mira nobis operum ejus concordia commendatur, de qua sufficienter tractatum est a sanctis doctoribus. Sciendum quoque est quod ex præcepto legis, hi dies quinquaginta, non ab ipsa paschali vespera, qua immolabatur agnus, sed a subsequente prima Sabbati incipiebant numerari. Sic enim scriptum est in Levitico : « Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem. Qui levabit eum coram Domino, ut acceptabilis sit vobis altera die Sabbati, et sanctificabit illum. Numerabitis ergo ab ipso die, in quo obtulistis

(27) S. Greg. Mor. lib. V in cap. iii Job, cap. 36, 66, Patrol. tom. LXXV, édit. Migne.

primitiarum manipulos, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum duos (*Levit.* XXIII), » etc. Itaque a prima Sabbati, quam nos Dominicam diem dicimus, id est transacto magno die paschalis Sabbati, dies quinquaginta incipiebant numerari. At vero Dominus noster illo die resurrexit, corpusque suum vere novarum frugum terræ nostræ fasciculum, verus ipse sacerdos coram Domino Deo Patre suo levavit et sanctificavit. Nihil ergo quæstionis remanet, cur dies ille quo Spiritus sanctus datus est, qui utique a die qua resurrexit, quinquagesimus est, Judæorum quoque fuerit Pentecostes, quia, sicut jam dictum est, non ab ipsa vespera paschali, sed a subsequente prima Sabbati, dies Pentecostes incipiebant computari. Offeramus itaque Domino hac die panes primitiarum duos, id est pro duobus illis gratias agamus beneficiis, scilicet quod uno eodemque spiritu suo et olim veteribus legem ac mandata scripsit in tabulis lapideis, sicut Moses in Deuteronomio ait : « Deditque mihi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei (*Deut.* IX). » Digitus enim Dei Spiritus sanctus est, et nunc novis, id est evangelicis patribus gratiam in tabulis scripsit carnalibus (*II Cor.* III). Solemnemque agamus diem post septem septimanas eminentem et numero suo, id est quinquagenario, jubilæum significantem, id est dimittentem (*Lev.* XXV), quo ab omni debito dimissi, ad antiquam revertemur possessionem, quam perdidimus sub peccato venundati (*Rom.* VII). Nam quomodo post septem hebdomadas festivus hic dies erumpit, sic post mundi circuitum, in quo nunc laboramus, ille dies æternaliter festivus effulgebit, quo jam non laborabimus, sed felici otio compositi solem verum festo diademate coronatum spectabimus, mirabimur, laudabimus. Nunc secundum officium ejusdem diei, de eodem Spiritu sancto, ut cœptum est, prosequamur, epistolam in capite ponentes, qua ejus narratur adventus.

CAPUT XIII.

Quid significavit, quod sonus factus est de cœlo adveniente Spiritu sancto.

Sonus qui adveniente Spiritu sancto repente factus est de cœlo (*Act.* II), signum fuit soni, qui in omnem terram exiturus erat, cœlis illis, quos nunc firmare veniebat enarrantibus gloriam Dei et firmamento constantissimæ fidei illorum annuntiante opera manuum ejus (*Psal.* XVIII), cum magnifico verbi tonitru et miraculorum coruscationibus. Sic enim mox futurum erat, hoc Spiritu per os illorum intonante Christi præconia, ut ad pœnitentiam commoveretur et contremisceret terra, et fundamenta montium, id est corda superborum conturbarentur et commoverentur, audito quoniam iratus est eis (*Psal.* XVII), nisi pœnitentiam egerint. Unde et in Apocalypsim cum accepisset angelus thuribulum et implesset illud de igne altaris, et misisset in terram, « facta sunt tonitrua, et voces et fulgura et terræ motus magnus

A (*Apoc.* VIII). » Nunc ignis ille mittebatur, unde et apparuerunt apostolis dispartitæ linguæ tanquam ignis, ille, inquam, ignis mittebatur in terram quo Angelus ille magni consilii, dudum impleverat aureum thuribulum immaculati corporis sui, et nunc assumptus in cœlo agebat quod dixerat : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? » (*Luc.* XII.)

CAPUT XIV.

Cur Spiritus sanctus, cujus natura est invisibilis, visibilem foris ignem ostendit.

Quod vero foris quoque visibilis ostensus est ignis qui utique non erat ipsa, quæ invisibilis est, substantia Spiritus sancti, quod, inquam, ignis visibilis ostensus est, signum nobis fuit divinæ ejus operationis,
B ut per effectus, quos novimus, hujus nostri ignis, intelligamus quid hic ignis, hic Deus, hic Spiritus sanctus operetur in nobis. Est autem multiplex in rerum visibilium natura, visibilis ignis commoditas. Cœlum in sole et luna sideribusque miris ornatibus illustrat; terram autem non solum fuso desuper lumine lætificat, sed et beneficio caloris ad gignendum provocat, et sinu ejus recepta nutrit semina. Præterea de silicum venis exceptus, et competentibus alimentis enutritus, noctem nobis alleviat, absentemque diem lux agit æmula et innumera mortalibus præstat commoda, quibus vitæ præsentis juvatur inopia. Adde quod tunc temporis ex jussu Domini semper ardebat in altari, sacerdote jugiter ligna subjiciente, quodque consumebat holocaustum, quodque sacrificium sic dicebatur, eo quod esset
C totum incensum (*Lev.* VI; *Num.* XXVIII). Sed inter cætera naturalia præclarum hoc habet ignis, quod divisus in partes, mutuati non sentit detrimenta luminis, horum omnium significationes referri ad Spiritum sanctum, **124** et opera ejus, his qualitatibus assimilari noverunt, quia Scripturas legunt. Igitur quod in igne Spiritus sanctus ostensus est, signum fuit, non sibi sed nobis, quibus divina majestas eis ab initio signis loqui consuevit.

CAPUT XV.

Cur cum Patris et Filii et Spiritus sancti una sit substantia, magis Spiritus sanctus dicatur ignis.

Nec illud omittendum est, cur cum una sit substantia Patris et Filii et Spiritus sancti, magis et pene sola persona sancti Spiritus appelletur ignis, et
D nonnunquam ignis Domini, ut ibi : « In igne enim Domini devorabitur omnis terra (*Soph.* I). » Quod tamen mirum non videbitur, si ad memoriam revoces quia proprie et naturaliter amor est iste Spiritus. Amor, inquam, vel charitas, qua Pater Filium vel Filius diligit Patrem, Spiritus sanctus est, qui et bonitas utriusque dicitur et est. « Nam si quæras, inquit Augustinus, quis omnia fecit, respondeo : Deus. Si quæras per quid? per Verbum suum. Si quæras, quare? quia bonus est, omnia fecit. Et hæc Trinitas unus est Deus. » Itaque amor Dei Spiritus sanctus est. Amor autem tam spiritualis quam carnalis revera ignis dicitur et est, adeo sensibiliter

calens ut nemo amantium calorem ejus nesciat. Sed cum Deo consubstantialis amor suus sit, sic eodem amore suo Deus ignitus est, ut sine distinctione personarum dicatur Deus, et sit invisibilis atque incorporeus ignis, juxta illud Apostoli : « Etenim Deus noster ignis consumens est (*Hebr.* XII). » Verumtamen ubi personarum distinctione opus est, cum quid cujusque personæ sit proprium distinguimus, sicut Deum Patrem, vitam in se immortaliter viventem, Filiumque ejus dicimus veram et incommutabilem sapientiam, per quam universam condidit creaturam, sic Spiritum sanctum dicimus amorem ejus, per quem concupiscit rationabilem et inhabitare appetit creaturam. Qui amor quasi ignis, imo ut vere ignis ad eamdem appositam sibi tendit rationalem creaturam, sicut ignis visibilis semper in appositam tendit competentem sibi materiam. At illo igne, quæ conflatur, consumitur creatura sicut hoc igne visibili non consumuntur ligna fenum, stipula, sed quemadmodum aurum et argentum hoc igne liquescunt, neque consumuntur, sed persistunt et puriora sunt, sic illo igne, illo, ut ait Isaias, camino, qui est Hierusalem (*Isa.* XXXI). Beata rationalis creatura, inconsumptibiliter liquescit in incendio hujus amoris, in torrente hujus voluptatis semper pura, semper liquida, semper ardens amore, semper fruens Deo amatore, desiderando non indigens, fruendo non fastidiens.

CAPUT XVI.

Cur ita Spiritus sanctus in igne apparuit, ut de eodem igne linguas quoque formare dignatus sit.

Cum igitur constet recte Spiritum sanctum in igne apparuisse (*Exod.* III ; *Act.* II), eo quod hic Deus noster ignis consumens sit (*Deut.* IV ; *Hebr.* XII), quæritur et illud, cur sic in igne apparuerit, ut ex eodem igne linguas formare dignatus sit. Sed et hoc signo magnifice nobis ejusdem Spiritus sancti commendatur operatio. Spiritus enim coæternus Patri et Filio per linguam, quæ maximam habet cognationem cum verbo, non solum hoc expressit, quod ejusdem sit substantiæ, cum eodem Dei Verbo, sed et hoc, quod per ipsum Deus Pater suum nobis eloquatur Verbum, sicut ipse in psalmo dicit : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV). » Namque ut adverteremus, hunc eumdem Spiritum per illum psalmi versiculum exprimi, ipse qui incarnationem Filii Dei operatus est, cujus incarnationis ille psalmus epithalamium est, ipse, inquam, qui Verbum bonum de corde Patris eructatum, in uterum Virginis humanæ naturæ univit, nunc in lingua Spiritus sanctus apparuit, ut idem ipsum Verbum mentibus apostolorum inscriberet, sic quoque comparandus calamo scribæ velociter scribentis. Quapropter congrue versus hic lingua mea, cum præcedenti, eructavit cor meum, in officiis quoque cantatur apostolorum, quod tamen frequentius est in officiis Virginum. Et recte, quia Verbum hoc in sinum virginitatis plenius atque excellentius eructatum est, videlicet ita, ut inde carnem assumeret : in cordibus autem apostolorum ita ut inde voce corporea sumpta, nobis audibile et intelligibile fieret. Igitur quia Spiritus sanctus illa Dei Patris lingua est, quæ, velut calamo scribæ velociter scribentis, bonum Verbum suum humanæ naturæ velociter, ut voluit, totum inscripsit, dicens opera sua regi, id est assumpto homini, ut idem omnino, quod ipse operari sciat et possit, recte super apostolos ostensus est in lingua, quibus ejusdem Verbi et incarnationis ejus notitiam, ut eloquenter prædicare secundum Scripturas homines hactenus idiotæ scirent, eadem calami velocitate inscribere veniebat.

Per hoc maxime consonat et cohæret Evangelio, quoniam impletum est hic quod dicitur illic : « Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis (*Joan.* XIV). » Ecce enim missus statim doctorem illum se profitetur, qui juxta promissum sponsi in morte agonizantis, Paracletus, id est consolator, filiis ejus orphanis advenerit. Doctorem, inquam, qui illos doceat omnia, se hoc signo profitetur, dum ostenditur in lingua, simulque omnium edocet gentium loquelas, ut omnibus eloquerentur hominibus, ea de quibus soli docebantur interius, Dei magnalia.

CAPUT XVII.

Quod non, ut quidam opinantur, apostoli uno tantum, id est Herbræa lingua, loquebantur, ita ut cuique genti sua videretur, quod miraculum, ut ait Beda, non loquentium esset, sed audientium.

Et non (sicut suspicantur nonnulli) sic in illorum vocibus omnes loquelæ atque sermones audiebantur ut tamen una tantum lingua, scilicet Hebræa loquerentur : sed uniuscujusque nationis homini sua lingua videretur quod, ut ait Beda, miraculum non loquentium esset, sed audientium, id est non illis qui loquebantur erat vera virtus, sed in audientium auribus prodigium, imo error, id est non rei existentis erat sensus. Non, inquam, sic egit ille Spiritus veritatis, nec sic opinatur de illo quicunque prudenter discernit quid doceat magistrum illum, qui omnem veritatem docere venit (*Joan.* XVI). Superest enim ut scripta quoque illorum quæ dispersi per mundum universum, diversarum linguarum hominibus mittebant isti unius tantum, id est Hebraicæ linguæ litteris eos asserant scripsisse, omnemque hominem, cujusque linguæ, unicunque vidisset Hebraicos **125** illorum apices, eodem miraculo suæ linguæ Scripturam æstimavisse : Quod valde ridiculum est : Saltem nos Latinos excipiant. Nam de nobis certum habemus quia Scripturas, quas Hebraice aut Græce conscripserunt, absque translatoribus legere nequimus. Illud quoque consequens est ut quacumque ipsi linguam audirent, putarent Hebræam, quamcunque viderent Scripturam, existimarent esse Hebraicam. Quod nimis frivolum, ut dictum est, ineptumque et erroneum, sanctoque Spiritui pro-

batur indignum per omnia. Nec difficile est, hanc præsumptuosam suspicionem, Scripturæ quoque auctoritate explodere: « Et repleti sunt, inquit, omnes Spiritu sancto et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II). »— « Cœperunt loqui variis linguis, ut Spiritus sanctus dabat eloqui illis, » Scripturæ verba sunt, quibus omnino repugnat id quod prædicta suspicio conjectat. Loquebantur ergo, nec falso videbantur loqui, dabatque vere Spiritus sanctus eloqui illis: verum, novum hoc canticum, ut canimus ponens sanctificationis signum, ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum. Novum, inquam, signum: Significabat enim quod Ecclesia Deum, hactenus notum sibi in sola Judæa (*Psal.* LXXV), linguis omnium gentium deinceps esset locutura. Ita vero signum fuit, ut causa quoque efficiens, principiumque esset futuræ rei. Nam quomodo gentium magistri fierent nisi per scientiam linguarum copiam habuissent conferendi cum eis sermonem: Quomodo, inquam, saltem respondissemus: Amen, super benedictionem illorum, cum quid dicerent, nesciremus? (*Cor.* XIV.) Turrim isti ædificaturi erant, nunc tempore accepto et divino, turrim, inquam, cujus cacumen cœlos tangeret (*Gen.* V), per quam futurum quisque metuens judicium, in cœlum fugere posset. At illi, qui olim absque Dei magisterio, soloque humano opere, superbia duce turrim sibi exstruere voluerunt, per quam ascenderent in cœlum, facta confusione linguarum, cum prius esset terra labii unius et sermonum eorumdem, divisi contra se, ac dispersi sunt (*Gen.* VI). Igitur nunc, quando Dei consilio turris corporis Christi, quod est Ecclesiæ, de vivis et electis lapidibus per universum mundum rite et ordinate construitur (*I Petr.* II), recte omnes linguæ ad horum artificum ora revocantur, nec sicut ibi, cum quis posceret lapidem, alius offerebat bitumen, cum peteret aquam, porrigebat trullam; ita hic, cum structores nostri annuntiarent pacem, nos suspicaremur bellum, cum prædicarent regnum Dei, nos putaremus gloriam mundi.

CAPUT XVIII.

Quam congrue Spiritus sanctus in apostolos hora tertia advenerit.

Opportune Spiritus sanctus omnium arbiter sacramentorum, hora tertia super apostolos adveniens, vivificis eamdem horam dedicavit mysteriis, qua homines adhuc sobrii et carnalibus cibis adhuc jejunii, primum quærere debent regnum Dei. Nam quia Dominus noster, qua nocte tradebatur, post typicam agni cœnam, sacram corporis et sanguinis sui tradidit Eucharistiam (*I Cor.* XI), forte parum aut nihil referre arbitraremur utrum pransi an jejuni ad illud vitæ epulum accederemus. At illi ratione et articulo temporis agebatur, ut tali hora sacramentum illud condere non moraretur. Ratione: quia non ante consummationem veteris, inchoandus erat ordo novi sacrificii: articulo temporis, quia statim capiendus, et ad passionem ducendus, aliud non habebat spatium, ut ante mortem suam hoc hæredibus suis conscriberet testamentum. Unde cum illis, tradens sanguinis sui calicem, dixisset: « Bibite ex hoc omnes: hic est enim calix sanguinis mei (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXIV), » etc. statim addidit: « Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei (*ibid.*). » Et quidem cum in regno Patris, id est, cum jam factus immortalis, post resurrectionem suam cum discipulis suis manducavit et bibit (*Joan.* XXVI): potuit tunc primum tradere illis corpus suum, et calicem novi et æterni testamenti, sed nunc magis ordinate egit, quia testamentum ratum non fuit nisi, ut ait Apostolus, mors intervenerit testatoris (*Hebr.* IX). Igitur Spiritus sanctus qui hujus et omnium sacramentorum auctor et virtus est, congrue hora tertia dari dignatus est, ut tempus ostenderet, quo sua quoque sacramento dari vel celebrari magis conveniret. Unde recte universalis Ecclesiæ conventus, magis hac hora, nisi forte dies jejunii sit, congregari consuevit, et dicta hora tertia, quæ cæteris illustrior est, ob honorem ejusdem Spiritus sancti solemnia missarum celebrari astantibus choris, cum psallentio communi. Nec cuiquam hæc divina traduntur mysteria post cibum corporis, nisi urgeat ea, quæ retardari non potest, instantis necessitas mortis.

CAPUT XIX.

Quod signa prædicta Spiritus sanctus visibiliter quidem ostendit, sed invisibilis invisibiliter operatus est, et intrinsecus operatus corda replevit.

Et hæc quidem quæ dicta sunt extrinsecus visa vel audita sunt; intrinsecus autem omnis erit gloria, cujus hæc deforis apparentia signa fuerunt. Intus enim beati apostoli mundo corde Deum videbunt animarum suarum secreta magna cum majestate subeuntem, suamque fortitudinem largiflua dulcedine temperantem, ut adhuc fragilia mortalium hominum pectora, non tam miraculo potentiæ terreret quam intimo sensu gratiæ lætificaret. Ibi enim erat, de quo dictum est: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » Item: « Spiritus enim meus super mel dulcis (*Eccl.* XXIV). » Item: « Et vinum lætificat cor hominis (*Psal.* CIII). » De quo et Judæi, quasi divinantes « Musto, aiunt, pleni sunt isti (*Act.* II). » Ibi, inquam, id est in novos utres cordium, missum erat fervidum divinæ substantiæ mustum (*Matth.* IX). Spiritus sanctus, sicut ait illis, promittens eum Dominus Christus: « Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit (*Joan.* XIV). »

CAPUT XX.

Quod non eo minor sit Spiritus sanctus, quia capabilis est humano spiritui, cum idem de Patre et Filio debeat intelligi.

In vobis, inquit, erit: Capabilis enim, ut superius jam dictum est, humano vel angelico spiritui. Spiritus sanctus est. Quod cum sufficere possit ad probandam ejusdem veram divinitatem, quidam

hæreticorum in suæ potius perfidiæ verterunt argumentum. Dicentes enim Patre Filium esse minorem, Spiritumque quoque Filio minorem huic asserere voluerunt quod in nobis sit, atque hominum patiatur contagia animarum. Sed hoc dicendo, peccatores erraverunt, et falsa locuti sunt (*Psal.* LVII). Consequitur enim eos, ut nec Patrem nec Filium confiteantur esse Deum. Paria namque, imo **126** eadem dicta sunt, sicut exempli gratia, hodiernum probat Evangelium. Ubi enim dixisset Filius : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV), protinus adjecit : *Et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*ibid.*). Igitur cum Spiritum sanctum negant esse Deum, eo quod dictum sit, *apud vos manebit in vobis erit* (*ibid.*), consequitur, ut nec Patrem nec Filium fateantur esse Deum, eo quod de Patre et de se dicat Filius : *Veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Sed his explosis, et cum fumo suo, quod de puteo abyssi tanquam locustæ exierunt eventilatis (*Apoc.* IX), hoc potius in argumentum veritatis catholica fides arripit Deum esse Spiritum sanctum comprobans, eo quod humano spiritui capabilis sit ; quod proprium divinæ est substantiæ, sancto Spiritui cum Patre et Filio commune, qui unus et solus Deus nullius capax, suæque creaturæ rationali capabilis est.

CAPUT XXI.

Quod licet apostolis dictum sit de Spiritu sancto, quia apud vos manebit, proprium tamen Filii Dei signum fuerit, quod dictum est Joanni : « Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam et manentem in eo. »

Sciendum vero quia in eo quod ait Dominus discipulis de Spiritu sancto, *apud vos manebit et in vobis erit* (*Joan.* XIV). longe differentem modum mansionis, ratio cogit accipi ab eo quod in unigenito Dei Filio idem Spiritus mansit, de quo dictum est: « Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in eo, his est qui baptizat (*Joan.* I). »

Quæ manendi differentia si recte animadversa fuerit, simul et illud clarebit ; cur cum tota Trinitas apud dilectorem suum mansionem faciat, sæpius et quasi singulariter hoc de Spiritu sancto Scriptura sacra contineat.

Manere Spiritum sanctum in creatura sua, duobus modis accipimus. Unus quidem modus est manendi, cum illa creatrix substantia, per seipsam creaturæ replens substantiam, semper inhabitat, quod de beatis angelis sanctorumque hominum spiritibus, qui jam cum Deo sunt, carne soluti, non est dubitandum. De his autem, qui adhuc in carne mortali sunt, non idem est arbitrandum, quia, quandiu « corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX), » multis varietatibus subjacet, et nunc quidem dilatato corde, si valde perfecti sunt, visitationem illam merentur : quæ, ut ait Gregorius, significatur in Elia per tenuem auræ sibilum, virtutemque resumunt, ut idem Elias, cui post eumdem sibilum regna vertit, reges alios ungens, prophetamque Elisæum (*III Reg.* XIX), nunc deficiente animo trepidant, ut idem ipse, qui paulo ante verbo cœlum clauserat, et nunc propter verba mulieris per deserta fugiebat. Alius vero manendi modus est, cum per fidem inhabitare incipiens, Ecclesiam suam nunquam in infidelitate derelinquit, vel cætera charismatum dona semel tribuens, postea nunquam subtrahit. Verbi gratia : Paulo apostolo datam sapientiam non sic per tempora distinxit, ut nunc affluente dono sapiens, nunc relabente fieret insipiens. Et de hoc quidem modo dicit : « Non te deseram neque derelinquam (*Hebr.* XIII) » De modo autem supradicto : « Averte, inquit, oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt (*Cant.* VI). » Itemque de hoc modo scriptum est : « Quia quatuor animalia incedentia non revertebantur, sed unumquodque ibat ante faciem suam (*Ezech.* I), » id est, in proposito suo permanebat. De modo autem supradicto : « Ibant, inquit, et revertebantur in similitudine fulguris coruscantis (*ibid.*). » Nec quisquam mortalium exstitit, in quo hic Spiritus, qui divini amoris substantia est, æterna statione requiesceret, præter illum virum unum, quem septem mulieres, id est septem hujus spiritus gratiæ, simul apprehenderunt, semperque tenuerunt (*Isa.* IV) ; propter quod et dictum est : « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem in eo (*Joan.* I), » non quod tunc primum in illum Spiritus descenderit, quippe qui totam plenitudinem in se corporaliter habitantem ab ipsa conceptione habuit (*Col.* II). sicut scriptum est quia « sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX), » id est sapientia Dei Patris in ædificatione vel conceptione sui corporis statim septem Spiritus sui gratias adhibuit, sed fidei præcursori et testi ejus signum opportunum datum est, ut sciret, quale de illo testimonium perhibere deberet. Secundum fidem autem et cætera charismatum dona singulis, prout vult, ipsis divisa, semper, ut dictum est, in Ecclesia sua Spiritus sanctus habitabat. Quæ dona, quia proprie sancti Spiritus opera sunt, idcirco sæpius et quasi singulariter, ut supradictum est, mansionem sancti Spiritus in nobis Scriptura sacra commendat, cum tota Trinitas capabilis sit, et mansionem sibi in nobis faciat quia nunc in nobis peregrinantibus per illa dona sua Spiritus sanctus inhabitat, in futuro autem æternis complexibus ipsa Trinitatis inhabitabit substantia.

CAPUT XXII.

Quod ubique esse nonnisi Deus possit, unde Spiritu Domini, qui replevit orbem terrarum, Deus est.

Nihilominus et per hoc quod cantamus ad introitum : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I), divinam ejus Ecclesia catholica prædicat potentiam. Quis enim nisi Deus hic esset, divisis apostolis per orbem terrarum, quomodo uno et eodem tempore posset omnibus adesse ? Verbi gratia : Thomæ in

India, Petro vel Paulo Romæ; imo cum per annos singulos, tam Sabbato sancto Pentecostes quam Sabbato Paschæ, baptismi sacramenta sancta celebrat Ecclesia, quod absque sancto Spiritu nullam noscitur virtutem habere, quomodo in toto orbe terrarum, quo jam Ecclesia diffusa est, posset adesse, ut in fontes plenitudo ejus ubique descenderet, ubique spiritualis equitatus Pharaonis, id est peccatorum omnium turbas, fluctibus operiret? Sic enim orbem terrarum illum replere dicimus, ut Ecclesiam universam, quæ per orbem terrarum diffusa intelligere debeamus. Mundi enim elementis vel corporibus inanimatis divinitas non capitur, sed sanctam Ecclesiam ubique replere recte creditur. Quodque magis dignum verumque divinæ majestatis ejus est signum, ipsum ejusdem Ecclesiæ caput implet, sicut scriptum est: « Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane (*Luc.* IV). » Divinam igitur ejus ubique testamur esse præsentiam, cantando in introitu: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, jam dicto sensu hujus enumerationis illud respiciente, quod Ecclesiam adhuc parvulam, sed toto orbe terrarum diffundendam, id est Christi discipulos replevit, progenitis in ore eorum pro signo universis orbis terrarum linguis. Quod vero sequitur: *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (*Sap.* I). Cur Sapientia dixerit, manifestum est, ex eo quod addidit: « Propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere (*ibid.*); » vel quod præmisit: « Et non liberabit maledictum a labiis suis, quoniam renum illius 127 testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguæ illius auditor (*ibid.*). » Per quæ constat sic esse dictum, *scientiam habet vocis*, ac si dixisset, novit qua mente quisque loquatur. Verumtamen in ratione præsentis officii scientiam linguarum respicit, quarum diversitatem dando fidelibus suis magnifice probavit, scientiam se habere omnium, per quæ potest vox humana variari.

CAPUT XXIII.

Quod sancti Spiritus effusio, totius sit divini operis confirmatio.

Bene supradicto sancti Spiritus operi congruit hæc offerenda: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis* (*Psal.* LXVII). Nam ut noverimus, quia Spiritus sancti effusio totius divinitatis confirmatio sit, hoc primo dicendum est quid ante adventum ejusdem sancti Spiritus in apostolis suis Dominus operatus sit; fidem utique in illis operatus est, quæ ex ore Petri pro omnibus sonuit: « Tu es Christus, Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » Sed hæc quam infirma fuerit, antequam Spiritus sanctus adveniret, cunctis liquet scientibus quia Petrus, idem apostolorum princeps, unius ancillæ voce territus, illum quem, ut jam dictum est, Christum Filium Dei vivi confessus fuerat, se nosse negavit (*Luc.* XXII). Ubi vero Spiritus hujus donum accepit, nec Romani principis imperium timuit, sed usque ad mortem confitens, eadem morte sua Christum clarificavit. Fidem igitur Spiritus sanctus in apostolis confirmavit, atque ideo bene, ut dictum est, in offerenda canimus: *Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis*, ut per eumdem Spiritum fides eadem in nobis confirmetur, subjungentes, *a templo tuo, quod est in Hierusalem* (*Psal.* LXVII), id est ab Ecclesia apostolica, quæ utique cœpit ab Hierusalem (*Joan.* XXI), id est, a Judæa, sicut alibi loquitur ipse Dominus: « Quia salus ex Judæis est (*Joan.* IV) » Per eumdem, inquam, Spiritum confirmari poscimus, quia præter hunc quidquid credimus, quidquid baptizamur, quidquid molimur, infirmum et vacuum esse comprobatur. Nam et cœli, scilicet ordines supernorum spirituum, in eo quidem firmati sunt Verbo Domini, ut in sua natura rationales essent et æterni et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum firmata est (*Psal.* XXXII), qua in similitudine Dei, id est in sanctitate persistunt. Unde alibi scriptum est: « Spiritus ejus ornavit cœlos (*Job* XXVI). »

In reliquis præsentis hebdomadæ officiis, cum pene omnia sancti Spiritus nomen personent et gratiam, sola possunt Evangelia facere quæstionem, quid ad adventus ejus pertineant solemnitatem. Quapropter de illis breviter aliquid dicendum est, ad hoc duntaxat ut eorum, cum singulis officiis quibus deputata sunt, appareat concordia.

CAPUT XXIV.

De officio secundæ feriæ.

Feria secunda legitur hoc Evangelium: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III), etc. Hoc quod dictum est, non quidem per se citius liquet quid ad præsentem pertinet solemnitatem, sed quæ præmittitur lectio Actuum apostolorum considerata, confestim quasi luminis radius causam ejus elucidat. *Loquente*, inquit, *Petro, cecidit Spiritus sanctus super gentiles qui audiebant Verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia in nationes gratia Spiritus sancti effusa est* (*Act.* X), etc. Idcirco namque prædictum Evangelium cum hac ponitur lectione Actuum apostolorum, ut comprobetur hoc opus Spiritus sancti quo « gentibus pœnitentiam ad vitam dedit (*Act.* XI), » non esse factum mutabilitate consilii, cum Filius antequam pateretur, idem voluerit, licet per seipsum tunc gentibus prædicare noluerit, imo discipulos mittens dixit eis: « In viam gentium ne abieritis (*Matth.* X). » Nam quod hic ait Petrus: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* X). Hoc in Evangelio testatur Filius Dei, dicens missum se esse, non ad judicium, sed ad salutem totium mundi (*Joan.* XII), et subjungens, absque distinctione Judæi atque gentilis: *ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, et cætera quæ sequuntur. Adeo nihil quidem per se gentibus prædicavit Christus, sed de illarum salute suique apud illas glorificatione multa prædixit. Sic Isaac nihil quidem per

seipsum juniori filio suo Jacob de afferendis sibimet cibis mandavit, sed per concorporalem illi Rebeccam Jacob subintroductus est, cum ille benedictionem Esau primogenito suo dare disponeret (*Gen.* XXVII). Nam Isaac Christum, Esau populum Judaicum, Jacob gentilem, Rebecca mater significat sancti Spiritus gratiam. Rebecca namque consulente, id est sancto Spiritu consilii providente, junior ille filius, scilicet gentium populus, ingreditur ad Isaac, videlicet ad Christum, tardante foris Esau, et occupat in venationibus, id est, priori populo intento cæremoniis carnalibus. Ingreditur, inquam junior populus cum observatione decem mandatorum legis, quæ tradita sunt populo priori, et scientia legis et prophetarum perornatur, velut ille Jacob a matre indutus est valde bonis vestibus Esau, habens circa manus collumque pelliculas hædorum, id est apertam proferens confessionem peccatorum, cibosque offerens, id est fidem, « quæ operatur per dilectionem (*Gal.* V), » eamdem præripit benedictionem, quæ in apostolos descendit, sicut audivimus in supradicta lectione : *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et erant loquentes linguis et magnificantes Deum.*

Magnitudinem tantæ benedictionis hic introitus innuit : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* (*Psal.* LXXX). Per hoc enim felicitas gentium innuitur, quæ per Spiritum sanctum, interiorem sacræ Scripturæ tanquam homines rationales, percipiunt medullam, cum Judæi carnales tantum exteriorem, ut irrationalia pecora, sectentur paleam. Sermo namque divinus frumentum est, in quo litteræ superficies palea ; sensus vero spiritualis, qui a nobis quæritur, medulla est. Unde liquet quod Spiritus sanctus quasi pinguedo divinæ substantiæ sit, de quo in psalmo dicitur : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII), quia videlicet ejus inspiratio Verbi Dei pinguedinem nostris animabus inserit. Cibavit, inquam, Ecclesiam de gentibus ex adipe frumenti, ut dictum est. Saturavit etiam eos melle fluente de petra, id est doctrina et sapientia et solutione arcanorum, quæ processerunt de Domino Jesu, « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Col.* II). » Propter quod de eodem Spiritu in communione dicitur : *Spiritus sanctus docebit vos, quæcunque dixero vobis* (*Joan.* XIV). Offerenda *Intonuit* (*Psal.* XVII), non dubie ad hoc ipsum congruit, quia per Spiritum sanctum apparuerunt fontes aquarum (*ibid.*), id est intellectæ sunt Scripturæ prophetarum.

128 CAPUT XXV.

Quod Spiritus sanctus extra catholicam non datur Ecclesiam.

In officio tertiæ feriæ prædicatur nobis extra catholicam Ecclesiam non posse dari Spiritum sanctum solisque apostolicæ fidei præsulibus esse datum, ut per impositionem manus ipsorum hi qui confirmandi vel ordinandi accedunt, accipiant ejusdem Spiritus sancti donum. Sic enim habet, quæ in hoc officio posita est lectio Actuum apostolorum : *Cum audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Nondum enim in quemquam illorum venerat Spiritus sanctus, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant illis manus, et accipiebant Spiritum sanctum* (*Act.* VIII). Et ut sciamus nonnisi per apostolicæ fidei januam intrare debere in sanctam Ecclesiam, nec aliter accipi Spiritus sancti gratiam, congrue lectioni huic conjungitur hoc Evangelium, in quo Dominus ait : *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ille est fur et latro* (*Joan.* X), etc. Passim per libros Patrum sententiæ reperiuntur, quibus confirmatur talium sacramenta speciem quidem pietatis habere, virtutem autem ejus abnegare (*II Tim.* III), quomodo palmes cum fuerat abscissus de vite, palmes quidem est, sed jam fructificare non potest (*Joan.* XV) ; et manus cum abscissa fuerit de corpore, manus quidem est, sed corporis vitam sensumque in se retinere non potest. Quapropter cum baptizati a talibus, ad catholicam revertuntur Ecclesiam, non quidem repetitur in illis lavacrum carnis, siquidem baptizati sunt in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti : multæ quippe hæreses sic quoque baptizant ; sed per impositionem manuum accipiunt Spirituum sanctum, quem foris, ut dictum est, accipere non poterant. Hoc igitur, ut supradictum est, officio declamatur foris non dari Spiritum sanctum, sed intus per episcopos, quorum est manus imponere ex successione apostolorum, quorum et illa vox est, in introitu, manus imponentium et dicentium. *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit.* Quod de apostolicis sumptum epistolis, parce a littera detortum est. Nam pro eo quod Dominus ait : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX), » isti verecunde utentes ejus vice dicunt : *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ.* Siquidem Paulus ad Corinthios scribens, qui ab ejusmodi furibus et latronibus, quos in supradicto Evangelio Dominus percutit, multifarie subversi fuerant, id est a pseudoapostolis, « quia gloria vestra sumus, » ait (*II Cor.* I). Et in alio loco : « Gratias, inquit, agentes Deo (*Ephes.* V), » etc. Catholicorum quippe atque orthodoxorum gloria est, quod per ostium intraverunt ovile ovium, id est per fidem illorum, qui non suam, ut hæretici, sed Dei gloriam in Spiritu sancto quærant. Unde et in communione canimus : « Spiritus qui a Patre procedit, ille me clarificabit. » Quod idem est ac si dixisset : Spiritum, qui a Patre procedit, quicunque dabunt vel accipient, non suam sed Dei gloriam vel glorificationem quærent. In offerenda quoque : *Portas cœli aperuit Dominus* (*Psal.* LXXVII), donum Sancti Spiritus prædicatur, quo Scripturæ sacræ apostolis, et per apostolos nobis apertæ sunt, ut *manna* Verbi Dei plueret nobis Dominus *in abundantia* (*ibid.*), quorum auctoritate Ecclesia catholica ab

insurgentibus in se hæreticis exaltatur, sicut in sequenti versu canimus.

CAPUT XXVI.

Quod jejunium æstatis ipsa Pentecostes hebdomada celebrandum sit.

In officio quartæ feriæ prædicamus eam quæ per Spiritum sanctum data est Ecclesiæ multiplicem scientiam, consonantibus maxime his quæ jejunio deputatæ sunt evangelicis ac propheticis lectionibus. Illæ namque lectiones trium dierum jejunii magis consonant officiorum partibus reliquis, non solum sensu, sed interdum et littera, ut ille introitus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* v), qui de lectione Epistolæ, quæ jejunio deputatur, sumptus est. Unde satis ecclesiastice, et hoc Romana censet auctoritas, ut semper in hac sacra Pentecostes B hebdomada, sive tardius, sive temperius termini occurrant, jejuniorum celebretur solemnitas, quod ab antiquis quoque præfinitum esse apostolicis non dubia testantur ipsorum scripta. Non enim ab illis tradita est nova hæc allegoria, secundum quam visum est quibusdam nostrorum a prima hebdomada Martii tres observare hebdomadarum τεσσαρακαιδεκάδας, usque ad natale Domini, ad similitudinem trium τεσσαρακαιδεκάδων, quas Matthæus in Christi generatione contexuit. Sed quia primum jejunium veris, secundum æstatis est, et terminus Quadragesimæ nunquam ante veris initium. Pentecostes vero nunquam ante æstatis occurrit introitum ; placuit jure venerandæ matri Romanæ Ecclesiæ, in prima quadragesimæ hebdomada, et in ipsa Pentecostes solem- C nitate, jejuniorum eorumdem officia præfigere, nec unquam propter velocitatem, aut tarditatem terminorum eadem confundere. Nec vero contristat, aut obscurat, sed magis illustrat observantia jejuniorum, illam de adventu sanctis Spiritus solemnitatem ; quippe quia deliciæ sancti Spiritus, deliciarum carnalium fastidium important electorum mentibus, et quia sponsus ablatus est, jejunandum est filiis ejus (*Matth.* ix), hoc Spiritu sancto Paracleto, sic suam dispensante gratiam et consolationem, ut delectentur gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* viii), « gementes ut columbæ (*Nahum.* ii), » gemitumque pro cantu habentes. Igitur hæc officia secundum jejunium, quomodo suis in partibus consonet, breviter est aperiendum.

CAPUT XXVII.

De officio quartæ feriæ. Multiplicem Ecclesiæ scientiam per Spiritum sanctum esse datam.

Primo officium quartæ feriæ, multiplicem, ut supradictum est, prædicat Ecclesiæ scientiam. Qui, juxta quod ait Daniel, « pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia (*Dan.* xii) : » studio virorum illustrium, qui Spiritu sancto illuminati sunt, de libris Mosi paucisque prophetarum scriptis tanta crevit copia librorum, ut non legentes, tanquam lassi convivæ, plura relinquentes, videamur absistere. Hoc mystice sanctum nobis innuit Evangelium de quinque panibus et duobus piscibus satiatis quin- A que millibus hominum, et duodecim cophini ex fragmentis impleti sunt (*Joan.* vi). Aucti sunt enim Domini benedictione, sancti Spiritus effusionem significante : quo dato, lex et prophetæ inter studia tractantium, sicut illi panes inter ora comedentium multiplicati sunt. De quo Spiritu in lectione prima dicit Sapientia quia « Spiritus Domini replevit orbem terrarum (*Sap.* i), » etc. Et Isaias in lectione secunda : « Noli timere, serve meus Jacob, et Rectissime, quem elegi. Effundam enim **129** aquam supersitientem, et fluenta super aridam (*Isa.* xliv). » Et exponens qui dixerit : *effundam*, inquit, *spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super generationem tuam* (*ibid.*). His consone præcinit introitus : *Deus, cum egredereris coram populo tuo, iter faciens eis, habitans in illis* (*Psal.* lxvii). Hic siquidem particulatim de psalmo quinquagesimo septimo decimo sumptus est ; qui psalmus totus de exaltatione Christi et Ecclesiæ glorificatione compositus est. Nam per prædictam scientiam, et cætera charismata Spiritus sancti egressus est Deus, id est notus factus est in conspectu populi Christiani, prosperum iter faciens eis (*ibid.*), remotis videlicet pristinis errorum laqueis. Et quia prædicti doctores sancti quorum et illa vox esse potest in offerenda : *Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi valde* (*Psal.* cxviii), qui meditando diligenter sacras exposuerunt Scripturas, idipsum dicunt omnes, et non sunt in eis schismata (*I Cor.* i), bene in communione recitatur eis illud Domini dictum, quod amplectuntur ipsi : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* xiv).

CAPUT XXVIII.

De officio sextæ feriæ Synagogam per fidem esse resuscitandam.

Feria sexta pulchro et mirabili mysterio significatur in Evangelio nobis illud quod futurum de Synagoga speramus, videlicet quod tandem per fidem Christi suscitanda sit, quæ nunc per invidiam mortua est, ex quo Spiritus sancti gratia venientem de gentibus Ecclesiam suscepit. Mulier namque, quæ fluxu sanguinis, tactu fimbriæ vestimenti Salvatoris, sanata est, Ecclesiam de gentibus ; archisynagogi filia, quam idem Dominus resuscitat, Synagogam, quæ nunc, ut dictum est, per infidelitatem mortua est, significat. In quo illud mirabile valde est mysti- D cumque, quod quandoque filia nata est archisynagogi, tunc mulier ista cœpit infirmari, et quando hæc sanata est, tunc illa obiit. Sic enim scriptum est in Evangelio quia puella erat annorum duodecim (*Marc.* v), et mulier fluxum sanguinis patiebatur annis duodecim (*Matth.* iv). Quid pulchrius, quid convenientius ? Nam quando in Abraham, Isaac et Jacob Synagoga nata est, gentilitas sordibus idololatriæ, tanquam fluxu sanguinis, cœpit languere. Et quoniam trahente et suscipiente Spiritu sancto, testificatus est in Cornelio (*Act.* x), hæc sanata est, tunc Synagoga invidens, et indignam vitæ æternæ se judicans, mortua est. Sed iterum reviviscet, postquam

A plenitudo gentium subintroierit (*Rom.* XI) quod præsenti facturo prædicatur gratia Spiritus sancti. Huic in præeunte prophetica lectione dicitur sub nomine civitatis suæ Sion : « Exsultate, filii Sion, et lætamini in Domino, qui dedit vobis doctorem justitiæ, descendere faciat ad imbrem matutinum, et serotinum in principio (*Joel* II). » Per imbrem matutinum et serotinum doctrinam significat Evangelicam, quæ illis et primo tempore tanquam matutinus imber, missa est et novissime tanquam serotinus, mittenda est. « Et comedetis, inquit, vescentes, et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia (*ibid.*). » Comedetis, inquam « non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI), » de quo ad introitum in persona ejus, quæ suscitanda est, dicimus : *Repleatur* B *os meum laude tua* (*Psal.* LXX), etc. Quapropter nec illud a mysterio vacat, quod cum puellam Dominus suscitasset, additum est : *Et jussit illi dari manducare* (*Marc.* V). Refecta enim interius dicet id, quod in offerenda canimus : *Benedic, anima mea, Domino* (*Psal.* CII), etc. Et tunc magis universaliter impletum erit quod in communione canimus : *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III), videlicet habens potestatem, cum vult, vadere ad gentes, et iterum venise ad Judæos, ubique sua se voce prodens, quia nemo potest dicere : « Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XII). »

CAPUT XXIX.

De officio Sabbati. Duos populos gentilem et judaicum pacem et concordiam habituros.

C Sabbati officio duorum concordia populorum præsignatur, Judæi scilicet atque gentilis, qui tandem uno eodemque Spiritu se illuminatos profitentes, agnitum ambo sine controversia sequentur Christum. Duo namque cæci, qui in Evangelio referuntur illuminati (*Matth.* XX), hos duos significant populos, quod ex præeunte lectione Epistolæ manifestum est. Quibus enim nisi Judæorum pariter et gentium, duobus contra se invicem rixantibus populis Paulus ait : *Justificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum Jesum Christum* (*Rom.* V), Quod superiora legentibus atque intelligentibus clarum est, ubi longa et valida disputatione causatur Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, nec istos excusabiles esse propter ignorantiam Dei, nec illos justificari potuisse ex operibus legis, et omnibus D æque necessariam esse Christi gratiam. Quibus omnibus sub peccato conclusis tandem infert : *Justificati igitur ex fide* (*ibid.*), etc. Itaque duo cæci, illuminati, mystice duo sunt populi, quorum et illa vox est in introitu, sumpto de prædicta lectione Epistolæ : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Adeo jejunium fieri præsenti hebdomada, ratio vel auctoritas exigit, ut maxime officiis consonent lectiones, et Evangelia ad jejunium pertinentia. Sed et lectiones quinque si considerentur, Spiritus sancti gratiam testantur, omnes quidem significationibus rei competentibus, quædam autem apertis vocibus, ut hæc prima Joelis prophetæ : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (*Joel* II), etc. Secunda quoque, qua dicitur : *Numerabitisque septem hebdomadas plenas usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ* (*Levit.* XXIII), præsentem solemnitatem contingit, quam numeratis a Pascha diebus septem hebdomadibus, pro adventu Spiritus sancti celebramus, quæ magna, et apud antiquos in memoriam datæ legis celebris hebdomadorum erat, et apud nos in memoriam datæ gratiæ, id est remissionis peccatorum jucundus Jubilæus est. Et quia post factam duorum concordiam populorum in brevi Dominus venturus est recte filiis absentiam sponsi deflentibus, et cum desiderio reditum ejus exspectantibus, illa consolantis verba in communione canimus : *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos iterum, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XIV).

CAPUT XXX

Quod singula officia, quæ prædicta sunt, singulis sancti Spiritus donis conveniant.

Nunc in quo singulis donorum Spiritus sancti singula conveniant officia, breviter perstringendum est. Prima duo Sabbati et sequentis diei Pentecostes officia, spiritum sapientiæ et intellectus prædicant. Sapientiam namque et intellectum apostolis dedit, ut, sicut Sabbato cantavimus : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vitæ* (*Joan.* XVII), et intelligerent Scripturas, sicut ipsa die Pentecostes legimus, Domino promittente **130** : « Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcunque dixero vobis (*Joan.* XIV). » Eosdem enim et sapientes, qui nossent quando deberent proferre sermonem et intelligentes ut Scripturarum mysteria non ignorarent, qui hactenus idiotæ fuerant et sine litteris, cœleste magisterium reddidit.

Secundæ feriæ officium ad Spiritum consilii pertinet, quia de assumptione gentium Deum collaudant, quorum salus dum in secreta Dei voluntate esset, ipsi apostoli illud ignorabant consilium, donec Petro diceretur in excessu mentis : *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* X), quo loquente postmodum, *cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum*, quod ideo, ut supradictum est, commemorat officium.

Feriæ tertiæ officium apostolos et eorum successores commendat in eo quod adversus fures et latrones, qui aliunde ascendunt in ovile ovium (*Joan.* X), id est adversus pseudoapostolos vel hæresiarchas, confortari spiritu fortitudinis audent, dum causa exposcit, et dicunt : « Nam gloria vestra sumus (*II Cor.* I) : » et gloriantur non insipienter, sed veritatem dicentes ; quapropter hoc officium ad spiritum fortitudinis pertinet.

Quartæ feriæ officium spiritum scientiæ prædicat, quod maxime ex Evangelio claret, quo benedictione Domini panes multiplicati referuntur (*Joan.* VI),

de cujus rei mystico sensu superius jam dictum est.

Sextæ feriæ officium respicit ad spiritum pietatis. Opus enim pietatis est, quod Dominus puellam resuscitat,jubetque dari ad manducandum (*Marc.* v), imo quod per illud significatur,quia mortuam nunc Synagogam in fine resuscitans per fidem, replebit os ejus laude, ut piam eloquatur justi judicii Dei confessionem (*Psal.* LXX).

Sabbati officium ad spiritum timoris pertinet, quia videlicet cum duo cæci supradicti, id est duo populi suum pariter agnoverint illuminatorem,prope erit dies judicii, quæ causa timoris et tremoris erit etiam electis (*I Petr.* IV).

Nec mirum hunc ordinem officiorum descendendo a spiritu sapientiæ ad spiritum timoris deduci ; Paschalis vero hebdomadæ officia ascendendo a spiritu timoris ad spiritum sapientiæ perduci, quia per hæc descensus ad nos Spiritus sancti,per illa vero noster ascensus ad ipsum digestus est,quod plenius dictum est in eisdem paschalibus officiis.

LIBER UNDECIMUS

CAPUT PRIMUM.

Cur post solemnitatem sancti Spiritus, officium de sancta Trinitate ponatur.

Celebrata solemnitate de adventu sancti Spiritus, statim evestigio gloriam sanctæ Trinitatis,Dominicæ subsequentis officio,recta dispositione concinimus, videlicet quia post adventum ejusdem Spiritus sancti, prædicari statim, et credi,et in baptismo celebrari cœpit fides et confessio nominis Patris et Filii et Spiritus sancti. Nam antea præsente in carne Domino, nusquam nominis hujus distinctionem aperte traditam vel observatam legimus, nisi cum post resurrectionem suam ait discipulis suis: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Sed tunc quidem hæc regula tradita est, nunc autem primum actu exhibita,ubi ipsa die Pentecostes primitus in tribus millibus Ecclesiæ baptisma celebratum est.Sicque cœpit innotescere terris fortitudinis nomen Domini,propugnantibus magni David regis Christi ducibus,ipso quidem corporaliter absente, sed per divinitatis præsentiam totam belli summam regente ac disponente, summaque cura nitentibus fidissimis ejus ducibus, dum capitur civitas adversa, ut non suo, sed ejus nomini ascribatur victoria,quemadmodum et David illi dictum legimus a duce suo, obsistente Rabath filiorum Amon : « Congrega populum,et obside civitatem, quia capienda est urbs, ne cum capta fuerit, nomini meo ascribatur victoria (*II Reg.* XII). »

De quo subditur quia tulit diadema regis eorum de capite ejus,et impositum est super caput David. Pro regis eorum, in Hebræo scribitur Melchom. Unde Hieronymus (28) :« Rex eorum vocatur idolum eorum, quod hic vocatur Melchom. » Cujus diadematis aurum conflasse et purgasse dicitur David secundum legem,et fecisse inde sibi diadema (*I Paral.* XX), quod hic positum super caput ejus dicitur (*II Reg.* XII). Sic utique cultum idolorum tulit noster David,et de summis principibus illa colentibus tanquam de diademate illorum se atque Ecclesiam suam coronavit.Unde eidem Ecclesiæ suæ dicit in canticis : « Coronaberis de capite Amana,de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum (*Cant.* IV). » Nam et tunc tulit idem David uxorem Uriæ Ethæi, ipsumque Uriam fecit occidi, ferentem in manu sua scriptam suæ mortis sententiam (*II Reg.* XI), grave quidem committens piaculum secundum rem gestam,sed grande præsignans mysterium,per Christum regem vere manu fortem atque desiderabilem suo tempore peragendum.Sic enim hic verus David, Dominus noster,cum in solario domus suæ deambularet,id est in paternæ majestatis solio jam regnaret post meridiem,id est post passionis suæ pondus et æstum,jamque misisset apostolos suos ad prædicandum cunctis gentibus (*Rom.* VII), **131** quæ hic per Rabath civitatem filiorum Amon figurantur, vidit legem, quam dederat per Mosen, sanctam quidem et bonam, sed inutiliter carnali populo cohærentem, sicut infructuoso conjugio Bersabeæ, pulchra quidem valde,sed sterilis juncta erat Uriæ Ethæo.Tollensque,eam scilicet legem sacram,et spiritui suo sensum ejus copulans, virum ejus superbum,scilicet Judaicum populum, cujus superbia significatur per Uriæ vocabulum (Urias enim interpretatur *lux mea Dei*, lucem quippe Dei ac scientiam ille populus putabat suam esse propriam, tanquam Deus Judæorum tantum sit Deus, non etiam gentium [*Rom.* III],) illum, inquam, carnalem populum hoc modo interficit, ablato a corde ejus interiore sensu legis suæ, litteram solam in manu derelinquit, qua accusante reus teneatur,sicut est ipse Dominus : « Est qui accusat vos Moses, in quo vos speratis (*Joan.* V). » Hoc bene per illud figuratur, quod conscriptam a rege David mortis suæ sententiam Urias ipse portare jubetur (*II Reg.* XI).

Igitur celebrata,ut supradictum est, solemnitate de adventu sancti Spiritus, quo accepto, statim sanctæ Trinitatis fidem prædicare cœperunt apo-

(28) S. Hieron. Comment. in Amos lib. I, cap. 2, vers. 14, 15, Patrol. tom. XXV, edit. Migne.

stoli recte hujus sequentis Dominicæ, tam nocturno quam diurno officio, nomen et gloriam prædicamus ejusdem sanctæ et individuæ Trinitatis.

De cujus substantiæ unitate, personarumque Trinitate, quia magni et catholici Patres, magna et digna conscribentes, sua quasi ut vindemiantes, replevere torcularia, nos quasi colligendo racemos post vindemiatores, et ipsi in benedictione Dei sperantes, novissimi pro eadem fide verba catholicæ pacis effari cupimus.

CAPUT II.

Quod nomen Patris et Filii et Spiritus sancti propria veri Dei descriptio sit.

Nomen Patris et Filii et Spiritus sancti perfecta et integra unius veri Dei diffinitio est, omnium quicunque dicuntur, vel aliquando dicti fuerint dii, sive in cœlo, sive in terra, cunctam amputans turbam, quorum omnium alii falso dicti sunt dii, quos vario errore delusa gentilitas coluit, alii non naturaliter dii, sed accidentali dono a vero Deo deificati, juxta illud : « Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Nam cætera quidem quamvis propria summæ et unius divinitatis nomina, humana præsumptio falsis diis affinxit, ut creatores, atque rectores orbis terrarum, immortales ac sempiternos, cœlestes atque omnipotentes eos nuncuparet, et similia, quæ poeticis quoque figmentis inserta dæmones pascere consuevere, vocabula illis imponeret. At vero nomen hoc a sæculo non fuit auditum, nec homines de corde suo comminisci potuerunt, videlicet quia significatum ejus oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit (*Isai.* LXIV). Solent quippe prius res intelligi, et post ad placitum nomina illis imponi, sicut aiunt magni quoque philosophi gentilium, ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ sunt in anima passionum notæ. Sed significatum supradicti nominis Patris et Filii et Spiritus sancti, nullus eorum novit, qui deos sibi finxere, quos voluerunt. Rebus ergo quas deos appellaverunt, nomen, hoc adinvenire, vel imponere nequiverunt. Solus ipse Deus nomen sibi hoc imposuit, ubi dixit : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. (*Matth.* XXVIII). » Cujus significatum et si prophetæ utcunque noverunt, tamen ipsum nomen edicere non debuerunt, videlicet quia mundus adhuc infans, ipsum nominis capere non posset significatum. Perfecta igitur, ut prædictum est, integra veri Dei diffinitio est nomen hoc Dei vivi, manifestam faciens discretionem, quo pertineant hi, qui scriptum illud habent in frontibus suis, de quibus clamatum est in Apocalypsi ab angelo ascendente ab ortu solis, et habente signum Dei vivi : « Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum (*Apoc.* VII). » Tunc enim Angelus ille magni concilii (*Isa.* IX) clamavit quatuor angelis, id est quatuor principalibus regnis, id quod supradictum est, quando cla-

A more prædicationis evincente factum est, ut reges quoque et imperatores ad fidem conversi, non obstarent docentibus et baptizantibus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

CAPUT III.

De significatu ejusdem nominis Patris et Filii et Spiritus sancti.

Ad significatum vero sive mysterium hujus tanti nominis intelligendum, mundandus est, quo solo Deus videri potest, cordis oculus : sicut cum solem istum aspicere volumus, oculum corporeum a pulvere, si forte incidit, mundare necesse habemus. Nam nomen quidem Patris et Filii et Spiritus sancti, carnales quoque qui sunt in Ecclesia, multæ quoque hæreses, non solum carnis pulvere cæcutientes, B sed et impietatis tenebris palpantes, nomen hoc memoriter tenent et confitentur quia videlicet evangelica auctoritas, quæ voce Domini tradita est, utcunque tenetur. At vero significatum nominis, ab his tantum qui cordis oculos emundaverunt, videtur nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem videbitur, cum venerit quod perfectum est (*I Cor.* XIII). Qui ergo ejusmodi sunt, intelligunt per hæc pia naturæ vocabula Patris et Filii et Spiritus sancti, veram et unicam summæ Divinitatis gloriam, videlicet quia nunc, et antequam quidquam faceret, unus idemque, et solus erat Deus, sed non desertus neque solitarius : solus, inquam, sed in substantia, solus et unus sed non in persona.

CAPUT IV.

C *Quod his relativis nominibus magis quam substantialibus natura Dei significetur.*

Ipsum divinæ naturæ arcanum his relativis magis quam quibuslibet substantialibus exprimitur nominibus. Substantialia namque dicimus nomina, quæ tribus æque personis sunt communia, qualia sunt, Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, et his similia. Hæc autem relativa sunt, quia videlicet Pater alicujus pater est, et Filius alicujus filius est : et Spiritus sanctus alicujus spiritus est. Sciendum vero quia relatio non æque in omnibus convertitur. Nam Pater quidem ad Filium refertur et convertitur, quia Pater Filii pater est, et Filius Patris filius est. Spiritus autem sanctus Patris quidem et Filii spiritus est, sed non convertitur. Non D enim Pater sancti Spiritus pater est, neque Filius sancti Spiritus filius est. Sed idem Spiritus sanctus dicitur, et est donum, quo nomine relatio recte reciprocari potest. Donum quippe datoris donum est, et dator doni, dator est. His inquam, relativis nominibus magis quam substantialibus commendatur nobis, **132** quid amemus, laudemus, glorificemus. Quid enim creaturæ benevolentia Creatori suo magis cupiat quam illud, unde potissimum ipse gloriatur dicens : « Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam ? si ego qui aliis generationem tribuo, sterilis ero ? « (*Isa.* LXVI). Quod licet de adoptivis dictum videatur filiis, principium laudis ab illius

habet genitura Filii, qui solus naturalis est, cujus participatione alii fiunt adoptivi filii, quia solum illum Pater, qui hæc loquitur genuit (*Psal.* II), alios autem creavit, nec de sua substantia genuit, sed per gratiam suam regeneravit (*Tit.* III).

CAPUT V.

Cur tres personas confitentes, tres tamen deos dicere prohibemur.

Idcirco autem tres personas confitentes, tres deos nihilominus dicere prohibemur, quia nec ipsa, quæ prædicta est, relatio Deo per accidens evenit, nec aliud quodlibet accidens divinæ substantiæ se interserit. Non enim in his tribus personis ulla est diversitas, aut quantitatis, aut qualitatis, aut temporis, aut loci, aut faciendi, aut patiendi, aut situs, aut habendi. Quantitatis, eo quod substantialiter B tam Pater quam Filius, et Spiritus sanctus æque sit immensus; qualitatis, eo quod item substantialiter æque sit sanctus, justus et bonus; temporis, eo quod æque sine initio sit; loci, quod æque incircumscriptus et in omni loco sit; faciendi, eo quod operatio Trinitatis æque impermutabilis sit; patiendi, eo quod æque nulli subjacet passioni; situs, eo quod æque nulla teneatur positione locali jacendi, aut sedendi. Ejus vero generis, quod dicitur habere, eo quod nunquam de Deo nisi figurate prædicetur calceatus, armatus, coronatus, et his similia. Unde ergo numerus deorum in Trinitate potest astrui, ubi deest accidentium multitudo, quæ sola in his quæ sub eadem specie sunt, individuis numerum facit? Nam verbi gratia, cum sit C homo specialis unus, et omnes homines specie sint unus, ut ipsi quoque gentiles perhibent philosophi, scrutare quæcunque in individuis numerum faciunt, et nihil omnino invenies præter solam multitudinem accidentium. Sed hæc, ut dictum est, a divinitate penitus aliena sunt. Quapropter nec est cur vel unde dicatur pluralitas deorum.

CAPUT VI.

Quod divina substantia propter sui simplicitatem nullis accidentibus subjacet.

Causa manifesta est cur substantia creatrix accidentia non suscipiat, si primo attendas cur eisdem creata substantia subjaceat. Videlicet accidentibus idcirco subjacet, quia quæcunque illa sit, ex materia simul et ex forma consistit, verbi gratia, velut artifex cum fabrili arte statuam figurat, ma- D teria ejus est æris species; forma vero, quævis inducta per artem effigies, scilicet imago imperatoris, aut si maluerit simulacrum Jovis. Ita quod statuam nominamus, non est id quod est, quia non unum aut simplum aliquid est. Sic nec ipsum æs antequam in illo aliquid figuretur, simplum quid est, utpote cujus materia terra est, multum ipsa differens, quæ videtur æris specie. Ipsam quoque si consideres terram, non est id quod est, utpote quæ a forma nomen hoc habet. Dicitur enim terra, eo quod sit gravis et sicca. Suum autem esse sumit ex hyle, quam dicunt materiam creatam informem. Simi-

A liter homo non est simpliciter hoc vel hoc, videlicet quia constat ex partibus quæ sunt anima et corpus, quas solubili vinculo nexas, procul dubio mors dissociat. Sic et cætera quæcunque sunt, ex materia simul et forma, ut dictum est, consistunt, ideoque accidentium multitudini subjacent, et mutabilia sunt. At vero Dei substantia simplex est, non formata, sed solummodo forma; forma, inquam, carens materia. Unde nescio quod sancti Spiritus organum cecinit præmissum: « Confirmatum est cor virginis, in quo divina mysteria angelo narrante concepit; » statim subjiciens: « Te forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus. » Hoc vere catholicus Ecclesiæ præcentor prædixit. Formam enim, id est Deum beata Virgo castis visceribus suscepit, et hominem eadem forma speciosum præ filiis hominum nobis protulit. Hoc unum est quod formatum non est. Unde ergo accidentibus subjaceat? Nam quod cætera sunt mutabilia, de sua, ut dictum est, trahunt materia. Hoc unum sine materia est, et ideo vere est, nulloque nixum est, quod est præ cunctis solidum, super omnia pulchrum. Non potest quidquam inesse præter id quod ipsum est, nec enim potest accidentibus esse subjectum. Cumque sit substantia, non est susceptibile contrarium, licet hoc non capiat sapientia mundi quam hic idem Deus stultam facit (*I Cor.* I).

CAPUT VII.

Quod relatio nominum Patris et Filii et Spiritus sancti nullatenus in Deo accidens sit, licet relatio unum de accidentibus sit.

Igitur tres personas, ut supra dictum est, confidentes, tamen tres dicere deos jure prohibemur, et quæcunque substantiæ nomina sunt, numero plurali prædicare non debemus. Solummodo personas triplicamus, quoniam ad hoc manifesta relatione, id est relativis nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, rite compellimur. Sed hæc ipsa relatio, licet in multitudine accidentium secundum hominem recte computetur, sciendum tamen quia Deo nullatenus accidisse concedimus. Non enim ex tempore accidit Deo ut Pater esset, aut Filium generaret, quemadmodum homini, qui longe ante in sua substantia perfectus est quam pater sit, aut filium generet. Transcunda est tota hæc nostræ mutabilitatis nebula, et purgato cordis oculo, sicut initio jam dictum est, videndum est saltem per speculum in ænigmate, quia longe aliter de Deo natus est Deus, quam de homine homo per carnis fluxum temporaliter et localiter nascitur. Ad quod non nihil adjuvat, si nunc interim Patrem et Filium et Spiritum sanctum, aliis et substantialibus vocabulis exprimamus.

Dicimus itaque sanctam Trinitatem esse vitam, sapientiam atque amorem. Nam Deum Patrem vitam dicimus, immortaliter in se viventem; Filium Dei Patris sapientiam ejus dicimus ineffabiliter de corde ejus genitam, consubstantialem et coæternam; Spiritum sanctum dicimus amorem Patris et Filii,

nihilominus consubstantialem et coæternum. Hæc autem substantiæ nomina sunt. Pater namque substantialiter vita est, non vivificatum aliquid, ut homo sive animal quod vivificatum corpus est: non ut anima, quæ, cum sit vivens, non est ipsa vita, unde multis perturbationibus est obnoxia, et vitæ superioris indigua, sed ipsa vitæ substantia, substantia subtilis, lucida, mobilis, acuta, nullius, ut supra dictum est, accidentibus
133 subjecta, nullius indigens, omni vitæ rationali capabilis, nullius ipsa capax. Nam id quod alterius capax est, crassius utique densius atque corpulentius est eo, cujus capax est, ut vasculum idcirco aquæ capax est, quia materia ejus terra est, quæ profecto densior atque corpulentior aquæ elemento est. Sed hæc vita, de qua loquimur, adeo cunctis subtilior atque purior est, ut rebus omnibus ex materia formaque conflatis, sicut jam superius dictum est, forma ipsa sive materia fit, atque ideo simplex, et id quod est, absque omni mutabilitate permanens, forma bona, lumen non illuminatum, sed tamen illuminans; lumen, inquam, verum, fons que et origo sempiterni luminis. Nullius ergo hæc vita capax est, sed tamen capabilis, cujus ad comparationem cætera densa atque corpulenta spirituum vascula sunt, sed ab hac vita in se vivente Deo, capacitate capabilitate formata, ejus capacia sunt, unde et beate sancteque vivunt.

Filius vero item substantialiter sapientia est, id est non tantummodo sapiens, quod dici potest et de aliquo qui accidentali dono sapientiæ participat, sed ipsa sapientiæ substantia. Nec idcirco dialecticorum vocibus utimur, quod eorum vanitati sanctam Trinitatem subjiciendam nullatenus arbitremur, sed ut significanda notis significantioribus melius et compendiosius exprimamus. Nam illis concedimus quidem, in duo scilicet, in substantiam et accidens, omnia dividentibus, sed id quod est ultra omnia, extra omnia, et præter omnia, videlicet hanc sapientiam, imo totam beatam Trinitatem, eorum descriptionibus nequaquam submittimus. Etenim substantia hæc nullatenus contrariorum susceptibilis est, licet Deus, more nostræ locutionis, nunc irasci, nunc vero complacari dicatur. Et hæc Dei sapientia, accidens quidem est homini, quoniam potest adesse vel abesse præter subjecti corruptionem, id est præter humanæ substantiæ diminutionem vel absumptionem. Sed in seipsa vere substantia est mobilibus omnibus mobilior, ubique attingens, omnia operans, cuncta disponens, speciosa, suavis, lucida, generosa, locuples, omnium artifex (*Sap*. VII, VIII). Hanc sapientiam Dei esse Filium, naturaliter ex illo genitum didicimus, credimus et confitemur; naturaliter, inquam, non imaginarie vel per similitudinem, quomodo filios beati hominis interdum accipimus opera ejus, sed quam naturaliter gignit homo hominem, tam naturaliter genitum accipimus ex Deo Deum, ex lumine lumen; genitum, inquam, non factum, natum non adoptatum, coæqualem, coæternum, consubstantialem. Idcirco non consequitur, ut cui homini datur hæc eadem sapientia, filius ejus proprie dicatur, nisi figurate, quomodo Dominus: « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est (*Matth*. XII). » Non, inquam, hæc sapientia filius ejus est cui datur, sed ejus de quo vere nata est, a quo datur, quemadmodum et radius, quo nostri oculi irradiantur, non noster, sed solis est radius. Illius est filius hæc sapientia, qui illam non aliunde accepit, cujus de corde nata est, ut splendor ex sole, ut rivus ex fonte, ut vapor ex igne.

Spiritus sanctus nihilominus substantialiter amor est, id est non tantummodo amans, quod dici potest et de aliquo, qui accidentali dono ejusdem Spiritus participans secundum quantitatem participationis amare incipit, sed ipse divini amoris substantia est. Nec ideo religionem noster sensus ullam patiatur, quo minus hunc amorem substantiam veram atque perfectam arbitremur, quoniam humanæ substantiæ divinus hic amor adesse, vel abesse potest, præter aliquam ejusdem substantiæ nostræ absumptionem. Quoniam hic amor, homini quidem accidens, id est accidentale donum est. Sed in seipso vera substantia est, vivida natura est, verus Deus. Qui idcirco proprie Spiritus sanctus dicitur, cum et Pater spiritus, et Filius spiritus sit, et Pater sanctus, et Filius sanctus sit. Quia sicut spiritus aereus, verbi gratia, meridianus auster (hic enim Spiritum sanctum significabat, quia calidus est) sicut, inquam, meridianus auster, a plaga sua in oppositum septentrionem transcurrit, et opportunos arentibus terris imbres advehit, sic iste Spiritus sanctus, operatione sua quæ ipsius propria est, a Creatore procedens, in creaturam rationalem, supradictam ejus sapientiam inopi naturæ, prout vult, Deus ipse ac Dominus infundit. Unde et Spiritus sapientiæ dicitur, etiam extra dispositionem, vel ordinem, quo septem ejus gratiæ numerantur, « Spiritus, inquam, sapientiæ, sanctus unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum; acutus, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens (*Sap*. VII). »

His igitur substantialibus nominibus, ut supra dictum est, quæ sunt vita, sapientia, amor vel charitas; his, inquam, ad intellectum juvamur ut relationem quæ in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti consistit, nullatenus ex tempore cœpisse vel suspicemur. Nam cum Pater, ut dictum est, vita sit, et Filius sapientia, quisquis ex tempore cœpisse contendit nomen Patris, aut generationem Filii, consequitur, ut Deum aliquando sine sapientia; Deum, inquam, insipientem (quod dictu quoque nefas est) fuisse concedat. Sed hoc abhorret fides, anathematizat pietas, omnis detestatur creatura. Itaque non ex tempore, sed ante omnia sæcula Deus Pater est, quia Filius, id est, sapientia ejus sine initio cum illo est. Unde ipsa eadem Sapientia dicit: « Antequam Deus quidquam faceret aderam, cum eo cuncta componens, ludens cum eo omni tempore, ludens in

orbe terrarum. Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). » Cui par vel idem est illud : « In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I), » etc. Rursus cum Spiritus sanctus amor sit, quisquis Patrem et Filium prius fuisse contendit, quam Spiritum sanctum, consequitur fuisse quando neque Filius Patrem, neque Pater amabat Filium. Quod vel suspicari dementissimum est, atque impium. Nobis vero supervacaneum est testimoniis astruere quod Pater diligat Filium, imo quod, sicut ipse ait, dilexerit eum ante mundi constitutionem (*Joan.* XVII), quia satis probabile, imo necessarium est, quod talis Pater talem semper dilexerit Filium.

CAPUT VIII.

Quod ait Sapientia : « Ludens eram coram eo (scilicet Deo) in principio, » idem esse quod de Verbo dictum est : « Quod factum est, in ipso vita erat. »

Attamen ne capitulum prælibatum sub obscuro reliquisse videamur, quem alium arbitrari possumus ludum, in eo quod ait Sapientia : « Ludens eram coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum (*Prov.* VIII), » nisi hujus, de qua loquimur, dilectionis gaudium ? Ludus enim erat amabilis Deo Patri, videre in sapientia sua quæ facturus erat, primo beatam cœli curiam, pulchramque rempublicam decus erat denis angelorum ordinis distinguendam : **134** deinde visibile mundi hujus architecturam, sphæricam cœli cameram, solemque et lunam, lucida sidera, aquas superiores, aquas inferiores, omnes abyssos, nives et grandines, montes et colles, cunctamque terræ aridam, mare et omnia quæ in eis sunt, quidquid sursum volat, quidquid deorsum repit aut ambulat, bestias et universa pecora, reges terræ et omnes populos. Nam de his omnibus ait evangelista : « Quod factum est, in ipso vita erat (*Joan.* I). » Quid vero est, quod addidit : « Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum ? » (*Prov.* VIII.) Quid, inquam, nisi quod jam tunc in eadem Sapientia provisum et hoc erat, ut in humana requiesceret natura, et caput hominum effecta, sanctorum et sapientium sibimet consociaret in suis deliciis agmina? Hæc, inquam, videre antequam fierent, ludus erat Deo et sapientiæ ejus, ludus festivus, ludus jucundus, ludus deliciosus. At vero de hujusmodi gaudere, hæc omnia spectare cum hilaritate, in cordis amplitudine, amor est sapientiæ, amor studiosus, amor sanctus : quem supra sanctum esse Spiritum diximus. Igitur quod Sapientia, quæ Filius est, de sua dicit antiquitate æterna, simul et de hoc amore, qui Spiritus sanctus est, necessario conceduntur, videlicet quia Dominus possedit eum initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno, ex antiquis, antequam terra fieret (*ibid.*), » etc.

CAPUT IX.

Quod fides catholica neque, ut Arius, substantiam separet, neque, ut Sabellius, Trinitatis personas confundat.

Ita neque, ut Arius, substantiam separamus, neque ut Sabellius, personas in Trinitate confundimus, A utriusque erroris voraginem declinantes cum exsecratione, et via regia currentes, vela pandimus insignia confessionis catholicæ. Alter enim eorum, Filium Patre minorem, et creaturam atque convertibilem esse contendens, impie atque sceleratissime Creatori hoc auferre molitus est, quod ille creaturis a se factis omnibus quæ vivunt tantum, quæque vivunt simul et sentiunt, benigne largiri dignatis est. Sic enim singula distinxit, ut in specie sua generarent, et non degenerarent: « Germinet, inquiens, (terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam *Gen.* I). » Item : « Creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam B produxerunt aquæ in species suas et omne volatile secundum genus (*ibid.*). » Ac deinceps : « Producat terra animam viventem in genere suo (*ibid.*), » etc. Tandem et hominem sic plasmavit, ut generaret, sicut scriptum est, ad imaginem et similitudinem suam (*ibid.*). Sic fatuus ille, ut non videat quantam Creatori irroget contumeliam, quantamque naturæ ejus criminetur sterilitatem atque inopiam, ut creaturis ab eo factis, in genere suo semen afferentibus, nullum ipse Creator generis sui semen habeat, eodem utique bono, quod aliis contulit, ipse careat, sterilis, desertus atque solitarius? Nonne ergo merito contra hujusmodi derogatores queritur ipse in propheta, dicens : « Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam ? et qui aliis generationem tribuo, ipse sterilis ero? » (*Isa.* LXVI). Unde enim C exemplar accepit, ut fecunditatem suis daret creaturis, si in seipso sterilitate aridus exstitit, si creans tam multa, nihil de seipso generare valuit? Ut quid tantopere tota nocte vitæ præsentis adolescentularum ostia circuit, sibique poscit aperiri, si non insito sibi naturaliter calet amore, si non genuino viret semine? Instat enim et intrinsecus, et suæ naturæ communionem eum, quem Spriritum sanctum dicimus, vehementem spirat amorem, suumque Verbum, jam Filium, jamque a principio et ab æterno natum, et adhuc tamen, ut vere semen sibimet insitum in multas conjuges, id est in multas animas spargens, deorum quotidie multiplicat gentem, quibus ait Propheta : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Itemque evangelista de illo unico D Filio Dei, Deique verbo loquens : « Quotquot autem receperunt eum, inquit, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). » At ille, de quo supra dictum est, Arius infelix, et quicunque similis ejus animalis homo non percipiens ea quæ Dei sunt, et ea sola sapiens quæ carnis sunt (*I Cor.* II), audiens Deo Filium natum, toto sensu inhæret carnis imaginibus, consequens esse contendens quod ut filius generaretur vel nasceretur, substantia patris defluxerit, et filius localiter ab eadem patris substantia traductus sit, et hanc passibilitas calumniam, quasi consequenter adversum nos redarguit. Itemque de Filio subjicit : « Si natus est, erat profecto quando non erat. » Et

quasi necessario de temporalitate concludens, coæternitatem patris filio, quantum in se est, auferre contendit. Sed de coæternitate vel consubstantialitate jam superius dictum est. De argumento vero defluxionis vel diminutionis paternæ substantiæ, quam in generatione filii contendit, consequenter intelligi oportere dicendum est male illos nimiumque carnali sensu sibimet illusisse. Non enim a carne, quæ in propagando passibiliter defluit, argumentum ducere debuerant in ratione divinæ generationis. Rebus quippe dissimilibus eadem non conveniunt. Quid autem tam dissimile quam carni spiritus, et non quilibet spiritus, sed omnium spirituum creator spiritus? Deus enim spiritus est, et eum qui adorat, in spiritu et veritate oportet adorare (*Joan.* IV). Nobis ergo Filium Dei naturaliter ex Patre natum confitentibus objicere non debuerant, quod confessionem nostram divinæ substantiæ passibilitas, quæ in generatione carnis non abest, id est fluxus vel diminutio consequeretur. Nam est quidem aliqua similitudo a carne sumpta ad Deum qui spiritus est, sacrisque inserta Scripturis, ut in canticis mysticisque prophetarum libris, sub nominibus sponsi et sponsæ, aut viri et uxoris, sed omnino figurate hoc, id est ut in eo quod littera sonat, longe aliud intelligas, scilicet in viro Deum, in semine Dei Filium, id est ejus verbum, in amore Spiritum sanctum, in uxore creaturam rationalem, id est humanam animam, vel angelicam substantiam. Sed est verior illa similitudo, quæ ab interiore homine sumpta, suis hostem telis reverberat. Nam si ab homine similitudo in Deum conquiritur, inde sumatur ubi ejus, scilicet Dei imago splendere probatur. Non autem corpus hominis formatum est ad imaginem Dei, quod arbitrati sunt hi qui dicuntur Humaniformii, pro eo quod Deum humanam formam suspicantes, immane simulacrum in templo cordis sui collocaverunt. Nam cum scriptum est: « Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI), » consequebatur opinionem eorum, ut Deus in cœlo tam vastus sederet, ut terram pedibus tangeret. Ab interiore ergo homine econtrario argumentari licet, quod generatio Filii Dei nullam paternæ substantiæ diminutionem fluxumve nos compellat recipere.

135 CAPUT X.

Qua similitudine valeat intelligi Filium absque fluxu vel diminutione paternæ substantiæ potuisse nasci.

Consilium itaque vel artem in hominis anima sitam operæ pretium est advertere, qualiter ab anima absque diminutione ejus in auditorem quempiam vel in actum transeat. Si cunctis qui adesse vel audire possunt, tuum consilium proferas, tuamve scientiam doctor sedulus in multorum aures dicendo, docendo transfundas, et quos vacuos acceperas, dicentium animos impleas, num idcirco sensus tuus defluxit, imminutus est, et sui aliquid detrimentum passus est? Itemque si artifex es, et egregium aliquod opus meditaris, modumque structuræ prius in mente præpingis, et postmodum in re mirandum atque laudandum in actu componis, nunquid ingenii tui vena protinus aruit, nec idem retinet quod edidit? Quanto ergo magis sapientia Dei, quæ est Deus, Dei Filius est, omnium artifex, omnia prospiciens, quæ attingit a fine usque ad finem (*Sap.* VIII), non sic nata est ut deficeret, non sic genita est ut paternam substantiam diminueret? Nec tunc, quando primum ad componendam mundi fabricam emicuit, et omnia visibilia vel invisibilia condidit, nec tunc, quando in utero Virginis carnem assumens, humanæ naturæ tota inscripta est, nihil minus in corde suo Pater habuit, nec ideo verbum in ejus natura deletum aut detritum est, quia totum illud in nostræ naturæ pellem transcripsit. Hic ergo, Arius scilicet, et quicunque Trinitatem consubstantialem non confitetur, anathema sint, inquit sancta synodus Nicæna. Hi autem qui consubstantialem Trinitatem prædicant, regna cœlorum sint præparata.

CAPUT XI.

Quod hæresis Sabelliana personas confundens, consequenter dicta sit Patripassiana.

Alter vero, videlicet Sabellius, diverso quidem, sed non minus detestabili errore personas Trinitatis confundens, unam esse personam asserit, id est ipsum sibi esse Filium, qui Pater est, ipsumque Spiritum, ita cæcus mente ut hæc tam præclara, tam aperta testimonia non attendat Domini dicentis: « Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Itemque eo baptizato in Jordane, vocem de cœlo dicentem: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III), sanctumque Spiritum in columbæ specie super eum descendentem. Hanc hæresim consequenter Patripassianam dicimus. Nam si idem ipse Filius, qui Pater est, cum Filius incarnatus et passus sit, procul dubio Pater ipse incarnatus et passus est. Unde recte, ut dictum est, Patripassianam hanc hæresim nominamus. Sed nos hunc errorem exsecrantes, Verbum quod erat in principio apud Deum; Verbum, inquam, Deum, non ipsum, apud quem erat hoc, Verbum, credimus et confitemur carnem factum, videlicet alium eum qui genuit, alium confitentes eum esse qui genitus est; alium, inquam, in persona, non aliud in substantia. Unde ait ipse Filius: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Unum utique secundum substantiam sumus, secundum pluralitatem personarum eum dixisse non dubitamus.

CAPUT XII.

Quod in creatura rationali bene constituta, sancta Trinitas per suorum distinctionem operum agnosci valeat.

In creatura quoque rationali bene et perfecto decore constituta, tanquam in speculo perlucido apparet quodammodo, quia non in una sola, sicut prædictus Sabellius errat, sed in tribus personis adoranda subsistit divinitas. Ecce enim, sicut superius dictum est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quæ relativa nomina sunt, aliis et substantialibus nominibus dici, vel esse, vitam, sapientiam atque

amorem ; sic in homine,vel angelo sancto hæc tria computamus, spiritum vel animum, rationalitatem atque dilectionem. Hæc tria sunt. Manifestumque est spiritum vel animam non ipsam esse, quæ est rationalitas,alioqui nulla esset ratione carens anima. Sed est bruta pecoris anima, quæ sicut ratione caret, sic et æternitate ; et sicut solis fungitur carnis sensibus, sic et cum carne moritur. Item rationalitas non est ipsa quæ dilectio, alioquin nullum rationale esset absque dilectione.Sed est omnis homo, vel omnis angelus rationalis quidem,non autem omnis homo, vel omnis angelus habet in se Dei dilectionem. Unde arguitur per Ezechielem diabolus, qui illam in semetipso sprevit primus : « Aurum, inquit, opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt (*Ezech.* XXVIII). » Et post pauca : « Repleta sunt, ait,interiora tua iniquitate (*ibid.*) » Rationalitatem cum qua conditus est, foramina ejus appellat,quia sicut lapis pretiosus auro ligatur, ita Spiritu sancto, qui utique dilectio est, ligari et in unitate cœlestis ordinis cum posset astringi,recusavit. Sic et homo tumidus, quicunque superbiam ejus imitatur. Non ergo, ut jam dictum est, dilectio ipsa quæ rationalitas, nec rationalitas ipsa quæ anima vel spiritus est,sed tria simul unum opus perfectum.et Creatori simile ostendunt. In hoc igitur tanquam in speculo,ut supradictum est,contemplare creatorem Deum,non unius tantum,sed trium personarum esse. Quarum quamlibet quis deneget, Deum non habet,sicut rationali creaturæ quodlibet ex supradictis tribus detrahas,nullius dignitatis opus remanet. Amissa namque dilectione,qui angelus lucis creatus fuerat,diabolus princeps tenebrarum factus. Et homo similiter absque dilectione malus,et ejusdem diaboli filius est. Quod si rationalitas desit, brutum est omne quod vivit et sentit. Si anima vel spiritus non sit, multo magis nec rationalitas nec dilectio in ulla creatura est ; si, inquam, quamlibet trium personarum deneges, Deum non habes, quia,si Spiritum sanctum abneges,Patrem et Filium confitens, cum idem Spiritus amor sit,Deum sine amore,id est hostem et inimicum tibi constituisti. Si Filium deneges, cum Filius Dei sapientia sit, Deum tibi brutum et insipientem phantastico errore confinxisti. Nam de Filio male sentientes, Nicæni fides concilii gentilium similes esse convincit. Itaque jure catholica fides,ut supradictum est,sicut in Ario substantiæ separationem, sic in Sabellio personarum anathematizat confusionem vel peremptionem.

136 CAPUT XIII.

Quomodo numerus trium personarum nihil inde auctus sit, quod homo factus est Filius Dei, nec idcirco quaternitas, sed dicatur et sit nihilominus Trinitas.

Quamvis autem Filius incarnatus sit, idemque Deus et homo sit, non crescit ex eo personarum pluralitas,ut quæ ante Incarnationem ejus erat Trinitas, post dicatur aut sit quaternitas. Non enim duos Ecclesia catholica recipit filios, imo anathematizat Nestorium et omnes, qui unum ante sæcula, alium profitentur post carnis assumptionem.Nam duo quidem, id est duas substantias; duo,inquam,neutro genere, non masculino ; duos,id est duas in Christo prædicamus personas. Et sicut homo sedens in equo, non duo sunt, sed unus eques, sic Deus in homine non duo Christi, sed unus est Christus. Quomodo enim de diversarum specierum individuis duos aut tres prædicabis,cum unum substantiæ nomen subjicere non possis ? Verbi gratia : Hic homo, atque hic equus diversarum specierum, id est hominis et equi individua sunt. Si ergo de hoc equo et de hoc homine loquens, duos dixeris, inconveniente hoc mobile prædicabis, cum substantiale fixum non sit,quod subjicere possis,quia neque homines neque equos de uno homine et uno equo dicere ratio permittit.Non minus inconvenienter de Christo prædicabis duos. Nam quomodo constat hic eques ex hoc homine et ex hoc equo, sicut et Christus constat ex hoc individuo Dei quod est verbum Patris, et ex hoc individuo hominis,quod ex virgine Maria nascendo initium sumpsit. Dubium autem non est quod Deus et homo diversæ sint species,omnino substantialibus differentiis longe ad invicem distantes, ab usque generalissimi generis,quod est substantia, divisione prima. Nam sub corporeo longe infra continetur homo,Deus autem verus sub incorporeo. Si ergo de Christo loquens dixeris duos,inconvenienter prædicabis,quia non est fixum substantiale quod congrue subjicere possis. Nec si Christos subjeceris, recte dixisti, quia Christus nec substantiale nomen est, sed est nomen officii, nec magis de Deo et homine, duos recte potes prædicare Christos, quam duos equites de homine et equo.Sed et minus convenienter de Deo et homine duos dicis Christos, quam de homine et equo equites duos, quia Deus homini unitus, nunquam separabitur ; homo autem equo sedens, quoties descendit, toties separatur. Nec incongrue similitudo hæc pro argumento sumpta est, quoniam in Christo divinitas humanitate tanquam equo usa est. Unde in Zacharia propheta equus roseus ostenditur (*Zach.* I), et in Evangelio Samaritanus hominem a latronibus convulneratum,jumento suo imposuisse legitur (*Luc.* XVII). Itaque quemadmodum filius tuus, si egressus pedes, forte sedens equo ad te revertitur, non idcirco tecum personas triplicat, sed tantum ut prius geminat ; non enim dignum est ut cum filio tuo filius jumenti personam duplicet : sic Filius Dei, Verbum Patris in sola divinitate eructatum in uterum Virginis, dum cum humanitate redit ad dexteram Patris, personarum numerus non inde succrescit, quia dignum non est ut cum natura Dei personam duplicet natura hominis, quæ ab illa substantia,et pluribus et majoribus distat differentiis, quam equus ab homine. Nam hominem ab equo rationalis differentia sejungit, hominem autem a Deo plurimæ secernunt, quas enumerare longum est, substantiales differentiæ.

CAPUT XIV.

Cur ante incarnationem Domini fides sanctæ Trinitatis a vulgo non debuerit, aut potuerit exigi.

Idcirco præteritis generationibus ante adventum Christi tacitum fuit vulgo mysterium tanti hujus divini nominis Patris, et Filii et Spiritus sancti, quia necdum illud capere poterat infantia, seu juventus mundi nimium carnalis, quippe qui ne nunc quidem jam grandævus, postquam incanuit, Christo adveniente sine magno prædicantium labore intelligere potuit, simul quia necdum illam, quam in hac fide confitemur, suam beata Trinitas fecerat misericordiam. Necdum, inquam, nobiscum illam pro qua nunc jure colitur, fecerat misericordiam, qua sibi circa salutem nostram beata Trinitas divisit operationem trinam, ut hominem quem Pater creaverat, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret, non quia Pater absque Filio sanctoque Spiritu quidquam creaverit, aut Filius sine Patre sanctoque Spiritu redemerit, aut Spiritus sanctus absque Patre Filioque illustraverit, et peccatorum remissione mundaverit; sed quia sic est communis quidem, et ubique inseparabilis summæ et unium divinitatis operatio, ut tamen, in proprietate vel ordine operis, manifesta nullique fidelium ignoranda personarum sit discretio. Nam illa vox : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » Patris vox est ad Filium et Spiritum sanctum, et illa caro quæ de Virgine sumpta, mortua ac sepulta est, et resurrexit, Filii caro est, et illa columba, quæ super Dominum descendit (*Matth.* III), et ille ignis, qui super apostolos ejus apparuit (*Act.* II), non quidem substantiam, sed præsentem sancti Spiritus potentiam visibiliter exhibuit. Præteritis ergo sæculis jure a vulgo non exigebatur fides sanctæ Trinitatis, quia, sicut dictum est, infanti adhuc et sub pædagogo (*Gal.* III) servienti populo Dei declarata non fuerat hæc eadem Trinitas adorandi exhibitione, vel distinctione operis.

CAPUT XV.

Quod Vetus Testamentum eamdem fidem Trinitatis non tacuerit, nec sine illa veteres sancti Deo placuerint.

Non tamen penitus absque fide veteres Deo placuerunt, quoniam hi, a quibus tanquam radicibus suis multiplices rami portabantur, scilicet magni Patres divini hujus nominis pinguedine non caruerunt, qua nunc pascimur nos : qui cum oleaster essemus, naturalibus ramis propter incredulitatem fractis, per eamdem fidem in bonam olivam inserti sumus (*Rom.* XI). Plurima quippe illorum libri testimonia Trinitatis Evangelio Christi conferunt. Unde hæc duo Testamenta recte per duo seraphin significantur in Isaia, quorum est ille clamor : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli et terra gloria tua (*Isa.* VI). » Et quia Judaicus populus, hoc audito clamore per apostolorum ora, post adventum sancti Spiritus, incredulitate cæcatus est, bene et hoc prophetæ ostenditur in eo quod domus Domini fumo impletur (*Isa.* VI). Fumus enim ille A Judæorum cæcitatem designat, sicut et paulo post eidem prophetæ dicitur : « Excæca cor populi hujus (*ibid.*), etc. Sed nos ad librum, quem aperuit Agnus, oculos cordis per fidem apertos habentes, cum supradictis seraphin, vel cum quatuor quoque animalibus dicimus : « Sanctus, sanctus, sanctus (*Apoc.* V). » adjungentes : « Salus Deo nostro qui sedet **137** super thronum et Agno (*ibid.*), » videlicet quia librum jam dictum aperiens Agnus, Trinitatis mysterium in illo descriptum ostendit, quod latebat. Nam cum interrogantibus Judæis et dicentibus : « Tu quis es? respondisset : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII), » aperuit nobis, quia juxta quod et in psalmo dicit : « In capite libri scriptum est de me (*Psal.* XXXIX), » non aliud Moses B principium intelligi voluit, ubi ait : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I); » non aliud, inquam, principium quam Filium, quoniam et Joannes ait : « Omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). » Creavit cœlum et terram Deus in principio, id est, Pater in Filio. Cui adde quod sequitur : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I), » et ecce in capite libri, quem Agnus aperuit, beata præfulget Trinitas. Per has fores trifidas sanctam ingressus Scripturam, passim deinde respersos invenis aureos ejusdem divini nominis titulos.

CAPUT XVI.

Quomodo in operibus sex dierum singulis Trinitas commendetur.

Primum in opere sex dierum, si vigilanter attendas, eadem commendatur Trinitas, verbi gratia : C « Dixit Deus : Fiat lux (*Gen.* I). » Ac deinceps : « Vidit Deus quod esset bonum (*ibid.*). » In eo quod ait : « Dixit Deus, » Verbum per quod omnia facta sunt cum Patre, agnoscimus. Et in eo quod addidit : « Et vidit Deus quod esset bonum, » nimiam operantis diligentiam atque benevolentiam intelligimus, quæ procul dubio non est aliud quam qui tertia in Trinitate persona est Spiritus sanctus. Non enim casu, aut supervacue sic positum per singula : « Vidit Deus quod esset bonum, » æstimare debemus. Sed magnam Creatori diligentiam nobis commendatam fideliter advertamus. Et ut scias quantum illa diligentia, de qua loquimur, in opere Dei profecerit, convertere ad cor tuum, o quicunque es arti ex alicujus laudandi effector operis ; ut, inquam scias D quantum diligentia, quæ est Spiritus, ejus operi profecerit, respice quantum in opere tuo diligentia tua contulit. Certe in mente tua quodammodo sic habebas artem, sicut erat in principio Verbum apud Deum. Ejus artis tibi conscius, non otiosum te esse passus es. Quare ? Ut de multis, quæ subesse potuerunt, causam meliorem inferam, utilitatis amor, id est intentio proficiendi plurimis, otii te impatientem reddidit. Una causa hæc ab illo te servo discernit, qui malus et piger arguitur, dum tu laudaris servus bonus et fidelis (*Matth.* XXV). Nam de cætero pares fuistis, videlicet quia tam in illius quam in tua mente talentum bonæ artis appensum est. Sed vide quantam

inter te atque illum distantiam diligentia sive benevolentia, quia in te est, effecerit. Dum ille fodit in terram, et abscondit pecuniam Domini sui (*ibid.*), tu in operando credito tibi talento, duplicia lucraris, vidensque per singulos profectus, quia bonum est lucrum, ampliussitis, et præ magnitudine desiderii laborem in opere non sentis. Crescit lucrum, crescit lucri desiderium. Ad hanc ergo similitudinem perpendis quantum in opere Dei diligentia vel bonitas ejus effecerit, quæ magnifice delectata esse monstratur in eo quod per singula dicitur : « Et vidit Deus quod esset bonum, » et ait : « Fiat (*Gen.* I), » etc. Tantum in opere secundi diei non est illud additum, certe gratia mysterii, de quo jam alias dictum est. Illa vero diligentia vel bonitas, alia, ut dictum est, quam Spiritus sanctus intelligi non debet. » Si enim interroges, inquit Augustinus, quis omnia fecerit, respondeo : Deus : Si quæras per quid, aio, per Verbum. Si quæras quare, respondeo, quia bonus. Et hæc Trinitas, inquit, unus Deus est. »

CAPUT XVII.

Quid in plasmatione hominis, cujusque personæ Trinitatis proprium opus discernendum sit.

Igitur in opere mundanæ fabricæ cunctorumque creatione, omnipotens omnia sciens omnibus commendatur benigna Trinitas. Amplius autem in eo quem universis præponere decernebat, id est, in homine seipsam exprimere dignata est, dicendo : « Faciamus hominem (*Gen.* I). » Nam in verbo, faciamus, manifeste personarum pluritas innuitur, in quo per consilium quod sic præmittitur, eadem diligentia de qua jam dictum est, magnificentius commendatur. Et in hoc opere plasmatio, propria Patris operatio est. Deo vero, quæ in hoc plasmate, ultra cætera animalia, quæ jam creata fuerant, addita sunt, videlicet ut fieret ad Dei imaginem, et similitudinem cæterarum personarum, id est Filii et Spiritus sancti, insignia sunt. Ad imaginem quippe Dei, quæ Filius est, sicut Apostolus ait, de illo loquens : « Qui est imago Dei invisibilis (*Coloss.* I), » et alibi : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I) ; ad imaginem, inquam, Dei, sive figuram substantiæ ejus homo conditus est, in eo quod rationalis est ; ad similitudinem vero, in eo quod divinæ bonitatis imitator conditus est : quod proprie sancti Spiritus opus est. Bonitas quippe vel charitas Dei, Spiritus sanctus est Qui cum, ut supra dictum est, Patrem, ut omnia per Verbum operaretur, excitaverit, tum vero in plasmatione hominis, ita studiosum reddidit, ut nihil eorum subtraheret, quæ conferre potuit. Quid enim taliter condito homini præter naturaldm divinitatem defuit ? At vero id, quod per naturam Deus sit, generare utique Deus potuit ; Deus enim est Verbum, quod genuit : creare autem vel plasmare tale quid, cum sit omnipotens, nullo modo potuit. Nec in hoc quidquam derogatur omnipotentiæ, cum æquale sibi, qui est ultra omnia, extra omnia, præter omnia dicitur Deus creare non potuisse. Igitur in plasmatione hominis, ut dictum est, benevolentia Dei, quæ est Spiritus sanctus, maxime operam suam adhibuit, cum ei, qui utpote creatus, naturaliter non poterat esse Deus, gratia sui similitudinem Dei contulit. Quæ Dei similitudo, ut sedem vel receptaculum haberet, imago sive figura substantiæ Dei, quæ est Filius, animæ hominis impressa est, ut a suo Spiritu sancto prædictam similitudinem reciperet, quomodo pretioso lapidi foramen aperitur, per quod gracilem auri virgulam, qua constringatur et teneatur, recipiat. Quod et de angelica sentiendum est creatura. Unde et arguitur in Ezechiel, et ut superius dictum est, angelus ille : « Et foramina tua, inquit, in die, qua creatus es, præparata sunt (*Ezech.* XXVIII). » Quia rationalis conditus, quia per foramen ejusdem rationis aurum, id est sanctum dilectionis spiritum admittere noluit. Ideo sequitur : « Repleta sunt interiora tua iniquitate (*ibid.*). » Sed ut ad hominem redeam, maxime in plasmatione hominis, magnum et profundum Trinitatis consilium significari debuit, videlicet quia non solum conditus est, sed et unica materia est, per quam innotescit principatibus, et potestatis et cœlestibus, sicut ait Apostolus, multiformis sapientia Dei (*Ephes.* V). Nam præter hoc, quod hæc verba sonant : « Faciamus **138** hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » hoc quoque in eodem consilio præfinitum est, qualiter perditum eumdem hominem propria singularum operatione personarum, eadem quæ plasmabat Trinitas recuperaret. Quod manifesta ejusdem operatione distinctione perspicuum est. Nam post plasmationem, imo post lapsum hominis, eadem quæ condidit Trinitas, hoc ordine sese in recuperando erexit. Primum Pater est, qui quæstionem hanc depromens : « Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum (*Gen.* III), » protinus adnectit : « Nunc ergo videte, ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum, ejecit illum (*ibid.*), » etc. Viam enim hic fecit Pater misericordiarum, viam, inquam, fecit misericordiæ suæ, in eo quod hominem post peccatum noluit vivere in æternum. Nam cum sit hominis post peccatum misera vita (*Job.* VII), si esset æterna, quid esset nisi æterna miseria ? Hæc autem dæmonum est, scilicet æterna miseria vel misera æternitas, ex opposito Dei, cujus est æterna beatitudo, vel beata æternitas. Igitur primum et magnum opus misericordiæ, quod, sicut commemorat Augustinus, Plotinum quoque gentilium quemdam philosophum recte dixisse : Pater misericors mortalia nobis condidit corpora. » Hoc enim modo custos hominum, non solum sibi contrarium hominem posuit, sed et a dæmonibus longe differre fecit, ut esset ejus temporalis miseria, vel misera temporalitas. Est ergo proprium personæ Patris opus, mortalitatis illatio ; proprium personæ Filii, animarum redemptio pariterque corporum resurrectio : proprium sancti Spiritus, animarum resuscitatio, pariterque corporum immutatio illa, de qua dicit Apostolus : « Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.*

XIII), » id est impassibiles erimus. Solum namque hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, post resurrectionem impassibiles erunt. Itaque in creatione quam in recreatione hominis, ut prædictum est, Trinitas distincte operata esse comprobatur, totumque opus hoc provisum esse ab eo, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, testatur illa consilii divini reverenda expressio, qua dictum est : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Igitur, ut superius dictum est, recte in Isaia per duo seraphim duo intelliguntur Testamenta, quæ consona voce ad alterutrum clamant : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth (*Isa.* VI), » dum ejusdem Trinitatis gloriam, quæ in Novo Testamento revelatur, Vetus quoque concorditer attestatur, sicut in ipsis antiquæ Scripturæ foribus apparere jam breviter diximus. Cæterum, si introgressi, undique ejusdem Trinitatis testimonia scrutari velimus, prolixitas modum excedet, nimiumque, præsertim cum aliud propositum sit, fastidium pariet. Quapropter ad propositum festinantes, illud solum considerare libet qua ratione ad propitiationem Dei Patris humano generi impetrandum, soli vel maxime Filio carnem assumere convenerit.

CAPUT XVIII.

Quam recte cum tres personæ sint Deitatis, ad solam Filii personam carnem suscipicere, hominemque redimere pertinuerit.

Divina dispositio, qua Filii personam potius quam Patris aut Spiritus sancti incarnari complacuit, ipcirco maxime miranda est, quia peccatum primi hominis maxime contra eumdem Filium admissum est, ob cujus expiationem Filius ipse homo fieri dignatus est. Sed et diaboli peccatoris antiqui superbia, maxime propter Filium adversus Creatorem intumuit. Quod ex verbis ejus advertere promptum est. Ait enim : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV). » Utique cum hæc diceret, invido adversus Filium livore servilis contumacia torquebatur, eo quod uni et soli nato, non facto, tota cœlorum curia æque ut Patri, quo tanta differentia jure famularetur. Grandi quippe differentia sese ab uno qui erat in sinu Patris, distare indignabatur, cum se inter cætera ab artifice Deo factum, illum ex Patre Deo solum videret super omnia eatum. Tunc servilis tumor adversus eumdem unigenitum grassatus est, longe nequius quam Ismael ex ancilla procreatus, dominum suum Isaac de libera genitum persequebatur, ut testatur Apostolus : nequius, inquam, utpote ubi et longe subtilior malitia, et multo longinquior conditionis erat differentia, quæ superbientis odium concitabat. Propter quod odium jam erat homicida, testante eodem Dei Filio in Evangelio, ac dicente : « Ille homicida erat ab initio (*Joan.* VIII). » Sed homicidium illud tunc actu perficere non poterat, cum nondum in illo Dei Filio esset humana, quæ posset occidi, natura. Perfecit autem, cum illum ad terras descendisse, hominemque mortalem factum esse agnoscens

A (exibant enim, inquit evangelista, dæmonia a multis clamantia et dicentia : Scimus quia Filius Dei es (*Luc.* IV) ;) agnoscens, inquam, illum advenisse in carne, peccator antiquus insurrexit, eumque per suos satellites patibulo crucis affixit. Nam sapientiam ejus, videlicet dispositionem, qua per mortem suam redempturus erat humanum genus, « nemo principum hujus sæculi cognovit, inquit Apostolus. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Virtus autem ipsa, per quam se vicisse putabat, mortis infirmitate, persistit in ejusdem Dei Filii odio implacabili, per Judæorum ora negantium, per hæreticorum blasphemias creaturam illum esse asserentium. Sed ut ad primi hominis peccatum redeam, sciendum quia, priusquam B per serpentem diabolus de vetito ligno comedere mulierem persuaderet, uterque, scilicet vir et mulier, occulta ejusdem hostis inspiratione appetiverant esse sicut dii. Alioquin frustra ad perpetrandum id quod persuadebat, hac promissione usus fuisset, dicens : « Et eritis sicut dii (*Gen.* III). » Nemo enim nisi id quod sentit appetit, pro fructu repromittit alicujus operis. Quam autem contra Trinitatis personam magis hic hominis quoque tumor sese intenderit, apparet per hoc quod addidit : Scientes bonum et malum (*ibid.*). » Utique Filium, qui sapientia Patris est, superbe æmulati sunt, id est pares illi sese fore arbitrati sunt, habendo scientiam omnium. Unde lignum prævaricationis, ironice nomen accepit, ut diceretur lignum scientiæ boni et mali, licet a scriptore historiæ sic vocetur, etiam ante peccatum C hominis. Quod per anticipationem constat fieri. Eadem ironia dicit ipsa, quæ unus est Deus, Trinitas : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum (*ibid.*). » Quasi unus ex nobis, id est quasi Filius, qui sapientia Patris est, cujus æqualitatem appetivit, id est scientiam boni et mali. Nam scientia boni et mali solius Dei est, qui omnia scit, et malo quoque bene novit uti. Unde cum dictum esset : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » statim ironice additum est, in quo, videlicet in eo quod est « sciens bonum et malum. » Similiter ironice diabolus quoque appellatur cherub in Ezechiele, quod interpretatur *plenitudo scientiæ* (*Gen.* XXVIII). Igitur magis contra propriam personam Filii Dei diabolus, et ipse intumuit, et hominem erexit, dum D uterque æqualitatem sapientia Dei, quæ Filius est, appetivit **139** eique subesse contempsit. Unde miranda, ut superius jam dictum est, divinitatis dispensatio, mira dignatio, ut ille contra quem potissimum peccatum admissum fuerat, scilicet Filius, intercessor apud Patrem accederet, homo factus, et pro inimicis suis morti spontanea charitate addictus, tanquam si Isaac idcirco se patiatur immolari (*Gen.* XII), ut Ismael in gratiam patris ac matris veniat, suusque cohæres fiat, qui ideo fuerat ejectus, quia sese, non ipsum patrem persequebatur (*Gen.* XXI). Sed neque Isaac, neque alium quempiam sacra refert historia pro inimicis suis intercedendo spontaneam excepisse

mortem. Vix enim pro amico suo, vel, ut ait Paulus, A « vix pro justo quis moritur (*Rom.* v). Commendat ergo charitatem suam in nobis Dei Filius, quoniam, cum in ipsum peccando, Patrem offendissemus, ipse naturam, in qua pro nobis moreretur, assumere dignatus est (*ibid.*). In hac dilectione, quisquis illum imitatur, potest ad illam Dei similitudinem quam per superbiam diabolus vel ipse homo appetivit, ascendere. Cum enim dixisset ipse : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* v), statim adjecit : « Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis (*ibid.*). » Ac si diceret : Non magnificentia scientiæ de qua præsumens Satanas, dixit in corde suo : Similis ero Altissimo (*Isa.* XIV), » vel quam vestris parentibus promittens dixit : « Eritis sicut dii, scientes bonum et B malum (*Gen.* III). » Non inquam, scientia, sed supereminens scientiæ charitas (*Ephes.* III), causa est efficiens ut Altissimo similes sitis : Nec ergo vobis filiorum Dei dignitatem invideo ; non enim rapinam arbitratus sum me esse æqualem Deo (*Philip.* II), sed ascensum superbiæ aversor, per quam, cum ascenderet Satan, videbam eum sicut fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* x). » Discite ergo a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Hoc miraculum divinæ dispensationis Propheta intuens, ait : » Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI). » Magnum est hoc et mirabile quod Filius, cum aquæ ut Pater Deus sit creaturæ suæ, rex quoque ejus dignatus est dici et esse, et hoc secundum judicium legemque justitiæ. Quod hoc modo C promptum est advertere. Dignum erat ut is ipse, scilicet Filius, per quem omnia condita sunt, dominus et rex esset omnium, neque per quemlibet alium regerentur, qui utique cum esset creatus, non erat Creator eorum. Regis autem debitum ac legitimum est officium, ut subditus danda vel data præcepta, prior ipse actibus impleat, ne, dum militibus laboriosam mandat militiam, ipse in deliciis sua potestate abutendo, causam præbeat eorum murmurio. procul dubio dicentium, deliciosum esse ducem, qui subditis ea præcipiat quæ facere fugiat aut non possit. Igitur et hoc dignum fuit, ut ea quæ præceperat, vel præcepturus erat, ut Deus, ipse præcipue opere impleret, ut rex, videlicet omnimodæ humilitatis opus, quale est illud : Quanto magnus es, humilia te in omnibus (*Eccli.* XIII). Magnum D hoc, ut supra dictum est, et mirabile est, quod cum dominari posset creaturæ suæ, sola excellentia potentiæ, maluit æqualiter cum ea judicium legemque subire justitiæ : Quapropter antequam in forma sui militiam vitæ subisset humanæ, minora dedit hominibus præcepta ; cum autem homo factus esset, imposuit altiora ad modum regis probi ac strenui : qui dum in prima acie commiserit cum hoste, acri certamine fessus, cruentisque insignis vulneribus, cum discrimine universos eripuit, tum demum dat præcepta fortitudinis, fiducialius, justius, constantius, utpote factis dicta juvantibus ; militibus que murmurare de labore, vel delicias quærere, viso ducis sanguine, non audentibus. Ita priusquam circumdatus esset infirmitate Dominus virtutum, dictum est antiquis : Non occides (*Exod.* xx). Quando autem idem rex gloriæ tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato, et didicit obediens esse, non seipsum defendens : « Ego autem dico vobis, inquit, quia omnis qui irascitur fratri suo (*Matth.* v), » etc. Bene ergo Propheta, ut supra dictum est, « Deus, inquit, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis : » quia videlicet immensitate potentiæ nullatenus minor est divinæ tanta magnitudo justitiæ. Quam justitiam nos quoque qui sub paterna prævaricatione rei detinebamur, in eo suscipimus, sicut mox in eodem Psalmo additum est : Suscipiant montes pacem populo, et colles justitam (*Psal.* LXXI), » in eo, inquam, suscipimus, quia quem primi parentes nostri contempserunt Deum in gloria sua fulgentem, nos adoramus in carne nostra nascentem, in cruce sua morientem. Hinc enim justificamur, quia super antiquum servitutis pensum, quod est adorare Deum, quod debebat etiam, si nunquam peccasset genus humanum, hoc adjicitur, ut hominem crucifixum adoremus. Hac, inquam, satisfactione efficitur ut, salva justitia sua, nos in antiquum statum restituat justus Deus.

CAPUT XIX.

De officio ejusdem sanctæ Trinitatis.

In officio ejusdem sanctæ Trinitatis, recte hæc Evangelii lectio ponitur, qua maxime necessarium salutaris baptismi remedium commendatur (*Matth.* XXVIII), videlicet quia sine virtute hujus nominis quantacunque dicas, irritum est lavacrum, neque per aquam potest quisquam renasci, nec aliter nomine hoc signamur nisi cum illo baptismi sacramentum suscipiamus. Huic Evangelio consonat ea quæ præmittitur lectio libri Apocalypsis, maxime in eo quod ait : *Et in circuitu sedis tanquam mare vitreum simille crystallo* (*Apoc.* IV). Mare namque vitreum crystallo simile, baptismum significat puræ confessionis et solidæ fidei. Et quod in Evangelio dictum est : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei (*Joan.* III), » hic significatur per hoc, quod in circuitu sedis mare ostenditur. Nam quia in circuitu sedis est mare, profecto ut ad eamdem sedem perveniatur, mare necesse est transmeare. *Septem* quoque *lampades ardentes ante thronum* (*Apoc.* IV), id est septem spiritus Dei. Quia non est dictum : « Nisi quis renatus fuerit » ex aqua solum, sed « ex aqua et Spiritu sancto. » *Et in medio sedis et in circuitu ejus quatuor animalia, die ac nocte dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui eras, et qui es, et qui venturus es* (*ibid.*), catholici doctores sunt, qui meritorum qualitatibus, tanquam diversis discreti vultibus, et ad cavendam hæreticorum perfidiam, sive ad subditorum, suamque salutem providendam, in circuitu et intus, id est in corporalibus, et in spiritualibus pleni oculis, scilicet illustratione

Spiritus sancti, fidem sanctæ Trinitatis, tam in A et invitare populos ad illud mare baptismi. adversis quam in prosperis, prædicare non cessant,

LIBER DUODECIMUS.

140 CAPUT PRIMUM.

Dominica prima post Pentecosten.

Dominicæ primæ post octavas Pentecostes officium voces emittit pauperis illius qui per Lazarum in Evangelio figuratur (*Luc.* XVI), scilicet gentilis populi, qui ad fidem Trinitatis, prædicantibus, ut supra dictum est, apostolis confugiens, de interiore sensu legis cupiebat refici, tanquam de micis quæ cadebant de mensa divitis, videlicet populi Judaici qui, dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit: ille autem, scilicet gentilis populus, dum conversus ad Deum, peccata sua confiteri non erubuit, ulceribus plenus exstitit, et ei vulnus in cute fuit. Hujus, inquam, voces sunt mendicantis, quod maxime claret in graduali: *Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL). Epistola: *Deus charitas est* (*I Joan.* IV), primo adversus Judaici populi depromitur invidiam, qua pauperem jam dictum non debere admitti contendit juxta illud: Quare introisti ad viros præputium habentes? (*Act.* XI.) Manifestum est enim Judæos semper gentium odisse salutem. Simul, quia moralis quoque sensus in hoc evangelio non deest, commonemur utiliter hoc exemplo ne ab ullo paupere avertamus faciem nostram. Charitatem quæ in prædicta commendatur epistola promptum est eodem sensu, id est morali, accipere, maxime quod ait: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* (*I Joan.* IV.)

CAPUT II.

Dominica secunda post Pentecosten.

Dominica secunda legitur hoc evangelium: *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos* (*Luc.* XIX). Notum est autem quia per multos qui vocati fuerant et hora cœnæ cœperunt excusare, contemptores significantur qui plus terrena quam cœlestia diligunt, qui amplius rebus corporalibus quam spiritualibus occupantur. Et per hoc quod ait quisque illorum: *Rogo te, habere me excusatum* (*ibid.*), quod inquam dixit: Rogo et tamen venire contemnit, quod sonat humilitas in voce, superbia in actione, per hoc plane, ut dictum est, exprimitur, quod dum cuilibet carnalium dicitur: Convertere, Deum sequere, mundum relinque, respondere solet: Ora pro me, quia peccator sum, hoc facere non possum. Dicendo: Peccator sum, humilitatem insinuat; subjungendo: Converti non possum, superbiam demonstrat. De his ergo labiis iniquis, de hac lingua dolosa (*Psal.* CXIX), in graduali nos liberari poscimus. Recte, pulchre atque consone servus egregius, qui nos invitat, dici in præeunte epistola: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* III). Quorum iniqua labia linguamque dolosam qui contemnit (solent enim a loro converti volentes devocare, tum sanctum propositum vituperando, quod est iniqua labia habere, tum nimium laudando nimiasque difficultates arctæ viæ vel angustæ portæ prætendere (*Matth.* VII), quod est linguam dolosam habere): qui, inquam, dehortantes eos contemnit, et audire non vult, confortat animum suum, et dicit illud quod in alleluia cantamus: *Deus, judex justus, fortis et patiens, nunquid irascetur per singulos dies?* (*Psal.* VII.) Videlicet cum alibi dicat: « Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras (*Joan.* VI), » tandemque de infirmitate convalescens, et viam mandatorum Domini, quæ angusto initio cœpta fuerat, dilatato corde percurrens, dicit quod in introitu cantatum est: *Factus est Dominus protector meus: et eduxit me in latitudine* (*Psal.* XVII.)

CAPUT III.

Dominica tertia post Pentecosten.

In evangelio Dominicæ tertiæ commendatur nobis quanta de conversis peccatoribus Deo cura sit, per parabolam centum ovium, et unius perditæ, quam bonus pastor inventam imponit in humeros suos gaudens, et sic reportat ad gregem, itemque per aliam parabolam decem drachmarum, quarum unam, quæ perdita fuerat, mulier studiose lucernam accendens, requirit et innenit (*Luc.* XV). Ad hunc sensum profecto respicit quod Petrus in epistola sua evigilandum esse commonens: *Quia adversarius vester*, inquit, *diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V), qui utique ovem illam centesimam devoraverat, et nunc inventam esse dolens, iterum circuit et amplius rugit. Ideo præmisit et hoc: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (*ibid.*). Cui sensu graduale succinit: *Jacta cogitatum tuum* (*Psal.* LIV), et offerenda: *Sperent in te omnes* (*Psal.* IX), et quia prædictum evangelium pro peccatore contextum est, super quo pœnitentiam agente gaudium est angelis Dei, recte unicus et pauper clamat in introitu: *Respice in me, et miserere mei* (*Psal.* XXIV).

141 CAPUT IV.

Dominica quarta post Pentecosten.

Dominicæ quartæ evangelium est: *Estote misericordes, quia et Pater vester misericors est* (*Luc.* VI). Cui palam lectio epistolæ, quæ præmittitur, concinit, iterum atque iterum creaturam asserens exspectare revelationem filiorum Dei (*Rom.* VIII), quem Patrem nostrum esse præsenti evangelio Dominus asserit: *Estote*, inquit, *misericordes, sicut et Pater vester cœ-*

testis misericors est. Introitus, *Dominus illuminatio mea* (*Psal.* XXVI), itemque, offerenda, *Illumina oculos meos* (*Psal.* XII), idcirco congruunt, quia trabem vel festucam peccati de oculo, id est odium, quod Evangelium monstrat oportere ejici, cum gratia sancti Spiritus expellit, Dominus illuminatio cordis est, et hi quibus videndus est Deus, illuminantur oculi, ut, sicut in Graduali canimus, *Videat cor mundum voluntatem Domini, et visitet templum ejus* (*Psal.* XXVI), et hoc non suis viribus, sed ejus cui in communione dicimus: *Dominus firmamentum meum* (*Psal.* XVII), etc.

CAPUT V.

Dominica quinta post Pentecosten.

In evangelio quintæ Dominicæ narratur quia, laxatis ad imperium Domini retibus in capturam conclusaque piscium multitudine copiosa, et retia rumpebantur, et impletæ sunt naviculæ, ita ut mergerentur (*Luc.* V). Per hoc illud significatum est quia, carnalium turbis Ecclesiam complentibus et super numerum multiplicatis, tumultus et dissensiones orirentur, et non solum ebriosorum, raptorumque subintroeuntium malis moribus, Ecclesiæ navicula premeretur, sed hæreticorum quoque disceptationibus rete fidei disrumperetur. Propter hoc illa magni piscatoris nostri Petri apostoli lectio, opportune præmittitur, pisces suos ad unitatem, et pacem cohortantis, et dicentis: *Omnes unanimes estote, patientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto* (*I Pet.* III), videlicet quia per hoc tumultus crescit, et seditio convalescit. Et post pauca: *Sed etsi quid patimini propter justitiam beati* (*ibi.*), etc. In hujusmodi periculis constitutæ Ecclesiæ voces sunt cæteræ partes officii. Introitus: *Exaudi, Domine, vocem meam* (*Psal.* XXVI). Amplius autem Graduale, *Protector noster, aspice, Deus* (*Psal.* LXXXIII), sensui supradicto consonat. Sumptum est enim de psalmo habente in titulo: *Pro torcularibus*. Quo nomine præsentem Ecclesiam designari dubium non est, ubi electi reproborum tot scandala patiuntur ut, juxta evangelicam similitudinem, quasi rete tumultu piscium rumpi videatur. Quorum schismata quisque cavens, dicit in offerenda: *Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum* (*Psal.* XV). Et in communione: *Unam petii a Domino* (*Psal.* XXVI), id est non scissuras mentium, sed unitatem fidei.

CAPUT VI.

Dominica sexta post Pentecosten.

Dominica sexta dicendo Dominus in Evangelio: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, ego autem dico vobis* (*Matth.* V), etc., manifeste nobis illam novitatem necessariam inculcat, quæ passim in sacris commendatur Scripturis, « ut renovemur spiritu mentis nostræ, et exuentes veterem hominem, induamus novum eum, qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV). » Quod enim antiquis dictum est, nos qui novi dicimur, in melius transcendere debemus. Recte ergo illa præmittitur lectio, ut novum hominem Christum induceremus, dicente Apostolo: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* VI), etc. Dicendo itaque: *Et nos in novitate vitæ ambulemus* (*ibid.*), plus quam illud quod antiquis dictum, est nos debere testatur. Cæteræ partes officii, Introitus, *Dominus fortitudo* (*Psal.* XVII); Graduale, *Convertere, Domine* (*Psal.* LXXXIX); Offerenda, *Perfice gressus meos* (*Psal.* XVI), Ecclesiæ voces sunt ad supradictam perfectionem evangelicam tendentis, et auxilium implorantis, quia vera et perfecta justitia, nemo per se potest justificari. Et cujus justitia sic abundavit, ut juxta idem evangelium, si offert munus suum ad altare et recordatus est, quia frater suus habet aliquid adversus eum, relinquit ibi munus suum, et vadit prius reconciliari fratri suo (*Matth.* V), ille est qui in communione dicit: *Circuibo, et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis* (*Psal.* XXVI).

CAPUT VII.

Dominica septima post Pentecosten.

Dominica septima legitur hoc evangelium, quo refecturus Dominus eum dixisset: *Misereor super turbam* (*Marc.* VIII), etc, hanc miserationis suæ causam subjicit, dicens: *Quidam enim ex eis de longe venerunt* (*ibid.*). At vero hi qui de longe venerunt, illos designant qui a criminalibus peccatis, vel etiam a daemonum cultura ad verum Deum conversi, justitiam, a qua jejuni sunt, esuriunt et sitiunt. Bene ergo illa lectio præmittitur, in qua talibus dicitur: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est* (*Rom.* VI). Talibus dicit Ecclesia mater in graduali: *Venite, filii, audite me* (*Psal.* XXXIII), etc. Et isti, quia peccatores sunt, dicunt in offerenda: *Sicut in holocaustum arietum*, etc. Istis nihilominus salutaris dicitur in introitu: *Omnes gentes, plaudite manibus* (*Psal.* XLVI), *dicentes*, quemadmodum alibi refecti dixerunt: *Vere hic est propheta*, imo Dominus prophetarum, *qui venturus est in mundum* (*Joan.* VI).

CAPUT VIII.

Dominica octava post Pentecosten.

In evangelio Dominicæ octavæ: *Attendite*, inquit Dominus, *a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII), etc. Hoc de omnibus quidem intelligi potest qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant, sed specialiter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis veste se circumdare, intrinsecus vero habentes animum venenatum, simplicium fratrum corda decipiunt. Lectio epistolæ: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus* (*Rom.* VIII), consonat huic evangelio, quo dicitur: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Nam et paulo supra dixerat Apostolus:

« Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus (*Rom.* VIII), » et nunc ait : *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*ibid.*). Et facta carnis, de quibus ait : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis*, **142** *vivetis* (*ibid.*), fructus sunt, ex quibus falsi prophetæ cognoscuntur, a quibus filios Dei discernit Spiritus Dei, qui testimonium reddit spiritui ipsorum (*ibid.*). Hic spiritus, illa misericordia est, de qua in introitu cantamus : *Suscepimus, Deus misericordiam tuam in medio templi tui* (*Psal.* XLVII), id est, in nobisipsis, qui sumus templum tuum (*I Cor.* III), et hoc in medio, id est manifesto. Manifeste enim venit Spiritus sanctus super Apostolos (*Act.* II). Huic, inquam, spiritui clamat Ecclesia in graduali : *Esto mihi in Deum protectorem* (*Psal.* XXX), et in offerenda : *Populum humilem salvum facies, Domine* (*Psal.* XVII.) juxta illud : « Super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem et quietum ? » (*Isa.* LXVI.) Abscondit enim hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis (*Matth.* XI). Unde congratulando dicitur eis in communione : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII).

CAPUT IX.

Dominica nona post Pentecosten.

Evangelium nonæ Dominicæ præposito animarum instruit ad misericordiam, ut compatientes moderatam injungant pœnitentiam confitentibus, quantum debeant, vel quanta peccata commiserint. Laudavit enim Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset ea quæ de illo proposita narrat parabola (*Luc* XVI). Et ad hoc Apostoli lectio, quæ præmittitur consonat, retexendo de illis qui mare transierant, et dona Dei gustaverant : et nihilominus concupiscentes, et fornicantes, a serpentibus vel exterminatore perierunt (*I Cor.* X), et statim adjungendo : *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat* (*ibid.*), etc. Nam quomodo et hi, licet jam glorificati, perierunt, et ille villicus in Evangelio gratiam domini sui habuerat, a qua tamen excidit ; sic et prælatus quisqne meminisse debet, et scire se quoque aut peccasse, aut si non peccavit, ejusdem tamen fragilitatis esse ut potuerit, vel adhuc possit peccare, atque de seipso commonitus, recogitet infirmarum se suscepisse curam animarum, non super sanas tyrannidem. Introitus, *Ecce Deus adjuvat me* (*Psal.* LIII), et Graduale, *Domine Dominus noster* (*Psal.* XVIII). Offerenda quoque, *Justitiæ Domini*, voces sunt supra dicti villici, gratias referentis Domino Deo suo, misericordibus misericordiam facienti. Communio vero, *Primum quærite regnum Dei* (*Matth.* VI), idem imperat, quod illa Domini sententia de evangelio jam dicto : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (*Luc.* XVI), etc.

CAPUT X.

Dominica decima post Pentecosten.

Dominica decima legitur hoc evangelium quod Dominus flevisse refertur super civitatem Hierusalem. Qui et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo (*Luc.* XIX). Notum est pene cunctis, tam in Scripturis quam in ore omnium satis usitatum per hoc illud significatum esse quod illos de Ecclesia sua Dominus ejiciat, qui sacros ordines emunt aut vendunt, quia videlicet tales negotiatores columbas quoque, id est sancti Spiritus dona venalia faciunt. Itaque recte et opportune illa præmittitur Apostoli lectio, quæ satis aperte indicat non posse ab homine dari, nedum vendi aliquid doni spiritualis, sed a solo Spiritu Dei, dividente singulis prout vult, dari gratuito, alii sermonem scientiæ, alii sermonem sapientiæ, alii genera linguarum, alii fidem, alii prophetiam (*I Cor.* XII), etc. Et qui hujus, id est sancti Spiritus exspectat electionem potius quam hominum, dicitur in introitu : *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV). In Domino, inquit, jacta cogitatum tuum, non in teipso, dicendo quod alibi scriptum est : « Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me (*Psal.* XXX). » Videlicet ut Simon Magus ille, qui Dei donum existimavit pecunia possideri (*Act.* VIII), et ipse te enutriet, inquit, dicentem scilicet quod in graduali canitur : *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI), ne, superbiendo et evagando, fiam sicut ablactatum super matre sua (*Psal.* CXXX). Potius « *de vultu tuo judicium meum*, id est, electio mea, *prodeat* (*Psal.* XVI), quam ipse me commendem præsumptione mea. Idem in offerenda dicit : *Ad te, Domine, levavi animam meam, etenim universi qui te exspectant, non confundentur* (*Psal.* XXIV). His autem qui ab hominibus exspectant vel emunt, dicit Sapientia Dei : « Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit (*Prov.* XX), » Et quod talium sacerdotum sacrificium non acceptet Deus, quia sacrificia sunt injustitiæ, monstratur per oppositum in communione : *Acceptabis sacrificium justitiæ* (*Psal.* L), etc.

CAPUT XI.

Dominica undecima post Pentecosten.

Dominica undecima ponitur hoc evangelium : *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent* (*Luc.* XVIII), etc. Cui manifeste consonat ea quæ præcurrit epistolæ lectio : *Notum vobis facio Evangelium* (*I Cor.* XV). Nam exemplum publicani in evangelio se accusantis, et dicentis : *Non sum dignus levare oculos meos ad cœlum* (*Luc.* XVIII), optime in hac epistola Paulus imitatur, dicens : *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV), etc. et quia talis hæc humilitas, unitatem domesticorum Dei conservat, ut non alius adversus alium infletur, recte hic introitus præmittitur, in quo dicitur : *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII). Quodque in graduali dicitur : *Et ex voluntate mea confitebor illi* (*Psal.* XXVII). Itemque in offerenda : *Domine, clamavi ad*

te, et sanasti me (*Psal.* XXIX), vocibus concordat publicani a longe stantis, et peccata sua confitentis, et tali scilicet non pharisaice glorianti, quod decimas det omnium quæ possidet, sed humilem confessionem, se ipsum prius offerenti dicitur in communione, ut sua demum offerat : *Honora Dominum de tua substantia* (*Prov.* III), etc.

CAPUT XII.

Dominica duodecima post Pentecosten.

Officium Dominicæ duodecimæ quibusdam ex partibus ad illos respicit, qui surdum et mutum ad Dominum adducentes, deprecantur eum ut imponat illi manus; quibusdam autem ad ipsum mutum, adaperto ore recte loquentem : Nam ille surdus et mutus, humanum significat genus, quod in primis parentibus ab audiendis præceptis Creatoris obsurduit, et a prædicanda laude ejus obmutuit. Qui autem illum adducunt, et Dominum pro illo deprecantur, universum prædicatorum significant chorum qui genus humanum ad Christi gratiam voce a litteris invitare non desinunt. Et hujus surdi ac muti valde congrua **143** vox est introitus hic : *Deus, in adjutorium meum intende* (*Psal.* LXIX), tanquam si medicata paralysi, quæ linguam suam subito ligaverat, primo ejusdem motu linguæ, Dei nomen repente, ad adjuvandum invocet. Idem ipse loquens, recte dicit in graduali : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Epistola, *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum* (*II Cor.* III), etc. ad ipsos respicit, qui illum adducunt, fiduciam habentes non in scipsis, sed quasi a semetipsis, os vel aures ejus aperire possint; *sed sufficientia nostra ex Deo est* (*ibid.*) etc. Et pulchre hæc offerenda ponitur : *Precatus est Moses* (*Exod.* XXIII). Nam ejus exemplo, « qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio (*Eccli.* XLIV). Iratus enim erat Dominus propter vitulum, quem fecerat Aaron, et dixerat ut disperderet eos; ejus, inquam, exemplo cuncti rectores sese debent opponere pro peccatis subditorum, et deprecari Dominum, ut imponat illis misericordiæ manum. Et quia prædicatores iidem, terra illa sunt quæ, sicut in psalmo legimus, satiata de fructu operum Domini, id est de donis Spiritus sancti, producit fenum jumentis (*Psal.* CIII), id est doctrinam carnalibus, qui Deum nesciebant, populis, recte et hoc in communione canitur : *De fructu operum tuorum, Domine, satiabitur terra* (*ibid.*).

CAPUT XIII.

Dominica tertia decima post Pentecosten.

In officio Dominicæ tertiæ decimæ, cunctæ partes ad illud de Evangelio spectant quod Samaritanus ille, qui *Dei* interpretatur *custos*, scilicet Dominus noster Jesus Christus, appropians homini a latronibus despoliato, et convulnerato, quam pertransierant sacerdos et levita, id est omne Vetus Instrumentum, qui quod reconciliari non potuit genus humanum, appropians, inquam, id est nostram humanitatem assumens, oleum consolationis, et vinum pœnitentiæ peccatorum plagis infudit, et imponens super jumentum suum, id est in corpore suo, peccata nostra perferens super lignum, ad stabulum Ecclesiæ perduxit, et abiens in cœlum, stabulariis suis, id est apostolis et apostolicis viris, vice sua curam atque providentiam nostri contradidit (*Luc.* X). Huic, ut dictum est, evangelio cæteræ concurrunt partes officii. Primum epistola, *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini* (*Gal.* III), per hoc quod tali evangelio præmittitur, multum ad intelligendum aperitur ipsa, simulque tota pene disputatio Pauli et Galatas, unde hæc lectio sumpta est. Nam per hoc quod tum sacerdos quam levita viso homine illo præterivit, innuitur quid lex contulerit, quæ post quadringentos et triginta annos data est, a testamento Dei, cum fideli Abraham per repromissionem confirmato, videlicet quia non quidem ipsa adversus promissa Dei, sed nullus justificari potuit coram Deo ex operibus ejusdem legis. In hoc itaque intelligimus per hoc, quod, ut dictum est, tam sacerdos quam levita, viso homine præterivit, quia sic subintravit lex, quomodo medici puer ad ægrotum nonnunquam ingreditur, morbi quidem causas sciens, sed quod opponat antidotum, conficere non valens, tantumque hoc ægroto dicere novit, quibus ab escis vel potibus abstinendum sit, ne morbus invalescat, est de semivivo penitus mortuum reddat. Hoc namque illud est, quod in prædicta epistola dicit Apostolus : *Quid igitur lex ? Propter transgressiones posita est* (*ibid.*). etc. Plagis namque originalis peccati semivivus homo nascitur. Actualibus vero transgressionibus, propter quas lex posita est, si non abstineat, tanquam noxiis cibis penitus moritur. Itaque secundum hæc bene in introitu præmittitur : *Respice, Domine, in testamentum tuum* (*Psal.* LXXIII), quod in graduali repetitur. Vox enim hæc erat antiquorum adventum Christi ad infirmitatem vel imperfectionem legis flagitantium, tanquam si prætereuntibus sacerdote et levita, Samaritanum supradictum vulneratus ille postulat appropiare, cui et dicat illud quod canitur in offerenda : *In te, Domine, speravi* (*Psal.* XXX), etc. Et quia corpus Christi, quod sumimus, illa specialiter curat vulnera, bene et illud de libro Sapientiæ canimus in communione : *Panem de cœlo dedisti nobis* (*Sap.* XVI).

CAPUT XIV.

Dominica quarta decima post Pentecosten.

In evangelio Dominicæ quartæ decimæ, decem viri leprosi a Domino mundati referuntur, et unus tantum ex eis unicæ Ecclesiæ figuram gerens, cæteris ingratis existentibus, qui hæreticorum typum præferunt, reversus, et gratias agens, de fide sua, qua salvus factus est, ab eodem Domino laudatur (*Luc.* X). Ejusdem Ecclesiæ, quæ per illum unum significatur, vox est illa in introitu; *Protector noster, aspice, Deus* (*Psal.* LXXXIII), maximeque quod ait : *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia* (*ibid.*). Nam idem est ac si dicat : Melius est cor

unum et animam unam habere (*Act.* IV) et idipsum sapere ac dicere, quam diversis imo contrariis sensibus dividi et schismata facere (*I Cor.* I). Quod observans sancta Ecclesia, et ideo una columba dicta (*Cant.* VI), bene per illum unum, ut dictum est, in Evangelio figuratur. Epistola vero in eo prædicto evangelio congruit quod patenter exprimit quid per illorum lepram significatum sit, cum dicit : *Manifesta autem sunt opera carnis quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria* (*Gal.* V), etc., inter quæ sextæ, id est hæreses ponuntur. A quibus emundata Ecclesia, dicit, gratias agens in graduali : *Bonum est confidere in Domino* (*Psal.* XVII), etc., videlicet quia non homo, non principes sacrificiorum carnalium, de quibus dixit eisdem leprosis Dominus, peccatorum lepram tollere possunt, sed solus Dominus. Quod autem in offerenda dicitur : *Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos : gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII), ad fructus illos spectat, qui exprimuntur in epistola : *Fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia* (*Gal.* V), etc., quos gustare est a lepra supradicta curari. Et quia præcepit Dominus illi, qui gratias egit : Vade et offer munus quod præcepit Moses in testimonium illis (*Matth.* VIII), bene in communione canimus : *Panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI), videlicet quia caro et sanguis munus est quod pro emundatione sua jugiter offert unica Ecclesia Christi.

CAPUT XV.

Dominica quinta decima post Pentecosten.

Officium Dominicæ quintæ decimæ, si recte animadvertitur, claret quia maxime adversus excellentiam et inanem gloriam decantatur. Nam ad hoc pertinere illud quod in hujus Dominicæ evangelio Matthæus ait : *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus aut quid bibemus* (*Matth.* VI), etc. Lucas **144** testatur quid, cum eadem diceret, adjecit : Et nolite in sublime tolli (*Luc.* XII). Et quidem secundum eumdem Lucam, ante hæc verba Dominus parabolam de divite stulto, cujus ager cum uberes illi fructus attulisset, et dixisset ipse : « Destruam horrea mea et majora faciam, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare ; ait ad eum Deus : Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te, quæ autem parasti, cujus erunt ? » (*ibid.*). Igitur adversus divites, quibus præcipiendum est : « Non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* VI), » hoc in evangelio supradicto præcipitur : *Nolite solliciti esse*, etc. Cui et consonat præcedens epistola, in eo quod ait : *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi* (*Gal.* VI). Et rursum : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet ; et qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem* (*ibid.*). Ejus itaque qui hoc præceptum fideliter amplectitur, illa vox est in introitu ad Patrem nostrum, qui scit omnia quibus indigemus, sicut in eodem Evangelio dictum est. Vox, inquam illa : *Inclina, Domine, aurem tuam ad me* (*Psal.* LXXXV), vox est pauperis, de manu Dei primum regnum Dei et justitiam ejus, et deinde necessaria corporis, quæ adjicienda sunt, humiliter quærentis. Qui et in graduali eodem respectu ait : *Bonum est confiteri Domino* (*Psal.* XCI), id est necessarium quærere a Domino, et in eo spem ponere, id est bene operari nomini tuo, id est ad honorem nominis tui, Altissime. *Ad annuntiandum mane misericordiam ejus* (*ibid.*), id est primum quærere regnum Dei, et justitiam ejus. Ipse idem gratulabundus, quod necessarium a Patre votum acceperit, narrat in offerenda alias, dicens : *Expectans exspectavi Dominum* (*Psal.* XXXIX), id est non aliunde, sed a Domino quærens ejus regnum, exspectavi quæ adjicienda sunt, *et respexit me* (*ibid.*), id est adjecit quæ necessaria sunt huic vitæ. Communio clare exprimit cibum ejusdem regni Dei, qui primum quærendus sit : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). Quod est enim regnum Dei, nisi mansio ejus in nobis ? Hoc autem ut maneat in nobis, fit manducando carnem ejus, et bibendo sanguinem ejus. Unde et hoc in communione recte ponitur.

CAPUT XVI.

Dominica decima sexta post Pentecosten.

Dominica sexta decima legitur hoc evangelium, quo Dominus flenti viduæ matri mortuum unicum filium vivum reddidit, *et accepit omnes timor, et magnificabant Deum* (*Luc.* VII). Hæc autem vidua sanctam significat matrem Ecclesiam, id est universum prælatorum ordinem, qui regenerandarum in Christo curam habent animarum, qui mortem cujusque animæ, quoties manifestis apparet criminibus, magnis prosequuntur fletibus. Moritur enim tunc filius viduæ, quando quis per crimen aliquod separatur a corpore Ecclesiæ, quæ vidua est, Christo sponso in præsenti non manente cum illa : Huic ergo evangelio bene illa præmittitur Apostoli lectio : *Fratres, obsecro vos, ne deficiatis in tribulationibus meis, pro vobis, quæ est gloria vestra. Hujus rei gratia flecto genua mea* (*Ephes.* III), etc. ; qui ait : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV), » pulchre in officio personam verbis quoque exprimit Ecclesiæ viduæ, vitam filiorum magnis gemitibus postulantis. Introitus, *Miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi* (*Psal.* XXX). Itemque offerenda. *Domine, in auxilium meum respice* (*Psal.* LXX). Voces hujus viduæ, scilicet sanctæ matris Ecclesiæ, sunt quas emittere debet pro filiorum suorum, qui forte in mortem peccati prolapsi sunt, resuscitatione. Graduale vero, *Timebunt gentes nomen tuum, Domine* (*Psal.* CI), ad hoc consonat quod dictum est in prædicto evangelio : *Accepit autem omnes timor*. Nam quomodo ædificat Dominus Sion, juxta ejusdem gradualis versum, nisi procurando vitam et incolumitatem animabus spiritualium ejus filiorum ? Quod quia perficit per cibum corporis et potum sanguinis sui, recte in communione poni-

tur gratiarum actio, eadem vidua scilicet sancta Ecclesia dicente : *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* LXX), etc.

CAPUT XVII.

Dominica decima septima post Pentecosten.

In officio Dominicæ septimæ decimæ nobis innuitur qualiter ad hoc contendere debeamus, ut in oculis Domini magni et honore digni judicemur, et in domo, quæ est Ecclesia, primos recubitus, non nostra præsumptione præripere, sed ab ejus electione exspectare debeamus. Dicitur in evangelio hujus Dominicæ parabola hæc : *Cum vocatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco* (*Luc.* XIV), etc., videlicet hoc in suo cœlesti convivio futurum esse indicans quod ad ultimum infert : *Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc est quod in præeunte epistolæ lectione Apostolus ait : *Obsecro vos ergo vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (*Ephes.* IV), etc. Quod utique idem est ac si diceret : Obsecro vos, ut vocati ad nuptias Christi et Ecclesiæ, sic intretis et discumbatis quomodo et ille qui vos vocavit, qui et dixit : « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat (*Luc.* XXII), » Et tandiu ministravit, donec diceret ille Pater : *Amice, ascende superius* (*Luc.* XIV), id est donec obedienti usque ad mortem, daret illi nomen quod est super omne nomen (*Philip.* II).» Introitus, *Justus es, Domine* (*Psal.* CXVIII), manifeste illam collaudat sententiam, qua in Evangelio dicitur: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Simulque oratio est pro illo, qui se humiliat : « *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam* (*Psal.* CXVIII), » hanc videlicet misericordiam, ut dicas illi : « Amice, ascende superius.» Graduale, *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus* (*Psal.* XXXII), universalis beatificatio populi gentilis qui, superbiente Judaico populo, humiliatus sub signo crucis Christi, superius ascendere meruit, id est supra populum illum qui primo loco consederat, imo de primo consessu superbiebat. In offerenda exemplum ponit efficacissimum, qui cum humiliatus diceret : « Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie gessimus (*Dan.* IX), etc., meruit ita exaltari, ut cum oraret, sicut in eadem offerenda ipse testatur, dicens : *Oravi Deum meum ego Daniel* (*ibid.*), etc., mitteretur illi index futurorum archangelus Gabriel, sicut habet sequens versus : *Adhuc me loquente ibid*), etc. Per illam namque visionem sic exaltatus est, ut non tantum venturum ad salutem nostram Christum prævideret (quod cæteris prophetis commune est), sed et tempora adventus ejus propria quadam gratia prædisceret, dicente sibi angelo : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, et consumetur prævaricatio (*ibid.*), etc. **145** Communio quoque : *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV), in eo maxime imperare videtur, ut in novissimo loco recumbamus, quod A ait *terribili, et ei qui aufert spiritum principum*, id est superborum, quos utique vel convertendo, vel dejiciendo factis ipsis dicit cuique illorum : *Da huic locum* (*Luc.* XIV).

CAPUT XVIII.

Dominica decima octava post Pentecosten.

Supradictum ergo officium hoc innuit ut ad nuptias Christi quilibet invitatus, tali in loco recumbat, ut merito dicatur ei : *Ascende superius* (*Luc.* XIV). Hujus autem sequentis Dominicæ officium, magna et mira declamatione demonstrat eidem, qui vocatus est superius, id est prælatus est domui Christi, et curam animarum suscepit, qualiter in eodem superiori loco se habeat, videlicet ne, juxta Evangelium ejusdem officii, sint sicut Scribæ et Pharisæi, qui B sederunt super cathedram Mosi (*Matth.* XXIII) ; sed sint sicut ipse Moses, de cujus exemplo, quod ecclesiastici sequi debeant rectores, longa et valida declamatio est in offerenda : *Sanctificavit Moses*, et versibus ejus. Non enim ignorare debent animarum rectores, quale ad negotium in superiorem locum vocati sunt, scilicet ut non tam præesse studeant quam prodesse, et sedentes in cathedra Mosi dicant et faciant, imo prius faciant quod cum auctoritate dicant ; neque velint vocari, Rabbi, sed ad hoc tendunt, ut portare possint peccata populi, et a subditis suis avertere iram Dei. Bene ergo cum hoc evangelio positum est in offerenda exemplum Mosi, qui sic sedit in cathedra magisterii, ut per nimiam humilitatem posset intervenire pro subditis, imo et tenere Deum dicentem : « *Dimitte me, ut irascatur furor* C *meus contra eos* (*Exod.* XXXII), » Fecerant enim vitulum, quando sicut in versu offerendæ canimus, *Videns Moses, procidens adoravit, dicens : Obsecro, Domine, dimitte peccata populi tui, et dixit ad eum Dominus : Faciam secundum verbum tuum* (*ibid.*). Hæc est fidelitas servi, quem constituit Dominus super familiam suam (*Luc.* XII), quam postulabant ipsi, dicentes in introitu, ut prophetæ tui fideles inveniantur : *Da pacem*, inquiunt, *Domine, sustinentibus te* (*Eccli.* XXXI), id est eorum quos nobis commisisti, peccata dimitte. Pax enim Dei, peccatorum remissio est. Ut prophetæ tui fideles inveniamur ut nos fideles servi inveniamur, dum familiæ tuæ non tantum præsumus, sed et utiliter pro illis interveniendo prosumus. Talibus in præsenti lectio- D ne epistolæ dicit Apostolus : *Gratias ago Deo meo pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis, quoniam in omnibus divites facti estis* (*I Cor.* I), etc. Ipsi iidem dicunt in graduali: *Fiat pax in virtute tua* (*Psal.* CXXI), id est remissio peccatorum in Spiritu sancto tuo. Ipsis nihilominus in communione dicitur: *Tollite hostias, et introite in atria ejus* (*Psal.* XCV), videlicet quia vestrum officium est : ut pro subditis interveniatis exemplo Mosi, in conspectu Domini stantes in confractione cordis (*Psal.* CV).

CAPUT XIX.

Dominica decima nona post Pentecosten.

In evangelio Dominicæ nonæ decimæ ait Dominus

paralytico : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX). Et his qui audierant cogitantibus mala in cordibus suis, et dicentibus : *Blasphemat*, etc. ; *ut sciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*ibid.*). Per hunc autem paralyticum significatur homo dissolutus et ab omni bono opere remissus qui cum a Domino curatur, et juxta præcedentem epistolam renovatur spiritu mentis suæ, complet apostolicum præceptum, quod in eadem epistola sequitur : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem operetur manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes.* IV). Nam quandiu paralysi erat dissolutus, nihil boni operabatur, imo labores operantium furabatur. Qualiter ego prælati vel rectores animarum salutem procurare debeant subditorum, sicut in præcedenti officio dictum est, hoc sequens exprimit officium. Nam ipsorum est offerre paralyticum in lecto jacentem, id est orare pro his quorum peccata animas in mala conscientia a bono opere torpentes detinent, et ita pro eis intervenire, ut videns Dominus fidem illorum, dicat : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX). In introitu, dum dicit Dominus : *Salus populi ego sum* ; hoc idem nobis de seipso testatur quod et in evangelio jam dicto, murmurantibus Pharisæis, curatione paralytici comprobatur, videlicet quia potestatem haberet in terra dimittendi peccata. In graduali vero jam curatus idem paralyticus, jamque laborans operando quod bonum est manibus suis, quæ prius dissolutæ fuerant, dicit : *Elevatio manuum mearum* (*Psal.* CXL). Et hoc experimento virtutis confortatus in fidele, et fidens in remissione peccatorum consequenda, dicit in offertorio : *Si ambulavero in medio tribulationis* (*Psal.* XXII), etc. Itemque roborans genua; dissoluta quondam, dicit in communione : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas !* (*Psal.* CXVIII.)

CAPUT XX.

Dominica vicesima post Pentecosten.

Officium Dominicæ vicesimæ partim ex vocibus constat eorum qui ad nuptias intraverunt, partim ex vocibus Patrum gementium pro illis qui ad nuptias easdem vocati, quas fecit rex filio suo, non solum venire noluerunt, sed et illos, qui a se missi sunt, servos tenuerunt, et contumeliis affectos occiderunt (*Matth.* XXII). Hoc enim priores fecisse Judæos notum est, qui missos ad se prophetas et sapientes persecuti sunt, et apostolos Christi contumeliis affecerunt. Hos igitur homicidas juste perdendos, et civitatem illorum subvertendam prophetæ prævidelerunt, quorum illa vox est, quæ in introitu ex verbis Danielis decantatur : *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti* (*Dan.* V), etc. Item in offerenda : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus* (*Psal.* CXXXVI). In hac enim seu in versibus ejus hoc deplorant quod ad salices Babylonis organa sua suspenderunt, id est propter infructuosos et steriles auditores, prædicantium voces conticuerunt ; propter eos, inquam, qui vocati ad nuptias, ut dictum est, venire noluerunt, quia non fuerunt digni. In lectione vero epistolæ eos qui de exitibus viarum congregati sunt, ut implerentur nuptiæ discumbentium, Paulus apostolus opportune commonet, dicendo : *Videte, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes* (*Ephes.* V), etc., hoc videlicet intendens, ne inebriatus vino, in quo est luxuria, inveniatur quis absque veste nuptiali, cum rex ad videndos discumbentes intraverit ; sed econtra impleamini **146** *Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus* (*ibid.*), quæ veræ horum sunt epulæ nuptiarum, de quibus in sequenti graduali gratias agentes dicimus : *Oculi omnium in te sperant, Domine* (*Psal.* CXLIV), etc., vel quas in communione postulans quis nostrum dicit : *Memento verbi tui servo tuo, Domine* (*Psal.* CXVIII).

CAPUT XXI.

De Dominica vicesima prima post Pentecosten.

Officium dominicæ vicesimæ primæ voces continet hominis, in conflictu virtutum vitiorumque positi, qui interdum, cum cœperis sanctis florere virtutibus, et juxta benedictionem hominis timentis Deum uxor illius, videlicet domus Dei, cui forte præsidet, sicut vitis abundans excreverit in lateribus domus suæ, id est in amplitudine sanctæ Ecclesiæ, et filii ejus, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ suæ (*Psal.* CXXVII), cum, inquam, ita profecerit, repente tentator diabolus occulta Dei dispensatione permissus, domum, id est conscientiæ ejus statum concutiens evertit, et filios ejus, id est, virtutes animi, turbata in cognitione conscientia, pene conterit. Hoc luce clarius ex offerenda comprobatur ; *Vir erat in terra, nomine Job* (*Job.* I). Moraliter enim in ejusmodi homine aguntur ea, quæ in tentatione hujus beati Job historialiter acta memorantur. Hujus ergo nobilis et præliatoris animi concussionem, vel periculum significat in Evangelio febris quæ pene exstinxerat reguli filium (*Joan.* IV). Præcurrens autem epistola confortat eum circumventum tentationibus et consolatur, ne abundantiori tristitia absorbeatur (*II Cor.* II), dicendo : *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (*Ephes.* VI), etc. Introitus autem. *In voluntate tua Domine* (*Psal.* LXXII), etc., vox est ejusdem militis, humili conscientia cum beato Job in terram corruentis, id est terram se esse cognoscentis, ac dicentis : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum (*Job.* I). » Post quam confessionem petit circonfusus e tentatione effugium, dicens in graduali: *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX). Et in communione : *In salutari tuo anima mea, et in verbum tuum speravit* (*Psal.* CXVIII).

CAPUT XXII.

De Dominica vicesima secunda post Pentecosten.

In officio, Dominicæ vicesimæ secundæ dicimus ad introitum : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ?* (*Psal.* CXXIX.) Nimirum in persona servi illius, de quo Evangelium narrat, semetipsum quisque nostrum humiliter recognoscit, qui decem millia talenta suo debebat regi, procidensque rogabat, dicens : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* (*Matth.* XVIII). Itaque magnitudinem debiti, id est peccati sui quisque nostrum perpendens dicit : *Si iniquitates observaveris, Domine*, etc. Ut autem laxationem quisque nostrum obtineat, agendum est, quod dicit Paulus in præeunte Epistola : *Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu* (*Phil.* I). etc., subauditur enim, ut remittatis unusquisque fratri suo de cordibus vestris (*Matth.* XVIII). Ubi vero charitas hæc abundat, sicut jam dictum est, recte congratulatio illa depromitur, secundum quam in graduali dicimus : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Et si quæras, quantum vel quale bonum sit unitas, id est charitas fratrum cohabitantium, sequitur in versiculo : *Sicut unguentum in capite* (*ibid.*), etc., id est sicut remissio peccatorum effusa per Spiritum sanctum, quæ de capite nostro, scilicet Christo descendit ad barbam Aaron, id est in fortes, et perfectos Christi apostolos, et ab illis usque ad nos. Tunc enim cohabitatio fratrum est, sicut illud unguentum, cum donamus invicem, si quid habemus adversus alterutrum (*Matth.* XVIII), fratres et conservi, sicut evangelicus rex Christus donavit nobis. Mandavit namque benedictionem (*Psal.* CXXXII), id est eamdem remissionis charitatem, ut donemus invicem, et vitam usque in sæculum, subaudis forte promisit hujus charitatis præmium. In offerenda vero : *Recordare mei, Domine* (*Esther.* XIV), quæ sumpta est de oratione Esther, commovemur summopere curandum esse et orandum, ut placeant verba nostra in conspectu principis, scilicet ejusdem regis magni, quid posuit rationem cum servis suis, verba, inquam, nostra dicentium : « Dimittere nobis debita nostra (*Matth.* VI). » Non enim placebunt hæc verba nostra in conspectu principis, cum ille rationem posuerit, si non dimittimus et nos debitoribus nostris. Quod autem canimus in communione ex auctoritate Evangelii : *Dico vobis, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV), de illo sentiendum debitore, qui sic pœnitet, et sic sibi postulat dimitti, ut primum dimittat ipse conservis suis.

CAPUT XXIII.

De Dominica vicesima tertia post Pentecosten.

In tantum sacrosancta Ecclesia, juxta edictum Apostoli, obsecrationes, postulationes gratiarum actiones (*I Tim.* II), pro omnibus agit, ut pro futura quoque filiorum Israel salute gratias agat, quos suo quandoque corpori uniendos fore cognoscit. Nam quis in fine mundi reliquiæ illorum salvæ fient (*Rom.* XI), in hoc ultiA mo anni officio gratulatur de illis, utpote futuris membris suis. Dicit ergo in introitu annuntians jugiter quod Prophetarum est de illis : *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis; et non afflictionis* (*Jer.* XXIX). Pacis enim cogitationes cogitat, et non afflictionis, qui convivium gratiæ suæ facturum se repromittit cum illis secundum carnem fratribus suis, sicut in patriarcha Joseph præfiguratum est. Nam sicut ad illum in tota terra Ægypti dominantem venerunt, qui eum vendiderant fratres sui, fame compulsi, et ab eo recogniti atque recepti sunt, et ipse cum illis celebravit convivium (*Gen.* XLIII), sic ad ipsum Dominum nostrum, toti mundo principantem, et Ægyptios, id est gentiles, qui in peccatorum tenebris fuerant, pane vitæ copiosius

B alentem, revertentur reliquiæ filiorum Israel, et ab eo recipientur in gratiam, quem negaverunt et occiderunt, et tunc mensam suam communicabit eis, et inebriabitur Joseph iste cum fratribus suis. Hujus mensæ gratiam signat illud evangelium in officio Dominicæ, quo ipse narratur de quinque panibus saturasse quinque millia hominum (*Joan.* VI). Tunc enim quinque libros Mosi aperiet Judæis, quos nunc velut integros panes portat puer, scilicet idem populus sensu puerili, edentque, et saturabuntur etiam ipsi, et laudabunt Dominum requirentes eum (*Psal.* XXI). Tunc implebitur illud Hieremiæ vaticinium, quod hoc evangelio recte præmittitur : *Ecce venient dies, dicit Dominus, et non dicent ultra.* 1117 *Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti : sed vivit Dominus, qui eduxit et adduxit*

C *semen domus Israel de terra aquilonis et de cunctis terris ; ad quas ejeceram eos illuc, et habitabunt in terra sua.* Soluti ergo illi, qua nunc tenentur, captivitate animarum, clamabunt alta devotione gratiarum actionem, quam sequens innuit graduale : *Liberasti nos, Domine, ex affligentibus nos* (*Psal.* XLIII), etc. Supplicatio quoque qua dicimus in offerenda : *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX), eidem rei vel tempori manifeste congruit. Dicent enim ad hunc magnum Joseph, fratres sui in illa die : « Obsecramus ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum (*Gen.* L). » Communio quoque : *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis* (*Marc.* XI), etc. : responsio est ejusdem Joseph, dicentis : « Nolite timere. Vos cogitatis de me malum, et Deus vertit illud in

D bonum, ut exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos. Nolite metuere, ego pascam vos et parvulos vestros (*Gen.* L). »

CAPUT XXIV.

Item de nocturnis lectionibus per æstatem.

Nocturnæ lectiones tota æstate sua varietate suoque ordine seriem designant temporum, vel profectum sanctæ Ecclesiæ. Primum namque historia Regum, quæ statim post Pentecosten ponitur, primis duobus libris mystice assimilatur primis Christianitatis temporibus, quando, paulatim crescente fide Christi, vetus idololatria decidit. Nam, sicut regnanti

Sauli, quem populus appetierat contra voluntatem Dei (*I Reg.* x), supervenit electio David (*I Reg.* xvi) quem Dominus secundum cor suum invenisse dicit, tandemque totum regnum a domo Saulis eversum, eidem David se subdidit (*II Reg.* v), sic dæmonum cultui supervenit in mundum cultus Dei, statim post adventum Spiritus sancti, tandemque Christiana fides per bella martyrum victrix, sedit in throno Romani imperii, totusque deinceps mundus manu forti Christo se subdidit. Duobus sequentibus libris, in quibus regnum divisum est a domo David, ex quo Hieroboam regni scissuras [sicut illi per manum Achiæ Sylonitis significatum est] invasit, et contempto templo Domini duos vitulos fecit (*III Reg.* xii), illa significabantur tempora, quibus Ecclesiam hæreticorum insania scidit, et contempto altari Christi, rejecto cultu veritatis, falsitatum suarum simulacra diversa fabricavit. Sequuntur deinde libri sapientissimi Salomonis, videlicet, sicut post pugnas hæreticorum claruerunt in Ecclesia ingenia doctorum, qui excitati contentionibus illorum, non dormitantes, sapientiæ et scientiæ studuerunt, et disputaverunt quodammodo, et ipsi, sicut de Salomone legitur : « Super lignis a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum qui egreditur de pariete (*III Reg* iv), » id est nihil omnino de sacra Scriptura, nec parvum, nec magnum aliquod verbum ab allegoria vel aliqua utili moralitate vacare passi sunt. Deinde nihilominus congrue sequitur liber Job, quia videlicet, maxime in pace Ecclesiæ non desunt illæ tentationes viris ad virtutem tendentibus, quæ in omnibus percussionibus, vel consolationibus ejusdem sancti Job, auctore beato Gregorio, moraliter figurantur. Tunc enim urgent interius tentationes spiritualium vitiorum, quorum quanto occultior pugna, tanto difficilior victoria.

CAPUT XXV.

Item de nocturnis lectionibus a mense Septembri.

Abhinc jam mense Septembri, quatuor imponuntur libri, videlicet, Tobias, Judith, Hester et Esdras. Quorum consideratio quam congrue quatuor cardinales virtutes, prudentiam scilicet, fortitudinem, temperantiam et justitiam exprimat, palam est. Tobias quippe in figura prudentiæ non inconvenienter accipitur, qui cæcatis oculis exterioribus, videnti filio mandata vivendi largitur, ut illud Salomonis impleatur : « Sapientis oculi in capite ejus (*Eccle.* ii). » Per caput enim mentis industria, per oculos vero intelligitur providentia, quæ idem est quod prudentia. Bene ergo prudentiæ titulo præfulget, qui menti illius munimen providet, cujus ducatu ipse foris eget. Judith vero fortitudinis speciem in hoc nimirum prætendit, quod formidantibus viris bellicosis, immanissimo tyranno pro liberatione patriæ se opposuit, et principem militiæ femina inermis Dei adjutorio superavit. Fortitudo enim ejus a Deo fuit, sicut ipsa in oratione dicit : « Et nunc, Domine, subveni mihi viduæ, ut quod per te posse credidit perficiam (*Judith.* xiii). In quo quam vere fortis fuerit, caput Holofernis, ebrietate sopiti, amputatura ipsius pugione, ostendit dicens : « Conforta me, Deus meus, in hac hora. Et præcidit caput ejus (*ibid.*). » Verum hæc duo volumina apud Hebræos non sunt in canone, sed Nicænæ synodi auctoritate ad instructionem venerunt sanctæ Ecclesiæ.

Hester autem pro temperantia ponitur, quæ repudiata ob arrogantiam Vasthi regina, in regnum subrogatur. Nam ipsius temperantiæ hoc indicium est speciale, quod leonem illum, de quo ipsa ad Dominum dicit : « Et da mihi gratiam in conspectu leonis (*Esther.* xiv), » id est, Assueri regis, in mansuetudinem convertit. ejusque edictum ex instinctu Aman intemperantissime superbientis, et genus Judæorum perdere cupientis, in consolationem suæ stirpis transtulit.

Esdras autem, qui his adjungitur, privilegium justitiæ in verbis et factis habere demonstratur. Nam sicut justitia restituit quod injustitia destruxit, sic iste dirutum propter peccata populi templum cum civitate restauravit. Idem quoque sicut in duo volumina divisus unitur (nam Neemias ei in eodem copulatur), sic justitiæ duo præcepta sibi conveniunt, scilicet : « Quæ vultis ut faciant vobis homines, eadem facite illis (*Matth.* vii) » et : « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris (*Tob.* iv). » Hi itaque quatuor libri, prædictis virtutibus insigniti, recte librum Job, qui afflictiones sanctæ Ecclesiæ beato Gregorio teste, exprimit, sequuntur, quia post tentationes valide superatas gloria virtutum electis datur.

Sed quia quandiu in hoc mundo a Domino peregrinamur (*I Cor.* v), inter virtutes vitiorum bella patimur, e vestigio Machabæorum libri leguntur, in quibus magnus ille hostis Antiochus contra juge sacrificium prævalere refertur, Deique martyres persequitur (*II Mach.* iv). Qui tamen Judæ et fratrum ejus labore vincitur, quia confessione operum malorum cum exercitio operum bonorum aliquando Deo donante superatur.

Post prophetarum libri usque in adventum Domini concrepant, qui modo terrorem districti Judicis, modo blandimenta pii Conditoris prædicant. Ex his Ezechiel, qui interpretatur *fortitudo Dei*, et Daniel, qui sonat *judicium Dei*, majores et primi sunt, quia spes quæ ex fortitudine **148** divini auxilii et metus, qui est ex judicio Dei, mentem æqualiter docent præsentibus uti, ne aut Deo desperans deficiat, aut in se præsumens corruat. De reliquis duodecim prophetis, in unum volumen coarctatis, loqui supersedemus, quia a sanctis Patribus de his copiose disputatum scimus. Ideo autem usque adventum Domini leguntur, ut inter tenebras et conflictus hujus sæculi, usque ad reditum Christi, Scripturæ nos illuminent et consolentur. *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Post libros de divinis officiis in editione Michaelis Pleunich, Venetiis anno 1751 excusa, quam sequimur, legitur Apologia domni Gerberonii adversus oppugnatorem doctrinæ Ruperti. Opportuniorem in nostra editione locum obtinet inter Prolegomena tomi primi Operum Ruperti. (EDITOR PATROLOGIÆ.)

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE INCENDIO OPPIDI TUITII

SUA ÆTATE VISO

LIBER AUREUS.

149-225 CAPUT PRIMUM.

Ecce quomodo criminator Satan nostram quoque consideravit, ut peccatorum negligentiam, ne dicam, ut sancti Job innocentiam, dum suo more circuit terram inquietus, et perambulat eam (*Job.* I). Scitis hæc, fratres dilectissimi, qui una mecum in hoc monasterio Tuitiensi Domino deservientes, iram simul et misericordiam ejus in medio flammarum mirabiliter estis experti quemadmodum propheta dixit ei: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis* (*Habac.* III). Scitis, inquam, vel scire debetis, quia nisi clemens ipse male petenti potestatem denegasset, nisi parcere jussisset, hodie quoque nostri amici videntes plagam nostram timerent, et secundum similitudinem amicorum beati Job, nonnulli de nobis male judicarent (*Job.* XIII). Non solum autem inhibitus est, ne totam, ut cœperat, amburendo pellem nostram auferret, verum etiam sicut de illo dicit Dominus ad eumdem Job: *Nunquid feriet tecum pactum, et habebis eum servum sempiternum?* (*Job* XL.) Et sicut Apostolus ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII), ita accidit et nunc. Rem ipsam, ut gesta est, enarrare libet, hac intentione ut sciant nostri quoque posteri, et nulla temporum vetustas abolere possit de cordibus nostris memoriam glorificationis, qua glorificatum est in tanto incendio sacramentum corporis Dominici, sicut viderunt oculi nostri, et liberationis, qua liberatum est a pressura flammæ templum hoc, in quo invocamus nomen Domini, taliter ut a multis visa sit præsentia divinæ protectionis, videlicet quasi species hominis pulcherrimi desuper incumbentis, et circumfluentium flammarum impetum manu objecta repellentis. Cum hæc diligentius scriptis enarravero, hæc mihi merces a Domino sit, ut non me arguat ingratitudinis, quemadmodum redarguit illos, de quibus ait: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* (*Luc.* XVII.) Similiter namque et nos redargui conveniret, nisi et cor, et os nostrum præsentaremus in gratiarum actione, verbi gratia, ut A diceret ipse: Nonne istis manifesta Dei virtute de tanto incendio reservatum et sanctum et vivificum sacramentum, quo sine dubio emundatur lepra peccatorum, et gratiarum actiones ubi sunt? Res igitur taliter acta est.

CAPUT II.

Anno præsenti, qui est ab Incarnatione Domini millesimus centesimus vicesimus octavus, octavo Kalendas Septembris, prima vigilia noctis, subito exortus ignis mediam vici plateam corripuit, qui, vento agente concitatus, in brevi ultra modum invaluit. Erat autem siccitas nimia nimiumque diutina, et undique circa domos horrea collectis nuperrime et comportatis frugibus copiose referta. Repente ergo conflatum sine mora crevit incendium, B quo non solum Rhenus liquidus resplenduit, et vicina Colonia reluxit, verum etiam regio hæc omnis, et tota fere provincia lucem undique tristem et horribilem suspexit. Denique per stadia ferme ducenta, et eo amplius ignis aruit, Rhenique adhuc ignorantibus cœlum ardere visum est. Quid animi vobis pariter ac mihi tunc erat, fratres charissimi, cum per turres et interturia videritis appropinquantes atque imminentes insanos exercitus flammarum, assilientes atque irruentes phalanges grandium scintillarum? Turres enim circumstantes odiosas nobis mira velocitate victris flamma comprehendit, et nostras quoque domos sive officinas usque ad ipsum claustri cœnobialis aditum uno impetu pervolavit, totumque istud castellum (mirum dictu!) quasi C unum effecit caminum, ita ut de proxima civitate prospectantibus millibus hominum videretur id, quod verum erat, totum hoc monasterium flammis esse circumdatum atque coopertum. Causam post hæc dicam cur turres jam dictas odiosas nobis fuisse vel esse **226** dixerim. Quid ergo tunc erat animi? Nonne horruit visus? Nonne expavit auditus? Nonne corda tremuerunt et omnes corporis sensus stupendo aufugerunt? Meipsum perpendo, memetipsum recolens qualis in illa tentatione inventus fuerim, magis re-

prehendo. Denique illud mihi pene accidit quod supradictus Job dicit amicis suis: *Statim ut se commoverit Deus, turbabit vos, et terror illius irruet super vos* (*Job* XIII). Quid enim? Nunquid justorum est et eorum qui perfectæ fidei sunt, turbari statim ut ille se commoverit; et ruina terroris ejus opprimi? Nonne potius hoc eorum est, statim ut senserint eum esse commotum, consurgere et tenere eum?

Tales quippe dolens propheta Isaias defuisse vel deesse in gente peccatrice: *Non est*, ait, *qui invocet nomen tuum; non est qui consurgat, et teneat te* (*Isa.* LXIV). Hoc, inquam, perfectorum est, et hujusmodi perfectio jure a nobis maxime exigitur, qui prælati dicimur ut luctemur contra iram Dei, secundum exemplum primi prælati, scilicet Moysis, qui luctabatur et tenebat Deum cum diceret ei Deus: *Dimitte me, ut irascatur furor meus* (*Exod.* XXXII). Et quomodo luctabatur? Nimirum flendo et rogando eum, vel sicut Psalmista dicit, stando in confractione (*Psal.* CV), id est in nimia mentis humilitate in conspectu ejus. Sic ante illum et sanctus Jacob cum eodem luctatus est (*Gen.* XXXII), videlicet flendo et rogando eum, quod manifeste et breviter docet propheta Osee: « In fortitudine sua, inquit, directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, flevit et rogavit eum (*Ose.* XII). » At nos postremi, ego et similes mei, quandiu tranquillus est Dominus, et non se commovet, coram adsumus, et interdum blandiri quoque et quodammodo arridere risu cordis audemus per fiduciam fidei, qua in eum credimus; ubi autem paululum se commovet, et commotionem ipsam levi saltem significat tempestate aut unius ictu fulminis cum repentino tonitruo transiliente statim turbamur et pene diffidimus, proculque absistimus, tanquam fugitivi clientes, in pace constantes, in bello fugaces, in prosperis magnanimi, in adversis pusillanimes et timidi, vixque speramus quod invocantibus nobis aliquis respondeat (*Job* V), vix ad aliquem sanctorum amicorum ejus convertimur, ut teneat eum, quia pro conscientia turbati sumus. Ego vero maxime turbatus fui, quippe qui pene nudus aufugi, et sedi procul ab incendio, procul ab ista periclitante domo, memor sancti David qui cum tantorum vir esset meritorum, nihilominus repentino turbatus nuntio, festinavit egredi, *ne veniens*, ait, *Absalon occupet nos et egressus pedibus suis stetit procul a domo, et si invenero*, ait, *gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi arcam et tabernaculum suum* (*II Reg.* XV).

CAPUT III.

Interea dum adhuc primas concessæ sibi prædæ partes festinus ignis voraret, ulterius linguam prætendens cunctos luce maligna terreret, quidam de fratribus raptum e sacrario ferens corporale Dominicum longo hastili superne illigatum flammis obvius stetit, sperans quod tam sacræ supellectili cessurus foret ignis, omnisque potestas inimici. Cumque tali modo non crederet ignis, ille persistens fide non ficta et temeritate non improbanda, ipsum hastile cum

A corporali mediis flammis fortiter intrusit, aliquandiu agitans quasi sævientem confortaret ignem, donec usque ad ipsum proripuit flamma rebellis, eumque pene afflavit. Tunc demum absistens, et hastile quod tenebat partim ambustum, corporale autem illæsum, mirum dictu! et incontaminatum linteum abstrahens quantocius absolvit, et convolutum flammis quo potuit altius injecit, optans et sperans quod ex immissione ejus Domino volente opprimeretur, et deficeret quasi strangulatus ignis. At ille videlicet magnus et a Deo permissus ignis, miro modo corporale integrum occulta et incognita vi de medio sui rejecit, et longius repulit in eam villæ partem, quæ sibi concessa non fuerat, et ubi, sicut manifestum est, nihil nociturus erat. Quem non delectet tantum

B vidisse vel videre miraculum? Denique corporale jam dictum sic integrum et illæsum relatum est, ut tamen signum habeat non indecorum, videlicet lineam subrufam, cum sit ipsum, ut prius erat, totum candidum. Hoc nimirum melius placet quam si nulla penitus incendii nota inesset, quia clarius ex hoc memoriale est et inter omne ejusmodi sacram supellectilem agnosci debet.

CAPUT IV.

Cum itaque solutis habentis totum, ut jam supradictum est, castellum intus et exterius possideret incendium, me procul sedente inter intactas ab igne domos, ita tamen ut spectare possem illud triste spectaculum, scilicet undantia cacumina flammarum stetit in editiore tecto qui diceret ardere ipsam sancti Urbani Basilicam, videlicet sitam ante valvas

C monasterii parochianam ecclesiam. Actum putavi, et de liberatione ipsius monasterii pene desperavi, nisi quod in memetipso canebat spiritus meus: *In ira misericordiæ memor eris* (*Habac.* III). Deinde post moram non modicam cœpit illud quoque intra memetipsum canere interior homo: *Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi quia per Filium tuum ignis exstinctus est a latere meo*. Et ita factum erat. Venerunt quippe continuo, qui dicerent decidisse incendium, salvumque et incolume reliquisse cum claustro monasterium, tantum autem collaterales domos sive officinas omnes cum areis in favillam et cineres esse redactas. Quis hoc sperare poterat? Quis nisi Deus hoc facere potuisset, cujus auxilium multitudo populi utriusque sexus, ex ulte-

D riore Rheni littore prospectans, suppliciter et devotissime inclamabat? Viderunt enim plerique illorum, et hoc publice fatentur quia viderunt virum speciosissimum super monasterii culmen lævo latere sive cubitu innixum, et sublevatum manu dextera impetum ignis abigentem, qui jam turrim campanariam introrsum corripuerat. Audito hoc bono nuntio revertebar post noctem tristem, die reddito, et ecce parochianus sacerdos Ecclesiæ supra memoratæ, nomine Stephanus, divulgabat, mihi maxime denarrare properans dulce et jucundum miraculum, signum valde bonum, magnumque et evidens vigilantis circa nos divinæ propitiationis judicium.

CAPUT V.

Pyxidem ligneam, et in ea corpus Domini enim habuerat secus altare de more repositum, in fenestra sive absida introrsus in muro tegulis ligneis compacta, cum ostiolo et sera. Erant autem cum jam dicta pyxide et alia vascula ad sacrum ministerium pertinentia, videlicet alia pyxis hostias continens, non consecratas, ampulla quoque vinaria et ipsa stagnea, et vasculum thuris, et candelæ, et aliquid lini, quorum meminisse nos exigit **227** causa tanti miraculi. Denique in illa fortitudine vehementis incendii, cum non solum ipsa basilica, verum etiam totum castelli spatium quasi unus esset caminus multo major quam ille Babylonius ignis, cujus flamma diffusa est supra fornacem quadraginta novem cubitis (*Dan.* III), cum fragmenta quoque trabium ardentium decidentia, signa quoque metallica, miro modo ardendo sponte concrepantia, et concrepando ardentia, de altitudine ardentis campanariæ turris excidissent, non solum fracta, verum etiam pene liquefacta, et taliter prolapsa omni materia coangustatum intra muros basilicæ amplius sæviret incendium, arsit simul et ipsa absida cum omnibus supradicti, quæ intus erant reposita, nimirum leviter et cito pro magnitudine incendium sicut stipula vel quasi exiguum feni; sola autem pyxis illa cum corpore Dominico incolumis et intacta permansit. Mox ergo ubi sacerdos jam dictus accessum habere potuit, dolens, ut fatebatur, quia cum turbaretur instante incendio, et aliqua exportaret vel exportari faceret, oblitus fuerat tollere corpus Dominicum, amovit quantocius congeriem lignorum favillarumque ardentium, et introspiciens, reperit hoc insigne miraculum. Protinus excipiens et cunctis videntibus, qui aderant, illud fidei nostræ sacramentum demonstrans atque divulgans, venit ad me gaudens, et suam oblitus negligentiam propter abundantiam lætitiæ, licet non sine tristitiæ nebula, damno quod acciderat. Nox enim quædam adhuc toto die illo erat in cordibus nostris et quasi gravi somno pressi mentis nostræ oculi nondum valebant prospicere ortum solis, id est claritatem divinæ præsentiæ fulgentem circa nos, sive in medio nostrum tribus miraculis isto pergrandi, et cæteris duobus quæ supra narravi. Sequens erat dies Dominica, et ego circa horam fere tertiam perrexi, et multis sequentibus vel præsentibus locum intuitus sum, et opus virtutis consideravi admiratione dignum; cum quo et illud accedebat ad gaudium, quod altare considerabamus inviolatum, cum cohærentes altari lapides magni, qui coram strati jacebant, fracti et in frusta divisi essent magnis molibus fragmentorum, id est trabium ab incendio fractarum, et ardendo cadentium.

CAPUT VI.

Laudare ergo Deum debuimus, et apertis magnitudinem virtutum ejus declamare vocibus. Sed nunquid digne laudare sufficimus? Sunt enim hæc tua, Christe, miracula, non dissimilis gloriæ illi, qua

A glorificatus es tu, cum tribus pueris tuis in medio Babylonicæ fornacis pronuntiante rege Nabuchodonosor: *Ecce ego video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est Filio Dei* (*Dan.* III). Vere, inquam, gloriæ illi est gloria ista non longe dissimilis. Denique quod fuit illic tam magnus ille caminus ignis fertiter succensus imperio regis illius, qui typum gerebat diaboli, hoc fuit nocte illa totum castellum istud in unum ignem conflatum, et quasi unus caminus effectum, ut supra diximus, arcis sive horreis nostris, et cæterorum quæ novis messibus plenæ erant, flammas ædificiorum in immensum augentibus, cum undique circumvallatum, et altitudine flammarum coopertum non læderetur monasterium,

B nonne pueri tui, Domine, scilicet fratres omnes, et multi qui intus confugerant pauperes in medio ignis ambulabant? Tu enim, Fili Dei, prompta gratia cum eis ambulasti, et hujusce dignationis tuæ tria testimonia dedisti signa hæc, quorum duo viderunt, qui videre voluerunt, vel ad videndum accesserunt, scilicet corpus tuum cum vasculo, in quo erat repositum, et corporale incommutatum, sicut sarabella puerorum illorum commutata sive adusta non fuerunt. Tertium quod fuit species viri super monasterium incumbentis, non omnes, qui aderant vel prospiciebant, viderunt, sed tam multi credibiles et auditu digni se vidisse fatebantur, ut non credere illis aut saltem dubitare nefas putemus. Alias autem, quid de visa hominum quærimus?

C Tanto incendio nihil resistere aut superesse potuisset, nisi actu præsens adfuisset tua potentia, Deus. Perinde te laudavimus et laudamus et adhuc laudationem tuam loquetur os nostrum, et sancto nomini tuo benedicemus. Populus quoque, ubi corpus Domini procedentes circumtulimus, (erat enim, ut supra dixi, Dominicus dies, quo in eorum Dominicæ resurrectionis solemni more processio agitur) claro conjubilavit concentu, sacerdote supra memorato reatum suum confitente cum fletu coram omnibus, eo quod cum cætera, quæ potuit, incendio præriperet, istud unicum redemptionis et salutis nostræ sacramentum tollere fuisset oblitus. Ego una vobiscum, fratres charissimi, supra dictum corporale et pyxidem illam pro summis reliquiis transferre ad majus altare, et hoc monostichon superscribere

D dignum duxi:

Hoc corpus Domini flammas in pyxide vicit.

CAPUT VII.

Quis tandem locus alicui relinquitur, dilectissimi, ut dicat vel suspicetur casu aut fortuito, et non judicio seu per providentiam Dei contigisse malum illud tanti incendii? Fuerunt enim et sunt homines plerique inerudit, putantes cuncta quæ sub sole fiunt casu agitari, et nequaquam regi mundum providentia Dei, maxime eo quod sæpe prospera injustis, et adversa plerumque eveniunt justis, et de hoc murmurant in cordibus suis. Contra eos, qui ejusmodi sunt, Hieremias propheta lamentando lo-

quitur: *Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredientur, nec mala nec bona.* Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis suis? (*Thren.* III.) Infidelis nimoque animi est hoc dicere quod ex ore Altissimi non egrediuntur mala nec bona, id est, nec adversa nec prospera, exempli gratia, ut incendio Babylonico concremaretur Hierusalem, quod tunc evenerat, quando lamentans hæc loquebatur Hieremias, et rursum post annos septuaginta solveretur ejusdem populi captivitas. Infidelis, inquam, et murmurosi est animi dicere vel suspicari quod nihil horum jubente Domino factum sit, sed casu cuncta evenerint, cum et alius propheta dixerit: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* (*Amos.* III.) Ejusmodi infidelitas, dilectissimi, nobis cavenda est. Audiamus potius quid ibidem in Hieremia continuo sequitur: *Scrutemur vias nostras et quæramus et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælos* (*Thren.* III). Si enim veraciter vias nostras scrutati fuerimus, et scienter dixerimus quod sæpe dicimus: *Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus* (*Baruch.* II), inveniemus nos minora recepisse, quam meremur, quia baculo quidem judicii percuti merebamur, sed misericordia superexaltante judicium paternæ virga disciplinæ parumper tacti sumus.

228 CAPUT VIII.

Causam nunc dicere libet, cur turres hujus castelli odiosas nobis mira velocitate victrix flamma comprehendit, hoc enim pollicitus sum, subjungendo (*Supr. Cap.* II): *Causam post hæc dicam, cur turres jam dictas odiosas nobis fuisse, vel esse dixerim.* Attendite ergo, charissimi, quam justo dolore super eas doluerim, quam perfecto odio non lapides sive parietes, sed injustitiam, quæ in illis habitat, ego oderim. Debuerat enim totum castelli hujus spatium esse legale sanctum, quia sic in lege Domini scriptum est: *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum* (*Levit.* XXVII). Quis autem nesciat castelli hujus possessionem Deo, et Domino nostro Jesu Christo sanctæque genitrici ejus perpetuæ virgini Mariæ fuisse consecratam? Narrat enim liber Vitæ vel Actuum Patris nostri beati Heriberti, quia, cum cœnobium construere optaret in honorem Domini, et jam dictæ matris ejus beatæ Mariæ semper virginis secundum votum, cujus monitorem habuerat Otthonem imperatorem, simulque scire cuperet quo in loco fieri hoc placitum esset eidem sanctæ Dei genitrici, apparens ipsa per visum dixit ei: *Surge, et Tuitiense castrum petens, locum in eodem mundari præcipe, ibique monasterium Deo mihique et omnibus sanctis constitue, ut ubi quondam habitavit peccatum, et cultus dæmonum, ibi justitia regnet, et memoria sanctorum* (29). Erat autem tunc in eodem castro curtis pertinens ad servitium episcopi. Porro de constructione castri diversa opinio est, aliis opinantibus fuisse opus Julii Cæsaris, aliis asserentibus quod tempore, quo imperator Constantius et filius ejus Constantinus expeditionem in Gallis habuerunt, constructum fuerit ab eodem Constantino, devictis Francis. Hanc opinionem firmiorem esse asserit titulus, non multos ante annos inventus, in tabula lapidea inter fragmenta murorum, et ipsa in partes divisa, ita tamen ut partes ipsæ ad invicem conjungi possent, qui hujusmodi erat: *Constantinus, pius Romanorum imper. Augustus, devictis Francis, castrum Ditensium in terris eorum fieri jussit. Milites turrim cum interturrio fecerunt. Hæc duodeviginti vota fecerunt* (30). Et quidem nota est historiæ, quod Constantinus Francos et Alemannos magnifice devicerit, et reges eorum bestiis objecerit. Sed, quia Julii Cæsaris res gestæ in Galliis famosiores habentur, inde hæc opinio magis vulgata est, licet nullis fulta scriptorum monumentis, quod ille hujus quoque castri conditor exstiterit. Mansit autem idem castellum pulchritudine et fortitudine præcipuum, usque ad imperatorem Otthonem primum. Hujus germanus Bruno Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, a beato Severino vicesimus quartus, simul cum tanta nobilitate, morum quoque probitate, et insigni pietate præclarus fregit illud, fratris sui jam dicti imperatoris iram, quæ futura erat, non veritus, quæ adeo vehemens fuisse fertur, ut eum ad reædificandum compelleret nimis invitum, nisi idem imperator cita fuisset morte præventus. Sextus ab illo videlicet, Brunone beatæ memoriæ archiepiscopo, sanctus Heribertus, taliter, ut supra dictum est Domino consecravit idem oppidum, imo ruinosi, ut ita dicam, fragmenta oppidi, construendo in medio ejus cœnobium Deo, in honorem Dominæ nostræ sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, totumque ad hoc opus locum sic emundavit ut nullam sæcularium habitationem in ea relinqueret, dans illis quos inde excedere jussit, foris habitacula muro extrinsecus contigua, sicut hodie noverunt, et testantur quam plurimi et maxime ipsorum posteri tenentes easdem domos beneficiales, ad hujus Ecclesiæ jus dominationemque respicientes.

CAPUT IX.

Debuerat igitur, juxta sacræ legis edictum, supra memoratum, sanctum esse Domino totum castelli hujus spatium, id est nullam pati communium sive sæcularium rerum contaminationem, qualem vidimus et audivimus in plerisque locis magnum sæpius attulisse offendiculum, sive scandalum fratribus Deo sacratis, et propositam debentibus religionis monasticæ puritatem. Fere usque ad nostra tempora

(29) Vid. infra. in Vita S. Heriberti. cap. 13.

(30) Eadem dominus Surius ex antiquo quodam libro mihi communicavit hoc modo: *Virtute D. Constantini Maximi Pii felicissimi, invicti Augusti, suppressis domitisque Francis, in eorum terris castrum Ditensium sub præsentia principis sui fecerunt. devoto numini majestatique: duodeviginti hæc vota fecerunt.*

perseverat, sicut scitis, huic monasterio vestigium A aliquod juris antiqui, ita ut claves hujus castelli nullo contradicente haberet prior sive præpositus monasterii et clausæ tota nocte non aperirentur portæ usque ad diem hora competenti. Nunc autem longa prædecessorum nostrorum negligentia, dum sæcularibus sese nimis accommodant, tantam aluit licentiam, ut illud propheticum dicere nobis conveniat, præsertim quibus optabilis est et grata religio, quique bono zelo zelamur pro Domino: *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos* (*Thren*. v). Castellum quippe occupaverunt, et non tantum turres et interturria sibi ad inhabitandum reparaverunt homines, honesti quidem secundum sæculum, verum etiam subterturria, quæ dicunt cellaria, quasi specus cæcos et angulos B pene occultos talibus personis locaverunt, qualium vita dubia est, conditio ignota, fama obscura, ita ut gravibus in circuitu nostro personis tale sit de habitaculis istis judicium, et sic de illis judicent tanquam de quibusdam officinis immunditiarum, et idcirco dicerent: *Non dubitent juste hoc accidisse incendium, non solum intus his qui fecerunt, verum etiam foris illis qui facientibus consenserunt; meque reclamantem aut litigio depresserunt, aut silentio destituerunt.* Plane etsi aliæ fuerunt causæ incendii, dicere non dubitem quin causa ista maxima fuerit, et judicio Domini actum sit. Videram quippe in somnis, antequam fieret, et nonnullis vestrum aliquoties cum admiratione retuleram pavorem hujusmodi. Aderat atque instabat expectantibus nobis C quasi dies judicii, cum videremur consistere quasi in orientali parte monasterii cujusdam versi ad occidentalem plagam. Interea signa de turri pendentia fragore horrisono concrepuerunt, et hoc videbatur quasi adventantis Judicis prænuntium. Et nullam quidem personam id eodem visu aspeximus, sed repente ab aquilone per patentes fenestras ignis horribilis crepitans, et in partes plurimas scintillans, insiluit, et ante facies nostras disjectus cecidit, nos tamen, id est me et eos qui simul stare videbantur, nequaquam attigit, nisi quod in visu illo immensa erat magnitudo sævi horroris. Sed nunquid argumentis sive conjecturis egemus, ut sciamus vel credamus quod non casu, sed judicio corripientis Domini factum sit istud, præsertim cum D dicat Apostolus: *Dum judicamur, autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur?* (*I Cor*. xi.) O ergo utinam, vel sic correpti judicio præsenti, judicio modico et tolerabili, sententiam timeant atque effugiant futuri universalis judicii hi qui, sacratum Deo locum invadere præsumentes, vota beatorum pontificum supradictorum, quantum in ipsis fuit, perfregerunt, ne dicam irrita fecerunt, quia videlicet irrita fieri **229** non potest devotio sanctorum, qui superædificati super fundamentum apostolorum (*Ephes*. ii), nequaquam dignum arbitrati sunt superædificare super fundamentum paganorum seu quorumlibet hominum mortuorum.

CAPUT X.

Mirum unde mortalium animis tanta cupiditas terrenæ altitudinis, sive munitionis terrenum fundamentum habentis, cum sint brevis vitæ, multoque angustioris quam fuit vita priscorum hominum, quorum primus, Cain, civitatem ædificavit (*Gen*. iv) Et quid dicam? Fuitne unquam aliquis ex omni numero sanctorum, sive laudabilium virorum, qui civitatem terrenam, sive castellum terreni fundamenti ædificaverit, teste Scriptura, quales laudare proponens vir sapiens, scilicet, Jesu filius Syrach: *Laudemus*, ait, *viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua*? (*Eccli*. xliv.) Quinimo ut claro signaretur testimonio, terrenas munitiones, qualium primus, ut jam dictum est, auctor exstitit Cain, nunquam Deo fuisse complacitas, primo omnium civitatum, quam transito Jordane filii Israel obtinuerunt, qui utique filii erant peregrinorum, scilicet sanctorum patriarcharum, qui manentem civitatem hic habere noluerunt, sed futuram inquisierunt (*Hebr*. xiii), funditus corruit, nutu vel judicio Deo, nullis impacta machinis, sed solum sacris personantibus tubis Josue prosequente, in quo erat Spiritus Domini, atque dicente: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit Hiericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, e in novissimo liberorum ponat portas ejus* (*Josue* vi). Quod et factum est: Nam *in diebus Achab regis Israel*, ait Scriptura, *ædificavit Achiel de Bethel Hiericho. In Abiram primitivo suo fundavit eam et in Segub novissimo posuit portas ejus, juxta verbum quod locutus fuerat Dominus in manu Josue filii Nun* (*III Reg*. xvi). Tale judicium civitas subiit, quæ populo Dei, sive arcæ Domini Jordanem transeunti prima obstitit. Nunquid vero cæteræ civitates Chananæorum melioris erant meriti, ut non et ipsæ similiter ruerent ad ingressum ejusdem populi Dei? Non utique sed tempus nondum erat, et in una civitate terrena quid cætera quoque gentium molimina mererentur, significatum esse sufficiebat.

CAPUT XI.

Fratres mei, secundum Scripturam dicentem: Et *sola vexatio dabit intellectum auditui* (*Isa*. xxviii). fere mihi contigit. Vexatio namque, quam vidistis me perpeti, quam audistis in dolore vocis quasi parturientis toto anno, imo et fere toto biennio priusquam inundaret hoc flagellum incendii, dedit intellectum auditui. Occasio enim mihi fuit, quatenus melius intelligerem id, quod verum est conditores civitatum terrenarum male in Scripturis sanctis, et ante et post diluvium denotari tanquam architectos sive municipes adversæ civitatis, quæ contraria est civitati Dei viventis, Hierusalem cœlestis, videlicet, ante diluvium dicendo: *Et ædificavit Cain civitatem, quam vocavit ex nomine filii sui Enoch* (*Gen*. iv). Et post diluvium dicendo: *Nemroth cœpit esse potens in terra; fuit autem principium regni ejus Babylon. De terra illa egressus est Assur, et ædificavit civitatem Niniven et plateas civitatis* (*Gen*. x), et ob

ejusmodi potentias hunc mundum dictum esse a Domino atrium fortis armati (*Luc.* XI). Eadem namque potentia, qua ille Nemroth *cœpit esse potens in terra*, et propter quam dictus est in proverbio : *Robustus venator coram Domino*, cœperunt et jussa sunt idola pro Deo coli, quasi ob decorem, munimen civitatis, maximeque ab initio pro memoria magnifici eorum nominis, quemadmodum Scriptura libri Sapientiæ dicit : *Acerbo*, inquit *luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui nunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia* (*Sap.* XIV). Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. Nimirum ea causa fuit, per quam mundus iste talis effectus est ut merito diceretur atrium fortis armati, dum is, qui in mundo nihil jure habere debuit, diabolus, per idololatriam in patrocinium tyrannidis ascitus est ab amatoribus mundi, qui in mundo properabant tyrannizari, qualium primus supra dictus Nemroth exstitit, secundum nomen suum, tyrannus. Nemroth quippe *tyrannus*, vel *profugus*, sive *transgressor* interpretatur. Sciendum vero quia cum dicitur, atrium fortis armati, domus quoque ejusdem cum atrio debet subintelligi. Atrium quippe dictum amplissimæ domus primus ingressus, ubi siti arbitri habitantes propter expellendum frigus focos facere noscebantur, et ab atri fumi nebulosissimo globo, appellata atria quasi atra tradit antiquitas. Et quæ est domus illius nisi infernus ? Ergo civitates terreni fundamenti, qualium in maximis vel notissimis tyrannizavit rex Nemroth, et semetipsum direxerit Assur, dum idola prostituunt, et nebulosissimum glomerant fumum sacrificiorum, recte dicuntur, et sunt atria teterrima domus nimis amplæ, scilicet inferni, cum sint atria sive unum atrium fortis armati ; scilicet diaboli. Verumtamen in atriis domus Domini (*Psal.* CXXXIII), in quibus stamus, vel stare debemus, hæc etymologia pene deficit, quia non est in eis ater fumus, nisi velis rationabiliter attendere, quia pœnitentium luctus lacrymosus quidem est fumus, veram pariturus lucem, sicut contra fumus cæcitatis et ignorantiæ, qui est in illo tali atrio jam dicti fortis armati, parit gehennæ ignem inexstinguibilem.

CAPUT XII.

Cum hac ita sint, nonne magis ac magis elucescit causa peregrinorum, sanctorum Abraham, Isaac, et Jacob, cæterorumque qui civitates sive castella non ædificaverunt, imo de civitatibus ædificatis eggressi in casulis habitaverunt, *confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram? Exspectabant enim fundamenta habentem civitatem*, ait Apostolus, *cujus artifex et conditor est Deus* (*Hebr.* XI) Civitates, inquam et castella non ædificaverunt, imo quod contrarium est civitatibus et castellis, hoc ædificaverunt, scilicet altare Domino : quod tertio primus vel notissimus peregrinorum fecisse legitur Abraham. Primo ubi ingredienti terram Chanaan apparuit illi Deus et dixit : *Semini tuo dabo terram hanc* (*Gen.* XII). Secundo, ubi transgrediens, vel progrediens terram tetendit tabernaculum inter Bethel et Hai (*Gen.* XIII). Tertio, ubi filium suum unigenitum jussus offerre in holocaustum, laudabiliter paruit (*Gen.* XXII). Ergo causa peregrinationum in hoc sæculo filiorum Dei ista fuit, et est, et esse debet usque ad consummationem sæculi, quia esse debent adjutores Dei, adjutores in ædificatione Dei, ad ejiciendum fortem armatum de atrio suo, quem vicit Filius Dei. Quomodo ad **230** ejiciendum fortem armatum illum ? Nimirum invadendo in primis et destruendo cunctas munitiones falsitatis, sive machinamenta fanatici erroris constantissima prædicatione veritatis; et deinde eradendo, quoad possibile est, sive obscurando celsos titulos superborum hujus sæculi, de qualibus in psalmo scriptum est : *Tabernacula eorum in progenie et progenie ; vocaverunt nomina sua in terris suis* (*Psal.* XLVIII), exempli gratia, ut ibi congesta fuerat celsa tumba Romuli, illic aula supereemineat Petri apostoli ; et ubi discors frater Remus, ab eodem fratre Romulo pene parili tumba premitur, illic consocius Petri, Paulus, crucis Christi signifer in domo sua ad honorem sui Regis, ejusdem Christi, principetur. Ad talium taliterque ædificantium peregrinorum sortem pertinere non dubium est piam beatorum pontificum intentionem Brunonis atque Heriberti, supra memoratorum, qui nescio quem nebulone illius fortis armati satellitem, quales multos habet, de isto atrio sive pericula atrii ejus foras ejecerunt, alter castellum confringendo, alter monasterium hoc ad honorem fortioris qui illum fortem vicit, ædificando. Quid amplius habet homo civis cœli, et peregrinus super terram secundum professionem suam, nisi ut ædificet, quoad potest, super fundamentum Patrum sanctorum, qualium Abraham, Isaac et Jacob, principes, sive notissimi exstiterunt, qui nullam civitatem terrenam ædificaverunt, sed supernam sive cœlestem inquisierunt ? Forte dicis quia David cœpit arcem Sion, et *hæc est*, ait Scriptura, *civitas David* (*II Reg.* V). Et de Ezechia scriptum est in laude patrum quia *ipse munivit civitatem suam, et induxit per medium ejus aquam* (*Eccli.* XLVIII). Ad hæc responsio facilis patet quia longe aliud est capere vel munire quam fundare vel ædificare civitatem. Unde notandum quia ducibus Moyse et Josue datum vel permissum est civitates muratas capere, et in eis habitare, nusquam autem jussum fuit ædificare, imo unam præ omnibus scilicet Hiericho, sicut superius memoratum est, voluit Deus virtutis suæ miraculo dejicere, ut hoc signo nobis innueret quia voluntas ejus non fuit, nec est in hujusmodi structuris, quas mortalium præsumptio adinvenit, sicut et ante legem alio miraculo demonstravit in turri Babel, ubi linguas eorum confudit *Gen.* XI). Præterea sciendum quia munitio, qua Ezechias civitatem suam munivit, ut merito in laudibus patrum debeamus eam venerari,

spiritualiter debet intelligi, quia videlicet illam munitio fortissima fuit oratio et aqua quam duxit per medium civitatis, illa fuit misericordia, quæ taliter de cœlo manavit ut una nocte interficeret angelus Domini centum octoginta quinque millia virorum de exercitu Sennacherib (IV *Reg.* David xix). quoque capiendo arcem Sion, et ejiciendo cæcos et claudos, odientes animam David, locum ibi facere intendebat nomini Domini (II *Reg.* v). quod et fecit introducendo illuc arcam fœderis Domini, et insistendo ad ædificandam inibi domum orationis quam per filium suum Salomonem Deus perfici voluit. Unde et gratulabundus cecinit: *Et repulit tabernaculum Joseph et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda montem Sion quem dilexit* (*Psal.* LXXVII), et cætera de quibus sermo copiosior sese offerret, nisi quia brevitati studendum et fastidium vitandum est.

CAPUT XIII.

Qua tandem voce, qualibus verbis exprimere potero magnitudinem vexationis, quæ, ut supra jam dixi, hunc intellectum dedit et adauxit auditui? Vehementer quippe vexatus sum, et, ut hoc breviter dicam, pene mihi contingit oculum meum dextrum eruere, et projicere a me, pene accidit dextram manum meam et pedem abscindere, et projicere a me. Scandalizabat enim me ita ut pene ab isto recedere loco deliberassem, dum turrim reædificare, domumque firmam exstrueret inchoar tanta loci importunitate, tanta claustri hujus infelicitate, quantam nulla unquam anima religiosa tolerare aut saltem videre possit patienter, si res ad effectum perducta fuisset. Turris quippe est angularis, id est in angulo stans, qui duos venientes e diverso parietes claustri conjungit. Mirum! quod ille meus dexter oculus, dum ejusmodi opus iniret, non videbat aut videret nolebat initium fore destructionis idipsum opus nostræ professioni, quam tamen venerari et promovere solitus fuerat. Etenim qui aliud sperari poterat? Spiritualis namque propositi viris aut feminis silentium solitudinis libertas vel securitas et quædam munitio est, et contra strepitus ejusmodi quasi captivitas est. Hinc est ille titulus psalmi septuagesimi: *Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum.* Est enim hic sensus ejusdem tituli secundum litterale negotium, quia Jonadab sacerdos filiis suis a vino abstinere, et in tabernaculis habitare præcepit (*Jer.* xxxv). Instante autem Babylonica incursione, propositum excedere compulsi sunt, et de tabernaculis avulsi civitatem introierunt; unde et priores captivi recte dicti sunt. Hoc namque modo dum civitatis obsessæ mœnibus includuntur, ipsi prius captivitati sunt, quam cæteri homines ejusdem terræ capta civitate in Babyloniam ducerentur, quæ fuit captivitas eorum. Secundum spiritualem intellectum nos quoque captivi efficimur, quando ejusmodi munitionibus, quæ juris nostri sunt, vel qualibus modum vivendi imponere non possumus, tali, ut jam dictum est, importunitate concludimur. Sicut ille Jonadab, quod nomen interpretatur *spontaneus Domini*, filiis suis utique sacerdotibus ipse sacerdos in tabernaculis habitare præcipit ita Dominus Jesus Christus sacerdos æternus spontanea charitate nobis factus, sacerdotes suos civitatibus et castellis nequaquam delectari vult, et maxime nos, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio, id est qui et monachicam vitam profitemur, et sacri altaris ministerio fungimur. Sed quid opus est subtilioribus argumentis? Ipse oculus meus scit, et vos fratres mei, scitis quia sicut pisciculis aqua, sic nostræ professionis hominibus congruit et optabilis est mansio quieta. Si quis vestrum forte tunc aliter sapiebat, is profecto nec dum mentis oculo totum terreni sensus pulverem absterserat.

CAPUT XIV.

Pene igitur tunc, ut supra dixi, et luscus, et mancus, et claudus effectus sum propter ejusmodi scandalum, nisi quia pepercit mihi oculus ille, et manus illa continuit se, et spes in velocitate operis cursu, quo cœperat, desiit currere, non tamen absque offensione, non sine invectione, non absque suæ puritatis turbatione. Nam maluit quidem ratione vinci de opere cessando, quam unquequaque scandalizare me perseverantem operando, sed non simul existimare voluit, quod sic simpliciter scandalizatus essem, tanquam unus de pusillis, de qualibus Dominus dicit: *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis. Dico enim* **231** *vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Quæ ergo vel qualia perinde perpessus fuerim, poteram præsentibus inserere scriptis, nisi quia res macræ sive exiles non facile conquisitis decorantur verbis, et ut quidam sapientium sive eloquentium sæcularium, mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Hoc interim veraciter dicere possum, quia non parvo experimento didici compati illi, cui Spiritus sanctus in psalmo dicit: *In tribulatione invocasti me, et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis* (*Psal.* LXXX). Ipse est Joseph, cujus calamitatis, tam breve quam mirabile, præconium præcedens versiculus taliter edixit: *Linguam quam non noverat, audivit* (*ibid.*). Secundum historiam recapitulo est sive parenthesis, id est interpositio. Non enim quando exivit tribus Joseph de terra Ægypti, sed quando intravit ipse adolescens Joseph, et servivit in terra Ægypti, tunc *linguam quam non noverat audivit, et manus ejus in cophino servierunt, donec divertit Deus ab oneribus dorsum ejus* (*ibid.*). Sermo ergo vel sensus integer hic est: Cum Joseph, id est tribus Joseph, sive omnis Israel, exiret de terra Ægypti, ubi servierant filii Israel propter peccatum, quia vendiderant Joseph fratres sui, ubi primus ipse serviens linguam, quam non noverat, audivit, propter quod juste retributum est illis, ut servirent etiam ipsi; cum, inquam, exiret Joseph, id est Israel referens ossa Joseph de terra

Ægypti, testimonium hoc posuit in eo Deus adjutor A noster, Deus Jacob: *In tribulatione invocasti me et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis*, etc., usque ad finem psalmi. Quorsum istud? Eo nimirum, ut ex meipso mihi compertum esse fatear, non parvam fuisse calamitatis ejus partem hoc ipsum quod in serviendo, et dorso onera ferendo linguam quam non noverat audivit, diu tribulatus antequam assuevisset commercia linguæ illorum, quibus famulabatur. Præterea cum habitaret *in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia quæ gerebat ab eo dirigi in manus illius, a quo et præpositus gubernabat sibi creditam domum* (*Gen.* XXXIX), nunquid facile vel absque labore invidiam virtute superabat? Putasne quod nullus nequam ibi fuerit oculus, qui gravaretur, eo quod inqui- B linus imo et servus emptitius tanta domini sui gratia præferretur super omnes domesticos ejus, et super omnem rem familiarem ejus? Vere sapiens quidam dicit: *Qui non est tentatus, quid scit?* (*Eccli* XXXIV.) Tentatio namque similis eum qui tentatur de similibus quamvis longe majoribus instruit, et me, fateor, instruxit, ut melius intelligerem tribulationem, in qua ille Dominum invocavit, sive absconditum tempestatis, in quo illum Dominus exaudivit. Denique et ego, cum per occasionem scandali supradicti solito majores increvissent mihi fluctus tentationis tanta in tribulatione fui, tantam in abscondito, id est in mente, tempestatem pertuli, ut pene victus deliberarem deponere pondus curæ hujus monasterii, multum immemor illius virtutis, et ad secretus ad memoran- C dam constantiam illius victoris cujus nunc melius memini, quia quantacunque in tribulatione fuisset, quantamcunque in abscondito tempestatem pertulisset, non ipse onera dorso abjecit, sed Deus, ait Scriptura, *dorsum ejus ab oneribus divertit*. Eo usque sustinuit laudabiliter, et exspectavit patienter, donec Deus diverteret. Turbatus erat interior sensus meus, et idcirco vim discretionis pene amiserat, ut tanti exempli, sive horum similium memoria foras excluderetur.

CAPUT XV.

Sed prævenit me pervigili custodia custos Israel qui non dormit neque dormitat (*Psal.* CXX), et corripuit correptione sensibili quidem, sed non effabili, scilicet nutu quodam, quem dum senseris, non D indiges ab homine doceri quod fortissimus sit, juxta illud dictum Mosi: *Fortissime Deus spirituum universæ carnis* (*Num.* XVI); et juxta illud Psalmistæ: *Qui respicit terram, facit eam tremere* (*Psal.* CIII). Quam velociter currit ille nutus ejus! Denique et hoc idem Psalmista loquitur: *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus* (*Psal.* CXLVII). Etenim cum aliis modis quamplurimis et inenarrabilibus currat sermo ejus, isto quoque modo velociter currit, dum quempiam nutu sensibili percellit, ita ut inenarrabiliter homo totus interior simul et exterior intremiscat, et concutiatur in momento, in ictu oculi. Et hoc nimirum ad illud pertinere puto, quod dilecta in Canticis loquitur: *Dilectus meus misit manum per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* (*Cant.* V). Forte insipientiæ potest argui, quod secretum hoc in publicem scribendo produxi, cum de majoribus quidam symmistes Dei dicit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV), subjungens, *væ mihi!* (*ibid.*) Quare ergo sic insipiens factus sum, nisi quia necessitas nonnulla me coegit? Solent enim plerique hominum, quorum non est simplex oculus, nostri vel nostri similium derogare laboribus et reputare præsumptioni, vel vanæ gloriæ, quod scribimus, sanctarumque mysteria Scripturarum studiose tractamus, et propter hoc aliquem in Ecclesia Christi honorem sortimur cum Apostolus dicat: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina* (I *Tim.* V). Ego autem testem hunc habeo in anima mea *qui*, ut supra memini, *emittit eloquium suum terræ et velociter currit sermo ejus*, sive *qui respicit terram et facit eam tremere*, quia scribendi facultatem sive ministerium suscepi ab ipso muneris vel gratiæ ejus infusione sensibili (31), et aliquoties cum vellem desistere cedens invidorum nonnullis dicentibus, sufficiunt nobis libri, vel aliquid simile huic, ille me percelluit, et nutu supra memorato, concussit trementem, quasi sub virga magistri.

CAPUT XVI.

Quales igitur ex debito gratiarum actiones offeram illi? Nisi enim modo jam dicto me prævenisset, et intelligens cogitationes meas corripuisset tactu ejusmodi, quasi diceret: Quis tu, ut timeres ab homine mortali? Forsitan hodie non ille Joseph, cujus dorsum Dominus, ut supra memini, ab oneribus divertit, sed Esau quodammodo similis possem existimari, qui propter quamdam impatientiam contemnens, vel parvipendens primogenita sua: *En morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* (*Gen.* XXIV.) Erant autem primogenita illa privilegia quædam, et maxime sacerdotii dignitas, cujus videlicet sacerdotii indumenta erant illæ vestes Esau valde bonæ, *quas Rebecca*, inquit Scriptura, *apud se domi habebat* (*Gen.* XXVII), de quibus clara est et nota scientia secundum mysticam intelligentiam. Quia dona Christi divisiones gratiarum Spiritus sancti significant, indulta nobis publice et **232** privatim: publice quidem quia Judæis ablata, et gentili populo data sunt. Unde, et nos omnes gentes in psalmo dicimus, plaudentes manibus, *elegit nobis hæreditatem suam speciem Jacob quem dilexit* (*Psal.* XLVI) privatim vero, quia in qualibet domo Dei sæpe quivis corporalem sequens exercitationem, præteritur, et is qui exercet ad pietatem (*I Tim.* IV) copiosus ornatur gratia Spiritus sancti, quam Rebecca in illo facto significavit, dividente singulis prout vult (*I Cor.* XII). Nimirum talium vestium sive ornamentorum non extrema portio est pastoralis cura, et sapientiæ doctrinæ. Hinc Apostolus: *Et ipse*

(31) Idem ait Rupertus, initio lib. VII super Matthæum et lib. XII.

de iis quidem quosdem apostolos, quosdam autem prophetos, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*Ephes.* IV). Quisquis ergo nullam habens rationabilem causam semel susceptam parvipendens tanquam rem inutilem abjicit pastoralem curam propter cujuslibet adversitatis seu difficultatis impietatem, hic profecto non longe dissimilis est illi Esau, qui, propter gulæ impatientiam projecit primogenita sua, et: *En morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita*. Propterea quicunque sit ille, valde inordinatus est, ut postea, cum stultitiam suam recognoverit, rursum in statum pristinum resurgere, et honorem recipere contendat, nec omnino in hac re est audiendus secundum subsequens exemplum ejusdem Esau, cujus memor Apostolus: *Scitote enim*, inquit, *quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eum* (*Heb.* XII). Verumtamen quamvis dicat, *non invenit pœnitentiæ locum*, non est desperandum cuilibet talium de salute, licet desperare cogatur de honoris recuperatione.

CAPUT XXII.

Confortatus itaque redii, velut qui melius jam intelligerem consilium Sapientiæ, dicentis: *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Sap.* X). At ille spiritus potestatem habens, nimirum a Domino, qui potestatem dedit, ut tentaret sanctum Job, cujus memini in exordio, quæ videlicet potestas est justa, voluntas autem ejus semper injusta, nunquid ascendere desiit? Imo pertinaciter ascendit, ita ut parum videretur valere nobis quod cessatum erat ab ædificatione supradictæ munitionis, quia nostrorum quidam amicorum abusi temporis opportunitate (sciebant enim offensionem sublimioris, cui anima nostra secundum Deus subdita esse debuit) licentiam acceperant, nobis ignorantibus, et ædificabant turres alias et domos intrinsecus, nobis quidem contradicentibus, sed obsistere non valentibus. Totum tempus illud, totum annum illum ego memorans, quid de meipso censeam? Qualem me tempestas illa invenit? Qualem meipsum mihi ostendit? Nimirum nisi suggereret Paracletus inter cætera illud quoque, quod Salvator dicit nobis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te* (*Luc.* XI), hodie plus nimio timerem, quia in verbis forsitan modum excessi, et minime moderatus sum vehementiam doloris acerrimi. Summam scire vultis? Ego tantillus, tam magni ducis Josue partim exemplo uti non dubitavi, qui loquens in spiritu Dei dura imprecatus est illi qui reædificaret muros Hiericho, cujus supra memini (*Jos.* VI). Sed unde scire possim hoc pertinuisse ad exemplum illius, cujus tota imprecatio, quam justa, tam et mystica fuit? Idcirco cum exacerbatus dicerem: Fiat illis secundum imprecationem Josue, qui taliter ædificando pene obsident nos, et non sinunt quietos vivere. Lingua quidem satisfecit iræ non injustæ, sed mens non omnino privata est dilectione, quin intus adhuc viveret saltem uti solet inter obrutos cineres scintilla igniculi tenuiter ardoris sui vim aliquantulam retinere. Fuerit ergo ira illa mihi quasi festuca in oculo (*Luc.* VI). Nunquid vero raro contigit aut nobis tantum, vel similibus nostri accidit perpeti irruentem in oculum festucam ejusmodi, quam quispiam etiam malevolus reprehendere possit trabem non considerans, quæ in oculo ipsius est (*ibid.*), propter hoc ipsum, quia malevolus vel invidus est? Imo vero persæpe contingit ut gravius offendantur hi qui suaviorem habent dilectionem Dei, et per exacerbationem longe diversi fiant vel appareant a semetipsis, propter quod et inspector tenerrimi cordis eorum Dominus dicit eis: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II). Exempli gratia: Nonne Moses, sicut dicit Scriptura, *mitissimus erat omnium hominum, qui morabantur in terra*? (*Num.* XII). Attamen exacerbari potuit, et oculus ejus turbatus est a furore propter duritiam cervicis subditi sibi populi, quod optime sentiens Psalmista dicit: *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis* (*Psal.* CV). Quomodo inquis? *Distinxit in labiis suis* (*ibid.*). Videlicet loquendo alio modo quam solitus esset. Dixit enim: *Audite, rebelles et increduli. Num poterimus vobis aquam de hac petra ejicere*? (*Num.* XX.) Non ergo nos infimi dum interdum turbamur, et nimio zeli accensi modum in verbis excedere videmur, non statim judicandi sumus propter festucam, velut illi, qui in oculo magnam gerunt trabem odii, quia forsitan non totum quod imprecamur evenire optamus, hoc solum intendentes, ut qualemcunque per occasionem liberemur ab importunis hominibus salva illorum vita vel anima, quamvis aliter imprecari videamur.

CAPUT XVIII.

Quid multa? Tandem post diutinam vexationem illud consilium animo incendit, quod unus amicorum beati Job dixit: recte quidem si personam prudenter considerasset cui dixit: *Voca ergo*, inquit, *si est qui respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere* (*Job.* V). Mortua est enim uxor illius, cujus opus vel ædificium maxime nos contristabat, et per hanc, ut reor, occasionem mitius cœpit agere, quatenus mecum ejusmodi placitum iniret, ut domum quam ædificare cœperat subter turrim quam ut suam reædificaverat, nobis cederet, partim pro anima sua, partim accepta pecunia. Nam domus illa distribuendæ eleemosynæ videbatur accommoda, utpote secus introitum portæ castelli sita: Cogitavi ergo tandiu vexatus, ut ad aliquem sanctorum me converterem, videlicet construendo in honore illius oratorium super portam eamdem, ita ut contiguam haberet prædictam domum hospitalem. Converti autem me ad beatum Laurentium, nimirum aliquem sanctorum, et ad hanc partem speciali gratia satis idoneum secundum finem suum. Finis enim ejus hic fuit, quod sanctorum pauperum

pedes lavit, et linteaminibus extersit et de thesauris vel facultatibus Ecclesiæ, quas dispensandas susceperat, fideliter eis ministravit, mox gloriosum peracturus martyrii triumphum, unde et memoria ejus in benedictione est, cum istis venerabilibus antiquioris Scripturæ verbis: *Dispersit* **233** *dedit pauperibus justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI). Hunc ergo congruum ac fidelem ratus fore tutorem, jeci quantotius futuri oratorii fundamentum, et prout tempus permisit (instabat autem asperitas hiemis), structura fornicibus erecta usque ad æqualitatem porte surrexit, quam, ut a nivibus, pluviisque hibernis protegeretur, protinus levi materia et stipula oportuit cooperiri. Ejuscemodi tecturæ eventus, fratres mei, qualis exstitit? Cum enim supra dictum foris extra muros grassari cœpisset incendium, et hi, qui turres, ut supra jam dictum est, in unum jus transtulerant, ad casdem certatim convolarent, mobilem ferentem supellectilem ad altitudinem atque munitionem, ut sperabant, igni inaccessibilem sive impenetrabilem repente advolantes scintillæ, et super stramen, quo tegebatur opus jam dictum, dimissæ, in ingentem flammam eruperunt, quæ videlicet flamma multo efficacior, quam bellica quælibet machina turrim, quæ proxima stabat, per sublimes fenestras tenuesque rimas ingressa, et deinde in aliam tertiamque perniciter prosiliens, totum denique castellum, et quidquid in turribus lignum erat sibi in pabulum concessum, corripiens, horribile cunctis fecit spectaculum, ita ut totum hoc non solum circumdaret, verum etiam cooperiret monasterium.

CAPUT XIX.

Ad te igitur facta conversio nostra firmetur, o beate Laurenti, et tu sis, qui respondeas vocantibus nobis juxta præsagium memoranti aromatis, quo mihi osculum dare visus est in conspectu Domini Jesu Christi, Regis æterni, quasi jam venientis cum nubibus, ut videret eum omnis oculus, et cum eo sanctorum millia quos inter ut igneus, et quasi serenus ignis vultu pariter et vestitu rutilans apparebas. Qui cum venerit, nonne examinabitur mundus secundum similitudinem hujus incendii, quod enarravi, maxime quia de medio tantæ conflagrationis, de exæstuatione tam ingentis camini salvum et incolume Dominicum corpus emicuit? Aut nunquid huic rei, quæ nobis accidit tam magnum, quod futurum est judicium inepte assimilari dicimus? Minoribus utique rebus, auctore Domino, idem judicium sive regnum cœlorum assimilatur. Denique assimilatur triticeæ messioni (*Marc.* IV), assimilatur sagenæ sive retiaculo piscatoris (*Matth.* XIII), assimulatur modico fermento in tribus farinæ satis (*Luc.* XIII), assimilatur etiam grano sinapis (*ibid.*). Quo istorum sive his similium minus exstitit hujusce judicium incendii, ut non debeamus per ejus similitudinem existimare nos esse commonitos de ira ventura, id est igne universalis judicii, præsertim ubi tam multipliciter operata est præsentia seu providentia judi-

A cis ejusdem, qui tunc omnia simul judicabit. Etenim sicut illud magnum et ex remum quatuor partibus agitabitur judicium: pars quippe una erit eorum qui judicabuntur et per judicium salvabuntur; et alia pars eorum qui judicabuntur et per judicium condemnabuntur (*Matth.* XXV): itemque pars una illorum qui non judicabuntur, sed cum Domino judicabunt (*Matth.* XIX); et alia illorum qui non judicabuntur, sed sine lege peribunt, quia legem non acceperunt et sine lege peccaverunt (*Rom.* II), ideoque jam judicati sunt, ita fere accidit et nunc. Mulier una hujus incendii flammis circumvallata et effugere non valens, miserabiliter concremata est. Nostræ autem res partim concrematæ sunt, et non ipsi nos, corpus autem et corporale Dominicum nihil ab incendio pertulit,

B turres autem, super quibus nobis erat molestia, quamvis nihil sentientes, horribili spectaculo combustæ sunt. In nobismetipsis ergo, quorum res aliquæ perierunt, locus autem salvatus est nobiscum, similitudinem non illorum inutiliter advertimus, qui tunc judicabuntur, et per judicium salvabuntur, juxta illud Apostoli: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III). Eheu! quam timui ne illud opus meum arderet, quod mihi in hac vita major consolatio est, scilicet opus librorum, quos elaboravi maximeque illorum, quorum adhuc extra locum istum exemplaria nusquam erant. Unum illorum erat opusculum quod nuperrime conscripseram de glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti novem tomis, sive libellis et pro hoc fere ita

C sollicitus eram, sicut negotiator cæteris omnibus amissis, et de omnibus desperans, salutem unam quam forte nuper emerat reservare cuperet, margaritam. Porro in concrematione mulieris (quanquam de illa desperandum non sit) nonnulla similitudo est eorum qui judicabuntur et per judicium condemnabuntur, id est damnationem, quam ista in corpore perpessa est, ipsi in corpore pariter et in anima perpetientur. In corpore atque corporali Dominico, quod nihil ab incendio pertulit, nonne aliqua similitudo est eorum qui non judicabuntur, sed cum Domino judicabunt? In turribus vero quæ nihil sentientes, combustæ sunt nonne aliqua similitudo est superborum, qui legem non habentes, ut supra dictum est, sine lege propter turritam superbiam

D suam peribunt? Potius enim hominum turribus, quam ipsi qualibuscunque Christianis hominibus similitudinem ascribimus damnationis illorum, qui sine lege peribunt, quia sine lege peccaverunt, et idcirco sine lege peribunt, præsertim quia talium opera fuisse traduntur hominum, qui sine lege peccaverunt, gentiles enim fuerunt.

CAPUT XX.

In quo tandem firmatam esse cupimus conversionem, qua convertimur ad te, o martyr beatissime? Non enim leviter accipimus, aut parvipendere debemus sententiam supra scriptam quamvis deprompta fuerit absque discretione: *Voca ergo, si est,*

qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. Deus ipse advocatus beati Job, in quem deprompta fuerat miro modo, et sententiam approbavit, et secundum ipsam sententiam beatum Job tanquam aliquem sanctorum honoravit, ut ad eum fieret conversio illius qui primus taliter in eum fuerat locutus, male sentiens de viro sancto, quod nisi esset impius, nequaquam contingere posset, ut tanto flagello percuteretur. Ille namque, videlicet Eliphaz Themanites sic primus incipiens: *Recordare, obsecro te, quis inquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt* (*Job.* IV), subauditur, ut tu peristi et deletus es, et cætera prosequens tanquam in peccatorem, inter quæ dixit sententiam hanc: *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere*, nonne maxime correptus, et ad sanctum Job converti jussus est? Sic enim in calcis voluminis Scriptura narrat: *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themaniten: Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite igitur vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte* **234** *holocaustum pro vobis, servus autem meus Job orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, nec enim locuti estis ad me recta sicut servus meus Job. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suites, et Sapharna Amathites, et fecerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus, et suscepit Dominus faciem Job. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis* (*Job.* XLII). Hoc auditum mente pertractamus, ita ut dispositionem Dei non satis posse mirari fateamur, quia qui dixit tanto viro, *ad aliquem sanctorum convertere*, ei dixit Deus: Tu ipse ad justum, cui loqueris, sanctum convertere. Nonne vero, tu beate martyr, quidam Job fuisti tempore tuo? Et quidem qua sancta Ecclesi catholica totum corpus cum suo capite Christo unus est Job, secundum similitudinem vel typum quem pertulit ille homo beatus Job, et sicut de illo male senserunt amici ejus, cum esset graviter flagellatus quasi pro suis sceleribus, ita de sancta Ecclesia male judicaverunt hæretici; quoties tentator Satan permissam potestatem habens, et corda principum impiorum obtinens percussit eam *a planta pedis usque ad verticem* (*Job.* II), magnos et parvos atrociter persequens. Verumtamen sicut in uno corpore *omnia membra non eumdem actum habent* (*Rom.* XII). Ita in ejusmodi percussione omnia membra corporis Ecclesiæ nec æqualia gesserunt, nec æqualem dolorem perpessa sunt. Tu es unum hujusce corporis membrum cui patienti recte *omnia membra compatiuntur* (*I Cor.* XII), audientia clamorem tuum clamorem tuæ passionis, o verissime Job, id est dolens quem et tu maxime sciens spirituali scientia et sensu mystico dixisti fidelissimo comiti tuis doloribus oppido cum fletu et mœstitia condolenti: *Magis tace, et in interiore homine absconde* A *Christum, et postmodum cum clamavero, audi et veni.* Dixerat enim ille plorans et mœstus propter te cum clamasset alius, videlicet Romanus miles: *Christianus sum*, et propter hoc occubuisset, quare non et ego vociferor quia Christianus sum, et tecum incumbo. O quam venerabiliter accipiunt eruditæ aures quod dictum illud ita ex ore ejus assumpsisti, ut diceres tuo sensu subtiliori, *cum clamavero, audi et veni.* Hoc enim vere dixisti sensu illo, quo et universæ Ecclesiæ cum beato Job propter martyres suos dicere congruit: *Terra, terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat latendi clamor meus* (*Job.* XVI), et cætera quæ sequuntur.

CAPUT XXI.

Tu autem, beate martyr, sicut dicere cœperam, B quidam Job tuo tempore exstitisti, et nunc et usque in finem sæculi clamorem tuum, clamorem magnum tuæ passionis Christus audit et Ecclesia Christi, neque enim terram illum operire potuit, nec ullum in ea latendi locum invenit. Et quæ vel qualis est illa terra? Nimirum ipsa de qua clamat ad Deum sanguis protomartyris Abel (*Gen.* IV), imo sanguis Christi, cujus typum præferebat ille justus Abel. Hæc terra universalis Ecclesia est. Ipsa clamorem tuum prima audivit, et primum conclamavit, nosque secum conclamare docuit verbis hujuscemodi, quæ primum verba fuerunt sæpe dicit Job, nihilominus autem verba sanctæ Ecclesiæ sunt in pressuris suis, et tibi aptissime congruunt: *Oratio mea munda est, et ideo peto, ut detur locus voci meæ in cœlo, quia ibi est* C *judex meus et conscius meus in excelso* (*Job.* XI). Et rursum: *Probavit me quasi aurum quod per ignem transit. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus* (*Job.* XXIII). Ob hujuscemodi clamorem conversi ad te, et audientes simul claritatem propriæ vocis tuæ verba oris tui de illo nobilissimo et valde spectabili tuo agone, in quo confitebaris, et collaudabas Deum salvatorem nostrum in medio ignis, in pressura flammæ, quæ circumdabat te, et perpendens verba illius tuæ confessionis digna vere quasi in statera ponderari. Quid videmus in te, o anima beatissima, nisi Sunamitem illam, quam dilectus amat clamans et dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te?* (*Cant.* VI.) Quænam est D Sunamitis hæc nisi fides? Ista est quæ exspectabatur ut reverteretur, quia pene disparuerat in hominibus, etenim fere omnes non in fide Abrahæ sed in carne gloriabantur. Sicut aliquando Sara libera, quia sterilis erat, despiciebatur, et Agar ancilla, quia fecunda erat, eligebatur (*Gen* XVI), sic fides per quam justificatus est Abraham, negligebatur, et in lege secundum carnem fere omnes gloriabantur, et ingenua fides quasi contemptibilis erat secundum nomen Sunamitis, quod interpretatur *captiva* sive *despecta.* Sed reversa est, et super terram apparuit hæc libera, hæc nobilis, hæc filia principis, scilicet Dei, quando credula Virgo, Verbum suscipiens, con-

cepit et Filium peperit, principem libertatis, primogenitum filiorum fidei, qui extunc per orbem terrarum multiplicati sunt, et multiplicantur usque in finem sæculi. Hæc in te loquebatur, et hanc in te Christus intuebatur. Tyrannus autem eam non videbat, manibus suis eam capere non poterat. *Cum ambulares in igne, ipsa non comburebatur* (*Isa.* XLIII); unde verissime scriptum est: *Et flamma non ardebit in te* (*ibid.*), quia ardebat flamma quidem extrinsecus, sed nullam operabatur læsionem intrinsecus. Qualiter ergo Sunamitem hanc in te videmus? Vere sicut mulierem fortem, in qua *confidit cor viri sui* (*Prov.* XXXI), et quæ, inter cætera fortitudinis opera, *Chananæo quoque cingulum tradidit* (*ibid.*), id est te abjectum in oculis tuis, et humilem spiritu magnifice confortavit. Alioquin, o beatissime, cur flebas discedente Syxto cum aliis diaconibus suis, nisi quia teipsum quasi quemdam Chananæum, id est vilem peccatorem indignum reputebas eadem, vel simili gloria martyrii? Nisi enim indignum reputares, poteras non exspectata benedictione hominis, quamvis sancti, quamvis episcopi et magistri vociferari quod Christianus esses. Bene ergo cingulum tibi tradidit, et cingendo te propter hoc ipsum quod eras humilis in oculis tuis demonstravit, et notum fecit quod esses magnus in oculis Domini, id est, non Chananæus, sed filius regni. Quid contra regibus, sive filiis regni, scilicet his qui magni sunt in oculis suis? Non utique cingulum eis tradidit, imo quem videbantur habere balteum, abstulit, juxta sermonem sæpedicti sancti Job: *Balteum*, inquit *regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum* (*Job.* XII).

CAPUT XXII.

Ecce hæc ex abundantia cordis locutum est os meum ad te conversum (*Matth.* XII), quia nimirum abundans est id corde sollicitudo gradientis inter spem et metum. Proficiscor enim in viam universæ carnis, sciens quia *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* (*II Cor.* V). Et ut hoc ipsum verbis eloquar ejusdem B. Job: *Ecce breves anni transeunt, et semitam per quam* **235** *non revertar, ambulo* (*Job.* XIV) O quam formidabilis profectio! Non licet imo non vacat homini Christiano ignorare vel dissimulare formidinem hanc; quippe cur non solummodo vigilantem meditatio, verum etiam dormientem occupet pergivil tremor, ut anima ejus assidue renuat consolari, et memor sit Dei (*Psal.* LXXVI). et priusquam faciem ejus videat, nunquam securus esse possit. Fateor quia non nisi expectus hæc dicerem, nec nisi ab experimentis docte clare intelligerem, illud quoque, quod supra dictus vir sanctus loquitur: *Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in stratu meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore me percuties* (*Job.* VII). Quid erubesco confiteri quod nonnunquam acciderit terror sive horror ejusmodi? Vidi per noctem me proficisci ad tribunal Christi, a cujus facie sedentis super thronum tam horribiliter fugere videbantur plerique miseri, ut jam post visum illum opus non habeam ab homine, vel per hominem doceri quid vel quale sit illud: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiunt qui oderunt eum a facie ejus* (*Psal.* LXVII). Ambulabam, quantum possum reminisci, magno cum timore, et in spiritu humilitatis, multum quidem timens, sed et multam spem habens, timens ne, cum ad id perventum esset, ut ante ipsum tribunal stare, et faciem ejus videre deberem, territus refugerem, et spem habens, quod placatam eamdem ejus faciem invenirem, quam fuga inenarrabili plerique, ut jam dixi, fugere conabantur, cum effugere non possent. Sequebantur post tergum spiritus teterrimi multitudine innumerabili cum hac exspectatione, ut me retro conversum et fugientem a facie sedentis super thronum statim comprehenderent, et in damnationem suæ partis auferrent, nam prius me contingere nullatenus audebant. Post tergum, ut jam dixi, sequebantur, atque a dextris et a sinistris pariter gradiebantur, ita tamen ut nulla me turba comprimerent, sed erat undique mihi solitario spatiosus incessus, et ante faciem meam nullis præcurrentibus aut præcedentibus liber prospectus. Cum hujusmodi processu visus mihi sum ingredi templum Domini, in quo erat similitudo throni et sedentis in eo Christi judicis et Salvatoris nostri et circa eum sedentes quasi senatores judicii et principes regni Dei. Qua voce, qualibus verbis eloqui possem horrorem multorum fugientem, non tamen effugientium a facie ejus, ut jam dixi: « Introgressus autem ante faciem ejus, protinus inter multos super faciem terræ, id est super pavimentum valde pavidus, et quasi in domum refugii receptus consedi, et respiciens eorum, qui me prosecuti fuerant, neminem vidi, nisi quod coluber unus, toto corpore per terram repens, et solum caput erigens linguamque pertendens, nescio quas occasiones contra me moliri videbatur. His perspectis, protinus a somno evigilavi.

CAPUT XXIII.

Qualiacunque hæc sint, o ter quaterque B. martyr, quis nesciat quia nos omnes oportet astare ante tribunal Christi? (*I Cor.* V.) Ibi profecto qui Christum diligit, fiduciam habebit. Hinc Joannes in Epistola sua dicit: *In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii* (*I Joan.* IV). Item: *Et nunc, filioli, manete in ea, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab ea in adventu ejus* (*I Joan.* II). Pro hoc ut fiduciæ habendæ tu adjutor sis, convertor ad te cum sacrificio bonæ voluntatis, quæ si prompta est, ait Apostolus, *secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet* (*II Cor.* VIII). Et quidem si vita comes fuerit, spero quod habebit voluntas hæc effectum, ut impleat votum, quod incœpit supra memorati operis, ut tu quies in regno cœlesti cancellarius dignus Regis Christi, et sanctæ ejus genetricis Reginæ præpotentis, sis etiam specialis patronus et tutor hujus loci Deo dicati et eidem perpetuæ Virgini, nec vacet alicui potentiæ sæculari præesse arcibus istis jamdudum semirutis, et nunc semiustis, quia non expedit omnino monasticæ professioni cohabitationem pati, sive tam

imminens continium alienæ conversationis. Verumtamen quomodocunque proveniat finis consummatio manufacti hujus, quod a me factum est, fundamenti, spero quia voluntas, quæ, ut jam dixi, prompta est, accepta erit, et sicut in holocausto septem taurorum, et septem arietum accepti fuerunt amici beati Job, dicente Domino : *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, nec enim locuti estis ad me* A *recta sicut sicut servus meus Job* (*Job*. XLII), ita in bona voluntate (dummodo mactemus quod maximam expedit duritiam quasi taurinæ cervicis et præsumptionem quasi arietini capitis, id est præsumpti magisterii sive ducatus in grege Christiani populi) suscipiemur per te, et convertetur ad te Dominus, o beate vir, suscipietque faciem tuam orantis pro amicis tuis. Eheu ! quam dubii stadium nos currimus : at tu, Laurenti, laurum geris igne probatus ut aurum.

R. D. D. RUPERTI.

ABBATIS TUITIENSIS

DE MEDITATIONE MORTIS.

LIBER PRIMUS.

236 CAPUT PRIMUM.

Quid nunc magis, o anima ? Saltem abhinc eruditior esto, et quod reliquum est temporis, vive secundum vitam sapientis, quæ est meditatio mortis. Nunc enim maxime tibi *tempus est flendi, et tempus plangendi* (*Eccle*. III), postquam velociter transierunt menses vacui, quos habuisti, et noctes laboriosæ, quam enumerasti tibi, ita ut veraciter quodam respectu conscientiæ tuæ dicere possis : *Quia timor quem timebam, evenit mihi, et quod verebar accidit* (*Job*. III). Apostolus, cum de pressuris sive tribulationibus suis loqueretur : *Ipsi*, inquit, *in nobismetipsis responsum mortis habuimus ut non simus fidentes in nobis* (*II Cor*. I). Nullatenus parva nostra comparare possumus aut volumus magnis illius tanti Apostoli : verumtamen est interdum parvorum atque magnorum aliqua similitudo, quamvis dissimilis, adeo ut exigua formica dum frumenta congregat in messe recte dicatur similis viro magno, viro sapienti, qui bonis actibus sibi providet in vitam futuri sæculi. Ita nimirum pro quadam similitudine nobis parvis licet uti præsentibus verbis magni Apostoli; quia plurique parvorum experti sunt, ut cum illo dicere possint : *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis*. Age ergo et tu, o anima exigua, exerce teipsam ad vitam sapientis, quæ est, ut jam dixi, meditatio mortis, memor quoties tu quoque responsum mortis acceperis, quod delectari non debeas mora sive longiturnitate, si qua est, vitæ præsentis.

CAPUT II.

Nunquid vero dum invitaris, homo, ac meditationem mortis id solum dicitur tibi, ut moriturum te esse memineris ? et quidem utile est saltem istud vel solum meditari pro cura vel sollicitudine ac metu reddendæ rationis in hora exitus tui, propter quod Sapientia dicit : *In omnibus operibus tuis memorare* B *novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli*. VII). Verumtamen non in hoc solo tota expenditur meditatio mortis, aut perficitur vita sapientis, sicut non plenus aut perfectus est timor Domini, quem Scriptura sanctum dicit et permanentem in sæculum sæculi (*Psal*. XVIII), ubi propter solum gehennæ metum quispiam peccatum refugit. In quo ergo plenior est meditatio mortis perficiens vitam sapientis ? Nimirum in eo ut fideliter credas, firmiterque scias quia valde utiliter homini, quoniam mortuus erat in anima per peccatum, mortem corporis Deus intulit, et eum in æternum vivere vetuit. Et quia de morte provenit thesaurus vitæ et salutis per Jesum Christum, qui particeps fieri dignatus est nostræ mortalitatis. De quo videlicet thesauro recte illud a Domino dictum C intelligitur ad B. Job : *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli ?* (*Job*. XXXVIII.) Denique præter moralem sensum nivis et grandinis nominibus omnes afflictiones, quas Deus humano generi juste superduxit, recte intelliguntur, et ipsa mors, quæ omnium afflictionum summa est. Quis rogo, nisi solus Deus, vel solus Dei Filius, ejusmodi nivem sic ingressus est, et ejusmodi grandinem sic aspexit ut thesauros inde produceret, id est sic omnes afflictiones et ipsam mortem inter homines impios, et frigore perfidiæ constructos sustinuit, ut per hoc ipsum, quod mortem perpessus est, jucunditatem et exultationem vitæ æternæ super nos thesaurizaret ? Et quidem nivem hanc et grandinem istam *præparavi*, inquit, *in tempus hostis, in* D *diem pugnæ et belli*, id est propter hostilitatem serpentis antiqui, et propter repugnantiam sive rebellionem hominis consentientis illi, afflictionem et mortem induxit dicendo : *Maledicta terra in opere tuo*, et cætera usque *quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, sive usque *ne comedat de ligno vitæ et vivat in æternum* (*Gen*.

III). Sed, hæc taliter imposita homini rursus instrumenta facta **237** sunt vitæ et salutis per gratiam Dei, qui miro atque ineffabili modo bene novit uti malis nostris. Hæc nostra propositio est, et circa hæc cupimus studiose versari in hoc opusculo, quod nuncupare placet meditationem mortis, cujus videlicet opusculi scribendi mihi occasio fuit periculum ignis, quod præcedente libello denarravi, in quo mirifice servatum est corpus Domini, memoriale mortis ejusdem Domini, juxta quod Apostolus dicit : *Quoties panem hunc manducabitis, et calicem istum bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*I Cor.* XI).

CAPUT III.

Primum igitur gratias agant Deo suo omnes mortui, quibus resurrectio ad vitam erit et benedicant ei propter quod de hujuscemodi consilium super eos reperit, ut quoniam mortuus erat homo morte animæ, quæ est admissio peccati, non sineretur vivere in æternum vita carnis sive corporis. Nos quoque qui nunc vivimus, imo mortui, id est certissime morituri sumus, unde Apostolus : *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum ; spiritus vero vivit propter justificationem* (*Rom.* VIII), nos, inquam scientes et considerantes quam inutile fuisset hominem peccatorem comedere de ligno vitæ et vivere in æternum, simulque scientes et per fidem aspicientes quanta utilitas morte provenerit, quia mirabiliter vita de morte sumpta est, os nostrum aperimus et attrahimus spiritum ad benedicendum, ad gratias agendas tibi Deus, juxta modulum nostrum, et quia non sufficit quisquam nostrum, ecce ego *peripsema omnium* (*I Cor.* IV) invitare satago quamlibet virtutem ad adjuvandum hoc benedictionis desiderium, et dico quali vel quanto cordis clamore possum : *Benedicant te cœli, terra, mare, et omnia quæ in eis sunt propter hoc inventum, quod invenisti, et solus per tuam sapientiam invenire potuisti* (*Dan.* III), sicut in Job manifeste scriptum est : *Invens in quo propitier ei* (*Job.* XXXIII). Quidnam est illud quod invenisti, in quo propitiaris humano generi, nisi inventum mortis hujusmodi, mortis non animæ, sed corporis ? Sequitur : *Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ* (*ibid.*). Quod quam verum sit quanta quam miserabili consumptione consumpta sit vel consumatur caro hominis interrogata, maxime respondent sepulcra mortuorum aliquo casu patefacta interdum, dum ossa quæ pelle carnibus vestita susceperat terra, rejicit, sicut eadem Scriptura paulo ante loquitur : *Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant nudabuntur* (*ibid.*). Et quidem in illo usu luctus est, sive causa lugendi, sed eumdem luctum consolatio delinit in corde sapientis, cujus, ut supra proposui, omnis vita est medicatio mortis, quia consumptionis hujusmodi fructus hic est, quem dicit propitiatus Deus ipse, *revertatur ad dies adolescentiæ suæ*, nimirum ut intelligas idcirco mori vel consumi oportuisse hominem, ut per misericordiam non injustam renovari debent in id ad quod conditus fuerat, scilicet in vitam æternam, quæ idcirco per dies adolescentiæ pulchre designata est, quia nulla unquam senectute marcescet aut deficiet, nulla vetustate siccabitur, aut recepti, imo in statum longe meliorem reparati vigoris sui pulchritudinem amittet.

CAPUT IV.

Ubi, quando, quali intentione, o Deus, *hoc inventum invenisti ?* Non enim parvi ponderis esse sentimus quod dixisti : *Inveni in quo propitier ei.* Stet ergo hic diligens anima diutius ad meditandum, memor quod sapientia dixit : *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). In illa enim finis cunctorum agnoscitur, et vivens homo cogitat quid futurus sit. Et revera de hujusmodi loquitur ipse Dominus : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Ut igitur ea quæ percunctatus sum delectabilius inveniam, scilicet ubi, quando, quali intentione hoc invenerit Deus, quatenus caro hominis morte consumatur, et quomodo vel quot vicibus eamdem consumptionem operetur, totum capitulum hic ponere libet, de quo versiculum hunc assumpsi : *Consumpta est caro illius suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Capitulum hoc est : *Per somnium*, inquam, *in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperiens aures virorum et erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab his quæ fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius ut non transeat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit. Abominabilis ei sit in vita sua panis ; et anima illius cibus ante desiderabilis, tabescet caro illius, et ossa quæ tecta fuerant nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo loquens angelus, unum de similibus* [Vulg. *unus de millibus*], *ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus et dicet : Libera eum, et non descendat in corruptionem ; inveni in quo ei propitier. Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ. Deprecabitur Deum et placabilis ei erit, et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet homini justitiam suam. Respiciet homines et dicet : Peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi. Liberavi animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione et illuminet lucem viventium* (*Job.* XXXIII).

Fere cuncta hæc secundum sensum litteralem, qui gravissimus et sacratissimus est, accipienda nobis sunt, juxta rationem præsentis propositi, quod est meditatio mortis, præter id quod primum dixit, *per somnium in visione nocturna quando irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo.* Hæc enim juxta anagogen accipienda sunt, ut per somnium et per visionem nocturnam, et per soporem irruen-

tem et per dormitionem in lectulo, quæ multiplex circumlocutio est, sanctum sacræ meditationis intelligis otium, videlicet quod his tantum, qui mentis quietæ sunt, quos amor hujus sæculi non inquietat, quos illecebra præsentis vitæ non delectat, quorum cor in avaritia non vigilat, aperiuntur aures cordis, ut illud quod dictum est : *Ne comedat etiam de ligno et vivat in æternum* (*Gen.* III), et alibi : *Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, quia caro sunt* (*Gen.* VI), clare audiat et bene intelligat, non tam esse vindicis iræ sententiam, quam consulentis misericordiæ providentiam, non tam judicialis gladii vindictam quam paternæ virgæ disciplinam. Verumtamen esto, vocetur ira, dicatur furor disciplina hæc. *Ecce*, inquit propheta, *tu iratus es, etenim peccavimus et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos* (*Isa.* LXIV). Et Psalmista cum dixisset concedendo disciplinæ huic, id est mortalitati sive morti, dicendo : *Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat, vespere decidat, induret, et arescat* (*Psal.* XCIX), continuo subjungit : *Quia defecimus in ira tua et in furore tuo turbati sumus* (*ibid.*). Et in alio quoque
238 propheta Deus ipse disciplinam hanc, sive supplicia hæc, de quibus hic scriptum est. *Consumpta est caro ejus a suppliciis*, non solum iram, verum etiam judicia pessima nominat, cum dicit : *Quod etsi quatuor judicia mea pessima gladium, et famem, et bestias malas et pestilentiam misero in Hierusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus, tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias* (*Ezech.* XIV). Esto ergo : nihil enim obest, imo multum prodest et intentioni sive proposito Dei cooperatur existimatio hæc, veluti si puer dum a patre verberatur acriter, furorem esse existimet cum ille diligendo percutiat, percutiendo diligat, sciens scriptum : *Qui parcit virgæ, odit filium suum* (*Prov.* XIII).

CAPUT V.

Quali ergo intentione Deus Pater filios suos ista virga percusserit, ut secundum carnem consumerentur a suppliciis, Scriptura hæc evidenter exprimit, cum dicit : *Ut avertat hominem ab his, quæ fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et vitam ejus, ut non transeat in gladium.* Vere grandis sermo. Idcirco, inquit, ut liberet hominem a superbia, et vitam ejus, ut non transeat in gladium, erudit eum hujusmodi disciplina. In primis increpat per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit, quod sæpe contingit ex modica febri, ut qui paulo ante robustus sibi videbatur, in brevi desiccatis artubus, ne pedibus quidem consistere queat, imo nec ad sedendum valens totusque doloris impatiens in lectulo decumbat, et panis sive omnis cibus ante desiderabilis, tunc abominabilis adeo fit illi ut vim sibi ad comedendum faciens, renuente stomacho, plerumque vomitu rejiciat, totusque tremore quatiatur, qui paulo ante equo insultans, vectari gaudebat, sive rex præpo-
A tens, sive nobilis dux. Unde quidam regum potentissimorum, dum valida febri ad mortem vicinum acriter urgeretur, ita dixisse fertur : *Wahe, Wahe, quam magnus rex ille est, qui reges fortes tam fortiter constringit !* Deinde quam vere tabescat mortuus, sicut ait : *Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant nudabuntur*, si nondum satis comperisti, o tu quisquis es, vade ad sepulcra mortuorum, et, sicut supra dixi, ipsa respondebunt et indicabunt tibi usque ad satietatem visionis oculis tuis, et si recentiora sint cadavera, ut succi aliquid supersit, indicabunt usque ad satietatem fetoris, plus quam nares tuæ tolerare possint. *Ut*, inquam, *liberet eum a superbia, ut eruat animam ejus a corruptione, et vitam ejus transeat in gladium*, idcirco sic increpat, idcirco sic
B carnem ejus tabescere faciet, data sententia hujusmodi, *quia pulvis es et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), et sic ossa quæ tecta fuerant pelle et carnibus, et nervis omnibus denudantur. Quonam alio modo a superbia liberaretur ? Vix etiam nunc levitas creaturæ hujus ad pondus humilitatis deducitur. Quotidie morimur, et a viventibus utique morituris mortui sepeliuntur, et interim plerique adeo præsumptione magnifici cordis inflantur, ut oblivisci gestiant quod homines sint, qualium notissimi in Scripturis graviter denotantur. Assur, Pharao et Tyrus sive rex Tyri, rex quoque Babylonis, quorum sub nominibus arguitur in Scripturis supra diabolus, quod posuerit cor suum quasi cor Dei, dicens : *Deus ego sum et in cathedra Dei sedi* (*Isa.* XIV), quia tales
C homines per vitium talis ambitionis similes fuerunt illi. Quid increparentur, si sperare potuissent futurum non esse, ut hic dictum est : *Tabescet caro illius, et ossa quæ tecta fuerunt, nudabuntur* ? Quid, inquam, si non moreretur homo sicut non moritur diabolus? Quo vel per quid a superbia liberantur, ut non descenderet anima ejus in corruptionem et ut vita ejus non transiret in gladium, subauditur in quem transivit diabolus, scilicet in damnationis æternæ judicium ? ille namque propter superbiam in illum transivit gladium. Diligenter animadvertendum non gladius in illum, sed transivit *in gladium*. Longe alius est sensus, cum dicitur transire gladius, ut illic : *Et si dixero gladio : Transi per terram* (*Ezech.* XIV). Et alius hic, cum dicitur homo transire vel
D non transire gladium. Transitus gladii per terram, pœnam significat transitoriam ; transitus superbi in gladium, damnationem innuit sempiternam.

CAPUT VI.

Laudabilis igitur et omni gratiarum actione digna intentio tua, Deus, propter hoc mortales nos esse voluisti, quatenus a superbia liberemur, atque perinde consequenter fieri debeat, ut nequaquam in illum gladium malignum transeamus. Mirum quidem quod diabolus, cum in illum gladium transierit, adhuc superbit, sed nunquid minus mirandum de hominibus superbiæ filiis, qui adhuc superbiunt sciendo et confitendo quod mortales sint, et cito moriuntur? Dicunt enim : *Exiguum et cum tædio est*

empus vitæ nostræ, quia ex nihilo nati sumus et post A *hæc erimus tanquam non fuerimus. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, et nemo revertetur. Venite ergo et fruamur bonis, quæ sunt et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum sit exsors luxuriæ nostræ* (*Sap.* II). Hæc et cætera his similia cum dicunt, nunquid minus mirandum est super duritia illorum quam super duritia regis eorum, scilicet Satanæ, sicut ait Dominus ad beatum Job: *Et ipse est rex super omnes filios superbiæ* (*Job.* XLI). Unde enim humiliari debuerunt, scilicet ex mortis certitudine, B inde magis desperati superbiunt, nimirum secundum imitationem diaboli, qui cum damnatum se sciat et ita in gladium transiisse, ut sit irrevocabilis nihilominus adhuc superbit. Tantæ rebellionis ejus duritiem Scriptura libri Apocalypsis vehementer nos admirari vult, cum dicit: *Et unum de capitibus bestiæ quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est* (*Apoc.* XIII). Item: *Et fecit terram et inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis* (*ibid.*). Ac deinceps: *Ut faciant*, inquit, *imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii et vixit* (*ibd.*). Diabolus namque, qui in Antichristo totus inhabitavit, ipsa est cruenta bestia, quæ habet plagam gladii, et vivit, et plaga mortis ejus sanata est. Nimirum falso vixit, aut vivit, et C falso plaga mortis ejus sanata est, nam vere mortuus est, et plaga mortis ejus est insanabilis. Ipse autem quasi vivum se vult haberi, et plagam mortis suæ quasi sanatam videri, quam videlicet plagam gladii, id est sententiam æternæ damnationis in cœlo accepit, unde irrecuperabiliter cecidit. In quo se quasi vivum vel plagam suæ mortis, quasi sanatam vult videri? Videlicet in eo, quod permanente divinitatis ambitione, qua in cœlo tumuit, quasi Deum se deceptis hominibus ostendit, et contendit ut adoretur quasi Deus vivus, cum sit mortuus diabolus. Ad imitationem, inquam, illius isti huc modo **239** superbiunt, dum profitentes quod sciant se cito mori, *coronemus nos*, aiunt, *rosis*, antequam marcescant, et cætera, subjungentes: *Quoniam hæc est pars nostra et hæc est sors nostra* (*Sap.* II). Quod D etsi qui talium aliquando lugent, nullam veram, cur lugere debeant, sentiunt rationem.

CAPUT VII.

Contra ejusmodi vir sanctus dicit: *Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est* (*Job.* VI). Nimirum fortitudines istorum, scilicet lapidum et æris in percussionibus sono quidem differunt, sed utraque sine sensu sunt. Adeo sonis differunt ut non solum clarius lapide tinniat æs percussum, verum etiam dulcem ac delectabilem reddat harmoniam, observatis

A in pondere legitimis proportionibus numerorum, sed, ut jam dictum est, utraque sine anima sunt, et nihil omnino sentiunt. Secundum hanc similitudinem homines illi, quorum verba supra posuimus, lapides sunt, quippe qui dolores mortis sentire nolunt imo propter hoc ipsum, quia morituros se esse sciunt, durissime atque superbissime loquuntur, et quoniam morituri sunt, omnes luxurias festinanter præoccupare gestiunt? Plane lapides sunt, et fortitudo eorum fortitudo lapidum est quia non solum non sonant gemitum, verum etiam pro laude et gloria hoc habere leguntur, quod dedignantur proferre gemitum. Illi vero qui verba gemituosa legunt quidem vel psallunt, sed eorum sensum percipere non curant neque attendunt, exempli gratia: *Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me* (*Psal.* CXIV) et cætera hujus modi, B quæ multa sunt in Scripturis, tantum a prædictis in hac ratione differunt, quantum sonus æris a sono lapidum, et de ejusmodi recte dicas, quia caro illorum ænea est. Hinc et Apostolus: *Si*, inquit, *linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII). Igitur et tu, o anima mea, fac ut veraciter dicere queas, *nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*. Quomodo? Videlicet hoc agendo ut non solum modo circumdederint te gemitus mortis, et invenerint te pericula inferni, verum etiam ut dolores ipsos inveneris, quemadmodum habes illic. Præmisso namque *circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me*, C statim subjungit: *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV). Hoc plus habens, o sensata anima, hoc plus habeas a fortitudine lapidum, et a tinnitu æris, sive cymbalorum. Omnes quippe homines per peccatum unius circumdederunt dolores mortis, et invenerunt eos pericula inferni, sed non omnes tribulationem et dolorem invenerunt, quia plerique insensati fuerunt et sunt. Soli sensati, soli fideles et electi tribulationem et dolorem invenerunt, et nomen Domini invocaverunt, id est infelicitatem suæ conditionis, quæ in Adam contigit, senserunt et intellexerunt et ad Dominum Deum conversi sunt, sperantes et desiderantes, et cum lacrymis flagitantes ab eo geminam resurrectionem mortuorum.

D CAPUT VIII.

Quomodo tribulationem et dolorem invenerunt? quomodo nomen Domini invocaverunt? Primus Abraham dixit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Primus, inquam. Nam et si ante illum hoc ipsum dicere potuit aliquis justorum qui nonnulli fuerunt, hic tamen primus est Scripturis, testimonium habens hujus piæ confessionis. Primus itidem secundum Scripturæ narrationem mortuorum planxit et flevit. *Mortua est*, inquit, *Sara venitque Abraham, ut plangeret et fleret eam. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth dicens: Advena sum et peregrinus apud vos, date mihi*

jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum (*Gen.* XXIII). Etsi ante istum alii mortuos suos planxerunt et fleverunt et officiose sepelierunt, attamen quoniam nullius eorum Scriptura meminit, sciendum de isto primo, quia planctum et fletum ejus et curam sepulturæ, quam habuit, scribere dignum fuit. Nam in altera quidem, id est in sepulturæ diligentia haud dubium quin fidem resurrectionis habuerit, sicut de eodem testatur Apostolus: *Et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: In Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia a mortuis suscitare potens est Deus* (*Hebr.* XI). In altero autem, scilicet in planctu sive fletu dicere licet, quia sapiens tribulationem et dolorem vir fidelis invenerat, id est intellexerat. Nimirum tribulationem mortis animæ, et dolorem mortis corporeæ, quæ duo similia sunt de quibus multum est quod loquamur secundum eumdem fidei intellectum, quem habuit ille pater credentium, præsertim quia in capitulo superius suscepto ex libro beati Job sic scriptum est: *Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem* (*Job* XXXIII), etc. Duo, inquam, hæc similia sunt, mors animæ, et mors corporis, quamvis multum differant in quantitate tribulationis et doloris. In quo similia sunt? In eo videlicet, quod sicut corpus desertum a suo spiritu cadaver est, et ut putrescet, et fetet et in lutum resolvitur, fitque cinis inutilis, et pulvis exiguus: sic anima a Creatore suo propter peccatum deserta, mortuus est, et quoddam fit cadaver, atque cujusdam putredinis sepulcrum, sicut de multitudine reproborum, et diabolo principe illorum et auctore mortis ipsorum ad Ezechielem loquitur Dominus: *Ibi*, scilicet in lacu inferni, *Assur et omnis multitudo ejus, in circuitu illius sepulcra ejus omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio, quorum data sunt sepulcra in novissimis laci* (*Ezech.* XXXII).

CAPUT IX.

Semper quidem sapiens memor est illius mortis, et memoria ejus amara est illi, qua prævaricatrix animæ deserta a spiritu Dei vivi sepulcrum fit mortui, scilicet diaboli. Verumtamen quanto similitudinem illius mortis, id est mortem corporis cujusque sibi familiaris præsentem intuetur oculis suis (videt enim corpus absente anima, quale factum sit), tunc abundantius atque opportunibus illius magnæ mortis reminiscitur dupliciter affectus, hinc amissione chari, cujus cum societas utcunque consolabatur, inde contemplatione animæ illius, et suæ quoque, sine dubio, juxta illud dictum Sapientis: *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (*Eccli.* XXX). Unde enim jam scit quisque de anima sua, utrum amore an odio, utrum vita (quæ Deus est) an morte digna sit (*Eccle.* IX)? Non ergo inaniter actum, neque frustra scriptum est quod senex anum defunctam planxit et flevit, dicente Scriptura sic: *Venitque Abraham, ut plangeret et fleret eam.* Diligenter animadvertendum dixit quia, venit Abraham, ut plangeret **240** et fleret eam, et non dixit, unde venerit. Neque enim ex eo Scripturæ loco

A colligitur quando illa mortua est absentem fuisse Abraham. Ergo cum dicitur venisse, non tam corporis motum, aut incessum pedum quam cordis intuitum, et appositionem significant sensuum ad meditandum tantæ rei negotium. Jam quippe sine litteris sapiebat illud, quod longe posterius per Salomonem dixit, et scripsit Sapientia: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (*Eccli.* VII). In illa enim finis cunctorum admonetur hominum; et vivens cogitat quid futurus sit. Plane hujusmodi luctus sive fletus senectutem Abrahæ decuit, et hoc exemplum cano capite suo, imo canitie mentis suæ dignum filiis suis, id est cunctis sapientiam quærentibus dereliquit, ut maluit ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, ea intentione ut velint
B admoneri cunctorum hominum quis finis sit, et vivens cogitet quis, qualis futurus sit. Magnum quippe est hoc instrumentum liberationis illius, de qua tractare supra cœpimus secundum hæc Scripturæ verba, ut avertat hominem ab his quæ fecit, et liberet eum superbia. Sed quis ad hæc per semetipsum idoneus? Dei namque donum, Dei gratia est cor habere tenerum vel molle, ut flecti possit ad hujusmodi planctum vel fletum, juxta quod sanctus Job dicit: *Deus mollivit cor meum* (*Job.* XXIII). In quo ut magis ac magis abundaret, ait idem: *Dimitte ergo me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed et sempiternus horror inhabitat* (*Job.* X).
C Quid est enim dicere, dimitte me, nisi ac si dicat: Ne indures cor meum, sicut indurantur illi, quorum, ut supra meminimus, fortitudo est ut fortitudo lapidum, et caro ænea, ut non sentiant dolorem suum? Denique illos qui ejusmodi sunt, recte Deus non dimittere, sed includere dicitur, sicut ait idem postmodum: *Si inclusit hominem, nullus est qui aperiat* (*Job* II). Inclusionem hominis indurationem dicit, cui dare dignum non judicat gratiam lacrymarum, vel sensum doloris, ut dicere possit id quod supra memini: *Tribulationem et dolorem inveni* (*Psal.* CXIV). Sive illud: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Sequitur enim: *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur* (*Job.* XII). Et est sensus. Ubi gratia ejus non operatur, cujus solius est dare
D hunc de quo loquimur fletum, corda hominum indurantur. Statimque adjungit: *Si emiserit eas, subvertent terram* (*ibid.*). Quod est dicere: Si dederit qui solus dare potest lacrymarum aquas, emollient eorumdem cordium duritiam, sive subvertent terrenitatem nostram.

CAPUT X.

Jam altius procedendum est in hac meditatione mortis, sicque meditandum, ut per meritum fidei meditatio sit digna conspectu Domini, sicut scriptum est: *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* (*Psal.* XVIII). Quomodo? Nimirum meditando non solum mortem nostram, quam propter superbiam et

inobedientiam primus homo incidit, et nobis omnibus hæreditatem reliquit, verum etiam et maxime mortem Domini nostri Jesu Christi, *qui mortem nostram moriendo devicit, et vitam resurgendo reparavit*. Sequamur ergo capitulum superius præscriptum. Postquam dixit: *Et erudiens instruit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium, increpat quoque per dolorem in lectulo et omnia ossa illius marcescere facit, abominabilis ei fit in vita sua panis et animæ illius cibus ante desiderabilis: Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis*. Tunc demum intulit: *Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus et dicet: Libera eum ut non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propitier*, etc. *Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ* (*Job* XXXIII). Duo similia, duas esse mortes, jam supradixi, alteram animæ et alteram corporis, et utramque hic unus Scripturæ hujus versiculus breviter innuit. *Appropinquabit anima ejus corruptioni, et vita illius mortiferis*. Corruptione namque hoc loco recte intelligitur mors, cui anima omnis etiam electi sic appropinquavit, ut non tamen descenderet in corruptionem eamdem, scilicet mortem, segregata licet in tenebris, et liberata a suppliciis æternæ damnationis per fidem Jesu Christi, cujus adventum expectabant omnes sancti ab origine mundi. Ipse diabolus corruptio est, etenim nomen illi mors. Mortiferæ autem sunt omnes passiones mortis ejus, quæ est resolutio corporis, quibus videlicet mortiferis sic appropinquavit vita hominis, qua in corpore vivit, ut non solum inhibitus sit comedere de ligno vitæ, quo viveret in æternum, verum etiam breviores ejus dies sint, quam olim adhuc recenti sæculo fuerunt. Nam *dies annorum nostrorum*, ait Psalmista, *in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor* (*Psal.* LXXXIX). Et hæc duo in quo similia sint, scilicet mors animæ et mors corporis, jam superius dictum est, quia nimirum sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus est: ut sicut recedente anima corpus putrescit et in pulverem revertitur, sic Deo propter peccatum deserente animam, illa tenebrescit et æternæ corruptionis, scilicet diaboli sepulcrum efficitur. Nunc ergo superest dicere quis vel qualis angelus locutus fuerit unum de hic similibus, et quod vel quale illud unum sit, et quæ vel qualis locutio quam vel qualem hominis æquitatem annuntiaverit.

CAPUT XI.

Angelus iste Filius Dei est. Differt autem et nulli incognitum est, aut esse debet, quia multum differt hic Angelus a cæteris omnibus angelis, tam spiritibus quam hominibus sanctis, qui et ipsi pro quadam dignitate spiritualis officii dicuntur et sunt angeli, ut illic: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II). Multum, inquam, differt, quia hic angelus natura est Deus et Dominus, et pro dignatione officii angelus, omnes enim alii creaturæ sunt et servi ejus. Bene ergo hic pro excellentia suimet absolute, et absque revelatione dicitur angelus Scriptura dicente: *Si fuerit pro eo loquens angelus unum de similibus*. Alii autem omnes angeli Domini dicuntur. Nam iste, ut jam dictum est, angelus est ipse Dominus, et non alicujus Domini sui, sed suimet eloqui factus est angelus, id est nuntius, sicut scriptum est de eo in propheta Amos: *Quia ecce formans montes, et creans ventum annuntians hominum eloquium suum, Dominus exercituum nomen ejus* (*Amos.* IV). De quo angelorum, id est nuntiorum unquam dictum est, aut dici debuit hujusmodi prædicamentum: annuntians homini eloquium suum, præter istum, cujus est nomen **241** Dominus Deus exercituum? Omnes quippe angeli, quicunque ad annuntiandum missi sunt, propter quod et dicuntur angeli, sive *spiritus administratorii missi*, inquit Apostolus, *in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis* (*Hebr.* I), omnes, inquam, alterius eloquium annuntiaverunt, scilicet Dei; hic autem solus suum eloquium annuntiavit Deus est enim. Qui similiter eloquium suum annuntiare voluit, et a semetipso loqui præsumpsit non veritatem, sed mendacium annuntiavit, et hic est angelus caducus, imo non angelus, sed diabolus. Cum igitur dicit: *Si fuerit pro eo loquens Angelus unum de similibus*, idem est ac si dicat: Si unum de duabus mortibus hominis pro homine susceperit Deus, quæ videlicet duæ mortes duo similia sunt ea similitudine, quam supra diximus. Hoc autem quomodo fieri posset, nisi primum Deus homo fieret? Deus enim in sua natura immortalis, impassibilis, incomprehensibilis, atque invisibilis erat et est. Ergo in hoc dicto, quod ait, unum de similibus, Deum hominem futurum, et pro homine moriturum dixisse recte intelligitur. Quis hoc audire pateretur, si hunc sensum propheticus ille spiritus verbis vulgaribus et manifestis fuisset elocutus? Necessario ergo sententiam clausit et signavit, Deum Dei Filium nominans Angelum, dicensque unum de similibus, pro eo ut diceret mortem carnis, qua omnis homo moritur.

CAPUT XII.

Hic pondus in meditatione vel meditatio in pondere est. Hic enim Angelus, ubi homo factus erat, seque cognosci volebat, quod venisset sicut mundo expediebat, illud unum de similibus intendens ait: *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me* (*Matth.* XI). Quidnam est in eo scandalizari, nisi nolle credere in eum, pro eo quod ut mortalis homo comprehensus est, et mori potuit et crucifigi? Hinc Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). Quorsum istud? Videlicet admiramur felicitatem gratiæ hujus Angeli, quam per Spiritum sanctum nobis contulit, quia non solum non scanda-

lizamur in eo pro hac re, verum etiam oppido confirmamur in ejus fide, quia nisi Angelus iste Deus esset, nullatenus homo, qui secundum veritatem naturæ nostræ moreretur, ipse fieri potuisset. Quid enim? Nunquid creatus angelus, qui utique non est Deus, humanam potuisset assumere naturam? Et quidem in specie hominum apparere potuerunt, et apparuisse leguntur angeli, ut illic: *Cumque sublevasset Abraham oculos, ecce apparuerunt ei tres viri stantes prope eum* (*Gen.* XVIII); sed in veritate naturæ hominis nullus eorum unquam apparuit præter istum, qui veritatem naturæ nostræ ita suscepit, ut etiam unum de similibus loqueretur, id est vera carnis morte moreretur. Non ergo in eo scandalizamur, imo magis in fide confirmamur. Nam quia vere mortuus fuit, constat quia vere homo est, et quia veram hominis naturam assumere potuit, constat quia solus Angelus iste Deus est. Solus quippe Deus adeo subtilis est, ut substantiæ ejus creatura rationabilis capax sit. Neque humana creaturæ angelicæ, neque creatura angelica creaturæ humanæ capax est, quia nec altero, scilicet angelus anima humana, vel anima humana angelo subtilior est: solus, ut jam dictum est, Creator utriusque, Deus et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, utroque videlicet et angelo et homine, longe subtilior est, et proinde utique et angelo et homini capabilis est, quorum trium personarum hæc una, scilicet Dei Filius, qui est Angelus, sic humanam naturam suimet capacem esse voluit, ut una cum homine persona fieret tam verus homo, ut loqueretur unum de similibus, id est moreretur.

CAPUT XIII.

Qualis est ista locutio? vel quare mors hujus Angeli locutio nuncupatur, dicendo: *Si fuerit pro eo*, videlicet homine, loquens *unum de similibus*, videlicet quia Deus est cui locutus est vel loquitur: cui cum omnia suis motibus loquantur (omnia enim intelligit) nunc vero maxime hujus Angeli, scilicet Filii sui passio locutio est. Si enim sanguis sanctorum ad eum clamat, exempli gratia, dicente ipso ad Cain: *Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra* (*Gen.* IV), quanto magis sanguis hujus illi loquitur? Hinc Apostolus: *Et accessistis ait, ad testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (*Hebr.* XII). Ergo mors Angeli hujus vere locutio est, et si delectat audire, etiam testamenti conscriptio est. Eamus ad Scripturam illam, ad quam nos hic idem Angelus misit loco supra memorato, postquam dixerat, *et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*: *Quid*, inquit *existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Mal.* III). Illuc, inquam, eamus, et videamus, quid sequitur. Ait: *Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis et Angelus testamenti, quem vos vultis* (*ibid.*). Nimirum ex persona Dei Patris, sive ex persona Spiritus sancti, qui per os sanctorum prophetarum locutus est, dictum erat hoc de

A Joanne Baptista Angelo huic Filio Dei, filio hominis: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*; et continuo per tropum, qui apostropha dicitur, id est conversio, sermo ad eos omnes reducitur, qui exspectabant istum specialem, sive proprium Angelum, qui antinomatice dicitur Angelus, diciturque eis. *Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* Nimirum quem exspectabant, quem quærebant, quem volebant omnes sancti ab origine mundi, Messias et Christus est. Hunc ipsum Dominatorem nominavit potius quam Angelum Dominatoris sive Domini, non Angelum Domini, quod commune est plurimis, sed Angelum testamenti, quod nomen sive prædicamentum pro-
B prium est huic, qui taliter Angelus factus est ut solum moreretur et mori possit secundum naturam nostram, quam assumpsit, et moriendo conscriberet nobis testamentum æternæ hæreditatis. Quod ut liquidius pateat, ultimum de his, quæ supra proposuimus, quatuor capitulis prosequamur, *ut annuntiet*, inquit, *hominis æquitatem*.

CAPUT XIV.

Hæc illius locutionis summa est, hic fructus mortis, quæ est locutio ejus, hæc vox sanguinis ejus melius loquentis quam Abel, annuntiare hominis æquitatem. Et quid est annuntiare hominis æquitatem, nisi stare contra hominis accusatorem sive persuasorem et criminatorem ante judicem Trinitatem, et pro advocati officio defendere hominem per legitimam defensionem? Qua ratione? *Si enim in* **242** *unius delicto*,
C ait Apostolus, imo qui in Apostolo loquitur ipse Christus: *Si*, inquam, *in unius delicto mors regnavit per unum multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vitam regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (*Rom.* V). Nonne hoc æquum est? Arrige aures, o fides, quæ in nobis habitas, sive per quam Christus in cordibus nostris habitat, arrige aures bene audientes, et intellige hic vere æquitatis nostræ veracem et constantem annuntiationem, quod si justum fuit ut propter peccatum unius hominis
D condemnaremur, quia de illo, sicut fructus inutilis ex vitiosa radice nati fuimus, multo magis justum et æquum est ut propter justitiam unius hominis omnes justificemur, quia de illo tanquam ex bona radice, cui per fidem inserimur, voluntarie regenerati sumus. Vere *beatus vir, qui implevit desiderium suum ex istis* (*Psal.* CXXVI), qui desiderans talem annuntiationem æquitatis, firmiter usque ad finem vitæ, fidem tenuit in promissione hujus æternæ hæreditatis. Vere, inquam, beatus, quia *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta* (*ibid.*), imo glorificabitur gloriosa æquitatis victoria, dicens inimicis suis in illa porta, in illa vitæ æternæ janua

quando de corpore soluta egreditur anima: Ecce hic est annuntiatio æquitatis, quam annuntiavit iste, qui pro me loquitur Angelus testamenti, Angelus, qui homo factus sanguine suo testamentum mihi conscripsit æternæ hæreditatis, ut jam non sim ejus qui me secundum carnem generavit mortalem, mortalis, sed ejus qui me secundum spiritum regeneravit post mortem, quam ex me scripsit, factus immortalis, de cujus simpla morte regeneratus et vivificatus jure utramque mortem evasit, jam vivens propter ejus justificationem in spiritu et in corpore, quod propter peccatum mortuum est, sine dubio propter ipsum denuo victurus. Quæ sunt illa, o prudentissima fides, de quibus desiderium tuum impleri oportet, ut non confundaris, cum loqueris in porta inimicis tuis sive inimicis meis: Ait enim: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis.* Quibus ergo ex ipsis? Quæ sunt ipsa? Præmissum est illic versiculus hujuscemodi: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum* (*ibid.*). Sed et ante hunc alius præibat versiculus hujusmodi: *Cum dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris* (*ibid.*). Item et ante hunc versiculum iste alius præcedit: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*ibid.*). Ecce vere ista sunt, quorum qui habet desiderium, et ex quibus qui implebit desiderium suum, beatus est vir, et non confundetur cum in porta loquetur inimicis suis. Nam sessio, quam dicit, surgite postquam sederitis humilitas est, quam rex omnium filiorum superbiæ (*Job.* XLI), diabolus, ignoravit. Panis doloris suavitas est sanctæ compunctionis, et manducatio hujusce panis perseverantia est ejusdem compunctionis, in qua reficitur et delectatur anima spiritum possidens humilitatis tali ac tanta refectione, qualem et quantam nemo scit, nisi qui accipit. Potest quidem dicere tale quid, ut est illud: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI), sed non potest edicere qualiter sibi sapuerint panes earumdem lacrymarum, quos meruit manducare. Sed redeamus ad capitulum.

CAPUT XV.

Si fuerit angelus pro eo loquens unum de similibus miserebitur ejus et dicet Libera eum ut non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propitier. Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ (*Job.* XXXIII). Quidquid huic a nobis hactenus dictum, vel adhuc dicendum est, sic accipe, o tu, quicunque adesse dignaris, sicut pollicetur titulus operis, scilicet non tam expositionem docentis quam sessionem sedentis in meditatione mortis, secundum morem manducantium panem doloris, quibus dulce est non solum loqui, verum etiam idipsum quod jam locuti sunt, diutius meditari, et ut secundum majestatem divini sermonis dictum sit, non solum manducare, verum etiam ruminare panem doloris Quid ergo ruminas, o anima? Quid meditaris? Audio quod dicas mihi, sentio responsum doloris tui, sed sensum ipsum non possum facile verbis conesqui, aut competenter eloqui. Sed ecce simul audio hunc ipsum Angelum dantem in propheta vocem hujusmodi: *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini* (*Isa.* LII). Vox ista, o anima mea, linguam meam adjuvat, ut verba inveniam, quibus doloris tui sensum aliquantis per eloquar. Consideremus ubi, quando, et quomodo venundati fuimus, et iterum ubi, quando et quomodo redempti sumus, et ecce in his verbis tam paucis vere magna, vere alta et grandisona elocutio. Vere enim in hoc dicto gratis venundati estis, magna, gravis et miranda exprobatio, et vere in hoc dicto et sine argento redimemini, magna, dulcis, et miranda consolatio. De venundatione minus gratuita sicut dicit, gratis venundatis esti, prima consideratio sit. Ubi eramus venundati, sive cum venundaremur? In lumbis Adæ. O dolenda progenies, Tunc ergo venundata es, quando nondum eras? Et quomodo venundata es? Ambiendo divinitatis altitudinem, et exspectando hujusce ambitionis adimpletionem secundum hæc verba serpentis: *comedite et eritis sicut dii* (*Gen.* III). Sed non est factum quod ille dixit. Ergo vere dictum est, gratis venundati estis, quia speratum vel promissum prævaricationis pretium, neque vos, neque, ille accepit in quo prævaricati estis. Magna igitur exprobratio, verumtamen re ipsa multo parcior, et pro intentione tam mali commercii longe suavior. Nam ad intentionem illius, in quo fuimus venundati, parum erat dicere: Gratis venundati estis, et amplius erat dicere id quod verum est: Nimis damnose venundati estis: quia non solum Domino similes non estis facti, sed et Deo mortui estis. De redemptione quam dicit, et sine argento redimemini, major est consideratio nobis habenda quam suis explicare verbis possit lingua mortalis. Quidnam est, quod sine argento redimemini? Scimus ubi et quando sumus redempti, quia videlicet illi redempti sumus, ubi præsentes non fuimus, neque de pretio redemptionis cum redemptore quidquam tractavimus, sicut scriptum est in propheta ex persona redemptoris ejusdem perspicientis ad ejusdem redemptionis nostræ mysterium: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* VI). Tunc redempti sumus quando Angelus iste sic locutus est unum de similibus, ut eo moriente et lancea percusso flueret sanguis et aqua de latere ejus, Ibi argentum non fuit pretium redemptionis. Quid ergo vel quantum est quod ait, et sine argento redimemini? Neque enim sicut dixerat gratis venundati estis, ita et dicere debuit, **243**
aut voluit, gratis redimemini. Quid enim? Nunquid quia dixit, et sine argento redimemini, idem est ac si diceret: Gratis redimemini? Non utique, neque sic factum est; non enim gratis, sed pretio sumus redempti, et hoc de nostro, unde et vera est et justa hæc annuntiatio, de qua nobis sermo est juxta capitulum præsens, quo dictum est, ut annuntiet hominis æquitatem.

CAPUT XVI.

O vere admirabile commercium, de nostro, inquam

redempti sumus! Quali de nostro? Quid erat nostrum? Nunquid argentum? Nunquid aurum? Et si habeamus argentum sive aurum, nunquid erat nostrum? Nunquid horum intulimus aliquid in hunc mundum? Denique tantum illud, o homo, recte dixeris tuum, quod intulisti in hunc mundum. Quid autem cum nascereris attulisti in hunc mundum, nisi onera duarum mortium? Natus quippe es, et morte animæ jam mortuus, et morte corporis cito moriturus. Acquisisti aurum, acquisisti argentum, sed hoc utique de tuo, et idcirco non tuum, ut taceam de violentorum quolibet regum sive tyrannorum; quivis istorum et legitime regnantium habet quidem et legitime, usuque competendi expendit aurum et argentum; verumtamen non est suum. Est enim Dei donum. Hoc sciens fidelis David (cum præparasset in opus domus Domini aurum et argentum, æs et ferrum: *Aurum in vasa aurea, et argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, lignum ad lignea, omnemque pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime. Do, inquiens, hæc in templum Dei mei* (*I Par.* XXIX), postmodum benedicens Dominum: *Tuum, inquit, est, Domine, regnum, tuæ divitiæ, et tua est gloria. Quis ergo, et quis populus meus, ut possimus tibi hæc universa promittere? Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus, ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia* (*ibid.*). Ergo sit quidem, o fidelis David, aurum et argentum aliquo modo tuum, quia tibi datum est ab illo, cujus omnia sunt, si revera, sicut ipse fateris, et sicut fatemur nos omnes quicunque examinamus verum, non omnino est tuum, neque alicujus nostrum. *Nihil enim intulimus in hunc mundum* (*I Tim.* VI). Proinde non satis valeret, ad annuntiandam hominis æquitatem aurum sive argentum Deo judici pro redemptione hominis ab homine datum, neque enim justitia refragaretur accusatori econtra dicenti: Quod das, hoc non est tuum. Et quidem scriptum et verum est, *redemptio animæ veræ divitiæ ejus* (*Prov.* XIII) sed hoc non de originali peccato, imo de actualibus peccatis recte intelligitur, et hujusmodi redemptio parum valet homini, si non sit prius ab originali peccato liberatus. Exempli gratia: *Quamobrem*, inquit Daniel, *o rex Nabuchodonosor, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis* (*Dan.* IV). Si consilium istud ei placuisset, forsitan in hoc ignovisset ei Dominus, ut non venirent illa omnia super eum, scilicet, quod regnum ejus ab eo transiit, et ab hominibus ejectus est, et cum bestiis atque feris fuit habitatio ejus, et fenum comedit quasi bos. Sed quantum valeret illi hæc redemptio, non habituro redemptionem in alio sæculo? Igitur quoniam ad annuntiandam æquitatem hominis oportebat eum de suo redimi, nihil autem suum esse dicere poterat, nisi

A duo hæc, quæ sola in hunc mundum attulit, scilicet mortem animæ et mortem corporis, ecce vere admirabile commercium, quia de duobus istis alterum Angelus iste suscepit, scilicet mortem corporis, et hujusmodi pretio acquisivit homini vitam animæ et corporis.

CAPUT XVII.

Quando commercium istud Deus excogitavit? Quando consilium hoc Angelus iste invenit? Ait enim annuntians æquitatem hominis: *Inveni in quo ei propitier* (*Job.* XXXIII). Nunquid tunc primum, quando primus homo alienum rapuit, vetitum comedendo lignum, et rapere ambiendo altitudinem divinitatis, istud Deus invenit, ut diceret: *Ne forte sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum* (*Gen.* B III), et hæc dicens de paradiso emitteret eum, facturus de una morte corporis contra unam corporis et animæ mortem, vitale antidotum? imo antequam vel ipsum hominem vel aliquam creaturam faceret, hoc invenerat et apud se absconditum habebat, id est nullo angelorum sciente, solus ipse sciebat, Apostolo testante, qui ad Ephesios scribens loquitur: *Mihi omnium minimo sanctorum data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei* (*Ephes.* III). Quas dicit investigabiles divitias Christi? Quid dicit sacramentum absconditum a sæculis in Deo qui C omnia creavit? Nonne istud inventum, de quo nobis hic sermo est, annuntiante angelo illo æquitatem hominis, et dicente: *Inveni in quo ei propitier*? Et, o vere investigabiles divitias hujus Angeli, divitias Christi! quis enim alius investigaret, quis alius præter ipsum inveniret divitias hujusmodi, divitias hujusce propitiationis? Vere enim magnas esse divitias cum Apostolo dixerim, divitias charitatis et misericordiæ, divitias bonæ voluntatis et magnæ potentiæ, quia tantæ charitatis, tam bonæ voluntatis, tamque copiosæ misericordiæ est iste Angelus, Christus, Dei Filius, ut hoc tale pretium de nostro sumptum, alteram de duabus mortibus nostris, quas solas, ut jam supradictum est, intulimus in hunc mundum, tale, inquam, pretium suscipiens ex nobis, sibi molestum, nobis salutiferum faceret nostræ D paupertati antidotum, faceret inopi humano generi salutis et divitiarum suarum tam admirabile seminarium. Deficit sermo, et mens magnitudinem cogitans sacramenti, linguam suam balbutire æstimat potius quam loqui. Forte ad hoc dicit aliquis: Si sacramentum istud non noviter iste Angelus invenit, sive divitias hujus unicæ propitiationis, sed ante sæcula totum hoc, quod nunc factum est, penes se absconditum habuit, cur nunc primum post tot sæcula et angelis et hominibus innotescere fecit? Cur ei prius tale consilium placuit, quod postmodum oporteret immutari? Cum enim prævenire potuisset, et dicere de Adam: si tulerimus eum et posuerimus et

in paradiso ambiret fieri quasi unus ex nobis, nunc A ergo, ne pro tanta felicitate paradisi elatus in superbiam, putet se esse Dominum, dimittamus eum hic ut operetur terram de qua sumptus est, cum, inquam, sic prævenire et taliter dicere vel facere potuisset, nimium distulit, et posito illo in paradiso, causa evenit, ut quasi consilio mutato, et prioris consilii **244** pœnitudine habita, diceret beata Trinitas ironia quam gravissima : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum* (*Gen.* III). Non enim quasi Deus factus erat, imo facturæ Dei gratiam et honorem perdiderat ; ejectusque Adam, *ne forte*, inquiens, *mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ et comedat et vivat in æternum* (*ibid.*), comitante sententia, quam dixit : *Quia pulvis es et in pulverem reverteris* (*ibid.*). Hæc vel his B similia proferre solent homines multum, ut ipsis videtur, argumentosi, veraciter autem multum importuni, ut fere ad eos pertingat illa prophetica increpatio : *Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus quia molesti estis et Deo meo* (*Isa.* VII)? dicentes, quippe audivimus, quia peccatum Adæ propter quod fuimus omnes perditi, Deus fieri voluit, quod idem erat ac diceret : Deus ipse fecit ; nam *omnia quæcunque voluit Dominus fecit* (*Psal.* CXXXIV).

CAPUT XVIII.

Hic ergo, parumper eloqui libet, de ordine judicii vel justitiæ, ut liquido constet quia Deus ante sæcula, sicut jam dictum est, et hominis peccatum præscierat, et in quo ei propitiaretur, invenerat, et tamen cum statim non faceret vel fecisset eum, reum C morti addicere debuerat. Ordo judicii vel justitiæ talis est in causa cujusque criminis, qualem ipse Dominus judicii præscripsit ore proprio in causa criminis maximi, scilicet odii fraterni. *Ego*, inquit, *dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* V), subauditur divino. Tandiu quippe solius Dei judicio reus est, qui irascitur fratri suo, id est qui odit fratrem suum, sicut Cain, de quo scriptum est quia *iratus est vehementer, et concidit vultus ejus* (*Gen.* IV), quandiu iram ipsam sic supertegit, nulloque facti vel signi alicujus judicio prodit, ut in conventu Ecclesiæ possit argui, vel testibus convinci, quod fratrem suum oderit. Quod si aliquo signo crucis aut subsannationis, quod ab homine videri possit, vel audiri, odium ipsum prodiderit, jam non solum coram Deo, verum etiam D coram hominibus judicandi officium habentibus, reus erit. Ait ergo : *Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio* (*Matth.* V). Concilium quippe conventus est Ecclesiæ considentis ad judicandum, et sine dubio ad concilium pertinet judicari de hoc odii signo, quale est raca, etiamsi verbum articulatum sive litteratum expressum non sit, quia videlicet absque malo verbo multa sunt signa odii, exempli gratia, cum quis corrugata nare, vel pallenti facie osculum fratri subtrahit ecclesiasticæ pacis. *Qui autem dixerit, fatue*, id est qui perseveraverit insatiabilis odii plenus amaritudine, ita ut nec in tribulationem sine morte fratris desinat interpellare, *reus erit gehennæ ignis* (*ibid.*), subauditur, nisi faciat quod sequitur : *Si ergo offers munus tuum ante altare*, et cætera usque *et vade prius reconciliari fratri tuo* (*ibid.*). Profecto qualis nunc est Deus, talis erat et in diebus antiquis, talem quoque tenebat, ut nunc tenet ordinem judicii. Non solum nunquam supplantavit judicium neque subvertit quod justum est, verum etiam in judicando semper longanimiter egit, ut nunquam præcipitaret, id est nimis properanter proferret hanc sententiam judicii quæ est reum esse gehennæ ignis. Medium hoc semper habere voluit pro justi judicii sui testimonio, ut qui damnandus esset, prius addiceretur reus concilio. Unde miror quosdam dixisse, vel etiam scripsisse, quia primus ille angelus, ubi creatus est, statim cecidit. Si enim statim cecidit, quid dicent requisiti, quando in cœlo positus fuerit (32)? Denique sic se habet veritas Scripturæ propheticæ : *Aurum*, inquit, *Dominus Deus opus decoris tui, et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. Tu cherub extentus et protegens* (*Ezech.* XXVIII). Ac demum subjungit : *Et posui te in monte sancto Dei* (*ibid.*). Sine dubio montem sanctum Dei cœlum dicit. Nunquid vero vel hoc dicere licet, quod ubi positus fuit in monte sancto Dei, statim ceciderit? Sequitur enim : *In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis, a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te* (*ibid.*), in quo notandum quia non dixit, donec inveni iniquitatem in te, sed donec inventa est iniquitas in te. Hisque paucis interpositis, *in multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti* (*ibid.*). tunc demum subjungit : *Et ejeci te de monte sancto Dei, et perdidi te, o cherub, de medio lapidum ignitorum* (*ibid.*). Hoc diximus pro antiquissimo ordine judicii, quia Deus quidem jam dudum invenerat, imo et præscierat iniquitatem illius angeli, sed non præparavit, ut jam proferret sententiam super illum quia reus erat judicio, sed tandiu patienter sustinuit, donec fieret etiam reus concilio, id est donec iniquitas, quam solus ipse invenerat in illo, inveniretur etiam ab angelis sanctis, et tunc demum protulit sententiam hanc : reus est gehennæ ignis. Nonne hic idem ordo magis ac magis enitescit sequentibus verbis? *Elevatum est*, inquit, *cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo* (*ibid.*). Sed hoc lapides igniti, angeli sancti, quorum in medio ambulabas, perfectus in viis tuis, videlicet per hypocrysin, necdum videbant, quia solus Deus videlicet intuetur cor. Proinde factus est, et fieri debuit, ut quia reus eras judicio divino, reus etiam fieres sanctorum angelorum concilio. Sequitur ergo : *In terram projeci te, ante faciem regum dedi te* (*ibid.*), factum est, viderunt te reges illi nobiles angeli, nobiles autem, quia humiles, tu vero per superbiam ignobilis factus es. Tunc demum, inquit : *Producam ergo ignem de*

(31) Vide eumd. cap. 8 lib. III in Gen.

medio tui, qui comedat te (*ibid.*). Quod quid est dicere, nisi ac si dicat: reus eris gehennæ ignis?

CAPUT XIX.

His breviter prælibatis, multa sese aperiunt, multa sese ingerunt meditationi huic, meditationi mortis, quam suscepisti, o uni na, pro intentione eruditionis. Primum itaque de his quæ circa genus humanum divinitus aguntur, secundum eumdem ordinem judicii reddenda est ratio his qui modo supradicto quæstiones agitare solent de morte hominis, consequens esse volentes quod Deus causam mortis, scilicet peccatum, evenire voluerit, quia cum poneret eum in paradiso, futurorum utique præscius erat, et sic futurum esse præscivit. Si rite considerasti gradationem hanc, primum reatum, quo reus quis est judicio; deinde reatum, quo reus est concilio; tertio quoque reatum, quo reus est gehennæ ignis: omnino ab ejusmodi suspicione veritas liberabit te, propter tuum simplicem oculum, qui hoc intendit agere, quod sapientia docet vel monet. *Sentite*, inquiens, *De Domino in bonitate* (*Sapt.* I). Dominus enim justus, Dominus Deus noster rectus, Deus fidelis et absque ulla iniquitate, jam quidem reum judicio habebat hominem, cum poneret eum in paradiso quia tumorem ambitionis ejus videbat, sed ille nondum reus erat concilio, idcirco sententiam super eum non proferebat, imo eadem bonitate, **245** eadem patientia ei longanimitate, qua nunc usque singulos hominum peccatorum exspectat, dicente Apostolo: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* (*Rom.* II.) eadem, inquam, benignitate illum exspectabat, et sua illi beneficia largius impendebat. At ille, sicut ibi Deus apostolis continuo dicit: *Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram* A *in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*ibid.*), pervenit ad opus peccati, quando fructum ligni vetiti maligna intentione comedit. Ex hoc jam reus concilio factus, qui jamdudum reus erat judicio. Quo reatu jamdudum reus erat judicio? Nimirum reatu ambitionis, qua esse ambiebat similis Deo, et hinc tumor antequam foris deprehenderetur in opere peccati, soli cognitus erat judici Deo. Idcirco namque foris tentatus tam facile cecidit ad hanc suggestionem serpentis: Comedit *et eritis sicut dii* (*Gen.* III), quia jam intus suberat tumor hujusce ambitionis. Unde veraciter ante nos dictum est, quia nisi prius intus tumuisset, foris tentatus tam facile non cecidisset. Factus est ergo, sicut jam dictum est, *reus concilio* (*Matth.* V). quia prius reus erat judicio, B quia sicut nunc notum est universo cœtui hominum, ita et multo clarius tunc innotuit reatus ejus cœtibus angelorum. Et cum illius concilii testimonio sententiam accepit, sicut ibidem scriptum est: Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis cherubin, et flammeum gladium (*Gen.* II). Miraretur vulgus, si audiret, quod pro tam exili cibo factus est reus tanto concilio, cum tamen nemo sapiens miretur, quod hodieque pro tam exili sono *Raca*, *reus* quisque existat *concilio*. Nos vero nequaquam miramur, imo justum Dei judicium laudantes et venerantes, misericordiam quærimus; scientes quia sicut sonus brevis Raca magni odii signum est, et idcirco jure addicit reum concilio, ita et multo magis morsus unius pomi, quantumlibet modici, signum C vel testimonium contra hominem fuit magnæ ambitionis, et idcirco juste in omni concilio cœli ac terræ reus et inexcusabilis tenebatur homo jam secundum animam mortuus, et in corpore mortalis, et secundum utrumque reus gehennæ ignis.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

Ad liberandum hominem de superbia valere afflictiones, et mortem corporis præcedenti libro demonstratum est, secundum verba capituli suscepti ex libro Job, ab eo quod dictum est: *Tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium* (*Job* XXXIII), usque ad id quod ait: *ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium* (*ibid.*). Nimirum hoc assumendo capitulum fodi in altum et posui fundamenta supra petram: fundamenta hujusce ædificii sive operis in ingressu, vel foribus ut primus convenire queat hic titulus, meditatio mortis. In altum, inquam, D fodi, et ipse magis ac magis admiror quantitatem hujus altitudinis. Jam enim quantum sermonis in hac altitudine super hanc petram sacræ Scripturæ superædificatum est? Attamen superædificatio hæc vix in planitiem sensus legentis ascendit, vix paret, nondum eminet, et idcirco adhuc in ædificando usque dum domuncula fiat, operosius laborandum subtilius, Deo juvante, meditandum est. Quid igitur faciam, ut Scriptura hæc citius surgat, efficacius procedat? Fodiam latius in idipsum altum, et hanc ipsam petram super quam fundamentum posui, Scripturam hanc sive capitulum Scripturæ, super quod cœptum hactenus sermonem fundavi, attentius circumspiciam, ut nec sensus lateat arrogantis illius, qui hæc verba dixit, nec B. Job causa sive patientia mihi sit ignota, contra quæ hæc valde bona non be-

nedixit. Circumspectio ejus materiam suggeret uberiorem ædificanti materiam auri et argenti lapidumque pretiosorum, scilicet, mirabilium testimoniorum tuorum, Domine, quæ scrutatur vel scrutari debet anima Christiana ex Scripturis veritatis quæ omnes consonant Scripturæ huic. Omnes enim Scripturæ in istum Angelum tendunt, qui locuturus erat, jamque locutus est pro homine unum de similibus jam supra memoratis, et circa propitiationem versantur, quæ nunc per eumdem angelum facta est, loquentem et dicentem : *Inveni in quo ei propitier* (*ibid.*).

CAPUT II.

Heliu filius Barachel Buxetes, qui iratus indignatusque adversum Job hæc tam multa tamque magna locutus est, ipse est Balaam prius propheta, deinde ariolus dictus ob avaritiæ culpam, cujus, ut in libro Numeri scriptum est, subjugale mutum, scilicet asina redarguit insipientiam. Quam ob causam *iratus et indignatus adversum Job, eo quod* ait, *justus sibi videretur, eo quod justum esse se diceret* (*Job* XXXII). Ob *hoc iratus est vehementer*, et tanquam fortis æmulator, quasi litigans pro Domino taliter eum aggressus est: *Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi* : *Mundus sum ego absque delicto immaculatus et non est iniquitas in me* (*Job* XXXIII). Sic incipiens multa persecutus est nimis arroganter, et multum quidem scienter, sed multum insipienter, sciens quidem quid diceret, sed non perpendens cui diceret exemplum arrogantium omnium, qualium contra quosdam **246** Apostolus loquitur : *An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus* (*I Cor.* X.) male judicabat de viro sancto, perverse astruens quod justum se dixisset esse coram Deo mundum et absque peccato. Non ille hoc malum dixerat, sed iste bonum male audierat. Repugnantia valde sunt verba bona beati viri malo hujus auditui. *Si*, inquit, *justificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, pravum me comprobavit, et abominabuntur me vestimenta mea* (*Job* IX). Hæc vel his similia, quis prævertere poterat ? Sed et hoc inter cætera dixerat. Saltem nunc intelligite quod Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis cinxerit me, hoc vel huic similia non Heliu audierat ; non bene viderat sive intellexerat. Quare non bene viderat ? videlicet quia elevatos et sublimes oculos habebat. Nunquid enim quando audientes omne malum, quod acciderat ei, venerunt pariter ut visitarent eum, et consolarentur, frustra sic dictum vel scriptum est *cumque elevassent procul oculos suos non cognoverunt eum?* (*Job* III.) Plane non frustra, sed magno cum pondere secundum rei veritatem seu proprietatem taliter dictum est. Denique oculos illos, quos ponere debuerant super proximum vel amicum suum, oculos cordis, qui aperti esse debent intellectione Dei, et proximi, procul elevaverunt, et in sublime erexerunt, unde et non cognoverunt eum ; quippe qui tentationis secretum, qua tentabatur a Satana nescientes, impium illum esse arbitrati sunt, duri conjectores, argumentum facientes quasi ab effectis, quod vere impius esset, quem taliter Deus percussisset, qui neminem injuste percutit, sive, ut verbis ipsorum loquar, qui nunquam *supplantat judicium aut subvertit quod justum est* (*Job* VIII). Ergo et iste Heliu et tres amici ejusdem Job existimabant quidem quod cognoscerent, sed non cognoscebant eum, sicut probat tota series disputationis eorum, et hoc labor fuit ante eos, donec intrarent in sanctuarium Dei, et intelligerent in novissimis eorum (*Psal* LXXII), dicente Domino ad eos, remoto tamen arrogante isto : *Iratus est furor meus, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite igitur vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job* (*Job* XLII,) etc.

CAPUT III

Unde autem existimabant quod cognoscerent eum? Videbant enim, ait ipsa Scriptura, *dolorem esse vehementem* (*Job.* II). Miro modo non ille zelatus est *super iniquos pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII) ; non, inquam, zelatus est, ut diceret : *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas et fui flagellatus tota die* (*ibid.*), si ipsi scandalizati sunt in eo, ut dicerent : Hic homo innocens non erat, hic homo rectus non erat. *Quis innocens unquam periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius* vidimus *eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores et metunt eos, flante Deo, periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos* (*Job* IV). Ergo iste non innocens, aut rectus, imo operarius iniquitatis coram Deo erat, et seminabat dolores et metebat eos ; quippe qui, flante Deo, periit, et spiritu iræ ejus consumptus est. Hypocrita erat, et spes ejus periit (*Job.* VIII). Hæc et his similia loqui cœperunt, idcirco quia videbant *dolorem esse vehementem*. Nam pro magnitudine doloris præcedentem subesse existimabant magnitudinem iniquitatis. Et verum quidem est, quia videbant *vehementem esse dolorem*. Sed nunquid cognoscebant doloris ipsius qualitatem, sive radicem? Non utique, quippe qui nec tunc, quando post septem dies *aperuit os suum et locutus est : Pereat dies in qua natus sum* (*Job* III), etc., usque, *et venit super me indignatio* (*ibid.*), intellexisse putandi sunt. Dixerunt enim : *Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga et defecisti. Tetigit te et conturbatus es* (*Job* IV). Putaverunt totam causam doloris illius, quem videbant esse vehementem malum, illud esse quod tunc acciderat ei, propter quod pariter venerant ut visitarent et consolarentur eum. At ille præter illum proprium dolorem, qui parebat extrinsecus, magis rationabilem intrinsecus habebat dolorem, qui sanctis et perfectis omnibus est communis, qualium unus Isaias dixit : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi* (*Isa* XXIV). Quidnam potissimum dolent viri sancti? Nunquid illum, qui omnibus viventibus instat, diem mortis? Imo diem nativitatis,

Hic est locus intelligentiæ, cujus nescit homo pretium nec invenitur in terra suaviter viventium. Homo suaviter vivens diei suæ benedicit, diem suæ nativitatis benedici vult, adeo ut etiam festis illum ausus sit celebrare conviviis, sicut Herodes in Evangelio, et sicut longe antiquior Pharao circa tempus, quibus exstitisse constat hunc beatum Job. Fuit enim contemporaneus Joseph, etenim uxorem illius tradit Phylo fuisse Dynam, filiam Jacob. Contra præsumptiones hominum hujusmodi qui taliter benedixerunt diem suæ nativitatis, recte iste beatus, et sapiens vir aperiens os suum diei suo maledixit, celeremque finem imprecatus est miserrimæ conditioni, dicendo : *Pereat dies in quo natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo* (*Job.* III). Quam vel qualem ob causam ? Nimirum quia et secundum animam nascitur homo plenus mortis peccati, et secundum corpus cito moriturus, jam ab ipsa nativitate *repletur multis miseriis* (*Job.* XIV). Hujusmodi conditionem sensu quidem illorum, qui vanam mundi hujus diligunt gloriam, appellat diem quod non est, suo autem sensu appellat noctem, ut vere est Nunquid vero tunc primum, quando sic aperuit os suum, et taliter locutus est, cœpit esse in meditatione mortis, et tunc primum scivit illud, quod nos omnes Sapientia scire vult, cum dicit : *Melior est dies mortis die nativitatis, melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurus sit* (*Eccle.* VII.) Imo et antequam malum illud acciderat ei sive dolor, quem solum videbant amici ejus, habebat vir sanctus meditationem sive scientiam ejusmodi ; verumtamen causa præsens ad eamdem scientiam sive dolorem nonnihil addidit. Solent quippe viri sancti adversitatibus vitæ hujus instrui, et proficere ad tædium præsentis, amoremque futuri sæculi. Exempli gratia: Helias cum timeret et fugeret propter minas Jezabel, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait : *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. Neque enim melior sum, quam patres mei* (*III Reg.* XIX). Itemque alius : *Et nunc, Domine,* inquit, *tolle, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita* (*Eccli.* XXX). Moyses quoque ait ad Dominum : *Non possum solus sustinere hunc populum, quia gravis mihi est. Sin autem aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis officiar malis* (*Num.* XI).

247 CAPUT IV.

Male igitur verba beati Job intellexerant amici ejus, insipientes loqui, dicerent ei : *Nunc autem venit super te plaga, et defecisti, tetigit te, et conturbatus es* (*Job.* IV). Non enim defecerat, imo profecerat. Non conturbatus erat, imo præclarem intellectum habebat. Hinc ortum est mirabile certamen, dum ille afflictus vigilanter videt veritatem, isti autem suaviter viventes somniant quasi veritatis rationem, tanquam subtilibus actum atque peractum est currentium ac recurrentium sententiarum jaculis spiculisque peracutis, ut perpauci admodum sint

A spectatores hujusce prælii, qui certo sciant spicula hujusmodi, vel qua intentione prolatæ de suis pharetris currant sagittæ sermonis multiplicis in partes diversas: hinc partem spiritus Dei, abhinc in partes spiritus contrarii, spiritus hujus mundi. Quid, ut breviter dicam, per partes liber iste intelligibilis, sive tractabilis est. Obliquus enim, ait beatus Jeremias, etiam apud Hebræos totus fertur; et lubricus, dum quid aliud loquitur, aliud agit, ut si velis anguillam, aut murenulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. Dicit aliquis : Quid tali vel tanto certamine opus fuit ? Cur beatus Job certare voluit, et certando tranquillitatem, sive pacem suæ mentis inquietari permisit? Si amici ejus impugnaverunt eum gratis, cur non
B cum illis quoque pacificus fuit, et silentio suo locum illis certando abstulit ? Ad hæc inquam : Scriptum quidem est : *Sapiens tacebit* (*Eccli.* XX). Sed additum est, *usque ad tempus* (*ibid*). Item : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccle.* III). Beatus Job tandiu tacuit, quandiu tempus tacendi fuit, sicut semel, et iterum Scriptura dicit : *In omnibus his non peccavit Job labiis suis* (*Job.* I). Item ipse dicit : *Nonne dissimulavi ? Nonne silui ? Nonne quievi ? Et venit super me indignatio* (*Job.* III). Ac si dicat. *Nuntius venit* ad me *qui diceret : Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi* (*Job.* I). Nonne dissimulavi ? *Venit alter, et dixit : Ignis Dei cecidit de*
C *cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit, et effugi ego solus, ut annuntiarem tibi* (*ibid*). Nonne silui ? *Venit alius, et dixit : Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, nec non et pueros percusserunt gladio, et ego fugi solus, ut nuntiarem tibi* (*ibid.*). Nonne quievi ? Nam in his omnibus os meum non aperui (*Job.* II). Et quid deinde ? Venit super me indignatio, id est, plaga tam grandis ut ad comparationem ejus quidquid adhuc acciderat, non videretur indignatio, *Filiis* meis *et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos meos, et mortui sunt* (*Job.* I). Tandem et ego ipse percussus ulcere pessimo a planta
D pedis usque ad verticem, ecce testa saniem rado, sedens in sterquilinio (*Job.* II). Nunc demum *suspiro et tanquam inundantis aquæ sic rugitus meus* (*Job.* III). Nunc demum os meum aperui, et gemens locutus sum. Quare miramini? Quare non potius *miseremini mei, saltem vos amici mei* ? (*Job.* XIX). Quare, jam ecce septem diebus et septem noctibus sedetis, et nemo vestrum mihi loquitur verbum consolationis? Quinimo ad increpandum verba componitis. Etenim nimium displicet vobis videntibus dolorem esse vehementem suspirantis et rugientis amici vestri. Vultisne ut non doleam ? Exigitis a me patientiam sive fortitudinem hanc ut non gemam? nimirum apud naturam impossibile est. *Quæ est enim fortitudo*

mea, cum sim homo ut sustineam, aut quis finis meus, cum sim caro, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, aut caro mea ænea est (*Job* VII).

CAPUT V.

Hæc et his similia multoque majora gemituosa dicendo, non utique defecerat, neque turbatus erat, imo multum invaluerat, et in magna serenitate cordis agebat illa fortitudine, qua invaluerat sanctus Jacob, dum luctaretur cum angelo, illa serenitate qua clarificatus idem, dum viderat; nam et iste adeo clarificandus erat ut loqueretur ei Dominus, et adhuc majora illi ostenderet mysteria. Quali enim fortitudine Jacob contra Dominum fortis fuit? Quomodo invaluit? Nimirum fletus fortitudo ejus fuit, flendo invaluit, sicut in Osee Scriptura veridica manifestius exprimit. Cum enim dixisset: *In fortitudine sua directus cum angelo, et invaluit ad angelum, confortatus est* (*Ose.* XII). protinus addit: *Flevit et rogavit eum* (*ibid.*). Isti amici beati Job, fletum vel gemitum ejus, ubi primum aperuit os suum, et verba gemituosa protulit defectionem fortitudinis interpretati sunt, et velut impatientem, qui timorem Domini nunquam veraciter habuisset, redarguerunt. Dixerunt enim: *Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?* Et quid erat protinus taliter invehi, et sic dicere: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt*, nisi ac si dicerent: Non tu homo, sed fera tigris, et filii tui non homines, sed catuli leonis fuerunt. Tigris periit, eo quod non habuit prædam, id est tu a Deo defecisti, eo quod pristinam perdidisti substantiam. Et quis nescit majorem huic B. Job quam beato Jacob fuisse doloris causam? Iste namque unum filium Joseph amiserat, quem a fera devoratum esse putabat, hic autem una die post omnium damna rerum, simul septem filios et tres filias mortuos acceperat, et deinde percussus ulcere pessimo. in sterquilinio sedebat. Attamen cum ille, videlicet, Jacob, scindens vestimenta sua lugeret filium, et consolationem nollet recipere, dicens: *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (*Gen.* XXXVII), nullus fletum, seu hæc verba ejus sic male interpretatus est, ut diceret ei: Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et quæ in hunc dicta sunt his multo acerbiora. Non ergo arguendus erat propter suos gemitus, quasi de impatientia, sed judices ejus, qui amici ejus esse debuerant, ut amare judicarent, ille Satan perverterat, qui laudatam a Deo beati viri innocentiam ad tentandum expetierat: Unde quodam loco ipse inter cætera dicit: *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus aperit* (*Job.* IX). Terram semetipsum, impium diabolum sive Satan, judices terræ, amicos suos, operimentum vultus eorum, ignorantiam sive errorem eorum dicit. Et notandum quia conflictus amicorum septimus fuit assultus ejusdem Satan, qui illum expetierat tentandum. Quatuor quippe fuerunt nuntii, quorum audiens verba patienter sustinuit. Quintum fuit machinamentum quod ipsum, id est Satan, ulcere pessimo percussit. Sextum, uxoris ejus stultiloquium. Septimum, ut jam dictum est, amicorum ejus detrahentium et increpantium perversum, quod de ipso habuerunt judicium.

238 CAPUT VI.

Sed jam redeundum est ad suprascriptæ quæstionis capitulum, quod erat hujusmodi: *Cur beatus Job certare voluit, et certando pacem, sive tranquillitatem suæ mentis inquietari permisit, et non potius silentio suo locum illis certandi abstulit*, hoc enim forte alicui videtur potuisse provenire viro patienti ad laudis cumulum, Apostolo quoque dicente: *Noli verbis contendere, ad nihil utile nisi ad subversionem audientium* (*II Tim.* II). Hinc facilis patet responsio, quia profecto nullus sapiens ita debet esse patiens, ut, audiens quidpiam contra veritatem, sileat, et non defendat veritatem, hoc anima fidelis nullatenus admittit; nec enim potest. Mori potest, silere non potest. Quod si aliquando, hoc ut taceat, apud scipsum statuit, in hoc proposito non persistit. Exempli gratia, propheta Jeremias cum dixisset: *Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar in nomine ipsius* (*Jer.* XX), valde notandum quid continuo dixerit: *Et factus est*, ait, *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis et defeci, ferre non sustinens* (*ibid.*). Juxta sensum eumdem et psalmista cum dixisset: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal* XXXVIII), protinus ait: *Et dolor meus renovatus est, concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* (*ibid.*). Nonne beatus Job talis erat vir et talium notissimus per testimonium ipsius Domini? Quoniam semel et iterum sic proposuerat de illo: *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, rectus, et timens Deum et recedens a malo?* (*Job* II). Cui respondet Satan: *Nunquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, et domum ejus universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra. Sed mitte manum tuam, et tange omnia quæ habet, et scies an in faciem benedicat tibi. Ecce,* inquit Deus, *omnia quæcunque habet in manus tuas do, sed ipsum cave ne tangas* (*ibid.*) (33). *Fit grande certamen. Perfidus apostaticusque angelus fidelem Dei famulum insectatur, atque ut illi plena de seipso procreata malitia, vastat, fugat disperditque omnia innocentis, et cum omni hæreditate omnem simul consumpsit hæredem. Tot tamen jaculis emissis illæsus manet Job, cujus ut militis Dei, uno Dei, uno ictu percutitur diabolus*: « *Nudus exii*, inquit, *de utero matris meæ, nudus revertar in terram. Dominus dedit, est Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). » *Hoc*

(33) S. Prosper., lib. De promis. et prædict. Dei, pars I, c. 22, Patrol. tom. LI, edit. MIGNE.

superatus certamine, aliud majus indicit : « Mitte, inquit Deus, manum tuam et tange carnes illius, et ossa, et scies an in facie benedicat tibi. » Mitte manum tuam nihil aliud est, quam, Da potestatem : illam enim nec in porcis habuit diabolus (*Matth.* VIII), *nisi ille dedisset qui sub hac auctoritate et Job ei tradidit ut præcepti non excederet modum. « Ecce,* inquit Deus, *trado tibi illum, tantum animam illius custodi* (*Job.* II) » *Quem percussum gravi vulnere, putrefacta totius corporis compagine, omnibus artubus solutis, sanie perfluente, ebullientibus vermibus, dum incorrupto corpore animus integer consisteret, sentiretque diabolus intrinsecus fortem, quem forinsecus debilem æstimabat, mulierem vero suo illo articulo, quam sibi necessariam dimiserat, armat, atque per uxorem fortissimum virum suo pulsat ex latere. Cum et mulier venenata jacula, quæ ab inimico sumpserat, infunderet, nil inter cætera : « Dic aliquod verbum in Domino, et morere* (*ibid.*). » *Statimque ille ruinam primi hominis recordatus, Evam novam, atque in illa illum inimicum, qui prælibabatur expugnans, ait : « Tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non toleramus* (*ibid.*). » *His divinis jaculis prostratus inimicus, superatusque per gratiam, per hominem, perversus angelus, et humilis patientiæ pietas omnem molestiam superbiæ debellavit* (*ibid.*) Verum cum jam tres amici Job audissent suæ fortunæ deploratissimum casum, pariter eum convenerunt, ut infinitis hisce miseriis sua consolatione, aliqua ratione moderentur, utique dolorem nimium animo jam conceptum vel auferrent, vel saltem mitigarent. Videntes autem ipsum luctu et horrore nunc squalidum nimium, turbati minime eum cognoverunt, sed exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super capita sua, et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus et nemo loquebatur ei verbum. Transactis autem his diebus et noctibus videns Job amicos suos, quos consolationis gratia utique advenisse intellexerat humi, velut mutos sedentes, eaque ratione non acerbissimo dolori medentes, sed magis magisque eumdem augentes, ille sapientis probe functus officio accuratissime observavit dictum illud Ecclesiastis dicentis : *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* Cum enim videret illos tacere, ipse silentium rumpens, aperuit os suum, et maledixit diei nativitatis suæ (*Job* III).

CAPUT VII.

Si simplicem hujus historiæ sensum obtinere placet, nec alium requirimus, præclarissimum sane exemplar patientiæ nobis in hac suppeditari invenimus. At si paulo altius secundum anagogen hanc ipsam repetere animus est, non tam patientiæ exemplar, quam et sententiam huic materiæ aptissimam in eadem latere videbimus. Job quippe qui (34) de stirpe Nachor fratris Abrahæ oriundus fuit,

A typum Christi gessit. Sicut enim Job ulcere pessimo percussus in sterquilinio sedit, testaque saniem rasit sic et Christus, ulcere pessimo percussus est, quando juxta sapientis testimonium dicebant impii, quorum utique cor Satan possidebat Satan, *Morte turpissima condemnemus eum* (*Sap.* II). Et illum quidem percussit simplicitati et rectitudini innocentis ac timentis Deum invidens, hunc autem percuti fecit, tormenta, quæ ex ejus præsentia patiebatur, ferre non sustinens, quod multoties confessus est. Verbi gratia, cum diceret per os hominis, cui totam immiserat legionem : *Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei summi ? Adjuro te per Deum, ne me torqueas* (*Marc* V). Amplius enim Satan in isto urgebatur, magis in isto quam in illo ad judicium disceptationemque vocabatur.

B Ille enim interrogatus a Domino : *Unde venis?* (*Job.* II). Respondit : Semel et iterum circuivi terram et perambulavi eam, non exigebatur judicium, non erat qui diceret : Nunc judicium fit, mundi nunc ejicietur foras, o circuitor mundi et perambulator terræ Satan. Non, inquam, erat, qui hæc diceret, idcirco gloriabatur quod nullo fortiore superveniente vacaret sibi victori circuire terram et perambulare eam. Hic autem erat qui diceret : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Igitur cum hic dolens, qui quondam dives, et vere rex sedebat circumstante angelorum exercitu, extra portam ejectus, morte esset turpissima percussus, **249** quasi leprosus reputatus revera sedebat Job in sterquilinio, sanie coopertus : nam Dominus posuerat in eo iniquitates omnium nostrum

C (*Isa.* LIII). Verum easdem iniquitates nostras, omnemque corruptionem, et ipsam mortalitatem nostram per virtutem resurrectionis erasurus erat. Et idcirco recte dictum est quia *Job testa saniem radebat* (*Job* II). Testa quippe prius molle lutum, post autem igne coquente solidum factum, caro est Christi prius passibilis, atque mortalis, utpote nostrum lutum, post autem per ignem passionis, sic in resurrectionem solidata, ut morte, aut ulla corruptione jam non solvatur in æternum.

CAPUT VIII.

Cum tres amici Job, qui, ut consolarentur eum, convenerunt, miserrime percussum in sterquilinio sedentem aspexissent, diesque septem et noctes totidem in terra cum eo sedentes tacuissent, ille tandem

D dem aperiens os suum maledixit diei nativitatis suæ, dicens : *Pereat dies, in qua natus sum et nox in qua dictum est : Conceptus est homo* (*Job.* III), etc. Quod hoc loco Job maledixisse dicitur suæ nativitatis diei, impatientiæ signum fuisse videtur, verum dum hæc contentius intuemur, sensumque anagogicum super hac maledictione paulo diligentius consulimus, non Job, quam et omnes electos huic diei etiam nunc maledicere elucescet (35) Hinc igitur tu, o anima fidelis, inquire, ut eo commodius mortem meditari valeas. *Pereat dies in qua natus sum, et nox*

(34) Rup., lib VI in Gen., cap. 34, et lib. II De oper. Spiritus sancti, cap. 3 et 4.

(35) Rup., lib. XXVII De operibus S. Spiritus, cap. 6.

in qua dictum est : Conceptus est homo,etc. Dies nativitatis,vel nox cui maledicere sapientis erat, peccatum fuit primi hominis, dies, inquam, ironice, vere autem nox.Nam illo tanquam in die nobis aperiendi promittebantur oculi dicente deceptore : *Comedite,et eritis sicut dii* (*Gen*.III).Sed ubi creditum est illi,paries inimicitiarum inter nos et Deum consurrexit, et ita in nocte, id est non visura Deum male fuimus concepti. Et illum quidem diem, imo illam noctem,Job ille maledixit, quantum potuit,et quisquis alius ab origine mundi peccatum illud diaboli damnavit, et justitiam Dei suspiravit, sed nulla eorum maledictio satis efficaciter illud damnare potuit.Causas ejusdem impossibilitatis postmodum ita subjungit: *Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero,non statim perii ? Cur exceptus genibus ? Cur lactatus uberibus ?* (*Job*. III.) Absit enim nos credere quod tantus vir,tanta spiritus scientia præditus, tanta interim judicis attestatione laudatus, abortivum se optet interiisse, sed sicut etiam per remunerationem cognoscitur,intus habet testem suæ fortitudinis,intus pensanda sunt ejus pondera locutionis.Sicut itaque Job suæ diei nativitatis maledixit, sic et Christus suæ maledixit. Christus enim in illo die peccati natus est, et in illa nocte infelicitatis conceptus est. Verumtamen longe aliter novus hic, et aliter novus ille homo. Nam ille prædicto modo natus vel conceptus est, ut qui homo erat,et bene erat, peccator fieret, et male existeret ; hic autem ita conceptus et natus est, ut qui Deus erat, et impassibilis atque immortalis erat,homo fieret et passibilis atque mortalis existeret. Et uterque quidem in die vel nocte peccati, sed ille,ut fieret peccatum, hic autem,quia factum fuerat peccatum. Ille prava suggestione deceptus, et propriæ substantiæ corruptione natus,id est degeneratus est, hic autem voluntate Patris et sua de Virgine conceptus:et alienæ substantiæ assumptione homo factus ; ille diabolo natus ad culpam simul et pœnam ; hic Deo natus est sine culpa ad culpæ pœnam.Istic sapientiæ locus est, istic sapientiæ spiritus quid dicat vel innuat,attendendum est.Ecce enim homo,Christus,homo justus, hominibus peccatoribus multum debet. Confortentur manus dissolutæ,et roborentur genua peccatorum debilia (*Isa*. XXXV), quia videlicet, si fide,et pietate eruditi, si sapientes causidici vel juris periti sunt, habent quo constringant judicem suum. Dicat enim judex : Ego propter vestrum peccati diem natus, propter vestram iniquitatis noctem conceptus, et qui Dominus Deus immortalis eram,homo mortalis factus sum. Dicant ad hæc peccatores fideles, peccatores pœnitentes :Et siquidem multum tibi debemus nos, Deus Christe, quia homo factus es, at multum contra nobis debes, homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es.Nam nisi fuissemus peccatores, causa,cur tu in Deum assumi deberes,nulla fuisset : Confortentur,inquam,nec enim id solum attendere debent, quod tantæ dignitatis Dominus propter tam indigna servilium personarum delicta, tantis affectus est injuriis, et ipsa morte, morte autem crucis. Verum id quoque quod nisi peccassent servi,nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis. Nec enim Dominus ille pro servis contumacibus sive sceleratis plus injuriarum quam gloriæ pro eisdem suscepit.Nam pro quibus in cruce pependit, pro eisdem, ut interpellat,sedet nunc a dextris Dei. Hic accepta ratione veritatis a quocunque illam acceperit, sive a Judæo, sive a gentili, vim pati gaudet rex regni Dei, ut regnum ipsum diripiant violenti, quibus, et quasi ratione victus aperiat os suum, et dicat eis : Pereat nobis dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.Quod est dicere : Dies peccati, qui secundum falsitatem serpentis dicentis, Comedite, *et aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen*. III), putabatur dies, revera autem nunc nox est,in qua die vel nocte, id est propter quam diem vel noctem, ego, qui Deus eram, homo natus sum, pereat vobis. Quomodo pereat? Non requirat eum Deus desuper,et non illustretur lumine.Hæc vestra beatitudo sit, quam et in psalmo Propheta dicit, suspirans : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata* (*Psal*. XXXI). Nam hoc est non requiri diem illum et non illustrari lumine,quod est remissas iniquitates et peccata tecta esse. Hac igitur ratione B. Job suæ diei nativitatis maledixit, id est damnavit,Christus vero non tam eidem maledixit quam eumdem e numero dierum removit, siquidem ille non tantum natus est, ut peccatum nostrum damnaret, sed ut tolleret illud, Joanne testante,qui ait *: Ille apparuit,ut peccata nostra tolleret* (*I Joan*. III). Sua passione, etiam non tantum maledixit peccato,sed penitus illud abstulit,et chirographum quod diabolus adversum nos habebat, delevit, cruci id ipsum affigens (*Col*. II). Quemadmodum igitur probos et pios Christianos decet peccata fugere, et ab omni specie mali esse immunes servare (*I Thess*.V),sic et eisdem maledicere vel damnare convenit,huic namque fuga eorumdem sequitur.Idcirco nequaquam B.Job impatientiæ accusari debet, eo quod ille amicis tacentibus aperuit os suum, et maledixit diei nativitatis suæ. Non enim immensi doloris acerbitate, et tædio motus, sed veritatis defendendæ et exponendæ gratia hoc factum esse credendum est.Sicut enim multiloquium dedecet sapientes,sic contra tacere,dum tempus loquendi est, maxime si debeat illud veritatis defendendæ gratia fieri,nulla ratione decet.Quid enim illud facit, idem agit quod ille qui abnegat veritatem, de quibus Salvator **250** inquit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus* (*Matth*. X), etc. *Qui me negaverit*, aut, ut Marcus inquit, *qui erubuerit me, et meos sermones* (*Marc*.VIII), etc. At hæc de B.Job dicta sunto : plura si quis forte desideret, ille expositiones B. Gregorii papæ in librum Job consulat.Ille quod nos hic brevibus, multis dulcedius et explanatius explicat.

CAPUT IX.

Cum itaque Deus Pater pro immensa sua miseri-

cordia nos a peccatis nostris voluerit esse liberatos, mittens nobis Filium suum unigenitum, qui carne mortali assumpta peccata nostra tolleret, mortemque turpissimam pro nobis sustinens, nos a morte animæ liberaret, æquum sane est ut tu, o anima, quod reliquum est temporis vivas secundum vitam sapientis, quæ est meditatio mortis (36). Hæc enim mors corporalis, quam nos omnes subire oportet, imo a quo nemo mortalium liber existit, ob hanc causam a Deo inventa est, ut per hanc liberaremur a morte animæ, quæ actu quidem prior est, sed experimento secunda dicitur. Prius enim homo anima, quam corpore mortuus est. Adam quippe eadem die, qua lignum vetitum temeravit, morte animæ mortuus est, sed eamdem mortem animæ tunc demum experimento sensit, quando pulvis in pulverem reversus est, quæ carnis mora est, et anima ad miseros descendit. Ut igitur ab hac morte liberaremur, oportuit nos corporalem subire mortem, ut ea ratione terra terræ reddita, aliquando in resurrectione mortuorum, cum omnes præsentabimur ante tribunal Christi (*II Cor.* V), corruptibili corpore deposito, incorruptibile induamus; quo induti semper cum Christo exsultemus in gloria. Per hanc mortem liberati sumus a morte animæ, neque id ex nobis, sed Christi intercedente passione. Non enim nos pro nobis ipsis satisfacere, neque regnum cœlorum ingredi poteramus, sed oportuit Christum prius venire, illamque pro nobis alteram mortem sustinere, *qui peccatum non fecit, nec in* cujus *ore dolus inventus est* (*I Petr.* II), ut sic a morte animæ liberati, cœlestis regni participes efficeremur. At dixerit forte quispiam: Quoniam in Christo renati culpam terreni parentis evasimus, cur adhuc ejusdem culpæ pœnam

A portamus? Cur adhuc morimur? Cur non absque mortis molestia meliorem ad vitam transmigramus? (37) Cur exspoliamur, et non magis supervestimur? Ad hæc ingemiscentes dicere possimus. Non per solam misericordiam, sed per sociam quoque misericordiæ justitiam, requisiti sumus. Imo quod nihilominus magna cum reverentia cogitandum est, non per solam justitiam, sed et per circumvolantem nos misericordiam in primis parentibus nostris mortales facti, et de paradiso ejecti fuimus. Sciendum quippe est quia licet eadem causa, non tamen eadem manu, qua in anima mortem perpessi fuimus, in corpore quoque mortalitati addicti sumus. Etenim mors animæ nobis a diabolo adinventa est, mortalitas corporis a provida Dei sapientia, vel sapiente

B providentia nobis imposita est. Si enim post peccatum vivere vita corporis, et immortales esse permissi fuissemus, dæmonibus similes essemus, quia nobis æque, ut illis misera æternitas, vel æterna esset miseria. Idcirco nobis bene providens Deus dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Nunc ergone mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ et vivat in æternum* (*Gen.* III), etc. Hæc forte cuiquam grandem videntur sonare iram, sed eruditam habentibus discretionem, magnam profecto spirant clementiam. Cum itaque tanta tamque excellens sit utilitas mortis corporalis, ut etiam per hanc a morte animæ liberati sumus, ante omnia tu, o anima fidelis, semper memorare novissima tua, ut in æternum non pecces (*Eccli.* VII), ea ratione futurum minime diffido quin per Christi mor-

C tem securior reddita et a morte animæ liberere, et omnibus hujus vitæ laboribus superatis, cum omnibus sanctis vitam æternam hæredites. Fiat!

(36) Rup. lib. XXIX De oper. S. Spir. c. 26, et lib. II, in Apoc.

(37) Rup. l. XXVII De oper. S. Spir. c. 27. Hanc eamdem quæstionem solvit idem Rup. l. XXIV in Gen. c. 25; et lib. III, in Naum prophetam.

VITA S. HEREBERTI

ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS

RUPERTO ABBATE TUITIENSI.

251 PROLOGUS AUCTORIS.

Tu mihi hoc opus in angaria, venerande Pater Marcuvarde, imposuisti, quatenus sancti archipræsulis Hereberti vitam virtutibus splendidam, sed prioris, ut tibi videbatur, styli rubigine subobscuram, novo rescriberem stylo pro gloria et laude Domini nostri Jesu Christi. Ibam quippe alias, quo me scribentem ducebat ardor studii, et idcirco tibi obtemperare, nimirum quasi in angaria servire existimavi. Cum autem et te instante jugiter, et mea voluntate ad alia tendente, diutius angerer,

D venit tandem in memoriam illud, quod summus vere dilectionis magister, inter cætera perfectionis evangelicæ præcepta congrue, in monte locutus est: *Et si quis angariaverit te*, ait, *mille passus, vade cum illo et alia duo* (*Matth.* V). Sed et ille Simon Cyrenæus in mentem venit, quem, sicut evangelista testatur, *prætereuntem angariaverunt, ut tolleret crucem Jesu* (*Matth.* XXVII). Denique exemplum ejusdem, qui crucem quidem Jesu tulit, sed non ipse crucifixus est; et hoc ipsum, quod crucem non suam bajulavit, invitus et in angaria fecit, vehe-

menter Christianum hominem redarguit, quicunque ille est, qui Christi vel sanctorum ejus labores ita prædicat, ut non collaboret imitando; et hoc ipsum quod prædicat, magis ex præcepti necessitate facit, quam ex pio mentis desiderio. Acquievi igitur, et omisso interim cursu proposito, diverti huc, non jam invitus, sed bonam jam habens voluntatem, si spiritus Patris nostri Dei, quid vel qualiter loqui deberem, suggerere dignaretur. Ecce habes quod jussisti, imo ad quod agendum me magis rogando quam jubendo compulisti; tu ipse judicato, utrum id efficiendo quidquam profeceris, id est utrum prioribus scriptis, quæ non tibi satisfaciebant, hoc posterius scriptum ad ædificationem magis an minus idoneum sit. Porro me et apud Deum conscientia testis, et apud eos, qui audire vel legere dignabuntur, præsens epistola excusare poterit, quia non quasi mihi ipsi placens, prioribus me scribendo superposui, sed postulanti tuæ charitati placere cupiens obediendo supposui. Dignum quippe te, cui obaudire deberem, existimavi, licet monachicam sub tuo regimine militiam professus non fuerim. Tu namque de cœnobio Sigebergensi assumptus et quasi virgultum viride de illo deliciarum horto translatum, et in Ecclesiam ejusdem beati confessoris Christi transplantatum sanctæ religionis, quæ illic pene exaruerat, fructum redivivum protulisti, ita ut illud Davidicum annuente Deo dicere merearis: *Ego autem, sicut oliva fructifera, in domo Dei speravi in misericordia Dei* (*Psal.* LI).

CAPUT PRIMUM.

De ortu B. Herebeiti, et qualia illo nascente signa divinitus apparuere.

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi nongentesimo nonagesimo (die decima sexta Martiii), Romanorum regente imperium Ottone tertio, insigni metropoli Germaniæ Coloniæ Agrippinæ pontifex a Deo datus est S. Herebertus, vixitque in eadem sede laudabiliter annos viginti tres, menses duos dies ferme viginti duos. Huic donum gratiæ, quod daturus erat ascensor cœli, de quo scriptum est: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII), in ipso ejus ortu præsignare dignatus est. Denique cum noctu materno funderetur ex utero, lux immensa cœlitus in loco effulsit, quam et dormientes nonnulli, oculis cordis, et vigilantes, oculis viderunt corporis. Dormiens erat pater ejusdem infantuli, et cum eo quidam ex amicis, Judæus tamen, qui tunc venerat ad eum pro consuetudine colloquii sive negotii familiaris. Hi ambo dormientes hora ipsa, qua in lucem prodibat felix puerperium, unum idemque vident somnium: et evigilantes, **252** continuo loquebantur ad ulterutrum, quasi proprium singuli narraturi visum, quippe est nescirent commune fuisse, vel unum. Narravit prioris, qui propter familiaritatem advenisse jam dictus est, et deinde ipse pater familias, idipsum, et non aliud se vidisse, vehementer admirans testatus est. Erat autem hujuscemodi somnium: Cubiculum in quo mulier decumbere proximoque partui non ignorabatur, a fronte aperiri, admissumque jubar infulsisse velut solis meridiani. Porro vigilantes eadem hora circa parturientem de more aderant sexus illius personæ sedulæ, et ipsæ corporalibus, ut jam dictum est, oculis viderunt miraculum cœlitus infusæ claritatis. Adhuc enim loquebantur illi somnium, quod viderant mirando, et felicitatem partus non vanis præsagiendo conjecturis, cum ecce una ex illis gaudio et pavore simul attonita, horum patri nuntiavit nuntium, videlicet elegantis filii exortum, et in ortu ejusdem editum miræ suavitatis et circumfulsæ magnæ lucis divinum miraculum.

CAPUT II.

Quod lucis invisibilis, qua illuminandus erat, signum fuerit visibilis lux, quæ illo nascente in domo refulsit.

Hoc igitur qui dubitet conferendæ illi gratiæ fuisse signum, significans quod copiosus illuminaret illum *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*? (*Joan.* I.) Et quidem si sola illi conferenda fuisset lux gratiæ spiritualis, quam Judaica cæcitas nescit, recte forsitan cuivis incredibile videretur aut indignum, Judæum participem exstitisse ejusdem somnii luminosi, quod pater Christianus videre meruit. At ille electus et gloriosus filius lucis, fulgere habebat et interiori dono luminis æterni, quod Jacob simplex maxime optavit, et exteriori proventu gloriæ temporalis, quam venator Esau solam quæsivit ex benedictionibus paternis (*Gen.* XXVII). Quis enim nesciat splendorem magnæ Ecclesiæ Coloniensis, quantum illis præcipue temporibus splenduerit, etiam in facultatibus et honoribus sæculi? Cum ergo tantæ sedi præesse deberet, et super tale tantumque candelabrum exaltanda esset hæc lucerna Domini, habendo tot facultates, habendo nomen etiam et jus eximium apud fastigium terreni imperii, sicut sequens narratio declarabit, non indignum videri debet quod Judæus quoque præsagium futuræ claritatis ejus acceperit, qui et patri ejusdem dixit: « Certissime noveris quia quod nascitur tibi, teipsum jucunditate replebit, suosque natales magnos sui nominis splendore illustrabit. » Hoc dicere potuit ille, solam respiciendo lucem vel gloriam sæculi; Christus autem lux vera et gloria patriæ cœlestis, mirabile ejus præsagium mirabiliter adimplevit. Nam qua nocte, illo de Virgine nato, *exortum est in tenebris lumen rectis* (*Psal.* CXI), et pastores super gregem suum vigilantes claritas Dei circumfulsit (*Luc.* II): ipsa nocte, imo sub ipso lucis sequentibus crepusculo, inter missarum sacra solemnia, quorum hæc prima vox est, *Lux fulgebit hodie super nos*, consecratus est pontifex, veri bajulans luminis, eorumque sortitus ministerium, quibus dictum est: *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V), etc. Quis dubitet hoc evenisse per providentiam sive ordinationem Domini, eadem cura vel gratia, qua memoratum signum eo nascente præmisit? Verum de hac re suo loco plenius dicendum erit.

CAPUT III.

De matre, genere ejus et ut stirps, unde talis nasciturus erat et captivitate, Deo providente, redempta fuerit.

Tali,ut dictum est,cum præsagio puer hic, beatæ prædestinationis filius, in Wormatia Galliarum urbe ortus est. Porro illuc, scilicet in Gallicum Wuormatiæ territorium, genus ejus maternum de fonte Alemannico casibus adversis derivatum fuerat. Siquidem avia ejus materna,nomine Emma,Regimboldi nobilissimi Alemannorum comitis filia exstitit,et ab Hunnis deprædantibus e castro patris cum duabus sororibus extracta, atque in prædictæ urbis territorio captiva violenter abducta est. Quam vir quidam nobilis ut vidit,protinus instinctu Dei,sine quo nec passer unus in terram cadit (*Matth.* x), formam captivæ liberalem miseratus est, eamque redemit.Quid multa? Providente Deo, ut radix servaretur,de qua nasciturus esset fructus qui permaneret in acquisitione salutis, pater ejus puellæ,dum forte pergeret ad curiam imperatoris,in domo ejusdem viri nobilis hospitium habuit. Illic inter multa colloquia filiam recognovit, gratulatus est, eamque viro,qui redemerat, postulanti conjugem,cum dote multa tradidit. Ex illis nata nuptiis sancti hujus mater est. Hoc ideico non præterire libuit, quia nonnihil spectat ad laudem et gloriam Dei, quod amaritudo illa tantis superata est benedictionibus dulcedinis,ut redempta captivitas talem tantumque partu ederet civem cœli.

CAPUT IV.

Ut apud Hildebaldum Wormatiæ præsulem per Dei gratiam in sacris disciplinæ ecclesiasticæ studiis profecerit.

Igitur prospiciente proposito Dei,qui et ante tempora sæcularia sanctos omnes *præscivit et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII), et in suo quemque tempore vocavit, justificavit et magnificavit, hic sanctus præscitus, ut nasceretur, vocatus est, non solum ut per baptismi gratiam justificaretur, verum etiam ut honore pontificalis gratiæ magnificaretur.Hujus nimirum magnificentiæ præparatio in eo exstitit quod in eadem Ecclesia Wormatiensi studiis liberalibus traditus est. Tanta quippe facilitate divinæ pariter et humanæ philosophiæ fluenta potavit,ut dubitandum non esset eum intrinsecus doctorem habere illum de quo Apostolus dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* (*I Cor.* III); maxime qui cum spiritu scientiæ clarescebat in eo spiritus pietatis et timoris Domini,a quo sanctus omnis ad sapientiam ascendere incipit, sicut scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX). Hoc perpendens vir venerabilis Hildebaldus, qui tempore illo pontifex erat ejusdem Ecclesiæ Wormatiensis et prudentem adolescentem cognoscens ex studiis ipsius, sicut Scriptura dicit: *Ex studiis suis cognoscitur puer* (*Prov.* XX), utrum munda sint opera ejus, gaudebat in eo,spe bona reputans quod homo hic utilis foret
A sanctæ Ecclesiæ. Erat namque idem pontifex ejus benevolentiæ quam in propheta Spiritus sanctus insinuans: *Dicite*, inquit, *justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet* (*Isa.* III). Et in evangelio Dominum dixisse noverat:
Messis quidem multa, operarii autem pauci. 253
Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem (*Luc.* X).Itaque sanctæ Ecclesiæ prospectum esse cupiens, et in ea, cui præerat, sed jam paratum sibi a Deo sperans successorem,bene agentem condigna laude confortare studebat. Denique defuncto tunc temporis ejusdem Ecclesiæ præposito, protinus hunc subrogavit. At ille sanctus et verus, qui habet septem stellas, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum (*Apoc.* I),in alio fir-
B mamenti sui loco stellam istam figere, et super alterius Ecclesiæ candelabrum lucernam istam ponere disposuit.

CAPUT V.

Quomodo per bonam famam imperatori Ottoni innotuerit, et archicancellarius effectus: suasusque ab eo, presbyterii gradum cum socio Brunone ascenderit.

Proinde ut longius innotesceret, qui longius erat expetendus, Otto Romanorum imperator tertius, de viro illustri, quis vel qualis esset audivit, et inclinante cor ejus Deo sicut scriptum est: *Cor regis in manu Dei* (*Prov.* XXI), adeo viri probitas illi complacuit,ut eum suo lateri sociaret,primumque cancellarium sibi constitueret. A quo etiam
C persuasus hic beatus, jugum Domini, scilicet presbyterii honorem,alacriter suscepit, socio Brunone, qui postea Romani dignitate pontificii functus est. Attamen tunc idem Bruno, ut presbyter fieret, non cito acquievit, humiliter excusans veluti majorem suis meritis accipere gratiam. Sunt uterque laudabilis, et hic qui animo alacri cito acquievit, et ille qui primo stupefactus,rem arduam refugere tentavit. Nam et centurio, qui dicenti sibi Domino: *Ego veniam, et curabo puerum tuum jacentem in domo paralyticum*, respondit, dicens: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII), statim ab eodem Domino secundum fidei suæ humilitatem laudatus est, et Zachæus, qui dicente illo: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo*
D *tua oportet me manere; statim festinans descendit,et excepit illum gaudens* (*Luc.* XIX); secundum charitatis suæ lætitiam dignus judicatus est cui diceret Dominus: *Quia salus hodie huic domui facta est* (*ibid.*). Verum hic quoque, qui presbyteratus officium rogatus cito,ut jam dictum est, subiit,adhuc excellentiorem pontificii gradum postmodum sibi oblatum suscipere humiliter recusavit. Defuncto namque paulo post Ecclesiæ Wirzeburgensis episcopo optat ut imperator ut illi subrogaretur. Recusavit, ut jam dictum est,indignum se profitens,et in fratrem suum, nomine Henricum tanquam seipso longe digniorem, mox eamdem transferri obtinuit electio

nem. Factumque est, frater ejus Ecclesiæ jam dictæ A præsedit; ipse autem in humilitate et dilectione sua, præfinito sibi a Deo tempori et loco servatus est. Interea Romano pontifice defuncto, jam dictus Bruno sedem sortitur apostolicam, agnominatus Gregorius V, vixitque in ea annos ferme duos et menses novem, undecimus supra Brunonem alterum, qui et nonus Leo dictus est. De isto, qualiter a Romanis imperatori rebellantibus, primo expulsus, ac deinde veneno peremptus sit, quoniam ad rem præsentem minus attinet, nunc omittentes, potius propositum prosequamur.

CAPUT VI.

Ut a Coloniensi populo facta concordia, in archiepiscopum electus sit.

Non multo post Colonia metropolis vidua facta B est, defuncto Evergero ejusdem civitatis archiepiscopo. Ecce autem eligere conantur successorem, sciderunt unanimitatem, clerusque et populus graviter dissentiebat abinvicem. Nam alium clerus, aliumque sua electione poscebat populus, et in tantum processit partium diversarum conflictus, ut prope ad arma concurreretur. Itaque velut, absente Jesu, *navicula in medio mari jactabatur fluctibus* (*Matth.* XIV). Sed laborantibus velocius succurrit ipse, et venit ad eos supra mare. Nam is, quem non probante populo clerus eligebat videlicet Wezelinus, domus sancti Petri præpositus, repente silentium flagitans, per voluntatem Dei sic omnes alloquitur: « In causa ista, Patres et domini, non sua singuli sed pariter ea quærentes, Domini sunt. melius C quoad possumus ineamus consilium. Nam præesse vobis nec ipse cupio, nec alteri invideo; sed in hac re liber ab utroque scilicet invidia et ambitione, alium vobis notum designo, qui dignus sit, videlicet illustrem Herebertum, valentem secundum Deum et secundum sæculum, utpote Christo devotum, et imperatori charum. Solvamus ergo litem, in hujus dignissimi concedendo electionem. » Vix ille hæc dixerat, raptimque ex ore ejus Herebertum universa turba conclamabat. Una omnium vox, una voluntas, quos eatenus discordantes, nunc miro modo in uno absente homine vinculum pacis alligabat. Ita, Domino imperante, cessavit ventus, et tranquillitas facta est (*Matth.* VIII). Cujus vero tranquillitatis tam celerem eventum magis memorabilem nobis facit D aliorum temporum sive locorum nonnunquam audita vel visa tempestas, ubi quodammodo dormiente sive absente Jesu, non ante motus maris sedatus est, quam multus animarum, imo et corporum rerumque cæterarum periret ac profligaretur numerus. Nimirum justo Dei judicio propter peccata inhabitantium, ubi tale quid accidit, ascribendum est. Nam quod naviculæ Coloniensis Ecclesiæ, dum illis discordiæ fluctibus jactaretur, tam cito, ne ad arma pervenirent, subventum est, misericordiæ divinitatis ascribi debet. Porro meritorum beati viri in hoc quoque evidens astipulatio est, quod oblato ad electionem nomine ipsius, animosa cleri, et

A populi discordia quievit, et pax reddita est. Subtiliter namque attendentibus res ipsa loquebatur, quod mitteret illum *princeps pacis* (*Isa.* IX), *lapis angularis, et pax nostra Christus, qui fecit utraque unum, qui inimicitias interfecit in semetipso* (*Ephes.* II), et *per sanguinem suum pacificavit omnia, quæ in cœlis et quæ in terris sunt* (*Coloss.* I).

CAPUT VII.

Ut pro electione ejus imperator gravisus sit, et quam sapienter electionis ejus gratiam acceperit.

Igitur cum præsentia Domini electio memorabiliter celebrata est servi fidelis, et hæc tam a Deo quam ex hominibus continuo testimonium laudemque habere meruit. Siquidem et imperatoris supra memorati cor jam tetigerat manus Domini, ut per B hunc virum sedaret jam fama compertos sibi motus civitatis discordantis. Nam, et cum pecunia tenta-
254 retur ab alio, quem (ut jam supradictum est) acclamaverat dissensio populi, ipse responsum differens, contemptumque oblatæ pecuniæ dissimulans, hæc interim a territorio Beneventano, ubi tunc temporis commanebat, manu propria beato viro scripsit, tunc Ravennæ cum civitatis ejusdem antistite jussa ab imperatore negotia peragenti: « Otto imperator Augustus sola Dei gratia, Hereberto Archilogothetæ gratiam et Coloniam et pallii cubitum unum. » Ubi vero Coloniensium adfuit legatio, viri complures honorati, tam de clero quam de populo, et qui in utroque ordine videbantur præstantissimi, cum quibusdam de principibus terræ maximis, electionem coram C deprompserunt personæ talis. Talis vero vehementer exhilaratus idem imperator, prudenti consilio civitatis grates non minimas egit; quia quod ipse optabat, quodque optimum sibi videretur, hoc ipsi quoque sentirent et el gerent uno eodemque secum spiritu ita prorsus evidenter huic ostiarius aperuit, intraturo in ovile ovium, pacificans cunctos in electione ejus, ut nullum fieret obstaculum. Hæc omnia vir venerabilis revera sapienter accepit: qui interea petens Ecclesiam, stratus solo, gratiarum cœlestium largitori Domino Deo toto mentis affectu grates egit, non utique pro gloria temporali exsultans, sed supernæ benedictionis munus adorans. Quomodo enim non gauderet, qui se tam evidentibus experimentis Deo curæ esse perspiceret? Imitatus namque est sanctum regem et pro- D phetam David, cui cum audisset sermonem Domini, per prophetam Nathan dicentis: *Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus: ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum* (*II Reg.* VII), etc., *ingressus est et sedit coram Domino, et dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia ?* (*Ibid.*) Et subjunxit: *Nunc igitur, Domine, sermo quem locutus es famulo tuo super domum ejus, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es* (*ibid.*). Hæc et cætera cum diceret rex fortis, sapiens et humilis, exsultabat non utique

pro temporali memoria domus vel templi manufacti quod illius ejus Salomon facere habebat nomini Domini, sed pro æterna Christi, sui secundum carnem filii et Ecclesiæ gloria, quam in illius Salomonis filii sui et templi ejus figura prophetico spiritu intelligebat. Hoc nimirum exemplo, hic beatus egit, et agere debet omnis qui vocatur a Domino, ut domui Dei rector, sive ovibus Christi pastor præsit: non humanam gloriam, sed divinam amplectendo gratiam, quia profecto magna gratia est, pastorem et episcopum esse animarum, computanda inter dona maxima, quæ *dedit hominibus ascendens Christus in altum* (*Ephes.* IV). Nam et Apostolus cum dixisset: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia; et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas* (*ibid.*), secutus est et ait: *Alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum* (*ibid.*). Recte igitur, et sapienter hic pro collato sive conferendo benedictionis et pastoralis gratiæ munere grates egit.

CAPUT VIII.

Quam liber ab ambitione fuerit, et de morte Argentinensis episcopi.

Jam de ambitionis vitio quam liber ab illo fuerit, cum tota ejus vita indicio sit, illud quoque memorabile testimonium fuit, quod VIII Idus Julii, quæ dies sancti Kiliani martyrio erat celebris, cum creari deberet archiepiscopus, differri in crastinum præoptavit, propter præsentes exsequias lugubres quæ ibidem agebantur, Strasburgensis episcopi; videlicet ne aliis lugentibus et flentibus, ipse ridere videretur cum suis, memor Scripturæ dicentis: *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimis suis benedictione carebit* (*Prov.* XX). Et revera dolendum erat pro exitu ejusdem episcopi, quia videlicet terribiliter acciderat, præeunte signo non bonæ æstimationis. Nam, cum ille mitra redimitus missarum solemnia celebrare ingrederetur, ubi se ad populum vertit, dicturus de more: *Pax vobiscum*, imperatorem intendens, tanto risu solutus est, ut funditus oblitus esse videretur ad quid se convertisset. Ut vero ad prandium ventum est, cunctis pariter considentibus, percutitur morbo pleuretico, interque manus ad proprium delatus hospitium die decimo quarto reddidit spiritum. Viderat autem ante annos septem, ut solitus erat narrare visionem: videlicet astitisse sibi senem quemdam, veste purpurea pontificalique redimitum infula, qui se profitens esse Kilianum episcopum, tale, inquit, ille mihi protulit oraculum: « Age per hos septem annos; episcopum decent opera; quia non longius tibi a Domino vitæ spatium positum est. » Quomodocunque ille visionem acceperit, qualitercunque se præparaverit, qualiscunque in illa hora suæ mortis inventus fuerit, recte nimirum sapienti huic talis, ut prædictum est, illius exitus meditationem mortis renovavit vel auxit, magnumque fuit temperantiæ ejus indicium, quod pro tempore flendi, differendo, sibi vel suis tempus gaudendi, tristibus exsequiis privatus interesse maluit.

CAPUT IX.

Quanta cum humilitate Coloniam venerit, et quando consecratus fuerit.

Et quidem Beneventi pontificalis ei honor datus est VII Idus Junii. Et exinde Romam profectus, pallium ab apostolicæ sedis præsule accepit, sed civitatem Coloniam ingressus est, et in sede sua dedit die, quæ apud Christianos non incognita est, scilicet in vigilia Natalis Domini. Quo cum accederet jamque in vicino adesset, dignum memoria est qualiter apostolicæ doctrinæ recordatus est, qua dicitur: *Obsecro autem vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine* (*Ephes.* IV). Nam vere humilis et mansuetus pallio missionis apostolicæ præmisso, ipse indutus linea, discalceatusque lento pede secutus est, cum frigus hiemale pro tempore calceatis quoque permolestum esset. Attendebat etiam vocationem suam quod non ad regna gentium, sed ad ministerium vocaretur sanctorum Christi discipulorum. Et quamvis ad insignem jam veniret suam civitatem Coloniam, tali schemate confitebatur cum beatis patriarchis, quorum Apostolus **255** meminit, quod peregrinus et hospes esset super terram, patriam se quærere significans meliorem (*Hebr.* XI), id est cœlestem, et eam quam paravit illis Deus, civitatem. Venit itaque duce Spiritu sancto, spiritu humilitatis, cum animo contrito, non tamen absque sancto et spirituali gaudio, et sicut superius jam prælibatum est, ipsa nocte gaudii nostri; scilicet natalis Domini, consecratus est inter missarum solemnia, quæ ex more celebrabantur paulo ante vel circa ortum diei. Venerant quippe ad hoc ipsum cum eo plures episcopi. Jam vero in illa consecratione ejus qui divinam ordinationem non miretur? Quis non veneretur hic altitudidem consilii divini, quo ita fieri complacuit? Denique totum illud officium matutinum sanctis pastoribus ovium Christi Spiritus sanctus composuit, quorum nimirum mysticum exemplar pastores illi fuerunt, qui nocte illa *vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gregem suum*, circumfulgente se claritate Dei, nuntium bonum, gaudium magnum nati Salvatoris, quod a sanctis angelis primi audierant, videre meruerunt, sicut sanctum ejusdem missæ narrat Evangelium (*Luc.* II).

Cunctæ nimirum ejusdem officii partes, pastorum Ecclesiæ voces sunt, quales rationabilibus curæ suæ ovibus personare debent, natum de virgine pro salute mundi salvatorem. Plane nisi legentium vitandum esset fastidium, promptum erat exponere partes singulas secundum ejusmodi sensum. Unum tamen est quod jure non prætereundum sit, videlicet propheticum capitulum, quod in eodem officio lectionem apostolicam ex more procedit: maxime quia hujus sancti pastoris personæ locus ille miro modo sese accommodavit. Denique dum in consecrando illum

episcopi duo codicem Evangeliorum super caput cervicemque ejus tenerent, revolutio mox eodem codice versiculus iste primus occurrit. *Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, ad evangelizandum pauperibus misit me* (*Isa* LXI). Propheticum namque hoc Isaiæ capitulum evangelicis litteris hoc modo insertum est : *Et regressus est Jesus*, inquit Lucas, *in virtute Spiritus in Galilæam, et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est ei liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum in quo scriptum erat : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me. Evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. » Et cum plicuisset librum, reddidit cum ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere eis : Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris* (*Luc.* IV). Constat ergo quia persona Christi est, quæ hæc in propheta suo de semetipso loquitur, At ille nimirum non solum unctus, sed unctus est præ omnibus, sicut alia Scriptura dicit : *Unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV), omnes namque sancti, omnes quicunque illius speciosi et gratiosi regis participes sive consortes sunt, eodem spiritu, eodem oleo lætitiæ uncti sunt. Quippe qui nec sancti absque unctione hac ullo modo esse possunt. Cum itaque universos ejus participes unctos esse constet eodem Spiritu Domini, de quo illi princeps et potentissimus dicit : *Spiritus Domini super me*, etc. contestans et dicens : *Quia hodie Scriptura hæc completa est in auribus vestris*, sine dubio præsules Ecclesiarum, quorum est pauperibus evangelizare, et prædicare captivis remissionem, et ad hoc sacro chrismate uncti sunt, ipsi singuli scire debent, et de semetipsis post Christum dicere possunt : *Spiritus Domini super, me, propter quod unxit me*, etc. Igitur dum in hujus beati pontificis unctione, aperto super caput ejus evangelico volumine, primam Scriptura sancta vocem hanc edidit, revera jure omnes, qui aderant, venerabiliter pro vero divinitatis oraculo sententiam arripuerunt, credendo quia Dominus hunc misit, non dubitando, quia hunc Spiritus Domini unxit. Cum hac lectione prophetica, sicut est ordo ejusdem officii matutini, consonantibus atque alternantibus choris, concrepabant divinæ voces sacra præconia lucis, et decoris, quem princeps pastorum, Deus et Dominus noster induit, qui nocte illa illuxit nobis : de quibus non est modo explanatio continuanda, ne, sicut jam dictum est, prolixitas fastidium pariat. Hoc tantum indubitanter dixerim, quia quædam singa erant hæc persistentis in tenore suo propositi Dei, qui, et dum nasceretur hic beatus, splendorum lucis pro signo mirabiliter edidit, et dum consecratur, sic eamdem consecrationem disposuit, ut solemnia circa illum audirentur præconia veri luminis, cujus nuntii debeant esse pastores cuncti animarum, secundum A exemplum pastorum illorum, quos nocte illa claritas Dei circumfulsit.

CAPUT X.

Ut quorumdam sustinuerit invidiam et Henrico imperatori cœperit esse suspectus.

Tuum est hoc opus, Christe, cujus sermo verus est, imo qui es ipsa Veritas (*Joan.* XIV), cujus sententiam permanere oportet, dicentis : *Non potest civitas abscondi super montem posita* (*Matth.* V). Item : *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modo, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant* (*Luc.* XI). Sed quæ unquam civitas sic super montem posita, non invidiam passa, et oppugnata est a civitate Cain terrena et in valle posita, cujus princeps est Satanas? Aut quæ unquam B lucerna sic super candelabrum posita fuit, ut nullus ei nequam oculus invidit? Quod ut jam manifestius dicam, quis unquam sanctorum ædificatus in monte virtutum, verboque et exemplo lucens ad ædificationem videntium et audentium, nullam ab iniquis et invidis passus est tribulationem? Quis inter supernarum gaudia gratiarum propriam non habuit mensuram ejusmodi lacrymarum, quas faciunt filiis locis habitatores Cedar, id est tenebrarum? Nam hoc est quod in psalmo gementes singuli dicunt : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX). Et quamvis tribulentur, non tamen permittuntur tribulari sine mensura, id est supra id quod sustiC nere possunt. Item ipsi dicunt : *Domine Deus virtutum, cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX). Oportebat igitur et hunc sanctum, cujus anima, regis Dei civitas supra montem posita, qui lucerna erat super insignis Ecclesiæ candelabrum constituta, oportebat, inquam, et hunc pati adversa inter prospera virtutum quibus intus proficiendo ardebat, et inter radios signorum, quibus foris ad gloriam Dei lucebat, sicut protinus narrationis **256** ordo monstraturus est. Quomodo autem vel qualem per occasionem adversitas in eo reperit aditum? Videlicet per ingentem muri vel præcelsæ turris ruinam, id est per mortem imperatoris sæpedicti, cujus, dum adhuc viveret, amicitia pro muro illi esse poterat conD tra adversarios quo contra eum postmodum invidia suscitavit. Qui nimirum imperator, ut in cæteris ita et in causa per quam mortem incurrit, consilium beati viri attendisset, multo melius sapientiæ appropinquasset, et non pœnituisset eum. quemadmodum ipsa Sapientia dicit : *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* (*Eccli.* XXXII). Quod quia non fecit incidit in insidias mulieris malæ, videlicet ejus cujus virum Crescentium, sibi rebellantem, captum jusserat capitalem subire sententiam. Et ab illa non præcavens, quamvis a sancto viro sæpius esset commonitus, veneno intra cubiculum dormiens infectus est. Obiit itaque Romæ anno post ordinationem

beati viri tertio. Ierat autem tunc quoque sanctus idem cum illo, utpote ad disponenda pernecessarius maxima regni negotia. Cui cum die sequenti confessus fuisset pestem quam perceperat, seque mori persensisset, id quoque supremum ab eo postulavit, quatenus corpus ejus Aquisgrani sepeliendum transferret. Hoc agere insistens vir fidelis, regalia quoque penes se habuit, et electioni non interfuit novi principis Henrici, tunc Bajoariorum ducis: quem secundum sæculi dignitatem locupletissimum, et litterarum studiis non tenuiter instructum principes regni regem sibi elegerunt. Hæc fuit occasio quam adversus illum rapere potuerunt adversarii, quales in Ecclesia nunquam defuerunt, ex quo sacrificia Deo primi obtulerunt Abel et Cain (*Gen.* IV), scilicet falsi fratres, quibusve Scriptura dicit: *Quia abierunt in via Cain* (*Jud.* 11), quorum pressuram Apostolus quoque inter cætera pericula sua maxime gemit (*II Cor.* XI). Et quidem regalia repetita cito reddidit; sed quia novi, ut jam dictum est principis electioni non interfuit, extunc illi suspectus erat. Unde et idem rex obtrectatoribus sancti pronius aurem præbebat, denique impacato sæpe eum odio persecutus est, donec a Domino redargui meruit paulo ante obitum sancti, quod in suo loco præsens narratio non præteribit. Nunc memorabilium operum ejus ad laudem Domini miracula percurramus.

CAPUT XI.

De siccitate, et quomodo per speciem columbæ gratia Spiritus sancti super eum apparuit, utique lacrymis suis repentinam de cœlo pluviam obtinuerit.

Res ipsa, quæ jam nunc enarranda est, satis lucide commendat, non casu, sed per divinam dispensationem id quod supra memoravimus, evenisse, ut scilicet in consecratione sancti præsulis prima se ex Evangelii codice offerret illa vox misericordis pontificis Christi: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (*Isa.* LXI). Subsecuta namque postmodum siccitas, peccata populorum vehementer arguebat, ut fere omnis herba præmortua, omnis ager exustus, non qualemcunque famem, sed famem mortiferam jamjamque minaretur. Denique cum siccitate pestilentia quoque sæviebat, multique moriebantur, multi adhuc ægra vix trahebant corpora. Erat ergo piissimo pontifici non parva vel qualiscunque sollicitudo, sed et in sollicitudine compatientis animi tribulatio et in tribulatione jugis et lacrymosa oratio. Unde quia ferrum pertransibat animam ejus, et in corde ejus gemebat Spiritus sanctus, sicut dicit Apostolus: *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII), meruit et populum reconciliare Deo, sicut de Sacerdote magno et digno quidam Sapiens dixit: *Et in tempore iracundiæ facta est reconciliatio* (*Eccli.* XLIV), et inter reconciliandum, glorioso glorificari miraculo. Indicto jejunio triduano, luctuosus ibat populus per urbem fecundam tot sanctorum millibus, et ad singulorum patrocinia locorum fideliter atque suppliciter

A lacrymosas fundebat preces quatenus ab imminentibus jamjamque præsentibus malis eriperetur. Erat autem publicus cleri et populi, monachorum quoque atque sanctimonialium processus, et ex omni ordine utriusque sexus, lingua quidem diversa, sed una intentione et eodem sensu concrepando *Kyrie eleison*, altitudo cœli pulsabatur. Inter omnes et præ omnibus mœstus et supplex tristium filiorum spes et pater patriæ procedebat archiepiscopus, ita vulnerato corde tantisque cum gemitibus, ut miro modo consolatione sua dignum eum judicaret Spiritus sanctus paracletus. Cum igitur ab oratorio Sancti Severini litania solemnis egressa, Beati Pantaleonis adiret oratorium, ecce nivei candoris columba, videntibus multis, caput ejus circumvolabat eadem-
B que repente disparens, iterum visibilis comparebat. Videbant eam multi, sed non omnes, quia videlicet non terrena species, sed cœlestis erat gratia, quam aliquibus videre donatum est. Ut autem ventum est ad locum, ubi jam dictus confessor Domini Severinus in transitu beati Martini voces angelorum psallentium audire meruit, vident eminus eamdem columbam caput beati vir tertio circumvolantem, quæ et protinus in sublime elevata, cœlos petiit, nec ultra comparuit. Unde quis dubitet Spiritus sancti gratiam qualis in domo pectoris ejus habitat, talem deforis apparuisse, præsertim in tali luctuoso tempore? Columba namque, sicut et turtur, avis gemituosa est, gemitumque pro cantu edere solet, et sicut illa solivaga, sic ista avis gregatim gemere consuevit. Verissime ergo cum signo hujusmodi orantem pariter
C et gementem præ omnibus hunc designabat Spiritus sancti gratia, et de isto quoque quodammodo idipsum dicebat quod de alio quodam non ignoto, sed eximio propheta, dictum sacra narrat pagina: *Hic est fratrum amator et populi sui, hic est qui multum orat pro populo et pro civitate ista* (*II Mach.* XV). Nimirum et iste vir in populo suo mitissimus apparuit, secundum similitudinem columbæ mitis et simplicis, sancto redundans spiritu pietatis, atque idcirco gemitus et oratio ejus perire non potuit. Nam ubi ad prandium ventum est, cum ipse appositis cibis fere jejunaret, ita tamen more suo, et tunc maxime jejunium dissimularet: quibusdam ad ipsum respicientibus, et cum dolore loquentibus, quod ea die profusis tam multorum lacrymis necdum propitiato
D Domino cœlum aperiretur, dignum memoria verbum respondit hic beatus, vere mitis, vere mansuetus: *Vestri, inquit, o charissimi, pastoris est culpa, quod cœlum desuper tam ferreum est, quod multitudo viscerum Domini et miserationum ejus continuerunt se super vos. Nisi enim Dominus meis iratus esset sceleribus, qui inter ipsum et vos debebam stare medius, jam dirupisset cœlum, et beneficium ejus descendisset et stillasset pluvia super vos.* Hæc eo dicente, pariter quasi quidam sanguis **257** fluebant animæ vulneratæ ex oculis lacrymæ; quas erumpentes, et cum impetu currentes coram multis volebat quidem sed non poterat continere. Lacrymis ergo victus, caput super mensam declinavit in-

manibus, et cum fortissimo spiritu Deo forti humilitate atque ardenti oratione luctabatur. Erat autem hora eadem tanta cœli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret, cum ecce subito fragore magno pluviæ vis inundando erupit, ita ut prius imbrium crepitus audiretur quam vir sanctus caput ab oratione sublevaret. Cuncti protinus circumsedentes, a mensa sese excusserunt, et prosilire conati sunt, ut in laudem Christi tantique ejus pontificis hymnis personarent, et signa ecclesiastica concrepare facerent. At ille vir providus et humilitatis suæ custos vigilantissimus, terribiliter adjurando illos, hoc fieri vetuit, vixque obtinuit ut interim quidem a semetipso quiescerent, Dei vero laudem ac gratias Christo agendas nunquam tacerent. Nec vero insufficiens pluvia tunc exstitit, sed ita uberrime terram irrigavit ut jam præmortuas segetum radices ad fecunditatem repararet.

CAPUT XII.

Quod communi proposito suo et imperatoris Ottonis ipse superstes cœnobium construere deliberavit.

Interea cum multis et magnis misericordiæ operibus insisteret pauperum pater, viduarumque et orphanorum quotidianus provisor, incumbebat animo ejus cura continua, servituris Deo monachis construere cœnobium: quorum ordo videlicet profitetur, quia pauperes sunt pauperes voluntarii, nihil in hoc mundo habendo proprium. Habuerat autem imperatorem Ottonem dum adhuc viveret, hujusce rei monitorem. Denique cum novissima profectione Italiam ingrederetur rempublicam dispositurus, beatum virum habens in comitatu, cunctis prospere succedentibus, tractans cum viro Dei de salute animæ suæ, et quodammodo dicens: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* LXV)? consilium hoc accepit, quatenus ob salutem suam cœnobium construeret monachorum in honorem sanctæ Dei Genitricis, omniumque sanctorum. Hoc inito salubri consilio, necessaria protinus ad hanc rem prædia Christo delegavit, quæ et beato viro in manum dedit, cum pollicitatione vel sponsione hujusmodi ut quoniam vita mortalium incerta est, si quem ex ipsis necessitas mortis præoccuparet, alter quicumque superstes existeret, votum perficeret. Talis, Christo mediante, inter illos conditio convenit, et ita pauperum memores exstiterunt viri summi, hæredes æternæ viriditatis, de qualibus in psalmo spiritus propheticus dicit: *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit* (*Psal.* CIII). Hoc namque præconio, sub nominibus lignorum campi et cedrorum Libani, mystice a sancto Spiritu divites et potentes sæculi promissi sunt, hospitales futuri pauperibus, item Ecclesiæ filii spiritualibus, de qualibus ibidem continuo subjungit: *Illic passeres nidificabunt; herodii domus, dux est eorum* (*ibid.*), id est Christus, qui per avem herodium significatur, provisor est eorum qui propter ipsum pauperes fiunt, præparando animos divitum sæcularium, ut quomodo passeres in ramis lignorum

A campi cedrorumque Libani nidificant, ita ipsi in possessionibus sine facultatibus illorum parata sibi vitæ hujus necessaria percipiant. Hæc idcirco commemorare libuit ut pariter recogitet quisque, qui de tali um constituto vivit, professus Christi spiritum sanctamque paupertatem quam Christus ipse docuit, quia tanquam passeres volare, id est cœlestia cogitare debet, ut dignus sit hospitio vel stipendio, quod passerum, id est pauperum sive humilium spirituali vitæ paratum est. Nam hinc est quod idem Dominus Christus, instruens pauperes suos: *Nolite*, inquit, *cogitare de crastino* (*Matth.* VI). (*Luc.* XII) Item: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester cœlestis quid vobis necesse sit.* B *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*ibid.*). Quod idem est ac si dicat: Securi, *o vos omnes*, quod *laboratis et onerati estis, venite ad me, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI), securi et confidentes venite ad vitæ contemplativæ requiem, nihil de crastino solliciti, id est quia jamdudum Pater vester cœlestis, sciens quid vobis necesse sit, promisit, et paravit vobis victum et vestitum, dicendo in Propheta: *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit; illic passeres nidificabunt.* Sed his omissis, revertamur ad rem. Neque enim propositum nobis fuerat docere monachos, quod statuta percipere stipendia non debeant, nisi per contemplationis pennam volent, et a servili opere peccati vacent, sed gestorum C beati viri texere narrationem.

CAPUT XIII.

Quod sancta Dei genitrix illi apparuit, et quo in loco cœnobium construere deberet, indicavit.

Cum igitur beatus Herebertus propositum electo in loco construere optaret cœnobium, et nusquam locum reperiret quem aptum putaret satis et idoneum, convertens sese ad Dominum sanctamque ejus genitricem in jejuniis et orationibus, postulabat sibi ipsius revelari voluntatem. Fecit hoc instanter, et sicut de sancta Anna prophetissa scriptum est: *Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I), non ante destitit, donec suis condignum meritis responsum cœlitus accepit. Denique nocte quadam, dum post vigilias fatigata sopori membra D dedisset, ecce adest per visum illa beata angelorum et omnium Regina sanctorum, quæ stellato sedens solio, latum et amplum cœlorum cum filio suo possidens regnum, non parvipendebat etiam hoc parvum, quod sibi in terris fideli devotione offerebatur domicilium. Et assistens: *Scias*, inquit, *o Hereberte, exauditas esse orationes tuas, jam ecce venio ad te, ut indicem tibi votum quod mente geris, quo in loco perficias. Ego enim sum Maria mater Domini. Surge ergo, et Divitense castrum petens, locum in eodem mundari præcipe: ibique monasterium Deo, mihi et omnibus sanctis constitue, ut ubi quondam abundavit peccatum et cultus dæmonum, ibi justitia regnet in multitudine sanctorum.* His dictis, misericordiæ

mater disparuit, beato scilicet viro evigilante, atque ita relabente a dulcedine tantæ visionis. Erat autem in eodem castro sita curtis, pertinens ad servitium episcopi. Surgens igitur, et gratias Deo corde et ore devotissime agens, et ei, quæ sibi apparere dignata fuerat, salutis perpetuæ Genitrici non ingratus existens, confestim prædictæ curtis ministerialem accersivit, jussitque quantocius curtem illam emundari, quoniam Regis cœlorum et Genitricis ejus jam deberet curia fieri, ut exportata supellex universa, locum daret advenienti, atque habitaturo illic nomini Domini. Factumque est, et exportata rerum omnium quæ multa erat copia, citius quam sperari poterat, locus emundatus est. Quid multa? Jactis fundamentis, alacriter atque celeriter structura speciosa surrexit.

258 CAPUT XIV.

De structura templi, ut ceciderit, et alia structura surrexit, et cujus rei exemplum convenienter inde possit accipi.

Sed quid dicam? cum opus fere peractum esset jamque sicut propositum fuerat, servientium Deo monachorum cœtus adunatus existeret, quando nocte dum finitis matutinorum solemniis, omnes fuissent egressi, repente sic tota structura concidit ut lapis super lapidem non remaneret, præter unum parietem parvulum, qui solus inter illas ruinas stans repertus est. Quid de hoc eventu sapiens auditor arbitretur? Nisi enim cœlesti auctoritate structura surrexisset, nisi talis tamque sublimis personæ, quæ apparuit, sicut jam dictum est, dignitas opus tali in loco fieri jussit, et nisi fundator operis hic pontifex notæ sanctitatis existeret, fortuito accidisse arbitraremur. Nunc autem considerata rerum vel personarum qualitate, arbitrari licet, divina et justa hoc actum esse dispositione. Et quidem quoniam altitudinem divini consilii perspicere non valemus, hoc tantum dicere licet, quia cunctis loca sancta inhabitantibus et eis maxime qui eodem in loco sanctum deinceps subituri erant servitium, terribile signum datum est. Nam quod veraciter de filio Virgini dictum est: *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum* (*Luc.* I), idipsum non inconvenienter de isto, et ejusdem Virginis oratorio, et de omni sanctorum loco dici potest, quia in ruinam et resurrectionem multorum positus est. Quorum in ruinam, nisi illorum qui sancto in loco vitam perditam ducunt, et idcirco majus portaturi sunt judicium? Et quorum in resurrectionem, nisi illorum, qui de sancto nequam exeuntes, et peccata præterita fugientes, ad sanctum locum, pœnitentiam acturi, confugiunt, atque ita in statum justitiæ resurgunt? Nimirum et illorum ruinam in jam dicta ruina lapidum, et istorum resurrectionem non absurdum est intelligi in structura iterata, quæ protinus in melius consurrexit. Nam vir Dei graviter quidem tulit ita quod accidit, sed cito resumptis viribus sancti desiderii, totum ipsum spatium ædificandi monasterii in altitudinem mali navalis effodiens, rursus fundamenta fecit, ociusque consummatum, quinto Nonas Maii monasterium dedicavit. Porro de lapidibus prioris structuræ, claustrum cum officinis construxit. Igitur dum ejusmodi rem gestam legis aut recolis, quicunque mente studiosa exempla spiritualium de quorumlibet corporalium similitudine scrutari delectaris, non curans quali fine, quam humili ex re tuæ capias instrumenta salutis, dummodo possis utiliter ædificari, opportune simul et illud ad memoriam redit, quod manifeste divina cum auctoritate scriptum est, ubi Dominus ad Prophetam dicit: *Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. — Et descendi, inquit, in domum figuli, et ecce faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis. Et conversus, fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret* (*Jer.* XVIII). Hæc et cætera persequi vel tractare, præsentis narrationis propositum non admittit, hoc breviter studio intendente, quatenus hoc loco ad memoriam revocaretur, in omni ordine et superbos pro sua duritia cadere vel dissipari, et humiles pro sua mansuetudine ad pœnitentiam conversos, restaurari.

CAPUT XV.

De cruce Dominica, quæ non de qualicunque ligno, sed de una tandem arbore formari potuit, et cujus rei etiam in hoc exemplum sit.

Accidit et aliud, quod similiter non prætereundum neque ratione vacare putandum. Nam vir Domini statim ut ecclesiæ fundamenta jecit, crucem Dominicam, quæ ibidem statuerunt, formari præcepit. Artifices vero vigilanter quidem institerunt, ut præceptum perficeretur, sed nullo modo diligentiam sequebatur effectus. Quotidie rejectis aliis alia ligna cædebant, et nullatenus ex quolibet ligno, quamvis electo, suæ artis officium peragere volebant. Multo igitur labore, sed et majore defessi tædio, omnino ab ejusmodi opere desistere decreverunt. Quadam vero die vir beatus in quamdam devenerat possessionem ad se pertinentem, mensaque illi jussu ipsius in pomerio, quod domui suæ contiguum erat, parata est. Stabat prius ex adverso in altum porrecta, quæ ramis diductis, imo quasi brachiis distentis, quodammodo Domini effigiem manus in cruce expandentis, imitari videbatur. Cum itaque sedens oculos inter prandendum fortuitis motibus deduceret, ecce talis effigies in arbore illa repente sese objecit, miroque modo ad primum intuitum quemdam terrorem divinum animo ejus incussit. Nec mora, facto præ oculis illo familiari sibi signo crucis, totus in se rediens, rem divinitus prævisam suisque oculis oblatam esse prudenter intellexit. Statim igitur accersito artifice, arborem illam succidi, et ex illa crucem Dominicam, et in ea Salvatoris imaginem diligenter formari imperat. Paruit ille, et compendio satisque efficaciter artem operis elegantia secuta est. Quid ex facto hujusmodi conjici potest? Nunquid de lignis aut de truncis Deo cura est, ut indicare debeat quod vel quale lignum sibi eligat aut eligere debuerit artifex? Sed revera est aliud, unde curat Deus, quod

prudens auditor non inutiliter secundum hanc similitudinem contempletur. Nam signum crucis vel imaginem, quam in recordationem Salvatoris Christianus veneratur populus, sublevatam ante oculos, sicut Moyses in deserto serpentem æneum pro signo exaltavit (*Num.* XXI), imitari honore secundarii debent pastores, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (*Act.* XX), quam suo sanguine acquisivit, ut vice Christi honorentur quos vicem constat agere Christi. Hi nimirum non humana præsumptione ad dispensationem domus Dei sunt intrudendi, sed electione Dei vocandi, ut videlicet ille constituatur quem Deus elegerit, quem ut præesse mereatur, Deus velut operarium suum dignum Spiritu sancto demonstrare dignatus sit. Recte ergo hujus veritatis, hujus divinæ electionis meminisse nos facit res ipsa, quæ pene similiter accidit, dum non qualecunque lignum, non quodcunque volebant homines artifices, sed quod nutu divino monstratum est, ad ejusmodi operis effectum perduci potuit.

259 CAPUT XVI.

Quod faciendo signa, semper famam vel gloriam fugit, et de Eliseo, cur signa duplicia quam Elias facere voluerit, dicens : « Oro ut fiat spiritus tuus duplex in me. »

Operandi virtutes hic beatus a Spiritu sancto, dividente singulis prout vult (*I Cor.* XII), gratiam habuit, sed gloriam semper fugit ; quippe qui egregie custos humilitatis, nolebat, imo fugiebat, justitiam suam ab hominibus videri. Denique talium maxime operum luce, sanctorum vita coram hominibus innotescit. Hujus rei clarum satis et evidens indicium est, quod cum gratiam hanc haberet, ut jam dictum est nunquam tamen precem ad Dominum fudisse reperitur pro cujuslibet operatione virtutis, sed nihilominus per eum nonnulla facta sunt miracula ejusmodi, nonnunquam invito, nonnunquam et nesciente ipso, sicut sequens sermo declarabit. Verumtamen in hac laudatione humilitatis hujus, nihil magnorum sanctorum auctoritati vel gloriæ derogatur, qui opus hujus gratiæ fusis persæpe precibus impetrasse leguntur. *Omnia* namque *tempus habent*, dicit Ecclesiastes (*Eccle.* III). Denique sicut de generibus linguarum, quæ ab eodem spiritu dantur, dicit Apostolus : *Quia linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus* (*I Cor.* XIV). Ita et de operatione virtutum recte dicas quia virtutes ad testimonium sunt, non fidelibus, sed infidelibus, et ibi summopere sanctis optandæ sunt ubi ignorantiam veri Dei habens, ad fidem eruditur populus. Unde sanctum Eliseum laudabiliter egisse animadvertimus, qui dicente sibi Elia : *Pete quod vis, antequam tollar a te* (*IV Reg.* II), protinus petens : *Oro* inquit, *ut fiat spiritus tuus duplex in me* (*ibid.*). Videbat namque miserabilem Israel, sequentem fornicationes impiissimæ Jezabel, claudicare in duas partes (*III Reg.* XVIII), sequendo Baal idolum Jezabel, et hæsitando post Deum patrum suorum, qui unus et verus Dominus Deus est, et non posse populum eumdem in suum restitui gradum, nisi per multarum operationem virtutum. Proinde rem difficilem quidem postulavit, attamen quia non suam, sed Dei gloriam, et communem quærebat populi salutem, factum est quod petivit, et duplex spiritus Eliæ super eum requievit. Duplum namque donum spiritus in operatione virtutum ille accepit. Nam si Scripturam consulas, et diligenter computes, Elias quidem octo, Eliseus autem circiter sexdecim miracula operatus est. Igitur et illi laude digni sunt sancti qui per charitatem vel propter ædificationem infidelium, fusis ad Deum precibus, virtutes operati sunt, et hic atque cæteri jure honorandi sunt, quicunque propter humilitatis custodiam quodammodo fugere studuerunt datam sibi cœlitus, et ultra prosequentem, eadem virtutum gratiam. Sed jam earumdem virtutum sancti hujus narrationem ingrediamur.

CAPUT XVII.

De homine dæmoniaco, ut eo sermonem faciente liberatus sit.

Dei solemni hic sanctus Dei, sermonem de more faciebat ad populum. Erat autem dies ille, quem Christianitas appellat diem Palmarum, quo videlicet die Rex cœlorum sanctam ingressus est civitatem Hierosolymam, sedens super pullum asinæ (*Matth.* XXI), nimirum ob contemptum superbiæ regum terræ, de qualibus Psalmista dicit : *Hi in curribus et hi in equis* (*Psal.* XIX). Subjungens protinus : *Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* (*ibid.*) In quo videlicet nomine tunc ille passurus advenit clamantibus turbis : *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI) : Erat ergo sermo in ore ejus tempori et rei congruens, videlicet quomodo diabolus per seductionem primi hominis, atrium hujus mundi tanquam fortis armatus occupaverit, et quomodo superveniens fortior Filius Dei, per humilitatem crucis et passionis suæ, fortem illum vicerit et universa ejus vasa, id est nos homines ab eo jure victoris tulerit (*Luc.* XI). Ecce autem in maxima turba audientium quidam aderat, ab eodem forti et tenebrarum principe corporaliter obsessus, et ob hoc nexibus duris obstrictus. Jam antea per multa sanctorum loca fuerat deductus, ut meritis sanctorum liberaretur, et non provenerat illi optata salus, quia videlicet liberatio ejus, beatissimi hujus meritis per Dei providentiam reservabatur. Cum igitur sermo ejusmodi ob ore beati viri proflueret, non sustinuit virtutem veritatis fortitudo inimici, qui ad singula dicta, tanquam ad totidem verbera, vehementius ejulabat, dentibusque miserrimi hominis tanquam sui, in semetipso stridebat, audiens illas quibus a Christo victus narrabatur, historias. Itaque, qui jam notus fuerat multis homo captivus, omnibus innotuit, dum clamoribus cunctorum silentia turbaret, atque ad audiendum Dei verbum intentam totius regionis multitudinem solus inquietaret. Ad clamores ejus maxime, vir ille misericordiæ filius, totus intendit, et sermonem, quem habebat in ore, prosequi non prævalens, quoniam magnitudine compassionis occu-

pabatur, orabat tacita mente, ut in uno manifestaretur homine virtus Liberatoris, qui totum mundum liberavit. Hæc tacitus orans, iterum atque iterum de industria repetebat capitulum, victoris Christi gloriam, et victi diaboli referens ruinam, ita ut mente excessisse videretur, unam eamdemque toties iterando sententiam, flens pariter, ut uberrimus, quod perpulchrum est, lacrymis perornans oris eloquentiam. Non ergo sustinuit, ut jam dictum est, ille hostis antiquus, sed virtute Verbi omnipotentis coactus effugit, liberumque quem diu possederat, hominem reliquit. Illo namque exturbato, is, qui vinctus a multis tenebatur, placido sermone: *Obsecro*, inquit, *solvite me, ut ea, quæ beatus ille pontifex loquitur, possim et ego quietius audire.* Cum hæc primo diceret, putabatur adhuc in illo nequam hostis fallere, sed loquebatur homo constantius, iterum atque iterum se liberatum asserens beati pontificis meritis, et sana verba proferre. Solverunt ergo illum, et stabat sana mente, cum audientibus reliqua sermonis intentius audiens. Testes atque miratores virtutis erga beatum virum tanti exstiterunt, quanti illum sermocinantem tali in loco circumstabant, qui et diligenter attenderant ejus intuitum gestumque lacrymosum, cum nihil quidem labiis pro liberatione captivi diceret et tamen liberationem ejus tacitæ orationis virtute perficeret.

CAPUT XVIII.

De abbate Volberto, *qualiter per visum monitus, de aqua unde vir sanctus post missam manus lavit, sanitatem recepit.*

Aliud sub eodem tempore actum est virtutum ejus indicium, in quo amplius splenduit desursum, qui humilitatis studio **260** apud se premebatur deorsum. Tres namque ex eis qui male habebant, ob meritorum ejus testimonium cœlica visio direxit ad illum, tanquam ad salutis medicum. Primus illorum, cœnobii jam memorati, quod idem sanctus construxerat, abbas nomine Volbertus exstitit, vir venerabilis, qui capitis oculorumque duro ac diutino vexabatur incommodo. Huic una noctium divinitus per visum intimatum est ut ex aqua qua sanctus Dei pontifex post missarum celebrationem manus de more lavisset, caput sibimet oculosque perfundendo foveret, indubitanter credens quod protinus sanitatem recepturus foret. Credidit ille, quippe qui præ multis alii familiariter conscius erat vitæ illius sanctissimæ. Venit ergo, prius tamen ab eodem accersitus, ut sæpe solebat accersiri et requiri de monasterii jam dicti necessariis rebus. Cumque ad celebranda missarum solemnia pontifex de more pararetur, accedens propius, ut erat familiaris, visum retulit, aquam de manibus jusse ejusdem sibi, ut præmonstratum fuerat, dari poposcit. At ille quasi vehementer commotus, et quodammodo suæ mansuetudinis oblitus, in qua veraciter dicere poterat: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX): repulit a se hominem velut delirum et amentem, qui nesciret aut non vidisset Rhenum pro foribus suis præterfluentem, in quo non solum capite et oculis, sed et toto posset corpore, quantum vellet, mundari. Repulsus ille, perstitit non incredulus visioni, et a ministris ejusdem pontificis clam sibi, quod petebat, reservari obtinuit, moxque ut caput et oculos ex aqua illa perfudit, integram sanitatem recepit.

CAPUT XIX.

Ut mulier cæca, per visum monita, de vino, quo post missam digitos laverat, oculos intinxerit, et illuminata sit.

Post hunc quædam mulier, quæ multo tempore cæca fuerat, visum pene eumdem vidit. Dictum namque illi est quod si ex vino quod idem sanctus Dei post Dominici corporis et sanguinis communionem digitos de more lavisset, sibimet oculos intingeret, amissum protinus lumen reciperet. Credidit illa, dansque operam ut ostensum posset remedium consequi, protinus ut oculos vino intinxit, lumen optatum recepit.

CAPUT XX.

De muliere paralytica, quomodo item per visum monita, benedictionem ab eo flagitavit, et sanata est.

Alia deinde mulier, diu paralytica, per visum commonita est, quatenus beati viri benedictionem expeteret, confidens de virtute Christi, quod per meritum beati pontificis infirmitate propulsa, confestim sanitas succederet. Illa nihil dubitans, virorum manibus sese deferri postulavit, et secus viam collocari qua transiturus esset vir Dei. Itaque ille prætereunte clamavit, benedictionem petens in nomine Domini. At ille paululum subsistens, cum ex præsentibus cognovisset quod paralytica esset, et quod benedictionem postularet, stans eminus, elevata manu signum crucis edidit statimque reddita sanitas dissoluta membra solidavit, et quæ aliorum manibus devecta fuerat, surgens ad propria remeavit incolumis. Ita miro modo, qui apud se latere volebat, magis ac magis ex Deo clarescebat, et vox veritatis implebatur dicentis: *Non potest civitas abscondi supra montem posita* (*Matth.* V), et: *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant* (*Luc.* XI).

CAPUT XXI.

Ut familiaris clericus ab eo visitatus repente de ardore febrium convaluerit.

Aliquando quidam familiaris clericus, et in ministerio quotidiano necessarius valida febre correptus, gravissime vexabatur, ita ut pene a cunctis vita ejus desperaretur. Erat autem tunc sanctus pontifex cum imperatore in profectione, et de Vangionum civitate cum illo Moguntiam proficiscebatur, habens clericum jam dictum secum in itinere, ut semper foris et intus obsequio ejusdem consuetudinaliter utebatur. Cum ergo febris illum in profectione corripuisset, et pene usque ad mortem fatigaret, patri, semper pium super afflictos habenti affectum, cum eodem pietatis affecta sollicitudo quoque familiaris obsequii non parva pro tempore

et re suborta est. Accessit ad lectulum, summque (A) pronus visitat infirmum, paterne percontans si quid vellet, si quid saltem gustare prævaleret. Ille ut ardebat valido æstu febrium, nihil præter aquam se poscere professus est. Qua cum benedictione concessa, ipse de more solemnia missarum ingressus est. Nihil quod audiretur foris, pro virtutis operatione, ut sibi ægroti concederetur salus, oravit, sicut jam superius dictum est, quia nunquam pro hujusmodi signis aut virtutibus precem manifestam fudit. Orabat tamen, Deo quidem loquens, sed hominibus tacitus, et maxime in ejusmodi causis evangelicum consilium observabat Domini dicentis: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum* (*Matth.* VI). Clauso namque oris ostio, orabat pro talibus, ut cum provenisset (B) virtutis effectus, ipse nihil egisse putaretur, atque ita justitia ejus non videretur ab hominibus. Quid multa? Peractis missarum solemniis, dum suum rursus visitaret ægrotum, ille jam sine dubio meritis ejus de magnis febrium ignibus ac suspicionibus mortis instantis ereptus, adeo convaluerat, ut aviditatem quoque ciborum adeptus, rogaret sibi transmitti pulmentum de mensæ ipsius apparatibus. Factum est, et exinde usque ad satietatem refectus, adeo de infirmitate convaluit ut proxima die cum aliis proposito itinere Moguntiam præiret, et episcopalis obsequii munia ex integro, ut erat solitus, adimpleret.

CAPUT XXII.

Ut ipse inter tenebras noctis orans, circumfulsa divinitus luce clarificatus fuerit, et quod multoties hoc ipsum acciderit.

(C) Idem familiaris clericus, postmodum domus S. Petri præpositus, plurima de eodem patre magna et magnifica noverat et narrare consueverat. Quorum pleraque cum ob brevitatis studium præterita sint, unum est quod silentio transire non libuit, quia vere signum magnum est et evidens, quod oratio ejus vere ignis fuerit, et ante oculos Divinitatis velut lampas ardens et lucens, charitas ejus exstiterit. Nocte quadam, cunctis circa ipsum dormientibus, lumen, quod de more coram ipso positum fuerat, ut toto noctis spatio luceret, **261** exstinctum est. At ille jam dictus familiaris clericus repente somno excitatus consurgens, et hac illacque sub horridulo silentio circumspiciens, dum pro recuperando lumine sollicitus trepidat, rem divinam et memoria dignam (D) ut ipse cum juramento testabatur conspicatus est. Nam inter ipsas noctis tenebras, ecce de lectulo in quo beatus pontifex pervigil orabat expansis manibus, lux immensa refulsit, cujus etiam magnitudine invalescente continuo, nec manus easdem, ut ipse fatebatur, videre aut discernere potuit. Hoc nimirum signo satis claruit quod vere filius esset lucis, et illius diei, et quia oratio ejus vere ut ignis peccato consumit, et potestates tenebrarum vincit. Nec vero illa tantum vice, sed et multoties cum post matutinales hymnos, psalmorumque continuas decantationes lumen materiale alicubi reconderetur, lumen spiritale pontificem sanctum secretius orantem ita circumfulsit, ut putaretur adesse præsentia solis meridiani.

CAPUT XXIII.

De humilitate ejus, qui contemptum a presbyteris omnibus, pauperis cujusdam filium baptizavit.

Jam de humilitate ejus gloriosa signa præmissa sunt, quia in operatione virtutum, et Patris, qui in cœlis est, glorificationem quærebat, et se operantem, sciri vel videri ab hominibus refugiebat. Porro ipsa humilitatis virtus, tunc demum dulcis et sua perfectione laudabilis est, quando is qui intus Deo, Creatori suo sese subjicit in confractione cordis, foris quoque ad infimorum condescensionem hominum semetipsum quanto major est, tanto amplius pro re et tempore submittit. Libet igitur narrationi huic inserere rem gestam, magnæ humilitatis exemplum ferentem, et testimonio utilem, ut maxime in sacris rebus nulla ecclesiastica dignitas qualemcunque despiciat pauperem fidelem. Simul quia plerique salutarium sacramentorum ministri nimium peccant dum sacra venditant, cunctaque quæstus causa faciunt, libenter hoc illis exemplum ingrediendum est quia videlicet peccatum quoque illorum vehementer hæc res gesta redarguit, in qua sanctus iste magna, ut jam dictum est, humilitatis laude refulsit. Pauperi cuidam ex his, quos pater sanctus ope quotidiana sustentabat, infantulus natus erat. Is quia pauper erat, et quia nihil quæstus in manu habebat, contemnebatur a sacerdotibus, per totam urbem Coloniam puerulum illum circumferens, et eidem filiolo regenerationis gratiam offerri postulans. Defessus ergo et contemptus, ad sanctum recurrit pontificem, et quod tali in re contemptus esset, magna et flebili voce conquestus est. Ille ut vere sapiens, currens, inquit: *Affer illum ad me, ego enim eum habeo baptizare.* At ille: *Suscipe*, inquit, *ergo eum tu quoque de sacro fonte, et compater meus esse dignare.* Baptizavit itaque pauperculum, non pro personis nostræ salutis appendens sacramentum; suo nimirum facto et exemplo tantæ civitatis tam multos redarguens presbyteros, quod ausi fuissent fidem Domini nostri Jesu Christi habere in acceptione personarum, judicantes, ut ait apostolus, apud semetipsos, et facti judices cogitationum iniquarum. *Etenim*, inquit, *si introierit in conventum vestrum vir, annulum aureum habens, in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dicatis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut: Sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum?* (*Jac.* II). Quod si in quovis judicio jure hæc auctoritas apostolica redarguit acceptores personarum, quanto magis in dispensatione sacramentorum quæ de cœlo gratis profluxerunt, vir sanctus exemplo suo redarguere debuit paupertatis contemptum? Recte igitur gradiens secundum regulam vel consilium Sapientiæ dicentis: *Si bene feceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa* (*Eccli.* XII), tradidit

sacramentum salutis, non personæ intendens, sed creaturæ formatæ ad imaginem Dei : et ipse de sacro fonte suscepit puerum, factusque compater, dedit patri unde nutriret eum. Quadam postmodum die, cum celebrata statione apud S. Severinum, reverteretur, multa cleri et populi turba comitatus, transibat ignorans exiguum jam dicti pauperis tugurium. Ille ut prætereuntem vidit, non parum alacri usus confidentia, prorupit, frenum equi corripuit, simul clamans et adjurans per nomen Christi et per majestatem divinæ charitatis, ut paululum subsisteret, et vel modicum quid de compatris sui apparatu perciperet, memor fœderis quod secum perpigiset in jam dicta regeneratione vel susceptione filioli. Audiant et hoc exemplum, quicunque quasi jure sacerdotali de pauperibus libenter obsonia capiunt, imo et violenter exigunt qualibus per prophetam Dominus cum dixisset : *Væ qui opulenti estis in Sion* (*Amos* VI), subsecutus et hoc addidit : *Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti* (*ibid.*) ; audiant, inquam, hoc et imitentur exemplum, quia pontifex magnus ad hujusmodi tugurium compatris digressus, optimum sumpsit convivium, panis videlicet frustrum et gallinæ pullum, necnon et tenuis cervisiæ poculum. Talis causa sit, talis pietatis custodia, talis charitas, ubi vel quoties sacerdotalis dignitas, pro accipiendo munere ad pauperes sese inclinat. Hæc pro humilitatis ejus testimonio vel exemplo dicta sint.

CAPUT XXIV.

De misericordia ejus, ut damnatum pro sacrilegio clericum de suspendio liberavit.

Porro de misericordia, quam magnam in pectore ejus domum sibi ædificaverit, quam vere misericors et misericordiæ filius fuerit, testes erant pauperum multitudines, et pene innumerabiles esurientium cunei : quos non uno tantum tempore vel anno, sed pluribus episcopatus sui annis, fame per totum pene orbem grassante, de multis regionibus confluentes, paterno affectu et materna pietate in magna benignissimi cordis sui latitudine suscipiebat, dispertiens illos per episcopii sui possessiones, quantum cujuscunque fundi facultatem sustinere posse perpendebat. Verum præter quotidiana hæc pietatis ejus experimenta, quamdam aliquando memoria dignam rem gessit, in qua propter abundantiam misericordiæ, prope mendacii sive simulationis ac duplicitatis iniquitatem incurrisse possit existimari. Sed nos ejusmodi rem gestam commemorantes, simul ad memoriam revocemus illud dictum Sapientis : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier* (*Eccli.* XLII). Res hoc modo gesta est : Clericus quidam ex pauperibus, qui, ut jam dictum est, ad beati pontificis curam **262** et eleemosynam confluxerant, non contentus stipendio charitatis, quod sibi ex illo die quotidie porrigebatur, usque in Saxoniam transvolaverat, et otiositatem secutus quæ, ut ait Sapientia, multam docuit malitiam (*Eccli.* XXXIII), furtum perpetraverat. Denique tres noctu effringens Ecclesias, cum vasis et vestibus sacris exinde sublatis, sacrilegus Coloniam versus repedaverat. Illic deprehensus, imo subsequentibus e vestigio his qui damnum pertulerant, judici ejusdem civitatis reus repræsentatus fuerat. Nec erat dubia sententia quin sicut habet forensis lex, convictus fur sacrilegus, statim suspendio interiret. At tum sanctus pater in ipsa urbe præsens aderat. Audito ergo quod acciderat, confestim judicem ad se evocat, jubetque tanquam furti vindex animosus, ut furem secum in suam præsentiam deducat. *Non*, inquit, *hodie quidquam cibi aut potus percipiam, donec in conspectu meo ille mortis reus appareat.* Factumque est, et coram adductum, quamvis torvis oculis aspiciens : *Te*, inquit, *vivere fas non est, cui mors tanto acquisita scelere, jam debita jamque parata est.* Hæc palam cunctis minaciter elocutus, optimo illum executori, scilicet pauperum provisori, reum committens, secretius edixit ut necessariis sumptibus ubertim reficeretur. Ipse ad prandium discumbens, quæ sola causa pœnam illius differre videbatur, assidente omni frequentia, cunctisque ad epulandum intentis, ipse propositi non immemor, jam dictum provisorem pauperum clam advocans, clamque auri insurrans, *Educ*, inquit, *clericum, meumque sessuro illi sterne quantocius equum, tuque pariter adequitans, deducito ultra silvam proximam, dansque illi libram argenti, illo in salutem dimisso, tu quantocius revertens coram astabis.* Factum est ut imperavit. Et ministro, qui redierat coram astante, ipse simulata severitate : *En*, inquit, *ubi est reus ille?* Hæc dicens, videbatur imo videri volebat, de pœna illius jam maturanda tractare. At ille voluntatis ejus simul et facti conscius, tristitiam simul et pavorem confingens : Fuga, inquit, *mi domine, lapsus est.* Tunc et ipse discurrens, fictumque metum verbis atque questibus depromens, cunctos qui aderant, attonitos reddidit. Quem S. pontifex quasi vehementer increpans et minaciter objurgans, conversus ad populum, spectaculi causa confluentem : *Ecce*, inquit, *reus ille effugit, evasit. Ite, currite, quatenus retractus ex fuga, debitam quantocius pœnam solvat.* Hoc insigne pietatis egit memorandus hic fraternæ salutis artifex, simulator fidelis, et, si dici fas est, splendide mendax, de cujus tali commento si cuiquam mendacii nota non carere videretur, iterum atque iterum decantare licet id quod supradictum jam est : *Quia melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier.* Vir namque is est, qui ad virtutem tendit, et in omnibus quæ agit, regno charitatis intentus est. Mulier autem, id est mollis, judicatur quisquis quolibet in sexu malum intendit, et regno cupiditatis deditus est. Ergo hic in facto suo, quanquam simulationis vitium subiisse videatur, vir est, et hæc iniquitas ejus melior est quam benefactum ejus qui dum justitiæ zelum simulat, credulitatem exercet.

CAPUT XXV.

De sancti viri persecutionibus.

Inter tot et tanta pietatis opera servus Christi quasi male opertus, persecutionibus, ut jam supe-

rius prælibatum est, non carebat. Nec mirum. Dicit A enim Apostolus, imo is, qui in Apostolo suo loquitur Christus : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Et in psalmo prophetica veritas cum dixisset de sanctis Ecclesiarum rectoribus : *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo* (*Psal.* CVI) ; continuo subjunxit : *Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos* (*ibid.*), etc. Oportebat ergo et istum, quoniam pie in Christo vivebat, persecutionem pati et quia navim in mari, id est Ecclesiam in hoc sæculo regendam susceperat, oportebat eum fluctibus turbari et moveri. Persecutionem patiebatur ab invidis, videlicet quorum moribus ipse B minime conveniebat. Illis namque gravis erat etiam ad videndum, et ubi sanctius atque reverentius coram Domino, humilis et parvus in oculis suis, procedebat sive astabat, ibi amplius invidis displicebat. Erat vero vultu valde reverendus, et earum, quæ in mente illius regnabant, virtutum quædam majestas forinsecus in facie quodammodo visibiliter sentiebatur, maxime cum sancto altari assisteret, sacris missarum solemniis intentus. Tunc etenim tam reverendus apparebat ut in faciem ejus intendere volentes, quadam velut magisterii dignitate subditos terreret, nisi quos dilectio confortabat, quæ sola Dei et sanctorum ejus aspectu digna est. Hoc amplius indignantes invidi, exsecrabantur, procaciter ad alterutrum loquentes, et dæmonem eum esse dicebant, quem constabat esse angelum Domini, secundum veritatem Scripturæ dicentis : *Labia sacerdotis* C *custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II). — *Videte* aiebant, *dæmonem, quomodo se in effigiem transfigurat angeli, ita ut nemo nostrum faciem ejus intueri possit.* Et quid mirum, si Veritas verum dixit, et secundum dictum ejus locuti sunt domestici falsitatis ? Dixit enim : *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* X).

CAPUT XXVI.

De S. Henrico imperatore, qui ab invidis male persuasus, sancto viro infensus erat.

Porro majores fluctus illi excitabat in imperatoris animo ventus contrarius, quia videlicet suspicionem, quam contra sanctum virum in initio regni sui, sicut D jam supradictum est, mente conceperat, invidi jam dicti semper augere laborabant detractoriis susurrationibus. Denique res eo usque processit, ut jam dictus imperator, nimio contra illum furore succensus, Coloniam peteret, hoc propositum habens, ut eum pontificatu amoveret, aut certe, si hoc rationabiliter fieri non posset, quolibet modo injuriose illum et indigne tractaret. At vero Deus, maris et fluctuum Dominus, qui ad beatum Job mystice loquens : *Circumdedi*, inquit, *mare terminis meis, posuisque vectem et ostia, et dixi : Hucusque* **263** *venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job.* XXXVIII) : non permisit procellam hanc hucusque procedere ut perficeret imperator quod intenderat, sed occurrens subvenit ambobus, videlicet et ei qui patiebatur immeritus et illi qui de innocentis conscientia male sentiens, peccabat errore deceptus. Causa, propter quam tali cum animo imperator Coloniam properabat, hujusmodi exstiterat. Imperator exercitu commoto, comitem quemdam Ottonem, sæculi dignitate præpollentem, in castro quod dicitur Hamerstein, sito supra Rheni littus, obsederat. Is namque Otto episcopatum Moguntinum multa infestatione sæpius pervagans, ferro et igne populabatur, odio magno contra ejusdem civitatis præsulem vehementer inflammatus. Fuerat namque ab illo propter illicitum connubium judicium generalis concilii anathematizatus. Cum ergo querimonia ejusdem præsulis excitatus imperator, prædicto in castrum illum obsedisset, venerabili huic viro demandavit quatenus et ipse cum suis ad hoc negotium festinus adveniret. At ipse tunc immensis vexabatur febribus, et direco adimplere non valuit quod imperabatur. Quam impossibilitatis ejus causam ut audivit imperator, non credidit, videlicet antiqua suspicione præoccupatus, et putans illum semper exosa sui habere tempora imperii. Respondens igitur cum furore, magnoque spiritu iracundiæ : *Si* inquit, *ad me dedignatur venire, ipsum ego, quia ægrotat, habeo visitare.* Atque cum hac iracundia mox, ubi hostem expugnavit, Coloniam, ut jam dictum est, properabat, imminentibus nimiumque sese ingerentibus invidis supra memoratis, qui satis ardentem furoris ejus ignem magis ac magis perflabant, linguis malevolis detrahendo innocenti viro Dei. Sed quia tempus erat jam consolandi, terminumque ponendi fluctibus illis et tempestati diutinæ adversitatis, prospiciens de cœlo Dominus, statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus (*Psal.* CVI). Nam ipsa nocte, qua Coloniam ingressus et officiosissime a viro Dei fuerat susceptus, cum se sopori dedisset, videt in somnis quemdam quasi venerabilem virum, pontificali veste ornatum, qui illum sic allocutus est : *Cave*, inquit, *o imperator ne posthac amplius pecces in conservum meum Herebertum. Scito illum virum Deo esse acceptum, in quem si quid admiseris, tu sine dubio portabis judicium.* Nimirum gratia miserentis Dei, taliter præmonendo imperatorem, ignorantiæ ejus pepercit, quia videlicet eo quod virum ejusmodi suspectum habebat, non malitia, sed ignorantia peccabat. Siquidem ejusdem imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scienter disponere aut judicare quidquam in regno cupiebat, per quod cœlestis offenderetur majestas. Denique cum aliquid de regni negotiis disponere aut judicare intenderat, dispositiones omnes sive judicia sua precibus et eleemosynis præveniebat, quatenus mens ejus et actus cœlesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo, vel judicando, quod divinis contrairet legibus. Recte igitur secundum intentionem

suam divino, ut jam dictum est, oraculo præventus et servatus est, ne tantorum meritorum pontificem injuriando, ut proposuerat, ipse reus judicio Divinitatis existeret.

CAPUT XXVII.

Ut imperator sanctum virum, cernentibus æmulis, ter osculatus sit.

Quid multa? Mane facto, cum imperator mente mutatus, virum Dei advocasset, et id quod cœlitus evenerat, quod superno respectu rex compunctus fuerat, vir sanctus adhuc ignoraret, ac perinde lacrymosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens propter quas sibi tandiu imperator infestus existeret, repente (quod non sperabatur) idem imperator exsurrexit, et virum Dei amplexatus est. Ille admirans, hæc pariter consolationis ab eodem dicta accepit: *Ex quo ad regni fastigium, Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimium credulus fateor, venerande Pater, te exosum habui, et hanc odii trabem in oculo gestans, et ideo nihil videns, iniquum de te judicium habui, tuamque justitiam, imo Dei gratiam in te fulgentem, videre non merui. Porro, te tacente, cœlum clamat super te, tuamque causam defendit apud me. Nam ipse, qui de sanctis suis curam habet semper et habuit, sicut scriptum est: «Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges (Psal. CIV),» dicens: «Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (ibid.)» ipse me pro te corripuit, ut sciam, quod inter electos ejus computatus sis. Indulge ergo, precor, quod in te malignatus sum vel quod te servum Dei tangere deliberavi, quia peccatum meum cognosco, nec amplius audeam adversari tuæ sanctitati.* His dictis, semel et iterum ac tertio sanctum pontificem deosculatus est, triplicem nimirum nectens dilectionis nodum, de quo Sapiens loquitur: *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccli*. IV). Profecto imperatorem, dignum et ecclesiasticum virum, ut erat eruditus, et litterarum scientia ad unguem perfectus, arbitrari licet Evangelii memorem fuisse, ubi primus apostolorum Petrus trinæ negationis culpam, trina dilectionis delevit confessione, tertio respondens: *Tu scis, Domine, quia amo te* (*Joan*. XXI). Pulchre igitur et digne trinum dedit osculum dilectionis et pacis sub testimonio sanctæ Trinitatis, atque hac dulcedine gratiæ et honoris præteritæ infestationis amaritudinem superavit. Nec moratus, virum Dei, jam amicus amicum, prope se residere fecit. Hæc videntes adversarii, qui quasi tempus opportunum nacti, adversum illum convenerant, suasque diu linguas ad accusandum acuerant, confusi, protinus in fugam conversi sunt. At vero cæteri benedicebant Dominum, veritatem magnificantes Scripturæ, dicentis: *Quia cor regis in manu Dei est* (*Prov*. XXI).

CAPUT XXVIII.

Ut imperatori, suppliciter denuo veniam petenti, prædixerit obitum suum.

Nec contentus hac satisfactione rex religiosus, adhuc de judicio divino erat sollicitus. Etenim is, in A quem peccatum aliquod commissum est, præceptum quidem vel consilium habet evangelium, ut peccanti in se ex corde suo dimittat (*Matth*. XVIII), sed adhuc timendus est ille qui legem dedit, quique per prophetam dixit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach*. II), et de quo item scriptum est: *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom*. XII). Bene ergo sollicitus, et præterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis **264** matutinorum solemniis, assumpto uno ex clericis, idem imperator cubiculum sancti pontificis adiit, sed non ibi quiescentem, verum in proximo S. Joannis oratorio vigilantem, ut solebat, orationibus insistentem reperit. Protinus abjecta chlamide, solo stratus ante pedes ejus, in spiritu humilitatis et in B animo contrito se suscipi postulat, et ea potestate, quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum quæ in ipsum commiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, imperatorem prostratum a terra sublevat, et Christo mediante, qui dixit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* (*Matth*. XVIII); ac deinde: *Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*ibid*), absolutio culpæ secundum fidem regis in cœlo et in terra peracta est. Erat autem hoc servo Domini initium sempiternæ consolationis, quippe qui de ista valle lacrymarum protinus ascensurus erat ad gaudium divinæ visionis, sicut Psalmista dicit: C *Beatus vir, cujus auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (*Psal*. LXXXIII). Et subinde: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*ibid*.). Etenim hoc idem vir Domini, revelante sibi Spiritu, prænoscens, ait in illo secreto inter cætera ad eumdem imperatorem: *Noveris certissime quia post discessum tuum, quo nunc separandi sumus, nostras invicem facies jam in hoc sæculo nequaquam videbimus*. Eo magis imperator corde compunctus, iterum in amplexus et in oscula ruit, flens pariter et cuncta pene membra, manus, et oculos collum quoque fixis demulcens osculis. Hoc facto, clam ad cubiculum rediit, mœstam reportans memoriam prophetiæ beati viri, quam et postmodum, transitu ejusdem subsequente, veram fuisse comperit, et ipse, ut audierat, ore D proprio enarravit. Nec sui vero transitus tantummodo, sed et obitus imperatoris prophetico spiritu hic sanctus Dei præscius exstitit, quod postmodum suo loco præsens narratio non tacebit.

CAPUT XXIX.

Febre corripitur vir sanctus et ecclesiasticis sacramentis munitur.

Igitur post discessum imperatoris beatus Herebertus, cœlorum civis, longa in hoc sæculo peregrinatione fatigatus, cum suspirans prospireret mansionem æternam patriæ cœlestis, tandem febre corripitur, et ecce servus Domini pro ipsa exspectatione pervigil, sentire sese arbitratus est quod jam veni-

ret, jamque pulsaret Dominus, ut sibi aperiretur. Erat autem tunc temporis in quadam suæ diœcesi villa, quæ Nussia dicitur. Cum igitur urgente atque ingravescente molestia vexaretur, propere Coloniam mittens, abbatem Eliam accersivit. Quo veniente, ipse, secundum præceptum apostoli (*Jac.* v), sacro est unctus oleo in nomine Domini, pariterque corporis et sanguinis Dominici sacramentis munitus, tunc demum carinæ illatus est, ut Coloniam deduceretur. Tunc in apostolorum principis oratorium jussu suo delatus atque coram altari Sanctæ Crucis, quod ad medium situm est, depositus, prout valuit, capite oculisque ac manibus in cœlum protensis, polixius oravit. Aderant autem tam ex clero quam ex populo quam plurimi, mirantes pariter et compuncti pro suavitate orationum et pietate supplicantis, cui veraciter omni tempore et tunc maxime in extremis suis congruebat illud Davidicum; *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL). Oratione ergo bono cum odore ac religioso exemplo completa, in cubiculum oratorio conjunctum delatus est. Prædictus abbas ab eodem pro consolatione retentus, continuis duabus noctibus, ubi parum quid somni percepisset, visionibus elatissimis instruebatur, quod eadem infirmitate sine dubio idem foret e corpore migraturus.

CAPUT XXX.

Visiones Eliæ abbatis de obitu sancti viri.

Erat autem hujusmodi una visio, quam mox hora matutina beato viro carnis suæ solutionem desideranti, hoc modo retulit: *Videbam*, inquit, *me Beati Petri oratorium introisse, et ecce illud erat quasi magna et solemni frequentia plenum, splendidis clericorum atque sanctimonialium choris consistentibus, et quasi ad procedendum paratis obviam cuidam magnæ personæ, ut ab ipsis honorifice susciperetur, quo videlicet honore sacras illustresque personas in tempore prævenire, ecclesiasticæ consuetudinis est. Nesciebam autem*, inquit, *quæ illa deberet esse persona, verumtamen magnam aliquam atque insignis reverentiæ suscipiendum fore personam, meus somniantis sensus habebat. Ergo licet tremebundus, in gradu meo consistens immotus, eum, qui primus inter eos videbatur, accivi, et quisnam ab ipsis suscipiendus foret, percontatus sum.* Ille respondens. *Deo*, ait, *sanctisque omnibus dilectum, videlicet archiepiscopum Herebertum venimus susceptum.* Ego vehementer admirans tanti tamque splendidi occursus festivitatem, hæc audivi ab eodem protinus: *Si scires qualiter vel a quibus postmodum suscipiendus est, nequaquam admirareris super hoc processu nostro, qui re ipsa longe minor est.* Hujusmodi visum is qui viderat, beato viro confestim diluculo referens, vere tanquam bono nuntio sanctam lætificabat animam, dissolvi et cum Christo cupientem esse (*Phil.* I). Nam exspectationi desiderioque ejus anhelanti celerem adesse pollicebatur effectum, et eam, de qua jam supradictum est, discessus sui con-

A firmabat præscientiam. Denique et ante visionem hanc aliud quiddam jam dictus vir venerandus Elias viderat, quod procul dubio ad ejusdem rei significationem pertinebat. Fuerat autem hujusmodi, somnium eumdem pontificem, sacris atque festivis indumentis perornatum, procedere quasi ad celebranda solemnia missarum, solum tamen atque incomitatum, clero exspectanti taciturno, cum idem pontifex, quasi Romam peregre profecturus, benedictionem flagitaret: qui et solus, ut videbatur, declinavit, et nusquam repertus est. Talia, non dubiam interpretationem habentia, cum ille tristis referret, vir beatus in abundantia lætitiæ suscipiebat, quippe qui jamdudum finem suum habens præcognitum præsentibus adhuc juvabatur documentis,

B ut diceret: *Disrumpe vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV). Majora his per quæ longe vel proprie beati hujus viri transitus vel meritorum significatum est, loco alio servata sunt. Nunc eumdem ejus cœptum sermo prosequatur transitum.

265 CAPUT XXXI.

Ut vir sanctus fratrem suum flentem consolatus sit.

Cum ergo absque dubio per præsentis ægritudinis molestiam pulsaret Dominus, hic servus fidelis aperire illi properabat, lumbis jamdudum præcinctis, et lucernis clare ardentibus. Distribuebantur omnia, quæ superfuerant, pauperibus, ut profecturus ad æterna tabernacula, pauper ipse grata vice reciperetur. Residebat autem ad caput lectuli frater ejus comes, nomine Gezemannus, profundas la-

C crymas atque amarissimos continuans gemitus, velut qui in magno pelago tempestatem circumspiciens, fractoque gubernaculo naufragus periclitaretur. Cui vir piissimus valde compatiens: *Quid*, inquit, *frater mi, tam miserabili temetipsum afficis ejulatu? Parce, quæso, lacrymis et gemitibus, quia sperantibus in se non deerit consiliarius et consolator Deus. Tu ergo jacta cogitatum tuum in illo, et quia cunctis in hoc sæculo vivendi tempus breve est, et migrare oportet, nunc interim præparare, et miserere animæ tuæ, ut dignus habearis sæculo venturo. Præparationis hic modus tibi pernecessarius et optimus est, ut de rebus tuis, quoad potes, pauperibus impertiendo, amicos tibi facias, ut cum defeceris sicut ait Dominus noster, recipiant te in æterna tabernacula*

D (*Luc.* X). Hæc et hujusmodi salubria monita danti ille respondit: *Ista, domine mi, Deo aspirante, libenti animo agere curabo: sed tuus ab hac vita discessus, fratris tui orphanitas et inconsolabilis animæ meæ viduitas est. Nosti præterea quia majestas imperialis tuis omnibus propinquis adversa semper exstitit dum adhuc viveres, tunc quoque nobis propter ipsum periculosus erat status vitæ præsentis. Ecce autem refugium nostrum murus et antemurale nostrum cadit, dum ab hac vita discedis, cujus muniebamur virtute et gratia, magnisque apud Deum et homines meritis pervulgatis.* Ad hæc vir Dei spiritu prophetico præductus: *Regem*, inquit, *immortalem*

modis, quibus jam dixi, stude tibi efficere propitium: de isto autem homine communis necessitas finem factura est, ut et ipse viam universæ carnis ingrediatur. Noveris enim quia, post obitum meum, trium non peraget annorum curriculum.

CAPUT XXXII.

Ut in extremis pauperum memorem sese declararit.

Post hæc, morbo invalescente, jamque non incerto ejus transitu, spirituales ipso jubente a fratribus exsequiæ psalmorum decantationibus inchoantur. Ipse, quoque pectoris anhelantis, quod potuerat, citharam extendebat, pariter psallens et quodammodo dicens: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis* (*Psal.* XLI) Interea pauperum procuratorem, cui curam illorum ipse commiserat, inter mœrentium catervam cominus sibi assistere vidit: *Et quid*, inquit, *nunc agunt fratres mei? Num illorum servitio deest aliquid?* Dicebat autem de pauperibus. Etenim illos humili conscientia fratres suos, imo et dominos et patronos apud Deum æstimare consueverat. Cum ille cuncta, quæ sibi assignata fuerant, se expendisse, jamque nihil superesse respondisset, protinus Ecclesiæ præpositum, et civitatis accersens advocatum, his illos allocutus est: *Audistis*, charissimi, *imo et vigilanter audire debetis Scripturam dicentem quia « fœneratur Domino, qui miseretur pauperi* (*Prov.* XIX), » *et quia, « sicut ignem exstinguit aqua, ita eleemosyna resistit peccatis* (*Eccli.* III). » *Ego si quid exempli boni secundum verba hæc vobis præbui, si quid in pauperibus seminari, nunc jam reposita compensabitur merces, et messis, quam acquisivi, nunc jam recipienda est, sicut item scriptum est: « Quia parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). » *Jam enim vobiscum diutius non ero hic, ubi seminatur. Migrandum est et jam hora instat, ut eam illuc, ubi metitur, propria corporis mei, prout gessi, recepturus. Vos igitur tanquam filios charissimos pater moriens et ultimum spiritum trahens, hac novissima testatione convenio, quatenus pauperum memores sitis, atque hoc animæ meæ solatium impendatis, ut quousque successor episcopus subrogetur, constitutum a me pauperibus refrigerium, vestra suppeditante cura, non desit.* His auditis, vehementer compuncti sunt, seque hoc libentissime acturos spoponderunt, eo magis abeuntem congemiscentes, quod factis præteritis perpendebant convenire verba novissima, respicientes qualis erat, qualiter vixerat, quando sibi semper studio misericordiam thesaurizaverat, et instantis horæ necessitatem finemque, in quo laus omnis canitur, quam sapienter providerat.

CAPUT XXXIII.

Prædicit quis ipsi sit successurus, et moritur.

Et quia de successore mentionem fecerat, altius in planctum excitati velut pupilli jam deserti, percontabantur et quærebant, quisnam tanto præsule viduatam recepturus foret matrem ipsorum Ecclesiam. *Ille*, aiebant, *vir vitæ venerabilis est, et ille alius*
A *utcunque idoneus est*; atque ita diversorum qualitates perpendendo, sollicitudinem suam invicem anhelando conferebant. At ille prophetico, ut jam supradictum est, prædoctus spiritu: *Neque illum*, inquit, *neque hunc, quem putatis; sed Pillegrinum habebitis episcopum, et hic in hac Ecclesia pontificatus officium brevi tempore administrabit.* His dictis, carne solutus, de vitæ præsentis angustia ad æternæ patriæ sempiternam consolationem ascendit, fructum percipiens perpetuæ jucunditatis. Migravit autem septimo decimo Kalendas Aprilis, sepultusque est in Divitensium castro, in oratorio Sanctæ Dei Genitricis, quod ipse condidit, multis deinceps ibidem coruscans miraculis ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Ubi cum sanctum corpus ejus humatum fuisset, tunc demum reminiscens is qui villicus sancti pontificis
B exstiterat in curte ipsa, in quam jam dictum per superius memoratam revelationem constructum erat oratorium, admirando divinam providentiam, dicebat: *Locus hic, in quo corpus hoc sanctum sepultum est, tumulus erat omni tempore herbidus, semper mundus et amœnus, omniumque oculis jugiter gratiosus.* Quod nimirum laudibus proficit beatissimi viri, cujus futuris exsequiis servandisque reliquiis taliter sese loci facies, jubente Deo, præparavit, ut semper servaretur viridis ille sinus terræ in quo requiescere haberet possessor sempiternæ viriditatis, cui reposita erat hæreditas incorruptibilis, incontaminata et immarcescibilis. Proinde cum Apostolo Regi sæculorum immortali, invisibili, **266** soli Deo honorem dicamus et gloriam in sæcula sæculorum,
C Amen (*I Tim.* II).

CAPUT XXXIV.

Visio oblata Epponi episcopo post obitum sancti viri.

Eodem tempore, vir memorabilis Eppo Babenbergensis episcopus, præclaris moribus et non contemnendis florebat virtutibus. Hic tam longe positus, eadem nocte qua vir Domini Herebertus, post emeritam vitæ hujus militiam, supernum ut jam dictum est, donativum accepit, visionem vidit hujusmodi: Ingrediebatur quasi quoddam magnum splendidumque capitolium, et ecce illic innumerabilis residebat concio personarum venerabilium, episcoporum, abbatum, regum atque imperatorum, cæterorumque cujuscunque ordinis virorum illustrium, secundum suum quique ordinem vestiti, et omnes pulchri
D ac reverendi, quasi ad agendum generale concilium congregati. Porro in medio considentium, loco evidenti sella videbatur posita episcopalis, sessorem nondum habens: verumtamen ad hoc parata, ut in illa resideret aliquis. Ut ergo tantæ amplitudinis locum, tamque venerandæ multitudinis conventum introspiciens vidit, sicut ipse referebat, admiratione pariter et timore compressus stetit, et nequaquam introire præsumpsit. Nam visionem hanc diluculo imperatori Henrico festinus intimare curavit. Is enim, tunc inibi degens, Quadragesimam celebrabat. Aiebat ergo: *Cum ita starem stupefactus, ecce unus de illo sancto senatu, tantoque quasi patriciorum cœtu*

surgens, et usque ad me pro foribus stantem procedens, quem et ego dudum noveram, apprehensum manu introduxit me annuens ut super sedem vacantem, sicut jam dictum est, residerem. Ego veritus, hoc facere recusavi. Sciebam enim sellam eamdem positam non mihi, sed alteri, quem catenus ignorabam, viro majoris reverentiæ et dignitatis amplioris. Nec mora, is qui conventus ejusdem primatum tenere videbatur, duobus ex eodem consessu venerabilibus episcopis præcepto edixit, ut foras exeuntes, eum quem primum invenirent stantem et paratum introducerent, et in sede illa media, quoniam sessioni ejus præparata fuisset, digne collocarent. Fecerunt illi ut fuerat imperatum : et ecce quem adducebant, is erat dominus Herebertus archiepiscopus Coloniensium, sacro redimitus ornatu tanquam in die solemni ad celebranda solemnia missarum. Eum in illa sede medium, ut fuerant jussi, sedere fecerunt. Verumtamen unum ad ornatum ejus, scilicet balteus, deesse videbatur. Cum ergo vidissent illum principes tanti consedentes, balteumque illi deesse animadvertissent, quasi vehementi admiratione concitati, sciscitabantur quisnam illi esset qui tanti pontificis ornatum diminuere præsumpsisset. Ad hæc ipso tacente, prælocutus est unus de primoribus dixitque quod is esset imperator Henricus. Hæc, ut jam dictum est, venerabilis episcopus mane facto imperatori retulit, pariterque, ut erat certus de visionis veritate, affirmabat quod sanctus Domini Herebertus jam separatus a terrenis, et translatus esset ad immortalem senatum curiæ cœlestis. Nec vero illum constantia sua fefellit. Nam post dies aliquot nuntius venit, qui imperatori sacram, ut jam dictum est, inibi Quadragesimam celebranti, Coloniensis archiepiscopi obitum annuntiavit. Requisitus quoque diligenter quando obiisset, et utrum noctu, an interdiu de corpore migrasset, cum sicut se res habebat, respondisset, admirati sunt tam imperator quam is qui visionem viderat episcopus quod talia namque longe positis Dominus fuerit revelare dignatus. Nam ipsa nocte qua visum episcopus viderat, sanctum Domini migrasse constabat. Sed et antequam nuntius jam dictus adveniret, imperator non incredulus visioni, responderat eamdem episcopo narranti : *Si balteo caruit, me prædone, ille sanctus et venerandus vir, Domino adjuvante, meque operam dante, rapina hæc restituetur illi.* Recordabatur autem et novissimæ ejus collocutionis, qua imperator pro reatu suo coram illo satisfecit, et hoc ab eodem audivit quod suas invicem ulterius facies non essent visuri. Item, et illud prudenter in hac re conjectorem non latebat quia quod a se dicebatur vir tantus balteo suo spoliatus, hoc erat quod a se non fuisset digne pro meritis suis honoratus. Igitur imperialem manum largius extendens, dona Christi Ecclesiis pauperibusque distribuit, sacrisque missarum solemniis, psalmis et orationibus transitum beati præsulis edixit celebrari, cui balteum ipse sustulisset, id est qui viventem, longe minus quam decuerat, honorificasset. Vere ut sapiens hoc egit, quia nimirum nullo modo melius rapinam ejus poterat restituere, quam faciendo pro semetipso fructus dignos pœnitentiæ. Quapropter arbitrari licet visionem hujusmodi non tantum pro beati præsulis honore, verum etiam pro ejusdem imperatoris melioratione celebratam fuisse, quoniam ipse superius memorata satisfactione sua promeruisset, ut sicut eum persona non accusabat, ita nec illum superstes causæ vestigium accusaret. Nam in prædicta visione sacro percunctante concilio quis ornatum ejus minuisset, diligenter notandum quod non ipse beatus præsul respondit, neque imperatorem accusavit quia videlicet vivens, evangelici memor præcepti, totum ex corde suo dimiserat illi (*Matth.* XVIII). Itaque vel modicum causæ vestigium, quod supererat, ne accusaret eum, pulchre talis visio juvit, ad misericordiæ opera suscitans ejus animam.

CAPUT XXXV.

De miraculis ad ejus monumentum, et quadam visione mirabili.

Interea tumulus beati viri, locus (ut erat) apparebat esse refugii fidem habentibus, et ex quacunque necessitate confugientibus ad protectionem Dei cœli ; et velut quidam rivus paradisi, gratia curationum exinde fluebat ubertim. Sanabantur infirmi, illuminabantur cæci, erigebantur [*f.* claudi], dæmones de obsessis corporibus effugabantur. Unum autem inter cætera contigit infra tricennarium funeris, quod pro sui magnitudine non præterire, imo et imprimis narrare dignum est. Res enim gesta est valde mirabilis, et pene esset incredibilis, si non ex sanctis canonicisque constaret Scripturis, angelos quoque, qui utique spiritus sunt, et carne non teguntur, interdum visos et auditos fuisse ab hominibus sensibus corporeis. Siquidem hoc accidit ut spiritus beati hujus viri, jam carne solutus, homini viventi visibiliter appareret, sermonemque conferret, cujus videlicet sermonis subsecuta veritas testatur, non phantasticum, sed verum et divinum fuisse, quod ostensum est. Res hoc modo gesta est : Vir vitæ venerabilis Volpertus, cœnobii, quod ab eodem sancto pontifice constructum fuerat, Pater primus, recenti tanti 267 præsulis obitu magis excitatus, quotidianus maximeque nocturnis pervigil insistebat orationibus. Erat autem multorum monachorum Pater, quippe cui propter egregiam vitæ conversationem, scientiam quoque et dilectionis abundantiam, non solum præfati cœnobii, verum etiam monasteriorum sancti Pantaleonis, Sanctique Viti cura vel providentia commissa fuerat. Huic per omne tempus vitæ continuum pene studium fuerat, matutinos prævenire hymnos, solitariisque vigiliis psalmos decantare Davidicos, et hunc sanctum fervorem ejus dolor, quia de tanti Patris obitu acciderat, majorem, ut jam dictum est, effecerat. Cum ergo quadam nocte ad hoc ipsum opus ardentius assisteret, et magno charitatis igne sanctæ orationis incensum adoleret, revera fumus aromatum ejus altius ascendit, et ante oculos Domini in cœlum usque pervenit. Nam illo

diutius orante, respectus divinitatis super eum factus est, et locus contremuit, juxta quod in psalmo, salvo altiori sensu, scriptum est : *Qui respicit terram, et facit eam tremere* (*Psal.* CIII). Stabat autem ipse prope sepulcrum beati antistitis, et quem viventem dilexerat, eidem sepulto mente et corpore ardenter inhærebat. Cum igitur locus intremuisset tam valide, ut tota monasterii fabrica funditus quasi [*f.* quassata] videretur, mortalis, ut erat homo, inhorruit quidem, sed non medicam habens fidem, cœptam continuabat orationem, cornu altaris apprehendens. Iterum a parte orientali murus templi cum magno sonitu intremuit, et omnia circumstantia moveri visa sunt. Ecce autem et sepulchrum beati viri patefactum est, et ipse sanctus Dei egredi visus est. Isque stans prope virum jam dictum, leviterque tangens illum, quid operaretur sciscitatus est. Hoc, ut supradictum est, omnino incredibile videretur, si nusquam ecclesiasticis contineretur litteris, aliquos Deo volente corporaliter visos fuisse mortuorum spiritus, si non etiam angeli ab hominibus Deo placentibus fuissent hospitio suscepti (*Gen.* XVII, XIX). Sed et Daniel in visione angelica conturbatus, eodem quia apparuerat, satagente confortatus est (*Dan.* X). Cum igitur et istum beatus pontifex alloqui inciperet, tangens prius latera ejus baculo pontificali, cum quo fuerat tumulatus, vires resumpsit, et ad interrogata respondere prævaluit. Nam sic ex visione et ex prædicto fragore fuerat tremefactus, ut non stare prævaleret, imo et vix ad sedendum virtus sufficeret. Cum ergo percunctanti quid operaretur, breviter pro re respondisset, confestim is, qui apparuerat, intulit hæc : *Orationibus, frater mi, sedulus vigilanter insiste, et vivorum atque mortuorum parentum vel familiarium tuorum salutem exorans mei quoque memoriam abundantius habe. Scito enim et veritatem loquenti mihi præbe fidem quia obitus mei die tricesimo qui nunc imminet, mecum pransurus es.* Hoc ille audito, pene exanimatus resedit in eodem loco. Tandem vero spiritum paulatim attrahens, respiravit, baculoque innixus surrexit, et corpore ac mente tremens, vix ad lectulum pervenit. Mane facto, ubi in conventum fratrum de more processit, sermonem protulit ædificationis satis eloquenter et cum spirituali ornatu magnæ venustatis, inter cætera maxime illud exhortans, quod egregium decus est monachorum, ut videlicet oris sui custodiam haberent ad silentium, quia sicut propheta testatur : *Cultus justitiæ est silentium* (*Isa.* XXXII). Porro visionem, qua viderat, tunc interim reticuit. Conventu autem soluto, seniores tantum, et qui magis spirituales esse videbantur, secretius advocavit, et quæ viderat, quæque audierat, cuncta per ordinem retulit. Illi rem, non ut erat, attendentes, et longe minus quam erat æstimantes, suo se susurro loquebantur, dicentes ei nihil aliud fuisse quam quod est humanæ consuetudinis, scilicet quem viventem dilexerat, eumdem mortuum præ oculis cordis cogitatione continua versabat, et cogitationes vigilantis curamque

A dilectionis quam ergo illum habebat, sequebantur hujusmodi somnia. At ille, audiens hæc, nihilominus sciebat quid vel qualiter vidisset, magisque suæ conscientiæ quam aliorum credebat opinanti ignorantiæ. Quid multa ? Obitus beati viri dies instabat tricesimus, et prædictus monasterii Pater ad eumdem diem copiosus pauperibus impensas præparabat. Oportebat autem illum propter hoc ipsum exire ad quamdam suæ vel ecclesiasticæ possessionis villam, quæ ferme decem milliaribus a monasterio procul aberat, ubi quæ necessaria erant futuro diei, præparare præsens ipse properanter jussit. Hoc facto, navem conscendens, velociter per alveum Rheni ad monasterium revertebatur. Jam hora sexta rogabatur a comitibus ut cœnaret, quoniam et ipsis ita B jucundum de more erat, et hora satis opportuna commonebat. Ipse quoque non abnuens, imo et ex charitate juventuti famulanti condescendens, præmisit opus Dei, sextamque horam de more cum duobus, qui obsequio ejus aderant, fratribus canere incœpit. Aut ubi ventum est ad lectionem, quam nos capitulum dicimus, hæc autem erat : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est* (*Rom.* VI), etc., respondentibus illis, *Deo gratias*, continuo spiritum exhalavit. Quod videntes qui simul aderant fratres, sociique vel comites, vehementer attoniti, et repentino stupore præventi, paulisper attendentes, protinus voces cum ejulatu levaverunt, paulo ante læti, nunc autem tristes, quippe qui citharam suam in luctum et organum suum videbant versum esse in C vocem flentium. Egressus est unus, et terrestri itinere præcurrens ad monasterium, ut rem fratribus intimaret. At illi qua hora nuntius hic ingressus est, ad cœnandum consederant, alacriter sui Patris adventum, et subsecuturæ diei, quæ tricesima beati præsulis esset, spiritualem exspectantes lætitiam. Ut ergo nuntium hujusmodi consedentibus innotuit, pariter cuncti non leviter congemuerunt, mente concussi, et suis pene cuncti sedibus excussi, tam miserabili gestu tamque lacrymoso processu ; ut nulla sermonis copia satis exprimere possit. Vulneri quippe adhuc recenti, id est dolori, qui de beati præsulis obitu acciderat, vulnus hoc aliud superaccesserat. Itaque filiorum animos non mediocriter tangebant tam confinita, tamque continua Patrum funera. D At ille venerabilis Pater, qui nunc taliter discesserat, revera feliciter ad æternæ vitæ prandium cœnamque immortalitatis invitatus processerat, veram visionem suam, verum oraculum illius, exitu suo comprobans, qui dixerat illi: *Quia die obitus mei tricesimo mecum es pransurus.* Allatum itaque defuncti corpus, prope sepulcrum ejusdem vatis sui, videlicet sancti præsulis, cum libitina depositum est. Ecce autem inter exsequiarum vigilias pauper quidam, a cunabulis contractus, quem idem sanctus pontifex, dum adhuc viveret, cura patris alebat, inter sepulcrum sancti et hujus defuncti feretrum tristis prorepserat, et inter duos mortuos, suæ inopis vitæ patronos, jacens,

tota nocte se illis superstitem esse deplorabat. Viderunt, illum, qui **268** coram Deo vivebant, et eadem clementia, qua viventes in carne victualem illi præbebant alimoniam, defuncti idem mirabilem totius corporis ejus operati sunt medelam. Denique circa lucis exortum, matutinos fratribus hymnos persolventibus, repente is qui contractus jacuerat, vehementer exclamavit, velut ad succurrendum sibi, videlicet virtute invisibili concussus, nervisque solutis in longum extensus. Quo ejus clamore audito, nonnulli ex fratribus seniores accurrunt, videntque illum extensum jacere, rivumque tetri sanguinis per pavimentum decurrere. Allata protinus aqua, refocillatus est, et post pusillum sanus surrexit, ac permansit incolumis. Hujus opus virtutis recte utriusque ascribi debet meritis. Cæterum a beati præsulis transitu intra paucorum dierum decursus, viri pariter et mulieres ferme quadraginta quinque diversis incommodis liberati sunt ad sepulchrum ejus gloriosum, laudantes nomen Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit æternaliter. Amen.

PASSIO B. ELIPHII MARTYRIS.

RUPERTI PROLOGUS.

AD ALBANUM VENERABILEM ABBATEM S. MARTINI.

Qui primus noctisque temporibus longe anterior martyrium scripsit pretiosi martyris Eliphii, fundamentum posuit, vos autem, fratres charissimi, tu, Pater Albane, tecumque tui spirituales filii, parvitatem meam superædificare compellitis, diutina excusatione charitati vestræ renisus sum, et excusationis meæ causa hæc summa fuit, quia fundamentum aliud præter id quod positum est, ponere non potui (*I Cor.* III). Neque enim aliud inveniebam inveniendum, pertinens ad memoriam ejusdem martyris et patroni vestri, cujus corporis thesaurum pretiosum penes vos reconditum esse gaudetis, præter scriptum illud quod vobis pariter ac nobis usitatum non satis jucundum neque satis idoneum æstimatis, propter nimiam simplicitatem sermonis, qui rem gestam non solum suo splendore non exornat, verum etiam quasi quodam fumo aliquantisper obscurat. Recusabam ergo, hactenus nimis difficile ac pene impossibile existimans id quod vestra charitas efflagitabat, velut si architecto dicatur: Super hoc angustum ac tenue fundamentum, amplum et spatiosum, firmum ac splendidum superædifica nobis ædificium. Sed tandem occurrit, renitentique animo sese dictum illud ingessit: *Omnia possibilia credenti* (*Matth.* IX). Itemque illud: *Aperi os tuum*, ait in psalmo Spiritus sanctus. *Aperi sive dilata os tuum, ego implebo illud* (*Psal.* LXXX): Igitur charitate victus, qua nimirum vinci pium et honorificum est, aperio nunc os meum ab illo qui jussit aperire, per vestras orationes implendum, ut religiosius loquendo aurum, et argentum et lapides pretiosos superædificem super fundamentum hoc, quatenus pulchritudinem materiæ non pauper et penuria facundiæ, imo dignitatem rerum quasi coronando ambiat compositio, sive conveniens appositio sententiarum.

INCIPIT PASSIO B. ELIPHII.

Ea tempestate qua Romani imperii majestatem turbavit impius apostata Julianus, florebat, secundum sæculi dignitatem gloriosus et secundum Christianam fidem, clarissimus vir Eliphius in urbe Tullensi, quæ civitas est Galliarum, cujus loci indigenæ prisco nomine Leuchi dicti sunt; ipsa vero civitate Leucha. Habuit autem idem vir sanctus fratrem sanctissimum, tresque sorores virgines, omnes memorable supernæ civitatis Jerusalem municipes, quorum nomina in libro vitæ æternæ scripta hæc sunt. Frater ejus Eucharius, episcopalis gratiæ functus hon ore, palmam quoque martyrii feliciter adeptus est, corpusque ejus in castro quod dicitur ad Liberdum conditum est. Prima soror ejus, Menna, secunda Libaria, tertia dicta est Susanna, fueruntque sicut unius fidei, ita et unius ejusdumque, videlicet monasticæ professionis. Et prima quidem, videlicet Menna sacra virgo, utrum per martyrii palmam præsentem vitam finierit, antiquitas litteris non expressit, nisi quod in virginitate permanens defuncta, et in loco qui Portes dicitur condita est. Secunda Libaria, et tertia Susanna, secundum vitæ propositum, sanctiore martyrii gloria consummaverunt, Libaria quidem apud civitatem nomine Grandem, Susanna vero in Campania tumulata est. His dictis, de hujus sancti viri fratribus secundum carnem, et cohæredibus secundum fidem, dicandum est de illa tempestate jam dicta, quod tam magna fuerit, ut non mirari debeat quis, quod illa quoque Galliarum loca turbare potuerit.

Julianus jam dictus, in initio imperii sui quidem parcens Christianis, clementior visus est: sciebat namque quod priores persecutiones nihil profuissent ad augmentum paganitatis, imo magis inde crevissent

Christiani, et pro vero dogmate oriendo facti fuissent gloriosi. Fuerat namque domesticus hostis, utpote Christianus fictus, quippe qui metuens Constantium, **269** quia genere proximos tyrannis formidine perimebat, tonsus quoque monachicam simulaverat vitam, et lector sociatus choro, divinos codices in ecclesia populo audiente legerat. Sciens ergo et invidiam habens Christianorum gloriæ a tormentis abstinuit, judicans esse necessarium ut sermone potius et admonitione ad paganitatem colendam populo suaderet, etiam credens hinc se monstrare clementem. Sic enim putabat potius roborari paganitatem, si se patientem ac mitem Christiano populo demonstrasset; verum sub hac simulatione philosophicæ mansuetudinis, cujus tandem nimis ambiebat, non diu se crudelitas impii potuit continere. Auferebat enim subinde pecunias, et ornamenta sacra, templaque sub Constantino et Constantio fundata destruebantur, datæque ad ædificia pecuniæ rursus exigebantur. Hac occasione sacerdotes, et clerici et populus Christianus crudeliter vexabantur. Omnes namque possessiones, atque pecunias ecclesiarum, cum verberibus exquirens ad medium jubebat afferri. Deinde scribens quoque ad templorum pontifices et provinciarum præsides manifestabat, et erga paganitatem quantum studium, et erga Christianitatem quantum haberet odium. Unde et libertatem gentiles suæ vesaniæ nacti, vindictam exigebant a Christianis, querelam habentes adversus eos propter idolorum et templorum injurias, quæ destructa erant temporibus Constantii et Constantini. Itaque innumera in omni terra et mari ab impiis contra pios illo tempore sunt commissa, cum aperte Deo odibilis imperator contra pietatem leges poneret favore suffultus pontificum atque præsidum, maximeque Juliani avunculi sui in paganitate devoti et Christianos nimis odientis.

Tali vento, tam valido tamque contrario, tempestas exorta, nimirum sicut in omni terra, ut jam dictum est, ita et in Galliis contra Christianos detonabat, et sanctæ Ecclesiæ navicula, quasi in medio mari jactatis fluctibus, auxilia divinitatis destituta esse videbatur: quemadmodum Julianus jam dictus, hujus apostatæ Juliani avunculus atque præfectus, insultans et impudenter contra sacrum altare mingens, dixisse fertur quia religio Christiana esset divina sollicitudine desolata. Sed revera invisibiliter ambulans super aquas aderat Dominus Jesus, et Petrus more suo ipse quoque ut veniret ad Jesum, super aquas gradiebatur, dum fides sanctæ Ecclesiæ victoriis martyrum coronaretur, inter quas iste cum Germanis jam dictis victor claruit sanctus Eliphius. Profecto, nisi Dominus Jesus breviasset dies tyranni hujus, optaret implere quod comminatus fuerat, quia neque capita sua Galilæos habere permitteret (sic enim ob derisionem Salvatoris nostri cultores denominare solebat), sed jam tunc propter electos Dominus breviavit dies, et sicut dixit beatus Athanasius, dum ab illo cogeretur ad fugam, videns A circa se populum Christianorum lacrymantem: *Habete, filii, fiduciam, nubes est, et cito pertransibit*, ita factum est.

In tanto spiritu procellæ tantisque fluctibus comprehenditur verus Christi cultor sanctus Eliphius. Comprehenderunt eum primo perfidi Judæi conjuncti paganis, et recluserunt cum multis, scilicet cum triginta tribus viris Christianis, propter nomen Salvatoris nostri Jesu Christi eodem carcere conclusis. Divina autem agente providentia nocte patefacto carcere sanctus Eliphius, una cum illis jam dictis triginta tribus Christianis, carcere egressus, Leucham, id est Tullensem ingressus est urbem, ibi defunctam suam secundum carnem genitricem sepelivit, quo debuit affectus, extremum hunc impen- B dens honorem. Ibi quoque sicut et in cæteris non surdus auditor legis dicentis: *Honora patrem et matrem ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi* (*Exod.* XX). Expleto igitur hoc debitæ pietatis obsequio, rursus athleta Christi non solum a Judæis, atque militibus paganis, verum etiam ab ipsis summis atque principalibus viris quærebatur, ut aut impietati consentiret, aut non consentiens mortem subiret.

Non abs re quæritur qualem per occasionem Judæi tunc temporis vehementius atque procacius sese impenderint, aut impendere potuerint ejusmodi actionibus, ita ut et in istum Christi martyrem, et in multos alios, pene ipsis crudelibus paganis promptiores atque erectiores fuisse legantur. Ad C quod respondendum, quia Julianus impius impios illos erexit, illorum flatus extumescere fecit, illis arma porrexit, illos esse fortes et confidentes fieri voluit, eo quod sciret illos potissimum acerrimos esse inimicos nominis Christi. Hinc ecclesiastica narrat:

Julianus, inquit, *etiam Judæos contra Christianos armavit, primumque convocans requisivit cur eis præcipiente lege sacrificare nequaquam immolationibus uterentur. Cumque respondissent suo tantummodo loco sibi offerendi sacrificium fuisse permissum, repente jussit Deo odibilis destructum resuscitari templum, credens, infelix, Dominicum verbum se posse destruere, cujus per hoc veritatem magis ostendit. Hæc itaque verba Judæi libenter accipientes, cunctis per diversum orbem mandavere Judæis, qui undique* D *concurrentes pecunias ad ædificium alacriter offerebant. Ministravitque plurimum etiam imperator, non largitatis gratia, sed veritati repugnans, misitque pariter præsidem, impiorum exsecutorem dignissimum præceptorum. Aiunt enim quod ad repurgatoreum faciendum argenteas amas et cophinos et scaphas habuerint; cumque fodere jam cœpissent statuto quidem die hoc multitudo plurima faciebat, nocte vero spontanea terra de valle crescebat; solutis itaque prioris etiam fundamenti reliquiis, nova omnia præparabant. Cumque gypsi et calcis multa modiorum millia congregassent, vis magna ventorum repente respirans, tempestatesque atque procellæ subito factæ*

quidquid congregatum fuerat, disperserunt. Adhuc vesanientibus eis et nequaquam divina longanimitate correptis, maximus primo terræ motus factus est, quisquis mysteriis divinis non fuerat imbutus vehementer attritus est. Cum vero neque hoc terrerentur judicio, ignis ex fundamentis quæ fodiebantur egrediens, plurimos fodientium concremavit, aliorum membra dissolvit; nocte quoque plurimis in vicina porticu dormientibus, cadens subito cum tecto ipsa porticus dormientes oppressit. Alia vero die in cœlo signum splendens crucis apparuit, sed etiam judæorum vestes crucis signaculo sunt impletæ; non tamen splendenti, sed nigro colore signatæ. Hæc itaque rebelles Dei considerantes, et divina flagella contremiscentes, ad propria sunt reversi, confitentes esse Deum, qui ab eorum progenitoribus ligno probatur appensus.

Cur hæc ita se habuerint, cum imperatori impiissimo adeo placerent impii, quantum putas spiritum malignitatis sibimet aspiraverunt, et quibus modis, quibuscunque in locis erant, suum in Christianos quasi naturale odium conjuncti paganis prosequentibus, adulantibus principibus, edicta proponentibus, tanquam benefacientibus.

270 Igitur sanctus Eliphius, vir divina, ut jam dictum est, virtute, carcerem egressus, dum funeris materni exsequias de more complevisset, rursus, tam a paganis militibus quam a Judæis, quærebatur, et quia non latere volebat, quia martyrium non refugiebat, cito repertus est. Reversus namque in civitatem Grandem intravit, ubi tunc temporis Julianus fuisse memoratur. Duobus ibidem moratus diebus, multa non paucis beneficia præstitit infirmis. Transiensque fluvium, nomine Veram, offendit impios exsecutores dæmonum thecas in littore colentes; Judæus ibidem in eodem sacrilegio non defuisse narratum est. Hoc autem frivolum nimisque simpliciter dictum nonnulli existimant, pro eo quod nostris temporibus tale quid inter sacrilegia Judæorum non reperitur; neque enim nunc Judæi idolis immolant, sed unum et solum creatorem Deum se adorare inaniter jactant. Optarent ergo studiosi lectores aliter scriptorum dixisse quem dixit aut scripsit. Præmisso namque, *offendit in Judæos dæmonum thecas in littore colentes: erat autem Sabbatum dies festus Judæorum*: *Ecce*, ait, *quid nefarii Judæi in suis Sabbatis agunt. Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam contemnunt, et ad suam proditionem dæmonia colunt. Exigentibus enim suæ perfidiæ meritis, oracula prophetarum, et præconia apostolorum recusarunt, suas vero libenter aures dæmoniis accommodaverunt.* Ego vero omnino non frivolum, imo solida veritate subnixum esse potuisse arbitror istud, ab eo taliter dictum; non enim tunc temporis res ita erat ut nunc est. Quare hodie Judæi simulacra gentium non colunt? Nimirum quia non sunt; quandiu erant, quandiu fiebant hæc opera manuum hominum, semper proni fuerunt ad cultum eorum, sicut testantur libri ipsorum. Nunc autem ubi, secundum prophetiam Isaiæ, Dominus ascen- A dens super nubem levem, ingressus est Ægyptum hujus sæculi, et mota sunt simulacra Ægypti a facie ejus et dispertierunt (*Isa.* XIX), frustra volentibus ea retinere Ægyptiis, qualium iste Julianus notissimus et vere Ægyptius fuit, nunc, inquam, quia non sunt, idcirco non colunt Judæi simulacra gentium, et illud quod solum superest, et quod illa subvertit omnino non pertinens ad simulacra gentium: et idcirco non adorant, quia veritatem oderunt, secundum mysticam similitudinem ænei serpentis, quem exaltavit Moyses in deserto, ante nostros et ipsorum oculos exaltatum. Proinde nullius laudis est Judææ sive Synagogæ, quod per Oseе prophetam dictum est ei: *Dies multos exspectabis me, et non fornicaberis et non eris viro* (*Ose.* III), quia quod B non fornicatur cum idolis, non ex suæ est continentiæ virtute, sed ex defectu idololatriæ, quam post adventum Christi, neque pagani principes retinere, neque iste apostata potuit resuscitare.

Igitur beatus Eliphius, cum utrosque scilicet et gentiles et Judæos, in eodem sacrilegio offendisset, verbum veritatis illis annuntiavit, scilicet nihil esse nisi proditionem in dæmonum phantasmate, potius vivum et verum Deum, creatorem visibilium et invisibilium, ejusque Filium Jesum Christum cum Spiritu sancto Deum unum crederent et colerent, qua peccatorum indulgentiam et sempiternam animabus suis requiem invenirent. Fere sexcenti et viginti viri, exceptis mulieribus, per illam ejus admonitionem gratia Domini cooperante C credidisse et baptismum salutis suscepisse feruntur. Nuntiantur hæc impiissimo Juliano, qui tunc temporis, ut jam dictum est, in eadem Galliæ civitate Grandi morabatur. Incertum autem utrum Cæsar tantum, an etiam imperator esset illis diebus. Nam cum anno tertio imperii sui, septimo vero ex quo Cæsar a Constantio fuerat ordinatus, vitæ autem anno trigesimo primo, defunctus fuerit, utrum tempore imperii sui aliquando ad Gallias transierit, compertum ex historiis non habemus, sed cum Cæsar esset, tunc eum in Gallias venisse non dubium est. Imperator quippe Constantius, ut ecclesiastica narrat historia, constituens eum Cæsarem contra barbaros destinavit ad Gallias. Hi namque barbari, quorum idem Constantius contra Magnentium tyrannum solatia petierat, cum nihil profuis- D sent contra tyrannum, Romanorum vastabant urbes. Quocunque ergo tempore, sive quod per vices in Gallias venerit, quem aliquando venisse non dubium est, in medio relinquentes, cætera prosequamur.

Accepta hac relatione tyrannus oblitus est suam hypocrisim, id est philosophicæ patientiæ simulationem, qua sese intendebat demonstrare clementem. Iratus est enim is qui mansuetus et ab iracundia remotus ab impiis vocari studebat, et hac opinione sui nimium delectabatur. Credo tantam gloriosi viri fuisse libertatem et zeli boni tam vehementem in eo fervorem ut, supra vires simulationis, sive simulatoris, esset pondus veræ virtutis,

A digna pro veritate verba facientis per os hujus, in quo sine dubio Christus ipse loquebatur. Nec vero in isto solo, verum etiam et in aliis nonnullis patientiæ laudem prodidit, ita ut in furorem actus, eorum capita juberet auferri, et licet nonnullorum sanguinem fundi aliquando prohibuerit, ductus invidia ne moriendo fierent gloriosi, non eos in civitatibus habitare permisit quos fortiores et in faciem sibi resistentes invenit. Mirum quod circa tempus idem beatum Martinum novum tironem et Christo militare cupientem, et dicentem sibi: *Hactenus, Cæsar, militavi tibi, patere ut nunc militem Deo*, vivere permisit, et infremuit quidem sed non eum occidit, hunc autem, quin Christi martyrem faceret, qui martyribus invidebat, nullo patientiæ figmento sustinere vel differre potuit. Credo igitur ut jam dixi, quod magno zelo vir laudabilis tale quid fecisset aut dixisset, propter qualia Christianos ille vanus interficere solebat, tanquam reos majestatis, non tanquam propter causam, sive professionem Christianitatis, scilicet aut propter destructionem templorum, aut propter aliquod verbum quod imperiali honori videri posset injuriosum. Exempli gratia: Cum apud urbem Daphnen duo juvenes, quorum alter Viventius, alter dictus est Maximinus, militia clari ingemiscerent, videntes abominationem Juliani (nam fontes, urbes sacrificiis violaverat, et cuncta venalia in publico, scelerata aspersione contaminabat, ut comedentes et bibentes pollluerentur), hoc modo trium puerorum in Babylone splendentium sermonibus usi sunt, dicentes: *Tradidisti enim nos regi iniquo, qui recessit a te ultra omnes gentes, quæ sunt in terra.* Hæc audiens ille nullis atque philosophus a sui similibus nominatus, impietatis faciem protinus enudavit, præcipiens amarissimas eis plagas inferri, quod etiam luce privavit, magis autem (quod verius est illius temporis infelicitate) liberans eos, ad coronas sempiternas transmisit. Sed et plurimi nobilium et dignitate fulgentium utentes tali fiducia coronis æqualibus sunt coronati. Fingebat enim se in eis, quasi causam ulcisci imperialis injuriæ, et hoc divulgari jubebat, invidens decertatoribus veritatis in appellatione martyrii **271** pariter et honoris. Arthemium quoque qui temporibus Constantii dux fuit Ægypti, qui illius tempore idola multa confregerat, non solum facultatibus nudum reddidit, sed etiam capitis sectione multavit. Hæc pro exemplo dicta sint, quales ob causas ille sanctos interficere non fuisset insolitus, ut, jam dictum est, mansuetus et ab iracundia remotus ab impiis vocabatur. Utramque causam, ut istum quoque virum sanctissimum interficeret, illum habuisse simplex quoque sermo testatur passionis. Nam illum qui accusabat inter cætera dixisse narrat: *Considera, Cæsar, quia tibi et semini tuo non prospera, sed adversa prophetat, et sine ullo tui timore contra tuam audaciter potentiam rebellat.* Ipsum quoque Julianum taliter contra eumdem Christi martyrem loquentem inducit: *Eliphi, quare Deos dissipasti, et incantationibus nefariis ad nihilum deduxisti? Nisi meo obtemperes præcepto, et renoves Deos atque colas quos confregisti minutatim, gladius meus caput tuum dividet particulatim.* Hinc manifestum est et illam, propter quam supra dicti juvenes Viventius, et maximinus similesque illorum puniti sunt, et illam secundum hunc habuisse causam, propter quam dux ille Arthemius aliique quam plures a tyranno interempti sunt, scilicet quia et impietati ejus palam ore libero vir egregius in populo refragari non timuit, et templa sive idola, quæ ille et colebat et coli jubebat, subvertit atque confregit.

Cum igitur ad restitutionem simulacrorum, quæ confregerat, compellenti Juliano non cederet, justissimum esse dicens propter fidem Domini nostri Jesu B Christi gloriose mori, ut cum ipso mereretur in æterna felicitate lætari, tyrannus non valens jam continere belluinum animum in illa cavea simulationis, quamvis invideret tantæ Christianorum spei, scilicet gloriæ martyrii, capitalem eum sententiam subire præcepit: *Flexis in terram*, ait, *genibus extende cervicem et fulminantis gladii mortiferum, sicut tibi prædixi, suscipe plagam.* Tunc martyr Christi paululum induciarum ad offerendam Deo orationem sibi dari flagitavit. Quo impetrato prostravit se in terram et elevans vocem oravit dicens: *Domine Deus omnipotens, qui cœlum terramque et omnia quæ in eis sunt creasti, et hominem ad imaginem et similitudinem tuam factum in paradisum posuisti, cum denique lapsum diabolo suadente per Unigeniti tui incarnationem et passionem reformasti, et sanctos et electos* C *tuos non ad hujus mundi gaudia, sed ad labores et tribulationes misisti, supplicem servi tui exaudi orationem, et quia te timeo solum et toto cordis alacritate diligo, nunc pro tuo nomine non solum omnia corporis tormenta, sed et ipsam subire desidero mortem, animam meam jube suscipi per manus angelorum in paradiso tuo cœlesti, cum corona martyrii. Istis autem a quibus interficiendus sum, quicunque ignorant et errant, cunctorum da indulgentiam peccatorum, et cum sanctis tuis in regno tuo portionem, qui vivis et regnas cum Unigenito tuo et Spiritu sancto unus et verus Deus in sæcula sæculorum.* Cumque fideles qui aderant respondissent: *Amen*, surgens ab oratione et stans in medio multitudinis: *Rogo*, inquit ad Cæsarem, *ut dum me interfeceris corpori meo concedas* D *locum sepulcri.* Ille respondens: *Concedo*, ait, *quemcunque locum elegeris.* Attollens ergo Christi martyr oculos et circumspiciens vidit a longe montem excelsum et ad Julianum respiciens: *En*, inquit, *Cæsar, montem cernis ipsum in quo volente Christo sepulturam habiturus sum.* Cum interim ad multitudinem conversus fidelium qui aderant pro re et tempore aliqua loqueretur adhuc, quasi patiens exspectabat tyrannus, nimirum ad devorandam animam, [*f.* potius] quam ad occidendum corpus inhiante diabolo qui per illum operabatur. Denique cum jam ille testis Christi fidelissimus cum Apostolo diceret, aut revera dicere posset: *Cupio dissolvi et esse cum*

Christo (*Phil.* I), multo enim melius; itemque illud: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV), Julianus ad blanditias sese callide inclinans: *Accipe*, inquit, *dignitates, accipe honores, accipe aurum et argentum, et omnia bona possi le, quæ nobis pretiosa sunt, et esto noster amicus, in eadem scientia et in eodem sensu.* Vir sanctus, memor illius ostensionis, qua tentator diabolus. Domino nostro Jesu Christo regna mundi et gloriam eorum ostendens, dixit: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV), dixit ad eum; *Cæsar, a diabolo seductus es, et veritatis inquisitores Christianos seducere festinas; « pecunia tua » et quæcumque promittis « tecum sint in perditionem* (*Act.* VIII). » *Ideo enim terrena promittis, ut cœlestia tollas, et vitam transitoriam promittis ut æternam subtrahas, et ad extremum sine dubio idcirco suades caduca gaudia ut amoveas ea quæ sunt æterna*

Tunc in vocem exsultationis et confessionis erumpens adversus impietatem paganicam, Judaicam atque hæreticam, quæ videlicet impietas, velut Cerberus canis infernalis trium capitum, catholicam tunc vexabat Ecclesiam, clamavit et dixit: *Ego in Deum verum credo et ipsum adoro in substantia unum, in personis trinum, Creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium et finem non habentem, cujus regnum incorruptum permanet in sempiternum. Credo unigenitum Dei Patris omnipotentis Filium, Patri consubstantialem, coæternum atque coæqualem, Spiritu sancto cooperante ex Maria conceptum, verum hominem sine virginitatis corruptione ex ea natum, sub Pontio Pilato crucifixum, a mortuis tertia die resuscitatum, in cœlos receptum, in die judicii vivos ac mortuos judicaturum et unicuique secundum opera sua redditurum.*

Interea lacrymæ manabant ex oculis ab initio orationis, quam impetratis, ut jam dictum est, fudit induciis, et hoc infirmitatis esse videbatur illis qui nescirent quid sit illud in psalmo dictum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). et alibi: *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV), et de ipso capite beatorum lugentium, qui propter hoc ipsum quia lugent beati sunt (*Matth.* V), Apostolus dicit: *Quod in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui salvum illum facere possit cum clamore valido et multis lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V). Nesciebant hæc multi qui aderant maximeque ille tyrannus, cujus erat cor induratum, sicut cor Pharaonis, et idcirco infirmus atque pendulus Christi martyr esse videbatur, unde et promissis suis pertingere tentavit illum idem inefficax malitiæ artifex, sicut jam dictum est. Ubi autem inter ipsas lacrymas hic Domini testis tandem exsultationis et confessionis vocem extulit, tunc ille odibilis Deo Julianus, imo habitator cordis ejus nequam spiritus, diutius ferre non potuit, jubensque caput ejus absque dilatione amputari deridendo dixit: *Videbo si Christus tuus liberet te et surgere atque tuis pedibus te faciat ambulare.* Deridebat enim eum pro eo quod, sicut jam supra dictum est, postulata et concessa sibi electione sepulcri **272** dixerat illi: *En Cæsar, montem cernis ipsum, in quo demonstrante Christo, sepulcrum habiturus sum.* Itaque propositum habens in corde ejus spiritus nequam, quod aliter sepulcrum ejus illi non fieret, nisi ad montem longe remotum, quem sibi elegerat, pedibus suis ambularet, derisionem ejusmodi locutus est. Dominus autem Jesus gloriam suam e contra manifestare dignatus est, ut videret et confunderetur hostis ejus imperator impiorum falsus, et verus diaboli satelles, et ignis invidiæ magis ac magis eum devoraret. Martyris quippe corpus erexit se per virtutem Christi, et ambabus amplexum manibus caput suum per unum milliare comitantibus utique angelis, et Christum collaudantibus deportavit. Et ita usque ad montem illum sine ulla offensione pervenit, deinde subiit in montem ipsum, et ibi lapidem colore album, situ planum inveniens sedit super eum. Protinus duritia lapidis officiose cessit pio martyri. Etenim quasi cera mollis insidenti gremium aperiens concavum subsellium præbuit, secuturis memorabile sæculis. Unde hactenus mons ille, mons dicitur sancti Eliphii: est autem inter Frumentosam, et Grandem medius, ab utraque millibus distans senis, ab Aquilone Trillensem urbem, ab austro vero Grandem habens.

Interea quam plures infirmi diversis languoribus afflicti passionem gloriosi martyris venerantes, et Christi nomen in ea collaudantes meritis ipsius sanitati redditi sunt. Hæc videntes pii, lætati sunt, impii zelo maligno zelati sunt, et orta inter utrosque pugna fideles martyris magnifici meritis adjuti, et Christo donante, victis infidelibus gloriosam victoriam adepti, exstinctorum corpora paganorum in proximum fluvium projecerunt. Martyrizatus nempe est beatus Martyr in prato amæno, quod situm est in ripa fluvioli supra memorati, cui nomen Vera, XVII Kalendas Novembris. Super sacratissimum ejus corpus ædificatum est a fidelibus oratorium, ubi fideliter petentibus multarum præstantur beneficia virtutum.

R. D. D. RUPERTI
ABBATIS TUITIENSIS
DE VOLUNTATE DEI
LIBER UNUS.

273 PRÆFATIO.

Summi et summa cum reverentia nominandi Dei omnipotentiam, simul et benevolentiam, confiteri et prædicare cupientes, *datum optimum, et donum perfectum* postulamus *desursum ab* isto *Patre luminum* (*Jac.* I), scilicet eum, qui ad hoc optime valet, simplicem oculum, *non habentem aliquem partem tenebrarum* (*Luc.* XI). Ait enim ipsa lux, ipsum lumen oculorum nostrorum : *Si oculus tuus simplex fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI). Nam quid per oculum simplicem, nisi rectam et piam intelligi voluit intentionem? Hæc facit, ut illuminemur accedentes ad Dominum, ut videamus lumen ingredientes domum, ut non cæcutiamus contra lucernam veritatis, stantem super magnum dignitatis suæ candelabrum. Ut igitur totum lucidum sit corpus operis sive sermonis nostri, *non habens aliquam partem tenebrarum* ejusmodi, cum quibus nulla est societas luci veritatis, absit a nobis oculus nequam, id est nullam habeamus de bono Deo suspicionem, quod eo volente peccaverit diabolus aut pater noster Adam, sed sicut scriptum est : Sentiamus *de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis* quæramus *illum* (*Sap.* I), ut experiri mereamur quod sequitur : *Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem his qui fidem habent in illum* (*ibid.*).

CAPUT PRIMUM.

Impiam et ineptam esse hanc divisionem : Voluntas mali alia approbans, alia permittens.

Hæc idcirco nunc ad vos dicere incipimus, o magistri, temporibus nostris inclyti, Wilhelme Cathalaunensis pontifex, et Anselme, Laudunensis lucifer, quia de vestris scolis hoc se quidam nostrorum accepisse fatetur, ut diceret : *Quia Deus malum fieri vult, et quia voluntatis Dei fuit quod Adam prævaricatus est.* Non Scripturarum auctoritatibus, sed vestri nominis magnitudini innititur, traditamque a vobis hujusmodi divisionem longa contentione testatur : *Voluntas*, inquit, *mali alia approbans, alia permittens.* Hoc primum a vobis quæsisse optaremus, si copia vel opportunitas mutuis vocibus colloquendi præberetur, utrum verum esse possit quod nos artium magistri tam inertem fecisse divisionem dicimini. Quid enim? Si voluntas mali genus est, et A generis hujus divisivæ differentiæ sunt, alia approbans, et alia permittens, hæc, quam dicit voluntatem permittentem, bona erit an mala? Si mala, quomodo approbanti malum opposita? Si bona, quomodo species voluntatis mali? Non ergo credimus dicenti quod vos hujusce divisionis auctores fueritis quæ et Deum accusat, et artis constantiam non servat.

CAPUT II.

Permissionem Dei eamdem esse, quæ bonitas, patientia, et longanimitas Dei a Paulo dicitur. Item quid sit : « Tradidit illos Deus in desideria cordis, » et similia.

Quærimus autem quid sit permissio Dei, et cito invenimus, ex auctoritate Scripturarum, quod ipsa sit patientia Dei. Nam Apostolus dicit : *Volens Deus* B *ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum* (*Rom.* IX). Et in propheta Deus dicit : *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar* (*Isa.* XLII). Ergo confidenter dicimus, quia nunquam Deus volendo malum fieri permisit, sed sustinendo malos patiens fuit. Hæc autem sustinentia sive patientia, sine dubio differentia vel species voluntatis mali 274 non potest recte dici, sed bonitas vel benignitas Dei. Nam idem Apostolus dicit : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* (*ibid.*) Dicendo bonitatis, patientiæ, et longanimitatis, tribus eamdem rem, imo et quatuor nominibus expressit, subjungendo : *Ignoras quoniam benignitas Dei* (*ibid.*), dicimus quia ipsa est patientia Dei. Si quæritur quid sit patientia Dei, di- C cimus quia ipsa est longanimitas Dei. Et hoc scienter dicentes, nimirum eodem (*sic*) Deus non passibiliter patiens sit. Nam in eo patiens dicitur quod est longanimis, id est quod peccantem non statim punit. Si quæritur quid sit longanimitas Dei, ipsa est bonitas Dei. Et quidem dum non statim punit, ullo modo malum fieri permittit, sed ipsa præmissio non potest ascribi malæ voluntati, vel voluntati mali, quemadmodum in supradicta divisione supposita est ei tanquam generi. Non econtra bonitas est Dei. Etenim, sicut jam dictum est, unam eamdemque rem tot nominibus bonitatis, patientiæ, longanimitatis et benignitatis significatam oportet intelligi, quæ peccantem ad pœnitentiam adducit. Quid ergo

est, quod de quibusdam idem Apostolus dicit : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*, tradidit illos *in passiones ignominiæ*, tradidit illos *in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt* ? (*Rom.* I.) Nimirum idem quod in psalmo Deus ipse dicit : *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum* (*Psal.* LXXX). Hoc etenim tam ratio veritatis quam Patrum vel doctorum Ecclesiæ sacra auctoritas sanissime defendit, quia tradidit illos Deus, idem est ac si diceretur : dereliquit illos Deus, videlicet propter interius peccatum superbiæ, quod Deus non vult, ut faciant exterius secundum desideria cordis sui malum immunditiæ, quod itidem ut faciant, non vult Deus, cum sit bonus ; a quo non liberat eos, cum sit justus.

CAPUT III.

Quod Deus nolens malum permittat, sed non coactus.

Sed dicitur nobis : Quoniam, ut ipsi fatemini, Deus malum permittit fieri, quærimus a vobis utrum volens aut nolens permittat fieri. Si nolens permittit, invitus permittit ; si invitus permittit, coactus permittit ; si coactus permittit, omnipotens non est. Dicimus ad hæc : Nunquid intellexit hic talis quid ipse dixerit, dum nos ad hoc inconveniens se pertraxisse confidit ? Dixit enim : Si nolens permittit, invitus permittit, coactus permittit. Ostendatur ergo ipse sibi, ut, cum dicit volens, videat quid oporteat subaudiri, permittere, an malum fieri. Nam si dicamus quia nolens permittit, profecto consequitur quia invitus permittit. Si autem, quod ad rem magis attinet, dicamus quia nolens malum fieri, tamen permittit fieri, non consequitur quia invitus aut coactus permittit, sed, propter supradictas divitias bonitatis, et patientiæ et longanimitatis suæ, permittit propter benignitatem suam, qua malefacientem ad pœnitentiam adducit, licet hoc interim sciat, quod *secundum duritiam* suam et *impœnitens cor* thezaurizet *sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom* IX).

CAPUT IV.

Deum, cum indurat quempiam, non velle malum, sed pro justitia sua puniri.

Dicit homo adhuc : Si Deus malum fieri non vult, quomodo quempiam indurare dicitur ? Dicit enim idem Apostolus : *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Hic primum quid sit indurare quærimus, ut tunc demum homini huic respondeamus, qui, pro ipsa improbitate sua qua Deo respondere audet, homo dicitur. Quid ergo est quod Deus quem vult indurare, indurat, nisi quem non vult emollire, non emollit ? Omnes enim in uno duritiam meruimus, scilicet in Adam, in quo omnes peccavimus. Ex eo nulli quidquam debet Deus, nisi pœnam, nisi judicium, quo in illo præjudicati, id est judicati omnes antequam nati sumus. Cui vult Deus gratuita misericordia miseretur, ut per pœnitentiæ spiritum emolliatur, et peccatorem se lacrymabiliter confitens, ambiat justificari per fidem alterius hominis, Jesu

A Christi ; et quem vult in illa duritia, in illa relinquit ira, quam thezaurizavit ei Pater ejus. Sic Pharao, cum peccassent ei duo eunuchi, pincerna ipsius et pistor, neutri illorum aliud quam damnationis judicium debuit. Donavit tamen alteri et ab altero exegit, et nemo reprehendit, quia videlicet cui non debebat, vitam et gradum pristinum misericorditer donavit, et cui debebat, juste pœnam intulit. Quomodo ergo in Deo quisquam reprehendit illud, cui simile in homine nemo juste reprehendere posset ?

CAPUT V.

Scrupuli quidam curiosorum, qui Deum malum velle argutantur.

Hæc pro illa tam inepta quam inutili argumentatione hactenus dicta sint. Cæterum, et pro nostra
B eruditione adhuc ultra progrediendum est, ad ea scilicet quæ curiosis hujusmodi scrupulum facere videntur. Dicunt enim : Si Deus malum fieri non vult, aut non voluit, cur non creaturam inconvertibilem, id est quæ de bono in malum declinare aut degenerare non posset, creavit ? Noluitne, aut non potuit ? Si noluit, quomodo non malum fieri voluit ? Si non potuit, quomodo dicimus aut prædicamus quod omnipotens sit ? Amplius autem : Quare homini primo præceptum posuit, si prævaricationis malum, quod præscire poterat, evenire noluit ? Si malum illud non fieri ab homine, vel si salvum esse volebat hominem, cur non liberum esse permisit, sed præcepto ligavit, sciens prævaricaturum, et damnaturus prævaricatorem ? Ad ultimum : Cur, inquiunt,
C illos nasci permittit, quibus melius esset, si non fuissent nati, quoniam ad vitam non sunt præordinati ? Ad hæc ergo sæpedictæ suspicionis seminaria, res postulat, ut aliqua respondeamus, non tamen immemores vehementissimæ exclamationis, qua dicit Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* (*Rom.* XI.) Loquebatur enim de voluntate Dei, adversus eum quicumque ille est, qui rapuit temere verbum de ore ejus, ut diceret perverso sensu, quod ipse recte dixerat : *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Et continuo : *Quid adhuc quæritur? Voluntati enim quis resistit?* (*ibid.*) Itaque non incomprehensibilia Dei judicia comprehendere, et investigabiles vias
D 275 ejus investigare tentabimus, sed qualicunque parva recreatione nostræ inopiæ subveniemus, adjuvante si dignetur Spiritu ejusdem Dei, de quo idem Apostolus dicit : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (*I Cor.* II).

CAPUT VI.

Sanæ mentis non esse hujusmodi quæstiones de voluntate Dei movere. Et hoc tractat per similitudinem figuli et figmenti.

Sed hic jam illud prius dicendum quia probæ et bene compositæ mentis non est, hujusmodi movere et agitare quæstiones. Denique id est velle aut voluisse Deo consilium dare, et quasi debitum ab

operiario conductitio modum operis exigere. Sed dicit idem Apostolus : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI). Recta nimirum et justa defensio, ne hodie natus rudis homuncio docere velit Antiquum dierum, cani et maturi capitis, qualiter debuisset operari, qui tunc operari cœpit, quando nullus nostrum adesse potuit, ut illi operis normam ostenderet, et digitos operatis in quamlibet partem duceret aut revocaret. Ideo dicit : *Quis consiliarius ejus fuit ?* subauditur nemo, nisi Spiritus ipsius, de quo ille alius dicit : *Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi* (*Isa.* XL.) etc. Justa, inquam, et legitima defensio, ne exigat opus ab opifice modum sui, id est homo a Deo retributionem in qualitate vel quantitate dignitatis, qui ut fieret vel formaretur ab eo, nihil dedit ei. Ideo dicit : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?* Tale namque illud est ac si dicat figmentum ei qui se finxit : Quare me fecisti sic ? Quod si dicere posset, recte nimirum figulus responderet : Nunquid vel hoc ipsum debebam, quod feci sic ? Quid mihi prius dederas, o lutum, ut te facerem in illum vel illum honorem ad tuum libitum ? Quantumlibet in contumeliam vas ego te fecerim, habes gratiam gratuitam etiam impendi operam, ut esses aliquid plus quam fuisti, quia lutum informe eras, nunc formatum qualecunque vas. Quid autem nos, nisi lutum informe fuimus in manu ejus, cui veraciter cum propheta dicimus : *Tu plastes noster es, et nos lutum* (*Isa.* LXIV). Formavit enim Deus hominem primum de limo terræ, et post illum vel ex illo quicunque formati sumus lutum fuimus, limus carnis, id est globus liquidus, susceptus ex traduce fuimus. Quid huic tali luto figulus iste ademit, nisi quia quod informe erat formaverit ? Nunquid non pluris erat Adam, etiam in veste pellacia, quam fuerat illud, de quo factus est, lutum sive limus, utique, terræ inanimatæ abjectior pars ? Nunquid non plurimis aut melioris erat secundum substantiam Esau homo agricola et vir gnarus venandi, quamvis pilosus et hispidus, quam fuerat limus ille susceptus ex traduce Isaac, de quo illum, et fratrem ejus Jacob plastes iste formavit. Sed jam ad inquisita revertamur.

CAPUT VII.

Quod ideo Deus nullam fecerit creaturam, passionem et vitiorum exsortem, quia sui ipsius hæc natura solius esset.

Primum eorum quæ superius quæri dicebamus, illud est : Cur Deus si malum fieri noluit, creaturam suam non inconvertibilem, id est quæ de bono in malum declinare non posset, creaverit, utrum quia non potuit, an quia noluit ? Et si non potuit, quomodo omnipotens sit ? Dicimus ad hæc : Plane omnipotentem esse Deum cuncta prædicant, cœli, terra mare et omnia quæ in eis fecit. Sed nunquid ideo consequenter ab eo exigitur cur non creaverit, vel quod creare debuerit naturam inconvertibilem sive incommutabilem, id est, nullius passionis aut vitii perceptibilem ? Aut si natura hujusmodi creari non potuit, num idcirco consequens erit Deum non debere omnipotens prædicari ? Non utique, nam inconvertibilis natura supra omnia, ultra omnia, extra omnia est, et hæc solius Dei natura est, qui utique factus, vel creatus non est. In solam quippe Trinitatis divinitatem hoc prædicare, quod sit convertibilis, sacrilegium est, ut fecit Arius dicens : *Quia convertibilis, et mutabilis est Dei Filius, sicut et universa rationalia.* Tale ergo quidpiam ab increato Deo creari non potuit, et tamen veraciter omnipotens, quia omnia potuit, et omnia fecit. Nihil enim non fecit.

CAPUT VIII.

Inconvertibile quidquam a Deo generari quidem non autem creari potuisse, per similitudinem docet.

Illud tantum quod est super omnia, ultra omnia, extra omnia, omnipotens, ut jam dictum, non potentialiter aut voluntarie fecit, sed naturaliter genuit. Horum quæ dicimus, a nota imagine Dei, scilicet ab homine documentum capiamus. Ecce homo et naturaliter generare, et operari potest voluntarie. Quod generat aliud esse non potest, quam quod est ipse ; quod operatur, nullatenus esse potest id quod est ipse. Generat enim homo non aliud quam hominem ; operatur, verbi gratia, domum quam inhabitet, vel quam induat decoram vestem. Horum nihil hoc ipsum est quod ipse; laudatur autem, si hæc operatus est scite vel commode sicut est dignum se. Sic nimirum Deus genuit quidem hoc ipsum quod est ipse, scilicet Deus Deum, impassibilis impassibilem, incommutabilis incommutabilem, inconvertibilis inconvertibilem ; operatus est autem vestimentum suum, videlicet Ecclesiam suam, sive illud de quo in psalmo scriptum est : *Amictus lumine sicut vestimento* (*Psal.* CIII), scilicet angelicam creaturam dicendo : *Fiat lux* (*Gen.* I), et hanc mundi fabricam, in qua fecit *hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*ibid.*). Quorum omnium nihil hoc ipsum esse debuit aut potuit quod est ipse qui fecit, vel compar ei quod idem factor genuit. Sicut fabricatura, vel pictura nullo modo idem esse potest quod est faber aut pictor, vel quod ille de carne sua genuit. Dignum vero laude est, et curiositati nostræ debet sufficere, quod talem creaturam potuit facere factor omnipotens, quæ capax ejusdem factoris possit existere, et deitatem, quam non habet per naturam, valeat consequi per industriam, adjuvantem habens gratiam. Igitur commutabilem sive convertibilem esse oportuit angelum et hominem, utpote de nihilo creatos, etenim illud unde creati sunt, de nihilo creatum est. Et creatus quidem uterque est purus, et innocens, sic videlicet ut de ipsa innocentia vel proficere ad summa, vel deficere posset ad infima. Profecisse namque imo et adhuc proficere sanctos angelos Apostolus quoque testis est, qui scribens ad Ephesios : *Ut innotescat,*

inquit, *principatibus et potestatibus in* **276** *cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* III).

CAPUT IX.

Deum voluisse sibi comparem creaturam facere, et fecisse commistis in uno Christo diversis genituræ suæ substantiis.

Durum fortasse a quoque judicetur quod dicimus Deum omnipotentem sibi, vel suæ naturæ, comparem non potuisse condere creaturam; sed revera durius atque intolerabilius rectissime judicaretur, si eum (quod absit!) noluisse diceremus. Nam hoc dicendo, minus bonum prædicaremus, et (quod dictu nefas est), invidentiæ suspectum illum faceremus. Dicamus ergo fideliter, dicamus fiducialiter quia Deus et vere bonus creaturam sibi comparem facere voluit, et juxta quod de illo scriptum est: *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII), non ante destitit, donec hoc ipsum quocunque modo, qualicunque arte sapientiæ suæ faceret quia voluit. Et quomodo fecit? Diversas genituræ suæ substantias, sive naturas in unam personam conjunxit, et salva veritate utriusque naturæ ut hominem Deum faceret Deum hominem fecit, quando Verbum suum incarnari voluit. Hoc fecit quoniam bonus, quoniam benevolus.

CAPUT X.

Omnipotentiæ argumentum esse, quod assumpserit Deus humanam naturam, quam præter ipsum nihil potuerit assumere.

Imo, et si placet nobis, quoniam Omnipotens fecit, quoniam Omnipotens sic humilia respicere et sic descendere potuit. Hoc enim nullus alius eorum qui fuit [fuerunt ?] vel erant in cœlo, sive in terra, sive subter terram facere potuisset. Si de angelica putes creatura, confidenter dicimus quia nulli angelorum possibile erat ut hominis naturam assumeret, ut humana sese anima vestiret. Nihilo quippe angelicus spiritus humana anima subtilior est, unde nec alter alteri, scilicet angelicus spiritus humano spiritui captabilis est, nec alter alterius capax. Solus denique Deus spiritus increatus, spiritus incircumscriptus, cum nullius ipse capax, omni rationali spiritui, sive angelico, sive humano captabilis est. Proinde cum quis diabolico plenus dicitur spiritu non hoc existimandum est quod substantiam humanæ animæ, substantia diabolici spiritus ingressa sit, sed quod in occultas corporis cavernas irrepserit, animamque in suis sedibus deprehensam tartareis diverberet flagellis, inficiat venenis, inflammet incendiis. Quomodo ergo angelus humanam naturam assumeret, vel qualiter hominis animam, qua non est subtilior, indueret? Igitur et hoc ut omnipotens fecit, et hoc opus vere divinum, et sufficiens est Verbo Dei veræ divinitatis argumentum, opus non minus clementiæ quam potentiæ, quia voluit et solus potuit nostram assumere naturam, voluit et solus potuit Creator creaturam sibimet in unam conjungere personam.

A

CAPUT XI.

Creaturam illam omnipotentiæ Dei talem fuisse quæ peccare non posset. Item quomodo Deus omnipotens malum facere non possit.

Facta est itaque quoniam a bono et omnipotente Creatore fieri potuit, facta est non tam per creationem quam per assumptionem creatura talis, quæ peccare non solummodo nollet, verum etiam non posset, quemadmodum dicit eadem creatura nova, Filius hominis, idemque Creator antiquus, Filius Dei inconvertibilis: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V). Item: *Non possum ego a meipso facere quidquam* (*ibid.*). Quid enim est quemquam, a semetipso quidquam facere, nisi malum facere? Ergo *non possum*, inquit, *a meipso facere*

B *quidquam*, id est extra Deum seorsum, extra verum, per memetipsum, divisa voluntate mea a voluntate Dei Patris, sicut angelus refuga, vel sicut primus homo prævaricator facere potuit et fecit, ut qui erat uterque creatura, et proinde convertibilis facta, et idcirco mutabilis. Nam sive angelus sive homo quamdiu aliquid accidens admittit ab essentiali bono aversus, tam diu a semetipso operatur, verbi gratia cum dicit malum bonum, et bonum malum (*Isa.* V), cum inique judicat, condemnans justum et justificans impium. Unde non hæc nisi a semetipso facit, cum in essentia rerum aliter sit? Et hæc quidem, vel cætera hujusmodi homo si multum est justus, cum possit facere non vult, si autem parum justus est, vel ad justitiam nunc primum

C dispositus, nec adhuc ejusdem justitiæ habitum indutus, parum, inquam, justus est si facere non audet, Dei autem sicut nulli vitio nullisque omnino accidentibus subjacet, ita summe justus tale aliquid omnino facere non potest. Cum autem dicimus quia facere malum non potest, veram ejusdem eodem dicto prædicamus omnipotentiam, ac si dicamus: Nihil non potest. Nam et apud quemdam non vana, sed vera philosophia dicit: *Deum esse omnium potentem nemo dubitaverit qui quidem mente consistat.* Et continuo: *Qui vero omnium potens est, nihil est quod ille non possit.* His duobus concessis, statim infert: *Num igitur Deus malum facere potest? Minime*, inquit. Et concludit sic: *Malum igitur nihil est, cum id facere ille non possit, qui nihil non po-*

D *test.*

CAPUT XII.

Angelos, quod peccare non possint, non per naturam habere, sed per gratiam accepisse. Prætereacur non firmaverit eos Deus cum firmaret, aut certe priusquam eveniret malum.

Et quidem sancti angeli firmati sunt, et quia malo angelo quidquam a seipso faciente, id est malum faciente, ipsi Deo principi suo adhærere maluerunt, hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non possint, quia cum possent facere noluerunt. Verum hoc non est per naturæ ipsorum potentiam, sed per divinæ voluntatis remu-

nerantem gratiam. Proinde et si recte dicatur, quod jam a seipsis quidquam facere non possint, attamen non illud verum est adjungere quod faciant quæcunque viderint Patrem facientem (*Joan.* v). Attamen formati sunt. Forte ergo dicit aliquis; Si Deus malum fieri noluit, cur quod postea facturus erat non prius fecit? **277** Cur malum ne fieret non prævenit, firmando omnes eadem potentia, qua post mali eventum firmavit quos voluit? Aut certe cum crearet eos cur firmare distulit, et non eodem firmavit puncto quo creavit? Dicimus ad hæc: Idcirco nimirum, quia longe aliud erat et est, creari, et aliud creaturam in bono statu firmari. Nam de nihilo quidem omnis creatura creari, omnisque potuit factura formari, sed non de nihilo potuit ulla rationalis, id est angelica, vel humana natura firmari. Etenim *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* xxxii). Quoniam aliud est lapidem esse et foramina præparata habere, atque aliud auro ligari, sic aliud est rationales creaturas formari, atque aliud Verbo Domini, et Spiritu oris ejus firmari, ut cœli, id est, sedes Dei sint. Utique rationales creaturas creari id fuit, quasi lapides pretiosas præparari cum foraminibus suis; firmari autem easdem creaturas id fuit, quasi lapides aurum, quo ligarentur, recipere in foraminibus suis. Verum non nisi volenti creaturæ sese inserere consuevit aurum divinitatis, aurum Verbi Domini, aurum Spiritus oris Domini. Noluerunt quidam recipere illud aurum, ita contemnentes quomodo si contemnat mulier amatorem suum. Quomodo ergo prævenire debuit malum, ne fieret, cum hoc primum fuerit malum, nolle recipere vinculum Verbi, vinculum amoris, quo omnis firma creatura firmata est, sine quo nulla omnino firmari vel stabiliri potest?

CAPUT XIII.

Refellit impietatem carnis, quæ argutatur hac ratione Deum statuisse legem Adamo, quod prævaricatorem fieri vellet.

Et angelis quidem quod vel quale positum fuerit verbi capitulum nulla historia refert, hominibus autem primis istud positum est: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* ii). De hoc quod superius dicebamus quæritur, et nimis improbe quæritur quare D Deus hoc jusserit, quare præceptum posuerit, si prævaricationis malum, quod præscire poterat, evenire noluit? Quærimus hic non jam quid dicamus, sed quomodo dicamus, quia vere totis universi sermonis nostri humeris major est res ipsa quam versamus. Primo non satis admirari possumus profundas humanæ sapientiæ tenebras, quæ illius præcepti scrutando et investigando causas, nullam aliam invenire aut consequi meruit, nisi hanc, ut dicat quia Deus hominem prævaricatorem fieri voluit. Qui enim hæc dicunt, nonne illud videntur opinari quod Deus gratis creaturæ suæ scandalum juxta viam posuerit, et occasionem maligno diabolo porrexerit, volens ut homo A caperetur, volens omnino esse unde homo deciperetur? Mala opinio, perversa suspicio. Sed forte in hoc ipso sapientem Deum se honorare, satisque excusatum sibi habere videntur, hujusmodi attexendo causam, quod idcirco voluerit evenire hoc malum, ut uteretur eo in bonum, idcirco voluerit abundare iniquitatem, ut superabundaret gratia (*Rom.* v). Perversa nimis ista Dei excusatio, perversa et indigna circa sapientiam Dei adulatio. Nonne tibi videntur asserere Deum dixisse: Faciant mala diabolus, et Adam et Eva, faciant mala, ut veniant bona? Quid enim? Si illorum, qui Apostolum Dei aiebant sic dicere: *Faciamus mala ut veniant bona, damnatio justa est* (*Rom.* iii), quanto magis si qui dicant, ipsum dixisse Deum, fiant mala ut veniant B bona, damnatio illorum justa est? Quæramus igitur in illo præcepto meliorem Dei intentionem, sanctiorem et dignam Deo voluntatem.

CAPUT XIV.

Ideo præceptum posuisse Deum Domini, ut quæ est bonitas ejus, illum faceret beatum et vere viventem.

Quare Deus homini præceptum posuit? Vere propter suam bonitatem. Quam propter bonitatem? Quo tendentem? Propter charitatis suæ bonitatem, eo tendentem, ut hominem faceret beatum et in sempiternum viventem. Ergone, inquis, illud non poterat fieri absque positione præcepti? Non utique, testante Scriptura, cum in Deuteronomio Moyses dicit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo* C *quod procedit ex ore Dei* (*Deut.* viii). Nihilominus dictum puta primo homini: Non in omni ligno paradisi vivit homo, sed in præcepto Dei. Nam ipse in Evangelio suo Filius Dei dicit: *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est* (*Joan.* xii). Et vere. Quid enim est mandatum Dei, nisi Verbum Dei? Et quæ alia est vita creaturæ rationalis nisi Verbum Dei, sine quo nec substantia creaturæ potuit fieri? Quod ergo diximus iterum dicimus, quia sicut propter bonitatem suam hominem et fecit et in paradiso posuit, sic nihilominus propter bonitatem suam præceptum homini posuit Deus, ut scilicet et corpore et anima viveret homo æternus, et æternaliter beatus. Nam ut corpore viveret beatus, idcirco illum tali in loco posuit; ut anima beatus viveret, idcirco mandatum suum dedit illi.

CAPUT XV.

Falli eos qui putant parvum esse præceptum, quod de pomo non edendo positum erat, comparatione solis docet.

Sed dicit aliquis: Quale vel quantum præceptum illud erat, ut merito in illud respicientes dicamus quia mandatum Dei vita esse æterna? Aut quomodo majestatem decuit in tam exiguo ponere vitam, et mortem hominis, ut, pomum unum si non morderet, corpore et anima viveret: si morderet, utriusque, id est corporis et animæ, mortem incurreret. Hæc enim cogitatio non paucorum animas rosit, ut putarent superfluum fuisse illud præceptum Dei, nul-

tamque habuisse causam utilitatis, nisi quia voluit. A Sicut parum quid est unum cujuslibet ligni pomum, sic exile æstimant illud Dei præceptum. Sed nunquid quia parvum videtur, idcirco vere parvum est, et non potius nos exiguos sensus habemus? Sic iste sol parvus in cœlo videtur, et tamen non vere parvus est, sed nos ad suspiciendum illum exiguos oculos habemus. Nam a sapientibus non improbabili ratione permensus globus ejus, multipliciter major esse quam orbis terræ deprehenditur. Ratione igitur magis quam sensu carnis illud præceptum Dei metiamur, et profecto magnum esse liquebit quod parvum putabatur.

CAPUT XVI.

Fidem, spem et charitatem, in quibus vita est æterna, primo illo præcepto exigi.

B Magnum utique verbum est, quo pariter exiguntur ab homine tria hæc, fides, spes et charitas, quorum possessio sine dubio vita est æterna. Tale nimirum hoc verbum est: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen* II). Denique tanta largitas Creatoris, qua nullis præcedentibus meritis hominem in paradiso ponens dixit: *Ex omni ligno paradisi comede*, debitum ab illo exigebat magnæ dilectionis. Quod vero dixit, ex illo tali ligno ne comedas, spem collocabat magni præmii, quod videlicet non parva daturus esset Deus pro observatione præcepti, qui tam multa jam dederat gratis. Quod tandem dixit: *In quocunque die comederis ex eo morte morieris*, fidem exigebat ut crederetur Deo tanquam vera dicenti, crederetur C verbo Dei, tanquam veritati. Magnum igitur et dignum auditu verbum fuit, quo a parentibus nostris eadem tria quærebantur, charitas, spes et fides, quæ hodieque reciprocato ordine exiguuntur a nobis, de quibus et Apostolus ait: *Nunc autem manent fides, spes, charitas*: tria hæc, *Major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII). Quid enim ultra hæc omnis categorizat Scripturas divinitus inspirata? Et in multa Scriptura et in brevi præcepto una eademque prædicatur tria [via ?], veritas et vita, quam ubi suscipiunt tria hæc, fides, spes et charitas, illa demum vivit beata creatura.

CAPUT XVII.

Satis magnum esse præceptum de fructu paradisi, quando tum non opus erat ut statueretur aliud, et ex hoc qualiscunque tamen probari poterat Adami vel fidelitas, vel iniquitas.

D Sed, sicut jam dictum est, idcirco a parvis quasi parvum æstimatur, quia parva res erat fructus ligni, a quo illi prohibebantur. Ergo considerandum videbitur non quid, sed pro quanto quisque faciat, non ut dicatur multum infidelis, nisi in magno fuerit infidelis. Sed contra tam divina quam humana censura consistit. Nam Dominus dicit: *Qui fidelis est in minimo, et in majore fidelis est. Et qui in modico iniquus est, et in majore iniquus est* (*Luc.* XVI). Et ethnicus quidam ait:

Num de mille fabæ modiis cum subripis unum
Damnum, non facinus pacto est mihi lenius isto.
(HORAT. *Epist.* lib. I, ep. 16, vers 55, 56.)

Ergo nec pro eo parvum videri licet quod factum est, quia pomum illud parva erat res. Quam autem circa rem majorem vellemus tunc temporis Deum suam edidisse legem? Diceret: *Non occides?* (*Exod.* XX.) Non erat qui posset occidi. Diceret: *Non mœchaberis?* (*ibid.*). Nulla erat femina præter unam, quam ipse fecerat illi. Diceret: *Non concupisces rem proximi tui* (*ibid.*). Nullus erat proximus generis sui. Non ergo fidei materiam quæsitam fuisse miremur in momento parvæ rei, in exiguo fructu ligni.

CAPUT XVIII.

Quod ideo potissime hoc lignum vetitum fuerit, quia cum pulchrum esset, et homo jam antea Deum negligere cœpisset, tanto facilius hominem illaqueaturum esset.

Quare autem in illo magis quam in alio ligno quæsitum est experimentum fidei? Videlicet quia pulchrum erat, sicut infra scriptum est: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile* (*Gen.* III). Diligenter hoc animadvertendum est, quoniam ad hoc tendimus, ut nemo Deum cum voluntate vel exspectatione prævaricationis præceptum posuisse suspicetur. Jam homo intumuerat diabolica intus afflatus superbia. Nisi enim prius intus tumuisset, forte tentatus tam facile non crederet. Internum mentis tumorem exterior evestigio secuta est concupiscentia oculorum. Cœpitque homo rationalis aliud libenter aspicere et mirari quam Deum. Idcirco positum est, quod gliscentem cohiberet concupiscentiam præcepti frenum. Accessit tentator diabolus per serpentem forinsecus, et rupto præcepti freno concupitum temeraverunt lignum. Et idcirco confestim concupiscentia pœnalis aucta est. Nam sicut priusquam mente intus intumuerant Deum fastidiendo, pulchrum et delectabile lignum concupierunt; sic priusquam vetitum momorderunt, in concupiscentiam suimet exarserunt more jumentorum. Etenim potuissent absque ullo pruritu libidinis solos generare filios benedictionis, et nulla fuisset ignominia carnis, nisi superbia spiritum prius erexisset in contemptum Creatoris. Verum quia *homo cum in honore esset, non intellexit*, idcirco *comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Et hoc totum factum est, non Deo volente, sed Deo sustinente, non Dei voluntate, sed naturarum lege. Nam hæc est Creatoris et creaturæ lex naturalis, ut ubi a superioris amore Creatoris creatura sese adverterit, eadem aversione sua decidat et immergatur inferiorum concupiscentii, et in tantum magna sit ignominia carnis, in quantum se avertit spiritus a quærenda gloria et honorificentia Dei.

CAPUT XIX.

Calumniatores Dei esse, quibus bonæ voluntatis Dei argumentum non sit, quod malum semper prohibet.

Non hoc satis est contentiosis, quod cupientes probare Deum nunquam voluisse aut velle malum

fieri, argumentum capimus a repugnanti, id est ab A eo quod prohibuit semper et prohibet malum fieri. Quod quantæ in Deum sit calumniæ, simplex oculus facile perspicit, quia videlicet nemo nisi duplex aut subdolus unum idemque sub eodem momento et prohibet, et fieri vult, talisque recte dicitur sibimet esse contrarius. Et quid dicunt? Prohibuit quidem Deus hominem ante actum peccati, sed in ipso actu non prohibuit. Quid arbitramur istos velle Deum fecisse in ipso momento, quo vidit mulier lignum quod bonum esset ad vescendum, pulchrumque oculis, aspectuque delectabile, et tulit ex eo ut comederet? Nimirum illum exclamare debuisse, et tale quid dixisse, quale postmodum dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et* B *sumat etiam de ligno vitæ*, **279** *et comedat, et vivat in æternum*, etc. (*Gen.* III.) Et quidem juxta hunc modum poterat dicere idem Deus: Ecce mulier per serpentem persuasa est, et per mulierem sine dubio persuadendus est. Nunc ergo custodite viam ligni scientiæ boni et mali, ne mittant manum suam, et sumant de fructu ejus, et comedant, et morte moriantur. Sed sciendum est quia non ut de illo ligno dixit aut fecit, sic et de isto dicere aut facere pro ordine justitiæ debuit. Causam cur ita sentiamus, ipso donante, in promptu habemus.

CAPUT XX.

Alia ratione hominem a ligno vitæ prohibendum fuisse, quam a ligno scientiæ boni et mali, eo quod alia quoque ratione ex hoc mors acciderit, C *ex illo vita exspectanda fuerit.*

Idcirco Deus hominem non eodem modo a ligno scientiæ boni et mali prohibere debuit, quo a ligno vitæ prohibuit, quia non eodem modo illud lignum effectum vitæ in semetipso habuit. Nam huic ligno Deus ipse naturaliter hoc indidit, ut si comederet ex eo, viveret homo in æternum. Illi autem ligno non Deus hoc naturaliter indidit, sed hominis culpa effecit ut si comederet ex eo, moreretur homo in æternum. Etenim si comedisset non vetitus, neque corpore, neque anima propter illud fuisset mortuus, quia vero vetitus et inobediens comedit, idcirco eodem die morte mortuus est, non morte corporis propter naturalem ligni potentiam, sed morte animæ propter inobedientiæ culpam. Econtra, si forte misisset manum et sumpsisset de ligno vitæ, viveret in æternum, non vita animæ, quam perdiderat propter culpam, sed vita corporis propter naturalem talis ligni potentiam. Hoc facto miseram haberet æternitatem, æternamque miseriam anima mortuus, et corpore victurus in æternum, esset per irrecuperabilis, ut dæmones sunt. Igitur quomodo oportuit, sic ab utroque ligno, id est aliter ab isto, aliter ab illo Deus hominem prohibuit: ab illo per præceptum, ab isto per flammeum gladium. Nam in illo ligno sibimet homo malæ mortis fuerat auctor, in isto autem malæ æternitatis natura ligni, quam fecerat Deus, fuisset homini occasio. Quod si ab illo non continuit, cum audisset *quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, quanto minus ab isto continuisset propter solam interpositionem præcepti, si sciret quod eo gustato consecuturus foret æternitatem vitæ corporalis?

CAPUT XXI.

Deum, ut obedientiam voluit, ita perfecisse quoque in Christo pro nobis crucifixo et moriente.

Tandem adversarius forte dicit: Esto, voluerit Deus non prævaricationis malum fieri, sed hominem vivere verbo Dei, et idcirco mandatum illi dederit, *quia mandatum ejus vita æterna est* (*Joan.* XII). Sed nonne Scriptura dicit: *Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit?* (*Psal* CXIII.) Quomodo ergo illud non fecit, ut homo obediens esset, si obedientem fore voluit? Quasi vero non defecerit Deus, ut voluit. Nonne hodie homo vivit propter mandatum Dei, propter verbum Dei? Quid enim si tunc ille ad vitam et salutem suam volenti Deo non consensit? Nunquid rebellio ejus bonam voluntatem Dei evacuavit! Absit! Apprehendit enim disciplinæ virgam bonus Deus, sic misertus nostri, quomodo miseretur pater filiorum. Quam vel cujus disciplinæ virgam apprehendit? Sententiam utique, qua superbam carnem nostram percussit, ut omnes moreremur, et qui pulvis eramus in pulverem reverteremur. Multum enim valet hoc ad humiliandos nos ut submittamus luteas cervices nostras jugo mandati Dei, ut non arrogemus nobis, quod simus sicut dii, licet etiam sic deos se esse arbitrati sint miseri quidam principes generis nostri. Ita incipiens Deus non ante destitit, donec propositum suum perficeret, propter quod homini præceptum posuit. Valenter enim de trunco illo fidem, spem et charitatem, reflorescere fecit. Nam ille quidem ad opus Dei manus exstitit, et contra opus vel præceptum Dei manus incontinentes per concupiscentiam extendit, sed inventus est de genere ejus homo secundum cor Dei, qui contentas ab omni concupiscentia manus per pœnalem sibi obedientiam ad lignum crucis extendit, et sub pedibus suis conculcato peccato, exempla vivendi multis millibus sequentium se legenda proposuit.

CAPUT XXII.

Quod Deus id quod voluerit, non per alium sed per semetipsum effecerit

Igitur etiam declinante factura in illud quod Deus noster non voluit, ipse *omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal* CXIII). Ut clare audiendum est, quia non est idem ac si diceret: Omnia quæcunque voluit Deus noster, creatura ejus fecit. Elegantissimum est, ut propter causam præsentem cum dicimus: Omnia quæcunque voluit Deus noster, subaudimus fieri, ipse per semetipsum fecit. Omnia, inquam, quæcunque voluit, ut faceret creatura sua rationalis, ipse fecit. Nam nisi ipse per semetipsum fecisset, ab alio vel per alium non fuissent facta omnia quæcunque voluit. Tanta quippe, tam bona, tam bene placens, tamque perfecta est voluntas Dei nostri, ut nullus

ad omnia peragenda quæ voluit, nisi solus ipse aspirare potuerit. Legimus quidem aliquos testimonium habentes, quod fecerint quæ Deus voluit, exempli gratia, ut David, de quo ipse dixit: *Inveni virum secundum cor meum, David filium Jesse, qui faciat omnes voluntates meas* (*Act.* XIII). Sed nec iste omnia fecit, quæ Deus noster voluit, imo et quædam fecit, quæ Deus noluit. Et de angelis quid dicemus? *Ecce*, ait quidam, *cœli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis homo abominabilis et inutilis, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* (*Job.* XV.) Non ergo alius qui pro illo, sed ipsemet Deus noster fecit omnia quæcunque voluit. Sit itaque istud quod dictum est, omnia quæcunque voluit fecit, magnum et verum præconium tam potentiæ quam bonitatis Dei nostri, quia videlicet tam bonus est, ut sola bona et omnia bona voluerit, tam potens, ut fecerit eadem omnia quæ voluit. Cæterum quisque nostrum parva et pauca interdum bona cupit, et eadem facere nequit.

280 CAPUT XXIII.

Deum, si voluisset malum fieri, quod ipse in gloriam suam corrigeret, non gratis, sed ex debito suscepta carne passum esse.

Absit igitur hujusmodi, ut putatur, assumptio fermenti, ne, cum cecinerit nobis Spiritus S. in David dicente: *Deus autem noster in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit*, dicamus (*Psal.* CXIII): Voluit autem aut vult malum fieri. Consequenter enim inferre licebit, fecit ergo malum fieri, fecit ergo hominem prævaricari. Non tam aperte tanquam procaciter dicere ausus est ipse tumidus defensor sui, accusator Dei, sed ex obliquo illum tetigit: *Mulier*, inquiens, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi et comedi* (*Gen* III), et tamen de paradiso ejectus est. Quod si tali cum temperamento dicatur, idcirco voluit malum illud fieri, ut illo uteretur in bonum, ut esset causa cur hominem assumeret, perditumque supra primæ originis dignitatem repararet, atque hoc modo potentiam suam notam faceret, et divitias gloriæ suæ ostenderet, amplius atque amplius offendamur, quicunque gratiam Dei agnovimus. Nam hoc pacto gratia jam non est gratia. Non enim gratis, sed ex debito Deus homo factus, et pro hominibus passus est, si voluit ipse malum fieri, quod pro ostensione gloriæ suæ corrigeret. Non ita Deus egit, sed hominem se nolente prævaricatorem factum sua voluntate redemit. Omnes omnino per debitum justitiæ in uno morti addixit, omnes rursus in uno per gratiam misericordiæ vivificavit.

CAPUT XXIV.

Quemadmodum non injuste Deus substantiam creaturæ jam vitiatæ perdit, ita non injuste præscitam futuri hominis malitiam damnasse.

Ultimum eorum quæ superius quæri diximus, illud est, cur Deus omnium præscius illos permisit fieri vel nasci, quibus melius erat, si non fuissent facti, vel nati, eo quod ad vitam non erant præordinati. Simpliciter quippe melius est non subsistere, quam male subsistere. Quare, inquiunt, Creator bonus et clemens illos fecit, quos perituros esse præscivit? Mira et importuna, imo et violenta quæstio, et sic inepta, ut in sensu ejus nulla sit ratio. Quid enim nisi quod futurum erat præsciri poterat? At quomodo non fieret, quod sic vel sic futurum esse præscitum fuisset? Vicinius ratione esset, si ita diceretur: Quare substantiam malorum spirituum Deus vel hominum impiorum subsistere permittit, quorum nimium male subsistit, et non funditus interire facit, sicut interit et esse desinit spiritus jumenti? Posset namque responderi justum esse, ut semper sit in pœna cui pro culpa sua desit ut non sit semper in gloria. Porro Dei justitia nunquid junior est quam ejus præscientia? Itaque sicut non injustum est quod nunc vitiatæ creaturæ non interimit funditus substantiam, sic non injustum fuit quod et præscitam damnavit malitiam, et tamen non omisit bonam creare naturam. Verum quia nihil satis est inquisitori contentioso, jam nunc dicamus ei cum Apostolo: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* etc. (*Rom.* IX.)

CAPUT XXV.

Quod in propheta est: « Ego Dominus faciens pacem, et creans malum, » non de malo peccati, sed de malo afflictionis, quæ ut facere et pati inter se differunt, dici.

Tandem locus admonet, ut dicamus esse quoddam, sed non ejusdem generis malum, quod non solum velit fieri, sed et faciat ipse Deus, quemadmodum in propheta dicit: *Ego Dominus, faciens pacem et creans malum* (*Isa.* XLV). Item alius propheta dicit: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* (*Amos.* III.) Hæc et hujusmodi patrocinium ferre videtur supradicto sensui, contra quem nobis præsens sermo est. Sed hæc aliter debere intelligi et ratio sponte consentit, et auctoritas Patrum orthodoxorum tradidit. Dicamus ergo: Malum quod creat Dominus vel facit, afflictio est debita malo quod Dominus nec facit nec fieri voluit. Hoc malum dicitur quidem, sed non est, cum potius bonum sit. Est enim justa vindicta, vindex justitia. Dicitur autem malum juxta sensus patientis, est bonum, id est bona justitia, juxta rationem facientis. Nec vero solummodo malum, sed etiam malitia dicitur, auctoritate Scripturarum. Namque in Jona scriptum est: *Et vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt de via sua mala, et misertus est super malitia quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit* (*Joan.* III). Malum hujusmodi, id est malum afflictionis, et malum de quo supra dicebamus, id est malum peccati non sunt ejusdem generis, tantumque differunt quantum duo genera generalissima, facere et pati. Denique malum peccati facit creatura; patitur autem malum afflictionis: et econtra malum afflictionis facit Creator, patitur autem, quamvis impassibiliter, fieri malum peccati. Ad malum peccati pertinent quæcunque cooperantur ad mortem animæ, quam Deus non fecit, ad

malum afflictionis pertinent quæcunque cooperantur ad mortem corporis, qua Deus hominem post peccatum mori misericorditer voluit. Porro quæ ista sint, ipse in Ezechiele quatuor partibus distinguens dicit: *Quod et si quatuor judicia mea pessima gladium et famem, et bestias malas, et pestilentiam misero in Hierusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus, tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias* (*Ezech.* XIV). De hujusmodi et Jeremias, cum ea misisset Dominus et civitas Babyloniis tradita fuisset, dicebat contra eum qui putaret contigisse casu, et non ordinatione sive imperio Dei: *Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala* (*Thren.* III). Et protinus contra eum qui pro istis reprehenderet Deum, quod mala ex ore ejus egressa sint: *Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis suis.*

CAPUT XXVI.

Non excusabiles esse per quos malum fiat, quod Dominus creat, eo quod Dominus malos esse non voluerit feceritve, sed cum mali essent, unus sit illis tanquam virga disciplinæ.

Quid igitur? Nunquid excusabiles sunt illi per quos ista fiunt mala, quæ Dominus creare vel facere se asserit? Minime. Non enim qui reges aut potentes sunt, idcirco mali fiunt, quia Deus ad correctionem peccatorum vult illorum potentia uti, **281** sed quia mali et reprobi sunt, idcirco ubi causa talis postulat, permittuntur reges aut potentes fieri. Hinc est quod ad Pharaonem dicit, ut Apostolus quoque meminit: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra* (*Rom.* IX). Ac si diceret: Non ego te malum esse feci, vel malum fieri volui, sed cum malus esses, ego de tali tempore in regem excitavi, ut duritia tua quasi virga uterer ad percutiendum filium meum, ut esset memor mei, et ex confractione duritiæ tuæ disceret omnis terra virtutem meam, quam scire expedit. Idem de Anna et Caypha sentire convenit. Non enim quia malo illorum volebat Dominus tam bene uti, idcirco voluit aut fecit ut essent mali, sed quia mali erant, et principes Sodomorum, populusque Gomorrhæ, sicut propheta dicit, idcirco in illum diem sunt ad- A ducti, idcirco hora illa et potestas tenebrarum data est illis, scriptum quidem est: *Excæcavit oculos eorum et induravit eorum cor, ut non videant oculis et non intelligant corde* (*Joan.* XII), — *et propterea*, inquit evangelista, *non poterant credere Judæi* (*ibid.*). Sed itidem alia Scriptura dicit: *Excæcavit enim illos malitia eorum et nescierunt sacramenta Dei* (*Sap.* II). Ergo quod dictum est, *Deus excæcavit*, idem est ac si diceretur: A malitia ipsorum eos excæcari permisit. Amplius autem quia secundum Hebraicum sic scriptum est: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude* (*Isa.* VI), et hoc in primordiis visionis dictum est; in fine autem ejusdem: *Liga*, inquit, *testimonium, signa legem in discipulis meis* (*Isa.* VIII). Et propheta B respondet: *Et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum* (*ibid.*) Sine dubio in illa excæcatione idem debet intelligi, quod in illa Domini nostri confessione, qua dicit: *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Quod vero, sicut evangelista dicit: *Propterea non poterant credere quia hæc dixit Isaias* (*Joan.* XII), idem est ac si diceret, propterea non poterant credere, quia ipsi erant de quibus illud prophetarum fuit, et impossibile fuerat spiritum et propheticum in eorum consideratione falli.

PERORATIO.

Cum causis quæstionis tanquam radices arboris inutilis attentius persequimur, plura circumfodimus, et forte multiloquium fecisse videamur, ei duntaxat, C cui parva causa videbatur, quam agendam suscepimus. Sed nunquid vobis diligentibus Deum, et cognoscentibus bonitatem Dei, quibus ista scripsimus, parva potest videri? Non utique; scitis enim quod nulli sensui sancta Scriptura magis laqueosa sit, sicut scriptum est in psalmo; *Pluit super peccatores laqueos* (*Psal.* X), quam isti quo putatur Deus velle aut voluisse malum fieri, præsertim illud malum, pro quo fuimus omnes in Adam mortui, id est peccatores constituti. Vestrum igitur sit una saltem qualicunque significatione argumentum adversum dissipare, quod tanquam a judicio rei, id est a vestra auctoritate sumptum est, in derogationem innocentis, boni, et sola bona creatoris nostri Dei.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE OMNIPOTENTIA DEI

LIBER UNUS

282 PROLOGUS.

Psalmista cum dixisset: *Posui ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII). Continuo subjunxit: *Et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea*

exardescet ignis (*Psal.* XXXVIII.) Tanquam diceret: Propterea quia loqui interdum plus obest quam prosit, obmutui et proposui silere etiam a bonis, sed pro ipso silentio dolor meus renovatus est, quia videlicet sicut prius peccabam nimis loquendo, ita modo nimis tacendo. Itaque quemadmodum ignis quanto magis incandescit, tanto magis movetur, sic et cor meum concaluit; dolor enim ille ex dilectione prodiit, et ex dilectionis igne meditatio mea exarsit. Bene istud mihi contigisse sentio, o doctores nostri, et boni auditores Dei S. et A. qui cum abbate meo H. coram illustri viro vestræ Ecclesiæ, archidiacono simul et decano H. cognitores causæ Dei et nostræ adfuistis, et injuriam quam pro veritate sustinui indoluistis. Locutus enim fueram in lingua mea libellum scribens voluntate Dei propter temeritatem quorumdam dicentium quia vult Deus malum fieri, quodque ut prævaricaretur Adam, voluntatis Dei fuerit, et causa ista nimios contra me tumultus excitavit, quasi defendentium omnipotentiam Dei. Aiunt enim: Si non volente Deo malum fieri, nihilominus malum factum est et fit, consequitur quod non omnipotens sit. Omnipotens enim quomodo est, si quod fieri non vult, malum ne fiat avertere non potest? Hæc et his similia dicentibus illis et frementibus in me, obmutui parumper, et humiliatus sum, et silui a bonis, juxta quod et Jeremias ait: *Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius* (*Jer.* XX). At ille quoque continuo subjunxit: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis et defeci ferre non sustinens* (*ibid.*), eodem nimirum sensu, qui in præscripto significatur psalmi versiculo: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Igitur et locutus sum et adhuc loquar in lingua mea, non jam solum, ut in illo libello, de voluntate Dei, sed et de voluntate simul et omnipotentia Dei. Porro et quod præterea dicunt id me agere, olimque egisse arrogantia depravatum, et spiritu elationis excitatum, Deo totum committo, qui melius novit occulta cordium, sicut scriptum est: *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum* (*III Reg.* VIII). Hoc tantum dixerim, ut meminerint sic se in hac re posse falli, quomodo falsus est Heliab major frater David, qui iratus contra eum dixit: *Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium descendisti* (*I Reg.* XVII).

CAPUT PRIMUM.

Omnipotentiæ Dei duas esse vias, misericordiam et veritatem, duas quoque manus, dextram et sinistram, quibus ad gloriam Dei contendat.

Omnipotentia Dei, non una tantum, sed duabus graditur viis, non una tantum sed duabus operatur manibus, hinc et inde ad unum quid, scilicet ad gloriam contendens ipsius Dei. Viæ ejus sunt misericordia et veritas, sicut scriptum est: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Ubi sine dubio cum dicitur veritas, subaudiendum est in judicium, ut idem sit eo loco veritas quod judicium verum, juxta illud: *Sicut audio judico, et judicium meum verum est* (*Joan.* V). Idcirco alias quidem legimus misericordiam et veritatem, alias autem misericordiam et judicium. Porro manuum ejus altera dextra, et altera dicitur sinistra, ut ibi: *Et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris suis* (*Matth.* XXV). Ubi nihilominus easdem vias vel potius earumdem viarum fines sive consummationes auditor intelligit, quia ibi consummabuntur duo hæc, misericordia et judicium, ad gloriam, ut jam dictum est, ejusdem omnipotentis Dei.

283 CAPUT II.

Cum Deum non velle malum asseritur arguere impios quod non sit omnipotens. Atque hanc esse causam, cur de omnipotentia quoque disserat.

Hic jam quæritur cur non una tantum via, sed duæ sint viæ Domini. Quis hoc quærit? Imo quis nos istud quærere compellit? Nimirum is, qui nova nunc temeritate, vel temeraria novitate dogmatizat quia vult Deus malum fieri, et quia voluntate ejus primus homo lapsus est, illud pro argumento satis esse contendens, quia malum illud ne accideret non avertit, quod facere poterat, cum omnipotens sit. Diximus pauca pro re superiore libello, sed non est mitigata contentio. Itaque amplius atque amplius ad Scripturarum et omnimodæ rationis patrocinium recurrere compellimur, quatenus omnipotentem esse prædicantes Deum, nihilominus tamen absque voluntate ejus comprobemus evenire vel evenisse malum sive peccatum. Omnipotentem, inquam, esse Deum quamvis fieri non potuerit, ut per omnia currente misericordia nullus superesset angelorum vel hominum, de quo vel contra quem ageretur judicium. Et de voluntate quidem Dei agentes, hoc summopere contendimus, ut fixum esset in corde nostro quia per eam vel ex ea nequaquam malum unquam processit, quo periret creatura ejus. Consequenter nunc res postulare videtur, quod sit malum, vel quod fuerit malæ voluntatis initium, id est unde bonæ creaturæ velle malum accesserit, quoniam voluntate Dei non accidit. Hoc a Patribus sanctis, præcipueque ab eximio Patre et doctore Augustino diligens lector acutissime perquisitum invenire poterit. Ait enim.

CAPUT III.

Malæ voluntatis in bona creatura initium et causam fuisse nihil.

Cum vero causa miseriæ malorum angelorum quæritur, eo merito occurrit, quod ab illo qui summe est aversi ad seipsos conversi sunt, qui non summe sunt. Et hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupatur? « Initium quippe omnis peccati superbia, (*Eccli.* III). » *Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam* (*Psal.* XLVIII), *et quid magis essent si ei qui summe est adhærerent, se illi præferendo, id quod minus est prætulerunt. Hic primus defectus et prima inopia, primumque initium ejus naturæ, quæ ita creata est, ut nec summe esset, et tamen ad bea-*

titudinem habendam eo qui summe est frui posset, u quo aversa non quidem nulla, sed tamen minus esset, atque ob hoc misera fieret. Hujus porro malæ voluntatis causa efficiens si quæratur, nihil invenitur (38) Et post aliqua: *Propriam igitur in homine voluntatem malam quæ res fecerit scire volentibus, si bene intueantur, nihil occurrit. Si enim dixerimus quod ipse eam fecerit, quid erat ipse ante voluntatem malam, nisi natura bona, cujus auctor Deus est, qui est immutabile bonum? Qui ergo dicit eum, qui consensit tentanti, atque suadenti, cui non consensit alius, ad illicite utendum pulchro corpore, quod videndum ambobus pariter adfuit, cum ante illam visionem ac tentationem similes ambo animo et corpore fuerint, ipsum sibi fecisse voluntatem malam, qui utique bonus ante voluntatem malam fuerit, quærat cur eam fecerit, utrum quia natura est, an quia ex nihilo facta est et inveniet voluntatem malam non ex eo esse incipere quod natura est, sed ex eo quod de nihilo facta natura est* (39).

CAPUT IV.

Veram esse confitendi scientiam, si malum et ex nihilo esse, et ad nihilum tendere agnoscamus.

Hæc dicendo latam valde intelligentiæ viam aperuit, ut semetipsum cognoscat homo et confracto corde subdat se creatura Creatori, sui memor principii. Defendit enim et justificat, ut dignum est, voluntatem Dei, quia videlicet mala voluntas creaturæ non ex voluntate Dei, sed ex nihilo accidit, id est ex eo quod de nihilo facta est. Nihil miseriarum nostrarum nobis occultum aut incognitum remanebit si hic advertimus quod dixit: nec incerta nobis erit scientia veræ confessionis, ut non solum veraciter, sed etiam scienter nosmetipsos accusemus, nosmetipsi in omnibus peccatis, et calamitatibus nostris, dicentes cum quid peccamus: Ecce hoc de nihilo, id est ex eo quod de nihilo facti sumus, Nunquidnam hoc vel illud ex voluntate Dei contrahimus et non potius nostra vitiosissima voluntate, qui de nihilo facti sumus et in nihilum tendimus: licet jam non nihil esse queamus? Sic enim eleganter de hujusmodi quidam ait:

Inque nihil tendunt, nec nihil esse queunt.

Nam perpetuat quidem creaturæ substantiam Omnipotentis imperium de quo scriptum est: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXXII), sed deterius creatura in nihilum tendit, vel redit eundo nimis longe a verbo, per quod facta est; maxime autem scienter stando contra veritatis verbum et loquendo mendacium. Loquendo enim quod non est, ipsa nihil fit, et nihil est.

CAPUT V.

Malæ voluntatis creaturam duobus modis ad nihilum tendere, primo per errorem ignorantiæ, altero per mendacium malitiæ.

Duobus enim modis malæ voluntatis creatura quæ de nihilo facta est, rursus in nihilum tendit. A Nam alter modus est, quo in illud contendit, quod neque est, neque esse videtur; alter vero quo illud appetit, quod videtur quidem esse, sed non est. Et illo quidem modo declinare a Deo, qui solus vere est, est diabolicum: isto vero modo deviare humanum est. Diabolus enim in eo peccat, quod neque est neque esse videtur, sciens quippe mendacium loquitur, non errando per ignorantiam, sed confingendo per malitiam: Idcirco Veritas de illo sic loquitur: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus* (*Joan.* VIII). Homo autem in eo peccat, quod esse videtur, et non est; sive loquendo per errorem, quod non ita est, sive amando quod non vere est, quia B transitorium est, non jam subversus per malitiam, sed errans per ignorantiam, sive abstractus et illectus per concupiscentiam (*Jac.* I). Idcirco non jam mendax dicitur sed vanitatis arguitur, sicut scriptum est: *Adolescentia enim et voluptas vana sunt* (*Eccle.* XI). *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens* Item: *Verumtamen in* **284** *imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea* (*Psal.* XXXVIII). Cum autem homo quoque sciens veritatem, veritati renititur, pertinaciter mendacium loquitur; hic jam non homo, sed diabolus aut filius diaboli recte dicitur, quia peccatum diaboli est peccatum ejus, et idcirco quomodo diabolus, sic et ipse cordi impœnitenti traditur, ut nullam veniam mereatur. Nam C hoc est dicere verbum contra Spiritum sanctum, de quo peccato Dominus; *Non remittetur*, ait, *neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII). Isti sunt quos, sicut Apostolus ait, *tradidit Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Non utique volens ut tot vel tanta non convenientia faciant, sed omnino non curans quid faciant, quia iratus est, sicut scriptum est: *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* IX). Solummodo in eo circa illos voluntas, imo super illos est judicium Dei, ut nunquam inclinentur ad humilitatem pœnitentiæ, sicut de quibusdam dictum est: *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit eos Deus occidere* (*I Reg.* II). Duobus ergo modis, quorum alter quidem malus, alter vero pessimus est, creatura voluntate propria ad nihilum tendit, non aliunde D ita convertibilis, nisi ex eo quod ipsa de nihilo facta est.

CAPUT VI.

Bonam voluntatem homini vel angelo non inesse naturaliter, sed ex dono et gratia Dei dari.

Cum igitur omnia de nihilo facta sint, et ipsum nihil efficiens sit causa malæ voluntatis creaturæ rationali, unde bona voluntas aliquibus, ut sint vel angeli, vel homines bonæ voluntatis? Non enim jam quærimus quod multi quærere solent, scilicet unde mala voluntas bonæ creaturæ accesserit, quia con

(38) S. August. De civit. Dei, lib. XII, cap. 6.

(39) S. August., ibid., Patrol. tom. XLI.

stat ex eo quod de nihilo facta est, apostasiam suboriri, vel subortam esse malæ voluntatis, qua iterum perversæ in nihilum tendit. Unde ergo illi bona voluntas, qua tendat non ad nihilum unde facta est, sed ad Deum a quo facta est, vel ad verbum Dei per quod facta est? Unde, nisi ex dono vel gratia Dei? Sic enim et Apostolus ejusdem gratiæ dicit: *Nam Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II). Non enim sicut naturaliter et sponte corpus animantis terram appetit, ut inde naturali appetitu vivere festinet, unde factum est, ita creatura rationalis naturale habet velle Deum, sive appetere Dei verbum, nisi habeat adjuvantem gratiam, quia videlicet non sicut corpus de terra sic et ipsa de Deo sumpta, vel de Deo verbo facta est, sed a Deo et per Dei verbum creata est. Non ergo nisi adjuvante gratia, non nisi dono Creatoris bonam voluntatem habere, vel Creatorem diligere poterat creatura. Dedit quibusdam donum istud bonæ voluntatis et scimus quia taliter, tam valide aliquibus et angelis et hominibus dedit, ut angeli quidam seraphin, id est ardentes vel incendentes appellari meruerint, homines autem quidam item adhuc in terris positi et in carne viventes ita ardeant, ut multis tentationum aquis, multis tribulationum fluminibus charitas in eis exstingui non possit.

CAPUT VII.

Deum ideo non omnibus creaturis bonam voluntatem dedisse, non quod ipse noluerit vel non potuerit, sed quod illi non acceperint.

Jam nunc ad summum quæstionis accessimus. Quæritur enim: Si bona voluntas creaturæ donum est Creatoris, cur qui omnes creavit, non omnibus illam dedit? Cur angelorum vel hominum quempiam in mala voluntate reliquit? Noluit ne aut non potuit in omnibus bonam voluntatem operari? Si dixerimus, quia cum posset noluit, videbitur in Deo defectus bonæ voluntatis, nec verum esse judicabimus, quod Apostolus dicit: *Qui vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II). Supradictus Pater Augustinus potius ita dicit: *Si boni angeli ipsi in te fecerunt voluntatem bonam, utrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt. Si nulla, utique nec fecerunt. Si aliqua, utrum bona an mala? Si mala, quomodo potuit esse mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona, ergo jam habebant. Et istam quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto qui illi adhærent, creavit simul eis et condens naturam, et largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore nunquam sanctos angelos fuisse credendum est. Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit; ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono: aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi qui in eadem perstiterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus illi amplius adjuti ad eamdem beatitudinis plenitudinem, unde nunquam se casuros certissimi fierent, perseverave-runt* (40). Cum dixisset quia bonam voluntatem illis fecit, qua Creatori adhærerent, simul et eis condens naturam, et largiens gratiam et cætera, non ait de reprobis angelis, quia noluit in illis Deus bonam voluntatem operari: sed dixit, quia non acceperunt et mala voluntate ceciderunt. Ergo neque nos dicere debemus aut volumus quia noluit, imo et plurimum execramur, nec audire patimur, quod voluerit eos ipse malæ esse voluntatis. Sed rursum si dixerimus quia non potuit, derogare videbimur omnipotenti, nisi et patrocinio rationis et Scripturarum fulciamur auctoritate indubitabili, ostendentes esse, ubi et quando fieri non possit, ut operetur omnipotens manu misericordiæ, unde et oporteat illum exercere manum alteram, manum judicii.

CAPUT VIII.

Necessario Deum operari altera manu judicii, ubi cor malum incredulitatis est.

Ubi igitur vel quando fieri non potest, ut operetur manu misericordiæ? Ibi nimirum, ubi est cor malum incredulitatis, tunc quando obduratum est cor fallacia peccati, qui modus malæ voluntatis est deterrimus eorum, quos supra diximus. Nam evangelista scribit: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere nisi paucos infirmos impositis manibus curavit. Et mirabatur propter incredulitatem illorum* (*Marc.* VI). Præmiserat autem de illis, dicens: *Et multi audientes, admirabantur in doctrina ejus dicentes: Unde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi* (*Ibid.*) *Et virtutes* **285** *tales quæ per manus ejus efficiuntur? Nonne iste est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph et Judæ et Simonis? Nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? et scandalizabantur in illo* (*Marc.* II). Ubi ergo est cor malum incredulitatis, quando non ignorantia errorem, sed invidentia mali et superbi cordis incredulitatem facit, vel tunc ibi fieri non potest ut operetur ista manus Domini, manus clementiæ Dei virtutem ullam, quæ vera et dulcis virtus sit, qua de morte animæ resurgunt peccatores mortui. Hinc et jam dictus doctor dicit: *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem* (*Psal.* LVIII). Est quædam iniquitas, quam qui operatur non potest fieri, ut misereatur ei Deus. Quæritis forte quænam illa sit. Ipsa est defensio peccatorum. Quando quisquam defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur. Hoc defendit quod Deus odit. Et videte quam perverse, quam inique. Si quid boni fecerit, sibi vult imputare; si quid mali, Deo. Nam hoc modo defendunt homines peccata ex Dei persona (quod pejus est). Quid est hoc? Nemo est qui audeat dicere: Bonum est adulterium, bonum homicidium, bona fraus, bonum perjurium. Nullus prorsus hominum. Omnino enim non invenis animam tam perversam, tam extorrem a societate generis humani et participatione communi sanguinis ex Adam, cui videatur bonum esse adulterium, sicut dixi, fraus, rapina,

(40) S. August. De civit. Dei, lib. XII, cap. 9, Patrolog. tom XLI.

perjurium. Sed quomodo ea defendunt? Si Deus voluisset, non id fecissem. Ergo ad hoc peccatum tuum defendis, ut Deum accuses. Ideo excusatur reus, ut culpetur judex. Prorsus talem iniquitatem operantium non miserebitur Deus. Jam dictum incredulitatis malum in Adam fuit, quia, superbia tumens ex appetitu divinitatis, plus voci uxoris suæ obedivit quam voci Dei, et illa plus serpenti credidit dicenti: *Nequaquam morte moriemini* (*Gen.* III), quam Deo, qui dixit: *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II) et idcirco virtutem in illo Deus facere non potuit, sicut et Joannes Chrysostomus, ore, secundum agnomen suum, aureo dicere non dubitavit in sermone De lapsu primi hominis. *Veniam cogitat, qui causam contemptæ legis incusat. Objurgat culpam, ut possit retribuere veniam ut quos formare instruendo non potuit, eos possit confitendo purgare.* Itidem in illis superbis de quibus scriptum est: *Gigantes autem erant super terram in illis diebus* (*Gen.* VI), erat cor malum incredulitatis. Unde et Petrus apostolus dicit: *Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabat Dei patientia, in diebus Noe cum fabricaretur arca* (*I Petr.* III). Illos non parum restitisse voluntati Dei, vel Deum nequaquam voluisse malum, quod factum est ab illis, Scriptura vehementer gestis exprimere cum dicit: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra* (*Gen.* VI). Et præcavens in futurum: *Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem* (*ibid.*), etc.

CAPUT IX.

Quod manca sit objectio quorumdam, neminem posse resistere voluntati Dei, subaudiendum enim, et pacem habere.

Sed dicis: Nonne scriptum est: *Et non est qui possit resistere voluntati tuæ?* (*Rom.* IX). Vere, inquam, sed subaudiendum est, et pacem habere. Sic etenim B. Job dicit: *Quis restitit ei, et pacem habuit?* (*Job* IX) Quod pertractans beatus Gregorius hæc ait (41): *Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipse ut creata sibimet conveniant ordinat. In quo ergo Conditori resistitur, pacis conventio dissipatur, quia ordinata esse nequeunt, quæ superni moderaminis dispositionem perdunt. Quæ enim subjecta Deo in tranquillitate persisterent, ipsa se sibimet dimissa confundunt, qui in se pacem non inveniunt, cui venienti desuper in auctore contradicunt. Sic summus ille angelicus spiritus, qui subjectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsus patitur, quia per naturæ suæ inquietudinem foras vagatur. Sic primus humani generis parens, quia auctoris præcepto restitit, carnis protinus contumeliam sensit. Et quia subesse Conditori per obedientiam noluit, sub semetipso prostratus, et pacem protinus amisit.*

A

CAPUT X.

Quod infideles voluntati Dei resistant quidem, sed non vincant, qui in ipsi vincantur potius.

Beatus quoque Augustinus in libro De spiritu et littera: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant experturi in suppliciis potestatem ejus cujus in donis misericordiam contempserunt, et ita voluntas Dei semper invicta est. Vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit.* B *Qui enim dicit, verbi gratia: Volo ut homines servi mei operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit in pistrino semper molat, videtur quidem quicunque contempserit contra voluntatem Domini sui facere, sed tunc eam vincet, si et pistrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Cum ergo legimus vel audimus: *Et non est qui possit resistere voluntati tuæ*, subaudiendum est, et pacem habere.

CAPUT XI.

Duas esse vias et manus Dei, misericordiam et judicium, per legem expugnandæ civitatis, quam ipse Dominus dedit, ostendit.

Igitur, et supra dictum est, omnipotentia Dei nec C una tantum graditur via, nec una tantum manu suos actus expendit, sed duabus scilicet misericordiæ et judicii, ea nimirum lege, ut prius nitatur manu misericordiæ operari, et ubi ista manu superbia sibi obsistente virtutem ullam facere non potuerit, tunc demum manu altera manu judicii exerta, quos emollire non potuit, confringat tanquam vasa figuli. Idcirco et talem homini legem dedit, utique ad imitationem sui. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, et serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerint et cœperint contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties* **286** *omne quod in ea* D *generis masculini est in ore gladii, absque mulieribus et infantibus, jumentis et cæteris quæ in civitate sunt* (*Deut.* XX). Hoc, inquam, fieri jussit ad imitationem sui. Sic enim prior ipse Deus erga hominem gessit, cum quem fecerat et magnæ atque gloriosæ multitudinis sanctorum patrem fore jusserat benedicendo ac dicendo: *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* III), salubriter expugnare accessit, et subjugare verbo ac præcepto suo, ut non superbiret, ne in judicium diaboli incideret, sed humilis atque obediens viveret. Noluit ille fœdus inire cum Deo,

(41) S. Gregor. Moral. lib. IX, cap. IX Job. vers. 4. Patrol. tom. LXXV.

sed cœpit contra eum bellum, et idcirco Deus oppugnavit eum, et percussit omne quod ex illo est genus humanum in ore gladii, id est sententia mortis. Futurum autem erat ut rursus expugnaret in novissimo magni judicii die universam mundi hujus civitatem, cum principe ejus diabolo et angelis illius. Rursus ergo accessit primum offerre pacem, mittens Filium suum in hunc mundum per Incarnationis mysterium, qui per crucem interficeret inimicitias in semetipso, et suam prona misericordia postulans suscipi pacem, suæ per mundum cunctis gentibus pacis misit legationem. Unde Apostolus: *Quoniam quidem*, inquit, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo*, ergo, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Adjuvantes autem hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.* V, VI).

CAPUT XII.

Voluntatis Dei esse, ut omnes recipiant pacem et salventur; duræ cervicis non accedere, imo cognitam Dei misericordiam abjicere.

Dicit itaque illa lex Dei: *Si pacem receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, et serviet tibi sub tributo* (*Deut.* XX). Cunctus, inquam, populus ut salvetur, si pacem receperit, voluntatis est Dei qui, ut ait prædictus Apostolus, *vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II), si tamen et ipsi pacem vel salutem ejus recipere velint. Sic enim secundum hoc dictum Apostoli, beatus Ambrosius ait (42): *Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si et ipsi velint. Nam utique qui hominibus legem dedit, nullum excepit a salute. Nunquid non medicus idcirco proponit in publico, ut ostendat omnes se velle sanare si tamen ab ægris requiratur? Sed quia hæc medicina non est corporalis, sed spiritualis, neque dubiis proficit, neque invidis. Fides enim est quæ dat salutem, quam nisi mens tota voluntate susceperit, non solum nihil proderit, sed et oberit. Etenim gratia hanc habet potestatem, ut devotis sibi divinam infundat medelam, indevotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat.* Non ergo vult Deus malum fieri, sed vult econtra omnes homines a malo salvos fieri. Et si amplius quæris, dicens cur quod vult non facit, dicimus quia circa nullum hominem desinit adhibere instrumentum hujus suæ voluntatis, prout cuique expediri conspicit. Quomodo enim vel per quid venitur ad salutem, nisi per veritatis agnitionem? Nam ipsa Veritas dicit in Evangelio: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Idcirco idem Apostolus cum dixisset: *Qui vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II), continuo quasi quæreres modum sive accessum salutis consequendæ, subjunxit: *Et ad agnitionem veritatis venire* (*ibid.*). Sed dicis: Non omnibus dat facultatem agnoscendæ veritatis. Neque enim omnes homines verum Deum sed et quem misit Jesum Christum fecit agnoscere. Multis illam veritatem abscondit. Quomodo ergo illos vult aut voluit salvos fieri? Dicimus ad hæc: Quia multis parcendo abscondit, videlicet ne cognita veritas gravioris fieret eis causa judicii. Nam melius est veritatem non agnoscere, quam post agnitam retrorsum redire. Tales erant vel esse incipiebant illi, quibus dicebat de Ægypto egressis in manu potenti, per quam habere jam cœperant notitiam veritatis: *Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte disperdam te in via* (*Exod.* XXXIII). Neque enim incolumes subsistunt cum quibus Deus non ascendit, sed multo gravius disperduntur hi cum quibus Deus ascendens, id est notitiam veritatis præbens contemnitur atque abjicitur rebellione duræ cervicis.

CAPUT XIII.

Quod satius fuisset, non cognovisse veritatem, quam cognitam in injustitia detinere.

Excusare se utcunque posse videretur humana temeritas, si non in pluribus nota existerent experimenta. Dedit enim quibusdam Deus notitiam veritatis, non dico tantum Judæis, sed etiam gentilibus, maximeque gentilium philosophis, et notitia ipsa gravioris iræ illis occasio fuit. Nam ipsi fuerunt, de quibus jam dictus Apostolus dicit: *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*Rom.* I), etc. Nonne melius fuerat Deum non cognoscere, quam cognitum non sicut Deum glorificare, aut gratias agere? Quod si quis adhuc dicere audeat: Non ego ejusmodi fuissem, sed si Deum cognovissem, ego sicut Deum glorificavissem, et gratias egissem, redeat ad conscientiam suam, et videat si quantulam habuit notitiam veritatis, servavit, et secundum illam vixit. Nemo enim est qui non saltem naturalis legis veritatem cognoverit, qua dicitur: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* IV). Ait autem ipse Dominus: *Qui in modico infidelis est, et in majore iniquus est* (*Luc.* XV). Qui ergo hanc veritatem observavit et relictus est, conqueratur quod negata sit sibi notitia veri Dei et dicat: Quia si cognovissem glorificassem aut gratias egissem. Si non observavit, obstructum est os ejus, ut non imputet Deo quod non revelata sit sibi notitia veritatis, ut posset salvus fieri, atque iste quoque modo completur quod scriptum est: *Et vincas cum judicaris* (*Psal.* L), neque enim refelli potest, quin de Deo dicatur verissime quia *vult omnes ho-*

(42) S. Amb. Comment. in Epist. prim. ad Tim. cap. II, vers. 4, Patrol. Tom. XVII.

mines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire. (I Tim. II.)

287 CAPUT XIV.

Quod Dominus quibusdam ideo non fecerit notam veritatem, non quod nollet eos pœnitentiam agere, sed quia præsciret non esse veram pœnitentiam acturos.

Sed forte dicis : Evidens habeo testimonium Evangelii, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, quinimo noluerit vel nolit quibusdam veritatem notam facere, ne possint salvi fieri. Ibi enim, scilicet in Evangelio sic scriptum est : *Tunc cœpit Jesus exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam : Væ tibi, Chorozain, væ tibi, Bethsaida ! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ in te factæ sunt, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI). Et subinde : *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem* (*ibid.*). Quomodo ergo verum est, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, cum eos quos per pœnitentiam salvari potuisse noverat, neglexerit, et nullis virtutibus veritatem illis notam facere de qualicunque pœnitentia Deo est, ut esse debet ea cura, ut propter eam quæ fiat, virtutes et signa sua faciat. Est enim pœnitentiarum secundum intentiones pœnitentium differentia. Aliud namque salutem æternam, atque aliud salutem vel felicitatem pœnitendo ambire transitoriam. Salutem transitoriam et Ninivitæ pœnitendo quæsierunt, cujus solius Jona prædicante audierant imminere periculum ; de salute vero æterna curam nullam habuerunt. Idcirco prædicatum quidem est illis in figuram evangelicæ prædicationis cum signo Dominicæ passionis, ubi et Ninive typum gessit totius mundi, sed illi post pœnitentiam securitate recepta cito ad eadem, vel etiam ad deteriora scelera redierunt, et proinde Chaldæis vastantibus subversi sunt juxta eamdem prophetiam Jonæ, sicut legimus in libro Tobiæ ipso dicente : *Prope erit Ninive interitus ; non enim excidit verbum Domini. Et nunc, filii, audite me, et nolite manere hic, sed quacunque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc. Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei* (*Tob.* XIV). Talem utique pœnitentiam Tyrii, Sidonii, et Sodomitæ egissent, si cum tot signorum ac virtutum testimoniis clades illis imminentes prænuntiatæ fuissent. Verum talis pœnitentiæ modus vel intentio non esset condigna, ut propter illam extorquendam signa vel virtutes fieri debuissent. Non ergo quia noluit Deus homines salvos fieri, sed quia non condignam, non satis fructuosam illorum pœnitentiam fore scivit, idcirco virtutum apud illos exhibitio defuit. Porro Judæi idcirco in comparationem illorum durissimi ac proinde intolerabilius judicandi pronuntiantur, dicendo: *Remissius erit illis in die judicii quam vobis* (*Matth.* XI), quia

A dum non solum temporale excidium, quod a Romanis perpessuri erant, sed etiam gehennam ignis inexstinguibilis cum tot et tantarum virtutum attestatione comminaretur eis Dominus, nisi pœnitentiam agerent ; promitteret autem regnum cœlorum, si pœnitentiam agerent, ipsi nullo pacto ad credendum vel ad agendam pœnitentiam adduci poterant. Unde et graviter illos denotans, præmiserat ita dicens : *Cui autem similem æstimabo generationem istam ? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis : lamentavimus, et non planxistis* (*ibid.*).

CAPUT XV.

Nihilominus omnipotentem esse Deum, etiamsi non omnes oblatam ab eo pacem recipiant, modo expugnet et percutiat omnes, ab exemplo Josue docet.

B Igitur grave quidem illorum judicium quibus non innotuit, gravissimum autem illorum quibus non glorificaturis, aut gratias acturis Deus innotuit, et veritatem suam revelavit ; vel certe, ut secundum supra scriptam ex lege similitudinem tropologicam percurramus. Grave quidem est non audisse, gravissimum autem audisse et contempsisse legationes pacis ab eo qui venturus est in die judicii expugnare omnipotenter civitatem hujus mundi factam, ex quo peccavit Adam, inimicam Dei. Omnipotenter inquam. Nunquid enim quia Chananæi, Amorræi, Æthæi, Pherezæi, Jebusæi, et Evæi pacem filiorum Israel non receperunt, sicut scriptum est : *Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos ; non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Evæum, qui* C *habitabat in Gabaon : omnes bellando cepit* (*Josue* XI). Nunquid, inquam, Josue ideo non fortis, ideo non potens ? Imo ideo fortis, ideo potens, quia omnes bellando cepit, omnes in ore gladii percussit. Sic nimirum non ideo non omnipotens Deus, seu verbum ejus, id est Filius ejus Christus, quia offerendo pacem laboravit clamans, et raucæ factæ sunt fauces ejus (*Psal.* LXVIII), et tamen non omnes receperunt pacem ejus, imo inde omnipotens, inde fortissimus spirituum Deus, quia contra omnes contemptores pacis et misericordiæ tunc fortiter in judicio desæviet ira ejus, et sicut per prophetam dictum est : *Ante faciem indignationis ejus nemo stabit, et nemo resistet iræ furoris ejus, et tribulabitur ibi fortis, et tribulabuntur homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino* D *peccaverunt, et effundetur sanguis eorum sicut fumus, et corpora eorum sicut stercora* (*Soph.* I).

CAPUT XVI.

Omnipotentiam Dei usu Scripturarum præcipue in eo prædicari, quod et peccatores puniat et superbos dejiciat.

Omnipotentia enim cum duabus, ut superius jam dictum est, proficiscatur viis, sive perficiatur manibus, scilicet misericordia et judicio, hinc sublevando humiles, inde dejiciendo superbos atque rebelles consuetudine Scripturarum magis in eo prædicari solet, quod judicio ejus peccatores puniuntur, quod brachio ejus superbi dejiciuntur. Primum hoc nomen

illic invenimus, ubi Abrahæ, cum jam nonaginta novem annorum esse cœpisset, apparuit Dominus, dixitque ad eum : *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus* (*Gen.* XVII). Quid secundum hoc nomen facere posset quam fortis, quam terribilis esset, quantum creaturis vel naturis omnibus dominari posset, actu non indicavit ei, nisi in eo quod de Sara diu sterili atque vetula filium dedit. Idcirco post hæc ad Moysen loquens, moxque omnipotentiæ suæ miracula in Pharaonem et servos ejus facere intendens, ita dicit : *Ego Dominus qui apparui Abraham, et Isaac* **288** *et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* VI). Cum enim hæc dicit, subaudiendum est ut nunc indicabo tibi, in eo quod educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso, et judiciis magnis, et inducam in terram super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac et Jacob. Propter hoc eadem Sapientia dicit : *Cum enim quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exsiliens de cœlo a regalibus sedibus durus debellator, in medium exterminii terram prosiliit gladius acutus, insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte* (*Sap.* XVIII). Omnipotentis ergo nomen, maxime in superborum dejectione prædicatur, cujus omnis actus in illo tremendo judicio maxime declarabitur, quando rex ille omnium filiorum superbiæ (*Job.* XLI) cum omnibus sequacibus suis manu ejus arctabitur, *et videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job.* XL).

CAPUT XVII.

Misericordiæ manum æque, imo magis mirabilem esse quam manum judicii, si quis penitius consideret.

Attamen si misericordiæ opera diligentius contemplemur, nihilominus est admirabile nomen ejus, ut omnipotentem agnoscamus, et laude ejus os nostrum repleatur. Nulla quippe vis, nullus dolus voluntati ejus resistere, et resistendo voluntatem ejus vincere potest aut potuit, sive poterit, quin de genere humano tantos habeat electos, quantos habere ante omnia sæcula proposuit, et ipsos quos elegit, quorum nomina in libro suo scripsit ante constitutionem mundi. Multa ad resistendum huic proposito ejus occurrerunt, ex quo in paradiso natura nostra in uno, vel per unum peccavit. *Qui*, ut ait Pater Augustinus, *sic factus est rectus, ut manere in ea rectitudine posset non sine divino adjutorio, et suo fieri perversus arbitrio. Utrum cibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certe de illo. Proinde quia suam maluit facere quam Dei, de illo facta est voluntas Dei, quia ex eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam : In honorem, per misericordiam, in contumeliam per judicium, ut nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se.* Multa, inquam, ad obsistendum proposito Dei occurrerunt, sed non prævaluerunt, quia nec uno saltem minimo electorum numerum diminuerunt. Et quidem magnum fuisset opus omnipotentiæ, facere tot vasa honoris de massa incorrupta, qualis ante prævaricationem Adam fuerat, sed maximum est de massa corrupta, de massa damnata et peccatrice, de qua merito sola fierent vasa contumeliæ, vasa iræ, tot facere quot voluit, vel proposuit vasa gloriæ, vasa misericordiæ. Omnipotens ergo misericordiæ manus non minus mirabilis, quam illa manus altera manus judicii. Imo et amplius ista mirabilis et venerabilis, quia in habitu infirmitatis tam fortiter fecit, ut dignaretur ipsa misericordia corpus humanum assumere, universæ miseriæ atque damnatæ conditionis injurias experiri, sputis ac flagellis, contumeliis ac doloribus affici, patibulo crucis affigi. Utrobique omnipotentem prædicantes, dicimus cum beato Job : *Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationes ejus, et anima ejus quodcunque voluit hoc fecit* (*Job.* XXIII). Cujus videlicet voluntati, ait beatus papa Gregorius (43), *nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur, quia ad hoc nonnunquam permittit fieri, etiam quod non præcipit, at ut per hoc illud certius impleatur quod jubet. Apostatæ quippe angeli perversa voluntas est, sed tamen a Deo mirabiliter ordinatur, ut ipse quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant, dum tentant. Sic itaque ejus anima quodcunque voluit hoc fecit, ut inde quoque voluntatem suam impleat, unde voluntati illius repugnare videbatur.*

CAPUT XVIII.

Vitio parentum quotidie malos nasci, non quod Deus malum velit.

Sed forte de ipsis iræ vel contumeliæ vasis objicitur nobis quia vult Deus illa fieri, ut cum negare non potuerimus, homines quoque qui ad salutem non pertinent, Deo volente nasci consequenter inferri possit, vult ergo Deus malum fieri. Hic primum quærimus utrum malum an bonum sit naturam sic esse positam, ut de parvo eodemque informi et confuso semine formetur et nascatur homo, qualiscunque futurus studii, tamen creatura rationalis. Non puto quempiam sic esse vecordem, ut audeat dicere quod malum sit. Quinimo bonum esse negari nequit. Ergo illud potius dicendum, quia malum est, sic propter superbiæ peccatum in prima radice humanum genus esse vitiatum, ut more jumentorum homo ruat in libidinem, non tam propter filiorum spem, ac dilectionem, quam propter explendam sui corporis voluptatem, ita luxuriæ veneno ebrius, ut etiam si fidelis sit, in ipso voluptatis actu totam fidem et honorem Dei in procreatione filiorum quærere, aut vix memoria teneat, aut funditus obliviscatur. Illud vere malum est, et inde vitiosi fetus super numerum multiplicantur, *Deo*, ut ait quidam Christianæ philosophiæ alumnus, *non computante illos quos more suo natura proauxerat.* Nam nisi præcedente peccato superbiæ pœna ista successisset, nemo illorum qui vasa iræ

(43) S. Gregor. Moral. lib. XVI in cap. XXIII, vers, 13, B. Job, Patrol. tom. LXXV.

dicuntur, sed sola misericordiæ vasa secundum benedictionem, quæ data fuerat super masculum et feminam, nascerentur.

CAPUT XIX.

Simplicem ac rusticum judicari, qui adversariorum impiæ subtilitati non assentiatur.

Quantacunque dicamus, nihil quod ad rem attineat dixisse divulgamur, quinimo tanquam simplices et rustici judicamur, qui non possimus comprehendere subtilitatem sententiæ, qua verissime, ut aiunt, dictum, et firmissime tenendum sit, quia vult Deus malum. Negant se in Deo astruere voluntatem mali, et tamen non desinunt affirmare quod velit Deus malum fieri. Bene se profitentur sentire, et tamen pravum non desinunt verbum proferre. Et quia non concedimus, simplices, ut jam dictum est, nos esse B et rusticos asserunt, qui non capiamus vim medullamque dictorum. Nec mirum. Sic enim fidelium simplex doctrina, vel docta simplicitas sæpe irrisa est. *Sed videte*, ait quidam, *intelligere nos subtilitates vestras, et arcana, quæ in cubiculis et angulis loquimini, et quæ populus foris stans non meretur audire, proferre in medium*. Hoc est illud quod reducit ad auriculam manum, et concrepantibus digitis **289** ridentes dicitis: *Omnis gloria filiæ regis intrinsecus, et introduxit me rex in cubiculum suum* (*Cant.* III). Non ergo mirum, neque nos contra sermonis jactamus peritiam, memores dixisse Christi Apostolum: *Non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ veni annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II). Attamen intelligimus istam non tam subtilitatem, quam hebetudinem.

CAPUT XX.

Augustini patrocinio perperam sese defendere, qui Deum malum velle astruunt.

Totum patrocinium huic sensui quo Deus velle malum astruitur, locus ille ferre dicitur, in quo B. Augustinus plurimum loquens de omnipotentia Dei, et illi fideliter intentus ait (44): *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit Deus, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit. Et profecto bonum est omne judicium quod justum est.* D *Quamvis ergo quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo sineretur ab omnipotente bono, cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ Confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.* Et post aliqua: *Propterea namque « magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX), » *ut miro et ineffa-* A *bili modo non fiat præter voluntatem ejus, quod etiam contra voluntatem ejus fit, quia non fieret, si non sineret. Nec utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male, nisi et omnipotens de malo facere posset bene*(45). Totum, inquam, ex istis beati Augustini dictis suæ sententiæ patrocinium sumpsisse dicuntur hi qui Deum velle malum astruunt, a magnis et nominatis quos audire vel adire non possumus, magistris sese hoc accepisse confirmantes. Sed ecce inspicientes sollicite, primum illud nos advertisse gaudemus, quia sicut nusquam alias, ita nec istic audita est ipsa quam detestamur horrisona ennuntiatio, vult Deus malum. Quod si ab eo dictum fuisset, merito seipsum et justius reprehenderet, quam ubi pro minuscula dictione retractando reprehendens semetipsum, vitanda, inquit, erat hic offensio aurium religiosarum. Magis autem hoc e contrario prædicat, quia vult Deus bonum fieri, dicendo: *Non enim hoc nisi justo judicio sinit, et profecto bonum est omne quod justum est.* Igitur hæc ipsa dicta diligenter gratiæ et veritatis lumine admoto perscrutemur, et ab ista, quæ non ad honorem Dei spectat, enuntiatione nobiscum quoque tanti doctoris dignitatem conemur defendere.

CAPUT XXI.

Quod falso tribuatur Augustino; velle Deum fieri malum, nisi addas sinendo, ut tum demum perfecta sit ennuntiatio, si dicatur velle Deum sinendo malum fieri.

Non ergo, inquit, *fit aliquid, nisi omnipotens Deus* C *fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*. Recte hoc dictum tunc demum intelligitur, si perfectum prius sit, quia cum dixisset, *non ergo fit aliquid, nisi omnipotens Deus fieri velit*, statim addidit, *vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo*. Nam absolute dixisse, *non ergo fit aliquid, nisi omnipotens Deus fieri velit*, non erat verum, præsertim in omni statu vitæ præsentis, ubi a nemine viventium perfecte adimpletur voluntas Dei. Pax illa futuri est sæculi, ubi nihil repugnabit voluntati Dei. Nam exempli gratia, voluntas Dei est esse hominem sine peccato, et ad hoc, sicut Apostolus ait: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid ejusmodi* (*Ephes.* V). Unde idem Pater, libro Retractationum primo contra Pelagianos: *Hic est*, inquit, *lavacrum aquæ in verbo quo mundatur Ecclesia. Sed cum tota dicat quandiu hic est, « dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI), » *non utique hic est sine macula et ruga, aut aliquid ejusmodi. Ex eo tamen quod hic accipit, ad illam gloriam, quæ hic non est perfectionemque perducitur.* Non ergo satis erat dixisse, *non fit aliquid nisi omnipotens Deus fieri velit*, si non addidisset, *vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*. Hic magna vis est in eo quod ait, *sinendo ut fiat*, ut scilicet cum de malis agitur, quæ utique

(44) S. August. Enchir. cap. 95, 96, Patrol. tom. XL.

(45) S. August., ibid., cap. 100.

Deus odit, non liceat conjungere verbum *vult*, cum hoc infinitivo quod est fieri, præsertim cum interposito verbo alio quod est sinit, confestim dicat: *Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcunque fiunt male.* Et continuo: *Non enim hæc nisi justo judicio sunt.* Multum, o vos quorum sanis auribus ista depromimus hæc duo verba modica *vult* et *sinit*, in causa ista differre perpenditis. Nam in altero cum dicitur, *vult fieri*, temere nimis et irreverenter derogatur bonitati Dei adeo damnabiliter, ut sicut supra memoravimus, dicat idem beatus Augustinus: *Qui talem iniquitatem operantium, id est tali voce sua mala defendentium, non potest fieri ut misereatur Deus.* Nam quod idem ait in libro Soliloquiorum primo: *Deus, qui malum nunquam facit, et facit esse ne pessimum fiat, de malo adversitatis sane intelligitur, quod nimirum idcirco facit esse Deus, ut pessimum, id est peccati malum quod nunquam ille fecit, aut fieri voluit, impediatur, unde et illo superiori libello recolo me dixisse plenius.* Porro in altero cum dicitur, *sinit fieri, et non nolens, sed volens sinit*, honor judicii et laus est omnipotentiæ Dei, quia videlicet non volens fieri, sed volens sinere sinit, quod perspicuum est scienti vel recogitanti, quia Creator omnipotens creaturæ malum facere volenti cunctam facultatem adimere posset, quod facturus est in tempore suo, scilicet in die judicii. Cur autem nunc interim sinere velit ea ratio est, ut dissimulante illo nec statim puniente, peccator aut convertatur, aut fiat inexcusabilis, juxta quod Apostolus ait: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II). Nec vero interea patientia vel exspectatio sive permissio Dei sine fructu est, quia et de malis bona agit, quemadmodum sæpe dictus doctor in calce ejusdem sententiæ dicit: *Nec sineret bonus fieri male, nisi et omnipotens et de mali facere posset bene.* Unde miror ex eo loco sumptum, ut dicatur Deus velle malum, cum verius, et reverentius juxta sensum ejus, dici potuisset vel debuisset quia vult, et de malo facere bonum, sive potest et malo uti in bonum. **290** Ita quippe de isto loco sentiendum est, ut non videatur tantus doctor contrarius sibi, dum in epistola sua ad Honoratum dicit: *Omnes consolantur, ædificantur, exhortantur ut rogent Dominum, qui potest omnia, quæ timentur avertere, parati ad utrumque, ut si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas ejus, qui mali aliquid non potest velle.*

CAPUT XXII.

Male reprobari eum qui probe arguat, undecunque doctrinam acquisierit, exemplo Augustini docet

Ex eodem nihilominus loco nimis violenter extorserunt, ut dividentes dicerent, voluntas alia approbans, alia permittens. Erat autem in quæstione non simpliciter velle Dei, sed conjuncte velle malum, utrum conveniret de Deo enuntiari. Nam inde erat controversia, quod diceretur Deus velle malum fieri. Dicendo ergo voluntas alia approbans, alia permittens, non fiebat (neque enim ad rem pertinebat ut fieret nobis) prima divisio voluntatis, sed fiebat subdivisio voluntatis mali. Proinde dixi in illo libello sic: *Quid enim voluntas mali genus est, et generis hujus divisivæ differentiæ sunt, alia approbans, et alia permittens hæc quam dicit voluntatem permittentem, bona erit an mala? Si mala, quomodo approbanti malum opposita? Si bona, quomodo species voluntatis mali?* Non ergo credimus dicenti, quod vos hujusce divisionis auctores fueritis, quæ et Deum accusat, et artis constantiam non servat. Hæc ubi relegerunt illorum quibus hæc scripsimus magistrorum discipuli, ingentem statim fumum excitaverunt apud turbas auditorum tatenus rem penitus ignorantium, summam mihi monacho facientes invidiam, qui in tantæ tamque divinæ rei negotio dialecticæ artis tendiculas usurparem inscius artis ejusdem, quippe qui ab infantia sub monachico conclusus silentio, nunquam magistros audissem. Quasi aut in monasteriis omnino desint, qui scientiam habeant, aut *penes* homines solos, *arbitrium sit, et jus et norma loquendi* (46), et aliqui hominum ita clavim scientiæ tollere possint, ut nihil absque illis agere possitis, de quo scriptum est: *Qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III). Ergo contemnetur vel refelletur, et Pater Augustinus qui de semetipso tam veraciter quam humiliter in libro Confessionum suarum Domino dicit: *Et quid mihi proderat, quod annos natus ferme viginti, cum in manus meas venissent Aristotelica quædam, quas appellant decem cathegorias, quarum nomina cum eas rethor Carthaginensis magister meus buccis typo crepantibus commemoraret, et alii qui docti habebantur, tanquam in nescio quid magnum et divinum suspensus inhiabam, legi eas solus, et intellexi. Quas cum contulissem cum eis, qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus intellexisse, nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quam ego solus apud meipsum legens cognoveram.* Ac deinceps: *Et quid mihi proderat quod omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatem servus per meipsum legi, et intellexi quoscunque legere potui, et gaudebam, in eis et nesciebam unde esset quidquid verum et certum esset?* Nec vero venerabiles viri, tantum tamque præclarum lucernæ Dei ingenium idcirco commemoravi, ut tale quid audeam de meipso fateri, sed ut a magno exemplo notum sit, non solum infirmum, sed et vitiosum esse argumentum, quod exinde constet cujuscunque loquela debere reprobari, quia nequaquam cum negotiatoribus inclytis ad coemendas scientiarum margaritas cœlum mutavit, aut trans mare navigavit. Nam undecunque veniat, quocunque vadat,

(46) Horat., Ars. Poet., vers. 72.

spiritus, ait Dominus, *ubi vult spirat, et vocem ejus audis* (*Joan.* IV). Nunquid dixit, si nescis, quærere debes, unde veniat? Non utique, sed *vocem ejus audis*, ait, eo contentum esse volens auditorem, quod verum est quidquid audit a spiritu, undecunque veniat.

CAPUT XXIII.

Quod adversarii, dum ut defenderent divisionem quam de voluntate mali dederant, contraria quædam mediata, quædam immediata esse dicunt, in absurdum magis errorem inciderint.

Nequeo satis edicere quanta quamque injuriosa violentia divisionem supradictam, quæ ipsorum erat, meam facere voluerunt, quia tandem ineptam illam esse recognoverunt. Nihil enim libentius efficere cuperent, quam ut omnium inculcaretur mentibus, me, in ista controversia non veritatis et honoris Dei duci amore, sed vanissimæ ostentationi deservire, et quod turpe nimis est, dum de peritia gloriarer, imperitiam ostendere. Ergo tanquam nihil aliud fuisset vel esset negotii, me absente, me interdum præsente irridentes dicebant sero me ad studium venisse artis dialecticæ, qui nescirem contrariorum quædam mediata, quædam immediata esse. Ad hæc, inquam: Si vitiosa fit vel fiat divisio, quis culpandus erit, qui fecit, an qui factam ex adverso reprehendit? Ego Domini mei, tam vobis quam omnibus, qui hæc legere vel audire dignantur, fateor quia neque professionem suscepi, neque ostentationem egi hujusce artis, et si illam cognoscerem, nequaquam dignarer illam accersire, nisi coactus, vel nisi sponte occurreret, ut facere solet apud sapientes dominæ suæ divinæ sapientiæ ultronea comes, ad suffragandum sive opitulandum sanctæ et simplici veritati Dei, dum illi contra argutum mendacium necessaria pugna est. Valentiora quippe esse censeo verba simplicia pastorum et piscatorum, cum quibus locutus est Deus, quam argumenta philosophorum vel sapientium, quos in reprobum sensum tradidit Deus. Verum et si hanc artem non novimus, tamen quia vel famam ejus audivimus, quid refert in causa ista, utrum mediata an immediata sint ea quibus secundum illos velle malum dividitur? Nam esto ut, sicut dicunt, voluntas mali, sive velle malum aliud approbans, ita dicant, et aliud improbans, quoniam hæc contraria sunt, et medietatis loco dicant, aliud permittens. Nonne sicut, exempli gratia, de numero pariter pari, et ejus contrario pariter impari, horumque medio impariter pari par numerus æque prædicatur. Ita velle malum sive voluntas mali de approbante et ejus contrario improbante, horumque medio permittente secundum ipsos prædicabitur? Sed et quid repugnantius quam voluntati improbatio? Nonne sicut, verbi gratia, inimicitiæ pax, amicitiæ autem bellum, sic voluntati improbatio repugnat? Constat autem, et non solum omnis divinæ Scripturæ testatur auctoritas, sed et ipsa creaturæ rationalis sponte consentit natura, quia Deus malum odit et improbat. A Quomodo ergo improbatio voluntatis erit species, sive differentia? Quomodo, inquam, Deus malum, et vult, et **291** improbat? Repugnantia enim circa idem esse non possunt. Itaque dum mediata poscunt, videte quanto amplius ad inconvenientia decurrunt.

CAPUT XXIV.

Deum adeo non velle malum fieri, ut ne permittat quidem omni modo. Non enim concedendo permittere, sed malis effectibus non obsistendo.

Alias autem cum facere et pati apud ipsos, quorum dialectica professio est, duo genera generalissima sint, cur quod dictum est, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo, sic accipiunt tanquam voluntatis differentias vel modos? Sinere namque et pati prope B idem significat, nisi forte idcirco Deus, quia nihil in semetipso patitur, est enim impassibilis, sed in sua re patitur aliquid, rectius dicitur sinere vel permittere quam pati. Nam quod in Scriptura sacra patiens dicitur, hoc ibidem alio nomine, cum dicitur longanimis, convenienter prædicatur. Ergo potius voluntas modus est sinendi, vel faciendi, ut sit dictum: Quia Deus omnipotens non nisi volens facere, aut sinere facit aliquid aut sinit. Igitur dicente beato Augustino quia Deus bonus male fieri sinit, quærendum erat quomodo sinit vel permittit? Permittere namque aliud est concedendo, aliud malæ voluntatis effectibus non obsistendo. Quo ergo istorum modo Deus male fieri permittit? Concedendo, an malis effectibus non obsistendo? Non utique concedendo, prohibet enim semper malum fieri, tam lege scripta C quam lege naturali. Nam et si scriptam legem nescis, quocunque te ad male faciendum verteris, acceptum ab eo tibi conscientia reddit, imo contra te depromit testimonium legis naturalis: *quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*. Non ergo concedendo permittit Deus malum fieri, permittit autem alio modo, dum scilicet malæ voluntatis effectibus non obsistit, verbi gratia, dum manum quæ furari vel occidere, aut certe ad arborem vetitam se extendere vult, non contrahit, aut dissolvit paralysi. Verum nec isto modo semper malum fieri permittit, futurum est enim ut et electis funditus omnem voluntatem, et reprobis omnem adimat mali facultatem. Peccata autem interdum electorum quoque merentur ut saltem ad tempus reprobi in eos sævire permittantur. D Malum igitur Deus non solum fieri non vult, sed nec omnimodo permittit. Malum, inquam, nullo modo vult fieri, aliquo autem modo ad tempus fieri permittit, aliquo autem modo non permittit. Non permittit, quia prohibet; permittit, quia liberum arbitrium dedit. Si quæras cur vel sic permittit, *nunquid*, ait beatus Augustinus de lapsu primi hominis loquens, *fecerat Deus statuam lapideam, et non potius creaturam rationalem, quæ deberet imperio regi? Ergo*, sicut idem Pater ait, et nos superius commemoravimus, *quia suam maluit facere voluntatem quam Dei, de illo facta est voluntas Dei*, etc., ut supra.

CAPUT XXV.

Quemadmodum pater familias ille evangelicus dimisit quidem filium, sed noluit perire, ita Deum permisisse peccatum fieri, non etiam voluisse.

Quid ad hæc dicemus, et de nobis vel de gentilibus patribus nostris quos Deus male facere permisit? Ergone pater familias ille evangelicus, qui duos habens filios, juniori ex eis postulanti partem substantiæ divisit, sic faciendo ita filium suum abire sinendo, malum fieri voluit, luxuriosum illum esse, suam cum meretricibus substantiam dissipare, et ad ultimum porcos pascere voluit, quia dimisit? Quis hoc sanus dixerit? Denique volens quidem sinere, sivit; volens substantiam dividere, divisit: quippe qui, si maluisset, desertorem carcere et compedibus potuisset stringere ferreis, sed malum fieri noluit, malum desertionis, ut alienaretur cor filii a pia subjectione patris, ut dimissus sibi luxuriaretur cum meretricibus, et porcos pasceret, de nobili factus homo ignobilis. Testis ille patris ejusdem, filio revertente, occursus, testis totus super collum ejus cadentis, et osculantis gestus vel habitus, testis, inquam, in convivio tota consolationis canora festivitas, quia nunquam, volente tali patre, mortuus fuerat aut perierat filius. Vana quippe consolatio fieret, si non verus dolor præcessisset. Verus autem aut fidelis dolor non fuisset, si quæ causa doloris erat perditio et mors filii, non nisi voluntate patris accidisset. Igitur quod dimissus est filius, illud quidem non nisi volente patre factum est, quod autem petivit ut dimitteretur, quod substantiam suam devoravit cum meretricibus vivendo luxuriose, non volente sed dolente patre factum est. Nota et celebris hæc similitudo est, quia pater ille Deus est, duorum autem filiorum, alter Judaicus, alter gentilis populus est. Ergo quod gentilis populus portione sua, id est, naturali ingenio absque patris Dei gratia contentus esse voluit, et hoc ipsum circa vanitates vanitatum expendendo, et de creaturis philosophando, quasi cum meretricibus substantiam suam dissipavit, et ad ultimum porcos pavit, immutando *gloriam suam in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*Rom.* I), malum utique fuit, quod Deus fieri noluit. Quod autem vacavit illi hæc mala facere, verbi gratia, non superveniente ira, ut perirent homines, sicut factum est tempore diluvii, permissio Dei justa et bona fuit, tempus pœnitentiæ gentium exspectantis.

CAPUT XXVI.

Quod sero ad supradicta respondit, propterea quod ab initio nescierit ex Augustino sumpsisse suam opinionem adversarios, ita rejiciendam, ut ex limpido fonte aquam balnearum sordibus inquinatam.

Diutius in illis beati Augustini dictis immorati sumus, pro eo quod exinde sumptum esse comperimus, quod mala velle diceretur Deus. Conveniebat quidem de his tractare, vel ad hæc respondere in exordio sermonis, sed cognitum nobis nondum fuerat, quod inde istud collegissent, vel confirmari posse putassent, et mirabamur unde nanciscerentur adversarii nostri causæ suæ defensionem, cum nullam de Scripturis auctoritatem proferre possent. Quasi magnam bellicæ navis arborem cum superposito quasi victoriæ signo exiguo rudentibus trahi videbamus, et eos a quibus trahebatur, non videbamus, cum ecce certis accepimus nuntiis revera esse quosdam facundiæ Franciæ magistros, qui hoc agerent, et ex præscripto beati Augustini locum pene totam præsumerent. Non tamen ille, cujus fides et scientia præ cæteris bono hactenus cum odore in Christi Ecclesia fructificat. Laudunensis Anselmus sua illos, ut veraciter **292** comperimus, auctoritates corroborat. Custodiat in perpetuum lux veritatis, providam præclari viri scientiam, ne temere quod dicendo in hujusmodi ullam suæ gloriæ inferat maculam, et si quando superiori libello respondere dignabitur, ut se facturum promisit, candida veniat nobis columba secus fluenta plenissima, juxta aquas Scripturarum incontaminatas. Noverit tandem reverentia vestra, o viri prudentes, quia locum illum cum tali sensu qualem tradunt, legere vel suscipere sic abhorremus, quomodo aquam licet de fonte puro et limpido allatam, post balnearum sordes potare non patimur. Ubi enim tanti tamque ecclesiastici doctoris sermo bonus humano sensui, et nitori gloriæ populari servire compellitur, tanquam dedita balneis aquæ puri fontis hominum sordibus inquinatur. Nunc jam quia de hoc satis dictum est, cœptum ad vos sermonem peragamus.

CAPUT XXVII.

Apud Deum non esse impossibile omne verbum, scilicet quodcunque in Scripturis locutus est ipse, non scurra aliquis impius in justitiam Dei.

De voluntate simul et omnipotentia Dei supra loquebamur propter eos qui aiunt nos derogare omnipotenti, dum dicimus quod malum ille nunquam fieri velit, aut voluerit, et tamen malum fiat, vel factum sit. Diximus aliqua, prout Dominus dedit, et adhuc cum plura dici possint, pauca dicere, et compendio volumus uti. Dicite ergo qui omnipotentiæ tantopere favetis, ut bonitatis et clementiæ laudem quantum ex vobis est diminuatis, quid vel quantum intelligitis in nomine Omnipotentis? Nimirum quod omnia possit, quod nihil sit quod ille non possit. Et nos vobiscum credimus et fatemur quod ita sit. Sed quodnam vel ubinam sunt illa omnia, extra quod quærendum nihil sit? Nisi enim et hoc perspexerimus, parum valet omne argumentum sermonis omnipotenti Deo obsequium præstantis. Intendamus ergo si habemus digitum indicem, id est spiritum veritatis, intendamus, inquam, in omnem sanctæ Scripturæ latitudinem, a principio Geneseos usque ad calcem Evangelii, angulumque illum, in quo omnium apostolorum junior Paulus cum suis consistit Epistolis, et dicamus quia hæc omnia potuit, potest et poterit manus Domini et hæc respicientes fateamur, tam scientier quam fideliter, quod ille om-

nipotens sit. Cæterum quidquid extra hanc Scripturam sanctam cogitari, vel argumentando potest confingi, sicut expers rationis est, ita nullatenus pertinet ad laudem vel confessionem omnipotentiæ Dei: Nonne sanctus Angelus discrevit, loquens ad Mariam ubi postquam ejusdem Virginis prænuntiavit, et ejus quæ vocabatur sterilis indicavit conceptum, mensemque illi esse jam sextum hanc rationem subjunxit: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* (*Luc*, I). Quid enim est omne verbum, nisi omne quodcunque vel omnia quæcunque locutus est Deus *per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus?* (*Ibid.*) Non enim sic leviter verbum accipimus, ut verbi gratia, si scurriliter dicat quis: Quamvis omnipotens sit Deus, tamen efficere non potest ut tria et quatuor non sint septem, verbum esse censeamus, sed verbum est ut jam diximus quidquid sanctis divinitus inspiratis Scripturis continet, exceptis illis quæ interdum illic alio spiritu prolato referuntur. Verbi gratia: Apud Danielem (47), Nabuchodonosor Omnipotentem laudans: *Juxta voluntatem enim*, inquit, *suam facit tam in cœlo quam in terra, et non est qui resistat manui ejus, et dicat: Quare fecisti* (*Dan.* VI). — *Nam, et hoc*, inquit Hieronymus, *loquitur quasi homo sæculi. Non enim quod vult hoc facit, sed quod bonum est hoc vult Deus. Nabuchodonosor autem sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere quod immerito pœnas sustinuerit.* Omnium ergo quæ in Scripturis sanctis loquitur quæcunque promittit vel comminatur Deus, nullum verbum impossibile fuisse vel esse apud Dominum confitemur. Summa illorum in Symbolo continetur, de quo nihil dubitantes, veraciter in Dominum Patrem omnipotentem nos credere confitemur. Proinde A quidquid extra sanctarum regulam Scripturarum excogitari potest, nemo ab homine catholico, ut confiteatur posse omnipotentem omnium, jure exigere potest. Verbi gratia: Non invenitur illic quod coronaturus sit Deus virginem post ruinam. Itaque cum dicit quispiam, ut ille notæ et constantis fidei vir prædictus Hieronymus, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam, valet quidem liberare a pœna, sed non valet coronare corruptam nequaquam omnipotentiæ derogat, sed inflexibilem justitiam commendat. Nihilominus si dicat quia cum omnia possit Deus, creaturam angelicam mendacio corruptam, et omnem qui sequitur patrem mendacii diabolum, loquendo verbum contra Spiritum sanctum, id est scienter contra veri- B tatem defendendo mendacium, suscitare non potest, vel dare illi veritatis coronam, non omnipotenti derogat, sed justitiam et veritatem prædicat. Si quæras utrum valeat saltem liberare a pœna, ipse tibi respondeat. Cum enim dixisset: *Et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*, ne sibi quisquam blandiatur de bonitate Dei dicens quomodo tam bonus tantas tam diutinas miserorum pœnas videre sustinebit? continuo subjunxit: *Non possum ego a meipso facere quidquam, sicut audio; judico, et judicium meum verum est.* Proinde non adulemur Omnipotenti dicendo, quod vel diabolus, vel ulla creatura angelica sive humana voluntate ejus corrupta et mala facta sit, sed cum adjutorio ejus laboremus, inquantum possumus ne in illud judicium C diaboli incidamus, unde nos liberare non possit ipse, qui extra veritatem Scripturarum facere aut velle nihil potest omnipotens Deus

(47) S. Hieron. Comment. in Dan. cap. IV, 32, Patrol. tom. XXV.

R. D. D. RUPERTI.

ABBATIS TUITIENSIS

SUPER QUÆDAM CAPITULA

REGULÆ DIVI BENEDICTI ABBATIS.

LIBER PRIMUS.

293 Parvam quidem, sed utilem, ut tibi videtur, a me rem petis, atque instanter exigis, o Philochriste Chuno, amator veritatis, ut videlicet rationes, quoad possum, idoneas Deo donante studeam proferre de quibusdam capitulis regulæ beati Benedicti, maximeque de illis de quibus quæstiones non contemnendas moverunt quidam servorum Dei, viri religiosi, nostræ, id est monachicæ professionis. Olim quoque longe antequam percelleret nos aliquis quæstionibus ejusmodi, convenerat nobis sermo de jam dicta regula Patris ejusdem sanctissimi, quod eam vere per mentem ejus disposuisset, et per

os ejus locutus fuisset Spiritus sanctus, quo illo plenus fuit, et quod omnino superædificata esset super fundamentum divinæ positionis, fundamentum evangelicæ auctoritatis, cui nimirum talis ædificator, sive scriptor apertos suæ mentis oculos, dum scriberet, intendit. Primum, eorum quæ dicebamus, erat ordo vigilantium Dominicæ noctis, quæ psalmorum, lectionum, atque responsoriorum numero duodenario constructæ ita concluduntur, ut earum finem lætum valde atque serenum reddat introitus sacerdotis, conventum Ecclesiæ quasi repente salutantis, lectionemque legentis sancti Evangelii. Ubi causas reddidi hujusce ordinis, quales potui : tu delectatus illis flagitare cœpisti, quatenus dicta vel adhuc dicenda, quasi utiliter scienda mandarem litteris, et tunc quidem remissius, nunc autem attentius insistis, et fere toto præsenti anno renitenti mihi quietem non concedis. Proinde si quem scribendo hæc offendero, tibi totum imputet, quiscunque fuerit, sive juste sive non juste offensus ille sit. Novit enim ille, cujus in conspectu sumus nos, cujus in auribus sunt sermones nostri, quia non sine aliquo metu tibi hunc assensum præbui, propter illud quod dixit ipse aliquando quibusdam sapientioribus quam simus nos : *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job* (*Job*. XLII). Ille namque invisibilis auditor est metuendus, ne forte non totum placeat ei quod loquimur. Item si quis hinc aliquam consolationem acceperit, si quis, ut tu desideras, ex sermonibus nostris in humilitate et simplicitate sua utiliter confortatus fuerit, totum nihilominus tuum cum Deo sit. Si enim cætera quæ vel sponte vel rogatus scripsi, mea esse, et mihi imputari debere non concedis, quanto minus istud ad quod me pene per vim impulisti ? Nam quia sum homuncio ventris pigri, et cuilibet Epicuro pene consimilis dicere soles, quod ea quæ hactenus scriptitavi, non mihi magis quam asino imputare digneris. Et recte, fateor. Nam quod asina Balaamitica locuta est, et sessorem sui prophetam redarguit (*Num*. XXII), quis eidem asinæ et non potius Deo soli, qui et asinam et prophetam fecit, unquam attribuit ? Faciam igitur, ut potero, quod vis ; verumtamen prius sustine me, ut loquar quodcunque mihi mens suggesserit. Si enim ego te sustineo, toties quasi in angaria me fatigantem, cur non et tu me sustineas, alia prius loqui properantem quæ[quoniam]simul sese ingerunt per occasionem istorum quæ mihi tu ingessisti ad scribendum ? Quasi de altitudine montis excelsi me nunc advocasti, quia propositum habens scribere de gloria et honore filii hominis, et cum hoc proposito ingressus Evangelium secundum Matthæum, mente et pene assidua cogitatione illic eram, illo in monte consistebam, ubi sedens et aperiens os suum docebat discipulos suos [suo] sermone pulcherrimo (*Matth*. V). Inde me advocasti sermone nondum transacto. Quoniam ergo de illa altitudinem in vallem istam, id est ad scribenda hæc, in quibus nonnulla est A controversia me invitum deduxisti, loquar prius, (necdum istud) ut jam dixi, quocunque mihi mens suggesserit. Quid est illud ?

Pauper locutus est, ait Sapientia, *et dicunt : Quis est hic? Et si offenderit, subvertent illum* (*Eccli*. XIII). Hoc mihi mens suggerit : nam hoc dictum etiam ad me respicit. Locutus sum enim et quia locutus sum dixerunt : Quis est hic. Quid locutus sim tu scis, et locutiones meas libenter amplecteris, verumtamen et hoc ipsum **294** dicam posthac, nunc dicere præstat, unde, vel apud qualium cogitationes, pauper ego fuerim vel simul. Ex eo pauper ego reputatus sum, apud cogitationes illorum, quod a puerilibus annis monachus et cœnobii claustris fui contentus, sive detentus, et non circuivi mare et aridam, sicB ut divites negotiatores illi quorum apud cogitationes pauper sum, quorum quilibet forte parabolam illam sibi congruere præsumit, quam Dominus dicit : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas* (*Matth*. XIII), etc. Ierunt enim in longinquum, et apud magistros inclytos peregrinati sunt, et post multas margaritas, quæ bonæ esse videbantur, margaritas poetarum atque philosophorum, unam vere bonam et vere pretiosam, sanctæ ac divinæ Scripturæ margaritam invenerunt, eamque magno pretio vigilantiæ ac sollicitudinis emerunt, et utinam invenerint ad perfectum, et habeant in æternum ! Hoc ego non feci, sed tanquam simplex Jacob cum matre Rebecca domi habitavi (*Gen*. XXV). Hinc ego apud cogitationes illorum pauper et contemptibilis, et dixerunt : C Quis est hic ? Scribit enim et loquitur, loquitur et scribit, qui magistros et præceptores nostros saltem videre nunquam dignus fuit. Inde etiam pauper ego, quia saltem chartulas, quibus inscriberem, habere vel acquirere vix potui.

Sed vidi sapientiam Dei, vidi quodammodo Verbum incarnatum, Christum filium Dei, totum aureum, totum quasi corpus habentem optimo ex auro formatum, et ex ipso vivas aquas in me cum impetu profluentes, per complures fistulas ex ipso ejus corpore undique proeminentes. Nonne tali schemate pauperem consolabatur, et id quod suum est loquebatur : *Ego*, inquit eadem Sapientia, *diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et jus-* D *titia. Melior est fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo, ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam* (*Prov*. VIII). Item : *Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio. Ego quasi fluvius Dorix, et sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi : Irrigabo meum hortum plantationum, et inebriabo partus mei fructum et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus propinquavit ad mare. quoniam doctrinam quasi antelucanam illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum* (*Eccli*. XXIV). Nonne, inquam, secundum verborum hujuscemodi sensum, visus ille mihi loquebatur? Et si non statim sensi

quid significaretur, attamen nunc interpretatio lida est, quia statim subsecutus est, et nunc usque perseverat effectus. Et si alii cuilibet hoc ridiculum forte aut infantile videtur, at saltem tibi jucundum esse et venerabile videri debet, per quem fieri cœptum est ex tunc, ut scribere et scribendo refundere volenti vivas aquas de illo charactere aureo in me decurrentes, nummus non deesset, membranula non deficeret, ut dicere possim: Quia sapientia Dei Christus revera, secundum auream visionem illam, dives est, et auri atque argenti satis habet. Fiat mihi secundum illud signum, quod osculum quoque ingessit ore solido, ore, ut jam dictum est, aureo, scilicet, ut non desit mihi secretorum ejus, quæ solis debetur amicis, cognitio, atque magis ac magis usu ipso experiar, quia balneis sive cisternis hominum viva fontis Christi fluenta jugiter manantia meliora sunt.

Quomodo illi de paupere isto loquente dixerunt: Quis est hic? Quomodo admirati sunt? Quomodo zelati sunt? Nimirum sicut scriptum est. Licet enim interdum propter aliquam similitudinem maximis conferre minima. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, inviderunt que illi habentes jacula. Sed item de illo et de quolibet alio simili ejus scriptum est: *In tribulatione invocasti me, et liberavi te, exaudivi te, in abscondito tempestatis* (*Psal.* LXXX). Absconditum tempestatis me viderit exauditor omnium Deus, qui scit me idcirco maledicta illorum sustinuisse, et in faciem eis restitisse, ne rursus inducerent hæresim Florini, dicendo et pertinaciter affirmando quod Deus velit malum fieri, quodque malum illud, peccatum illud, per quod mors in hunc mundum introivit invidia diaboli (*Sap.* II), per voluntatem Dei acciderit. Scis enim, ut arbitror, hæreses fuisse duas sibi contrarias, Colitianam atque Florianam. Nam Colitiani a quodam Colito nominati, dixerunt Deum nullum omnino facere malum, contra illud quod scriptum est: *Ego Dominus faciens pacem, et creans malum* (*Isa.* XLV): ubi subintelligendum est, non malum quod est virtuti contrarium, sed malum afflictionis, quod oportet fieri interdum propter castigationem malorum, id est peccatorum, verbi gratia, famem, gladium pestilentiam et malas bestias, quæ ipse Dominus apud Ezechielem quatuor judicia sua pessima nuncupat (*Ezech.* XIV). Floriani a Floriano nominati econtrario dixerunt Deum creasse mala, et ipsa quæ virtuti sunt contraria, nimirum contra id quod scriptum est: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Hæc erat illa hæresis, quam beatus Hieronymus anathematizans (48), cum illud in Isaia sano intellectu exposuisset: *Faciens pacem, et creans malum*, id est bellum (*Isa.* XLV), *quomodo enim luci contrariæ sunt tenebræ, ita paci contrarium est bellum*, protinus ait: *Unde et confundatur hæresis, quæ malorum arbitratur conditorem Deum eum, hic malum non contrarium* A *bono, sed pro afflictione ponatur et bello, secundum illud quod in Evangelio scriptum est*: Sufficit diei malitia sua (*Matth.* VI). Magistri magni ac præceptores nominati, præclara totius Franciæ lumina, quorum ad auditum de cunctis fere provinciis examina discipulorum festinabant, sententiam illam de voluntate Dei emisisse atque constanter defendere ferebantur, et idcirco quidquid dicerem ego, non solum non audiebatur, verum etiam tanquam stultum contemnebatur. Ita erant adversarii, vel esse videbantur sibi, auctoritate illorum freti, ut putabant, irretragabili, ac si angelus de cœlo locutus fuisset eis, qui tamen non esset audiendus in hujusmodi, vel si alio quolibet modo contradiceret Scripturis veritatis. Et quidem sapientiores utcun- B que mihi tolerabiles in contradicendo fuerint, sed de indocto scholarum popello favente adversariis, veluti clericis contra monachum, veluti magistris contra indoctum quid dicam tibi? Qualis in me talium exprobratio fuit? Revera experimento didici, ut sentirem in memetipso magis illud quod per os beati Job sancta Ecclesia dicit: *Nunc autem derident me juniores, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, et quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni, egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria et mandebant herbas et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum, qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in* C *proverbium. Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur* (*Job.* XXX). Ego autem omne canticum eorum, omnemque despectum. **295** dura fronte contemnens, ita ut nunc ego rei vel temporis illius memor admirari possim, et gaudere quod mihi quoque illud propheticum acciderit: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam* (*Ezech.* III). Ivi in Franciam, ut potissimum contra magistros illos prælium disputationis committerem, quorum tanta super me et contra me auctoritas erat, ut quoties illius temporis recordor, simul et recordari debeam dicti illius verissimi, quod Sapientia dixit: *Dives locutus est et omnes tacuerunt, et verbum illius* D *usque ad nubes perducent; pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic?* (*Eccli.* XIII.) Nam alter eorum magister simul et episcopus alter, quovis episcopo famosior, quamvis ipse non esset episcopus. Mirum mihimet nunc est illud recordationis meæ spectaculum, quomodo solus ego vili asello residens, juvenculus, uno tantum puero comitatus, ad exteras tam longe civitates ad conflictum contra tales profectus sum, quibus adesse et os et ingenium, et magnam tam officii quam magisterii dignitatem noveram, nec defuturum quod et factum est, ut magistrorum pariter ac discipulorum cœtus quasi

(48) S. Hieron. Comment. in Isa. lib. XIII, cap. XLV, 7, Patrol. tom. XXIV

non parvus conveniret exercitus ad me audiendum, ac me convincendum. Illud autem magis mirum videtur quod me ingrediente civitatem, jam dictorum alter et præcipuus magistrorum ultimum trahens spiritum, statim post ingressum meum vitam finivit, alter cum quo acerbum habui conflictum, nescio an integrum annum supervixerit. Ex tunc quoniam multi religiosi pariter et docti sententiam illam improbabant, sed et adhuc viventibus illis, quamvis nimium taciti, improbaverant, cessavit illius disceptationis ventus, sed illi contra quos primum certamen habui diu pristinum quod in me conceperant tenuerunt odium, ut veraciter dicere possint; *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui* (*Gen.* XXXVII). Qualiter vindictam quæsierint, quali ultione semetipsos in me consolari desideraverint, postmodum dicam. Nunc primum videtur demonstrare, quibus ex capitulis Scripturarum comprobare voluerint suum illum sensum de voluntate Dei, simulque ostendere quod eadem capitula non perfecte intellexerint. Quatuor capitula sunt: Primum, illud Apostoli: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Tradidit illos Deus, id est in passione ignominiæ, tradidit illos Deus *in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Rom.* I) Secundum, illud de Apocalypsi: *Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Tertium, illud dictum Moysi: *Ego indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* XIII). Quartum: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum* (*Isa.* VI).

Ad primum capitulum respondit: Quia Deus in passiones ejusmodi neminem tradit, nisi illum qui semetipsum tradidit. Nam et idem Apostolus ad Ephesios dicit: *Qui desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ, in avaritiam* (*Ephes.* IV) Et ad Romanos antequam diceret, *propter quod tradidit illos Deus*, præmisit quod semetipsos tradidissent his verbis: *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*Rom.* I). Quid ergo est *tradidit*, nisi ac si diceretur; non liberaverit? Causam autem cur tradiderit, id est non liberavit, ex alia Scriptura percipere promptum est. Scripturam illam quæramus, cujus maxime intuitu Apostolus, ubi in Græcum, id est in gentilem justa declamatione invectus tertio dixit, *quapropter tradidit illos Deus* tunc demum in Judæum conversus, cujus de superbia, ne dicam justitia, nata fuerat omnis controversia, propter quod ait: *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II). Et quidem fere omnis Scriptura legis et prophetarum, sive ἐπιστατικῶν et regum, manifeste testatur Judæum eadem commisisse scelera, quæ commisisse constat gentilem sive Græcum. Verumtamen maxime ad prophetam Osee divinum cum hæc diceret, respexisse arbitramur Apostolum. Ille namque videlicet Osee fornicatorem Judæum, tam pro spirituali quam pro carnali fornicatione judicialiter conveniens, imo non tam ille quam qui in illo loquitur Dominus, et sic incipiens: *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV). Illum quoque scilicet Judæum tertio tradit traditione eadem qua Apostolus, ut jam dictum est, traditum esse gentilem tertio declamavit, et traditionis causam tertio reddit. Primo namque dicit: *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir* (*ibid.*). Hoc enim dicere quid est, nisi tradere, id est derelinquere? Causamque protinus reddit. *Populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti* (*ibid.*). Ad quod subaudiendum est, et idcirco nullam debent misericordiam consequi. Nam et lex superbientem et nolentem obedire sacerdotis imperio decernit mori, et auferri malum hoc de Israel, ut audientes timeant universi. De talibus beatus Job: *Ipsi*, inquit, *fuerunt rebelles luminis*, etc., usque ad id, *obliviscatur et ejus misericordia: dedit ei Deus locum pœnitentiæ; et ille abutitur eo in superbia* (*Job.* XXIV). Secundo dicit: *Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant* (*Ose.* IV) scilicet usu illo qui est contra naturam, quod scelus itidem Apostolus secundo traditionis loco expressit, dicendo: *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum* (*Rom.* I), etc. Quidnam est non visitare, nisi tradere, id est, derelinquere? Tertio loco dicit: *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum* (*Ose.* IV). Quid enim est dicere, dimitte nisi tradere, id est derelinquere? Causasque istas protinus reddit: *Ligavit eum spiritus in alis suis* (*ibid.*), id est non per ignorantiam, sed per spiritum superbiæ delinquit, idcirco non poterit solvi sive corrigi. Item: *Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me, nec dabunt cogitationes suas in medio eorum, et Dominum non cognoverunt* (*Ose.* V), id est in notitia, sicut de gentili dixit Apostolus, habere non probaverunt. Causa ista vel sola satis excusat Deum quod non idcirco quempiam tradat sive dimittat, quia velit fieri malum dum præmisso, *dimitte eum* (*Ose.* IV), subjungit, quia *ego scio quod non dabunt cogitationes ut suas revertantur ad Dominum.* Ad secundum capitulum quod erat; *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII), interrogatus, ita dixi. Quid est in sordibus esse nisi in sordibus sibi complacere, ipsasque sordes defendere? Nam de illo qui per ignorantiam vult sordidari, et de illo qui per infirmitatem sordes incidit, vel in sordibus fuit, aliud judicium est, quam istud, sordescat adhuc, exempli gratia: *En morioris*, ait Deus ad Abimelech, *propter mulierem quam tulisti, habet enim vi-*

ram. Abimelech vero non tetigerat eam. Et ait : Domine, num gentem ignorantem et justam interficies? In simplicitate cordis mei, et munditia **296** *manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus : Et ego scio quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam* (*Gen.* xx). Et Apostolus de semetipso dicit : *Sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (*I Tim.* I.) Dicit aliquis : Quare non omnes ignorantes similiter prævenit, ut non peccent ? Videlicet, quia ipse novit omnes, et scit quia non omnes præmoniti caverent a malis, sicut non cavit ille Cain, quem ipse præmonuit (*Gen.* IV), et melius est illis veritatem non agnoscere quam eamdem agnitam non custodire. Qui autem per infirmitatem sordes incidit, qualium cujusque personam Apostolus semetipso suscipiens : *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII), contingit illi quod Sapientia dicit : *Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam* (*Sap.* XI) Non hic præmonetur ad cautelam, sed exspectatur ad pœnitentiam. Quod si per superbiam ipsas, in quibus est, defendit suas sordes, jam quid faciat ille non curat Deus, et derelinquentis judicio dicitur, sordescat adhuc, sicut et Psalmo scriptum est : *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* XI), id est, non corripiet eum propter hoc, quia multipliciter iratus est.

Ad tertium capitulum quod erat : *Ego indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* XIII), ita breviter dixit : *Nonne antequam diceret Deus* : *Ego indurabo*, satis durus erat Pharao ? Nonne illud magnæ fuerat duritiæ quod dixerat : *Venite, sapienter opprimamus hunc populum, ne forte multiplicetur* (*Exod.* I); quod dixerat obstetricibus, *quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite illum, si femina, reservate* (*ibid.*). Itemque omni populo suo : *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite, quidquid feminei reservate* (*ibid.*). *Quodque oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti et lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur* ? (*ibid.*). Quid igitur est dicere, *ego indurabo*, nisi ac si dicatur quoniam durus est, et duro corde odit, et invidet, ego faciendo signa, et ostendendo curam meam pro filiis Israel, non solum non emolliam nequissimum cor, verum etiam in contrarium proveniet illi, ut qui durus est, adhuc fiat durior ? Neque enim aliter sane intelligitur, nec aliter intellectum est a sanctis Patribus, illud quoque quod in Psalmo dictum est : *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus* (*Psal.* CIV), nisi ita, benefaciendo populo suo, et multiplicando illum, tormentum fecit invidentibus, ut ita magis ac magis indurarentur de beneficiis apparentibus, sicut lutum

A quanto magis ardenti sole turitur, tanto magis durum efficitur :

> *Invidia Siculi non invenire tyranni*
> *Majus tormentum,*

ait quidam (HORAT. *Epist.* I, 2, 58,) licet longe sit aliud quod invidet tyrannus homo, tyranno homini, et aliud quod invidet terrenus homo Deo et regi cœli, quod fecit ille Pharao exemplar diaboli. Nunquid tunc invidus vel impius esse cœpit, et duri cordis, quando ad primam vocem dicentis : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto*, respondit : *Quid est Dominus ut audiam vocem ejus et dimittam Israel ? nescio Dominum et Israel non dimittam* (*Exod.* XI). Imo et antequam rex fieret, durus erat et impius, et

B idcirco in regnum sublevavit eum judex Deus, ut esset nota persona in qua noto exemplo præmonstraret qualiter impios atque invidos judicaturus. Hoc est quod ipse dixit, et Apostolus quoque memorat : *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in universa terra* (*ibid.*). Proinde quod dicit Apostolus ; *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX), expeditum habet sensum, si, ut volunt plerique doctorum, maximeque Origenes, ex persona objicientis accipias. Nam et ubi loquitur Isaias : *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te* ? (*Isa.* LXIII) ita dicit beatus Hieronymus : *Epistola quam scribit Paulus ad Corinthios cum ad unius scribatur populum civitatis, pro varie-*

C *tate habitantium, id est sanctorum et peccatorum, nunc laudat eos, nunc corripit, nunc docet, nunc reprehendit. Provocat ad continentiam, nuptias non recusat, retrahit ab idololatria, instruit resurrectionem, bigamiæ porrigit manum, ne locum tribuat fornicationi.* Hoc diximus, ut præsens quoque capitulum, quod omne ex populi Deum deprecantis oratione contexitur, vel justorum intelligamus esse vel peccatorum et nunc laudare Dominum, nunc movere Domino quæstionem, et suam culpam referre in Deum.

In quarto capitulo, quod erat : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculus ejus claude, ne forte videat oculis, et auribus audiat, et corde intelligat, et convertatur, et sanem eum* (*Isa.* VI).

D videbatur esse vis, ut vel ex eo possent os meum obstruere adversarii. Ego autem fere nil præmeditatus, ita protinus respondi : Initium visionis ex fine melius cognoscitur. Nam visionis ejusdem quam propheta sic narrare incipit : *In anno quo mortuus est rex Ozias, ubi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*ibid.*), etc., domus fumo impleta dicitur, et quid istud significet innuitur subjungendo, *excæca cor populi hujus*, circa finem vero visionis Dominus ipse dicit : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis* (*Isa.* VIII). Nunquid hoc est malum, taliter Judæos excæcari, sive excæcatos, esse, ut non intelligant, ut non audiant, ut non

suscipiant fidem evangelicam ? Imo valde bonum est gentibus universis, quia si credidissent Judæi, stetisetque locus eorum, et templum magnum, fuisset gentibus scandalum, nec ipsis profuisset susceptum Evangelium. De paucis illis quod crediderunt sumimus argumentum. Dixerunt enim ad Petrum : *Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis ?* (*Act.* XI) Et quidem audita ratione tunc tacuerunt, sed postea fecerunt apostolis seditionem magnam, docendo fratres ; *Quia nisi circumcidamini, non potestis salvi fieri* (*Act.* XII). Hoc Antiochiæ factum est, et cum propter eamdem seditionem non minimam Paulus et Barnabas et quidam alii ascendissent ad apostolos et presbyteros in Hierusalem, congregata Ecclesia ; *Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderant, dicentes quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare omnem legem Moysi* (*Act.* XV), magnaque conquisitio facta de verbo hoc vix per Petrum et Jacobum sedata est (*ibid.*). Si pauci illi tantum jam fecerant scandalum, jamque cæremoniis carnalibus quantum in ipsis erat, miscuerant Christi Evangelium, quid putas fieret, si gens tota credidisset, locusque et templum stetisset? Nimirum nec illis credidisse profuisset, nec gentibus, quoniam earum oderunt salutem, credere licuisset, et si crederent, atque Judæis cogentibus circumciderentur, Christus eis nihil prodesset. Proinde beatus Hieronymus super isto capitulo (49) : *Excæca cor populi hujus*, sic breviter elocutus est. *Si enim illi* 297 *viderint et conversi fuerint, et intellexerint, et sanati fuerint, totus mundus non recipiet sanitatem.* Universaliter quoque de cunctis, quibus Deus justus claudit sive non aperit oculos intelligentiæ, sciendum quia melius est illis viam veritatis non agnoscere quam post agnitam retrorsum abire. Nam si agnitam veritatem fuissent observaturi, Deus hoc sine dubio præsciens, dux eis fuisset, et auctor agnoscendæ ejusdem veritatis.

Hic illud occurrit quod ipse quibusdam civitatibus exprobrans, *quia si in Tyro*, ait, *et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pænitentiam egissent* (*Matth.* XI). Item et alibi dicit : *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem* (*ibid.*). Sed non fecit virtutes in eisdem civitatibus, in Sodomis, in Tyro et in Sidone. De illis enim civitatibus dicebat: Quid igitur ? Saltem ne illarum civitatum voluit malum, illorum perditionem hominum, ut salvi non fierent, ut perirent ? Beatus Pater Augustinus in libro Enchiridion, quem scripsit ad Laurentium, multum in isto capitulo laborare videtur quasi inter fugam et pugnam, dum fugit consentire, quod unquam voluntate Dei factum sit, vel fiat aliquod malum ejusmodi ; pugnat tamen quod salvos illos fieri noluerit, et juste noluerit. Laborem intentionis ejus perpendit, quisquis verba ejus vigilanter attendit, quia velut pro constantissimo habens, quod illos salvos fieri noluerit, et de hoc Deum excusare non valens, velut alibi ubi loquitur infirmans quomodo velit ipse, sicut, legens, potes patenter advertere. *Non ergo*, inquit, *fit aliquid, nisi omnipotens Deus fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt male.* Sciebam quod vellet homo sanctæ et piæ voluntatis, toto corde et sensu tendens ad honorem divinæ justitiæ, divinæ bonitatis, sed non concedebatur mihi ab adversariis, gaudentibus quasi patronum se habere sententiam tanti doctoris dicentis : *Non ergo fit aliquid nisi omnipotens Deus fieri velit*, nec volentibus pati, ut ea quæ sequuntur discuterem ego, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Quapropter laborans, et ego tandem intrepidus dixi, quam cum idem sanctissimus doctor de scriptis suis multa retractaverit, istud quoque retractatione dignum fuit. Audeo autem adhuc, et bonam voluntatem habens, non dubito inclamare tanto Patri, quodinam lego sacerdotem Madian Jethro consilium dedisse sancto Moysi utique meliori atque sanctiori et sapientiori. *Quid est hoc*, inquit, *quod facis in plebe? Non bonam rem facis : stulto labore consumeris, et tu et populus iste qui tecum est. Ultra vires tuas est negotium. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Dominus tecum* (*Exod.* XVIII). etc. Ut igitur non timerem adversarios, ausus sum nec timui, quoniam causa postulabat resultare tanto Patri, et quodammodo dicere illi : Quid est hoc quod facis ? Quare Deus quasi adjuvare volens longo labore fatigaris ? Compendiosius iter est ad illud quo tendis. Considera namque quia non dixit, si in Tyro et Sidone, et si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, salvi facti fuissent Sodomitæ, salvi facti fuissent Tyrii et Sidonii, sed hoc tantum dixit, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent, forte mansissent usque in hanc diem. Nunquid autem pœnitentiam agere, et salvum esse, paria vel æquipollentia sunt ? Nunquid manere civitates Sodomorum usque in hanc diem, et salvos esse Sodomitas homines, sensum eumdem dicta hæc habent ? Non utique, nam neque omnes homines, qui pœnitentiam egerunt, salutem quæsierunt, neque omnes homines, quorum civitates manent usque in hanc diem, salvi sunt. Exempli gratia. Rex Israel impius Achab pœnitentiam egit, sed non propter futurum, imo propter præsens sæculum. Hæc differentia diligenter animadvertenda est, quia multum differt apud Deum utrum propter futurum quis pœnitentiam agat, an propter præsens sæculum. Si propter vitam futuri sæculi ille Achab jejunasset et dormisset in sacco, ambulans demisso capite, nequaquam in cultu vitulorum et servitio Baal perseverasset. Item Ninivitæ, si propter fidem vel vitam futuri sæculi pœnitentiam egissent, nequaquam securitate resumpta, eo quod non cito veniret vindicta præsens, ad pristina peccata rediissent ; quod quam fecerunt, a Chaldæis subversi sunt. Igitur cum dicit Dominus, quia si in Tyro et Sidone et in Sodomis

(49) S. Hieron. Comment. in Isaiam lib. III, in cap. VI, 10, Patrol. tom. XXIV.

factæ fuisse virtutes, etc. non consequitur quod eos salvos esse noluerit imo illud consequitur, quod de pœnitentia illorum non curaverit, quia non fuisset valens atque sufficiens ad consequendum fructum veræ, id est æternæ salutis. *Pœnitentiam agite*, ait ipse Dominus, causam istam subnectens *appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Et ista sola causa est, propter, quam prædicare pœnitentiam, et virtutes facere dignetur, ut invitentur homines ad credendum. Unde valde notandum quia Ninivitis sicut non prædicari regnum cœlorum de quo non curarent, ita nec prædicari jussit pœnitentiam, sed tantummodo subversionem futuram, licet hæc fuerit intentio, ut illis pœnitentiam agentibus, quod futurum præsciebat Deus, Israel ex comparatione gentium nimis injustus et misericordia indignus, utpote impœnitens demonstraretur, et comprobaret Dominus verum esse quod ad quemlibet prophetarum dicere solebat tale quid, ut est illud : *Non enim ad populum profundi sermonis et difficilis linguæ tu mitteris, neque ad populos multos et profundi sermonis, et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te, domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me* (*Ezech.* III). Quid ergo intendens de Tyro et Sydone, atque Sodomis, talia Dominus dixit, exprobrando civitatibus Judaicis ? Nimirum hoc ut sciremus justum esse, ut quemadmodum ipse dicit, terræ Sodomorum remissius sit in die judicii quam Judæis, quia videlicet Sodomitæ pœnitentiam egissent saltem pro evitandis malis de propinquo venientibus, si prænuntiata fuissent eis virtutibus attestantibus, Judæi vero neque metu gehennæ, quasi in tempora longa futuræ, neque timore temporalis excidii cito venturi pœnitentiam egerunt, ad omnia rebelles et increduli.

Causas dixi quam breviter potui, quæ odii multorum seminaria fuerunt pauperi huic, ut eo loquente dicerent : *Quis est hic*, intenti ad perscrutandum, ut si in locutione sua quidquam offenderet, subverterent eum. Nunc dicendum est quid locutus sim et qualiter quidam illorum me offendisse cupientes, subvertere voluerint, in vindictam sive vicissitudinem reprehensionis, in qua contra illos secundum ea quæ hactenus dicta sunt constans et indeficiens perseveravi. Locutus sum in primis opusculum De officiis divinis sive sacramentis per circulum anni, distinctum **298** libellis XII materiamque pergrandem, ut ipse fateris breviori quam oportuisset opere astrinxi. Deinde in Evangelium secundum Joannem libros XIV. Et post hoc de sancta Trinitate et operibus ejus lib. XLII. Deinde in Apocalypsin Joannis libros XII. Deinde in duodecim prophetas libros XXXI. Deinde de Victoria Verbi Dei libros XII. Et nunc novissime de gloria et honore Filii hominis secundum Evangelium Matthæi, opus tibi charissimum, ut ipse fateris, tuo rogatu incœpi, et in hoc totus eram, tu autem me interpellasti. Hæc locutus est pauper, non sua auctoritate, sed ejus de quo scriptum est : *Leo* A *rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* (*Amos* III.) Ipse autem quid invenerunt offensionis, in omni hujusmodi locutione pauperis? Imo quomodo ut invenirent scrutati sunt, et scrutantes defecerunt? Virgilianum illud cunctis pene tritum est :

. . . . *Et crimine ab uno*
Disce omnes.
(VIRGIL. *Æneid.* lib. II, 65, 66.)

Hoc si placet, de uno tibi referam, et ab uno disce omnes.

Unus ille, quem nosti, vir bonæ conversationis, sed novæ conversionis, magni nominis, sed dubiæ opinionis, jam prælatus et prædicator, sed fere nunquam subditus, sive auditor, familiariter a me, B quasi pro studio legendi præstari sibi rogavit aliquid de meis opusculis, et præstiti illi supra memoratum opusculum De divinis officiis. Accepit, abiit, legit quantum et quandiu voluit, et post multos dies librum remisit nihil mihi dicens, aut rogans boni sive mali. Cum ecce post dies complures audio, et a multis mihi nuntiatur, et ab exteris quoque civitatibus fratres eruditi mittuntur ad me interrogandum, ad inquirendum, utrum verum esset an non, quod de me fama longe lateque disperserat, scilicet me dixisse, me scripsisse Spiritum sanctum de Maria Virgine esse incarnatum. Exhorrui, fateor, tantumque conscientiæ munitus clypeo, quærebam diligenter quisnam hujusce rumoris existeret auctor. Quid multa? Diu quæsitum, tandemque per quosdam C confratres nostros mihi compertum est, auctorem criminis, imo falsæ criminationis hujus illum esse quem dixi, et ex lectione libri quem commodaveram illi male aucupatum fuisse istud de verbis hujuscemodi, in officio IV Dominicæ Adventus Domini. Investigare enim quis potest, quomodo corporatur Verbum, quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet, et existit et concipitur? Quomodo vel quid a facie Verbi hujus ille parturivit ? Quomodo pauperem offendisse credidit? Quomodo subvertere voluit? Librum proclamavit hæreticum, flammis exurendum, et hoc in medio imperitorum, multorum quoque omnino litteras ignorantium, qui sequebantur et audiebant illum, et ut solent ejusmodi homines in divinis ac profundis rebus majorem D pene quam litterati ostentare animum, libro nimium infesti poscebant eum, et rapere festinabant ad comburendum. Quid magis in hoc asperneris, inscitiam ne an invidentiam? Nam nisi fuisset inscius, et minus quam putet ipse peritus, sciret profecto cujus essent verba, quæ tam irreverenter calumniabatur. Si non esset invidus, imo nisi fuisset gloriolæ cupidus, me cum primo contulisset verba ipsa, quæ mea vel a me primo dicta esse arbitrabatur. Quid enim? nunquid non hæc verba sunt beati papæ Gregorii in homilia illius evangelicæ lectionis : *Miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es?* (*Joan* I.)

Sed forte reus sive debitor ego sum. Scriptum est enim : *Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, Dominus cisternæ reddet pretium jumentorum ; quod autem mortuum est, ipsius erit* (*Exod.* XXI). Cisternam ego aperui et fodi, quia sententiam profundam scriptis meis interserui. Porro cisternam ipsam non operui, quia nominis auctoritatem, ut appareret omnibus, cujus esset sententia, non superposui. Si ita dixissem : *Investigari enim*, ut ait beatus papa Gregorius, *nullatenus potest, quomodo corporatur verbum, quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum matris animatur*, profecto cisterna operta fuisset, munita nominis auctoritate, sive auctoris nomine fuisset, nec cecidisset in cisternam qui cecidit, qui prope blasphemavit. Quem enim nisi beatum Gregorium hæreticum declamavit? Quid nisi Verbum Dei, Verbum Deum, Spiritum esse fere negavit? Non tamen omnino negavit, sed minus quam debuisset habens dilectionis, et in me aliquid occulti gerens odii, quo solet obtenebrari oculus cordis, non vidit, non recogitavit, quia Deus Spiritus est : Deus unus, Pater et Verbum et Spiritus sanctus unus Spiritus est : Spiritus, inquam, non corpus est. Sola autem persona tertia Spiritus sanctus dicitur et est, composito nomine ex eo quod et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus est. Et si rite perpendis, persona hæc tertia, scilicet Spiritus sanctus, ex eo cœpit Spiritus sanctus prædicari, ex quo datus est in sanctificationem generis humani, ex quo in remissionem peccatorum cœpit hominibus dari. Denique, ante gratiam Evangelii, ante incarnationem Filii Dei dicebatur vel scribebatur Spiritus Dei, Spiritus Domini, et præter unum locum in propheta David dicente : *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L), fere nusquam aut vix invenies illum tali censeri nomine, antequam diceret angelus ad Mariam : *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* I), et de Joanne circa idem tempus *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ* (*ibid.*). Nunquid in nostra, imo beati Gregorii sententia taliter dictum est, quomodo Spiritus sanctus intra uterum matris animatur? Non, sed quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum matris animatur. Igitur, ut jam dixi, reus sive debitor ego sum, et idcirco reddo casus illius, qui accidit, quale possum pretium, scilicet præsentem rationis hujus nummum argenteum, ut casum illius recompenset status alterius, qui forte legens rationem hanc stabit certius, dum nonnihil proficiet, vigilantius recogitando et sentiendo, quia non una tantum persona hæc, cujus nomen est Spiritus sanctus, sed et Pater, et Filius, et hic utriusque amor Spiritus sanctus unus Deus, sancta Trinitas : una substantia, unus spiritus est. Non est mortuum quod cecidit, quia is de quo loquimur correptus, ut audivi, monstrata sibi auctoritate tanti doctoris, cito quamvis confusus resipuit. Quod nisi fecisset, fieret et fieri deberet, sicut habet jam dicta sententia legis, quod

A autem mortuum est, ipsius erit. Nam revera sicut meum justo jure traherem in jus, postulando ab Ecclesia, sicut jam facere cœperam, ut tanquam in criminatorem justam decerneret sententiam, pro eo quod non me, si errassem, corrigere voluit, sed ipse errans recte gradientem, et ab illo non caventem seorsum infamare properavit, immemor dicti illius quod Ecclesiastes dixit : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit* (*Eccle.* X). Hoc enim erat in silentio mordere, hoc erat occulte detrahere, me **299** prætermisso librum circumferre, et aliis simplicioribus capitulum ingerere, et singulis quasi congemiscendo insusurrare, quod dicerem ego, quod scripsissem ego inscius, ineptus, quia Spiritus sanctus de Maria virgine esset incarnatus, et hinc

B apparerem hæreticus, et quod idcirco periret mundus quia talia scriberentur. Ut reor, non ita fecisset, nisi aliquid occulti odii subesset. Nescio tamen unde illum offendissem, nisi quod non mihi per omnia placebat, vel satis cautum videbatur, quod cum esset juvenis, et de vita sæculari noviter conversus, repente expetito sacerdotio publicum arripuisset prædicationis officium, asserendo, ut ferebatur, quod cum auctoritate apostolica undecim suscepisset prædicationis remedio curandos episcopatus. Fateor illud mihi adhuc et sapientioribus plerisque videtur, quod ætati, et pristinæ ejus conversationi ordo iste, qui omnibus bene convenit, maxime convenisset, ut non ante prælatus, quam subditus sed ante subditus quam prælatus esse studuisset.

C Dixi tibi : « Ab uno disce omnes; » nam revera similiter fere omnes adversarii mei, et nonnulli ardentius scriptis meis incubuerunt, et instantius ea scrutati sunt, desiderantes reperire aliquid quod jacerent in me, pertinens ad contagium cujuslibet hæreticæ maculæ in vindictam supradicti opprobrii, quod per me injectum sibi quærebantur in illa controversia de voluntate Dei. Tandem se aliquid scrutando invenisse sibi visi sunt, et ad horam hostiliter gaudere cœperunt, eo quod dixerim ego de tenebris creatos esse angelos. Hoc, inquiunt, manifeste hæresis est. Ego autem ad illos : Hæresis, inquam, est contradicere sanctæ et canonicæ Scripturæ, affirmare aliquid quod ab illa negatum est, negare aliquid quod ab illa affirmatum est. Quænam autem

D Scriptura contradicit, vel cui Scripturæ hoc contrarium est? Illis in hoc deficientibus, et auctoritatem contradictionis non invenientibus. Igitur, inquam objectio vestra manifeste calumnia est, præsertim cum non de Creatore, sed de creatura quæstio sit, et nullus sit ex vobis qui cum auctoritate contradicere possit. Tantummodo nomen tenebrarum simplicibus horrendum esse vultis, distinguere nolentes tenebras bonas a tenebris malis. Sunt enim tenebræ bonæ, de quibus Psalmista : *Posuisti*, inquit, *tenebras, et facta est nox* (*Psal.* CXXX), utique Deo loquens, qui *vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Ipse quoque

Deus dicit : *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras* (*Isa.* XLV). Quomodo vel quando formavit lucem, vel quas creavit tenebras ? Utique in principio creatis cœlum et terram, *tenebræ erant super faciem abyssi, dixitque Deus : Fiat lux* (*Gen.* I). Hinc Apostolus ad Corinthios : *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Jesu* (*II Cor.* IV). Tenebræ illæ super faciem abyssi, erant aer crassus et humidus, sole et luna, et stellis nondum illustratus. Ubi enim lux non est; tenebræ sint necesse est. Porro beatus Augustinus lucem illam angelos vult intelligi, quam Deus, et secundum Genesim, et secundum jam dictum Apostolum de tenebris splendescere jussit. Dicit enim in libro undecimo De civitate Dei : *Ubi de mundi constitutione sacræ litteræ loquuntur, non evidenter dicitur, utrum vel quo ordine creati sint angeli. Sed, si prætermissi non sunt, vel cœli nomine ubi dictum est : « In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), *» vel potius lucis hujus, de qua loquor, significati sunt.* Ac deinceps : *Cum enim dixit Deus : « Fiat lux, et facta est lux* (*ibid.*), *» si recte in hac luce creatio intelligitur angelorum, profecto facti sunt participes lucis æternæ, quod est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam omnia facta sunt, quam dicimus unigenitum Dei Filium, ut ea luce illuminati, qua et creati, fierent lux, et vocarentur dies, participatione incommutabilis lucis et diei, quod est Verbum Dei, per quod et ipsi et omnia facta sunt* (*Joan.* I). Plane ostendit quid velit, nos autem scire debemus, quam ob causam dubitabundus, et pene fugienti similis taliter dixerit, si recte in hac luce creatio intelligitur angelorum, et his similia, quæ præsenti loco perscribere nimis esset longum. Denique ante ipsum alii nonnulli sancti, sicut et illustres viri scripserant de opere sex dierum, et de luce illa, quod senserunt infirmum et inconstans, nec satis probabile videri huic poterat, quod videlicet ante creationem solis, qui quarto die creatus est, lux fuerit corporea, et nox ab eadem luce tribus vicibus discreta. His quæ dicta sunt adjungere libet illud, quod idem Pater in libro vicesimo primo ejusdem operis De civitate Dei, dum tractaret de supplicio diaboli, cujusmodi futurum sit, inter cætera dicit : *Hic occurrit quærere si non erit ignis incorporalis, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum, idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributus et dæmonum, dicente Domino Christo : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV), *» nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsus flante vento sentitur. Quod genus elementi si nihil ignis perpeti posset, non ureret fervefactos in balneis. Ut enim urat prior uritur, facitque,*

A *quod patitur. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum.* Finem hic posuit dicendo, *non est de hac re laborandum, aut contentiosa disputatione certandum.* Eligant igitur utrum velint. Si sensum probant tanti doctoris beati Augustini, quod ubi dixit Deus : *Fiat lux, et facta est lux,* tunc angeli creati sint, qui dicuntur et sunt lux, participatione incommutabilis lucis, quod est Verbum Dei, Apostolum simul audiant dicentem : *Quia Deus lucem illam de tenebris splendescere jussit.* Si autem concedere vel audire nolunt; quod lux illa sint angeli, dicant quando vel unde angeli creati sint. Quod si dixerint quod in illa Scriptura sint angeli

B prætermissi : *Non,* inquit idem doctor, *esse prætermissos hic existimo, quod scriptum est requievisse Deum die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit* (*Gen.* II), *cum liber ita sit exorsus : In principio creavit Deus cœlum et terram, ut ante cœlum et terram nihil fecisse videatur.* Deinde ait : *Cum omnia creando disposita sint, quæ per sex dies consummata narrantur, quomodo angeli prætermitterentur tanquam non essent in operibus Dei, a quibus in die septimo requievit ?* Opus autem Dei esse angelos alibi sancta Scriptura clarissima voce testatur. Nam et in hymno trium in camino ignis virorum cum prædictum esset : *Benedicite, omnia opera Domini Domino* (*Psal.* CII), in exsecutione eorumdem operum etiam angeli nominati sunt, et in psalmo canitur : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excel-*

C *sis. Laudate eum omnes angeli ejus,* etc., usque **300** *quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). Etiam hic apertissime a Deo factos esse angelos divinitus dictum est, cum eis inter cætera cœlestia commemoratis infertur ad omnia : *Ipse dixit, et facta sunt.* Eligant, inquam, utrum velint ; nam ego voces illorum non metuo, dummodo demonstrare non possint quod ego in sermone aliquo vocibus sanctæ canonicæ Scripturæ contrarius sim. Sed et hoc inferam, quia sic ubi sancti doctores, qui utique in fide concordes sunt, in aliqua sententia discrepant, illi libentius atque confidentius tanquam magistro discipulus aurem præbebo consentientem, cujus ex ore sententiam audiero Scripturæ canonicæ testimoniis magis vel

D melius esse roboratam ; exempli gratia. Hic idem beatus Augustinus in Evangelium secundum Joannem ubi scriptum est : *Et cum intinxisset panem dedit Judæ Simonis Scariothis* (*Joan.* XIII), hæc inter cætera dicit : *Non autem ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut sanctus Lucas evidentissime narrat.* Porro beatus Hilarius Pictaviensis in Evangelio secundum Matthæum dicit (50) : *Post quæ Judas proditor indicatur, sine quo pascha*

(50) S. Hilar. Comment. in Matth. cap. 30, 2, Patrol. tom. IX, edit. Migne.

accepto calice et fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Nam discessisse statim intelligitur, quod cum turbis reversus ostenditur. Neque sane bibere cum Deo poterat, qui non erat bibiturus in regno, cum universos istum bibentes ex vitis fructu bibituros secum postea polliceretur. Si causa postulaverit, ut in quæstionem veniat, utrum Judas adhuc in illa hora cum discipulis fuerit, an ante jam exierit, exitu illo quem Joannes determinat dicens : *Cum ergo accepisset buccellam exivit continuo* (*Joan*.XIII), quis horum magis audiendus, vel sequendus erit ? Is utique cui magis opitulatur ratio sumpta de textu Evangelium narrationis. Ratio beati Augustini ista est: *Quia Lucas ita narravit, ut prius diceret post illam typicam cœnam quam ita scripsit : « Et cum facta esset hora discubuit, et duodecim apostoli cum eo, et ait illis* : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (*Luc*.XXII), » etc. Prius,inquam, diceret : *Et accepto pane,gratias egit et fregit, et dedit eis dicens* : *Hoc est corpus meum*, etc., quam scriberet hæc verba Domini : *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa* (*ibid.*) : Hæc est ratio beati Augustini. Denique si verba hæc Dominus locutus est de Juda : *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, postquam illis sacramentum corporis et sanguinis sui tradiderat, consequens est, quod eidem sacramento cum cæteris apostolis interfuerit et Judas. At vero secundum alios evangelistas Matthæum et Marcum,non post, sed antequam traderet sacramentum corporis et sanguinis sui, verba hæc Dominus de Juda dixit : *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est*, etc., usque *tu dixisti* (*Matth.* XVI ; *Marc.* XIV), et tunc demum sequitur, quia *cœnantibus eis, accepit Jesus panem* (*ibid.*),etc.Hæc est ratio beati Hilarii.Si igitur scire opus est,vel scire cupimus cujusnam ratio firmior sit,pervidendum prius est, quomodo Lucas a cæteris evangelistis Matthæo et Marco in ista narratione non discrepet, quia videlicet beatus Augustinus eorum consonantiam hic non requisivit, dum Lucæ narrationem sequi visus est.Quærentibus istud jam occurrit, quomodo Lucas non dissonet a cæteris,quia videlicet cum dixisset : *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens* : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem*, similiter et calicem, ita determinavit ut diceret, *postquam cœnavit* (*Luc.* XXII). Profecto, si postquam cænavit, ergo et post verba hæc : *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa* (*ibid.*),quia,sicut jam dictum est, secundum alios evangelistas hæc verba dixit : non postquam cœnavit,sed quando cœnavit, et de cœna ipsa buccellam intinctam Judæ porrexit,qui et sicut Joannes refert, *continuo exivit* (*Joan*.XIII). Quorsum istud ? Videlicet ut recogites qualem ob causam ego absens pene fuerim judicatus,quatenus omnis mihi licentia scribendi tolleretur,et quomodo tibi velut de cœlo a Deo missus pro me occurrerit beatus Hilarius, suumque librum manibus tuis,et suam sententiam quam non quærebas,sed nec usquam esse sciebas, tuis ingesserit oculis. Adhuc tibi eram fere incognitus, tantum autem semel visus, et tecum pauca locutus, quando istud actum est, adversarius mihi nescienti, et procul absenti magnam invidiam conflantibus. Habueram quippe cum aliquo magni nominis, magnæque æstimationis scholastico licet monacho certamen permolestum de sacramento corporis et sanguinis Domini,qui inter cætera,quibus deprimere conabatur majestatem tanti sacramenti, illud mihi objecerat,quia sacramentum illud Judæ quoque traditori suo Dominus dedit sicut et cæteris apostolis,hoc nimirum intendens,quod nequaquam illi dedisset,si vera esset substantia corporis et sanguinis sui.Quod autem illi, videlicet Judæ proditori dedisset simul cum cæteris, in promptu erat illi astruere auctoritate beati Augustini. Ejus rei necessitas me compulit,ut dicerem non esse in canone scripta beati Augustini, non esse illi per omnia confidendum sicut libris canonicis. Putarem ego novum vel incognitum hoc esse adversariis, præsertim nominatis,et scientia non parum præsumentibus,maxime in comparatione mei rudis, ut putabant, atque juvenculi ? At illi me ex hoc diffamare cœperunt, tanquam hæreticum, qui dixisem non esse in canone beatum Augustinum. Nosti ubi, quando vel quomodo tibi is,de quo jam dixi,occurrerit beatus Hilarius, taliterque me defenderit, ut sine illo non possem judicari hæreticus. Illud mihi miraculum fuit, quod de corde meo nulla unquam delebit oblivio, et quandiu ero, tandiu ero, tam in præsenti quam in futuro sæculo,per gratiam Christi grates illi semper habebo. De mei quoque animi constantia nonnihil gratulor in Domino, quia, cum nullum omnino scirem de sanctis doctoribus habiturum me fore in hac sententia patronum (neque enim ego magis quam tu, sciebam beatum hinc aliquid scripsisse Hiliarum) bonum tamen, juxta quod ex Evangelio conceperam, exercui zelum, sciens scriptum : *Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII). Contigit itaque mihi, juxta illud quod sapiens Jesus filius Syrach dixit : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis,quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis* (*Eccli.* XI). Cum enim tribulatio patriæ immineret, quis denique tribulationem illam non audivit ; cum,inquam, patriæ tribulatio vehemens prope jam adesset, me dissimulante exire, et reverti ad te quo me magnopere invitabas, sine dubio manum meam apprehendit angelus Domini, et per obedientiæ januam eduxit me,dum sanctæ memoriæ Fridericus in episcopum electus, cujus causam conscius et testis Deus tantis tamque crebris miraculis defendit atque illustravit **301** secum huc ad Agrippinensem metropolim cum electionis suæ testibus adduxit me.Extunc obedienter hic ego passus sum detineri et quia succedentem tribulationem non sensi,imo dulce consolationis refrigerium inveni : dixi,iterumque dico,

uti expertus sum, quia speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

Desinant igitur vel nunc adversarii de paupere isto, qui locutus est, dicere: Quis est hic, vel quid opus est eum loqui, cum sancti et antiqui doctores sufficienter locuti sint? quod si nec dum desinunt, audebo adhuc loqui, et dicere illud Isaianum: Quia post omnes, vel infra omnes terminos terræ, id est humiles qui recordati sunt nominis Domini, et locuti sunt in nomine Domini fortasse istum quoque pauperem contingit: *Domine, in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus et peperimus* (*Isa.* XXVI). Quis rogo sapiens est, qui dicat mulieri quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum. Quid clamas, cur non taces, cur non imponis ori tuo silentium? Forte dicat mihi aliquis: Tunc es hujusmodi? Quando vel quomodo concepisti? Unde scis quod a facie Domini A conceperis, ut illa quæ scripsisti quasi parturiens loquereris? At hæc, inquam: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi* (*Isa.* XXIV.) Verumtamen desinant, propter illud quod itidem Isaias dicit: *Væ qui dicit patri: Quid generas, et mulieri: Quid parturis?* (*Isa.* XLV). Derogat enim patri, qui invidet prægnanti; derogat generanti, qui invidet parturienti. Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis misericordiam generat, et viduam verbo suo consolatur animam, et tu dicis: *Quid generas* Verbum mente conceptum vocem quærit, et tu dicis: *Mulier, quid parturis?* Defensa est Thamar nurus Judæ testimoniis congruis, *de viro*, inquiens, *cujus hæc sunt concepi: Cognosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus* (*Gen.* XXXVIII), Cognosce et tu, B si vis, utrum nec ne sit in scriptis meis annulus fidei, baculus spei, armilla charitatis, et dicentem audi animam meam *de viro, cujus hæc sunt, concepi.* Nam et aliquid recolo in me sensibiliter factum, ut indubitanter dicam, qui *datum* hoc sive *donum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I).

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Jam dudum, o amice, ut reor, tædio fessus es, et narratio mea, quasi sarcina tibi est in via, dum ad aliud animo properas dum postulata festinus exspectas. Verumtamen suum in his quoque teneat dilectio judicium, quod scilicet non debuerim ego perpetuum de talibus tenere silentium. Quomodo enim tacendo de hujusmodi illud Sapientis observarem consilium: *Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animum tuam mendacium* (*Eccli.* IV). Hæc igitur, si non fastidias, nec reputes pro sarcina, non ingratus accipies sequentia quæ postulaveras. Primum eorum de quibus tibi respondere proposui ex Regula sancti Benedicti, ordo est nocturnarum vigiliarum Dominicæ noctis, *qui omni tempore*, ait idem Pater sanctus (*cap.* XI) *tam æstatis quam hiemis, æqualiter in die Dominico teneatur.* Hic jam dicendum quod nullus ignorat, aut ignorare debet Christianus, quia media nocte Dominica surrexit Dominus, triginta tribus oris sepulcro clausus, quæ hoc modo supputantur. Hora nona spiritum emisit, et sepultus est, et tres horæ supererant ejusdem diei: Nox sequens et dies subsequens; nox, inquam et dies, horæ sunt viginti quatuor, et additis tribus jam dictis viginti septem fiunt, quibus adjice medium noctis, id est horas sex, et fiunt horæ triginta tres. Tribus igitur diebus, etsi non totis, in sepulcro quievit, et media nocte surrexit, et proinde media nocte surgimus ad confitendum sanctæ C Trinitati, cui vera humanitas Christi, tali fine pro homine satisfecit. Hic omnis prima Sabbati, cum nocte sive vespera, quæ lucescit in prima Sabbati, Dominica meruit nuncupari. Adhuc inspice plenius. Triginta namque annis, qui numerus ternarius decimo est, secretus vixit, tertio suæ prædicationis anno passus est, triginta tribus horis, ut jam dictum est, exanimis jacuit, tertia die resurrexit. Adde quod adhuc pulcherrimum est, qui tribus idem passionibus est consummatus, scilicet flagellis cæsus, cruci affixus, lancea transfixus, inter duos latrones ipse tertius, pro latrone Barabba commutatus. Merito ergo placata trinitas, suam confestim generi humano faciem cœpit ostendere, eductis omnibus de regione tenebrarum, qui venturi hujus fidem habentes ex hac vita migraverant; et prædi- D cari voluit nobis residuis, ut baptizaremur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

302 CAPUT II.

Præmisso igitur versu: *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina*, tertio dicendum, ait beatus Benedictus (cap. 9), *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Cur hoc, nisi quia Dominus ipse Filius hominis cujus in persona resurgentis hoc sine dubio dicimus, extunc apertis labiis et ore suo, laudem sanctæ Trinitatis annuntiare cœpit, juxta illud quod in psalmo dicente patet. *Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* LVI), eum respondisset: *Exsurgam*

diluculo, protinus subjunxit : *Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus?* (*Psal.* LVI.) Mutus enim fuerat, et ore clauso labiisque non apertis steterat ante præsidem, ita ut miraretur præses vehementer juxta illud : *Ego autem tanquam surdus non audiebam, sicut mutus non aperiens os suum* (*Psal.* XXXVII) ; itemque illud : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum* (*Isa.* LIII). *Tempus* quippe *tacendi, et tempus loquendi* (*Eccle.* III). Tempus tacendi finem accipit, et tempus loquendi initium sumpsit, cum illo jam dicto ipsius ad Patrem responso : *Exsurgam diluculo.* Propterea nos media nocte surgentes, et in illius horæ contemplatione volens stare vigilantes, Spiritus sanctus (quo idem Pater plenus erat) subjungendus est, inquit, tertius psalmus, et Gloria. Vox namque ipsius resurgentis est psalmus ille, quem, si rite perpendas profecto animadvertis multum ad rem pertinere. Deprimit namque imprimis causam adversariorum malam causam ipsius bonam et gloriosam, et deinde judicium et misericordiam, super adversarios judicium, super populum credentem misericordiam. Causa namque adversariorum mala hæc est : *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me. Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo ejus* (*Psal.* III). Causa ipsius bona et gloriosa hæc est : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum* (*ibid.*). Item : *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me* (*ibid.*). Deinde super adversarios judicium hoc est, cum tuba terrifica, quasi tuba belli, *Non timebo millia populi circumdantis me, exsurge Domine, salvum me fac, Deus meus, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti* (*ibid.*). Nam percussionem Judæorum adversantium illi, percussionem corporum, ut taceam nunc de percussione animarum et contritionem dentium, de quibus alibi dictum ; *Filii hominum, dentes eorum, arma et sagitta, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI.) Quis non audivit ? Quis eversionem sive excidium gentis illius et principium, ignoravit. Porro super credentes hæc est misericordia : *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* III).

CAPUT III.

Post hunc, ait, nonagesimus quartus, qui profecto rei vel tempori valde congruit, maxime ab illo versu : *Hodie si vocem ejus audieritis*, usque ad finem, *si introibunt in requiem meam.* Dies namque ille quem ibi determinat Spiritus sanctus, sicut Apostolus quoque meminit dicendo : *Quoniam ergo superest quosdam introire illam, et hi quibus prioribus annuntiatum est non introierunt propter incredulitatem, iterum determinat diem quemdam Hodie, in David dicendo, post tantum temporis sicut supra dictum est : Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda* (*Hebr.* IV) : dies, inquam, illa ab hora illa cœpit sive illuxit, qua Christus resurrexit. Siquidem dies ille resurrectio est. Quod sciens sanctus evangelista cum dixisset : *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole* (*Marc.* XVI). Nam si mane sive ortum solis, vulgaretur, et absque mysterio velis intelligere : quomodo sibi conveniunt, et non magis repugnantia sunt, valde mane, et orto jam sole ? Iste ergo dies resurrectio est, dies octava est, quæ finem non habet, octava quæ a prophetis et sanctis Patribus diu desiderata atque præsignata est, testantibus psalmis nonnullis, qui *pro octava* inscribuntur, et *cantoribus David*, qui pro octava canebant, sicut in Paralipomenon scriptum est : *Quia alii in nablis arcana cantabant, alii in citharis pro octava canebant, alii tubis clangebant coram arca Domini* (*I Par.* XV), cujus in illa reductione figurabatur hæc ipsa resurrectio Domini. Dicitur autem octava, videlicet post septem dies illos quos in initio sui distinctos habet sancta Scriptura dicendo : *Factum est vespere et mane dies unus* ; et : *factum est vespere et mane, dies secundus* ; *factum est vespere et mane, dies tertius* ; *et factum est vespere et mane, dies quartus* ; *et factum est vespere et mane, dies quintus* ; *et factum est vespere et mane, dies sextus* (*Gen.* I). Porro de septimo non dixit : Et factum est vespere et mane dies septimus, quia videlicet, dies ille non est factus in quo requiescit Deus, sed est ipsum verbum, et sapientia ejus. Cæteri sex dies facti sunt, et ut beatus Augustinus vult in libro de Civitate Dei undecimo, sex species sunt operum, ex quibus Deum mente cognoscimus, sicut diebus solis hujus, ad videndum aliquid secundum corpus illuminamur. Et idcirco non dictum est in initio, aut dici debuit, *factumque est vespere et mane,* dies primus, sed dictum est *dies unus*, quia videlicet, neque angelica, neque alia creatura dies est primus, sed dies ille in quo requiescit Deus, ordine quidem Scriptura aut numero, septimus, natura vero dies est primus. Igitur resurrectio Domini ipsa est dies octava, octava autem eadem quæ prima est, quia videlicet, ipse, per quem Deus omnia fecit, et in quo requiescit, et is qui a mortuis resurrexit, unus Deus est, verus et æternus, unus idemque Deus, et homo Jesus Christus, et omnis homo non in alia, sed in ipsa qua creatura est specie vel natura (licet in alia gloria) resurrecturus est.

CAPUT IV.

Quamvis ad alia properemus, et fastidium legentis ex multiloquio vitandum sit, attamen propter devotionem excitandum in vigiliis Nativitatis Dominicæ noctis, adhuc aliquid breviter dicere libet de sacramento noctis ejusdem sive diei, juxta quod intelligere possumus in eo quod ab evangelista dictum est : *Vespere Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati* (*Matth.* XXVIII). Solemnitas vesperæ hujus sive noctis et diei sequentis jucunda valde nobis debet esse, respectio, sive respectionis occasio, in faciem jam dicti diei [*al.*Dei] et hominis Jesu Christi. Nam quia Sabbati cum sequenti mane, id est cum

prima Sabbati conjungit Ecclesia sancta, in unam festivitatem Jesu Christi opportune per studium meditationis illud recolimus, quia secundum hanc similitudinem, Sabbatum Dei, id est verbum vel sapientia **303** Dei, in unam convenit personam, cum vera humanitate ejusdem Verbi. Et hæc, scilicet humanitas illius, humanitas glorificata gloria resurrectionis, eidem Deo Patri, prima est Sabbati, id est præcipua causa vel materia requisitionis atque delectamenti, quia, sicut scriptum est, revera *lætabitur Dominus in operibus suis* (*Psal.* CIII). Nihil enim Deus tale unquam fecit inter cætera opera, quæ dignatus est operari. Et erant quidem valde bona, sed nihil tale, ut est humanitas conjuncta Verbo in unitate personæ. Similitudinem sume de cithara, quoniam huic dixit Pater: *Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* LVI). Etenim citharæ antiquitus octo chordis fiebant. Octava autem chorda eadem est quæ prima, nisi quod altius resonat sono, quem disciplina musicæ artis diapason nuncupat. Igitur, quemadmodum in hac symphonia quæ dicitur diapason, nulla chorda sive vox, præter octavam eadem est quæ prima: ita in universitate creaturæ, quæ sex diebus peracta est, nihil est illi diei qui, ut supra jam dictum est, natura primus, numero autem est septimus; nihil, inquam, illi diei, illi Verbo, vel sapientiæ Dei, ita est, vel esse debet conjunctum, ut iste unicus homo Deus et Salvator hominum, Deus et imperator angelorum. Et omnes quidem chordæ bene resonant, omnia enim opera sex dierum valde bona sunt, sed ista chorda cum prima et eadem est, et altera: eadem secundum personam, altera secundum substantiam. Illud quoque perpulchrum est considerare, quia Sabbatum vel requies Domini, in Genesi vesperam non habet, in Evangelico autem habet, dicente divino evangelista: *Vespere Sabbati* (*Matth.* XXVIII), quam ne putes præcedentem, sicut in eadem Genesi cæterorum quemque dierum sua vespera præcedit, determinat sic dicendo, *quæ lucescit in prima Sabbati* (*ibid.*). Denique Verbum, quod erat in principio apud Deum, secundum se nullam unquam habuit vesperam: nam et ipsum potius est et erat ante omnia, secundum autem susceptum hominem et vesperam habet et mane, dies unus, ut jam dictum est. Cæterorum dierum erat vespera in eo quod quidquid factum est, *in ipso vita erat* (*Joan.* I). et in ipso latebant omnia, inter quæ prædestinata erat, et ipsa sua, de qua loquimur, humanitas, gloria, vel mane resurrectionis glorificanda.

CAPUT V.

Invitati igitur vocibus jam dicti psalmi octogesimi quarti, dum convenimus, dum astamus ad gloriam diei hodierni, diei quæ a resurrectione Domini illuxit, et finem non habebit, significare nobisipsis debemus testimonium fidei, quod simus orthodoxi, quod chorus vel conventus noster non sit conventiculum Arianæ seu cujuslibet hæreticæ partis, imo sit cœtus atque solemnitas catholicæ pacis, in fide sanctæ et individuæ Trinitatis. Quomodo? Deinde, inquit beatus Benedictus, sequatur Ambrosianum. Ambrosianum dicit hymnum, cujus carminis consuetudinem occidentalibus provinciis sanctitas invexit beati Ambrosii Mediolanensis episcopi in persecutione Arianorum. Cum enim Justina imperatrix, favens impietati Arianorum, instaret pertinaci furore, ut deportaretur catholicus episcopus in exsilium, plebs catholica communiens ecclesiam totis fere noctibus pervigil custodiebat pastorem suum. Et eo tempore primum antiphonæ, hymni, et vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt, cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem, non solum in eadem Ecclesia, verum et per omnes fere manet Occidentis provincias. Porro in Constantinopolitana urbe sub iisdem temporibus hymni fidem sanctæ Trinitatis consonantes itidem contra Arianorum vesaniam, ab episcopo Joanne instituti sunt. Ariani namque foras civitatem collectas agebant, Sabbato autem atque Dominica intra portas et per porticus congregati hymnos et antiphonas ex Ariano dogmate compositas decantabant, et hoc maxima noctis parte facientes, diluculo cum ipsis antiphonis per mediam civitatem, egressi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant. Cumque hoc crebro quasi ad vituperationem orthodoxorum facere non cessarent (frequenter enim etiam hoc cantabant: Ubi sunt qui dicunt trina virtute unum), tunc Joannes metuens ne simplices hujusmodi cantibus traherentur, instituit suum populum ut et ipsi nocturnis occuparentur hymnis, quatenus et illorum obscuraretur opus, et fidelium professio firmaretur. Cumque clariores hymni Homousianorum noctibus apparerent, fecerat enim etiam cruces argenteas, quæ cum argenteis cereis portabantur, expensas ad hæc Eudoxia Augusta præbente, tunc Ariani zelo tracti usque ad neces insurgunt, et ex populo utriusque partis quidam exstincti sunt. Hinc motus imperator prohibuit Arianos hymnos publice decantare. Sed et longe superius apud Antiochiam Syriæ, Ignatius tertius post apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsi degebat apostolis, vidisse fertur angelorum visionem, quo scilicet modo per antiphonas sanctæ Trinitati dicebant hymnos, isque modum visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ. Igitur ad initium nocturnarum vigiliarum post psalmum octogesimum quartum, sequatur, ait beatus Benedictus, Ambrosianum, id est hymnus, catholicæ fidei testimonium, quia talis cantici usus ab orthodoxis incœptus est, contra impietatem hæreticorum, maximeque Arianorum in beatam Trinitatem peccantium.

CAPUT VI.

Deinde modulatis, ait, sex psalmis et versu, residentibus cunctis disposite et per ordinem in subselliis, legantur in codice quatuor lectiones cum responsoriis suis, et cætera. Et psalmi et lectiones, et responsoria, et cantica de prophetis, Scripturæ sunt, de quibus dicebat: *Et illæ sunt, quæ testimo-*

nium perhibent de me (*Joan.* v), *et quoniam oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, et prophetis, et psalmis de me* (*Luc.* xxiv). Unde enim totus earumdem ordo vigiliarum constructus est, nisi de lege et prophetis, et psalmis, et in novissimo de lectionibus evangelicis? Et quidem æstivis noctibus Dominicis, lectiones ac responsoria, forte putas vel dicas non esse de lege aut prophetis, quoniam sumuntur de libris Regum? Sed illa quoque Scriptura, recte prophetica dicitur, quoniam, ut ait beatus Hieronymus, Regum liber primus et secundus Samuel dicitur, et tam in Regum rebus gestis, quam in prophetarum dictis, multa prophetica Christi mysteria continentur. Tres libros Salomonis, Parabolas et Ecclesiasten, et Cantica canticorum quis intendere nesciat in gratiæ vel gloriæ Christi sacramentum? Scriptura libri Machabæorum tota quidem bellica est, verumtamen propheticæ veritati consocialiter, et amice conjuncta, quia videlicet, ut prophetiæ complerentur, ut gens reservaretur, ex qua Christus secundum promissiones **304** patrum erat nasciturus, multum adjuverunt laboriosi bellatores Machabæi, sicut plenius edixi, in opere, quod scripsi tibi, de Victoria Verbi Dei. Quamvis igitur et Machabæorum libri, et Judith, et Tobiæ, et quæ dicuntur hagiographa, suis quæque, ut ordinata sunt temporibus, in istis Dominicarum noctium vigiliis legantur, nihilominus recte in toto vigiliarum earumdem ordine illud intendere debemus, quod veraciter dixit ipse: *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me*, quatenus ex usu psalmorum, lectionum atque responsisororum, quibus non solum instruitur verum etiam per musicæ suavem potentiam potentemque suavitatem schola Dominica naturaliter et utiliter in tali negotio delectatur, sciamus sic fuisse scriptum, et proinde gratulemur quia non est nova sive humana adinventio, hæc annuntiatio, quæ annuntiata est nobis, qua Christus prædicatur resurrexisse a mortuis.

CAPUT VII.

Quare autem vel quid intendens ita diligenter inculcat dicens, qui ordo vigiliarum omni tempore tam æstatis quam hiemis æqualiter in die Dominico teneatur, nisi forte, quod absit! si tardius surgant, aliquid de lectionibus breviandum sit aut responsoriis? Cur nunquam minus a duodenario numero nos expendere vult in psalmis, in lectionibus, in responsoriis, vigiliarum Dominicæ noctis? Videlicet ut apostolorum numerum, sive plures sive pauciores quolibet in loco fuerimus, dum media nocte ad confitendum surgimus, apostolorum, inquam, numerum in nobisipsis repræsentemus, quorum ab illo noctis medio renatum est gaudium, et tristitia paulisper converti cœpit in gaudium. Hoc enim perpulchro schemate, vigiliarum completio veraciter dictante formata Spiritu sancto, intellectum habenti significat, dum choro illum jucunditatis concrepante, et alternante modulante hymnum, *Te Deum laudamus*, antequam incipiatur idem hymnus, ingreditur sacerdos sacris indumentis redimitus, præcedente candelarum lumine, et sacri thuris odore. Sive abbas ipse, sive alius quilibet sacerdos ille sit, Domini nostri Jesu Christi personam gerit, qui, ipsa die qua resurrexit, sero stetit in medio jam dictorum apostolorum, et dixit eis: *Pax vobis* (*Joan.* xx). Ingreditur autem, choro, ut jam dictum est, concrepante hymnum gloriosum, licet hymnus proprie dici consueverit, laus metrice composita. Nam quia hymnus Græce, dicitur laus Latine, et hæc laus, *Te Deum laudamus*, quam tunc alternando conjubilamus, inter omnes laudes Dei, non est ignobilis, recte hanc venerabilis Pater, hymnum nuncupaverit. Ingreditur, inquam, choris hanc laudem alternantibus, quia *quando venit et stetit*, ut jam dictum est, *Dominus Jesus in medio discipulorum* (*ibid.*), ipsi de illo attoniti, præ imminentis inundatione gaudii loquebantur, sicut evangelista Lucas narrat evidentius: *Et surgentes*, inquit, *eadem hora duo ex discipulis ejus de Castello, quo ierant, nomine Emaus, regressi sunt in Hierusalem, et invenerunt congregatos undecim et eos qui cum ipsis erant, dicentes: Quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni, et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dum hæc autem loquerentur, Jesus stetit in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis* (*Luc.* xxiv). Pulchre igitur nobis alternatim laudem concrepantibus, sacerdos, modo quo jam dictum est, ingressus, salutat conventum, dicens: *Dominus vobiscum* legitque lectionem evangelii, cum timore et tremore stantibus omnibus, quia *Dominus*, ut jam dictum est, *stans in medio discipulorum dixit eis: Pax vobis*, et deinde bonum illis de nobis gentibus nuntium injunxit, dicens inter cætera, illis adhuc non credentibus et mirantibus præ gaudio, *quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*ibid*). Et alius evangelista, scilicet Joannes ita dicit: *Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino* (*Joan.* xx). Gavisi omnes, et sine dubio gaudii sui voces emiserunt, et exclamaverunt præcipue Thomas ille, qui palpavit et exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus!* (*Ibid.*) Nonne igitur pulcherrime atque sanctissime perlecta evangelii lectione, respondentes omnes, *Amen*, simul de ore abbatis sive sacerdotis arripimus hymnum hunc ex præcepto tanti Patris: *Te decet laus, Te decet hymnus*? Et sic, ait, finiantur vigiliæ nocturnæ, nimirum in contemplatione et significatione gaudii magni, gaudii, de quo dixit: *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* xvi).

CAPUT VIII.

Nec vero illud quoque a ratione vacuum videri patimur, quod tribus istæ, vigiliæ sectionibus, taliter intercidantur. Modulatis, ait, sex psalmis et

versu, legantur quatuor lectiones, cum responsoriis suis, post quas lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi. Iterumque legantur aliæ quatuor lectiones cum responsoriis suis. Deinde tria cantica cum antiphona (dicto deinde versu et data benedictione, legantur, ait, aliæ quatuor lectiones, de Novo Testamento, ordine quo supra. Non, inquam, abs re videri debet, quod taliter duodenarius lectionum numerus, tribus sectionibus intercisus est; sed idcirco quia tres sunt vigiliæ noctis, et in quarta aspirat dies, et inclinantur umbræ, quia videlicet quarta vigilia quondam venit ad eos, scilicet discipulos suos, quod evangelistæ narrant hoc modo: *Et cum dimisisset eos, abiit in montem solus orare. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) quarta vigilia noctis venit ad eos, ambulans supra mare. Cumque dixisset: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas* (*Matth.* XIV), etc. Illa namque tempestas taliter, sedata, passionem Domini præsignabat, qua futurum erat ut apostoli turbarentur, et Petrus negaret, solumque relinquerent Dominum fugientes omnes, ipse autem, consummata oratione, id est transacta passione et triduana morte (quæ nimirum oratio fuit pro salute totius mundi) rediro inciperet ad eos, ut tristitiæ illorum tempestatem in tranquillitatem gaudii converteret. Quod utique quarta vigilia noctis, id est jam aspirante die, fieri cœptum est, quando sedit angelus ad sepulcrum Domini, et locutus est mulieribus, cujus gloriosæ rei respectu, matutinas laudes canimus, unde post hac dicendum erit plenius. Ut igitur cunctas, Creatori et Salvatori nostro, noctis vigilias, quomodo humanæ fragilitati possibile est, debite nos persolvere sciamus, recte et pulchre **305** secundum quatuor vigilias noctis, trifarium numerum sæpe dictum distinguimus, et deinde laudibus matutinis invigilamus.

CAPUT IX.

Cum hæc ita sint, profecto non abs re est, quod in tertio nocturno beatus Pater diversitatem hanc a cæteris esse voluit (*cap.* XI), ut non psalmi, sed tria, inquit, cantica de prophetis canantur, et aliæ quatuor lectiones de Novo Testamento legantur. Undecunque præcedentes sint quatuor et quatuor lectiones, lectiones istas tertii nocturni de Novo Testamento vult haberi, ut quasi molæ inferiori mola superior adjiciatur, ejusque volucri circuitu tritum frumentum Dei, firmiorem magis ac magis nostris in mentibus sacramenti Dominici sensum operetur. Cur hoc? videlicet, quia nox illa tota quidem sancta, tota est festiva, verumtamen sanctæ festivitatis sive festivæ sanctitatis ejus causa, tertia vigilia incipiente (quod est medium noctis) effulsit, quia tunc Salvator resurrexit. Illam scilicet, tertiam vigiliam, tertii nocturni ordo, ut jam dictum est, respicit. Pulchræ igitur præcedentibus canticis propheticis quatuor sequuntur lectiones Novi Testamenti, lectiones sancti

A Evangeli, ut gaudium contemplemur seminantis atque metentis, sicut ipse Dominus quodam loco dixit: *Et qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit. Ego misi vos metere, quod non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis* (*Joan.* IV). Denique qui laboraverunt, qui seminaverunt hoc magnum Dominicæ passionis et resurrectionis sacramentum, prophetæ fuerunt. Exempli gratia Isaias, qui dixit admirans, qui admiratus est dicens: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra* (*Isa.* LXIII), etc. Et Oseæ qui dixit: *Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cæpit et sanabit nos, percutiet et curabit nos, vivificabit*
B *nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus* (*Ose.* VI). Et Sophonias qui dixit: *Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum* (*Sophon.* III), etc. Isti sine dubio cæterique prophetæ laboraverunt et seminaverunt, quia Verbum Dei, carnem futurum, cum labore et formidine prædixerunt, sicut dicit unus eorum: *Si occiditur in sanctuario Domini, sacerdos et propheta? Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio* (*Tren.* II, III). Nunc autem ex quo resurrexit Christus, et qui seminavit simul gaudet, et qui metit, scilicet et prophetæ et apostoli, et istud comtemplari in conjunctione canticorum de prophetis, et lectionum sancti Evangelii, sine dubio dulce est, et fructus nostræ solemnitatis.

CAPUT X.

C *Quarta vigilia noctis*, qua, ut supra memoratum est, *venit ad eos ambulans supra mare*, sedit angelus ad sepulcrum annuntians illum resurrexisse a mortuis, quod erat sine dubio tempestates inferni, et mortis abyssum superasse. Ipsa est vigilia matutina, ipsa matutina custodia, de qua et in Exodo legimus: *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum* (*Exod.* XIV.) Et in psalmo canimus: *A vigilia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino* (*Psal.* CXXIX). Vigilia hæc valde illustris, et valde commoda est meditationi et sanctæ contemplationi, studium mentis
D juvante etiam sobrietate corporis. Hinc et Psalmista loquitur: *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te quia fuisti adjutor meus* (*Psal.* LXVI).

CAPUT XI.

Igitur in matutinis Dominico die, ait Beatus Benedictus (cap. 12), imprimis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum alleluia. Post quem dicatur centesimus septimus decimus, et sexagesimus secundus. Inde benedictiones et laudes. Psalmus sexagesimus sextus iste est: *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri* (*Psal.* LXVI). Porro de angelo qui sedit vigilia

illa, vigilia quarta sive matutina, ad sepulcrum Domini, sanctum Evangelium dicit : *Quia erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix* (*Matth.* XXVIII). Non ergo iste psalmus, dum in primis eum dicimus, opportune mittit nos ad contemplationem illius vultus angelici, per hoc dictum : *Illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri?* (*Psal.* LXVI.) Denique ille fulgureus aspectus angeli factum esse significabat illud, quod spiritus propheticus postulabat, et præsciebat futurum dicendo : *Illuminet vultum suum super nos*, et subjungendo, *ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum* (*ibid.*). Vestimentum ejus quod erat sicut nix, sive stola candida, qua erat coopertus juvenis sedens in dextris, sicut alius evangelista dicit (*Marc.* XVI), lætitiam gentium, et judicium quo constituentur oves a dextris in die resurrectionis universalis, sine dubio significabat, et illo tali habitu suo, sine dubio concordabat versiculo huic psalmi jam dicti : *Lætentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.* Quid multa ? jam quidem benedixit nos Deus, Deus noster, Pater et Filius, benedixit nos Deus Spiritus sanctus, quia in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati sumus, ubi passus et mortuus est, et resurrexit a mortuis Christus, et divisiones gratiarum accipimus, unde et Apostolus : *Benedixit nos*, ait, *in omni benedictione spirituali in cœlestibus* (*Ephes.* I). Verumtamen expedit nobis ut benedicat adhuc, ut numerus credentium multiplicetur, et quotidie sua benedictione augeat in nobis fidem, augeat spem, augeat charitatem, et ut magis ac magis metuant eum omnes fines terræ, metu salubri et utili, non sicut custodes, qui præ timore ejusdem angeli exterriti sunt, sed sicut mulieres, quæ cum timerent et declinarent vultum in terram, meruerunt confortari ab illo dicente : *Nolite timere, vos* (*Luc.* XXIV).

CAPUT XII.

Psalmus quinquagesimus : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, et centesimus septimus decimus : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, in illas respiciunt causas, quas tunc maxime meditari debemus, juxta illud quod continuo in psalmo sexagesimo sexto canimus : *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Quænam illæ sunt causæ ? Nimirum resurrectio prima, et resurrectio **306** secunda. Resurrectio prima, resurrectio animarum est ; resurrectio secunda, resurrectio corporum est, quam utramque nobis Christus semel mortuus acquisivit, unde et gratias agentes dicimus quia *mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.* In illam resurrectionem primam respicit, nosque respicere facit, iste quem continuo canimus psalmus quinquagesimus. Quæ enim, vel quid est resurrectio prima, resurrectio interioris hominis, nisi justificatio a peccatis, qua nos utique resurreximus, quicunque in Christum credimus ? *Quicunque enim baptizati sumus in Christo Jesu*, ait Apostolus, *in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Quid, rogo, aliud postulabat simul et prophetabat ille pœnitens verus, et propheta sanctus, dum in isto psalmo, ubi inter cætera præmisit : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, deinde dixit : *Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor*, et subinde : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis?* Hoc denique hoc totum est resurrectio prima, sanguis et aqua, de latere ejus fluxit, et Spiritus sanctus quem nobis in remissionem peccatorum dedit, dicens apostolis suis : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX). Hoc ille postulabat simul et prophetabat futurum, nos autem psalmum eumdem concinentes prædicamus factum. Porro psalmus centesimus septimus decimus quem post illum quinquagesimum dicimus : *Confitemini Domino quoniam bonus*, canticum resurrectionis carnis est, qua sola Christus resurrexit : quippe qui sola carnis morte, mortuus fuit, et quæ nobis in novissimo die, resurrectio secunda erit. Quid enim aliud est dicere in isto psalmo : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, nisi Christum, quem ejecerunt extra civitatem, et crucifixerunt, hic resurrexit a mortuis, et omnis potestas in cœlo et in terra data est ei ? Item, quæ est dies quam dicit, et designat ita : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea*, nisi resurrectio mortuorum in Christo et per Christum clarissime exorta ? Denique diem hujusmodi fecit Dominus ; fecit, inquam, non quidem solum, sed inter omnia opera sua, maximum et præcipuum opus. Quid enim tale est, ut Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus ? Hic vere dies est, quia resurrectio et vita est, et hic utique secundum humanitatem factus est. Ergo hic est dies quam fecit Dominus.

CAPUT XIII.

Quare autem et cantica, de quibus jam dictum est, et istos psalmos matutinales, et cæteras horas diei Dominico cum alleluia dici jubet ? (Cap. 8.) Videlicet quia alleluia, quod interpretatur *laudate Dominum*, proprium resurrectionis carmen est, propria completi operis laus, quæ secure in fine canenda est. Unde et in Apocalypsi, postquam peractum est, de meretrice magna Babylone, id est de isto infelici sæculo, judicium, tunc demum *audivi*, inquit, *quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium* : *Alleluia. Et iterum dixerunt* : *Alleluia. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt sedentem super thronum, dicentes* : *Amen, alleluia. Et audivi quasi vocem tubæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruum magnorum dicentium : Alleluia* (*Apoc.* XIX). Quod ergo cantandum est feliciter tunc, et plenarie ab universis filiis, Dei filiis

resurrectionis, recte jam præoccupamus atque prægustamus in die, qua resurrexit dator ipse, atque auctor ejusdem resurrectionis. Quomodo vel quali dispensatione? *A sancto Pascha*, inquit, *usque ad Pentecosten sine intermissione dicatur alleluia, tam in psalmis quam in responsoriis. A Pentecoste autem usque in caput Quadragesimæ omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur. Omni vero Dominica, extra Quadragesimam, cantica matutini, prima, tertia, sexta, nonaque cum alleluia dicantur Vespera vero jam cum antiphona. Responsoria vero nunquam dicantur cum alleluia, nisi a Pascha usque ad Pentecosten* (cap. 2). Hæc littera cum in cæteris plana et absque scrupulo sit, in uno tantum dicto dissonantiam et scrupulum generavit inter nos atque illos religiosos, et valde studiosos scrutatores Regulæ beati Benedicti, propter quos, quæstiones, ut in prologo dixi, habemus inter nos, de quibusdam ejusdem Regulæ capitulis. Nam quia dixit *usque in caput Quadragesimæ* sive *omni Dominica extra Quadragesimam per horas dicatur alleluia*, ipsi non observant illud, quod Romana sanxit, et universalis, præter eos, observat Ecclesia. Videlicet ut a Septuagesima dimittatur alleluia, sed usque in feriam secundam, sive Dominicam illam quæ vocatur Quadragesima, pro eadem ratione qua anteriores dicuntur Quinquagesima, Sexagesima, et Septuagesima, dicitur alleluia, caput Quadragesimæ non aliud esse volentes, nisi jam dictam Dominicam, sive succedentem illi feriam secundam. Mihi autem omnino sanius atque rationabilius videtur, caput Quadragesimæ, Septuagesimam intelligere, quam ad universalis Ecclesiæ sancta vere et mystica consuetudine, propter ejusmodi dictionem recedere. Non enim nullum aut parvum habent mysterium septem Dominicæ, quarum in prima clamat Ecclesia: *Circumdederunt me gemitus mortis* (*Psal.* XVII), in septima vero canit: *Lætare, Hierusalem* (*Isa.* LXVI), deinceps interposito sanctæ passionis spectaculo adest octava, in qua dicit Patri suo vita et resurrectio omnium: *Resurrexi, et adhuc tecum sum*, usque ad istam octavam, neque feria neque Dominica ulla admittit alleluia, sed loco carminis hujus tractus est scriptus, cantus utique luctuosus atque laboriosus. In libro quem scripsi De sacramentis sive officiis divinis, rationes hujusce observationis expressi, quas a multis libenter legi, jam dudum comperi, et earum tanta et talis est altitudo sive profunditas, ut hic non breviter possint iterari, præsertim quia brevitati studendum et legentis vitandum est fastidium.

CAPUT XIV.

Forte autem dicat quis, quia quo tempore beatus Benedictus hanc Regulam scripsit, necdum sic ordinata fuerant tempora in Ecclesia Romana, sive stationes, et sacra totius anni officia. Non contradicimus, nam beatus papa Gregorius, eodem beato Benedicto secundum tempus sine dubio junior, is maxime tempora hæc ordinavit et Ecclesiæ Romanæ stationes disposuit, sanctorum atque illustrium Patrum præclarissimus,

A ac Deo dilectissimus, de qualibus recte dicas, quia ordinaverunt tempora Christi bono odore, usque ad con-
307 summationem vitæ. Odorati enim sunt odorem suavissimum, odorem sacrificii veri, scilicet sacrosanctæ passionis Christi, et mente persenserunt quomodo pertineret ad omnes mundi ætates, et idcirco adduxerunt, quomodo adducere potuerunt easdem septem ætates ad tantas tanti funeris exsequias venerabiliter celebrandas, per jam dictas septem Dominicas ætates illas intelligi volentes, quibus videlicet Dominicis præeuntibus, ac deinde procedente quasi funere Domini (quod per dies fere quindecim celebramus), tunc demum octava Dominica sequitur, qua futuram universalem resurrectionem, in fide, etc., confessione resurrectionis Dominicæ quantis possu-
B mus gaudiis, jure conjubilamus cum *alleluia*, quod omne canticum vitæ et immortalitatis, quam exspectamus, brevissime significat. Cæteris Dominicis idcirco *alleluia* sustulerunt, quia non in gaudium sed in luctum respiciunt, quamvis juxta rationem aliam omnis prima Sabbati gaudio Dominicæ resurrectionis illustrata sit. Nam prima Dominica in illum ætatis primæ luctum respicit, quem sibi genus humanum ex primis parentibus assumpsit, quem et Cain augere cœpit in eo quod fratrem suum Abel occidit, primitias inferre properans mortis et homicidii. Secunda, in illud miseriarum incrementum, quo diluvium inundans corruptam terram de omni carne vindicavit. Tertia, in illud quod genus Abrahæ cui facta fuerat repromissio beati seminis (quod est Christus)
C eum qui repromiserat multis exacerbavit peccatis, quorum venditio Joseph primum fuit, propter quod in Ægypto captivus ille populus servivit. Quarta, in illud quod ætate quarta, populus idem recedendo a domo David, ad quem post Abraham repromissio facta fuerat, pene, quantum in ipso fuit, eamdem repromissionem irritam fecit colendo vitulos aureos, quos fecit Hieroboam; serviendo Baal, quem introduxit Hiezabel, et occidendo prophetas Domini. Quinta, in illud quod tandem duæ tribus quæ erant residuæ ductæ sunt captivæ in Babylonem, propter eumdem idololatriæ fluxum, et multum sanguinem innoxium, quem effuderunt. Sexta et septima Dominicam in sextam et septimam ætates mundi respiciunt, quarum in altera scilicet sexta ætate, *nos adhuc in corpore sumus, a Domino peregrinamur* (*II*
D *Cor.* V) et *in labore et ærumna* (*II Cor.* XI) vivimus: in altera, videlicet in septima, electorum animæ requiescunt quidem, sed nondum habent illam quam in resurrectione accipient gaudii perfectionem. Quid igitur? Nunquid Spiritus sanctus, quo et beatus Benedictus plenus existens, et Patres apostolici sine dubio aspirati, tempora sicut jam dictum est, et melius quam dicere aut intelligere possimus, ordinaverunt, mutabilis aut diversæ est intentionis, ut tibias suæ musicæ perflans, dissonantiam istam in una tantummodo fecerit de *alleluia*, quibus temporibus debeat dici? Revera multo sanius est magisque propter pacis charitatisque custodiam expedit,

caput Quadragesimæ, ut supra jam dictum est, Septuagesimam intelligere quam beatum Benedictum dissentientem ab Ecclesia Romana usu dissono demonstrare. Non simus ita incauti adulatores cujuslibet sancti, ut quasi auctoritate ejus dissentiamus a cæteris, præsertim cum idem sæpe dictus Pater de majoribus quoque licentiam dederit ordinandi aliter quam ipse ordinaverit, exempli gratia cum dicit: *Quod si cui hæc psalmorum distributio forte displicuerit, ordinet, si melius aliter judicaverit.*

CAPUT XV.

Nunc illud ad quæstionem non abs re accedit, quod cum de omni reliquo opere Dei, scilicet de prima, de tertia, de sexta et nona, de vespera et completorio, æque ut de nocturnis vigiliis ac matutinis beatus Benedictus præcepta dederit, et hæc diligenter ordinaverit, de missa et de omni altaris officio tacuit, nihilque in hujusmodi Regulæ suæ auctoritate agendum instituit. Nam de septem regularibus horis, quas et Propheta prævidens: *Septies*, ait, *in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII), quas rationes habeant, et cur prima diei hora magis quam secunda, tertia magis, quam quarta et quinta, sexta et nona potius quam septima et octava, Creatori nostro solemnes offerre laudes debeamus, in opere alio pro posse dixi, scilicet in libro supra memorato quem scripsi De officiis divinis, et idcirco nunc prætermitto hæc studendo brevitati, maxime quia fere nihil quod nos moveat diversum comperi adhuc apud illos, quorum consuetudo in plerisque a nobis dissentiens me ad hæc dicenda vel scribenda compulit.

LIBER TERTIUS.

DE ALTARIS OFFICIO.

308 CAPUT PRIMUM.

Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos juxta tabernacula pastorum (*Cant.* I). Capituli hujus idcirco memini, cum de ministerio altaris dicere proposuerim, cur beatus Benedictus in Regula sua nihil ordinaverit, quia videlicet hodie nonnullas animas ignorantia sui, negligentes facit illius internæ pulchritudinis, propter quam ad sacri altaris officium meruerunt asscisci. Nam quia monachi sunt, et beatus Benedictus monachis ordinavit opus manuum, pene obliviscuntur quod sacerdotes sunt, maxime quia Pater idem sacri altaris, ut jam dictum est, officium in Regula sua monachis, quomodo vel quali studio frequentare deberent non instituit. Relinquenda illis esset nostro silentio sua intentio, qua intenti circa opus manuum, de quotidiana celebratione missarum, parvum aut fere nullum dicuntur habere studium, nisi sollicitarent plerosque fratrum simpliciorum ex cœnobiis nostris, quod multis didicimus experimentis. Ipsa experimenta tuipse melius nosti, qui plus quam semel ab illis hospitio susceptis, non bona in ejusmodi vicissitudinem recepisti, atque proditis, faciunt enim istud occulte, veniamque postulantibus nonnunquam ignovisti, quod taliter jura læserunt sanctæ hospitalitatis.

CAPUT II.

Igitur quæcunque es, o anima, quæ sollicitaris a dicentibus, non potes hic salvari, quia de labore manuum tuarum non vivis secundum regulam vel præcepta beati Benedicti, propter te hic a me dictum puta istud de canticis. *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres*, et cætera, ut supra. Pulchra enim es quamvis nigra, ut recte dicas vel dicere possis: *Nigra sum sed formosa* (*ibid.*). Et quidem universa, hoc inter persecutiones et pressuras suas, veraciter dicit Ecclesia. Sed tibi maxime istud dicere convenit, quæ sub nigredine habitus monachici, sive monachicæ professionis pulchritudinem atque formositatem habes sancti sacerdotii. Plerique ignorantiam tui habent et habere volunt, sed tuipsa temetipsam ignorare non debes. Quomodo vel in quo te plerique ignorant aut ignorare volunt? In eo nimirum quod id solum considerant *quia fusca es*, et considerata nolunt *quia decoloravit te sol* (*ibid*). Planiore via jam ad illud quo intendimus est accedendum.

CAPUT III.

Duo sunt ordines in una scilicet, in contemplativa vita quærentium Dominum. Alter est ordo justorum, alter est pœnitentium. Justorum autem dico, non eorum qui suo sed qui Ecclesiæ judicio justi sunt, unde et sacris ordinibus fungi merentur; quia nullo in crimine sunt nominati, quamvis sine peccato non sint, aut esse possint. Pœnitentes hi maxime dicuntur aut sunt, qui de præteritis criminibus pœnitentiam agentes, publicum in monachica professione suscipiunt luctum. De istis duobus ordinibus pulchre illud item in Canticis dictum intelligitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV). Grex tonsarum, id est ovium, hic interim sit ordo justorum, scilicet eorum qui cum sine crimine sint, sub episcopi virga pastorali transeunt, et sacros altaris ordines accipiunt; grex vero caprarum, ordo peccatorum, videlicet eorum qui olim criminibus involuti, et proinde sub abbatis virga pastorali se submittentes, luctum pœnitentialem susceperunt. Sed dico. Quid si unus atque idem, et justus sit et pœnitens, habens liberam a crimine famam sive conscientiam, et nibilo-

minus professionem subiens pœnitentialem, id est A monachicam? Nonne ejusmodi anima et nigra est et formosa: *Nolite ergo*, ait, *me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol* (*Cant.* I). Quod est dicere: Nolite præjudicare me quod mortua sim, et loqui non debeam, quod propter habitum pœnitentiæ sit illicitum mihi aperire os meum in medio Ecclesiæ, quoniam hoc ipsum quod lugubri habitu incedo, non reatus adulterii, sed sponsi mei qui ablatus est a me justus dolor, et pius efficit amor.

CAPUT IV.

Iterum qui planiore via currere volebam, in mystica sum reversus eloquia, verendumque mihi illud Sapientis elogium esse arbitror. Ex ore fatui, reprobabitur parabola, non enim dicit illa in tempore suo. Quid enim? Inter partes diversa sentientes sese immittit hic sermo, dijudicare audens, utra pars firmius fundamentum rationis habeat: illa, quæ præfert opus manuum secundum ordinationem Regulæ beati Benedicti et de labore manuum vivere perfectionem apostolicam esse **309** contendit, an ista, quæ servire altari, et de altari vivere melius esse asserit. Ut ergo certius quid inde possit colligi, sollicite prius animadvertendum est, de illa regulari ordinatione operis manuum, utrum propter semetipsam jussa sit tanquam necessaria saluti, an propter aliud admissa tanquam solatium latura necessitati. Non enim cuncta, quæ præcepta esse videntur, propter semetipsa tanquam necessaria saluti, jussa vel data sunt, sed propter aliud. Exempli gratia: Carnalia priscæ legis sacrificia, non jussa propter semetipsa, sed propter aliud sunt admissa, videlicet propter hoc C quod ille populus recens ex Ægypto egressus non possit abigi ab ejusmodi sacrificiis, quæ a cæteris gentibus idolis immolabantur, et idcirco Deus hæc admisit, idcirco sibi offerri permisit ab eo, quem sibi sumebat peculiarem populum, ob complendas promissiones patrum. Itaque non tam jussa quam permissa fuerunt. Hinc apud Hieremiam Deus ipse loquitur: *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum* (*Jerem.* VII). Et in Isaia: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum et hircorum nolui.* D *Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* (*Isa* I.) Et in David: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal.* XL.) Quoniam igitur non omnia quæ præcepta videntur esse, præcepta sunt justitiæ, sine quibus non possit homo vivere, quærendum est et de isto, scilicet de opere manuum, utrum sit propter se præceptum, an propter aliud admissum.

CAPUT V

De illo opere manuum, quo maxime victus acquiritur, quod est arare, seminare et metere, silvasque succidere, perspicuum est quia non est beati Benedicti præceptum, sed tantummodo permissum, sive patientiæ consilium. Dicit enim quodam loco sic (cap. 41): *A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam; reliquis diebus ad sextam prandeant. Quæ prandii sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, et in abbatis sit providentia.* Profecto cum dicit *si habuerint.* Si non habuerint labores agrorum, sive opera in agris, facile et promptum est discerni quod necessitatem præcepti non imposuerit monachis de opere hujusmodi. Imo nec necessitatem eos habere voluit hujusce occupationis. Nam et alibi dicit (cap. 66): *Monasterium autem, si potest fieri, ita debet constitui,* B *ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, pistrinum, hortus, vel artes diversæ intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino, non expedit animabus eorum.* Qui hæc dicit, manifestum est, quia non vult monachos occupari in illis operibus manuum, quæ non possunt nisi foris exerceri, sed tantummodo pro necessitate concedit huc fieri. Denique et alio loco dicit (cap 8): *Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere sunt monachi, si manuum suarum labore vivunt, sicut et Patres nostri et apostoli*, apostolos, duntaxat Paulum et Barnabam dicit. Nam cæteri apostoli nullum egisse opus manuum leguntur post adventum Spiritus sancti. Imo Petrus apostolus dixit: *Non est æquum derelinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis* (*Act.* VI).

CAPUT VI.

Etquidem ubi necessitas loci aut paupertas exigit, opportune illorum, scilicet Pauli et Barnabæ apostolorum exemplo, consolatos nos esse cupit. Ubi autem necessitas nulla cogit, nec ipse vult nos vagari foris, quia, sicut ait ipse, omnino non expedit animabus nostris, nec jam dicti Apostoli nos ignorare volunt potestatem nostram, cum simus ministri altaris. *Nunquid*, ait Paulus, *non habemus potestatem manducandi et bibendi? Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et frater Domini, et Cephas? Aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? Qui Altari deserviunt, cum altario participantur. Ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (*I Cor.* IX). His et aliis hujuscemodi verbis ejusdem Apostoli satis instruimur, ut utrumque sciamus, scilicet et quid in aliis Ecclesiis jure fecerit, et quid apud Corinthios, propter avaritiam illorum necessitate toleraverit. *Alias*, inquit, *Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui. Nam quod mihi*

A *deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia* (*II Cor.* VIII), etc.

CAPUT VII.

Ex his, quæ jam memorata sunt, dictis B. Benedicti clare quidem discerni posse arbitror quod opus manuum voluerit esse monachis paupertatis solatium, illic ubi res necessariæ desunt, sed adhuc in hoc ipsum adjuvant exempla sanctorum. Taceo de cæteris B. Gregorio, et aliis sanctis Patribus multis, qui monasteriis suis tot et tanta prædia providerunt, vel susceperunt, ut non fuerit necessitas monachis victum sibi quærere de labore manuum suarum, et non arguuntur hoc contra B. Benedicti fecisse institutum. Illum aspiciamus, quem ipse nutrivit et docuit, cooperante gratia Spiritus sancti, scilicet B beatissimum Maurum, quem et rogatus ad construendum cœnobium monachorum secundum disciplinam suæ sanctitatis in Franciam direxit. Nunquid non ille sciebat aut legerat, vel observare volebat regulam dilectissimi Patris sui? Attamen a regibus et principibus susceptus, larga de manu ipsorum prædia suscepit, quorum redditus sufficere possent centum quadraginta fratribus et hunc numerum congregationis præfinivit, sicut testatur liber Vitæ ejus, eo quod suscepta prædia, tot nec pluribus sufficere possent inibi Deo servientibus. Hoc igitur dubium nobis esse non debet, cum tanti testimonio discipuli, quia magister ejus et Pater monachorum B. Benedictus non ita de opere manuum monachis ordinem scripsit, ut inquietari vellet otium sanctæ contemplationis, C cui locum faciunt munificentiæ fidelium divitum, de qualibus in psalmo mystice dictum est: *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit. Illic passeres nidificabunt* (*Psal.* CIII). Passeres illi sumus vel esse debemus nos, parvuli in oculis nostris; attamen volantes in sublime pennula contemplationis, et hujusmodi passeribus ligna campi, et cedros Libani, id est divites sæculi, Deus præparavit, ut in facultatibus **310** eorum quiesceremus, quicunque, sumus spiritualis propositi.

CAPUT VIII.

Igitur bonum quidem monachis est operando manibus otiositatem effugere, quæ inimica est animæ; optimum autem et otiositatem effugere, et nihilominus cum verbo Dei, sancto otio sabbatizare: D *Martha, Martha*, inquit Dominus, *sollicita es, et turbaris erga plurima, porro unum est necessarium* (*Luc.* X.) Quod est illud necessarium? Utique sedere secus pedes Domini, et audire verba oris ejus. Ubi autem sunt pedes ejus, nisi sacramento altaris ejus? Ibi enim sunt vestigia passionibus ejus vestigia resurrectionis et ascensionis ejus. Ergo sacramento altaris inservire, et ob hoc omnibus negotiis expeditum esse, ut vacet tibi meditari sacramenta salutis nostræ, quam ille *est in medio terræ operatus* (*Psal.* LXXIII), hoc sedere est ad pedes Domini et audire verba oris ejus. Sed dicis: Multos admittis laicos hujusce sessionis sive auditionis inscios, indociles, inexpertos. Nunquid non vel isti otiosi sunt apud vos? Ad hæc, inquam, quando pugnabat Israel contra Amalech, Moyses et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis (*Exod.* XVII). *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graves. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit, Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum solis* (*ibid.*) Nunquid illic Aaron et Hur otiosos fuisse dicemus? Non utique. Nam et si non oraverunt, sua tamen opera egerunt, ut manus orantis non lassarentur. Sic nimirum salvo sacratiore intellectu, monachi illitterati, ac per hoc neque sacerdotalibus neque leviticis apti officiis, non omnino otiosi sunt, dum sacerdotibus, et levitis quotidianum in divinis officiis ferunt solatium, quantum licet et quantum sciunt, ac deinde quas noverunt exercent artes, intus duntaxat, intra claustra monasterii, sicut supra memorata sententia B. Benedictum velle demonstravit.

CAPUT IX.

Si ita est, inquis, cur de istius sanctæ conversationis, sanctique honoris observatione, nulla monachis beatus Benedictus præcepta dedit? Cur hanc optimam partem præterivit? Quasi vero omnem observationem justitiæ in Regula sua constituerit, aut constituere proposuerit. Ait ipse dicit: *Regulam hanc descripsimus ut hanc observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum, aut initium bonæ conversationis nos habere demonstremus. Cæterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis.* Et subinde: *Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adjuvante Christo perfice, et tunc demum ad majora, Domino protegente, pervenies.* Revera non solum humiliter, sed verum etiam veraciter dictum est, et de omnibus majoribus, ad quæ per istud conversationis initium pervenitur, optimum est dignitas sacrorum ordinum, quorum sanctissimæ functioni nullo melius modo, quam vivendo sub monachica disciplina, quispiam præparatur, ut eisdem ordinibus dignus habeatur. Unde dicit: *Si quis abbas presbyterum vel diaconum sibi ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit fungi sacerdotio. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam*, etc. Rectissimus atque ordinatissimus iste processus est ut sanctam atque cælibem, sub obedientiæ jugo prius assuescat vitam, et tunc demum ejus obedientiæ suscipiat coronam, scilicet sacerdotalem stolam, quæ profecto significat suave jugum Domini, cum collo ejus superposita fuerit, et onus ejus leve, quoties eam super humerum suum diaconus susceperit. Ordinatissimus, inquam, iste processus est, et monachicæ professionis non parvus iste fructus est dignum clericum fieri, id est digne in diaconum vel presbyterum promoveri. Hinc Beatus Hieronymus

dicit in epistola ad Nepotianum, De vita clericorum et monachorum : *Scio quidem ab avunculo tuo B. Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, te et didicisse quæ sancta sunt, et quotidie et discere, et normamque te ejus, exemplum habere virtutum. Sed et nostra qualiacunque sunt suscipe, et libellum hunc, libello illius copulato, ut cum ille monachum erudierit, hic clericum doceat esse perfectum.* Item ad Rusticum monachum: *Tu si monachus esse vis, non videri, habeto curam non rei familiaris, cui renuntiando, monachus esse cœpisti.* Et post aliqua: *Hoc dico etiam, ut si clericatus titillat te desiderium, discas quod possit docere, et rationalem hostiam offeras Deo, ne miles antequam tiro, ne prius magister sis, antequam discipulus.* Vide ergo quia monachorum nonnulla distantia est, cum alii simpliciter monachi, alii monachi simul et clerici sint: In illis, qui simpliciter monachi sunt, illa consideratur inchoatio, quam suam esse Regulam B. Benedictus profitetur, in his autem qui monachi simul, clerici sunt, apostolica perfectio est. Perfectionem autem dico non pro merito sed officio. Illud quoque non longe a vero est, quod apostolico gradui viciniores sunt hi, qui absque monachica professione, clerici sunt, quam hi qui absque clericatu, id est officio altaris monachi sunt. Hinc jam dictus B. Hieronymus in epistola ad Heliodorum monachum, postea episcopum : *Perfectum esse nolle, delinquere est. Sed de hoc gradu pulsus provocabis ad clericos. An de his aliquid audeam dicere, qui certe in suis urbibus commorantur? Absit autem, ut quidquam de his sinistrum loquar qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos, etiam Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant. Sed alia monachi causa est, alia clericorum. Clerici oves pascunt, ego pascor ; illi de altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem.* Hoc ultimum in persona dixit clerici, quamvis, et ipse clericus esset, utpote presbyter, sicut econtra quamvis monachus exstiterit, dixi alio loco inter cætera, ex persona clerici : *Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita, et sacerdos vivo de decimis, et altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum, et vestitum his contentus ero, et nudam crucem, nudus sequar.*

CAPUT X.

Igitur non quia de missarum celebratione fere nihil B. Benedictus locutus est, idcirco quicunque sollicitaris vel sollicitatus es ab ejusmodi operariis, qui in opere manuum **311** fere totam spem suam ponunt, non, inquam, idcirco negligas coronam vel diadema tuum, scilicet, sanctum sacri altaris officium, nec unquam absque necessitate maxima ita te occupes in colligendis frugibus, seu cedendis arboribus, ut propter quidpiam talium rarius aut negligentius accedas ad illud charitatis Christi, et Patris ejus, Dei, simulque Spiritus sancti convivium, singulare in hac vita, et unicum. Perpende voluntatem dicentis: *Accipite et manducate, hoc est corpus meum, hoc facite in meum commemorationem : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : Hoc facite, quotiescunque sumitis in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Qui enim hæc dicit, ut Apostolus curavit exprimere, qui taliter loquitur mitis et humilis corde, manifestum est quid velit, et diligens auditor animadvertit, quia vult placere nobis, et delectabile esse cordi nostro, ut studiosam atque frequentem habeamus commemorationem sui, cui videlicet commemorationi non est sub cœlo alia commemoratio similis, et hoc non ex necessitate præcepti, sed ex spontaneo voto charitatis. Tunc enim digne sit, cum pro sola ejus charitate et dilectione, hæc talis ejus commemoratio fit. Et quod est aliud opus factum vel faciendum ab homine, de quo libentius dicat inspector diligentis animæ: *Bonum opus operata est in me?* (*Marc.* XIV.) In isto opere ipse nobis ostenditur in alia effigie: In Evangelio legimus quia die resurrectionis suæ duobus ex discipulis suis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam (*Luc.* XXIV). Via nostra hæc præsens vita est, in qua cum de illo loquimur, cum sacramentum passionis ejus in sancto altari celebramus, et illic eum in alia effigie sine dubio cernimus, quia sanctum panis et vini sacrificium ipse est Christus, futurum est ut hujus felicitatis nostræ, quia nondum plene cognoscimus, admirationem habentes dicamus : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de* Jesu, *dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas ?* (*ibid*). — *Quomodo non etiam cum illo*, inquit Apostolus, *omnia nobis donavit ?* (*Rom.* VIII.) Et ut secundum eumdem loquar, quomodo non etiam cum tanto officio, vel pro tanto servitio sive ministerio, et decimas, et omnia quæ sunt altaris nobis donavit ? Timendum tamen et sollicite cogitandum est, ne pro sola mercede hujusmodi, simus officiosi sacerdotes et frequentes ministri, quia maxime talium turba mercenariorum gradum presbyterii vilem in populo fecit, et talibus illud a Domino dictum competit et eos aspera invectione percutit : *Amen, amen, dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducavistis ex panibus, et saturati estis* (*Joan.* VI).

CAPUT XI.

Ait idem qui supra : *Episcopi et presbyteri habeant ad exemplum apostolos et apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulum, Antonium, Julianum, Hilarionem, Macharium.* Hic jam dicit aliquis: etenim dicentem quempiam audivi. Quid faciunt tot sacerdotes in cœnobiis? Attamen idem gradum habebat sacerdotii sive presbyterii, sed quia vehemens erat æmulator operis manuum, et ratione non poterat superare asserentem, quod monachus sacros habens ordines et serviens altari, vivere debeat de his quæ sunt altaris, in hoc processit, ut diceret superfluum esse, ut tot sacerdotes habeantur in cœnobiis. Importunitatem

ejus contra nos hoc adjuvare videtur, quod Paulus et Antonius sancti fuerunt; et Deo placuerunt, cum tamen sacerdotes non fuerint. Quid ergo? Nunquid ob hoc vilius aut minus reverendum sacerdotium, quia tanti Patres eo carere voluerunt? Absit! Alioquin Zachæus, qui dicente sibi Domino: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, festinans descendit, et excepit illum gaudens* (*Luc.* XIV), minus videbitur adeptus fuisse quam centurio, qui eidem Domino dicenti: *Ego veniam et curabo puerum tuum. Domine*, inquit, *non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (*Matth.* VIII). Non est nostrum de his judicare. Veruntamen illum qui per obedientiam accedit, et non ambitione impulsus, sed jussione legitima vocatus sacros ordines suscipit, in similitudinem Zachæi, qui jussus descendit et Dominum excepit, beationem arbitror esse illo qui semper dicit: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, perseveranterque refugit suscipere tantum tantæ gratiæ donum. Sed et nunquid Patres illi aliquando jussi fuisse, et refugisse leguntur? Imo si jussi fuissent et refugissent, non valde magni, non multum sancti essent. Cum beatissimus Ephrem venisset ad S. Basilium: *Bene venisti*, inquit, *Basilius, bene venisti, o Pater filiorum Jeremi, qui multiplicasti discipulos Christi in ipsa, et dæmones ruvinasti in Christo.* Ac deinceps: *Cur*, inquit, *domine Ephrem, non accipis ordinationem presbyteri, quia decet te*: Dicit ei per interpretem sanctus Ephrem: *Quia peccator sum*: Respondit ei: *Utinam peccata tua ego habuissem*: Et spiritualiter lætantes per tres dies, atque ordinans sanctus sacerdos interpretem diaconum, ipsum vero presbyterum, dimisit eos in pace. Nunquid nullus alius cæterorum ejusmodi Patrum similiter obedisset, si similiter jussus fuisset, ita duntaxat, ut sit scientia tali officio necessaria non deesset? Multi namque fuere sancti Patres ejusmodi scientiam non habentes, ut ille Paulus simplex, qui interrogasse legitur utrum ante Christum prophetæ, an ante prophetas Christus exstitisset. Non temporibus illis, talis Ecclesiæ status erat, neque tot Sacerdotibus opus erat, ut nunc est. Tunc enim paganorum atque hæreticorum persecutione fervente Christiani diffugiebant, et per deserta latebant, sicut olim persequentibus Hiezabel et Achab, cæterisque idololatris regibus, filii prophetarum in solitudinibus et in agris habitabant. Unde idem qui supra scribens ad monachum, cum dixisset: *Nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulum, Antonium, Julianum, Hilarionem, Macharium*, hæc addidit: *Et ut ad auctoritatem Scripturarum redeam, noster princeps Helias, noster Helysæus, nostri duces filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudine, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis.* Quemadmodum illi, ita et isti, sub impiis regibus, sub paganis et hæreticis principibus persecutionem passi *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*; *egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus* (*Hebr.* XI). At nunc alius Ecclesiæ status est, reges et principes eorumdem regnorum sive principatuum, qui tunc illos persecuti sunt, et fugere atque circuire compulerunt, nunc civitates et vicos Ecclesiæ atque cœnobiis impleverunt, quæ et de suis redditibus locupletaverunt. Et impletum est illud, quod olim in Canticis canticorum dilectus, dilectæ, Christus Ecclesiæ, pollicens: *Veni*, inquit, *de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanyr et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum* (*Cant.* IV).

312 CAPUT XII.

Quod igitur mihi dicis, ut quod tot sacerdotes in cœnobiis? Denique multa sunt cœnobia quondam bene ordinata, nunc autem cum cæteris rebus numero quoque sacerdotum sic immunita, ut rectius dicas: *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX). Tot sunt circummanentes Christiani; tot sunt, qui suas eleemosynas dederunt, seque in orationes sacerdotum commendaverunt, tot ubique plebes fidelium Christianorum, *quorum fides Deo cognita est, pro quibus offerimus, vel, qui ipsi offerunt sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ*, tot nihilominus *qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis*: — *Messis quidem multa, operarii autem pauci*: Nunquid abbreviatum est opus Dei, ut non sufficiat occupare operarium, ne otiosus sit? Imo in cœnobiis bene ordinatis vix sufficiunt ad cursum ordinis complendum dies æstivi, maxime, si congregatio major vel numeriosor fuerit, et si aliquando moliuntur aliquid de opere manuum communiter exeuntes ad operandum, quod propter brevitatem impensæ horæ, non tam opus dixerim, quam operis simulacrum, totum fere quotidianum spiritualis operis exercitium, redditur insipidum, impeditum et nonnulla sui met particula mutilatum, ita ut quoties tale quid viderit studiosus operarius divinæ laudis, reminisci cogatur illius dicti, cujus supra memini: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis* (*Act.* VI).

CAPUT XIII.

Hæc hactenus a nobis de opere manuum dicta noveris, non voluntariam paupertatem tuam improbando seu contemnendo, sed eorum omnium qui altari serviunt potestatem defendendo, neque otiositatem, quæ inimica est animæ, excusando, sed meliorem occupationem operis Dei, et eam quæ intra claustra monasterii potest exerceri, operationem solam approbando, *quoniam*, ut ait ipse B. Benedictus, et supra dictum est, *necessitatem habere vagandi foris, animabus monachorum omnino non expedit.* Nunc a te rem unam, et quidem satis miram efflagito, et si audire digneris, libenter persuadeo, videlicet, ut nequaquam in vestitus vilitate glorieris. Mirum namque est in vilitate gloriari, et ipsam humilitatem, materiam facere superbiendi. Nunquid a memetipso hæc loquor? *Vestes nullas*, ait B. Hie-

ronymus ad Nepotianum; *æque ut candidos devita* A *ornatus, et sordes pari modo fugiendæ, qui alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Alterum, inquit, scilicet sordibus vestitus, gloriam redolet. Potuerunt ita gloriari gentilium quoque quidam philosophi, videlicet eo tendentes, ut essent aliis dissimiles, et, ut ait Seneca scribens ad Lucilium nepotem suum, ambitionem perversa via sequentes. *Illud autem*, inquit, *te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum et intonsum caput, et negligentiorem barbam, et quidquid aliud ambitionem perversa via sequitur, evita. Satis ipsum nomen philosophiæ, etiamsi modeste tractetur, invidiosum est. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus ex corpore contraire?* B *Intus omnia dissimilia sint, frons populo nostra conveniat. Non splendeat toga, ne sordeat quidem. Id agamus, ut meliorem vitam sequamur quam vulgus, non, ut contrariam. Alioquin quos emendare volumus, fugamus a nobis, et avertimus. Illud quoque efficimus, ut nihil imitari velint nostri: dum timent ne imitanda sint omnia. Hoc primum philosophia promittit, sensum communem, humanitatem ad congregationem. A qua professione dissimilitudo nos separabit. Videamus ne ista per quæ admirationem parare volumus, ridicula et odiosa sint.* Vides igitur quomodo dissimilitudo nimia, non solum ab ecclesiasticis, verum etiam a philosophicis naribus, utpote vanam redolens gloriolam, dijudicata sit? Sed dicis: B. Benedictus præcipit (cap. 55), ut de vestium colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inveniri C possunt in provincia quæ habitant, aut quod vilius comparari potest. Verum est. At idem Pater jubet de his qui in viam diriguntur, ut tunicæ et cuculli sint aliquanto illis, quas habere soliti sunt, modice meliores. Igitur et ipsius B. Benedicti judicio fugiendum est, id quod et in oculis hominum maxime displicet, et Deo non multum placet; imo et propter vanitatem displicere potest. Quid enim habet rationis, quid utilitatis, quid habet gratiæ et veritatis, quod alium quam invenerunt colorem quæsierunt in vestibus? Nam erat in cœnobilis, ut nunc est, niger color vestium, usitatus utrique sexui, scilicet et monachis et monialibus. Ipsi autem subalbo dubioque et incerto colore uti cœperunt, cujus rei causas D ignoramus. Forsitan si nos albidis vestibus usi fuissemus, ipsi nunc nigris uterentur. Et revera dissimilitudo tunc excusabilior esset, quia videlicet omnium colorum niger color obscurissimus est, albus autem nitidissimus, et hoc contrariorum cæteri colores medii sunt. Istum cujus usum nos invenimus et tenemus, uterque sexus monachicæ professionis, scilicet nigrum colorem, maxime fugiunt, quod ad quid valeat ignoramus, nisi quia nonnihil istud spectaculum læsam esse significat illam unitatem, de qua canimus in psalmo: *Deus, qui habitare facit unius moris in domo* (*Psal.* LXVII). Quod si ita est, nobis ex hoc quantulacunque sit consolatio, quia non nos ab ipsis, sed ipsi a nobis aversi sunt, vel exierunt hoc modo.

CAPUT XIV.

Verumtamen nostris imputare debemus peccatis, quia per nostram conversationem sæpe aliqui scandalizati sunt pusilli. Quinam pusilli? Nimirum inexperti, illi maxime, qui noviter de conversatione sæculari venientes ad professionem monachicam putant vel putare volunt de monachis, quod homines non sint, qui hoc potius scire deberent, qui nulla professio sive conversatio magis ista, caminus ille est, de quo Sapientia dicit: *Vasa figuli probat fornax, et homines receptibiles caminus tentationis* (*Eccli.* XXVII). Item: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Cum ergo viderint vasa quælibet crepitasse in fornace hujusmodi, sive illud quod aurum putabatur vel argentum, cecidisse in naturam vel vitium plumbi, condentibus interdum monachis, quis eorum major sit, sive, quod pejus est aliquo ludo delecto inter illos fure loculorum Domini: cum, inquam, viderint eos ubicunque pro re levissima rixari, alterumque adversus alterum inflari, scandalizantur, tanquam crepitus omnis non testæ, sed fornacis culpa sit, vel caminus de argento plumbum fecerit, et non potius quid fuisset, **313** quod argentum putabatur, ostenderit, et volunt illic vivere ubi soli sint boni, quod nusquam est nisi in cœlo, sicut revera nusquam soli sunt mali, nisi in inferno. Væ quidem illi per quem scandalum venit, verumtamen et ipsis pusillis qui scandalizantur, scandalum ipsum valde periculosum est, dum se proficere putantes deficiunt, irritam faciendo primam fidem, quam in cœnobiis suis promiserunt, et suadendo aliis ut similiter faciant, quod experimento didicimus. Propter hoc in initio libelli hujus, te cui taliter suadetur, et nondum persuasum est, sic allocutus sum: *Si ignoras te*, etc.

CAPUT XV.

Quamvis sanctæ conversationis sint, memento quod interdum errare possint; homines enim sunt, et in illis citius error subrepit, qui absque scientia vel spiritu discretionis, maximam habent æmulationem sanctitatis. Quid, si etiam prophetæ essent, si prophetico spiritu ventura prædicerent? Nunquid vel ob hoc audiendi essent, ubi manifestam persuaderent prævaricationem? Non utique, sed caute discernendi propter illud, quod Apostolus dicit: *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI). Propheta, qui venit de Juda ex præcepto Domini, et prædixit verba, quæ facturus erat Josias super altare Bethel, quomodo, vel per qualem hominem seductus fuit: Utique per prophetam, qui dixit ei: *Veni mecum domum, ut comedas panem* (*III Reg.* XIII). Cumque illi diceret: *Locutus est Dominum ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, et non bibes ibi aquam, nec reverteris per viam qua ieris. Et ego, inquit ille, propheta sum similis tui, et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc*

cum tecum in domum tuam, et comedat panem et bibat aquam. Fefellit eum et reduxit secum. Comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam qui reduxerat eum, et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens : Hæc dicit Dominus : Quia inobediens fuisti ori Domini, et reversus es, et comedisti et bibisti in loco in quo præcepit tibi ne comederes neque biberes, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum (*III Reg.* XIII). Et ita factum est. Nam invenit eum leo in via, et occidit (*ibid.*) Mirum quomodo ad talem hominem factus est sermo Domini, nisi quiaanciendum erat exemplum nobis venturis, ut non facile hominibus, quamvis sanctis et religiosis, acquiescamus in causis periculosis.

CAPUT XVI.

Sed et præter colorem adhuc alia sunt quæ fugiunt de nostro vestitu, scilicet indumenta, quæ propter frigus habemus de ovinis pellibus, videlicet quia non B. Benedictus de vestiariis et calceariis fratrum loquitur (cap. 22), vestitus hujusmodi non nominatur. *Sufficit enim*, inquit, *monacho duas tunicas et duas cucullas habere, propter noctes et propter lavare ipsas res. Jam quod supra fuerit superfluum est, et amputari debet.* At ille non in omnibus locis, sed in mediocribus ista sufficere credidit. Sic enim incœpit : *Vestimenta, fratribus, secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. Hæc vero consideratio penes abbatem est.* Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam et tunicam, cucullam in hieme villosam, in æstate puram ac vetustam. Mediocria loco dixit illa, quæ nec perustæ zonæ, nec boreali polo multum vicina sunt, in qualibus et ipse habitavit, ubi tamen et præsenti anno die, Natalis Domini, quando in his regionibus acerrimum frigus, vineas nostras fere omnes peremit (quod nunc universa hæc provincia deplorat), cum essem Romæ, grandina, tonitrua, et tempestas fuit valde importuna, adeo ille aer a nostro aere diversus est, qui tamen inter loca, quæ hic dicit mediocria, reputandus est. Hinc litteræ suo modo inhærere volunt quidam, sed non possunt. Duæ namque cucullæ et duæ tunicæ, ad istam mutationem, quam dicit *propter noctes et propter lavare ipsas res*, non sufficiunt, quinimo simul omnes et forte plures, magnitudine frigoris agente superinduuntur. Cur non saltem auctoritate Scripturæ consentiunt, tunicas recte dici etiam illas vestes, quæ de pellibus fiunt ? Scriptum est enim : *Fecit quoque Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos* (*Gen.* III). Quid est dicere tunicas pelliceas, nisi tunicas de pellibus factas ? Quod si nolunt admittere, ut dicant vel concedant B. Benedictum unquam cogitasse hujusmodi tunicas, cum diceret monacho sufficere duas cucullas et duas tunicas, dicant nobis, utrum vel ipse B. Benedictus de vestitu pelliceo quidquam habuerit. Dicit enim liber Actuum vitæ ejus (*lib. Dialog.* VI, VIII) : *Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores invenerunt. Quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt.* Vestitus pellibus erat, quid est nisi veste pelliceo ? Item ubi Maurus discipulus ejus super aquam cucurrerat, et Placidum puerum per capillos tenens, rapido cursu super aquam retulerat, cum beatus Benedictus hoc illius obedientiæ deputaret, et contra, ille pro solo illius imperio factum diceret, in hac humilitatis mutuæ amica contentione, accessit arbiter puer qui ereptus est. Nam dicebat : *Ego cum ex aqua traherer, super caput meum abbatis melotem videbam, atque ipsum me ex aquis educere considerabam.* Habebat ergo melotem, vestem utique de pellibus factam. Erat enim melotes, vestis caprinæ pellis, qua et Ægyptii, sicut refert Postumianus, utebantur monachi, dicta melotes eo quod nigra esset. Nam quod dicimus nigrum, Græci melan dicunt. Quid igitur censes ? Vestem pro qua calumniantur nobis? Vestem sive tunicam pelliceam Deum ipsum fecisse hominibus Scriptura testis astruit, et ipse beatus Benedictus ejusmodi veste non caruit, nec antiquiores illo monachi vel patres Ægyptii, sicut nec prophetæ, vel filii prophetarum, quos monachos Veteris fuisse Testamenti beatus Hieronymus asserit. Nam et illi, ut ait Apostolus, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis* (*Hebr.* XI). Dicis itaque mihi : Si et monachis antiquioribus, et ipsi beato Benedicto pellicea veste uti mos fuit, cur nullum inde præceptum dedit ? Videlicet quia de illis duntaxat vestibus, sine quibus non perficitur exterius habitus monachi, ad se pertinere judicavit, cætera in consideratione abbatis dereliquit, sicut apparet ex præcedentibus dictis.

CAPUT XVII.

Veniam ad illud cacenphaton, quod nobis de femoralibus faciunt. Nam quoniam idem Pater dicit : *Femoralia hi qui in viam diriguntur de vestiario accipiant, qui* [314] *revertentes ibi lota restituant*, idem esse volunt, ac si in provincia qua habitavit femoralium usus ante ipsum fuerit, et hoc usu quem populus habebat, monachos spoliare incœperit, id solummodo concedens causa honestatis, ut in viam directi, sive equitantes, ne nuditas appareret, uterentur braccis. Sensus iste voluntati scriptoris ejusdem pene contrarius est. Ille namque braccas non auferre habentibus, sed quantum valuit, dare voluit non habentibus. Habentes nos sumus, qui in provinciis braccatis habitamus. Non habentes Scotti sunt et Britanni, nec multo minus illi inter quos ipse Pater habitavit ; quippe ubi hodiebus vestigia supersunt ejusdem moris nequaquam honesti, sicut et nos ipsi vidimus, cum in locis illis hospitantes inter homines divaricatos ad prunas sederemus. Plane sancto Patri, et virtutum pulchritudinem, et morum atque habitus religiosam honestatem sitienti, opus fuit, super hoc præcipere monachis pro qualitate loci. Propter nos isto præcepto opus non fuit, quippe etsi monachi non essemus, itidem pro qualitate loci,

id est provinciarum in quibus habitamus, et foris et intus braccati incederemus. Illud quoque ratio convincit, quia quod aliquando facere est honestum, sæpius et semper facere est honestissimum, sive, ut ait B. Hieronymus adversus Vigilantium : *Quod semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequentius fiat*, sive foris, sive intus simus, sive vigilemus, sive dormiamus, maxime vestimentum illud pudicitia pudorata desiderat castitas, et maxime, quia sacerdotes et ministri altaris sumus, et quotidie sacramentis ministramus, hoc indumento nulla die carere debemus, dicente Domino ad Moysen : *Facies et feminalia linea, ut operiant carnem tur-* A *pitudinis suæ, et utentur eis Aaron, et filii ejus, quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare, ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur* (*Exod.* xxviii). Sed quid multis opus est ? *Hæc consideratio penes abbatem est*, ait idem Pater, cum præmisisset vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aerum temperiem dentur. Aerum temperies, qualis sit, manifestum est, qualitatem locorum si quæras, itidem notum est, quia locorum istorum gens omnis braccata est. Olim tripartitæ Galliæ pars quædam, braccata nuncupabatur, nunc et Galliæ trina divisio, et Germania, et cæteræ climatis hujus provinciæ braccis utuntur.

LIBER QUARTUS.

De contentione monachorum dicentium : *Ego sum Augustini, ego Benedicti*, etc.

—

CAPUT PRIMUM.

Ad Corinthios scribens Apostolus : *Significatum est*, ait, *mihi de vobis, fratres viri, ab his qui sunt Chloes, quod contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi* (*I Cor.* i). Præmiserat autem : *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* (*ibid.*). Et post aliqua dicit : *Hæc autem transfiguravi in me, et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio* (*I Cor.* iv). Ad deinceps : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit* (*I Cor.* v). Ergo sic contendere, sic dicere : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*, schisma est, scissura mentium est, quod malum quam grande sit, prudens intelligit. Nihilominus et hujusmodi adulationes circa se quam graviter ferant sancti, ex eo potest animadverti, quod idem Apostolus illis qui quasi pro ipso æmulabantur ob magnitudinem magisterii vel sapientiæ ejus, sic acerbe recalcitrat, et stercus fornicationis, quæ inter ipsos erat, in faciem illis jactat, ut dicat : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit*. Nunquid non pene huic simile est id quod nunc audimus et videmus ? Contentiones enim sunt inter nos. Hoc autem dico, quod unusquisque nostrum dicit : Ego quidem sum Augustini, ego autem Benedicti, ego vero Regulæ hujus, vel illius, ego autem Christi, quod ultimum utique verum, et bonum est absque contentione confiteri. Nonne hujusmodi contentiones habere schismata facere est ? Neque enim absque inflatione contenditur, nec parum unus adversus alterum inflatur pro alio, cum dicit is, qui se profitetur esse Augustini contra illum qui se profitetur esse Benedicti, Augusti- B nus episcopus est, Benedictus autem monachus est ; episcopus, sine dubio major est monacho. Nonne ergo meus ordo altior est ordine tuo ? Hujusmodi contentio per dies et tempora crevit, et eo processit, ut non solum dicant illicitum esse clerico, monachum fieri, verum etiam dicere audeant licitum et perfectum esse ut clericus fiat, qui monachus exstitit. Hæc et hujusmodi, quæ sunt instrumenta contentionis, **215** non absque sancto tractanda sunt spiritu pietatis, propter illud supra memoratum dictum Apostoli : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit*. Nam et in medio nostrum esse vel evenire potuit aut potest aliquid operis hujusmodi. Quod si respiciamus, animadvertere possumus colaphizati C quia de altitudine professionis, sive de differentibus Patrum nostrorum meritis, alter adversus alterum non debeat inflari.

CAPUT II.

Igitur præeunte et cooperante spiritu pietatis, quo careamus inflatione hujusmodi, conabor aliqua hinc eloqui, et imprimis de abbatum atque episcoporum pastoralibus virgis, cujus, vel quam antiquæ, utraque virga sive uterque baculus, sit auctoritatis. Denique inter contentiones jam prælibatas, istud quoque in contentionem venit, utrum rationabiliter, an absque suffragio rationis, is qui dicit. Ego sum Augustini, pastorali virga investiri et abbas in Ecclesia velit nominari. Nam et in superioribus Franciæ locis hoc maxime jam cœptum est fieri, et miramur plerique unde ratio vel auctoritas sumpta D sit. Hinc reverendus Coloniensium archiepiscopus Fridericus, ante non multos dies, Adelberoni episcopo Leodiensi epistolam direxit, cujus hoc exemplar est : *Sicut antiquas sanctorum Patrum institutiones, quas nos juniores super fundamentum divinæ positionis, rationabiliter ordinatas invenimus, tenere ac pervehere debemus, ita novas et eas maxime, quæ nul-*

tum ex auctoritate Scripturarum, sive exemplis patrum, rationis caput præferunt, neque facile admittimus, neque temere usquam introducere properamus. Scriptum est enim : « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Prov. XXII). » Nos nati terminos istos invenimus in Ecclesia Dei, ut clerici propter hoc ipsum, quod sunt clerici, id est habentes ordines sacros de manu episcopi, pertinentes ad ministerium altaris, sub virga sint solius episcopi, qui autem vitam pœnitentialem sub habitu monachico susceperunt, et simpliciter monachi sunt, sub virga sint solius abbatis. Porro qui, cum sint monachi, clericales susceperunt ordines, sive cum clerici essent, vitam monachicam professi sunt, hi duntaxat rationabiliter sub utraque virga sunt, scilicet episcopi pariter, et abbatis, neque a solo abbate, super monachum presbyterum, judicium est diffiniendum, nisi episcopus adhibeatur in testimonium, juxta ipsius B. Benedicti institutum sanum et legitimum. Hæc nos pervidentes, novam consuetudinem istam, necdum approbare vel suscipere præsumpsimus, ut prælati clericorum, quamvis regularium, pastorali virga investiantur, ut ea sicut monachorum abbates utantur. Etenim B. Pater Augustinus cujus regulam profitentur, nusquam legitur abbas fuisse nominatus, et eo tempore quo vitam illam ingressus est, sicut, nec abbas ita necdum erat episcopus, sed tantum presbyter novitus, utpote nuper ad fidem catholicam conversus. Si ergo non præsto est ratio, quæ huic instituto suffragetur, quod in usum jam verti incipit, sicut audivimus, bonum est ut super hac re temperetis, juxta illud: Manum nemini cito imposueris (I Tim. V).» Itaque de jure vel justa consuetudine, qua monachorum Patres, abbates nominantur, et pastorali post episcopos virga utuntur, causa postulat ut aliquid loquamur.

CAPUT III

Sciendum inprimis quia virga vel baculus, ut eo pontifices uterentur ab Aaron, ut autem Patres quoque monachorum illo insignirentur, ab Elysæo sumpsit exordium. Nam et Aaron in lege Dei princeps vel primus sacerdotum ; Elysæus vero spiritualis exstitit. Pater monachum, id est filiorum prophetarum. Monachi namque jam tunc illo tempore erant, qui dicebantur filii prophetarum. Hinc beatus Hieronymus ad Rusticum monachum : *Filii prophetarum, quos monachos in Veteri legimus Testamento, ædificabant sibi casulas propter [prope] fluenta Jordanis, et, turbis et urbibus derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant.* Item ad Paulinum : *Noster princeps Elias noster Elisæus, nostri duces filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudine, et faciebant sibi tabernacula, prope fluenta Jordanis. De his et sunt illi filii Recab, qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Hieremiam voce laudantur (Jer. XXV), et promittitur eis vir stans coram Domino.* De clericis itidem Veteris Testamenti, nulli dubium quin sacerdotes et levitæ fuerint omnes, et soli de tribu Levi, quorum princeps, ut jam dictum est, primusque ac summus pontifex Aaron exstitit, et inde clerici dicti, quia de sorte fuerint Domini vel quia Dominus ipse sors eorum fuerit : κλῆρος namque Græce, latine dicitur *sors*, sortem autem tribus Levi, in distributione terræ promissionis, sicut cæteræ tribus non accepit, sed Dominus sive sanctuarium Domini, sors ejus exstitit, ut viverent de decimis et legitimis oblationibus totius populi utriusque ordinis, scilicet et clericalis et monachici. Patribus cunctis virgam vel baculum, curæ pastoralis insigne, auctoritas divina, in illis jam dictis duobus primis Aaron atque Elysæo sacravit.

CAPUT IV.

Prima virga Aaron, virga fuit Moysi : *Quid est*, inquit Dominus ad Moysen, *quod tenes in manu tua ? Respondit : Virga (Exod. IV).* Ait : *Projice eam in terram, projecit, et versa in colubram (ibid.)*, etc. Ac deinceps : *Aaron loquetur pro te ad populum, et erit os tuum ; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua in qua facturus es signa (ibid.).* Et post pauca : *Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Cumque dixerit vobis Pharao : Ostendite signa, dices ad Aaron : Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum (Exod. VII).* Virgam tuam tolle, inquit. Ergo virga Moysi, virga Aaron fuit, quæ semel et iterum versa est in colubrum, semel ad manum Moysi, et iterum a manu projecta Aaron et in eadem cætera signa facta sunt, quorum ultima duo pulcherrima atque sanctissima fuerunt, quod in contentione Chore et Dathan atque Abiron aliorumque procerum, pro sacerdotio contendentium, inventa est *germinasse, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdala deformati sunt (Num. XVII)*, et deinde sumpta de conspectu Domini ad aquas contradictionis, percussio ejus aquam de petra produxit. Qualis factura illa virga fuerit, Scriptura manifeste non exprimit, sed ex officio pastorali (*pascebat* enim in ea *Moyses oves soceri sui Jethro sacerdotis Madian* [*Exod.* III]) constat quod incurva fuerit ob retinendos pedes pecudum. Unde, et ejusmodi virga vocatur pedum. Putasne illa Moysi virga tam pulchræ facturæ fuit, ut nunc est virga quævis in manu cujuslibet pontificis ? Non dubito quin filius adoptivus **316** filiæ Pharaonis, et tunc licet exsul, gener tamen sacerdotis divitis, formosam magis quam informem virgam gestare voluerit aut potuerit. Neque enim paupertatis tunc erat illis officium pascere gregem pecudum, quibus maxima de gregibus facultas erat. Unde hodieque falcultatum diversitas, generali nomine dicitur pecunia quasi pecudia, quia videlicet antiquorum tota fere facultas in pecudibus erat. Verumtamen superflue quæritur de pulchritudine illius, virgæ sive baculi, dummodo constet quod pro re jam dicta nimirum virga incurva exstiterit. Poterat de pulchritudine auctoritas aliqua proferri, quod non solus ille tantus Moyses, verum etiam longe minores illo pastores virgas decoras in eodem officio

libenter gestaverint. Nam apud Virgilium pastor pastori loquens dicit :

At tu sume pedum, quod me, cum sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes (et erat tunc dignus amari),
Formosum paribus nodis atque ære, Menalcha.

VIRGIL. *Eclog.* v, vers. 88-90.

Hæc idcirco dicta sint, ne totum imputetur voluntati artificis, quod tam formosos baculos gestare cœperint pontifices nostri, nodis decoratos nitidis, id est eburneis, non sine lituris æreis, imo aureis sive argenteis, quia videlicet illa virga Moysi fortassis formosior fuit.

CAPUT V.

Virgam secundam sive secundi ordinis, scilicet virgam Elysæi non quidem tam illustris, sed tamen eadem auctoritas divina sacravit. *Accinge lumbos* B *tuos*, ait ille ad Giezi, *et tolle baculum meum in manu tua, et vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi, et pones baculum meum super faciem pueri* (*IV Reg.* IV). Denique quod mystice significatum est per illud, quod virga Aaron tot signis flagellavit quidem Pharaonem, et Ægyptios, sed non evicit ut filios Israel dimitterent nisi per immolationem agni, ejusdem sacramenti signum fuit illud quod baculum suum præmisit quidem Elysæus, et poni jussit super faciem pueri qui mortuus jacebat, et sic fecit Giezi, sed puer non revixit, usquequo per semetipsum accessit Elysæus, *et ascendit et incubuit super eum, posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum* (*ibid.*). Quod est illud sacra- C mentum ? Nimirum *magnum sacramentum pietatis, quod prædicatum est gentibus, creditum est in mundo*, ait Apostolus (*I Tim.* III), quia *quod impossibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato, peccatum damnavit in carne* (*Rom.* VIII), etc. Sicut virga Aaron infirmata est, et non effecit decem plagis, ut Pharao populum dimitteret, nisi agnus immolaretur, ita lex infirmata est, et non effecit decem præceptis, ut princeps mundi hujus foras mittereretur, nisi Christus pateretur, et itidem sicut infirmatus est baculus Elysæi, nec effecit ut surgeret puer, nisi Elysæus super eum incumberet, vel se incurvaret, sic infirmata est eadem lex, nec effecit ut genus humanum ad vitam æternam rediret, D nisi Christus temporalem nostram mortem susciperet. Ergo utramque, ut jam dictum est, et virgam Aaron pontificis, et virgam sive baculum prophetæ Elysæi, eadem auctoritas divina sacravit, quia et cum virga Aaron fuit utique digitus Dei, et in Elysæo mittente baculum suum, profecto erat idem mysteriorum opifex Spiritus Dei.

CAPUT VI.

Isti sunt duo ordines ecclesiastici, alter ordo clericorum, alter monachorum, de quibus sanctæ Ecclesiæ semel et iterum dicitur in Canticis canticorum : *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de* A *monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes, gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas* (*Cant.* IV). Per capillos quippe similes gregibus caprarum, recte intelliguntur examina monachorum, qui suo judicio peccatores sunt, et proinde sibimet ipsis displicendo, ascendere de monte Galaad, id est crucem suam tollere et Christum sequi festinaverunt ipso habitu suo profitentes, quia mundo crucifixi sunt, spontaneum bajulantes martyrium, id est testimonium, quod significat Galaad nomen·Interpretatur enim *acervus testimonii*, et eos omnes significat, *qui carnem suam crucifixerint cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal* V), maxime autem eos qui hoc ipsum profitentur habitu, quem auctoritas ecclesiastica instituit in quamdam similitudinem captivæ nigredinis, de quo schemate post hæc plenius dicendum erit. Quid capilli præter ornatum faciant in capite mulieris? Sed nec ornatum nisi constringantur atque velentur, imo ignominiam faciunt. Juxta similitudinem hanc monachi suo judicio superflui sunt, sed in hoc spem habent, si regulari disciplina constricti, et intus absconditi, semper cogitatione tendant ad Dominum in modum caprarum semper in pascendo altiora pœnitentium [*al.* petentium]. Per dentes similes gregibus tonsarum, recte nihilominus intelliguntur ordinatæ acies clericorum, qui nostro judicio, sive existimatione cunctorum, imo et voluntate Scripturarum atque sacrorum canonum simplices ut oves, id est sine crimine sunt, et proinde Deo et hominibus placendo ascendere de lavacro, id est forte Domini esse proposuerunt, ipso sacri altaris officio, quo funguntur exigente, ut cæteris facultatibus nudi, de altario vivant, semper ad hoc parati, ut male viventes occidant, et incorporando Ecclesiæ quodammodo comedant ; juxta illud : *Surge, Petre, occide et manduca* (*Act.* X). Nam sicut non nisi cum dentibus per linguam formatur loquela, ita non nisi cum clericali officio, per scientiam, quantacunque sit, in aliquo debet administrari prædicatio publica.

CAPUT VII.

Hic opus est vitta coccinea, de qua protinus sequitur : *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce* (*Cant* IV). Quænam sunt illa labia vittæ coccineæ similia, nisi labia proferentia pacis et charitatis eloquium dulce et amicum ? Exempli gratia : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia* (*I Cor.* I). Opus, inquam, est hujusmodi vitta coccinea, id est dilectione fraterna. Ipsa enim est vinculum pacis, quo ligari et nos oportet atque constringi, ut in nobis schismata non sint; sed id ipsum dicamus omnes. Quod est illud idipsum ? Non utique quod forte ego volo aut quod tu vis, sed quod sancta catholica Ecclesia jamdudum recepit, et approbavit. Scriptum **317** est enim et jam supra memini : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

Dic mihi: Regulam beati Benedicti fateris esse de A terminis quos posuerunt Patres tui? Primus beatus Gregorius de notissimis Patrum tuorum, vel Patrum nostrorum, est sedis apostolicæ lampas splendida, et pro merito sermonis egregii, sanctæ universalis Ecclesiæ columna argentea, et reclinatorium aureum; in quo sine dubio reclinavit seipsa sapientia. Hic dixit, et scripsit, quia beatus Benedictus omnium justorum spiritu plenus fuit, et Regulam ab eo conscriptam primus ipse laudavit discretione præcipuam, sermone luculentam, et post illum cuncti Patres apostolici, Christiani, omnes Catholici. Ergo Regula hic defenditur jure terminorum antiquorum, quod eam nulla unquam nova traditione superducta transgredi liceat. Tu autem transgressionem ejus in Ecclesiam introducere vis. Nam idem beatus Bene- B dictus in Regula dicit: *Si quis de ordine sacerdotum se suscipi in monasterium rogaverit* (cap. 60), etc. De ordine sacerdotum sine dubio, id est episcoporum. Ait enim: *Concedatur ei tamen post abbatem stare, et benedicere, aut missas tenere; si tamen jusserit ei abbas.* Item: *Si forte ordinationis, aut alicujus rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat quo ingressus est in monasterium, non illum qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est.* Statimque de cæteris gradibus: *Clericorum autem*, ait, *si quis eodem desiderio monasterio sociari desiderat, loco mediocri collocetur, et ipse, tamen si promiserit de observatione Regulæ vel propria stabilitate.* Contra tu dicis: Non licet clerico monachum fieri. Vide ergo ne hoc sit transgredi terminos antiquos a patribus positos, et non quomodocunque transgredi, imo et C contradicere Spiritui sancto. Nam ille omnium sanctorum spiritu plenus fuit. Sed, et amplius dicis adhuc: Non solum non licet clerico monachum fieri, verum etiam monacho licitum est clericum fieri. Hujus doctrinæ tuæ patronam te putas habere auctoritatem beati Hieronymi, quoniam ille ad Nepotianum monachum scribens inter cætera dicit: *Scio quidem ab avunculo tuo beato Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, te et didicisse, quæ sancta sunt, et quotidie discere, normamque te ejus exemplar habere virtutum. Sed et nostra, qualiacunque sunt, suscipe, et libellum hunc libello illius copulato, ut cum ille monachum te erudierit, hic clericum doceat esse perfectum.* Item ad Rusticum monachum: *Hoc dico ut etiam si clericatus titillat te desiderium, di-* D *scas quod possis docere, et rationalem hostiam offeras Christo, ne miles antequam tiro, ne magister sis antequam discipulus.* Concedere ergo oportet, inquis, quod monacho clericum fieri licitum sit. Sed quomodo, quæso, qui monachus est, potest aut debet clericus fieri? Nunquid ita, ut apostata fiat, et transgressor habitus vel ordinis sui, suscipiens habitum, et tamen professionem clerici, qualem vulgus solam scit qualem tu didicisti in triviis? Præclare doctor in hujusmodi, et assertor beati Hieronymi. Quid enim est monacho clericum fieri, nisi monachum presbyterum vel diaconum ordinari?

CAPUT VIII.

Non contra vos invehor, o clerici, decus et munimen Christiani populi, sed ei loquor quem audivi, quem expertus sum nimis lasidire et adversari ordinem vel habitum monachicum. Quid, rogo est *monachum desiderio clericatus*, ut ait beatus Hieronymus *titillari*, nisi sacris ordinibus altaris velle fungi, amore et delectatione servitii divini, servitii singularis, quod est conficere corpus et sanguinem Domini, et in Ecclesia prædicare verbum Dei? Quid enim putas esse clericatum, nisi sanctuarii sive altaris sacrum ministerium? Sed tu solam pellem attendis exteriorem, qua vulgus hominis, ut aiunt, oculis, clericum, monachumque discernit. Alioquin si ubi debes cultum exteriorem attendis, quando vel ubi agimus officium clerici, quæ est distinctio nostri? Eisdem insignibus ordinator episcopus me atque te vestivit. An putas quod clericatus et monachatus opposita sint, et in eodem simul esse non possint? Imo tuus animus monacho stat oppositus, et idcirco illa sic aspicis tanquam opposita. *At illa socialia sunt et amica, alterumque ornatur altero*, ut ait beatus Hieronymus. In monachis et in clericis ineptias erubescimus, quorum et sacerdotium proposito et propositum ornatur sacerdotio. *Si quis abbas*, ait beatus Benedictus (cap. 62), *sibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem, sciat se multo magis disciplinæ regulari subditum, nec occasione sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam et disciplinam, sed magis ac magis in Domino proficiat, locumque illum semper attendat, quo ingressus est in monasterium, præter officium altaris*. Claret itaque tibi quoque quamvis nolenti, qualiter intelligere debeas voluntatem scriptoris, scilicet beati Hieronymi, qui a scripto volebas argumentari, quod monachus licite posset in tuum clericatum, sive habitum, velut in altiorem gradum promoveri.

CAPUT IX.

Fere omnino nescio qualiter vel ex quo hujusce gloriationis occasio contra monachicum ordinem tibi, vel aliis quoque, non tamen ita vehementer æmulantibus, evenerit. Res enim nova est. Districtius quidem nunc agitur quam olim, sed memento illius ab Apostolo dicti: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vera charitas socia semper humilitate incedens servat unitatem. Tu autem Regulæ beati Augustini adauxisti quidem districtionem, sed attende paulisper. Dic mihi; Habitum monachicum solemnemque ordinationem ita observare, ut a sanctis Patribus traditum et ab Ecclesia susceptum est, superfluum vel otiosum putas, an non? Hujusmodi eum habitum, sive hoc indumentum sancti Patres, imo qui in sanctis Patribus operatus est, voluit haberi mortificationis signum, utpote crucis Dominicæ similitudinem, ita ut in consecratione sui, monachus rursus Christo quodammodo commoriatur,

et consepeliatur, videlicet triduano silentio capite A cooperto, mortificationis vel susceptæ pœnitentiæ circumferens testimonium, spectaculumque factus et angelis et hominibus, tertia tandem die deposito capite relevetur ab abbate, dante sibi osculum pacis in similitudinem resurrectionis Domini, qui discipulis suis post triduanam eorum tristitiam, redivivus apparens dixit eis: *Pax vobis* (*Joan.* xx). Absit ab omni qui sub Deo vivit, et matris gratiæ dulcedine lactari cupit, ut pro nihilo ducat vel destituere velit institutionem hujusmodi! Est enim quoddam 318 magnum pietatis asylum, quo refugere possit omnis, qui criminibus superductis primam sancti baptismatis gratiam perdidit, et primam recuperare stolam. Quisquis eo ritu sacratus mortificationis vel Dominicæ crucis in habitu gestat signum, etiam si B sacros altaris ordines non sortiatur, par est ei qui absque schemate isto clericus est, et sacri altaris ordinibus fungitur, testante auctoritate canonica, quæ monachum, qui non est clericus, et clericum qui non est monachus, si fuerint in eodem crimine, plecti jubet eadem quantitate pœnitentiæ.

CAPUT X.

Hic est illud, quod dico animadverte: Abbates, id est Patres monachorum, quo jure pastoralem post episcopos ferunt baculum? Num idcirco, quia sacerdotes vel presbyteri sunt, an idcirco, quia monachi et duces sunt monachorum? Nam idcirco causa ista fere ignota neque satis considerata est, quia proficiente decore domus Domini, hodie nullus fere abbas ordinatur, nisi primum presbyter fuerit C ordinatus. Olim non ita erat. Multi abbates erant, qui sacros ordines non habebant. Exempli gratia: Equitius abbas, cujus vitam vel actus beatus papa Gregorius in primo Dialogorum libro narrat, et viris et feminis præerat quodam privilegio gratiæ, quod per angelum semetipsum narrabat cœlitus accepisse, attamen idem sacros ordines non habebat. Unde et a quodam familiariter percunctante dictum est ei: *Qui sacrum ordinem non habes, atque a Romano pontifice, sub quo degis, prædicandi licentiam non accepisti, prædicare quomodo præsumis? Qua inquisitione compulsus. Ea quæ mihi loqueris, ait, ego ipse quoque mecum pertracto. Sed nocte quadam speciosus mihi per visionem astitit juvenis, atque in lingua mea medicinale ferramentum flebotomum posuit dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædi-* D *candum, atque ex illo die, etiam cum voluero, de Deo tacere non possum.* Ob eamdem causam ad apostolicæ sedis audientiam aliquando, clericis agentibus, evocatus est, non quod abbas esset, ut erat, quippe qui fretus virtute Dei omnipotentis, feminis quoque et viris pariter præerat, ita alienus a tentatione, ac si sexum non haberet in corpore; sed quod prædicaret, sacros, ut jam dictum est, non habens ordines. Nam et ratio et auctoritas hoc habet, ut monachus, nimirum sacros non habens ordines, quantumvis litterarum peritus, prædicare non præsumat. Et ille quidem divinis defensus est miraculis, verumtamen miracula, sicut ante nos dictum est, non sunt in exemplum trahenda, et nihilominus cavetur ne quispiam ejusmodi officium prædicationis arripere audeat. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* (*Rom.* x) Mitti autem ordinari est. Poterant de aliis exempla proferri, ad demonstrandum quod usus fuerit, absque altaris officio patres quoque monachorum, id est abbates ordinari, sed de isto magis libuit, cujus manifestior causa est, ex eo quod evenit.

CAPUT XI.

Si ergo habitus monachicus, et monachicæ professionis consecratio tantum valet, ut curam quoque animarum jure administrare possit is qui, præter istam gratiam, de cætero laicus est, cur tibi adeo vilis est? Quod si de isto quoque auctoritatem quæris, utrum super fundamentum Scripturarum superædificata sit dignitas hujusce habitus, tam diversi a tuo cæterorumque omnium vestitu, et propterea schema hujusmodi plurimum valere debeat in rationibus ecclesiasticis: ecce habes in uno eodemque Elysæo jam supra memorato, sicut jam dicti baculi, ita et ordinationis et vestitus monachici auctoritatem. *Vade,* inquit Dominus ad Eliam, *revertere in viam tuam per desertum in Damascum. Cumque perveneris illuc, unges Azabel super Syriam, et Jehu filium Namsi unges regem super Israel, Elysæum autem filium Saphat, qui est de Abelmaula, unges prophetam pro te* (*III Reg.* xix). Ac deinceps: *Cumque venisset Elias ad Elysæum misit pallium super illum* (*ibid*). — *Pallium est,* ait Isidorus, *quo ministrantium scapulæ conteguntur, ut, dum ministrant, expediti discurrant.* Dictum est autem pallium, sive a pellibus, quia prius superindumento pelliceo veteres utebantur, quasi pelleum sive a palla per derivationem. Qualiscumque facturæ pallium illud fuerit, hoc modo prophetæ sacrando auctoritate divina traditum, atque ab illis in posteros transmissum, et quomodocunque invariatum reservaverint hi qui dicebantur Asse læi Judæorum, sive Esseni, de quorum vita pene monachica scribit Josephus in libro Antiquitatum decimo octavo, et tunc vere fuit sacrum, et nunc quoniam ad Dominicæ crucis perfectum est similitudinem, sacratissimum est remotæ conversationis insigne hoc indumentum. Hæc idcirco dixerim, ne contemnendum putes, vel quod solemniter in hanc professionem sacramur, vel quod tali vestitu a clero discernimur, licet et plerique nostrum, ut supra monstratum est, clerici simus, quia sacros ordines habemus.

CAPUT XII.

An non et in illo initio sic divinitus provisum est? Elias namque sacerdos simul exstitit et monachus, sive, ut ait beatus Hieronymus, *anachoretarum monachorum primus*; Elysæus vero non sacerdos, sed tantum monachus, cœnobitarum monachorum Pater primus, sub quo tunc temporis monachi filii prophetarum, et post, aliis nominibus, Assidei, sive Esseni dicebantur, sub apostolis autem discipuli, ac

deinde sub evangelista Marco apud Ægyptum, qui illuc vitam sub apostolis traditam primus intulit, græco vocabulo monachi nuncupati sunt. Duobus illis adde benedictum Domini pontificem Joiadam de Hierusalem, qui tertius atque ultimus manum imposuit ad abigendum Baal, cujus cultum impiissima Jezabel introduxit, et ecce habes viros tres, Joiadam sacerdotem et non prophetam, Elysæum prophetam et non sacerdotem, Eliam prophetam simul et sacerdotem. Eliam namque sacerdotem fuisse vel ex eo liquet, quod sacrificium sive holocaustum obtulit, et in offerendo contra Baal et sacerdotes ejus conflixit, et vicit : *Exaudi me*, inquiens, *Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum* (*III Reg.* XVIII), subauditur, postquam per Moysen et Aaron educendo eos de Ægypto, prima vice convertisti cor eorum. Cæterea sicut in libro Regum scripta sunt, perlege, quomodo Elysæus ungendo Jehu funditus de Israel, id est decem tribubus destruxerit vel combusserit statuam Baal, ædem quoque Baal, et fecerit pro eo latrinas, atque ita deleverit Baal de Israel, et deinde Joiada pontifex eumdem Baal abstulerit de Juda, occisa filia Jezabel, Attalia impiissima. Qui rite legit, et intelligit, non parvipendit tres illas, quas prædixi, virorum Dei differentias, per quos dum populum retinent et restringunt ad unius veri Dei cultum, via ventura saluti parata est, ut ad effectum veniret verbum promissionis, quod et prius ad **319** Abraham postea factum fuerat ad David. Ex tunc sacer ille usus in Ecclesia perseverat usque adhuc. Nam quoties quispiam sacerdos, et monachus, qualis fuit gemma sacerdotum, sanctus Martinus, sive Romanæ sedis pontifex beatus papa Gregorius, quemlibet monachum induit habitu, et benedicit, sive etiam ordinat, ut præsit abbas, et curam animarum gerat, nimirum Elias juxta præceptum Domini ungit Elysæum, et ponit super eum pallium suum, id est suum dat ei : suum, inquam, id est eumdem quem habet ipse habitum monachicum. Nam si pontifex quidem sic et eumdem non habeat habitum, sicut tunc temporis Joiada pontifex neque propositi, neque habitus ejusdem erat, ut Elias, non quidem dat ejusmodi pallium, quia non est suum, ungit autem, id est in abbatem benedicit eum.

CAPUT XIII.

Quare igitur contemnis morem sacrum ex divina traditione statutum atque fundatum? Cum omnibus virtutibus tuis habuero et charitatem, quia si hæc vel illa fecero, inquit Apostolus, et hæc vel illa *habuero, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor*. XIII). Recordor cujusdam dicti quod ex te audivi, de quo et judicare dubito quale sit, vel quali a spiritu processerit. Dixisti enim : *Postquam regnum Babylonium crevit in immensum, crescere desiit et succrevit aliud, scilicet regnum Persarum atque Medorum, et deinde super hoc aliud, videlicet regnum Macedonum*. Ista, quasi similitudine

A præmissa, subjunxisti *sic futurum esse, jamque fieri debere, ut magnitudo sive altitudo illorum, qui hactenus in conversatione monachica viguerunt, maximeque Cluniacensium*, de quibus nescio utrum aliquid unquam dixeris amabile verbum, *deprimeretur, atque minueretur admodum, atque humilibus suborientibus fieret aliud principium*. Qualis est ista similitudo sive comparatio ? Quatuor namque illa regna bestialia sine Deo fuerunt, monachica vero conversatio, sive omnis ecclesiastica religio, nequaquam similis, imo contraria est bestiis illis, utpote pertinens ad ministerium quo ministratur Antiquo dierum, et Filio hominis, cui ille tradidit potestatem, et regnum suum, qui judicavit de bestiis illis, et sublata potestate corpora eorum igni tradidit. Non bene

B contraria contrariis assimilare voluisti. Pulchrius atque amabilius diceres quia quemadmodum luna, postquam ad plenum creverit, absque mora decrescere incipit, ac pene deficit, sed cum defecisse putatur, rursus exoritur et crescit, vel sicut arcturus semper quidem versatur, sed nunquam occidit sive mergitur, sic et sancta Ecclesia, maximeque spiritualis ordo, quem ordinavit Spiritus sanctus, interdum quidem deficit alicubi, sed iterum proficit, et variis consuetudinibus secundum mores hominum sive gentium fere semper versatur, sed nunquam dissipabitur aut destruetur. Non te audiet super hoc Ecclesia Dei, quatenus licitum esse judicet, ut qui monachus erat, clericus fiat, alio modo, nisi isto, ut sacros altaris ordines suscipiat, sicut jam supra dictum est.

C Si de austeritate conversationis, quam noviter assumpsisti, auctoritatem assumere vis, idem facere potest adversus clericum laicus, si abstinentior esse voluerit. Sed scriptum est : *Melior est iniquitas viri quam bene faciens mulier* (*Eccli*. XLII). Mulieri namque, id est arroganti, nonnunquam ex intentione venit occasio bene faciendi, et idipsum benefactum fit ei materia superbiendi ; viro autem, id est obedienti, qui propositæ sibi regulæ obedit, interdum ex securitate per tentationem aliquid iniquum subrepit, et ipsa iniquitas sive infirmitas fit illi occasio virtutis. Sicut Apostolo ipse Dominus : *Nam virtus*, ait, *in infirmitate perficitur* (*II Cor*. XII). Ante annos aliquot sermo mihi erat cum domino Joanne Fernensi episcopo, religioso ac venerabili viro, de

D quodam monacho, qui clericus fuerat ex Regula beati Augustini. Dicebam quia licuit semperque licebit de clerico monachum fieri, cum auctoritate canonum, et Regulæ beati Benedicti, suffragante omnimoda ratione, quam exponere multis verbis tunc vacavit et libuit. Nondum nobis auditum fuerat, sed nec usum eatenus erat, ut illius professionis clerici a carnium comestione jugiter abstinerent, sed et in aliis plerisque rebus, laxiorem, quam nunc, habebant consuetudinem. Mentionem ergo feci arcæ Noe, in qua, ut Scriptura testatur, mensuras diligenter exprimens, quisque status quo angustior, eo et altior, et econtra, quo latior, eo erat et inferior

(*Gen.* vi). In hunc modum ordinatam esse dixi domum Dei, quæ est Ecclesia, professionesque clericorum et monachorum sic recte discerni, ut quæque prout est arctior, sit et altior, et econtra prout est laxior, et sit inferior. Erat autem jam dictus episcopus illius professionis atque Regulæ et tunc, et antequam episcopus fieret, unde et rationibus, quas opponebam, difficilius ab eo concessum est. Quorsum istud? Videlicet ad insinuandam sanctæ contentionis causam, qua nunc professionis ejusdem nonnulli tirones versa vice gloriantur, se arcæ jam dictæ superiorem obtinere locum, quia jam non solum esum carnium, verum etiam adipis usum sponte projecerunt. Verum istud neque illis adauget, neque istis minuit altitudinem meriti Ecclesiæ, namque Dominus claves regni cœlorum beato Petro tradidit. Ecclesia autem tantum potestatem habens generali synodo monachis (quoniam olei copiam non haberent), non carnes, sed carnibus cognatum indulsit adipem. *Qui infirmus est*, ait Apostolus, *solus manducet* (*Rom.* xiv). Conceditur namque illi natalitium quoque carnibus abstinere, si velit, si hujus infirmitatis est, ut putet escam et potum esse regnum Dei (*ibid.*). Tu quantumvis abstinentior monacho sis, non eris Badoch sive Abiathar, aut certe

A supra dictus Joiada sacerdos, idem quod Elias sacerdos; et anachorita, sicut Elysæus quantumvis abundantiorem spiritum habens, quam Elias, non erit idem quod Elias. Unusquisque in suo ordine beatus est; Elisæus obtinuit quod petivit. *Oro*, inquit, *domine, ut fiat spiritus tuus duplex in me* (*IV Reg.* ii); duplicia namque signa, quam Elias, operatus est. Sed divisiones gratiarum sunt, neque in omnibus superat alium, qui in una gratia copiosior est, ut fuit Elysæus in ista, id est operatione virtutum. Similiter qui simpliciter monachus est, potest in aliqua gratia præire illum, qui et monachus et sacerdos est; et qui simpliciter sacerdos, illum qui et sacerdos et monachus est; non tamen æquabitur illi, qui ordinis utriusque gratia præpollet.
B Quis tandem finis? Invitus namque in ista disceptationis valle tandiu teneor, ad pacifica, sedentis in monte, Domini verba, quæ prius audire cœperam, redire festino. Si te, o quisquis es, iste meus sermo læsit, tanquam *ferrum manubrio elapsum*, dum ligna cedimus forte incauti, ad unam de civitatibus fugitivorum me confugisse æstimato, et desine persequi (*Deut.* xix). FINIS.

Mysterium baculi abbatis:

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

ALTERCATIO MONACHI ET CLERICI,

QUOD LICEAT MONACHO PRÆDICARE

EDITA A DOMINO RUPERTO ABBATE TUTIENSI.

—

320 Monachus. Inique agis, resistens mihi in faciem et opprimens os meum, ut non audeam aperire os in medio Ecclesiæ, et verbum Dei annuntiare. Dic tandem, qua te auctoritate posse putas os meum oppilare?

Clericus. Dicam, et me non inique agere æquitatis ratione convincam. Primo, quia, dum profitearis monachum, confiteris te esse mortuum. Monachus enim non est, qui non est sæculo mortuus; mortuus autem quomodo est, cujus vox foris auditur? Igitur monachus non est, qui sæculo vivere, ex ipso prædicationis suæ clamore comprobatur.

Monachus. Fortiter et argute, ut tibi videtur, percussisti me. Sed jam nunc hoc ipsum telum, quod in me jecisti, retorqueo in te. Dico enim: Mortuus es et tu. Siquidem tam tibi quam mihi dicit Apostolus: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* iii). An putas, quod solis hoc monachis dicatur? Nunquid omnes Colossenses, et alii quibus scribebatur, erant monachi? Aut nunquid de mortificatione professionis monachicæ hoc dicit, et non potius de mortificatione baptismi? Dicit enim in Epistola ad Romanos: *Quicunque ba-*
C *ptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum ipso per baptismum in morte* (*Rom.* vi), etc. Aut ergo tu quoque sic mortuus, tace de verbo vitæ, aut sine me tecum mortuum cum mortuo, eos qui adhuc sæculo vivunt mortificare.

Clericus. Non faciam. Nunquam hoc tibi licere concedam. Sacri canones vetant, authentici scriptores negant. Nam Pius papa decernit ut *Monachus prædicare non audeat quantæcunque scientiæ sit.* Et Hieronymus dicit quia *monachus non habet docentis officium, sed lugentis.*

Monachus. Clerice, aperto ore, sed clausis oculis Scripturam legis. Si enim ita, ut tu sentis, hæc accipiantur dicta Hieronymi, consequitur Hieronymum
D ipsum, sibi nimis contrarium, ipsum Pium adversus suam sententiam jacis, *ut monachus prædicare non audeat cujuscunque scientiæ sit*, cum beatum Gregorium monachico habitu præfulgentem, et alios quamplurimos hujus ordinis viros apostolica sedes admisit ad officium apostolici fastigii, quod et usque hodie facere non desinit. Et Hieronymus, qui ait: *Monachus non habet docentis officium, sed lugentis,*

monachus est, dum hoc ipsum docendi officio dicit, et dum tota vita non solum docendo, sed etiam mansuram doctrinam scribendo, inter summos doctores meretur computari. Hieronymum, cujus patronam habes sententiam, monachum fuisse nesciebas ? Non ergo mirer, quod tu adversus monachos tam inepte blateras, dum adeo sacrarum litterarum inexpertus sis, ut Hieronymum et Gregorium, cæteraque cœlestis palatii sidera monachos fuisse audiens attonitus stupeas.

Clericus. Quomodo ergo non sibi contrarius est quis eorum, dum facit ipse, quod alienum esse ait ab officio monachorum ? Dic, tu, quomodo ergo Scripturam clausis oculis lego, quid aliud in tam manifestis sententiis invenisti, unde sensum meum corrigere possis, dummodo, præsumptione tua, Scripturæ vim non facias.

Monachus. Faciam, si mihi prius paulutum ad interrogata respondeas.

Clericus. Interrogata ut libet.

Monachus. Tu qui clericorum propugnator, monachorum tam vehemens expugnator es, qui gloriaris in clericatu, et cum hac professione super monachum suffultus et elatus, scisne hoc ipsum, cur dicaris clericus, et quid sit clericatus ?

Clericus. Anne hujus nominis quod est clericus, etymologiam requiris ?

Monachus. Illam quidem est facile exponere. Dicitur enim clericus, sorte electus. Amplius volo. Rem ipsam a te quæro, quæ significatur hoc nomine, quod est clericatus. Quid hæres ? Vel dic, vel minor, audi.

Clericus. Audio.

Monachus. Clericatus, non scientia litterarum **321** non tonsura vel habitus tuus, sed altaris est officium. Et hoc idcirco tali censetur nomine, quia, cum in veteri lege tribubus Israel sorte divideret, Dominus *terram in funiculo distributionis* (*Psal.* LXXVII), tribus Levi, quæ in sanctuario ministrare debebat, sortem non aliam quam ipsum Dominum, id est altare Domini, accepit, videlicet ut altario serviens, de altario viveret. Igitur clerici sunt quicunque altario serviunt, nec aliud clericatus significat quam altaris officium.

Clericus. Accipio.

Monachus. Itaque concedere oportet, quod non ob aliud clericus dicaris vel sis, nisi quia fungeris ordinibus altaris.

Clericus. Concedo.

Monachus. Ast ego quoque eisdem ordinibus fungor. Nempe et cum auctoritate Regulæ meæ functus sum sacerdotio. Et fortassis dum adhuc Evangelium lectitas tantum, ego jam missas celebro.

Clericus. Negare nequeo.

Monachus. Igitur et ego clericus sum.

Clericus. Echo. Non (*forte* Ergo non) tu monachus es.

Monachus. Nihilominus. Tibi vero hæc opposita videntur, scilicet monachatus et clericatus, simulque esse non posse, somniat tuus, monachos non

A æque aspiciens, oculus. At illa quidem diversa sunt, unde et singula sine alterutro esse possunt, ut in te vel in illo clericatus sine monachatu est; itemque in laico quodlibet converso monachatus absque clericatu. Cui partem te esse non nego cum auctoritate canonum, qui monacho nullos gradus habenti, si in crimine lapsus fuerit, eumdem pœnitentiæ modum præscribunt, quem et clerico, qui est levitici ordinis. Mihi autem qui cum splendore monachici ordinis, honore quoque sacerdotalis ac levitici fungor ordinis, nullatenus æqualem te videri patior. Nam sicut verissime ait quidam : « Maria virgo, et Joannes virgo. Sed major proportio in Maria, quia Joannes tantummodo virgo. Maria autem et mater et virgo : » sic nimirum major proportio in me quam in

B te. Nam tu clericus tantum, ego et monachus et clericus sum. Diversa, inquam, ut dicere cœperam hæc sunt, sed non contraria ; quippe quæ simul in eodem sunt. Jam nunc tenes quid confectum sit, scilicet me, qui monachus sum, etiam esse clericum, videlicet quia sacri altaris ordinibus functus sum.

Clericus. Negare nequeo.

Monachus. Tu autem ex eo quod clericus es, auctoritatem prædicandi tibi ascribis.

Clericus. Et hoc ita est.

Monachus. Mihi ergo hoc ipsum prædicandi jus detrahere non potes absque injuria.

Clericus. Vellem, quidem, sed quia conclusus sum, nisi vinculum conclusionis hujus rupero, quidquam efficere non potero.

C Monachus. Nunc interim propositum peragendum est.

Clericus. Quod propositum.

Monachus. Videlicet illud propter quod ista confecta sunt.

Clericus. Quid illud est ?

Monachus. Scilicet ut appareat, quomodo Hieronymus doctor cum sit monachus non sibi sit contrarius dicendo, quod monachus non docentis habeat officium; sed plangentis, etc.

Clericus. Age, argumentare ut libet.

Monachus. Primo sciendum, quia hæc adversus Vigilantii blasphemias dicta sunt, in defensionem eorum, qui relinquentes sæculum et omnia sua dantes pauperibus vitam solitariam amplectebantur. De

D quibus paulo superius ait : « Nec a suo studio monachi deterrendi sunt a te linguis vipereis et morsibus sævissimis, quibus argumentaris et dicis : Si omnes se recluserint et fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias, quis sæculares homines lucrifaciet ? » Et paulo post : *Monachus non doctoris habet officium, sed plangentis.* Et hæc quidem dicta sunt de vita monachorum tantum. Cæterum ad Nepotianum scribit * de vita monachorum et clericorum, id est eorum qui monachi pariter et clerici sunt.

Clericus. Hem, tu hunc titulum sensu tuo perverse exponis.

Monachus. Quinam perversus ego ?

CLERICUS. Non sic accipi debet.

MONACHUS. Quomodo ergo? An putas quod scribere proponit hinc regulam monachorum, hinc regulam clericorum? Lege sequentia non dormitantibus oculis, et ita invenies ut dixi. Nam et Nepotianus, ad quem vel propter quem scribit, unus idemque monachus pariter et clericus est. Ait enim illi post aliqua. « Scio quidem ab avunculo tuo beato Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, et didicisse quæ sancta sunt, et quotidie discere, normamque vitæ ejus, exemplum habere virtutum. Sed et nostra qualiacunque suscipe, et libellum hunc, libello illius copulato, ut, cum ille monachum te erudierit, hic clericum doceat esse perfectum. » Ita incipiens instituit eos in hoc uno Nepotiano, qualiter se habeant hi qui utriusque ordinis, id est clericalis et monachici sunt. Verbi gratia, cum sicut in sequentibus ait propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo. Idcirco epistola illa sic intitulatur De vita clericorum vel monachorum, quorum ut ipse in eadem ait, *et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio.* Ad eum autem, qui solummodo monachus est, et hoc ipsum perdit, illius epistola dicta sunt quam ad Heliodorum scripsit.

CLERICUS. Unde ita colligis?

MONACHUS. Ex ipsius epistolæ verbis. Nam cum illum argueret eo quod propter affectus parentum, et propter exspectationem hæreditatis in turba esset, et diceret ei: *Quid facis in turba, qui solus es,* post aliqua subjungens, *si te,* inquit, *ad clericatus ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.* Siquidem quod ibidem ait: *Mihi ante presbyterum sedere non licet* etenim non in sua persona loquitur, cum et ipse sit presbyter, sed in persona ipsius cui scribit, qui, cum solum sit monachus, nondum pervenire meruit ad illum ordinem clericorum, quo, ut ibidem ait, *apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt.* Itemque epistola illa ad Paulinum indicat ipsum Paulinum solummodo esse monachum, et ideo non habere quid faciat in urbibus. Ait enim

A illi: « Si officium vis habere presbyteri, si episcopatus te vel opus vel honor forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem lucrum fac animæ tuæ. » Itaque non sibi contrarius Hieronymus, quia non solum tibi, sed et omnibus docendi auctoritatem tribuit, quorum et « sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio. » Neque contra suam sententiam agit sedes apostolica in eo quod et monachos prædicare vetans, monachos tamen admittit ad officium apostolici fastigii. Cum dilatas os ad loquendum, prius, quæso, aperi oculos ad legendum.

CLERICUS. Iracunde loqueris?

MONACHUS. Imo zelo zelatus sum pro domo Domini. Tu potius, quia victus es, iratus es, et quia deficis sententiis, ad injurias prorumpis. Sed, quæso te,
B paulisper sustine. Adhuc unum est, quod te non patior ignorare.

CLERICUS. Quid illud est?

MONACHUS. Cur apostolicæ sedis auctoritas, vel prædicta Hieronymi sententia, monachos illos qui absque clericatu sunt ab officio prædicationis arceat?

CLERICUS. Age, quantum vis loquere, quoniam cœpisti mira et inopinata proferre.

MONACHUS. Mira plane et magna. Cui tamen hæc mira vel magna videntur, magnus vel mirandus non est, quia parum in Scripturis se profecisse sibi testis est.

CLERICUS. Dic tandem quidquid illud **322** est.

MONACHUS. Apostolus loquens de prædicatoribus; « Quomodo, » inquit, « prædicabunt, nisi mittantur? »
C (*Rom.* VI.) Videlicet non a seipso debet prædicator officium prædicandi præsumere. Sed, ut ait Christus, « sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Joan.* XX). Pater Christum, Christus apostolos, apostoli archiepiscopos, archiepiscopi episcopos, episcopi presbyteros mittunt, videlicet quando ordinant eos. Ab hac autem missione tunc monachus immunis est, quando sacris ordinibus adhuc functus non est. Quomodo ergo prædicabit?

DE EODEM EPISTOLA AD EVERARDUM

ABBATEM BRUNWILLARENSEM (51).

EVERARDO, Dei gratia venerabili ac religioso Brunwillarensis cœnobii abbati, frater RUPERTUS salutem et omne gaudium in consolatione Spiritus sancti.

Verus et longa querela, reverende Pater, quorumdam est clericorum ista, quam dicitis, scilicet cur monachus, cum sit sæculo mortuus, audeat usque officium subire prædicandi, baptizandi, communio-

(51) Septimus abbas monasterii Brunwillarensis, Everardus appellatus, vir admodum timoratæ conscientiæ existens, cum plures haberet ecclesias regendas, conscientiæ stimulo ductus ex eo quod etymologia monachi sonat idem quod *singularis* sive *solitarius*, timuit fratres suos ecclesiis præficere: unde et consuluit super hac re eruditum ac famatum virum venerabilem domnum Rupertum monasterii Tuitiensis abbatem, qui tale ei in chartula rem sit responsum. — *Ex Hist. ven. abb. monast. S. Nicolai in Brunwilre.*

nem dandi, pœnitentes absolvendi, et quædam interdum de scriptis venerabilium Patrum exempla vel decreta proferunt, quibus probent quod hæc monachus facere jure non possit. Exempli gratia: Beatus Hieronymus ait: *Monachum, non docentis habere officium, sed lugentis,* et cætera hujusmodi. Non opus est longum supra his trahere contentionis funiculum, quinimo concedimus eis qui hæc dicunt, non nisi clerico docendi vel prædicandi permissum esse officium. Verumtamen Hieronymus idem, cum sit monachus, non tantum loquendo, verum etiam scribendo, docentis exercet officium. Quærimus ergo ab illis, quomodo sibi contrarius non sit? Quod si dicere non potuerint: item quærimus ab illis quid clericatus sit? Si recte sentiunt, non aliud clericatum esse dicent quam altaris officium secundum interpretationem nominum. Cleros namque Græce, *ors* dicitur Latine: inde clericatus, id est *sortitio;* et clericus id est, *sortitus,* eo quod de sorte Domini sit, vel, quod altare Domini sit sors ejus. *Qui enim altari serviunt,* ait Apostolus, *de altario vivunt* (*I Cor.* IX). Hieronymus autem ejusdem sortis exstitit, sacerdos enim fuit. Ergo non tantum monachus, verum etiam clericus erat. Itaque non sibimet contrarius est, dum dicit monachum non docentis, sed lugentis habere officium, et tamen docet. Illud enim dicit de monacho, qui tantummodo monachus, et non etiam clericus vel sacerdos est. Nam monachus si clericus factus fuerit, docere illum oportet. Hinc idem Hieronymus ad Salvinam dicit: *Cur ad eam scribimus quam ignoramus? Nimirum, quia pro officio sacerdotii, omnes Christianos filiorum loco diligimus, et profectus eorum nostra est gloria.* Idem sentiendum de illo Pii papæ decreto, quo monachum, quantumcunque litteratus sit, prædicare prohibet; hoc namque de illo intendit, qui solummodo monachus est, et officium altaris non habet. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* Qui autem in clericum vel sacerdotem non est ordinatus, missus ad prædicandum non est. Idcirco monachus qui officium altaris non habet, prædicare non debet. Suam igitur dignitatem cum humilitate quisque nostrum adversus hujusmodi recognoscat, et dicat: Cur me non permittis in medio Ecclesiæ aperire os meum? Duplici proportione major quam tu ego sum. Etenim tu clericus tantum: ego autem et clericus et monachus sum. *Maria Virgo, et Joannes virgo: sed major proportio in Maria. Nam Joannes tantummodo virgo. Maria vero et virgo et mater est.* Si tu tantummodo clericus, ego autem et monachus et clericus sum. Sed dicis mihi quia mortuus sum sæculo. Responde, quæso. Tu autem vivis sæculo? Ergo mortuus es Deo. Perpende melius, quia Corinthii [al. Colossenses] non omnes erant monachi, quibus apostolus dicit: *Mortui enim estis* (*Col.* III). Sed mortui secundum dictum illud sunt omnes Christiani, qui in morte Christi Jesu sunt baptizati. Plura, venerabilis Pater, nunc de hac re loqui, negotium aliud nos prohibet, maxime quia de hac ipsa re olim proprium fecimus opusculum, quod nunc ad manus non habemus, ut vestræ charitati transmittere possimus. Valete in Domino Jesu omnium creaturarum factore.

QUÆSTIO

De læsione virginitatis, et an possit consecrari corrupta.

323 Domino Ruperto Tuitiensium abbati, omni morum et doctrinæ sapientia insigni, esuriens scientiam inter sexaginta veri Salomonis reginas in die jucunditatis et lætitiæ coronari; ad vos, o abbatum venerande, plus corde quam facie cognoscendus scribo, ac vobis plus oneri quam servitio ero; quod non ex temeritate vel arrogantia, sed ex charitatis vestræ prudentia et bonitate præsumo. N. N. me paternitatem vestram gravaturum arbitratus sum, si a vobis illa in charitate quærerem, quæ aliis ultro cum benevolentia erogatis. Videtur si quæ parvitas mea in Scripturis sacris ignorat, vestram adeo doctam sapientiam interrogare, cujus argumentum in magnis et jure laudandis operibus, ex parte cognovi. Precor ergo vos per Virginis Filium, ut nobis rescribere dignemini, si virginitatis amittat palmam, qui, vel quæ propriis aut alienis manibus, vel qualibet alia arte præter naturalem coitum sibi semen eliciuerit. Vel si in proposito virginitatis corrupta consecrari debeat vel possit.

Hæc sunt, venerande Pater, quæ mihi de animæ salute, et consilio a charitate vestra expediri cupio, in quo non solum mihi, sed et multis utriusque sexus, qui mecum ista efflagitant, proderitis, et si quæ sunt, quæ his rebus dubitationem generant, vestra diligentia subtiliter enodet, quæ et brevitatis gratia prætereunda putavi, et quia disertum interrogo qui hoc facilius quam ego advertere nostis. Peto etiam si dilectioni vestræ placet, ut apologeticos vestros, quos illustribus scripsistis viris, nobis mittere velitis, quoniam cum in Matthæo locus ille venisset: *Fiat voluntas tua, sicut* (*Matth.* VI), etc., invenimus calumniatoris vestri sententiam, quam tota libertate præceptor meus respuit, et in vestram pedibus ut dicitur ingressus est. Verum quanquam uterque nostrum libros eosdem vestros, dum adhue

essetis Leodii legissemus (nam illuc propter vos et opera vestra de Stabulans veneramus), tamen eorum sententiam non facile totam tenere potuimus; sed hoc memoriter habemus, subtili vos ratione et rationabili subtilitate vicisse, nullum in voluntate Dei A diversitatem vel duplicitatem accidere. Si hæc vobis quidem parva, mihi vero grandia meruero, animabitis me forsitan illa quærere de quibus dignum sit vestram excellentiam respondere, in quibus mea et mei similium tenuitas possit proficere. Valete.

R. D. D. RUPERTI.

ABBATIS TUITIENSIS

DE LÆSIONE VIRGINITATIS,

ET AN POSSIT CONSECRARI CORRUPTA

LIBER.

—

PROLOGUS OPUSCULI.

In quo quæstio brevis proposita de virginitate grano sinapis dicitur similis.

324 Cum tuas, dilectissime in Christo frater VV. litteras accepissem, statim interrogationi tuæ paravi responsum dare breve. At ubi verba fundere cœpi, scriptori per calamum excipienti plura sese obtulerunt dicenda, quæ pertinebant ad eumdem sensum, et afferre posse videbantur pro eadem re legentibus aliquem fructum. Cum ergo venientia susciperem calamoque committerem, repente prolixior quam proposueram, sermo effectus est, sed erat non velut membris suis distinctum corpus, imo quasi globus confusus, utpote nullus capitulis distinctus; fateor tibi tunc recordatus sum illius Dominici dicti parabolici: «Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus» (*Matth.* XIII). Hujus, inquam, dicti sive parabolæ recordatus sum, et non inaniter, quia videlicet interrogatio tua ad regnum cœlorum pertinet. Interrogasti enim de virginitatis palma, utrum alicui viro sive feminæ, propter aliquas sordes, propter aliquem contractum seminisque effusionem concidat, non peracto commistionis opere sive coitu, ut aperte dictum sit, ut ipsa postulat res. Nam ista verba tua sunt. Precor vos per Virginis Filium ut nobis rescribere dignemini, si virginitatis amittat palmam, qui vel quæ propriis aut alienis manibus, vel quolibet alio modo præter naturalem coitum sibi semen elicuerit. Causa ista profecto, ut jam dixi, ad regnum cœlorum pertinet, quia quæstio de sancta virginitate est: quæ præ cunctis meritorum gradibus regnum cœlorum possidet. Videbatur autem mihi res parva et plena pudoris, et idcirco, non pluris erat apud me quam granum sinapis. Segnius ergo atque negligentius respondere cœperam. Sed sicut granum sinapis, B «cum creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus,» ita de causa ista nunc dico: Quia si a veraciter sapiente tractetur, fiet «sermo fidelis et acceptione dignus» (*I Tim.* IV), qui non solum tibi, sed multis utriusque sexus, qui tecum ut perhibes, istud efflagitant, sit proficuus. Ego autem non ut tu putas sapiens sum, a quo ista tractari debeant, imo quod sapiens pro humilitate apud Salomonem dicit, ego pro re vere dicere possum: «Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum. Non didici prudentiam, et non novi scientiam sanctorum» (*Prov.* XXX). Verumtamen quoniam adjurasti me dicens: «Precor vos per Virginis Filium, ut nobis rescribere dignemini,» et idcirco reticere omnino ausus non sum, precor et ego eumdem Virginis Filium, C seu virginitatis florem, et eum qui super hunc florem requiescit, Domini Spiritum, ut veritatis mihi et in hoc et in cæteris suggerat sensum, sermonemque fidelem et cautum.

CAPUT PRIMUM.

Multa esse genera pollutionum præter naturalem coitum, quibus admissis, amittitur sine dubio palma virginitatis.

Cum multa sint genera pollutionum, quibus humana fragilitas contaminari vel sordidari potest, de omnibus præter naturalem coitum dubitare videris utrum qui vel quæ in illa inciderit palmam amittat virginitatis; dixisti enim si virginitatis amittat palmam qui vel quæ propriis manibus vel alienis, vel qualibet alia arte præter naturalem coitum sibi semen elicuerit. Sed, rogo te, nunquid illud oblitus es, D aut de illo quoque dubitas, quod Apostolus commemorat genere fornicationis dicendo: «Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit, erroris sui in

semetipsis recipientes » (*Rom.* I) Num, inquam, de isto A quoque genere fornicationis dubium tibi est, utrum per illud palma virginitatis amittatur? Imo non solum palma virginitatis amittitur, sed et ipsa naturæ humanæ dignitas destruitur, et mors æterna conquiritur. « Qui enim talia agunt, digni sunt morte, » ait idem Apostolus (*ibid.*). Et in lege loquitur ipse Dominus: « Qui dormierit cum masculo coitu femineo morte moriatur » (*Levit.* xx). Item est et aliud fornicationis genus, de quo ibidem judex et vindex idem Dominus: « Qui coierit, » inquit, « cum jumento, morte moriatur » (*Exod.* xxII). Et rursum: « Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento morte moriatur » (*Levit.* xvIII). Ex abundanti mihi videtur esse ista commemorare, nisi ita dixisses (aut qualibet alia arte præter naturalem coitum). Verumtamen arbitror te taliter interrogantem de illis tantum cogitasse, quos et quas « tentatio non apprehendit nisi humana » (*I Cor.* x), id est quibus ita interdum per appetitus suos molesta est natura, ut non tamen ad illa trahantur quæ sunt naturæ inconvenientia.

325 CAPUT II.

De eo quod ait Psalmista, « Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. » Quod si absque misericordia judicetur, possit etiam adulterium perpetrari solo concupiscentiæ visu.

De hujusmodi ad interrogationem tuam pro posse respondens, primum dico tibi cum Psalmista, quia « universæ viæ Domini misericordia et veritas » (*Psal.* xxIV). Si remota misericordia judicentur, quotus vel quota est, cui virginitatis palma remaneat in manibus? quis enim gloriabitur castum se habere cor? C Sed, sicut jam dictum est, non est tantum una via Domini, sed viæ ejus universæ misericordia simul et veritas. Hi quidem sunt, contra quos tantum per veritatem incedit, quia videlicet misericordia sunt indigni, de qualibus et Apostolus dicit: « Scimus enim quia judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt » (*Rom.* II). Item: « Judicium autem sine misericordia ei qui non fecit misericordiam » (*Jac.* II). Porro misericordiam Dei sine veritate nusquam contingit, sed semper sibi sociæ sunt ad salvationem hominum, sicut idem Psalmista dicit: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi » (*Psal.* LXXXIV). Statimque subjungit res easdem exprimens nominibus aliis: « Justitia et pax osculatæ sunt » (*ibid.*). Nam justitia D ipsa est veritas, et pax ipsa est misericordia. Et quoniam capitulum illud est de adventu Salvatoris, qui nobis in multitudine misericordiæ benedictus advenit, dicere libet quia hoc ipsum, quod idem « proprio Filio suo » Deus pater « non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum » (*Rom.* VIII), sic pro misericordia fecit ut in tanto opere misericordiæ non deesset veritas judicii. Denique ipsius gratia præveniente, antequam Deus suum pro hominibus traderet Filium proprium sive unigenitum. Scit Abraham, qui tentatus et obediens extendit manum suam, et apprehendit gladium ut immolaret filium. Sed occurrit Apostolus cum dicit: « Quis prior dedit illi et retribuetur ei? » (*Rom.* II.) Vere nullus, quia hoc ipsum, quod fecit pater Abraham prior offerens Filium suum Deo, fecit dante et inspirante Deo. De cæteris Dei beneficiis quæ nobis impendit, verbi gratia cum nobis peccata remittit, ita sentiendum est, quia misericordia non est absque societate veritatis, quia non remittit nisi pœnitenti. Sed jam propius ad ipsam rem veniendum est. Si de veritate quæritur sine justitia judicii quæ una est via Domini, profecto liquet quia quicunque vel quæcunque tactu proprio vel alieno semen elicuit, palmam virginitatis amisit, quamvis virginitatis ejusdem sigillum non amiserit. Hoc ita verum est, ut etiam adulterium sine corporali irruptione perpetrari possit. Ait enim ipse Dominus: « Ego autem dico: Quoniam omnis qui viderit mu- B lierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo » (*Matth.* v). Quis econtra recte dici neget. Omnis quæ viderit virum ad concupiscendum eum, jam fornicata est cum eo in corde suo? Hæc veritas manifesta est, et judicium justum esse liquet, quia de sensibus et de voluntatibus suis recte quisque judicatur, et ejus tenetur delicti reus, quod perpetrare vult. Secundum eamdem veritatem et illud dictum est: « Omnis qui odit fratrem suum homicida est » (*I Joan.* III). Itemque illud: « Omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio » (*Joan.* v). Non enim hoc dictum est de ira levi, qualis festucæ possit comparari, leviter turbans oculum mentis per motum calidi sanguinis, sed de ira trabali, qualis fuit ira Cain, quando « iratus est, et concidit vultus ejus » (*Gen.* IV), ita ut homicidium, imo fratricidium machinaretur. Sed ad causam propositam sermo recurrat, id est ad virginitatem, cujus ad excidium sola sufficit voluntas, contactu atque pollutione sive voluntaria seminis effusione manifestata, si, sicujam dictum est, secundum veritatem vel justitiam judicemus absque misericordia.

CAPUT III.

Quod si misericordia prævenimur, tandiu virginitas salva judicatur, quandiu corporis integritas retinetur et quod lex in isto suffragetur.

Porro si de misericordia quæritur, ipsa est, per quam virginitatis palma reservatur in hujusmodi lapsibus, qui, quamvis graves sint et turpes, non tamen eousque perveniunt, ut corporis integritas frangatur, id est, genitale secretum, ubi natura virginitatis sigillum posuit, violetur. Non ignoro, charissime frater, nonnullos esse vel fuisse severos judices, qui clausuram illam parvipendendam putarent, in illis corporibus quæ mentis pudicitiam non haberent. Verumtamen suffragatur eis sacræ legis auctoritas, quæ hujusmodi est: *Si duxerit vir uxorem et postea eam odio habuerit, quæsieritque occasiones quibus dimitta eam objiciens ei nomen pessimum et dixerit: uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem; tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt, et dicet pater: Filiam dedi huic uxorem, quam, quia odit imponit ei nomen*

pessimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem : et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ : Expandent vestimentum coram senioribus civitatis, apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel. Habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ (*Deut.* XXII). Pudicis sensibus obscura est littera hæc, quam pro testimonio competenti posui. Quis enim pudicus animus saltem cogitare patienter valeat qualiter ruptæ virginitatis cruenta in panno serventur vestigia ? Sed consoletur nos in isto quoque loco Dei Sapientia clamans de hujusmodi litteratura : *Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (*Eccli.* XXIV), ac deinceps : *Et qui dilucidant me vitam æternam habebunt* (*ibid.*). Hoc feci, prout Deo donante, potui in opusculis illis quæ tua benevolentia, magni pendens argumentum se habere testatur sapientiæ quem a Deo acceperim (quod utinam verum sit !). Qualiter capitulum istud elucidare tentaverim, quale mysterium spiritus, vel quam lucidum de obscura litteræ hujus spelunca evolverim invenies, ubi cætera quoque nonnulla tractavi ex libro Deuteronomii. Ad præsentem causam hoc tantum attinet, ut scias quia, quamvis apud severos judices clausura illa parvipendatur, nisi mentis pudicitia custodiatur, tamen quandiu sic est habitus corporis, ut accedente viro tali per vim coitus inde signa possint eliei, virgo est. Sic enim hic habes : *Ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ : apprehendentque senes urbis illius virum et verberabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel.*

326 CAPUT IV.

Quod virginitas, salva integritate aliquo tactu polluta, usque ad effusionem seminis esse possit puellæ de qua Dominus : « Non est, ait, *mortua, sed dormit. »*

At illa quæcunque ejusmodi est, cujus caro quamvis aliquatenus polluta non tamen rupta vel patefacta est, potuit femina videre virum ad concupiscendum eum, et vir feminam ad concuspiscendum eam, et idcirco virginitatis palmam perdidit, si, sicut jam dictum est, sine misericordia judicetur secundum veritatem Dei. Quod si, ut itidem jam dictum est, misericordia requiritur, novit et potest illa excusare tale periculum sive mortem virginitatis, et enuntiare contra derisores malignos spiritus, quod virginitas illic mortua non sit, secundum mysticum illud exemplum Evangelii : *Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem dicebat : Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum* (*Matth.* IX). Hoc utique de juvene illo qui efferebatur per portam civitatis mortuus ; hoc de Lazaro qui erat in sepulcro quatriduanus non dixit, quod non esset mortuus. Sed tantum de illa, quæ mortua jacebat in domo, dixit : *Non est mortua puella, sed dormit.* Sic ubi virginitas opere commistionis corrupta est, sic ubi ipsum commistionis opus in consuetudinem tractum est, nequaquam dicit justus judex Deus quia virginitas mortua non est, sed ibi tantum, ubi sola mente corrupta caro, adhuc integra perseverat. Si Jesus pro pœnitentia advocetur veraciter dicere potest : Non est mortua virginitas, licet utrumque sit sordidata. Aliud est vestem esse putridam, et præ putredine discissam, aliud aliqualibet macula fœdatam, tamen integram. Verum ista macula quantum damnum vel detrimentum importat ? utique nimis magnum, nisi, per magnum pœnitentiæ lamentum fuerit emundata. Quis enim nesciat vitam æternam, patriam sive regionem virorum, regnum cœlorum unum esse templum, sanctum templum, et sanctum sanctorum, quo nihil intromitti debeat coinquinatum. Proinde virginitas quocunque modo coinquinata, tamen carne integra maculas coinquinationis universæ per pœnitentiam mundare satagat, secumque habere lucida charitatis opera, memor Scripturæ dicentis : *Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccle.* IX).

CAPUT V.

Quod desideranti palmam virginitatis maxime humilitas necessaria sit.

Interea ne superno judicio virginitas non solum colaphizetur, verum etiam clausa cœlestium nuptiarum janua, tanquam fatua, foris inveniatur, sicut conscientiæ lampadem et sicut charitatis oleum, ita et illud quod summum est apprehendat humilitatis præsidium, in eo videlicet, ut ipsam quam nominasti quodammodo non respiciat palmam, sed solam de misericordia Dei suspiret veniam. Quod loquor ipse vix sentio, nec a quoquam sentiri posse arbitror, nisi ab illo, quem suo spiritus pietatis imbuit magisterio, subtilis disciplina est veræ humilitatis scientia. Idcirco ejusdem disciplinæ præceptorem sive exemplum Dominus noster Jesus Christus non alium profitetur esse, quam semetipsum : *Discite,* inquiens, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Statimque subjungit : *Et invenietis requiem animabus vestris* (*ibid.*). Idcirco, frater charissime, requiem non inveniunt multæ animæ, quia nondum didicerunt mites esse et humiles corde. Idcirco virginitas, in multis corporibus crebris turbinibus fatigata, periclitatur, quia non tulit super se sanctæ humilitatis dulce pondus. Aliquando etiam sicut feriunt summos fulgura montes, ita cœlesti judicio virginitas omnino proditur, consummato corruptionis effectu, pro eo quod apud se sublimis est, et despicit cæteros mortalis vitæ gradus, velut inferiores. Porro illa, sive ille quicunque, didicit mitis esse et humilis corde, invenit requiem animæ suæ, quia videlicet multæ sunt tentationes, quæ nec invenire possunt latentem apud se in profunda humilitatis convalle. Ibi requiescit populus gravis, in quo *laudabo te* (*Psal.* XXXIV), ait Christus ipse, qui hanc disciplinam tradidit, dicendo, *discite a me*, quia videlicet præter ipsum non fuit nec est, qui talem

scientiam potuerit vel possit hominem docere, ut sciat esse mitis et humilis corde. Vere qui hoc didicit, et si non omnino jam in vita ista requiem animæ suæ invenit, vivendo liber a tentationibus cunctis, multum tamen illi mitigatur labor ejusmodi. Unde beatificans illum Psalmista dicit: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis* (*Psal.* XCIII).

CAPUT VI.

De humilitate B. M. V. quod causa illi fuerit vovendæ virginitatis.

Domina nostra sancta Maria, mirabiliter eruditione ejusmodi fuit erudita; fuit enim præ cunctis mortalibus, imo præ omni creatura, tam angelica quam humana, mitis et humilis corde, ut ipsa testatur, magnificans Dominum, et exsultans in ipso, atque dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I), brevi quidem, sed valde sonora enuntiatione magnum significavit nobis thesaurum conscientiæ suæ. Revera si aures audiendi habemus, percipere utcunque possumus qualis illi causa fuerit, ut virginitatis votum voveret, cujus non habebat exemplum. Nam si dicat quis, quod idcirco virginitatem elegerit, quia nubere filiosque suscipere videbatur ei status vilis, et vita despicabilis; repugnat valde veritas professionis jam dictæ, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* De qua pluribus virginalis propositi personis dubium esse non debet, quod eis idcirco virginitas custodienda complacuerit, quod vilipenderent conjugale sacramentum, quod Deus conjunxit. Existimandum est in nonnullis tantum humilitatis esse, ut licet de ejusmodi dicat Apostolus: *Quibus dignus non erat mundus* (*Hebr.* XI), ipsi vel ipsæ econtra mundo sese indignos vel indignas arbitrentur. Licet enim sint ejusdem propositi, cujus et illi quibus dignus non erat mundus, tamen de sua persona miro modo quisque vel quæque concertat et judicat tacita conscientia, quod indignus vel indigna mundo habeatur. Quid aliud arbitremur de illa beatissima Virgine, quæ dixit et verum dixit, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*? Fateor, charissime frater mihi, et mecum nonnullis quos cognovi dilectionem et admirationem habere illius B. Virginis, hanc opinionem esse, quod nullum existimaverit in mundo esse corpus viri, cujus contubernio vel conjugio dignam se posset arbitrari. Ad summum illud constat, quia imcomparabilis et post humilitatem **327** Dei maxima fuit, et est illius ancillæ Domini humilitas, in qua requiescere potuit, et non extolli tam admirabilis virginitas. Hæc pro causa præsenti non frustra dixerim, quia videlicet expedit his qui vel quæ propositum susceperunt imitandæ ejus virginitatis, ut primitus imitari studeant exemplum ejusdem veræ humilitatis, si cupiunt hæreditare fructum ventris ejus, qui est ipse Deus, et Dei Filius, Verbum natum de corde Patris, Verbum incarnatum de utero tantæ Virginis. Neque enim aliter tam perfecte queunt evadere spurcitias carnis, per quas amittitur palma virginitatis, nisi sectando humilitatem, quam in illa Dominus respexit, et meditando fidem Verbi, quod in mentem et in uterum illius cor Dei Patris eructavit (*Psal.* XLIV).

CAPUT VII.

Quod ubi humilitas deest virginitati, exemplum incrat (sic) Dinæ quam vagantem corruptor oppressit.

Igitur palma virginitatis ex humilitate est, quæ omnia vincit. Fructus autem palmæ hujus verbum Patris est, unde nam dictum et adhuc dicendum. Quod utinam prodesse possit legere volenti ad evitandas contagiones, super quibus me sciscitatus es in schola verbi. Cujus virgo fidelis, et prudens semper studere debet, quia videlicet sine verbo Dei vana est, et frustra nominatur virginitas, sicut frustra habet pulchras claudus tibias. Animus quippe otiosi semper in desideriis est (*Prov.* XXI) Eumque foras tendit, non se ferens quietam sedere secus pedes Domini, in auditorio verbi Dei, quomodo durabit, quomodo vivet aut salva erit, et incolumis virginitas ejusmodi? Datur quippe occasio insidioso tentatori, quem effugere sua virtute non poterit virginitas viduata verbo Dei, secundum similitudinem Dinæ filiæ Jacob, quæ exivit videre filias regionis, et a corruptore Sichem, filio Emor, per vim oppressa est. Sichem *humerosus*, Emor *asinus*, Dina *causa* interpretatur. Ergo superbus aliquis stultitiæ filius ipse est Sichem Emor filius, et quæcunque anima propter vagationem suam sibimet corruptionis causa est, ipsa est Dina. Si enim intus sedisset, ubi Virginem et exemplum virginum beatam Mariam angelus invenit, non corrumperetur malis superborum, et stultorum exemplis. Itaque ut lutum platearum, et sordes asinorum, quales per nomen Emor intelligimus, non incurrat virginitas, intus sedeat, et ut sterilis et vana non sit Aliquid de fructu virginei ventris beatæ Mariæ regendo vel audiendo percipiat.

CAPUT VIII.

De cantico epithalamii, et quod Verbum bonum, quod cor Patris eructavit, propria sanctæ virginitatis hæreditas.

Nosti, frater, quoties propter personam aliquam, quæ spurcitias carnis impolluto calle transivit, celebratur in Ecclesia sancta virginitas, quanta cum dignitate, quanta cum venustate, tinnulis modulantium vocibus varie concrepat pulcherrimum illud canticum epithalamii, congratulando sanctæ virginitati, et flori ejus Christo Filio Dei. Ibi non deest persona Patris, quæ ut animos virginum adhuc in carne viventium ad amorem virginalis propositi sui magis ac magis crescente desiderio confirmet, narrat in sancta virginitate quam bene operatus sit, et quam mirabiliter: dicit enim: *Eructavit cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea regi, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV). Cum hæc cecinerit aliquis choraula parvus sive magnus, aut certe simul omnis chorus in persona Dei Patris, repente concrepat alius præcentor aliquis vel solus vel subsequentibus aliis dicendo tam eidem regi, quam ipsi, cujus ipse filius est, virginitati: *Diffusa est gratia*

in labiis tuis (*Psal.* XLIV), etc., utquid hoc, nisi ut accendatur anima virginalis magis ac magis cœlesti desiderio flagrans ad tenendum propositum suum? denique hoc palam est vel ex eo quod repente aliquos intonat cursus ex persona Patris, quodammodo inclinantis sead aurem animæ fidelis, quam numru suam permanere velit, et consulentis paterneatque dicentis : *Audi, filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet et rex decorem tuum* (*ibid.*), etc. Hæc omnia talis cantici dicta tam splendidu, dum in commemoratione ponuntur cujuslibet personæ quæ in proposito virginali verbo Dei adhæsit, per quod et sæculum vicit. Sine dubio hoc agitur, hoc intenditur, ut audiens virginitas, quæ adhuc in carne vivit ejusdem Verbi, quod B. Maria totum concepit, et peperit, mereatur particeps fieri, et aliquid ex eo percipere per quod tuta sit. Hoc tale est ac si de hæreditate vel possessione propria commoneatur quis, ut non eam negligat quæ sibi jure competit. Nam revera verbum Domini propria sanctæ virginitatis est hæreditas, et illam animam decet hoc bonum, ut maxime tractet, et clarius agnoscat verbum Domini, in qua floret gratia virginalis. Hujus rei notissimum est judicium, claritas Joannis evangelistæ, et apostoli dilecti Domini, qui in toto textu sermonis sui satis demonstrat, quam apertis oculis, ut aquila, solis æterni radios intuitus sit.

CAPUT IX.

Quomodo non solus Joannes, sed et veteres sancti, ad quos factum est verbum Domini, recte virgines dicantur, et sint.

Quod si quis abjiciat sanctos antiquos conscriptores veteris Instrumenti, Moysen et David non fuisse corpore virgines, cæteros quoque patriarchas atque prophetas, ad quos sine dubio verbum Domini factum est, quorum omnis Scriptura canonica est, quia non ab homine didicerunt, sed Spiritus sanctus per eos locutus est; hoc certe aliud est. Illi namque omnes revera virgines secundum tempus illud exstiterunt, id est taliter virgines, qualiter eos esse debere poscebat Dei verbum. Diligenter hoc et subtibili discretione animadvertendum est, quia Verbum Dei rationabiliter cum hominibus egit, ut non antequam ipsum caro fieret, virginitatem carnis a quoquam exquireret, seque maxime dignam carnis integritatem indicaret. Ubi ad incarnationem venit, suaque incarnatione sexum utcunque honorificavit vir ipse nascens de muliere, tunc demum judicavit Spiritus sanctus, multorumque inspiravit mentibus dignum esse ut filii vel filiæ talis sponsi cum virginitate mentis, virginitatem quoque custodirent corporis. Antea totum hoc exigebat ipsum verbum Domini, ut ministri sui virgines essent virginitate mentis. Et ita revera virgines fuerunt omnes, qui sanctam Scripturam canonicam conscripserunt, quia *cum mulieribus non sunt coinquinati* (*Apoc.* XIV), id est, cum idolis sive cum sculptilibus vicinarum gentium, ad quæ filii Israel maxime per mulierum concupiscentiam persæpe sunt prolapsi. **328** Cum hoc de omnibus certum sit, de solo Salomone dubitatio superest, cujus anima per mulieres devirginata est, ita ut a Domino Deo fornicaretur et idolis serviret. Scripsit ille excellenter multa et magna sacramenta Domini verbi, sed incertum est utrum ante, an post jam dictam devirginationem animæ suæ scripserit. Volunt nonnulli, quod post lapsum subsequente pœnitentia, cuncta, id est tria volumina sua scripserit, sed hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem canonicis, eamdem facilitate contemnitur qua probatur. Nam licet in Ecclesiaste dixerit : *Novissime conversus egi pœnitentiam*, ut testatur B. Hieronymus in commentario super Ezechielem, non tamen necessario consequitur, quod jam dictos post pœnitentiam libros scripserit. Sed nec ipsa littera, *novissime conversus egi pœnitentiam*, in ejusdem B. Hieronymi Translatione reperitur. Unde datur intelligi, quod commentarium illud in Ezechielem prius dictaverit, quam transferret libros ejusdem Salomonis. Igitur de solo, ut jam dictum est, Salomone dubium est, utrum virginem adhuc habens animam verbi Domini scribendo minister factus fuerit : Nam de cæteris omnibus certum esse debet quod animæ ipsorum nunquam a Deo vero fornicatæ sunt, ut Deum sequerentur alienum, et hoc modo virgines permanserunt, quod vere magnum fuit inter tot fornicationes illorum temporum, inter tot abominationes et idololatrias non solum gentium exterarum, verum etiam (quod periculosius erat) carnalium Israelitarum. Hæc de veteris sanctæ Scripturæ auctoritatibus dicta sint.

CAPUT X.

De conscriptoribus Novi Testamenti, quomodo omnes virgines sint, et de Petro apostolo qui prius in conjugio fuit.

De his qui Novum Testamentum conscripserunt, illud constat, quia mente quidem omnes virgines permanserunt, sicut et illi antiquiores, carne autem aliqui virgines, omnes autem omnino continentes post acceptam Verbi de Virgine incarnati notitiam perstiterunt. Mente, inquam, virgines permanserunt, quia nullius unquam hæresis vitium in semetipsis passi sunt. Carne autem aliqui virgines; aliqui, ut jam dictum est, omnino continentes, quia, et qui conjuges jam noverant omnino reliquerunt, et qui non noverant, conjuges deinde non quæsierunt. Cumque per omnium illorum ora Spiritus sanctus lucida et alta locutus sit verbi Dei testimonia, manifestum est, quia lucidiora, et altiora sunt ea, quæ per illos locutus est, qui mente, et carne virgines permanserunt, quorum supra memoratus Joannes notissimus est. Paulus quoque vas electionis de semetipso prope facit intelligi, quod virginea carne incesserit, quia cum de virginibus consilium daret, inter cætera quæ pertinentia dixit ad istud consilium : vellem autem, inquit, omnes homines esse sicut meipsum (*I Cor.* VII) Grandi scrupulo forte aliquis tacitus permovetur, dum tanta de virginitate

carnis prædicantur, maxime pro beato apostolorum A principe Petro, quem tamen conjugatum constat, antequam vocaretur ad Dominum nostrum secutus esset. Quid enim? numquid corona ejus minor est quam alicujus apostolorum, cum ipse sit princeps? numquid palmam minus illustrem possidet? Non arbitror posse patienter ferre pias et religiosas aures, quod propter illud conjugium minus coronatus sit in cœlo, quam virgo Joannes, quia vere nec ita est. Nequaquam tali lege constringitur gratia Dei, ut virginalem animam maxime in tali persona æque coronare non potuerit, ut virginitatem carnis, et animæ in Joanne coronavit.

CAPUT XI.

Item de eisdem, et de eo quod ante nos dictum est B *virginem post ruinam non posse coronari.*

Sed hic jam occurrit illud, quod beatus et illustris vir Hieronymus sanctam virginem ad cautelam instruens inter cætera sic loquitur. *Audenter loquar: cum omnia possit Deus, Virginem non potest coronare post ruinam, vult quidem liberare de pœna, sed non valet coronare corruptam.* Si pro hoc quisquam promovetur, sciat hoc dictum esse vel dici potuisse non de virginibus legitimi conjugii copulam sive honorabile connubium thorumque ineuntibus, immaculatum, ut ait Apostolus, sed de virginibus per illicitum desiderium in fornicationem ruentibus. Tales namque recte ruisse dicuntur.

Idcirco caute discernendum est qualiter dixerit. Non dixit, non potest Deus virginem suscitare vel C coronare post legitimi conjugii copulam, sed dixit, *virginem non potest suscitare post ruinam, non valet coronare corruptam*. Quis sapiens de illa, quæ legitime nupta est vel fuit, dicat quod ruinam passa vel quod corrupta sit, præsertim cum nullum iniquæ virginitatis votum vovit, propter quod possit tanquam rea prævaricationis argui? Ibi ruina, ibi corruptio recte prædicatur, ubi fornicationis crimen convincitur. Nam revera de legitime nuptis, sicut recte dictum est: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX), ita nihilominus recte dicendum est, quos conjunxit Deus vel Dei lex, eorum neque ruina neque corruptio, sed *honorabile connubium, et thorus immaculatus est* (*Hebr.* XIII). Itaque illud quod ait prædictus, *virginem non potest suscitare Deus post ruinam, non valet coronare corruptam*, D propter hoc constanter dictum esse vel dici posse perpendit, cui ratio statim in promptu est, ut dicat quia Deus injustus esse non potest. Quod liberat de pœna, misericordiæ est, quod non coronat corruptam, justitiæ est. Porro quin post conjugalem copulam sanctam coronet continentiam, nulla justitia repugnat, quia videlicet legitime conjugatos, nec divina nec humana lex ulla condemnat. Cum igitur in B. Joanne vel in cæteris quibuslibet virginitas coronata prædicatur, de B. Petro vel similibus nulla quemquam suspicio perturbet, quod eos similiter coronare non debuerit vel potuerit justus, et omnipotens Deus. Alioquin si virginitas nusquam non ubi est caro integra coronatur, frustra Apostolus non solis integris corporibus, sed omni Ecclesiæ loquens. *Æmulor enim vos, ait, Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI).

CAPUT XII.

Quod in virginitate sexus feminei plus et mirabilius divinitas operata sit.

Et quidem in utroque sexu speciosa et pretiosa est virginitas; verumtamen in femineo sexu speciosior atque pretiosior est. In illius namque hoc est feminei sexus virginitate omnipotentia divinitatis abundantius, **329** et mirabilius operata est, secundum supra memoratum epithalamii canticum, ubi sic persona Patris intonat: *Eructavit cor meum verbum bonum;* B *dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV). Libenter immoror, ut interrogationi tuæ nonnulla superrogare videar. Hanc habens intentionem ut nobilitatem suam sacra virginitas aliquantisper agnoscat, et palma super illa super quibus me interrogasti, machinam cujus gratiam non confundat. Cum ergo meditamur opus quod prælibatis significatur versiculis, primo sensu verbum bonum Dei Patris intelligimus Filium, et per linguam ejusdem sanctum agnoscimus Spiritum. Etenim ipse, super apostolos Christi apparens in linguis igneis, intelligere nos facit quod ipse sit lingua ista; de qua dicit persona Patris, *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Ipse et una lingua et plures linguæ, quia videlicet ipse et unus spiritus, et C septem spiritus Dei: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini. Magnum quidem et præclarum opus, quod Deus Pater per ejusmodi linguam suam, tanquam per calamum scribæ velociter scribentis verbum suum, verbum bonum mentibus apostolorum velociter indidit, ut qui fuerant hactenus homines sine litteris et idiotæ fierent repente sapientes et intelligentes, jurisconsulti, et fortes, scientes atque pii fundati in initio sapientiæ quod est timor Domini. Magnum quidem illud opus fuit in animabus virginalibus, sexus virilis, sed majus multo præclarius atque mirabilius fecit in anima virginali, et ventre virgineo sexus feminei quando in beatam Mariam Spiritus sanctus supervenit, et operatione D ejusdem Spiritus sanctus totam verbi boni substantiam, mirabilis Virgo mente et utero concepit.

CAPUT XIII.

De incarnatione Verbi Dei, qua feminei sexus virginitatem Deus honorificavit secundum supradictum canticum.

De opere illo mirabili gratuletur atque glorietur recte Pater laudabilis: *Eructavit*, inquiens, *cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV). Quod ita recte valet intelligi, secundum similitudinem alicujus boni et sapientis hominis qui dicere possit: Sapientiam meam occultam esse nolui, sed assumpta, et bene polita pelle ovis aut vituli, atque, adhibito calamo qualem habui sensum vel scientiam

tacito corde conservatum diligenter conscripsi, ut videre et legere possent alii quique dociles ac benevoli, quibus prodesse potest thesaurus desiderabilis qui requiescit in ore sapientis. Secundum, inquam, hanc similitudinem fecisse Deus Pater intelligitur ex præscripto capitulo psalmi. Nam ut est omnipotens, omnipotenter naturam humanam, id est corpus hominis et rationalem animam formavit in utero sanctissimæ Virginis et optime polivit, id est ita concipi fecit ut nihil hispidum aut pilosum haberet illa naturæ nostræ pellicula de vetustate peccati originalis. Tunc adhibita lingua sua, id est mirabili opifice spiritu suo tanquam calamo scribæ velociter scribentis, totum Verbum suum, verbum bonum sapientiam suam, sapientiam sibi coæternam illi creaturæ, id est rationali animæ, penitus inscripsit, tam velociter, tam plenarie tamque veraciter ut nihil sibi desit de omni thesauro illo, qui requiescebat et requiescit adhuc in corde ejusdem Patris sapientis. Nam licet illuc intromissum sit, nihilominus tamen remansit omne verbum et permanet in corde Patris multo certius atque constantius quam remanet in corde tuo versiculus tuus postquam illum ceræ vel membranæ inscripseris. Hæc inscriptio fuit illa dictio Dei, quam præmiserat, *dico*, inquiens, *opera mea regi*. Cui enim regi nisi assumpto homini? Hoc namque ibi naturæ nostræ factum est, ut nihil omnino sciat operari persona Dei Patris, quod non sciat homo ille assumptus, cui taliter opera sua dixit.

CAPUT XIV.

De eo quod dictum est: « Et qui in sordibus est sordescat adhuc. »

Hæc pro gloria sanctæ virginitatis in femineo sexu dixerim, ut cognoscat ille sexus quantum virginitatem ejus divinitas honorificavit in opere tam admirabili. Cognoscens autem uterque sexus nobilitatem hanc sui propositi, sordium ejusmodi, propter quas sermo inceptus est, ignobilitatem respuat, et timorem non contemnat, propter illud quod dictum est: *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Item: *Qui minima contemnit, paulatim decidet* (*Eccli.* XIX). Sive majores, sive minores admiserit sordes, contemptus omni animæ nimis perniciosus est. Sciendum quippe est aliud esse, cum quis per ignorantiam, aliud cum per infirmitatem, aliud cum per superbiam, id est cum contemptu, peccat. Si per ignorantiam peccat, et talis est ut, cognita rerum veritate, peccatum ipsum relinquat, cito ignorantiæ illius subvenit Deus, sive per visionem, sive per Scripturam, sicut habemus de Abimelech. *En*, inquit, *morieris propter mulierem quam tulisti; habet enim virum; et ait ille: Domine, num gentem ignorantem et justam interficies? Dixitque ad eum Deus. Et ego scio quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te ne peccares in me, et non dimisi te ut tangeres illam* (*Gen.* XX). Quod si per infirmitatem peccat, id est, ita ut dicere possit. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis* A *meæ, et captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Tunc Deus misericors dissimulat exspectans ad pœnitentiam, sicut habemus ex libro Sapientiæ: *Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam* (*Sap.* XI). Porro si cum superbia et contemptu peccat, merito de illo dicitur: *Qui in sordibus est sordescat adhuc*. Et in Psalmo: *Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* X), id est idcirco non corripiet eum in misericordia, quia multum iratus est. Et de talibus ab Apostolo dictum est: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*Rom.* I), id est dereliquit non liberavit eos a passionibus ignominiæ, a qui- B bus nos humiles suos, sive in ignorantia sive in infirmitate positos, ipse liberare dignatur.

330 CAPUT XV.

Utrum vel quomodo debeat vel possit consecrari quæ in sancto proposito corrupta est.

Aliam mihi quæstionem scripsisti: Si in proposito virginitatis corrupta consecrari debeat vel possit. De hoc tibi respondeo, quia manifestum est adulterium, dum corrumpitur illa quæ jam votum vovit, vel propositum suscepit, ut esset Christum sponsa; verumtamen in Jeremia legimus Dominum dicentem: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatori-* C *bus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Cum hoc Dominus dicat, non audeo dicere quod consecrari non debeat, vel possit quæ, modo præscripto a sponso suo, Christo, recessit. Differt tamen nonnihil ipse ordo consecrationis, quæ virginitatis sigillum custodivit, dum sacrum velamen suscipit nudato capite et revelata facie ad speculandam gloriam Domini assistit, signumque primæ fidei annulum accipit, et voce publica dicit: Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tanquam sponsam decoravit me corona, Item: Posuit signum in faciem meam ut nullum præter eum amatorem admittam. Ejusmodi insignia non aguntur illi quæ, postquam in sæculo conversata, virum cognovit, veniens ad conversionem, sacrum velamen accipit, sed operto capite et absque D annulo sacrum velamen superinduit gratiam sortita sæculi, id est vidualis ordinis. Quæ in sancto proposito corrupta est, non parum consequitur, si revertens ad virum suum Christum taliter suscipitur.

CAPUT XVI.

Item de eadem re, et qualis in virili etiam sexu de criminibus occultis discretio secundum canones.

Verumtamen si corruptionem ejus nemo scit præter eum, cui secretam et spontaneam forte confessionem obtulerit, fateor tibi, quia diffinire non audeo, quod integra consecratione consecrari non debeat, vel non possit. Nam virili sexui magnus est non solum veniæ, sed etiam gratiæ locus ex sancto-

rum decretis reservatus, ubi peccatum non taliter A admissum est, ut vulgus sciat et persona infamis habeatur. Exempli gratia, si adulterium perpetratum, publico diffamatum, vel in judicio testibus est convictum, non debet ejusmodi persona sacris ordinibus fungi, ne populo scandalum faciat, et sacrum ministerium contemptibiliter reddat. Si autem hoc nemo scit præter Deum, et præter eum, cui secreta et spontanea confessione manifestatur, cauta discretione, et misericorditer condonatum est, ut post pœnitentiam nihilominus secretam sacris mysteriis persona illa admoveatur, secundum exemplum David, qui pœnitentiam agens, non solum sperat veniam, sed et recuperandam præsumit propheticæ gratiam doctrinæ, quam habuerat dicens illud: *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* B (*Psal.* L). Hanc discretionem te legisse, vel legere posse sciens in Patrum decretis, et præcipue magni Leonis, tantummodo sensum breviter apposui, hoc intendens possibile videri, ut non impar misericordiæ, vel gratiæ quantitas veniat etiam super sexum infirmiorem, ubi in lapsu suo soli Deo cognita, nec habita infamis dicere potest: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*ibid.*): Diffinire tamen non audeo quidquam ne contrarius dicar beato Hieronymo, qui, ut supra memoravi, tam constanter ait virginem non posse suscitari post ruinam, vel coronari corruptam.

CAPUT XVII.

De illa quæ per vim corrupta est, qualiter eam defendat auctoritas sacræ legis.

Sed rursus et ratio sentit, et lex sacra decernit C puellam nihil debere pati, quæ corrupta est per vim. Sic enim scriptum est in libro Deuteronomii: *Si in agro repererit vir puellam quæ desponsata est et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est. Sola erat in agro, clamavit et nullus adfuit qui liberaret eam* (*Deut.* XXII). Virgo quoque fidelis in suo passione et Christi confessione dicit. Nunquam inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Nam si invitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Nam sic patitur violatorem castitas, sicut serpentem, sicut latronem, sicut barbarum. Igitur saltem de ejusmodi, id est de illa quæ vim passa est et corrupta, concedendum est quod coronari possit, et ideo liceat illam sicut incorruptam consecrari, licet beatus Hieronymus nullum exceptionem, vel determinationem fecerit de modo superiori, id est de lapsu secreto, qui nullam Ecclesiæ Dei scandalum fecit, et quo persona non est facta infamis, sapientes viderint. Mihi videtur inæqualitas esse misericordiæ, ut non ita inferiori femineo sexui sicut fortiori, id est virili condescendatur, modo videlicet ut clericus secreto lapsus ex concessione canonum etiam ad sacerdotium suscipiatur, et puella secreto lapsa ad consecrationem suo proposito usitatam non admittatur.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

ANNULUS

SIVE

DIALOGUS INTER CHRISTIANUM ET JUDÆUM.

331 PROLOGUS AUCTORIS

Sciebam ego jamdudum quod nunc dicis, Pater mi reverende, abbas venerabilis, sciebam et vulnerato corde sentiebam ita esse, ut tandem tu animadvertisti quia quæ scripsi (52) *vel quæ scribo non sunt sine spiritu Dei et omnia quæ objecta sunt per contrarium libris nostris ab hominibus malæ voluntatis, ex radice pullularunt amaritudinis. Unde autem hoc poteram scire, nisi ex glorioso testimonio conscientiæ? « Nam gloria nostra, inquit Apostolus, hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I). » *Cum igitur hoc scirem; nam etiam certis cum indiciis ad gloriam Dei hoc referre possem, ubi, quando et quomodo visitationem acceperim Spiritus, spirantis ubi vult et dividentis singulis prout vult, numquid cedere debebam eidem quam dicis invidiæ diaboli, amaritudini hominum malæ voluntatis? Nunquid dignum erat a laude vel ministerio divini verbi cessare et gratiolam desuper datam, intus consopitam silentio detinere? Utique etsi vellem, nequaquam*

(52) Vide apologiam pro Ruperto.

valerem. Ut interim nunc taceam de amicis hominibus bonæ voluntatis, qualium nunc mihi non minus, et tu, qui ad diu optatum me compellis opusculum, ut, inquam, taceam de hominibus, qui me dormire non sinunt, ipse Deus Dei verbum clausum sibi esse oris mei non patitur ostium, modis quibusdam super me jus exercens magis sterii sui, ut si vellem, de ipso tacere non possim. Infelicem me vel in hac parte profiteri non audeo, quia nonnullis experimentis aliquantipser didici quæ sit illa vis sub qua deficiunt felices et sancti. Qualium de maximis unus Jeremias cum præmisisset : « Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die et dixit : Non recordabor ejus neque loquar in nomine ejus (Jer. xx). » *Protinus ait : « Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans* (ibid.). » *Psalmista quoque secundum eumdem sensum cum dixisset : « Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me ; obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (Psal. xxxviii), » *protinus defectum suum insinuat his verbis : « Et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescet ignis* (ibid.) » *Statimque : « Locutus sum, ait, in lingua mea* (ibid.), » *subauditur, qui tacere decreveram. Nimirum sensum verborum experimento melius addidici quam lectione addiscere potuerim : et hinc est quod et ego nunc usque locutus sum, et loquar in lingua mea fronte hactenus, et dura facie quasi adamantina. Sed his omissis, quæ forte nimiam videntur spirare confidentiam, quamquam sit humilitate remissa utilior humilis confidentia, jam nunc in rem ingrediar, in opus quod tu jamdiu exspectas, jamdudum vehementer efflagitas. Constituenda est mihi, quoniam ita postulas, quædam Christiani contra Judæum monomachia, ita ut sub dialogo totum duellum procedat, Christiano ad fidem evangelicam invitante Judæum, Judæo quantumcumque potest ex littera legis et ex sensu suo repercutiente Christianum. Putas enim et forte non inaniter existimas, quod hæc disputatio, et si non necessaria est veteranis, saltem nostris poterit prodesse tirunculis, cum ex multitudine legis et prophetarum, sive omnium sanctarum Scripturarum, aliqua simul congesta hic invenerint, quibus velut armis communiti expugnare non dubitent sensum Judaicum extollentem se adversus scientiam Dei* (II Cor. x). *Hoc ego facere insistam, sicut vis, sicut instanter exigis, prout Deus dederit, et animo in aliis occupato possibile fuerit, et sicut omni ratione, quoad potero, fideliter armare Christianum, ita omni contradictione diligenter curabo subornare Judæum. Festivum fit pueris fidelibus hoc spectaculum ; nam non necesse est forte senibus, nec vacat aut delectabile interesse, aut animum intendere ad hujusmodi conflictum ; quippe quorum in mentibus bene fundatum est super petram et firmiter stat Christianæ fidei fundamentum.*

---

332 LIBER PRIMUS.

Christianus. Ego, baptizatus in nomine Patris et A Filii et Spiritus sancti, maculam peccati originalis, reatum inobedientiæ primi hominis in memetipso dilui ; et contra cibum ligni vetiti, quod idem primus homo comedit, corpus et sanguinem Christi de ligno crucis, Deo dante, suscepi, comedensque ac bibens gratiam et gloriam consequor adoptionis filiorum Dei.

Judæus Ego, circumcisus circumcisione quam Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob auctoritate sua tradidit, primogenitus sum filius, quemadmodum Deus ipse ad Pharaonem dicit : *Filius meus primogenitus Israel, dixi tibi : Dimitte filium meum ut serviat mihi : et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum* (Exod. iv).

Christ. Causam sive utilitatem ego novi et dicturus sum tibi, propter quam baptizari debuerim, vel necessario baptizatus sim ; tu prior causam, sive utilitatem dic, si nosti, propter quam circumcisus sis. Ego namque paratus sum demonstrare tibi quod vulnus circumcisionis hoc tempore efficere non potest ut filius sis. Recita nunc ipsam traditionem Dei, traditionem circumcisionis.

Jud. Ad Abraham patrem meum Deus dixit : *Et tu ergo custodies pactum meum et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur in vobis omne masculinum et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me et vos : Infans octo dierum circumcidetur in vobis ; omne masculinum in generationibus vestris tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra, eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo ; quia pactum meum irritum fecit* (Gen. xvii).

Christ. Traditionem istam jamdudum legi et relegi, veneratus sum et nunquam desinam venerari quia fuit traditio Dei. Debemus autem, ego pariter et tu, considerare intentionem ejus qui tradidit secundum dictum hoc, quia cum dixisset : *Et circumcidetis carnem præputii vestri :* subjunxit atque ait : *Ut signum fœderis inter me et vos.* Primum hoc ex te quæro quid sit fœdus et quid signum fœderis nuncupatur. Dic ergo quid sit fœdus ?

B Jud. Fœdus amicitiæ compositio est, animorum invicem diligentium conjunctio est.

Christ. Recte respondisti. Creator creaturæ Deus fœderatus est, Deus homini Abrahæ per amicitiam conjunctus est, et illius mutuæ confœderationis signum voluit esse circumcisionem carnis. Dic ergo quid, vel quale fœdus illud fuerit, cujus in signum Deus fœderatus homini amico circumcisionem dedit. Sic enim scriptum est : Sic Deus dilexit, ut circumcisio sit signum fœderis.

Jud. Quid, nisi quia Pater noster idem Abraham, vir bonus, homo sanctus fuit et sancte vivendo Deo placuit.

Christ Nolo mihi de tuo corde respondeas ; sed hoc mihi responde, quod ex ipsa depromptum sit Scriptura sacra. Verum quidem est quod Abraham vir bo-

nus exstitit; sed ego ipsis Scripturæ vocibus certum quæro capitulum, quo bonitatis, vel sanctitatis illius indubitatum suscipiamus testimonium: Quo stas? Quid taces et titubas? Ego tibi dicam: *Credidit Abraham Deo; et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* xv; *Rom.* iv; *Gal.* iii). Hoc de nullo ejus opere dictum, vel scriptum est, quod ad justitiam ei sit reputatum, nisi de isto solo, quia credidit.

Jud. Concedi oportet; etenim ita esse manifestum est.

Christ. *In die illo*, ait Scriptura, *pepigit Dominus fœdus cum Abraham* (*Gen.* xv); et deinde post annos non minus quatuordecim, apparens ei Dominus dixit ea quæ jam memoravimus: *Circumcidetur*, inquiens, *in vobis omne masculinum et circumcidetis carnem præputii vestri ut sit signum fœderis inter me et vos*. Est igitur aliud fœdus et aliud signum fœderis, quia fœdus fidei meritum est; etenim propter fidem et Abraham ante Deum justificatus et Deus Abrahæ fœderatus est; signum autem fœderis circumcisio, quæ post tot annos jussa est. Proinde cum dicit Deus: *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*: Nolo sic accipias ut dicat: Et circumcidetis carnem **333** vestram in æternum quia fœdus quidem æternum est; circumcisio autem in æternum exerceri non potest, quippe ubi nec ipsa circumcidentium successio æterna est.

Jud. Et tamen ad æternam salutem necessaria est, quia *masculus*, inquit, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo; quia pactum meum irritum fecit.*

Christ. Necessaria fuit, quandiu illam exerceri oportuit.

Jud. Nunquid ad tempus posita, sive observari jussa est? aut Deus qui illam observari jussit mutabilis est? Quid ergo est quod dicis: Quandiu illam exerceri oportuit?

Christ. Recole quod jam inter nos confectum est scilicet circumcisionem non esse fœdus, vel pactum sed pacti vel fœderis signum; patremque Abraham non ex circumcisione, sed ante circumcisionem per fidem fuisse justificatum, factumque Dei amicum.

Jud. Et quidem recolo, sed nihilominus constat quia absque ulla determinatione temporis data est circumcisio ab æterno et incommutabili Deo.

Christ. Est igitur circumcisio *justitiæ fidei signaculum* (*Rom.* iv). Quæro autem nunc a teipsam fidei substantiam, scilicet in quo fidem habuerit Abraham, quid crediderit, quæ res in medio posita fuerit, in qua inventus est fidelis? Quid iterum stas? Quid dubitas? Ego dicam tibi quia promissio seminis, in quo benedicerentur omnes gentes, primum et ultimum capitulum fuit ejus fidei. Primo namque loquens ad eum Deus: *Egredere*, inquit, *de terra tua, et de cognatione tua*, etc. usque, *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ* (*Gen.* xii), et jam tunc quidem credidit; egressus namque est, sicut ei præceperat Dominus; post autem labores peregrinationis atque exspectationis, quarta vice apparens cum dixisset ei Dominus: *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum* (*Gen.* xv). Tunc demum Scriptura: *Credidit*, inquit, *Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*ibid.*).

Jud. Quod erat illud semen? vel quid intelligere me vis in eo quod narras, *atque in te, sive atque in semine tuo*, ut alibi dictum est, *benedicentur omnes gentes, sive cognationes terræ*?

Christ. Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi pater tuus Jacob, cujus in carne quod gloriaris pater tuus sit; *Veniet*, inquit, *qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* xlix). Quod dicit exspectationem gentium, hoc intellige hic benedictionem gentium, et hanc esse remissionem peccatorum, quia peccatum, ut dictum est, per quod mors introivit in hunc mundum (*Rom.* v). Ergo illud semen Abrahæ Messias est, quem exspectaverunt patres tui, et in hoc semine credentis Abrahæ fides ad justitiam reputata est; et pro hujus justitiæ et fidei merito, Deus cum illo fœdus pepigit, cujus, videlicet fœderis signum circumcisionem Deus esse voluit.

Jud. Sicut dicis, fœderis vel fidei signum circumcisio est, quare in illa parte corporis quæ non apparet posita est? Signum enim, sive id quod pro signo ponitur, ibi poni debet ubi videatur. Cur ergo non potius in facie, vel in aure signum positum est, vel in aliqua corporis parte, ubi pateret?

Christ. A Deo nihil non videtur, sed *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* iv). Melius ergo et rationabilius, quoniam in semine venturo erat fides, in ea parte corporis, per quam semen naturaliter traducitur, signum fidei positum est. Sic Noe, qui similiter per fidem justificatus est, credidit enim Deo dicenti: *Ecce ego adducam aquas diluvii* (*Gen.* vi), etc. cum cæteri fere omnes permanerent increduli: propter quod et Scriptura de illo dicit, quia *justus atque perfectus cum Deo ambulavit* (*ibid.*). Sic, inquam, congruum signum accepit secundum rationem fidei suæ. Nam quia dicenti Deo: *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram*, Itemque: *Ego pluam super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus* (*Gen.* vii), indubitanter credidit, et fecit arcam sicut Dominus mandaverat et signum accepit non ubicunque, sed in nubibus cœli, unde descendit pluvia, sicut ipse credidit. Nam *ecce*, inquit Deus, *ego statuam pactum meum vobiscum, et hoc signum fœderis inter me et vos: Arcum meum ponam in nubibus cœli* (*Gen.* ix).

Jud. Quid necesse erat fœderis signum, ut dicis, circumcisionem dari?

Christ. Quid hoc interrogas? interroga simul quid necesse fuerit vel ad quid valeat, signum fœderis arcum poni in nubibus cœli? Sin hoc interrogas, non ego, sed ipse Deus respondebit: *Videbo*, inquit, *eum et recordabor fœderis sempiterni; ut non sint ultra aquæ diluvii ad delendam universam carnem* (*ibid.*).

Jud. Ergone Deus obliviosus est, ut opus sit illum commoneri signo recordationis?

CHRIST. Non est obliviosus; sed recordari recte dicitur, dum nos recordari facit.

JUD. Assentio; nam et ad Abraham: *Nunc cognovi*, inquit, *quod timeas Dominum* (*Gen.* XXII), cum et ante, sicut omnia, ita et istud cognoverit.

CHRIST. Igitur si interrogas quid necesse fuerit signum fœderis circumcisionem dari, ipse tibi et si non eisdem verbis, eodem sensu respondebit: *Videbo signum, et recordabor fœderis mei*, quo propter fidem pepigi cum Abraham, quia credidit in semine quod promisi. Recordabor, inquam, et posteros Abrahæ recordari faciam, ut sint certi, quod non dimittam fidelis, et verax, nisi verbum promissionis adimpleam.

JUD. Quorum ista omnia? Quo tendis aut quo me ducere vis?

CHRIST. Nonne tibi supra proposui demonstrare quia vulnus circumcisionis hoc tempore efficere non potest, ut tu ille filius sis, de quo Deus ad Pharaonem: *Filius meus*, inquit, *primogenitus Israel*; *dimitte filium meum, ut sacrificet mihi*? (*Exod.* IV.) Exspecta paulisper, cito illuc perveniendum est. Ego adhuc tibi dico quia Deus, quem impossibile est mentiri, non contentus promissionis et fœderis sui signum dedisse circumcisionem, juramentum addidit in repromissione his verbis: *Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXII). Optabat enim Deus fidelis ut certi essent homines de immobilitate consilii sui, et idcirco cum jam dicto fœderis signo jusjurandum quoque interposuit, *per semetipsum* jurans, quia *per quem juraret, majorem non habuit* (*Hebr.* VI). Ecce implevit quod promisit, non oblitus est quod juravit, justificatus Deus in sermonibus suis sicut orat David (*Psal.* L), et fidelis in omnibus verbis suis, sicut idem ait (*Psal.* CXLIV), quia de semine Abrahæ Messias, qui dicitur Christus, natus est, et in isto semine jamdudum benedicuntur omnes gentes.

JUD. Quam multi benedictionem istam non quærunt, quam multi per orbem terrarum quem tu dicis Christum contemnunt! Quomodo ergo tu dicis quod iste sit illud semen, *in quo*, sicut promissum est Abrahæ, *benedicentur omnes gentes sive cognationes terræ*?

CHRIST. Nunquid hoc Abrahæ promissum est, quod in semine ejus benedicentur omnes homines? Non utique; sed omnes gentes; omnes cognationes, id est quicunque sive qualescunque de omnibus gentibus, sive cognationibus credentes, ut non sit, aut discernatur in benedictione hac masculus aut femina, gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber. Olim non ista priusquam semen istud veniret, sed intra solam Judæam ista benedictio, imo benedictionis **334** promissio continebatur, et cum illæ propheticæ voces audirentur, non prædicabatur cæteris gentibus.

JUD. Imo et cæteris gentibus prædicabatur, et hoc A in prophetis manifeste habemus. Prædicabatur Assyrio, prophetabatur Babyloniis, nuntiabatur Moab, clamabatur Ægypto, dicebatur Medo, pariter et Idumæo; non tacebatur Arabiæ, imperabatur meretrici Tyro, cæterisque nationibus per prophetas Isaiam, Jeremiam, atque Ezechielem ventura nuntiabantur.

CHRIST. Plane scimus quia multis gentibus sua mala nuntiabantur, suum væ Assyrio, suum onus Babyloni, suum onus Ægypto, cæterisque gentibus, quas enumerare longum est; sed illud non erat prædicari gentibus benedictionem seminis Abrahæ. Aliud erat prophetam, in angulo judaici domatis, sedendo calamo suo, litteris unius Hebraieæ linguæ, de gentibus quibuslibet ventura præscribere; aliud apostolos ad gentes ire, et omnibus linguis prædi- B care pœnitentiam, et remissionem peccatorum in nomine seminis Abrahæ.

JUD. Et propheta Jonas ad gentes ivit; ad civitatem caput Assyriorum, Ninive, missus est, et prædicavit.

CHRIST. Quid, rogo, prædicavit? nunquid prædicationem benedictionis? prædicationem regni Dei? non utique, sed hoc tantum: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (*Jon.* III). Non prædicavit, neque hoc prædicare missus est ut gentes ad Dominum converterentur; nec enim jam venerat conversionis gentium tempus; sed hoc agebatur, ut Assyrii, quibus in captivitatem tradendus erat Israel, justiores Israel comprobarentur, dum iidem Assyrii prædicationi vicinæ subversionis suæ crederent, C Israele incredulo permanente, cum ei captivitas eadem per multos prophetas diu prænuntiaretur, multis miraculis concurrentibus, quæ maxime per Heliam, et Helisæum operatus est Deus. Quid nunc taciturnus astas? Ut video non habes quid econtra dicas, quo infirmare possis veritatem manifestæ rei, quam dicimus, quia venit ad benedictionem omnium gentium semen Abrahæ, quod promisit, et cum jurejurando repromisit fidelis Deus.

JUD. Omnia quæ dicis mea sunt; et de meis libris eas sustulisti. Unde hæc tibi? Quid ad te de Scripturis meis?

CHRIST. Nunquid ego non sum, aut esse debeo bene fraudulentus, ait Jacob filio suo primogenito Esau, *Et accepit benedictionem tuam* (*Gen.* XXVII), nimirum sicut Rebecca mater vestibus Esau valde D bonis, quas tu, Judæe, dicis esse tuas, ornavit me Christianum. Sed jam veniamus ad propositum, siquidem proposueram demonstrare tibi, quod hoc tempore circumcisio tua non prosit; et quod post adventum seminis Abrahæ cessare debuerit.

JUD. Non vacat auditum præbere diutius sermonibus hujusmodi; aliis enim occupatus sum negotiis veniam rursus ad audiendum et respondendum cum opportunum fuerit.

CHRIST. O Judæe, quoties subterfugisti per occasiones hujuscemodi, et diem condictam inter nos non observasti? Fugis, et rationes veritatis pati non potes, oculis a lumine ejus reverberatis. Sic quondam fu-

giebant patres tui non ferentes, nisi velata esset, claritatem vultus Moysi. Sed nunc nunc, obsecro quia veritatem diligens, tuam quoque salutem quæro. Non tibi impropero te non esse sapientem, juxta quod quidam tuorum prophetarum dixit : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* (*Isa.* v). Et alius dixit : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Ose.* iv). Cæteraque multa his similia. Sed hoc tibi insinuare cupio, ne ideo sciens tibi videaris, ut ultra discere nolis ; non, inquam, ita sapiens quod temetipsum sis, ut audiens veritatem contradicas veritati.

JUD. Dic cætera, prosequere quousque vis.

CHRIST. Profecto si recolis rite, si recitans hactenus Scripturarum voces et sensum rite perpendis, hoc vides, quod signum fœderis, signaculum fidei, circumcisio carnis, quam Pater Abraham Deo jubente suscepit, quoddam schema vel habitus fuit professionis, testimonium perhibens hominibus fidelibus spei et exspectationis, quo sperarent credentes et exspectarent adventum beati seminis Abrahæ, scilicet Christi et hoc testimonium habentes, justa misericordia, misericordi justitia deberent in adventu ejus ad perfectum justificari ; et ipsi Deo, qui promiserat, commonitorium fuit, ut videret illud signum, et recordaretur fœderis sui et mitteret semen illud quod promisit, quod juravit. Quod si ita est, imo quia ita est, revera post adventum ejusdem seminis, omnino circumcisio cessare debuit, cum circumcidi hoc sit dicere : *Mitte quem missurus es* (*Exod.* iv), mitte quia nondum misisti ; nec enim illum recipimus, quem misisse diceris ; et hoc est negare illum, qui jam *venit benedictus in nomine Domini*. Proinde veraciter et recte nunc mihi dicitur, cui tu persuadere volebas ut circumciderer, dicens sub ipsis exordiis evangelicæ prædicationis gentilibus auditoribus Evangelii : *Quia nisi circumdamini secundum morem Moysi, non poteritis salvi fieri* (*Act.* xv), recte, inquam, mihi dicitur et veraciter : Quia si circumcidaris, Christus tibi nihil prodest (*Gal.* v).

JUD. Et si tibi vis non expedire circumcidi ; at mihi prodest circumcisum esse, sicut circumcisi sunt octavo die patres mei, pater meus Isaac, pater meus Jacob.

CHRIST. Quare non dixisti potius, sicut circumcisus est Ismael, sicut circumcisus est Esau ? denique quantum distat circumcisio Ismaelis et Esau infidelium, a circumcisione Isaac et Jacob, tantum distat inter circumcisionem tuam, et circumcisionem cujusque fidelis ante hujus beati seminis adventum. Dic mihi nunc, si nosti, quid in circumcisione amplius fuerit Isaac, quam Ismaeli ; Jacob quam Esau ? Omnes quippe unum idemque in carne sua vulnus circumcisionis acceperunt : et unius patris, scilicet Abrahæ, duo filii Ismael, et Isaac ; unius patris Isaac duo secundum carnem filii, Jacob et Esau fuerunt, et eadem die circumcisi sunt.

JUD. Dic tu quod proposuisti, quæ distantia circumcisionis illorum fuerit.

CHRIST. Dicam breviter, quia cum deo sunt fœdus et signum fœderis, sicut hactenus clarissime demonstratum est Isaac et Jacob filii, sicut pater eorum Abraham, et fœdus in mente cum signo fœderis, id est circumcisionem in carne susceperunt ; Ismael autem et Esau absque thesauro fidei sine compositione fœderis signum, id est circumcisionem perceperunt, et tanquam vasa vacua signaculo sigillati sunt. Proinde benedictio illorum tota in carne rebusque corporalibus fuit, dicente Deo ad Abraham : *Super Ismael quoque exaudivi te, ecce benedicam ei, et augebo, et multiplicabo eum valde* (*Gen.* xvii), dicente Isaac ad Esau : *In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua* (*Gen.* xxvii). Porro benedictio Isaac, et benedictio Jacobi in bonis est spiritualibus et sempiternis, dicente eodem Deo ad Abraham : *Pactum vero meum statuam ad Isaac* (*Gen.* xvii), dicente Isaac ad Jacob : *Serviant tibi populi, et adorent te tribus* (*Gen.* xxvii). Quod propter Christum dictum est, in quo sine dubio carnem Jacob adoramus, licet et istis temporalis benedictio, scilicet abundantiæ de rore cœli et de pinguedine terræ non defuerit. Circumcisionem tuam, o Judæe, qui hodie circumcideris, sic appendit Deus, ut illius Ismaelis et illius Esau, quia quemadmodum illi, sic et tu sine fide, absque fœdere signum fidei, signaculum quod erat quondam fœderis, accipis vacuus, scilicet circumcisionis vulnus.

JUD. Quantum in te est, confundis gentem nostram, abolere niteris generis nostri memoriam : ut incircumcisi permanentes, in nullo cæteris gentibus simus dissimiles, et ita deleatur nomen Israel.

335 CHRIST. Non confundo gentem tuam, sed ad veram te cupio pervenire gloriam ; ut non glorieris in carne, sed in fide seminis Abrahæ : una enim gens, et magna gens Abrahæ promissa secundum seminis ejus fidem, dicente Deo : *Faciamque te in gentem magnam* (*Gen.* xii), subjungens : *atque in te benedicentur omnes cognationes terræ* (*ibid.*). Quid ergo tibi melius videtur : fide mori in gente, et cum gente tua parvula et captiva et dispersa, an per fidem in illa gente una, gente Abrahæ magna, gente luminosa, in cœlo conscripta secundum hoc dictum : *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes ; sic erit semen tuum ?* (*Gen.* xv). Ibi semen Abrahæ, tanquam luna : ibi omnes sancti et electi, tanquam stellæ, multitudo innumerabilis soli Deo numerata. Fac ut vis. Nam de circumcisione tua, juxta propositum ratione reddita, quod sit inutilis dico, sicut in initio dixi, quia ego baptizatus in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, in fide seminis Abrahæ peccatum exui primi patris veteris Adæ, et gloriam assecutus sum adoptionis filiorum Dei, filiorum Abrahæ.

JUD. Si peccatum primi parentis Adæ per baptismum tuum exuisti ; quare moreris ? nonne mors peccati est pœna ? si ergo tibi et non mihi peccatum illud remissum est, quare tu æque ut ego moreris

cum ipsa mors pœna sit peccati, et peccatum efficiens fuerit causa mortis?

CHRIST. Ego vivo; et a morte, quæ per peccatum et cum peccato subintroivit, liberatus sum per gratiam baptismi.

JUD. Quotidie moreris; quotidie, Christiane, cum sis pulvis, non minus, nec tardius quam Judæus, in pulverem reverteris.

CHRIST. Velamen super oculos habes, et idcirco non nisi mortem unam, non nisi mortem corporis vides: Revelentur oculi tui, ut videas, quia duæ sunt mortes: altera animæ, qua a Deo separatur anima; altera carnis, qua carnem deserit anima. Mortem animæ peccatum adduxit ipsa die qua homo vetitum comedit secundum veritatem Dei dicentis: *In quocunque die comederis ex eo morte morieris* (*Gen.* II); mortem carnis Deus misericorditer intulit non ipso die quo ille comedit, sed anno nongentesimo tricesimo. Licet Abel prius mortuus fuerit, et alii per tot annos mori vel interfici potuerint, sed ipse qui comedit, non ipsa die, sed post tot annos mortuus est morte carnis. Inter utramque mortem hoc maxime interest, quod mors animæ a diabolo per peccatum sumpta est, mors carnis a Deo per providentissimam ejus miserationem superducta est.

JUD. Quomodo per miserationem? nunquid miserationis, et non potius iræ fuit et indignationis, quod ne forte mitteret homo manum suam, et sumeret de ligno vitæ, et comederet, et viveret in æternum, ejecit eum de paradiso voluptatis? (*Gen.* III.)

CHRIST. Revera non iræ, sed magnæ fuit miserationis, jam nos provide circumvolantis; vidit enim quod homini nimis inutile foret, si secundum corpus viveret in æternum. Cum secundum animam mortuus esset, maneret quippe irrecuperabilis, ut sunt dæmones, et indomabilis superbiæ; quippe qui adhuc vix domatur humilitatis spiritu, cum quotidie moriatur. Bene igitur gratia Liberatoris de morte animæ jam per baptismum me liberavit; mortem autem corporis auferre distulit, quæ multum cooperatur cum omnibus hujus vitæ miseriis, ut, demisso capite flexaque cervice, citius adduci possint ad quærendam gratiam et præveniendam iram Judicis, quoquot sunt ad vitam æternam præordinati, scilicet, quorum causa ut nascerentur non peccatum exstitit, quo jam patrato, atque per defensionem roborato, dixit Deus mulieri: *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos* (*Gen.* III); sed benedictio, qua, antequam peccassent Adam et Eva, benedixit illis dicens: *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I), etc.

JUD. Absque baptismo tuo pater meus Abraham de morte illa, quam dicis mortem animæ, salvatus est; quippe qui, quod ipse non diffiteris, justus et sanctus fuit, quemque ob justitiæ meritum Deus sibi æterno fœdere amicum fecit.

CHRIST. Quando putas Abraham salvatus est, et in paradisum introivit?

JUD. An tu et hoc ipsum refragari audebis, et
A dicere quod nec ipse Abraham pater introivit in regnum Dei, sicut asseverare solitus es, quod nullus omnino introierit ante adventum Christi tui?

CHRIST. Ego Scripturis sanctis nusquam refragari cupio, et rursus sine auctoritate illarum nec tuam nec alterius cujusquam sententiam audire patior, præsertim in tanto tamque arduo cognoscendæ veritatis negotio. Dic ergo cum auctoritate Scripturæ quando vel ipse pater Abraham, vel alius quis sanctorum antiquorum, paradisum sive regnum Dei introierit. Nam de Abraham patre optimo atque sanctissimo, hoc tantum legimus in fine ejus, quia *deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis et plenus dierum, congregatusque est ad populum suum, et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii
B sui* (*Gen.* XXV.) Quod si congregari ad populum suum idem esse velis quod introire in regnum Dei, sive in paradisum, repugnat valde quod pater Jacob deflens filium Joseph, quem putabat esse mortuum, et consolantes filios suos audire nolens: *Descendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum* (*Gen.* XXXVII). Item: *Si quid adversi filio meo Benjamin*, ait, *acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos* (*Gen.* XLII). Non igitur ego, sed Scripturæ auctoritas tibi refragatur, ne dicas aut æstimare velis quod locus, ubi congregatus est Abraham ad populum suum, jam fuerit cœlum sive paradisus, sed et in toto processu vitæ ipsius Abraham nusquam invenis quod aliud quid promiserit ei Deus, nisi semen in quo benediceretur, id est salvaretur mundus et terram Chanaam, ubi tandiu
C habitare oportuit filios Abrahæ, donec eadem promissio impleretur.

JUD. Ergone Abraham, et cæteri patres sancti descendebant in infernum, et hoc erat eos congregari ad populum suum?

CHRIST. Descendebat utique in infernum, non tamen inferiorem, qua sepeliuntur impii, cujus Psalmista meminit dicens: *Et liberasti animam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV), sed in locum sive regionem; non solum cœlo vel paradiso, verum etiam mundi hujus habitatione inferiorem, ubi non solum liberi erant a pœnis impiorum, verum etiam visitatione frequentabantur, et collocutione fruebantur sanctorum angelorum. Nam et Dominus noster, quem voluntate mea jamdudum cognosceres, de
D quodam paupere dixit: *Factum est ut moreretur, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ* (*Luc.* XVI), subjungens de divite: Quia *mortuus est* et ipse, *et sepultus est in infernum* (*ibid.*).

JUD. Quid ergo illis deerat, si sanctorum angelorum familiaritate non fraudabantur aut quod illis claudi poterat de regno Dei, si a civibus ejusdem regni Dei non separabantur?

CHRIST. Ego tibi demonstrare possum per **336** similitudinem sancti ecclesiastici atque catholici ordinis mei, quem si non recipis, libenter recipient, et veraciter agnoscent quicunque huic spectaculo interesse volunt fideles, seu parvi, seu magni. Et

deinde rursus demonstrabo, per similitudinem illius quam tuam dicis esse legis Moysi. Catechumenis suis mater Ecclesia maternam in omnibus dulcedinem impendit familiaritate amica societate benigna colloquens, atque cohabitans quisque fidelis doctrinæ lac aut etiam solidum Scripturarum cibum quod potest, illis apponit, et cum in his vel aliis ejusmodi ministeriis communem sacerdos ecclesiasticus exhibeat, ne tamen ad ipsum altare ipse singularis sancti sacrificii ritus non eos admittit, donec perficiatur in eis sacramentum sacri baptismatis, quo funditus expiatur macula peccati originalis; sed tu forte parum curas de ista similitudine, dicam ergo aliam, sicut proposui. Mulierem menstruatam ab introitu templi vel altaris suspendit lex Moysi, donec transactis diebus legitimis veniret ad templum cum hostiis purificationis. Secundum priorem similitudinem et Abraham et omnes sancti antiqui sic erant, quasi catechumeni, et quia nondum erant abluti, non admittebantur sanctuario, sive altari cœlesti, ubi vera et sempiterna communicatio est ipsa præcens dulcedo, dulcis præsentia visionis Dei, ut, secundum propositam aliam ex lege Moysi similitudinem menstruatæ mulieris, hoc ipsum demonstrem tibi. Memento prius quia sanctorum illorum de notissimis unus Isaias dixit: *Et facti sumus ut immundos omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ* (*Isa.* LXIV). Et Zacharias propheta dixit: *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus in Hierusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ* (*Zach.* XIII). Igitur secundum similitudinem hanc, quoniam justitia legis quasi pannus menstruatæ fuit, donec patens fieret fons domus David concedere et oportet quod, sicut mulier menstruata secundum legem arcebatur liminibus sacris, donec transactis sive completis diebus purgationis veniret cum oblationibus legitimis ita justum erat ut sancti vel justi omnes, quorum justitia profecto imperfecta erat, foris excubarent a sanctuario cœli et visionis Dei, donec veniret ille qui menstruatam ablueret, qui, sicut Psalmista dixit cum sit legislator, benedictonem daret (*Psal.* LXXXIII)

JUD. Et quis est ille?

CHRIST. Ille nimirum, cui propheta Zacharias dixit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua* (*Zach.* IX).

JUD. Et quis est ille?

CHRIST. Profecto ille qui, cum veniret Hierosolymam sanguinem fusurus testamenti sui dedit super asinam sive super pullum asinæ, vere contemptor vanitatis sæculi, vere mitis, et humilis corde. Sic enim promiserat idem propheta: *Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi justus et salvator, ipse pauper ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ, et loquetur pacem gentibus* (*ibid.*), et nunc demum ad ipsum conversus: *Tu quoque in sanguine*, inquit, *testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

JUD. Ergone Christus tuus ipsum patrem nostrum Abraham de lacu eduxit? ubi et quando, vel qualiter hoc fecit?

CHRIST. Cum jam mortuus est Christus meus, *Unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX). In illo sanguine testamenti sui, in illa aqua suæ sanguine sui emisit Abraham et omnes vinctos suos de lacu in quo non erat aqua; et factum est, ut jam dictus Zacharius propheta prædixit: *In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ* (*Zach.* XIII). Hæc erat spes illorum, sicut attestatur Scriptura ipsorum. Exempli gratia: *Asperges me*, inquit David, *hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor* (*Psal.* L): Et per Ezechielem loquitur ipse Dominus: *Et scient gentes quia ego Dominus cum sanctificatus fuero in vobis coram eis: Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo de universis terris, et adducam vos in terram vestram, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (*Ezech.* XXXVI), etc. Ecce habes utrumque ex auctoritate prophetica, et aquam mundam ad emundandos, sanguinem testamenti ad emittendos vinctos de lacu in quo non est aqua. Multa quoque præter hæc poterant dici ad demonstrandum, quod sacramentum baptismi profluentis de latere Christi, sacramentum sanguinis quo redimimur, sacramentum aquæ, qua abluimur, omnes fidem habentes beati seminis Abrahæ scilicet Christi, non est novi consilii; sed priusquam fieret, in antiquo erat proposito creatoris et salvatoris nostri Dei.

JUD. Nunquid sanguis ille, quem dicis, in infernum descendit? aut aqua illa in lacum illum, ne cibo quem, in quo non erat aqua, profluit, tantaque fuit inundatio, sive abundantia illius aquæ et sanguinis, ut illum omnem populum perfunderet atque ablueret, ad quem congregatus est pater Abraham, cui appositus Isaac, ad quem appositus est Jacob, cujus tanta multitudo jam fuit diebus Moysi, ut dici possent pluraliter populi, sicut locutus Dominus ad Moysen in monte Hor: *Pergat*, inquit, *Aaron ad populos suos?* (*Num.* XX.) Quanta putas deinceps illius populi sive illorum populorum multitudo fuit temporibus David, quando dormivit cum patribus suis, quem dixisse meministi et dixisse putas de baptismo tuo: *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor?* Amplius autem quando Jesus ille Christus tuus crucifixus et lancea percussus sanguinem, ut dicis, et quam jam mortuus de latere suo fudit; quanta erat multitudo illius populi, quantus autem fuit rivus sanguinis illius et aquæ, ut omnem illam multitudinem lavare sua sufficeret inundatione?

CHRIST. Nolo in sanguine illo et aqua illa solum illud attendas quod visibile fuit, sed causam illius effusionis, virtutemque invisibilem, quam sustinere non posse mundus clamavit. Siquidem omnis terra tremuit, et petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum qui dormierant

non quidem statim neque ante illum, sed cum illo surrexerunt (*Matth.* XXVII). Nimirum illa virtus sanguinis eodem ictu quo terram concussit infernum quoque conturbavit; causa ejus omnem illum populum emundavit, secundum veritatem spiritus prophetici, qui de illo per Isaiam dixit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in morte animam suam, et cum sceleratis reputatus est* (*Isa.* LIII).

334 Jud. Si ita est, ut dicis, quid necesse est ut tu hodie in persona tua baptizatus sis? cum enim secundum assertionem tuam cunctos ille credentes in se tunc suo sanguine et aqua laverit quæ ratio est, ut iterum laveris? Credas tantum et non baptizeris.

Christ. Priusquam nascerer, non potui renasci, priusquam essem, non potui lavari. Sed nec efficaciter quisquam potest lavari, nisi prius crediderit. Illos qui jamdudum erant, vel fuerant credentes in eum tunc, sicuti jam dictum est, sine dubio lavit, et ex illis valde multis hominibus soli Deo innumerabilibus una consistens Ecclesia tunc renata est de latere Christi dormientis dormitione mortis, secundum similitudinem mulieris, quæ formata est de latere viri dormientis dormitione somni; mihi autem volenti incorporari eidem Ecclesiæ positum est ad fores ejus sacramentum ejusdem regenerationis positione dicentis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII).

Jud. Pro velle tuo loqueris; secundum intentionem tuam Scripturarum voces ducis ac reducis et trahis quo vis. Mihi autem ratio suppeditat, ut persistam immobilis firmiter tenens, quod Jesus ille, quem crucifixerunt patres mei non sit Messias, id est Christus, quem exspectaverunt patres mei. Nam si ille est, ubi sunt bona Jerusalem et prospera Sion? ubi exsultatio Jacob, et lætitia Israel tantis promissa prophetarum vocibus, quod abundare deberet in adventu ejus? Imo, postquam venit iste Jesus, non solum non factum est illud, quod, exempli gratia, nunc memorabo de propheta Zacharia dicente: *Et sedebit Jerusalem secura, et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Jerusalem, et congregabuntur omnium gentium divitiæ in circuitu, aurum et argentum et vestes satis multæ* (*Zach.* XIV). Verum ipsa Jerusalem nunquam sic percussa, suo quoque auro et argento vestibusque spoliata, et ipsa subversa fuisse legitur sicut est nunc a tempore illo quo fuit ille, quem dicis Christum, regem Sion, regem Jerusalem. Num igitur de isto diceret propheta illud, quod ante meministi: *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem, ecce Rex tuus venit tibi justus et Salvator?* (*Zach.* IX).

Christ. O Judæe vide ne supervenerit in te illud quod in Psalmo scriptum est: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem et scandalum; obscurentur oculi eorum ne videant* (*Psal.* LXVIII); et alibi: *Pluit super peccatores laqueos* (*Psal.* X). Dico enim tibi quia peccatoribus popularibus tuis mensa sua, Scriptura sacra, laqueis plena est, maxime propter ipsorum cupiditatem nimiam et insatiabilem avaritiam, propter quam patres tui Christum Dominum Regem Jerusalem sive Sion interfecerunt, regem pauperem, sicut loco jam dicto propheta cum dixisset, *Exsulta satis, filia Sion*, etc., subjunxit: *Ipse pauper et ascendens super asinam* (*Zach.* IX). Scriptura quæ est mensa tua, nisi caveas et nisi cupiditatem deponas, illaqueavit te, promittendo aurum, promittendo argentum, et securitatem Jerusalem. Nunc ergo, dic mihi, quid intelligis, dum legis Sion, dum audis Jerusalem, lapides an homines?

Jud. Homines intelligo, qui tunc tenebant arcem Sion; genus meum, quod tunc habitavit in Jerusalem.

Christ. Concedo; et homines quoque cæterarum civitatum, quarum caput erat Jerusalem, qui undecunque veniebant diebus festis adorare in Jerusalem, recte dixeris Jerusalem. Sed dic mihi: Homines illi qui habitant Jerusalem, et qui veniebant adorare in Jerusalem, cum obirent, et congregarentur sive apponerentur ad populum suum, sicut de patribus jam supra memoratum est, desinebant dici Jerusalem, desinebant esse Sion? Nonne potius ille ipsorum populus, ad quem singuli obitu suo congregabantur, recte illo nomine apud Deum censebatur, quo, dum adviverent, vocabantur, scilicet nomine Sion, nomine Jerusalem, cum rege suo David, qui cepit arcem Sion, cujus fuit civitas Jerusalem? Taceo nunc de mystica interpretatione nominum secundum humanam consuetudinem; tecum loquor nunc de nomine Jerusalem. Ait quidam sæcularium nobilis auctor:

Nam, ut hyperboreæ plaustrum glaciale sub Ursæ
Vel plaga, qua torrens claususque vaporibus axis,
Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes Tarpeja sede perusta,
Gallorum facibus Vejosque habitante Camillo
Illic Roma fuit, non unquam perdidit ordo,
Mutato sua jura solo, mærentia tecta
Cæsar habet, vacuasque domos legesque silentes,
Clausaque justitio tristi fora. . . . .

(Lucan. *Phars.* lib. V, vers. 23-32).

Apud Epirum, Græcorum civitatem, tunc erat Cæsarem fugiens senatus Romanus cum consulibus Pompeio duce. Si ergo veraciter, et pulchre dici potuit, conventum illum Romam esse potius quam tecta, ubi derelicta et dictio hujusmodi non dissonat ab humana loquendi consuetudine quanto magis populus ille, ad quem singuli, ut jam dictum est, morientes congregabantur de Jerusalem et civitatibus ejus Dei cultricibus, recte dici debuit Jerusalem,

sive Sion, potius quam ipsa pars parva, generatio una, quæ suo tempore vivebat in tectis Jerusalem sive Sion! Cum igitur, legis *exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem*, ne respicias solam generationem illam, quæ in tectis Jerusalem habitabat illo tempore, sub principibus sacerdotum Anna, et Caipha, nec eo argumenteris Jesum Nazarenum non esse regem Sion, sive Jerusalem, quia generatio illa non recepit eum, neque dicas in adventu ejusdem Christi mei non exsultasse Sion, sive jubilasse Jerusalem, idcirco quia post passionem ejus mala omnia venerunt super generationem illam. Cunctas respice generationes millium annorum, quæ ab hac vita decedendo congregatæ fuerant in unum populum, universum illum respice populum sive populorum multitudinem, vere Sion, vere Jerusalem, et cognosces quam efficaciter, quam non inaniter dictum sit: *Exsulta, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem*, et multa his similia.

JUD. Quod nunc protulisti adversum me de psalmo: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum ; obscurentur oculi eorum ne videant*. Et illud de Isaia : *Excæca cor populi hujus et aures aggrava ; et oculos ejus claude ; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (*Isa*. VI), et multa talia sæpe mihi objecta audivi, et multi tuorum memoraverunt hæc insultabundi. Nunquid Deus est hujusmodi, ut tu putas, scilicet volens aliquid falli, et in errorem induci ?

338 CHRIST. Nonne Hieremias dicit : *Seduxisti me Domine, et seductus sum ; fortior me fuisti, et invaluisti* (*Jer*. XX). Nonne adversus regem Achab loquens spiritui mendacii : *Decipies*, ait, *et prævalebis egredere, et fac ita ?* (*III Reg*. XXII.) Verumtamen audi me ; non est unus modus seductionis ; est enim seductio qua seducitur quis a bono ad malum. Hanc seductionem Deus nescit. Est econtra seductio a malo ad bonum et hac seductione Deus te et genus tuum seduxit dum Scripturam sacram talem esse voluit, ut in lectione ejus obscurarentur oculi tui. Si enim sacramenta ejus non clausisset sub figuris, et ænigmatibus, si expressisset vocibus manifestis nunquid patres tui sustinuissent, præsertim rebelles et increduli, quemadmodum Moyses ipse dixit ? nimirum sicut rex Joachim scidit volumen Hieremiæ, et projecit illud in ignem donec consumetur igni (*Jer*. XXXVI), et sicut Isaiam sectum perhibes a Manasse per occasionem hanc, quia dixit : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa*. VI), cum Deus ipse dixisset ad Moysen : *Non enim videbit me homo, et vivere potest* (*Exod*. XXXIII). Et ita et multo insanius et Scripturas omnes incendissent, et prophetas omnes interfecissent nisi Scripturæ clausæ illis et signatæ fuissent, si manifeste illis prophetæ clamassent quidquid de Christo futurum erat et fieri oporteabt, verbi gratia, quomodo vel quali ordine foret exaltandus in illud solium excelsum et elevatum, de quo dixit Isaias : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum*. Propterea videbantur claudere sermonem et signare librum, ligare testimonium et signare legem, et hoc faciebant in timore magno prophetantes cum vitæ suæ periculo, quemadmodum unus eorum Hieremias, cum dixisset : *Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta* (*Thren*. II), — *formido*, inquit, *et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio* (*Thren*. III). Bona ergo, seductio qua factum est ne Scripturæ odio magno habitæ cum ipsis qui scripserant delerentur, potiusque superventuris sæculis profuturæ custodirentur.

JUD. Quale est hoc bonum obscuratos, ut dicis, oculos meos esse, et mensam meam factam esse mihi in scandalum : præcavere Deum et dicere, *ne forte convertatur et sanem eum ?* (*Isa*. VI). Tale namque hoc est ac si maledicatur surdo, et ponatur coram cæco offendiculum. Vide ergo quia, dum vis incusare vehementer, excusas me. Quæ enim culpa in me, obscuratus sive excæcatus sum, cum velim videre, cum etiam putem me et occulos ad videndum et aures ad audiendum, et cor ad intelligendum, habere ?

CHRIST. Nemo hic nisi volens illaqueatur, sive scandalizatur ; nullius, nisi volentis obscurari, oculi obscurantur, sive excæcantur.

JUD. Et quis est, qui velit excæcari, qui velit illaqueari, qui velit oculis non videre, auribus non audire, corde non intelligere ?

CHRIST. Ille, qui Christum, quem felle cibavit, quem aceto potavit (quemadmodum ipse dixi præcedenti versiculo ejusdem psalmi, qui totus in persona ejus scriptus est : *Et dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal*. LXVIII), et ante hæc : *Zelus*, ait, *domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*ibid*). ; ille, inquam, qui hunc Jesum Christum vult omnino non esse Christum, et ex Scripturis suffragium adipisci desiderat, quo videatur eum rationabiliter negare ; ipse est, qui optat oculos suos obscurari, qui sciens et prudens laqueo pedes suos immittere contendit (*ibid*.). Juste ergo conceditur ei, et dimittitur secundum desideria cordis sui dicendo : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, etc.

JUD. Quæ ratio est dicere Deum, *ne forte convertatur, et sanem eum ;* quod contra me vis esse dictum ?

CHRIST. Quæ ratio est dixisse Deum : *Ego indurabo cor Pharaonis, ut non dimittat populum meum ; ego indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur transeuntes per mare Rubrum ?* (*Exod*. VII, VIII, IX, X, *et* XI).

JUD. Ergone me sic haberi vis, ut Pharaonem, sicut Ægyptium ?

CHRIST. Plane Ægyptium, sicut Chananæum secundum prophetiam veridicam, qua per Ezechielem dictum est tuæ terrenæ sanguinolentæ Hierusalem : *Hierusalem, radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus, Amorrhæus, et mater tua* Cetbæa (*Ezech*. XVI). Et est sensus : Quoniam tu nata de carne

Abraham, non es ex fide Abraham sic est mihi sicut Chanaan, sicut Amorrhæus, et sicut Cethæus. Ergo et sicut Ægyptius ; quia sicut Amorrhæus, et sicut Cethæus ita et Mesraim, de quo sunt Ægyptii, non de Sem, sed de Cham fuit exortus. Hinc est illud in psalmo : *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti ; primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham* (*Psal.* LXXVII). Igitur si recte intellexisti quomodo induraverit Deus Ægyptium, ut non dimitteret populum ; nihilominus recte, et hoc intelligis quomodo dictum sit : *Excæca cor populi hujus ; et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude ; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat ; et convertatur, et sanem eum.*

Jud. Dic tu quomodo induraverit Deus cor Ægyptiorum ut consequenter, vel similiter dicas quomodo excæcaverit cor meum.

Christ. Utinam sic interroges, ut audire desideres, et non sis ille de quo in psalmo scriptum est : *Noluit intelligere, ut bene ageret* ? (*Psal.* XXXV.) Deus cor Ægyptiorum in hoc induravit, quod illis quibus invidebant Ægyptii, clarissima beneficia sua largu manu impendit ; hæc enim morbi hujus, scilicet invidiæ, natura, hoc proprium est, cui quis multum invidet, magnum ex ejus profectibus tormentum habet. Ægyptii filios Israel oderant, et invidebant eis ; gentium salutem tu odisti, et invides nobis. Hoc autem est peccatum diaboli, per quod mors in hunc mundum introivit (*Sap.* II). Igitur sicut Ægyptiis, duritiæ causa efficiens invidia ipsorum exstitit, quia filiis Israel invidebant ; ita et populo tuo suæ excæcationis causa efficiens invidia ipsius est, quia salutem gentium odit. Proinde sicut accipis et accipere debes illud, quod eo usque induravit Dominus cor Ægyptiorum, donec perirent persequendo filios Israel fugientes per mare Rubrum sic accipe istud, quod populus tuus eo usque excæcatus est persequendo credentes in Christum et fugientes per baptismi sacramentum, donec exterminaretur, secundum verba hæc, quæ in eadem propheta subjuncta sunt : Dixit enim Propheta : *Usquequo, Domine* ? (*Isa.* VI) et responsum est. *Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra derelinquetur deserta, et longe faciet Dominus homines* (*ibid.*). Quod idem est ac si diceret : Et qui reliqui fuerint ex Judæis captivi ducentur in omnes gentes. Hæc duo mala evenerunt ibi scilicet cæcitas cordis, et dispersio captivitatis. Quæ loco præscripto continuat concessio prophetica, dicendo : *Obscurentur oculi eorum, ne videant et deorsum eorum* **339** *semper incurva* (*Psal.* LXVIII), et utrumque Evangelio Christi bonum est. Si enim videres, id est in Christum credidisses, Baptismum et circumcisionem commiscuisses, sicut facere volentes pauci illi, qui ex populo tuo conversi, et sanati, id est baptizati sunt in initio Christianitatis, seditiones Evangelii prædicatoribus excitaverunt, sedensque in civitatibus tuis dorso erecto, si non esses incurvatus, pro arbitrio tuo velles prædicari, et nonnisi circumcisum gentilem patereris admitti : atque hoc pacto nec mihi, nec tibi Christus esset, nec mihi nec tibi Evangelium prodesset.

Jud. Malis meis insultas, non recogitans quia scriptum est : *Cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel* (*Psal.* XIII).

Christ. Non insulto, sed tanquam frater fratri voces veritatis ingero, bonum tibi retribuens pro malo, quia tu salutem meam odisti, ego autem salutem tuam desidero. Nosti illam parabolam Domini mei ? *Homo quidam habuit filios duos, et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit* (*Luc.* XV), etc. Ego et tu sumus illi duo filii ; etenim unus Deus nos creavit, unus Adam nos ambos genuit. Ecce tu foris stas præ ira et indignatione, quia Pater meus salvum me recepit, et non vis introire pariterque epulari. Ego autem egredior ad te, et rogo ut ingrediaris, ostendens tibi stolam primam, quam Pater in lavacro mihi dedit cum annulo fidei, et calceamentis scientiæ veritatis. Accipe mecum hunc annulum, admitte fidelem sermonem istum, quem, quoniam de fide est, annulum nuncupare placuit, et stola ista induere, et calceamentis istis mecum calceare.

LIBER SECUNDUS.

Christianus. Deus omnipotens, cum sit ipse *fidelis in omnibus verbis suis* (*Psal.* CXLIV), fidem ab homine ante omnia requirit, et sine fide impossibile est placere ei (*Hebr.* XI), hanc in primo homine quæsivit, et non invenit ; ille enim serpenti magis quam Deo credidit. Quæsivit in Noe, et invenit ; quæsivit in Abraham, et invenit ; quæsivit in Maria virgine, et invenit, nullum signum horum alicui præmittens, ut crederetur sibi, nova et inaudita promittenti. Inventa ergo fide delectatus, ut vere thesauri magni inventione signaculum suum apposuit Deus fœderatus homini fœdere insolubili ; illi, videlicet, Noe arcum suum in nubibus cœli, ut viso hoc signo recordaretur fœderis sui, ut non sint ultra aquæ diluvii ; huic autem, scilicet Abrahæ, signum circumcisionis, ut recordaretur promissi sui ; scilicet seminis quod daturum se illi promisit, et cum juramento repromisit. Tertium fidei signum, quam videlicet fidem, ut jam dictum est, in Maria virgine invenit, credente parituram se sine viro Christum Filium Dei, et in omni Ecclesia, quæ illam Virginem peperisse fideliter credit ; tertium, inquam, fidei signum, signacu-

hoc est ejusdem crucis Christi Filii Dei cum sacramento baptismi, ut videat, et recordetur fœderis sui, et non percutiat nos in die judicii, sicut quondam in Ægypto : *Videbo*, inquit, *sanguinem, et pertransibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti* (*Exod.* XII). De hac fide si præcedenti libello non satisfactum est tibi, objice quidquid contra sentis.

JUDÆUS. Tu in unam tantummodo partem aspicis et ... tractas de fide Abrahæ, ut obliviscaris Moysi legis, legis Dei. Non recogitas signa, et mirabilia quæ fecit Deus in terra Ægypti, ut daret nobis legem in monte Sinai quinquagesimo die egressionis de terra Ægypti, cum tantis indiciis præsentiæ ipsius Dei; audiebantur enim tonitrua et micabant fulgura; cunctusque populus audiebat voces, et sonitum buccinæ, videbant lampades, montemque fumantem (*Exod.* XX). Nullam fecisti mentionem illius fœderis, quod tunc nobiscum pepigit, quemadmodum ibidem Scriptura dicit : *Tulitque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateres : partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, sumptumque sanguinem respersit in populum et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his* (*Exod.* XXIV). Nunc ergo dic mihi : Si per fidem justificatus est Abraham justificatione sufficienti, si fœdus illud, quod cum eo Deus pepigit propter fidem, satis justitiam ejus confirmavit. Quid deinceps opus erat, justificatione legis, aspersione sanguinis fœderis, sive fœdere sanguinis holocausti, omnique ritu cæremoniarum vel sacrificiorum, quem tradidit nobis pro emundatione cujusque delicti ? Quorsum totus ille cultus tabernaculi fœderis ?

CHRIST. Interrogabo te unum sermonem, **340** quem si dixeris mihi, dicam tibi quorsum illa omnia, propter quid lex data fuerit; Abraham, pater nostræ fidei quam ob causam ingressus est ad ancillam Saræ Ægyptiam Agar, post annos decem quam habitare cœperat in terra Chanaan, postquam pepigerat Dominus cum eo fœdus, postquam Scriptura dixerat : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*? (*Gen.* XV).

JUD. Quia Sarai Uxor Abraham non genuerat liberos, ait Scriptura, sed habens ancillam Ægyptiam, nomine Agar, dixit marito suo : *Ecce conclusit me Dominus, ne parerem ; ingredere ad ancillam meam si forte ex illa suscipiam filios* (*Gen.* XVI). Acquievit ille deprecanti, et ingressus ad ancillam genuit ex ea Ismahel (*ibid*).

CHRIST. Ut dixisti, ita est; simul autem meminisse debes quæ Deus per prophetam dixit. *Et ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum* (*Ose.* XII).

JUD. Memini et in quo hæc dicta sunt propheta, et ipse et Osee.

CHRIST. Et ille pater Abraham propheta et prophetarum primus fuit. Ipse namque primus illorum est, ad quos factus est sermo Domini sicut scriptum est : *Mihi autem*, inquit, *non dedisti semen, et ecce vernaculus meus hæres meus erit. Statimque sermo Domini factus est ad eum : non erit hic hæres tuus* (*Gen.* XV), etc. Et pro illo ad Abimelech Deus locutus est : *Nunc igitur redde uxorem viro suo, quia propheta est, et orabit pro te* (*Gen.* XX). Et in psalmo jam de Abraham et Isaac et Jacob scriptum est : *Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV). Proinde nunc dico : Si in manu prophetarum Deus assimilatus est, quod re cum prophetico dixisse diffiteri non potest, quanto magis et in manu istorum, qui et prophetæ et prophetarum patres atque principes exstiterunt, assimilatus est? Igitur quanquam allegorias nostras oderis, et contemnere consueveris, patere ut audias quod secundum illam rem gestam, quam proposuit Deus, in manu Abrahæ assimilatus est.

JUD. Perge quo cupis, perfice quo intendis, da quam polliceris assimilationem Dei in manu prophetæ patris mei.

CHRIST. In Abraham Deus Pater omnium nostrum, in Sara fides, in Agar lex Moysi assimilata est. In sterilitate Saræ sterilitas fidei assimilata est, quia videlicet sicut illa libera, illa princeps diu sterilis fuit, ita fides, quæ sola humani generis libertas vera et nobilitas est, fere sterilis exstitit, postquam Deo Patri et Creatori nostro nupsit, postquam propter illam Deus homini dignatus est fœderari, et animæ hominis conjungi fœdere conjugali, eo junctione maritali. Quantos enim præter Isaac et Jacob et Joseph filios fidei, filios promissionis demonstrare poteris? Nempe et si fuerunt plures aliqui, ut nunc interim taceam de multitudine stirpis Ismahel, stirpisque Esau ; de stirpe loquor patris Jacob. Et si, inquam, fuerunt plures aliqui filii fidei præter illos, quos Scriptura nominavit, attamen fuere tam pauci in comparatione filiorum carnis multitudinis ut veraciter dicas quia fides sterilis, caro autem fecunda erat.

JUD. Discerne mihi clarius quos dicis filios fidei, et quos filios carnis. Qualis est discretio sive distantia filiorum carnis et filiorum fidei ? In quo, vel secundum quid utramque generationem discernis ?

CHRIST. Patri Abrahæ duo promissa fuerunt, quorum alterum hoc est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII) ; alterum : *Semini tuo dabo terram hanc* (*Gen.* XII), terram Chanaam. Quicunque ex Abraham geniti promissionem beati seminis exspectaverunt, juxta fidem, et a longe eas aspicientes, et salutantes, et confidentes quod peregrini essent et hospites super terram (*Hebr.* XI), ipsi erant filii fidei. Porro qui solam terræ Chanaan promissionem exspectaverunt, et solummodo propter illam clamaverunt ad Dominum cum affligerentur in terra Ægypti, ipsi fuerunt filii carnis. Nunc, quæso, dicas mihi, ex quo fratres invidi et suo patri infideles vendiderunt Joseph, post eum Joseph usque ad Moysem quotusquisque fuit qui diceret, aut dicere sciret illud quod dixit idem Moyses : *Obsecro, Do-*

mine, mitte quem missurus es? (*Exod.* IV.) Ergo fides sterilis, caro autem jam fecunda, in servitutem non Dei, sed hominum Ægyptiorum generabat, immo et diis Ægypti serviebat: quod et per prophetas, maximeque per Ezechielem Deus ipse commemorat. Ergo fides patrum, qui quamvis mundo mortui essent, Deo nihilominus vivebant et vivunt, Deo quidem conjuncta erat; sed non pariebat secundum similitudinem Saræ, quæ cum esset uxor legitima, uxor libera, sterilis erat et non pariebat. Merebatur autem ipsa fides, et exigebat ab ipso Deo, ut saltem lex interveniret, quem, ad cultum Dei multitudinem illam astringendo, filios in servitium fidei pareret, secundum similitudinem hanc: *Ecce*, inquit Sara, *conclusit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, si saltem ex ea suscipiam filios*: Acquievit Abraham deprecanti, et ingressus ad ancillam genuit Ismahel. Acquievit Deus Pater excelsus fidei patrum secretas aures ejus interpellanti, et admittens legem cæremoniarum genuit ex ea populum, non tam libertati quam servituti idoneum, id est non tam in dilectione quam in timore colentem et cognoscentem Deum Patrem, vel Creatorem suum. Hoc enim scire te volo quia Deus legem illam non jussit, sed admisit; non voluit, sed permisit.

JUD. Quid est quod dicis? Noluit Deus legem? Non jussit Deus legem? Non scripsit tabulas digito suo, et dixit Moysi: Hæc sunt præcepta mea, hæc sunt judicia mea, sic et sic præcipies filiis Israel, sic et sic facies holocaustum, et pro peccato?

CHRIST. Oportet te sic Moysem audire et intelligere, ut psalmos quoque et prophetas audias pariter et intelligas. In psalmo quoque Deus ipse loquitur: « Non in sacrificiis tuis arguam te, » et cætera usque « nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis » (*Psal.* XLIX), et in Isaia: « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum; holocaustum arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui: Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris ut ambularetis in atriis meis: Ne afferatis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi; Neomeniam, et Sabbatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cætus vestri, Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea » (*Isa.* I).

JUD. Propter Jeroboam illa dicta sunt, propter vitulos quos fecit Jeroboam, quos colebat Israel: *Ideo holocausta arietum, et adipem pinguium*, etc., se nolle dixit, quia sacrificabant vitulis.

CHRIST. Vituli non in Juda colebantur, non
341 in Jerusalem vitulis illis, sed in Samaria, id est in decem tribubus sacrificabatur. Ista autem prophetica lectio sic intitulatur. *Visio Isaiæ prophetæ filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem* (*ibid.*). Ergo non propter vitulos illos de præsenti loquebatur super Samariam, sed propter sanguinem justum de futuro prophetabat super Judæos et Jerusalem: quippe qui cum dixisset ea quæ jam præ-

A libata sunt usque ad id, *et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam*, statim causam istam subjungit: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*ibid.*). Ante sanguinem Christi, nolebat, licet permitteret ea, neque postulabat sicut et in psalmo scriptum est: *Holocaustum et pro peccato non postulasti* (*Psal.* XXXIX). Extunc autem non solum non vult aut non postulat, verum etiam *odivit*, inquit, *anima mea, facta sunt mihi molesta* (*ibid.*). Quod nunquam voluerit, aut quæsierit, sive postulaverit, magnum adhuc et evidens in Jeremia testimonium hoc est: « Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Holocaustomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes, quia non sum cum patribus vestris locutus, et non præcepi eis in die, quo
B eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam; et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus; et ambulate in omni via, quam mandavi, ut bene sit vobis » (*Jer.* VII).

JUD. Quam facis distantiam inter verbum holocaustomatum, et victimarum, et vocem sive verbum quod nobis Deus præcepit, aut certe viam quam mandavit ut ambularemus in ea, ut bene esset nobis?

CHRIST. Non ego facio, sed factam invenio magnam secundum verba præscripta distantiam inde commonitus respexi diligentius ad ipsam legis scripturam, et inveni ipsam, in quo tibi quoque demonstrare possim sententiam. Vocem Domini, sive
C viam, quam præcepit, quam mandavit, ecce habes in Exodo ante reatum vituli conflatilis, quem fecerunt et adoraverunt. *Non*, inquit, *habebis deos alienos coram me*, etc. usque *omnia quæ dixi vobis custodite? et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro* (*Exod.* XX; — XXIII). Hæc sunt præcepta et judicia, quæ faciens homo vivet in eis, ait ipse Dominus. Porro post hæc, cum moram faceret Moyses in monte cum Domino, loquens Dominus ad Moysem, durissimum posuit super eos jugum legis cæremoniarum propter reatum, ut jam dictum est, vituli quem fecerunt. Hinc ipse Dominus per Ezechielem loquitur: « Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi in desertum, et dedi eis præcepta mea; et judicia mea ostendi eis,
D quæ faciat homo, et vivat in eis » (*Ezech.* XX). Et subinde: « Iterum levavi manum meam in eos in solitudine ut dispergerem illos in nationes, et ventilarem eos in terras, eo quod judicia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et Sabbata mea violassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua » (*ibid.*). Considera præcepta quæ prius dederat, et judicia quia valde bona sunt, quorum summa est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* VI), sive *quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII).

et præcepta quæ deinde dedit, quia non quidem mala, verumtamen non bona fuerunt; quia neque portari potuerunt, neque vitam hominis in semetipsis habuerunt. Quomodo enim viveret homo in sanguine, vel pro sanguine brutorum pecorum, pro observatione mundorum sive immundorum animalium, lepræ et non lepræ hominis, vestium atque domorum, cæterorumque talium, quæ maxime in Levitico scripta sunt?

Jud. Ante illum, quem dicis, reatum vituli, holocausta et victimas pacificas obtulit ipse Moyses. Sic enim ibidem scriptum est: « Scripsit autem Moyses universos sermones Domini, et mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim vitulos per duodecim tribus Israel, misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim » (*Exod.* XXIV).

Christ. Et si legisti, quia sic factum est; nunquid legisti quia a Deo illi jussum est? Poteras mihi objicere et illud, quia et Noe longe ante Moysem arca egressus *ædificavit altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit holocausta super altare, adoratusque est Dominus odorem suavitatis* (*Gen.* X). Quod si mihi objecisses, addidissem ego aliud, quia Melchisedech, rex Salem, qui non improbabiliter existimatur Sem filius ejusdem fuisse Noe, reverso Abraham a cæde Chodorlahomor et regum qui cum eo erant, occurrens obtulit panem et vinum, *erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixitque ei* (*Gen.* XIV). Ecce alterum longe ante Moysem sacrificium; et neutrum jussum, utrumque voluntarium. Ego non ignoro, quod istorum magis Altissimo placuerit, nec tibi ignorare licet dicente Scriptura in quemdam quem tu ignorare velles: *Juravit Dominus et non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Sed de isto alias opportunius, nunc dicere præstat, cur prius sacrificium carnis et sanguinis bruti Deus admiserit, et ritum ejus ipse præceptor ordinaverit. Nimirum quia populus carnalis ab ejusmodi sacrificiis non posset avelli, etsi Deo in hujusmodi sacrificare permissus non fuisset, simulacris illa pronius obtulisset. Ecce experimentum aderat, quia formato vitulo *surgentes mane obtulerunt holocausta et hostias pacificas et sedit populus manducare, et bibere; et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII). Igitur quia et fides patrum, ut jam supradictum est, interveniebat, et pro tempore necessarium erat ut succrescens multitudo filiorum carnis astringeretur ad cultum Dei per severitatem legis: acquievit Deus, et legem Dei ritumque sacrificiorum sic præcepto suo ordinavit, ut in illis non necessariis umbra vel figura esset necessariæ rei et veritatis.

Jud. De figuris vel umbris mecum agere noli; sed de ipsis Scripturæ vocibus et sensibus manifestis simpliciter et plano atque intelligibili modo locutionis. Quid enim mihi de his quæ ipsa Scriptura non tradidit, neque ut quæreret demandavit?

Christ. Nonne tibi supra dixi, et notum habere debes illud propheticum: *Et ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum* (*Ose.* XII). Nonne et ad ipsum Moysem prophetam maximum, post quem, ait Scriptura, *non surrexit propheta in Israel sicut ille quem nosset Dominus facie ad faciem* (*Deut.* XXXIV), idem Dominus dixit, cum fieri juberet tabernaculum: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est?* (*Exod.* XXV). Quid vel quale exemplar illi demonstratum putas?

Jud. Quid putem, nisi quod Scriptura ipsa dicit, quia fecerat tabernaculum Deus, et Moysi demonstravit ut faceret simile illi.

Christ. Si ita fuisset, nonne facilius erat illud ipsum dare Moysi, sicut tabulas dedit, quam **312** aliud facere tanto labore, tantisque impensis? sed erat profecto spirituale et cœleste sanctuarium in proposito Dei, revelandum in plenitudine temporis cujus, quia nondum tempus erat, imaginem præire voluit in illis sanctis manufactis. Itaque factum est secundum similitudinem supra scriptam liberæ et ancillæ, ut deprecatu liberæ, quia sterilis erat, ad ancillam vir liberæ legitimus ingrederetur, id est pro merito fidei patrum, quoniam ipsa fides in paucissimis fructificabat, legem adnitteret Deus, et sic saltem ex ancilla susciperet filios libera qui salvarentur.

Jud. Quid opus erat ut secundum sententiam tuam fides sterilis esset, et propter sterilitatem lex subintroiret? Non poterat Deus facere, ut fides jam tunc pareret, quo facto legislatione secundum te opus non esset?

Christ. Hoccine interrogas, quare jam non veniret semen illud quod Abrahæ promissum fuerat, in quo per fidem benedicerentur omnes gentes? Ego tibi dico: Idcirco non jam tunc venire debebat; quia Deus iratus erat. Sic enim habes, quia cum semen illud suspirans Moyses dixisset: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV), protinus subjunctum est: *Iratus Dominus in Moysem, ait: Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit* (*ibid.*), etc. Est enim hic sensus: Quia Dominus iratus erat, idcirco super eo quod obsecrabat Moyses, nihil respondit, sed alia quæ cœperat prosecutus est.

Jud. Quam ob causam tunc Deus iratus erat?

Christ. Nimirum propter peccata domus, sive ejusdem generis Abrahæ, cui Deus sæpe dictam benedictionem promiserat, scilicet propter sacrilegium filiorum Jacob, qui vendiderunt fratrem suum Joseph.

Jud. Nunquid Moyses illum vendiderat? Quomodo ergo propter causam illam diceret iratus Dominus in Moysem?

Christ. Idcirco sic de semetipso dixit Moyses: *Iratus Dominus in Moysem*, quia fere solus ipse scienter habebat illius exspectationis promissionem.

Num parva erat causa illa, venditio illa, talis illius fratris, cujus venditionis videlicet ferrum ipsius sancti patris animam tandiu sauciaverat? Hoc malum portenderat ipsi patri Abrahæ, quando pepigit Dominus cum illo fœdus, visio illa: cum dictum fuisset ad eum: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient vos servituti*, etc., usque *generatione autem quarta revertentur huc* (*Gen.* XV). contestim istud subjunctum est: *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas* (*ibid.*). Ille clibanus fumans cum caligine tenebrosa portendebat invidiæ clibanum fumosum, atque caliginosum, quo adusti atque decocti et obscurati filii Jacob fratrem optimum vendiderunt; et illa lampas ignis lucida præsagiebat miracula per quæ liberandi erant de servitute Ægyptiorum, quibus traditi fuerant usque ad quartam generationem, propter illud peccatum. At in servum venundatus Joseph servivit annis quatuordecim. Quando enim venundatus est, erat annorum sedecim; quando autem eductus de carcere stetit ante conspectum Pharaonis, erat annorum triginta. Justo ergo judicio propter peccatum illud differri conveniebat semen illud benedictionis Abrahæ promissum, per generationem quatuordecim, et pro annis singulis singulas generationes supputari, sicut et alibi annus pro die compensatus est generationi illi, quæ exivit de terra Ægypti. *Juxta numerum quadraginta*, ait Dominus, *quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur; et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras* (*Num.* XIV).

Jud. Illud semen quod tu intendis, tuus ille Christus quem dicis esse illud semen quod Deus Abrahæ promisit, nunquid venit statim post generationes quatuordecim? Multo plures fuerunt generationes ab Abraham usque ad dies Herodis quo regnante natus est ille quem Christum dicis.

Christ. Exspecta paulisper, ut dicam tibi illud quod tu ipse verum esse diffiteri non potes. Generationes quatuordecim ab Abraham, cui clibanus ille fumans præmonstratus est in David terminatæ sunt. At ille non minus peccavit, tollendo uxorem Uriæ, et ipsum interficiendo gladio filiorum Amon. *Quamobrem*, ait Dominus, *non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum* (*II Reg.* XII). Exigebat ergo justitia, ut differret Deus Christum suum non paucioribus, id est quatuordecim generationibus. Quibus expletis nihilominus justum erat differri generationibus quatuordecim, nec solummodo Christum differri, verum etiam in captivitatem duci populum, maxime propter peccata Manassen; impleverant enim Jerusalem sanguine innoxio usque ad os.

Jud. Quis prophetarum causas istas dixit, aut in qua Scriptura dilationes istas sic provenisse, aut provenire debuisse legisti?

Christ. Evangelista divinus non absque illo, in quo prophetæ locuti sunt spiritu, cum per ordinem A digessisset generationes ab Abraham usque ad Christum, protinus ita subdistinxit: *Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim* (*Matth.* I). Hæc dicens vigilantem auditorem mittit ad quærendas ex Scripturis causas dilationum, et ecce causæ manifestæ sunt.

Jud. Ego Evangeliis tuis non attendo; sed hoc scio, quia quando natus est is quem Christum dicis, magis abundabat iniquitas quam eatenus abundaverat, nisi forte hoc etiam asserere tu velis quod peccatum David majus fuerit omni belluina crudelitate Herodis.

B Christ. Impietas Herodis, et omnis sanguis, quem ille effudit, non debuit imputari generationibus Judaici generis. Ille enim non Judæus erat, sed alienigena, patre Idumæo et matre ortus Arabica. Unde et hæc te concedere oportet quia tempus erat ut mitteretur jam qui mittendus fuerat, quoniam in illo ablatum erat sceptrum de Juda. Dixerat enim pater Jacob in benedictione Judæ: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX). Sed jam redeamus ad cœptam similitudinis demonstrationem. Nam si vis, si benevolentia non deest cordis tui, satisfactum esse potest, ut jam non quæras cur Deus fidem sterilem tandiu esse permiserit, et interim legem admiserit secundum similitudinem C sterilitatis Saræ, propter quam pater Abraham ad ancillam ingressus est, domina deprecante. Nam illud magis mirandum est in gloriam fidelis Dei, quod tandem fecit sicut promiserat, tot vel tantis malis offensus ab ipsis quorum patribus promiserat.

Jud. Jam de illa similitudine satis dictum est. Quid inde amplius dicere habes?

Christ. Scio quia jamdudum audire vix sustines, et vereor ne, dum cupio tibi sublevare velamen vultus Moysi, ut videas claritatem ejus, effugias sicut fugiebant patres tui, **342** cum viderent splendidam faciem ejus nondum velatam, et timebant propius accedere. Totam similitudinem tibi volo aperire usque ad illud: *Ejice ancillam et filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ,* D *cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI). Illa videlicet ancilla concepisse se videns despexit dominam suam, et lex postquam subintravit, occasionem carnali fecit multitudini ut contemneret, et pene oblivioni daret justitiam fidei, putans se justificari posse ex operibus legis. Unde et tu cum superius te interrogarem per quid Abraham justificatus fuerit, dicere nescisti, usque adeo propter ancillam legem neglexisti dominam fidem, ut ne saltem unquam fuisse illam meminisses, nisi tibi impegissem sententiam irrefragabilem et veram: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XV). Deinde sequitur: *Ecce, ait Abraham, ancilla in manu tua est,*

u!ere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fu- A *gam iniit?* (*Gen.* XVI.) Quidquid egerunt probi judices Israel regesque fideles, cohibendo populum ab illicitis, afflictio fuit ancillæ illi; idcirco fugit. Initium fugæ fuit in eo quod vitulum unum in deserto post exitum de Ægypto sibi formavit, et sculptile illud adoravit, gaudens quod in illius cultu comedere et bibere, et deinde ludere vacaret sibi. Consummatio autem ejusdem fugæ in eo fuit quod decem tribus, scissæ a domo David, etiam duos vitulos fecerunt sibi. Sed ecce angelus Domini: *Agar,* inquit, *ancilla Sarai, unde venis? Vel quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio: dixitque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu ejus* (*ibid.*). Nonne similiter sermo Domini per prophetas revocavit, et revocare B non desiit per prophetas populum refugum a cultu vitulorum et Baal, cæterorumque dæmoniorum, ad cultum Dei sui? Vix tandem effecit ut tribus Juda rediret ad cultum Dei sui; nam decem tribus scissæ per Jeroboam a domo David nunquam recesserunt a cultu vitulorum, quos Jeroboam fecit; propter quod in Assyrios translatæ sunt captivitate indissolubili. Hinc Osee Dominus ipse dixit: *Quia non addam ultra misereri domui Israel; sed oblivione obliviscar eorum, et domus Juda miserebor* (*Osee* II). Profecto quando tribus Juda pœnitentiam egit, et de Babylonica captivitate reversa templum et civitatem reædificavit, tunc ancilla ad dominam suam rediit, et sub manu ejus humiliata est. Tandem libera peperit Isaac, id est fides nobilissima et princeps ex utero C Virginis Mariæ Jesum Christum de Spiritu sancto conceptum enixa est. Quo facto vidit Sara filium ancillæ ludentem cum Isaac filio suo? dixitque ad Abraham: *Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Sed nimirum vidit liberrima fides carnalem Judaismum ludentem, id est illudentem, imo persequentem Christum, Christi apostolos, et ecce electus est cum lege sua populus secundum solam carnem Judæus, ut non sit hæres in regno Dei, ejectus quoque de loco terrenæ possessionis, ut non vacet ei ludere, id est persequi libertatem fidei.

Jud. Si ita est, ut dicis, magna mihi et in Christum tuum causa odii. Nam secundum affectatam similitudinem quam introduxisti, adventus ejus causa mihi est totius mali, causa excidii, captivitatis et D dispersionis et longissimæ captivitatis. Populus, antequam iste veniret, eram Dei; nunc jam autem nec populus, nec Dei sum, ut tibi videtur; nimis ergo male mihi propter adventum ejus.

Christ. Falsum est. Non propter adventum ejus populus esse desisti, imo propter adventum ejus diutius populus fuisti. Nam propter eum ut nasceretur, ut esset unde illo nascente promissio impleretur, reservatus es tu, reservata est tribus Juda, cum decem tribus perpetuæ captivitati adjudicarentur, et reædificata est civitas tua Jerusalem, unde venire oportebat tantam salutem juxta illud: *Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isa.* II). Nunquid enim minus peccaverat illud tua terrena Jerusalem, quam Samaria? imo plus peccasse arguitur per prophetam, dicente Domino ad ipsam Jerusalem: *Vivo ego, quia non fecit Sodoma soror tua, sicut fecisti tu, et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eas in sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es* (*Ezech.* XVI). Depone ergo magnitudinem odii et iracundiæ, de qua Psalmista loquitur in persona Christi: *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant* (*Psal.* XXXIV v. XX), quia non propter adventum ejus perdidisti terram tuam; imo propter eum, ut eo nascente veritas Dei, qui repromiserat Abrahæ et juraverat fideli David, adimpleretur, tu diutius possedisti eam quam decem tribus non injustiores, imo justiores te possiderunt Samariam.

Jud. Superius dixisti quia præcepta et judicia, quæ ante reatum vituli data sunt, præcepta et judicia justitiæ fuerunt; et quia per prophetam de illis Deus dixit: *Et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivat in eis* (*Ezech.* XX). Nonne inter illa prima præcepta justitiæ præceptum est de observatione Sabbati? Sic enim Deus dixit: *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbati Domini Dei tui non facies omne opus tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt; et requievit Deus die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit illum* (*Exod.* XX). Quare ergo vel Sabbatum non custodis? quare præceptum istud contemnis, unum de decem præceptis quæ scripsit in tabulis lapideis digitus Dei?

Christ. An quia non sabbatizo tecum, transgredior præceptum, et nullum habeo Sabbatum? imo si sabbatizarem tecum, incurrerem Dei odium; dixit enim Deus in Isaia, et ego jam tibi memoravi longe supra: *Neomeniam, et Sabbatum et festivitates alias, Kalendas vestras, et solemnitates vestras, odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta* (*Isa.* I). Recessi ergo a tuo Sabbato, et assumpsi mihi meliorem sabbatismum, ut sabbatizem primam Sabbati, qua die Christus meus resurrexit, cujus sanguine tu Sabbatum tuum cruentasti, et odibile Deo fecisti. Parasceve enim erat Paschæ tui, aderatque magnus ille dies Sabbati, quando sacrilegium illud consummaverunt patres tui.

Jud. Non primum Sabbati, sed ipsum Sabbatum Deus sanctificavit; non primo diei, sed septimo Deus benedixit; idcirco benedixit, quia in illo requievit.

Christ. Quid intelligis in appellatione illius diei septimi; putasne solum spatium ab ortu usque ad occasum solis? Si nihil amplius intelligere vis, ego dico tibi quia non septimus, sed quartus erat ille dies ab eo die pro solem istum visibilem Deo fecit.

Interrogo adhuc quomodo vel quali operatione Deus illa omnia fecit sex diebus?

344 JUD. Dicendo: *Fiat* (*Gen.* I); et sicut Psalmista etiam dicit: *Ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXX I).

CHRIST. Ita est, ut dicis. Dicendo fecit, dicendo operatus est, et ab operibus suis septimo die requievit.

JUD. Etiam requievit, et idcirco benedixit diei septimo et sanctificavit illum.

CHRIST. Quare tu loqueris in die Sabbati? Si enim Deus dicendo omnia fecit, et ab illo modo suæ operationis die septimo requievit, tu qui idcirco sabbatizas, quare dicis quidpiam in die Sabbati? Adhuc et aliud interrogo te, quoniam diem illum sic accipis ab ortu usque ad occasum solis, nunquid tam breviter Deus requievit? nunquid requies ejus requies est unius talis diei? Ego autem dico tibi, quia requiescit adhuc et requiescebat, quando dixit in David: *Ipsi vero non cognoverunt vias, quibus juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam* (*Psal.* LXIV).

JUD. Fatigas me; et illud ipsum quod scio, pene facis me nescire. Quid enim aliud ego debeo scire, nisi quod palam dicit mihi manifesta facies litteræ? *Sex diebus*, inquit, *operaberis; septimo autem die non facies opus; quia sex diebus fecit Deus cœlum, et terram, et mare et omnia, quæ in eis sunt* (*Exod.* XX).

CHRIST. O Judæe, benevolentia Dei tuam infantiam lactavit. Utrumque fecit, et intus abscondit secreta sapientiæ suæ, quæ non potuisses capere; et in superficie litteræ lactavit te, ut scires operariis tuis tua viscera non claudere, et fessis in opere tuo non posses requiem denegare. Istam denique intentionem suam in Deuteronomio manifestus edicit. Cum enim loquens de observatione Sabbati dixisset: *Non facies in eo quidquam operis, tu, et filius tuus, et filia, et servus, et ancilla, et bos, et asinus et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas* (*Deut.* V), statim subjunxit: *Ut requiescat servus et ancilla tua, sicut et tu. Memento quod et ipse servieris in Ægypto; et eduxit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento; idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati* (*ibid.*). Ad hanc intentionem idem facit prima Sabbati, quod ipsa dies Sabbati; requiescit enim servus meus, et ancilla mea, bos et asinus meus, uno die ex septem diebus. Sed tibi jam melius notum esse cuperem, quid sit sanctificare diem Sabbati secundum requiem Domini; et hinc aliquid dicturus sum, quod et si tu non accipis, accipient libenter discipuli fidei, quorum Deus cor ad intelligendum ea, quæ sunt spiritus, aperuit, ut delectentur remoto velamine videre vultum Moysi. Sex dies primos intellexerunt nonnulli majores nostri sex creaturæ species, quibus mundus constitit, quem in sapientia sua Deus fecit, sicut Psalmista dicit: *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII), ipsam autem sapientiam septimum esse diem, in quo revera Deus requiescit; et iste quidem dies numero septimus, natura autem primus est. Propterea notandum quod Scriptura cum dixisset: *Fiat lux* (*Gen.* I), etc., per quam videlicet lucem intelligimus creaturam angelicam, non dixit, factumque est vespere et mane dies primus, sed *factumque est*, ait, *vespere et mane dies unus* (*ibid.*). Ille namque, qui numero, ut jam dictum est septimus ponitur, natura est primus, et recte septimus ponitur, cum sit primus: quia cum omnia, quæ facta sunt, transeant, et immutentur, ille permanet dies æternus vesperam nunquam habiturus. Iste est qui contra te in Evangelio suo loquitur: *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemat, quia dixit: Filius Dei sum* (*Joan.* X). Nam quia Scriptura dixerat: *Et benedixit Deus diei septimo et sanctificavit eum* bene consonat ei dicendo: *quem pater sanctificavit et misit in mundum*, scilicet Deum hominem factum, Verbum incarnatum. Sine igitur me perloqui, quoniam mihi objecisti de sanctificatione Sabbati, quod verbum sanctificationis splendide positum est tam in Exodo quam in libro Deuteronomii. In Exodo: *Memento*, ait, ut diem Sabbati sanctifices (*Exod.* XX). In Deuteronomio: *Observa*, inquit, *diem Sabbati, ut sanctifices eum* (*Deut.* V). Quid, rogo, est sanctificare diem Sabbati, nisi vacare verbo Dei in festivitate sancti otii, et omnibus modis quærere regnum Dei postpositis cunctis quæ pertinent ad curam carnis? Qui enim sic non egit, nunquid sanctificavit diem Sabbati? *Si averteris*, inquit propheta, *a Sabbato pedem tuum, non facere voluntatem tuam in die sancto meo, vocaberis Sabbatum, et sanctum Domino gloriosum* (*Isa.* LVIII). Qui sic incipit sabbatizare, hic dum vivit, perficitur, dum de præsenti sæculo transit ingrediens in requiem Domini, et requiescit ab operibus quemadmodum et Deus ab operibus suis requievit.

JUD. Tu neque Sabbatum custodis, neque illum diem, quem Dominicum dicis? negotiaris enim, ambulas, et circa res quaslibet exerceris, et insuper sculptilia facis, et colis ea, contra alterum præceptum Decalogi dicentis: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea* (*Exod.* XX).

CHRIST. Ego si in Sabbato Domini, quod est vacare et videre *quoniam Dominus ipse est Deus* (*Psal.* XLV), quidpiam admitto, quo impediar ab illa vacatione sanctoque studio, fateor quia pecco: verumtamen scias quod non mihi eadem quæ tibi posita ratio, neque per omnia servituti æque ut tu obnoxius esse debeo. Tibi enim in ratione observandi Sabbati ob requiem servi et ancillæ tuæ veraciter dictum est: *Memento quod et ipse servieris in Ægypto et*

eduxerit te inde Dominus tuus in manu forti et brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati (*Deut.* v). Ego non servivi in Ægypto, sed panem meum comedo, et in me completur illud, quod per Isaiam dictum est : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur ; tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum* (*Isa.* IV). Præmiserat autem idem propheta dicens : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extenso collo*, etc., usque *pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio, et mærebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit* (*Isa.* III). His præmissis continuo subjunxit, quod jam dixi, *apprehendent septem mulieres virum unum.* Tu fuisti illa terrena Sion, elevata mulier, et extento collo ambulans ; cum nunquam dicere possis : Panem meum comedam, et vestimentis meis operiar ; tantummodo invocetur nomen tuum super me : quippe qui panem nullum, nec vestimentum nullum habebas, imo in Ægypto serviebas **345** advena, sed ut invocares nomen Domini super te, ipse tibi panem et vestimentum alterius dedit, sicut scriptum est : *Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant* (*Psal.* CIV). Porro septem mulieres, quæ dixerunt, *panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur*, universæ sunt Ecclesiæ mei, id est Christiani nominis, quæ propter invocationem nominis Domini, propter fidem quam susceperunt illius unius viri, cujus et tu esse debuisti, nullas regiones aut labores aliorum quæsierunt sive acceperunt, sed in suis, quas antiquitus possidebant, regionibus commanentes justificationes Domini custodiunt, et legem ejus requirunt. Propter quod ipse Deus ponendo tibi legem terræ in eadem lege dicit : *Mea est enim terra ; vos autem coloni mei estis* (*Lev.* XXV).

Jud. Nunquid solummodo terra illa, terra Chanaan, quam dedit nobis, terra Domini erat ; et non etiam omnis terra Domini est ? *Domini est terra, et plenitudo ejus ; orbis terrarum, et universi qui habitant in ea ; quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit eam* (*Psal.* XXIII).

Christ. Plane omnis terra et plenitudo ejus Domini est, et ipse post diluvium dedit eam filiis hominum, filiis Noe, dicendo : *Vos autem crescite, et multiplicamini, et ingredimini super terram, et replete eam* (*Gen.* IX). Sed considera quid deinceps actum vel dictum sit : Posteri autem Cham, filii Noe, maximeque Chananæi, quorum pater Chanaan, quem in patre maledixit offensus Noe dicens : *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis* (*ibid.*) Terram quam acceperant propter scelera sua perdiderunt ; imo et ipsa terra evomuit eos, quemadmodum ipse Dominus cum enumerasset ipsa scelera : *Ne polluamini*, inquit, *in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, et quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos* (*Levit.* XVIII). Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos. Istam ergo suam terram dominus dixerit, quam per justum judicium possessoribus ablatam sibi retinere voluit, ut haberet in ea memoriale nominis sui, sancta sua tabernacula, et templum, ubi deberet nomen ejus invocari.

Jud. Patri meo terram illam dedit, patri meo Abrahæ et semini ejus, quod semen ego sum, eodem jure quo dedit, quemadmodum nunc commemorasti, filiis Noe. Quomodo ergo terram illam suam diceret, potius quam terras alias quas aliis hominibus dedit ?

Christ. Dedit quidem, quia dare se promisit : sed terra illa non fuit tota promissio, sed quædam superadjectio, ut quærentibus regnum Dei, quo, sine dubio promissio tendebat, necessarium non deesset stipendium, quo via vitæ præsentis indigebat. Cumque terram illam se daturum promisisset : indignos se fecerunt patres tui filii Jacob, qui habitarent in ea, vendendo in servum fratrem suum Joseph. Sed et futurum præsciebat Deus, ut ingressi terram illam contaminarent eam, plus quam contaminaverant gentes, et idcirco non nisi sub conditionibus dare voluit, hoc inter cætera dicens : *Terra enim mea est, vos autem coloni mei estis.* Igitur ego, ut jam dixi, si in Sabbato Domini, quod est vacare et videre *quoniam Dominus est Deus* (*Psal.* XLV), quidpiam admitto, quo impediar ab illa vacatione sanctoque studio ; fateor quia pecco, verumtamen scias quia non eadem, quæ tibi fuerat, mihi quoque posita est ratio, neque per omnia servituti æque ut tu obnoxius esse debeo. Non exigitur a me ut terra mea sabbatizet septimo anno, quia terram meam non accepi ex eo, vel pro eo, cui credidi, Evangelio. Bona tantummodo spiritualia consecutus sum per Evangelium, et idcirco spirituale meum debet esse sabbatum. Tuum sabbatum erat, et est sabbatum servitutis et carnis ; meum sabbatum est sabbatum libertatis et fidei. Et ut manifestius dicam, sabbatum tuum unus erat dies, idemque tibi absconditus, quia claritatem ejus et ferre non potuisses, nisi velamine vultus Moysi operiretur. Meum autem sabbatum duobus constat diebus ; ipsum est enim unus idemque Deus et homo, Christus Jesus, dies primus et octavus ; primus quia Deus ; octavus quia homo factus, gloria suæ resurrectionis illustratur. Dixi tibi supra, quia dies septimus, cui benedixit et in quo requievit Deus, qui numero ponitur septimus ; ipse est natura primus, gratia octavus, quia gratia propter nos homo est factus, et de tuo die septimo, die transitorio, et umbratico, transiens ad octavum me transduxit, ut mihi sit dies octavus, idemque primus, atque in una persona utrumque clara festivitate concelebrem, scilicet et quia *in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia*, et quia ipse *est principium, primogenitus ex*

A *mortuis*, et per eum placuit reconciliari *omnia sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis sunt* (*Col.* I).

JUD. Si ipse dies erat natura primus, quid necesse erat ut numero poneretur septimus? non poterat dici vel scribi : Primo die Deus requievit, et secundo, et tertio et quarto, quinto, et sexto, et septimo opera tua fecit.

CHRIST. Vobis, quibus vel propter quos Scriptura condebatur, idcirco post dies operum recte positus est dies requietionis, in quo Deus et antequam operaretur requiescebat, et postquam operatus est requiescit, quia nos non de requie ad operandum vocamur, sed post opera, cum bene operati, et creaturis Dei bene usi fuerimus, in requiem ingredimur, quandoquidem resurgemus dupliciter, id est tam secundum animam quam secundum corpus, B quicunque Jesu Christi secundum prædictas rationes primum et octavum esse diem fideliter et cum dilectione credimus. Hæc tibi de Sabbato responderim : jam præcepti de eo quod objecisti, quod alterius quoque præcepti de Decalogo transgressor sim, quod dictum est : *Non facies tibi sculptilia, non adorabis ea, neque coles* (*Exod.* XX); similiter quæ vera sunt responderem, sed prius est ut peragam quæ superius cœpta fuerant de sacrificio carnis et sanguinis, quod in lege per Moysem ordinatum est, et de sacrificio panis et vini quod Christo juravit Dominus secundum ordinem Melchisedech. Et hoc quidem facere insistam ; sed ut benevolum te reddere queam ad audiendum, persuadere cupio quatenus deponas animi contemptum, quo soles con- C temnere nationes gentium, te solum existimans nobilem populum, aut omnium populorum nobilissimum.

JUD. Recte ego sic existimo, quia Judæus ego, sive Judaicus populus, non sum sicut cæteri homines, sicut cæteræ gentes sunt. Nunquid tu ipse aliter sentis, aut de nostri nobilitate generis contrariam sententiam proferre vis?

CHRIST. Ego sententiam proferre non cupio contrariam veritati : sed si de nobilitate carnis gloriari vis, ego tibi veraciter demonstrare possum quia non est unde gloriari possis. Et **345** ut breviter hoc faciam, dic mihi nunc in quibus hominibus nobilitas generis tui maxime claruerit.

JUD. In regibus nostris, maxime in David, et in Jerusalem civitate Dei, in templo, et in omni gloria ordinis sacerdotalis et levitici.

CHRIST. In primis de tota tribu regia, tribu Juda, quæ nobilissima fuit ego tibi dico quia si id quod verum est attendisses, nunquam dixisses contra Dominum meum : *Nos non ex fornicatione sumus nati* (*Joan.* XIII)! fornicata quippe est Thamar, nurus Judæ, cum eodem socero suo, et concepit Phares et Zaram, de quibus tota Judæ tribus propagata est; Levi quoque de quo fuerunt omnes familiæ sacerdotales atque leviticæ, de Lia quæ per fraudem subintroducta fuit Jacob, cum ille pro Rachel servierit, progenitus est. Et si rite consideres, soli duo Joseph et Benjamin de legitima conjuge procreati sunt, Unde et idem pater Jacob ad decem filios suos : *Vos scitis*, ait, *quod duos filios genuerit mihi uxor mea. Egressus est unus, et dixistis : Bestia devoravit eum, et hucusque non comparet : si tuleritis et istum Benjamin, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum dolore ad inferos* (*Gen.* XLIV). Solam ergo Rachel uxorem legitimam intelligi voluit, ubi hæc dixit ; et sicut fuit, quia videlicet sex filii de subintroducta Lia, et quatuor de ancillis nati sunt ; et, sicut jam dictum est, pro sola Rachel sibi desponsata ille servivit. Quid dicam de patre Abraham? Genere Chaldæus exstitit, cæteris hominibus similis. Hæc dicens nequaquam gentem tuam sive Israelitici generis seriem volo haberi ignobilem ; constat enim illam fuisse nobilem valde. Sed hoc intendo, ut scias quia nobilitas ejus non fuit secundum carnem, sed fuit secundum fidem.

LIBER TERTIUS.

CHRIST. Præcedente disputationis nostræ breviculo satis demonstratum esse arbitror, quod carnalia legis sacrificia non jussa, sed permissa ; non postulata fuere, sed ultro ab hominibus illata. Unde ne adhuc dubites, recole quis primus fuerit litator ejusmodi sacrificii ; et vide utrum jussus, Scriptura teste, litaverit, an non.

JUD. Abel primus litator fuit, sicut scriptum est : *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola ; factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ Domino munera ; Abel quoque obtulit de primogenitis ovium gregis sui; et de adipibus eorum* (*Gen.* IV). Et quidem neutrum illorum lego jussum esse ut offerret ; verumtamen prius placuit Dominum sacrificium de primogenitis ovium; *respexit enim Dominus ad Abel, et ad munera ejus* (*ibid*), quam oblatio de fructibus terræ, cujuscunque generis fuerint : sequitur enim : *Ad Cain vero, et ad* D *munera ejus non respexit* (*ibid.*).

CHRIST. Certe quod ad fructus terræ, munera Cain, non respexit Dominus, culpa fuit ipsius Cain, quia bene quidem obtulit, sed male divisit, cor suum sibi in infidelitate retinens, et rem suam Domino offerens : cum offerret Abel semetipsum, sive cor suum, Domino per fidem, et rem suam per dilectionem. Nam de fructibus terræ cum fide offerre, præsertim oblationes panis et vini, laudabile Deo placitum non minus animadvertis, ubi jam tunc temporis quis obtulit, licet Scriptura nusquam ante diluvium memoraverit, maxime quia recenti post diluvium tempore tam insigniter Scriptura quemdam pro hujusmodi oblatione commemoravit, ut diceret :

At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Altissimi benedixit ei, videlicet *Abrahæ* (*Gen.* XIV). Et qui benedictiones acceperat in promissione, benedixit sacerdos hujusce sacrificium. Dico ergo quia semper plus placuit et plus placere debuit sacrificium panis, et vini, quam sacrificium cujuslibet bruti pecoris, Scriptura quoque testante, quæ istud hoc modo præfert : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Veruntamen hoc te scire et concedere oportet, quia neutrum illo adhuc tempore sacrificium jussum est ; sed utrumque prout merebatur fides voluntarie offerentium, verbi gratia, fides Noe, fides Melchisedech, ab uno eodemque Deo susceptum est.

Jud. Si jussum non erat, unde habebant ut offerrent? quæ causa hominibus suggessit, ut offerrent quidpiam Creatori cuncta possidenti, si non ipse prior jussit?

Christ. Causa sacrificii vel muneris, quod in sacrificium Domino deberet offerri, peccatum fuit. Nisi enim peccatum accidisset, nullo sacrificio, nullo redemptionis munere nobis opus fuisset : Ipsum autem peccatum comedendo admissum fuit ; per cibum hominem inobedientem, hominem similitudinis Dei nimium appetitorem, comprehendit et morti tradidit. Nam cibus ille, ligni vetiti fructus, res quidem parva fuit, et apud Dominum secundum se nullius momenti, sed intentio comedentis nimis magna, nimisque fuit horribilis, secundum verba illa serpentis : Comedite et *eritis sicut dii* (*Gen.* III). Nonne hoc fuit peccatum Diaboli, qui primus in cœlo appetivit similitudinem **347** Dei? Igitur quia rapiendo vetitum et comedendo, peccatum admissum fuit ; ratio justitiæ postulabat sacrificium Deo offerri, quod tanti esset pretii, ut comedendo illud satis fieret et recompensaretur rapina illius cibi quem homo tali intentione comedit. Sed ubi, vel unde homo tale quid acciperet, tale quid invenire posset? Nihil ergo Deus homini super sacrificio jubere voluit, aut jubere debuit quia sciebat eum nihil habere, quo peccatum ejus posset redimi. At ille, videlicet homo fidelis, qualis fuit Abel, qualis fuit Noe, qualis fuit Melchisedech, qualis fuit Moyses, recuperare gestiens gratiam Creatoris fuit, venit voluntarius, voluntarie sacrificavit, voluntaria munera obtulit, qualia vel quanta consequi potuit de laboribus suis ; ille de gregibus suis, in quorum cura laboravit ; ille de fructibus terræ, qui majore cum labore acquiruntur, quorum videlicet fructuum terræ panis et vinum præcipua sunt, et cum labore maximo veniunt. Nam *in sudore vultus tui*, ait Dominus, *vesceris pane tuo*, et cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed *spinas et tribulos germinabit tibi* (*ibid.*). Vidit Dominus voluntarios offerentes, et ad munera eorum respicere dignatus est, cum nullo horum indigeret, juxta quod Psalmista : *Dixi*, inquit, *Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV). Vidit et accepta habuit, prout offerentium merebatur fides ; et oblata sive accepta sic honoravit, ut in illis rebus, quas offerre vel sacrificare præparaverant, sacramenta poneret illius unici sacrificii, quod solus ipse dare poterat, quo solo posset homo a peccatis vel a morte redimi. Hoc est quod nos dicimus et scimus ; tu autem scire vel audire non vis quid in sacrificiis animalium quæ ultro offerebantur, ut jam dictum est, causæ suberat, propter quam Deus ritus eorum sic et sic consumi, et quædam omnino præcepit incendi, sic et sic sanguinem fundi vel aspergi, adipemque totum adoleri, et cætera ritu diligentissimo pertractari. Omnia fieri jussit in mysterio sacrificii venturi, sub figuris sanctis, et mysticis, juxta quod ipse quodam loco dixit ad Moysem, ut jam longe superius memoratum est : *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est* (*Exod.* XXV). Porro in sacrificio panis et vini, quod tu ipse nosti, et jam supra dictum est, primus protulisse legitur Melchisedech, causam per semetipsum, virtutemque posuit ejusdem veri sacrificii (53) : Causam quia jam venit ; virtutem, quia remissionem peccatorum hoc sacrificium operatur, non jam in spe, sed in re, illi qui fideliter sumit : quod illis carnalibus sacrificiis impossibile fuit.

Jud. Causam, dicis, et virtutem posuit. Quis, rogo, posuit?

Christ. Ille nimirum, in quem illud, quod jam supra memoravi, dictum est : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX).

Jud. Quis enim ille est? Scio quo tendis, videlicet ad Jesum Christum, quem crucifixerunt patres mei. At ille ubi sacerdos demonstratus est? Ubi consecratus ille fuit vel sacrificium obtulit?

Christ. Nusquam in ordine Aaron sacerdos fuit, nec esse debuit, quem videlicet ordinem sacerdotii solum attendis ; sed in ordine, vel secundum ordinem Melchisedech. Quid iterum stupidus astas? Quid hæres? O Judæe, quæcumque loquuntur Scripturæ aut vera sunt, aut non ; sed dicere quis audeat quia non vera sunt? Si autem vera, imo quia vera sunt, quære aliquem, in quo completa sit veritas Scripturarum ; et non invenies, nisi hunc unum Jesum Christum. Non longe, nec in multa Scripturarum spatia, quæ latissima sunt, nunc mitto te ; hunc unum brevem psalmum scrutare, de quo est versiculus iste : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum ;* et invenies et sacerdotis personam, et sacerdotii ordinem, et ordinis virtutem, et præcedentis in virtute sua sacerdotis gloriam et honorem, sessionis ejus altitudinem, et fere quidquid magnum et victoriosum ego per Evangelium didici de Jesu Christo, filio David, domino David. Dico tibi, quia passus et mortuus est, et propter hoc illum Deus exaltavit exaltatione ascensionis in cœlum multis videntibus. Quid

(53) Rup. l. III De operib. Spiritus sancti, cap. 22 ; vid. Ap. pro Rup.

aliud loquebatur idem psalmus ultimo versiculo: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput?* Dico tibi, quia sedet nunc a dextris Dei, secundum carnem Filius David, et secundum divinitatem Dominus David. Quid aliud erat in primo versiculo ejusdem psalmi: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis?* Dico tibi, quia regnum et sacerdotium ejus a Jerusalem incipiens, ad gentes sese extendit; et inter inimicos suos, Judæum scilicet et gentilem, crevit nomen ejus, et prædicatur ipse Dominus omnium; et propterea Judæi captivi ducti sunt inter gentes quæ credunt in eum, quia inimici ejus sunt, et amici per fidem esse noluerunt. Quid aliud ille versiculus ejusdem psalmi sequitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum?* Dico tibi quia antequam ipse homo factus visibiliter appareret, ante cœlum et terram, ante omnem creaturam visibilem, seu invisibilem, ipse Deus apud Deum erat, natus ex corde Patris, coæternus illi et consubstantialis. Unde et principium recte semetipsum pronuntiavit, sicut et Pater principium est. Quid aliud sequenti versiculo loquitur psalmus iste: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te?* Dico tibi quia ipse est Judex vivorum et mortuorum et in die judicii cunctos impios, tam gentes quam gentium reges, judicabit, justos autem et humiles glorificabit. Quid aliud ei vel de eo dicitur duobus versiculis sequentibus: *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum?*

Jud. Tu Scripturas tuo sensu tractare consuevisti ducis ac reducis, ut jam dixi, qualem in partem vis.

Christ. Non ego sensu meo Scripturas involvo, sed tibi ostendere cupio quia, sicut Ezechiel vidit et scripsit, *rota est in medio rotæ* (*Ezech.* I), id est Scriptura evangelica, quam tu non accipis, stat fundata in manifesta auctoritate veteris Scripturæ, legalis et propheticæ. Scio quod in isto gravaris, et abhorres quod tibi ad videndum ingeritur; etenim istud quoque non tacuit aut ignoravit propheta jam dictus; nam *statura quoque*, ait, *erat in rotis, et altitudo et horribilis aspectus* (*ibid.*). Nunc ad illud revertar quod ex adverso interrogaveras. Dixisti enim: Ubi ille, quem crucifixerunt patres mei, sacerdos demonstratus est? ubi in sacerdotem consecratus fuit? ubi sacrificium obtulit? Ego autem dico, et dixi tibi quia nusquam in ordine Aaron sacerdos fuit, aut esse debuit; sed in ordine vel secundum ordinem Melchisedech. Quod nisi fecisset, nisi ad illum ordinem transisset, quomodo juramentum Domini staret, quem mentiri impossibile est? **348** Nam cum juramento dixit Dominus: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Si non esses cordis nimium duri et aversi, saltem propter hoc, quia Dominus juravit, sentires et consentires sic oportuisse omnia fieri quomodo Jesus Christus fecit. *Qua enim nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem; postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite in meam commemorationem, quotiescumque bibetis* (*I Cor.* XI). Ibi sacerdotio functus est secundum ordinem Melchisedech, post esum agni faciens sacrificium panis et vini. Ubi completum est desiderium omnium sanctorum, qui non habentes sacrificium sufficiens ad expiandum peccatum præparaverunt sacrificare quod potuerunt: de quibus et Jacob in benedictionibus Joseph: *Benedictiones*, inquit, *patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret Desiderium collium æternorum* (*Gen.* XLIX) (54). Hoc facientes sive sumentes nos competenti antidoto curamus servato ordine justitiæ, ut quia crediderunt homines primi illud quod non videbant: scilicet, pomo illi, secundum dictum serpentis, virtutem inesse effectivam divinitatis, sive divinæ similitudinis, illud comedendo mortui sunt. Credamus nos econtra illud quod non videmus carneis oculis, scilicet sacrificio panis et vini, secundum dictum Filii Dei, veritatem inesse carnis et sanguinis ejus, ut comedendo vivamus, consecuti per hoc remissionem peccatorum.

Jud. Forsitan hoc itidem dices mihi de sacrificio illo panis et vini, quod de Baptismo dixisti mihi? scilicet quod virtus ejus ad inferos descenderit, et omnes, qui illic erant, eodem cibo refecti sunt et potu.

Christ. (55) Plane hoc dico, quia idcirco, Dominus meus Jesus Christus secundum id quod Deus, Dei Verbum, diciturque et est vere panis angelorum, visitatione sua refecit et pavit omnem multitudinem animarum fidelium, et secundum corpus, in eumdem ventrem terræ receptus, quo sepulta fuerant corpora illorum, factus est eis cibus terræ ut resurgant in vitam æternam: ob cujus rei fidem sive testimonium, jam nunc multa cum eo sanctorum corpora surrexerunt. Quod in illa specie in qua pependit in cruce et sepultus est, tunc illis prioribus contulit, hoc nobis idem residuis confert in istis speciebus panis et vini dum abluti sacramento sanguinis et aquæ, quæ utraque tunc fluxerunt de latere ejus, jam mortui, et mundati a peccatis (eorum maximum erat opprobrium peccati originalis) comedamus et bibamus, ut jam dixi contra illum cibum primæ prævaricationis, ut simus filii Dei.

Jud. Tu si velles, melius aliquid loquereris de lege sancta Dei, lege Moysi, et sacro ordine omnis sacrificii. Tu omnino sic loqueris ac si in tuo tantum sacrificio, et non in sacrificiis legis, peccati remissio sit. Nonne in lege Dominus dicit: « Rogabitque pro

(54) Rup. l. III De operib. Spiritus sancti, c. 23. Vide Ap. pro Rup.

(55) Rup. l. II. in Exod. c. 6; l. III De sap. c. 2; l. X in Matth., et Joan.

cos sacerdos, et pro peccato ejus; et remittetur ei? » A (*Levit.* IV). Aut nunquid tantummodo semel hoc dicitur. Nimirum et in oblatione cujuscunque animæ, sive quæ juramenti sui oblita fuerit, sive quæ cæremonias per ignorantiam prævaricata fuerit, et in cæteris hujuscemodi remissio legitima proposita est, dicendo: « Rogabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei. » Horum tu aut non meministi aut cum non immemor esses, dissimulasti, ut ordinem sacrificii tui superexaltares, ordinem autem meum deprimeres. Similiter cum de pacto, quod pepigit Dominus cum Abraham patre meo propter solam, ut dicis, fidem, multa superius dixeris, de pacto vel fœdere, quod pepigit in monte Sinai, super sermonibus legis nimis ad loquendum negligens exstitisti.

CHRIST. De pacto illo quid ego loquerer, nisi quia irritum factum est? An non prophetæ istud, imo in prophetis Dominus loquitur? Exempli gratia: « Ecce, » inquit Jeremias, « dies venient, dicit Dominus et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die quando apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel » (*Jer.* XXXI), etc. Porro factum fidei, quod cum Abraham pepigit, super quo etiam, sicut juraverat Abrahæ, juravit iterum David, irritum fieri non potuit. Hinc apud eumdem Jeremiam idem Dominus dixit: « Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies in tempore suo; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus » (*ibid.* XXXIII). Item: « Si pactum meum inter diem et noctem, et leges cœlo et terræ non posui, equidem et semen Jacob et David servi mei projiciam, ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraham, et Isaac, et Jacob » (*ibid.*). Pactum illud, super quo tu quereris, non tam firmum sive tam firmiter positum fuit, quod posset dissolvi absque detrimento justitiæ, et veritatis Dei.

JUD. Quomodo magis pactum legis dissolvi potuit, salva veritate Dei; quam illud pactum, ut dicis, fidei pactum, quod pepigit cum Abraham et cum David?

CHRIST. Rationem, si vis, cito intelligere poteris: Nonne illud volumen fœderis de quo ita legis: « Assumensque Moyses volumen fœderis legit audiente populo, » etc. usque « hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his » (*Exod.* XXVI); nonne, inquam, volumen illud totum sub conditione scriptum fuit? Sic quippe sermones illos, quos in illo volumine scribi jusserat, Dominus exorsus est: « Vos ipsi vidistis quæ fecerint Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis » (*Exod.* XIX), etc. Nunquid ita conditionaliter in promissione aut in repromissione ad A Abraham et ad David locutus est? Non utique; sed absque conditionis interpositione ad Abraham: « In semine, » inquit, « tuo benedicentur omnes gentes » (*Gen.* XXII). Et alibi: « Suspice cœlum, » inquit, « et numera stellas, sic erit semen tuum » (*Gen.* XV). Ad David autem: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam » (*Psal.* CXXXI). Et alibi: « Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum » (*II Reg.* VII). Hujusmodi promissiones, quoniam absque conditione dictæ sunt, non potuerunt irritæ fieri, salva veritate Dei; illæ autem promissiones legis, quoniam conditionaliter dictæ sunt, « si audieritis vocem meam, si custodieritis pactum meum, » B etc. irritæ factæ sunt non infirmata veritate Dei, et irritæ fieri cœperunt jam tunc a reatu vituli. Hæc ut ita esse magis ac magis rite perpendas, **349** dic mihi: Quando iratus propter illum vitulum dixit ut disperderet eos? Quomodo, quid dicendo tenuit eum Moyses stans in confractione in conspectu ejus? Recole verba ipsa hominis tenentis Deum dicentem: « Dimitte me, ut irascatur furor meus » (*Exod.* XXXII).

JUD. Verba illa orantis Dominum satis in promptu sunt: « Recordare, » ait, « Abraham, Isaac et Jacob, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli, et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro » (*ibid.*)

C CHRIST. Cur non dixit: Recordare fœderis, quod nuperrime nobiscum pepigisti, cujus ego internuntius dixi: « Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his? » Videlicet quia per commemorationem istam nihil haberet fortitudinis, cum jam ex parte populi violatæ essent conditiones illius fœderis. In illo fortis fuit, et Deum tenere potuit, quia sine conditione, ut jam dictum est, Abrahæ promisit, et juravit. Eadem fortitudine utebatur et David quando sollicitus ne, propter peccatum quod fecerat in Uriam Ethæum, indignus haberetur promissione qua promiserat illi, et juraverat Deus nasci de semine ejus regem sempiternum, dicebat: « Miserere mei, Deus, ut justificeris in sermonibus tuis » (*Psal.* L).

JUD. De differentia pacti et pacti, promissionis et D promissionis satis abunde dixisti, et scientiam tuam plurimam ostendisti. Ergo autem prius et maxime illud proposueram, quod in ordine meo in sacro ritu sacrificiorum legalium manifeste datur et enuntiatur remissio peccatorum, Scripturamque ostendi ex ore dicentem Domini: Quid sic vel sic peccaverit, offeret hoc vel illud « rogabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei. » Tu ergo frustra soli tuo, quod dicis secundum ordinem Melchisedech, sacerdotio remissionem peccatorum ascribis.

CHRIST. Et de hoc tibi respondere paratus sum; nec oblitus eram, sed cum duo proposuisses, simul de utroque respondere non poteram. Novi plane

quia dixit Dominus, et verum esse oportet quod dixit, *rogabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei*. Sed nunquid omnis dimissio ubicunque nominatur, sufficiens et perfecta debet intelligi? Repugnat valde illud, quod cum dimisisset Dominus peccatum populi, et placatus esset ne faceret malum quod locutus fuerat, postmodum ait: *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* XXXII), et quidem meliorem constat esse dimissionem illam qua dictum est, *rogabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei*. Verumtamen ad quantitatem sive æqualitatem non pertingit hujus remissionis quæ datur in sacrificio panis et vini, sacrificio corporis et sanguinis Domini. Aliud namque est in remissione solummodo dimitti pœnam, aliud non solum dimitti pœnam, verum etiam conferri gloriam. Sunt ergo tres modi dimissionis; est enim dimissio exigua, qua ita dimittitur peccatum ut ad præsens non inferatur temporale malum, pro quo multi solliciti sunt, sicut Achab, et sicut Ninivitæ fuerunt; et est maxima dimissio, qua ita dimittitur peccatum ut peccator non solum evadat pœnam, sed et gloriam consequatur æternam. Harum media dimissio erat, qua in lege dimittebatur peccatum, ut propter illud apud inferos non puniretur anima, non jam in re, sed in spe habens gloriam vitæ æternæ, quæ non nisi in semine Abrahæ, quod est Christus, danda vel implenda erat; de illa spe sanctorum apud inferos exspectantium, priori libello cum testimoniis Scripturarum latius tractatum est.

JUD. Ubi vis immoraris, et declamata jamdudum importunus iteras ac replicas, et illud in quo tenebam te, aut oblitus es, aut dissimulando devitas. Dico enim te idololatriæ cultum non reliquisse, sed immutasse; et contra sacræ legis præceptum dicentis: *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis neque coles ea* (*Exod.* XX), tu sculptilia facis, et colis ea.

CHRIST. Ego similitudinem facio et adoro humilitatis Dei Altissimi, qui cum sit homo, ipse Altissimus est, sicut testatur psalmus dicens: *Homo natus in ea, ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI); et hoc faciendo longe fugio judicium diaboli, in quo secum hominem reum statuit, peccando ipse prior in eo quod dixit: *Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV): et promittendo homini eamdem similitudinem Dei, dixit Evæ: Comedite, et *eritis sicut dii* (*Gen.* III). Per hoc namque satis evidenter me significo multum dissentientem esse, et longe recessisse animo ab illa præsumptione sacrilega, cum ego illius in cruce pendentis adoro humilitatem, cujus ille rex filiorum superbiæ regnantem in cœlo contempsit majestatem.

JUD. *Simulacra gentium*, ait Psalmista, *argentum et aurum, opera manuum hominum: os habent et non loquentur*, et cætera usque, *similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII).

A Et in Isaia loquitur dicens: *Nunquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? Plastæ omnes idoli nihil sunt. Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihilum utile?* etc. usque, *cor insipiens adoravit hoc, et non liberavit animam suam, neque dicit: Forte mendacium est in dextera* (*Isa.* XLIV).

CHRIST. Et idem Deus postmodum apud eumdem prophetam dicit: *Ecce ego levabo ad gentes manum meam; et ad populos exaltabo signum meum. Vultu demisso in terram adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent* (*Isa.* XLIX). Inter medium istorum, quæ ab uno eodemque domino dicta sunt, sic medium tene; ut merito detesteris simulacra gentium, et tamen adorare debeas aliquod signum, *quoniam exaltabo*, inquit, *signum meum*: et ad ipsum con- B versus, *vultu* inquit, *in terram demisso adorabunt te*.

JUD. Tu illud medium ostende; tu mihi, si potes, modum expone quo unquam liceat homini, facto ad imaginem Dei, simulacrum aliquod, aliquod opus manuum adorare.

CHRIST. Primum hoc dico tibi, quia illud super quo mihi calumniaris, simulacrum non est de simulacris gentium; neque enim gentes, quandiu gentes, id est gentiles sunt vel fuerunt, tale simulacrum adorant, sive adoraverunt. Et mihi manifesta horum distantia est, quia simulacra gentium cuncta mendacia sunt; istud autem simulacrum non mendacii, sed summæ veritatis est signum. Qui ergo simulacra gentium facit et adorat, mendacium facit, et mendacium adorat.

JUD. Absque ulla distantia, absque aliqua ex- C ceptione dixit Deus qui non mutatur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra* (*Exod.* XX).

350 CHRIST. Et ipse postmodum ad Moysem: *Facies*, inquit, *duos cherubim aureos et productiles ex utraque parte oraculi. Cherubim unus sit in latere uno oraculi, et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas suas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo, versis vultibus in propitiatorium* (*Exod.* XXV). Et in libro Numeri scriptum est: *Fac serpentem æneum*, ait Dominus, *et pone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit pro signo: Quem cum percussi aspexissent sanabantur* D (*Num.* XXI).

JUD. Et si jussit Deus illa fieri, non tamen jussit, imo vetuit adorari, sive coli quæcunque ejusmodi.

CHRIST. Plane non jussit, neque voluit ea coli; imo ne colerent ea proni ad idololatriam juveniles animi, capti pulchritudine formarum sive metalli, abscondita esse voluit, intecta videri prohibuit. *Cum*, inquit, *involverint Aaron, et filii ejus sanctuarium, et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, et non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur* (*Num.* IV). Item: *Aaron et filii ejus intrabunt; ipsique disponent onera*

singulorum et divident quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, ne forte moriantur (*ibid.*).

Jud. Unde hoc habes quod si visui patuissent illi cherubim, coleretur, et illi qui vidissent morerentur; et quod idcirco dixerit Deus: *Alii nulla curiositate videant, alioquin moriantur?*

Christ. Narrat Scriptura de rege Ezechia, quia ipse *confregit æneum serpentem quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum* (*IV Reg.* XVIII). Si ergo potuerunt colere æneam similitudinem serpentis, quanto magis, vel citius coluissent aureas similitudines sanctorum Cherubim? Igitur quod vetuit Dominus dicens: *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra* (*Exod.* XX); idcirco vetuit ne facturam eorum subsequeretur cultura, unde et subjunxit, *non adorabis neque coles ea*, et recte, quia nihil erat in cœlo, sive in aquis, cujus similitudo jure adorari deberet aut coli, præter Deum cujus substantia incircumscripta esset invisibilis, et cujus nullam viderant similitudinem, ut eam posset artifex imitari. Hinc Moyses in Deuteronomio dicit: *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ* (*Deut.* IV), etc. Itaque non contra me, sed pro me facit illud præceptum legis, videlicet adversus Humaniformios contra quos Christianitati aliquando labor exstitit, ut manifesti convincerentur erroris, dicentes hominem secundum facturam corporis factum esse ad imaginem Dei. Contra me, ut jam dictum est, non facit, quia videlicet tunc quidem non videbatur aut visus erat in terra Deus cum hominibus conversatus; nunc autem *in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* in illa specie (*Baruch.* III), quam optime novit Deus et homo Christus, et hic idem crucifixus. Proinde similitudinem ejus facio, et hanc adoro, non vana spe sanitatis et salutis in fide vel per fidem ejus, qui pro me secundum hanc similitudinem in cruce pependit. Si enim serpentem æneum pro signo positum percussi aspicientes sanabantur, non utique serpentem viventem, sed inanimatam serpentis similitudinem, quanto magis ego signum hoc aspiciens, de quo, ut jam supra memini: *Ecce ego*, inquit Dominus, *levabo ad gentes manum meam et ad populos exaltabo signum meum* (*Isa.* XLIX); quanto magis, inquam, ego aspiciens et *vultu in terram demisso*, adoro hoc signum, et *pulverem pedum* illius lingens sanari debeo a morsibus sive percussionibus serpentum (*ibid.*), id est a vitiis et peccatis, quæ sunt percussiones malignorum spirituum?

Jud. Ergone signum illud, quod adoras, signum est Dei, et non potius hominis mortui? Nam Deus ad Moysem dixit: *Non enim videbit me homo, et vivere potest* (*Exod.* XXXIII); hic autem et visus ab hominibus, et comprehensus, et occisus est.

A Christ. Deus invisibilis est; et ut videretur homo factus est: neque enim ignota est causa hæc rite recolentibus, quod primum in Exodo, et deinde in Deuteronomio scriptum est: *Perterriti ac pavore concussi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur* (*Exod.* XX), etc. Hujus rei memor ipse Dominus ad Moysem dixit: *Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi; bene omnia sunt locuti* (*Deut.* V). Et ipse Moyses ad populum: *Prophetam*, ait, *de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei; et ignem maximum*
B *hunc non videbo amplius, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus; loquetur que ad eos omnia quæ præcepero ei. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo adire noluerit, ego ultor existam* (*Deut.* XVIII). Hæc et cætera, quæ longum est hic enarrare, perspicuum faciunt omni oculos habenti ad videndum, et aures ad audiendum, quod idcirco Deus homo factus est, quia non poterat visio substantiæ ejus ab homine videri, videlicet propter antiquas inimicitias, quarum paries stabat inter Deum et homines ex peccato primi hominis. Hinc est illud, quod tu legere aut intelligere nondum vis: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarravit* (*Joan.* I), id est soluto pariete
C inimicitiarum visionem Dei hominibus ostendit. Iste est propheta ille, de quo Moyses, ut dictum est: *Prophetam*, ait, *de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, etc.

Jud. Ecce duo dii, Deus Pater, et Deus unigenitus Filius. In lege autem scriptum est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI). Et alibi: *Ego Dominus, et non est amplius; extra me non est Deus* (*Isa.* XLV).

Christ. Nunquid unigenitus Filius hoc de semetipso, aut alius qui de illo dixit ex omnibus assertoribus ejus, quod sit extra Deum Dominus? Nunquid illud, quod jam memoravi, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, hoc dicere est quod extra Deum aut præter Deum Deus sit. *Ego*, ait, *ipse in patre et Pa-*
D *ter in me est* (*Joan.* XIV). Non igitur duo Dii: quia non extra Patrem Deum Filius Deus; imo in sinu Patris est unigenitus Filius.

341 Jud. Qualemcunque, quantumcunque facias vel esse velis Christum tuum, ego tibi dico quia quod adoras nec Deus est, nec homo.

Christ. Sed utrumque figurat imago. Jam tibi supra dixi quia non adoro simulacra gentium, sed adoro veritatis signum; quam, videlicet, veritatem gentes, quandiu gentes erant, nescierunt.

Jud. Et tamen adoras simulacrum opera manuum hominum. Dicit enim Scriptura: *Similes fiant illis qui faciunt ea* (*Psal.* CXIII).

CHRIST. In quo similes, in corpore, an in anima? Si in corpore dicis, hoc nunquam factum est, ut corpus hominis simulacra facientis simile fieret illis. Si autem in anima, oportet ut ita dicas: Similes illis fiant quorum sunt simulacra. Et ita fiat, quia revera similes sunt homines illis quorum simulacra faciunt, in quorum simulacris confidunt: exempli gratia, quando patres tui *initiati sunt Beelfegor, et comederunt sacrificia mortuorum* (*Psal.* CV), eidem Beelfegor, scilicet Priapo turpissimo, similes facti sunt, scortando cum Madianitis mulieribus secundum exemplum Priapi, quem constat fuisse scortatorem nimium. Sic et de cæteris gentium monstris, si secundum animam intelligis, *similes illis fiant qui faciunt ea*, recte intelligis, scilicet quod cum Jove, et Mercurio, cum Junone et Venere simili damnatione damnentur qui simulacra eorum faciunt, *et qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII). Quid mihi consequenter evenit, nisi ut faciens simulacrum Jesu Christi Filii Dei, propter me crucifixi, et adorans hoc signum sanctæ ejus humilitatis, similis fiam illi, simque et ego filius Dei, scilicet per gratiam adoptionis? Quid nunc econtra dicis? Ut video, imo ut jamdudum certissime scio, in omnibus deficis, et toto animo fugis, cum effugere non possis, et completur in te illud quod inter cæteras maledictiones legis pronuntiavit, et excelsa voce pronuntiari jussit Moyses, in quo tu confidis: *Tradat te*, inquit Deus, *corruentem ante hostes tuos. Per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias* (*Deut.* XXVIII). Hoc dupliciter, id est tam corporaliter quam spiritualiter, in te completum est: Corporaliter nimirum in eo quod ante hostes tuos, scilicet ante Romanos milites corruisti: quia contra eos per viam unam egressus, contra eos per septem fugisti, id est per fiduciam unius munitæ civitatis contra eos pugnare ausus, per omnes terras dispersus es qui gladio superfuisti; spiritualiter vero, quia in una re, scilicet in carne Abrahæ gloriabundus, ante omnes homines veritatem quærentes, quibus odiosum te fecisti, quotidie corruis, et dum in eo solo quod jam dictum est, scilicet quod secundum carnem et Abraham es, nimium confidens, et contra me egrediens, per septem vias, id est per omnes veritatis Scripturas convictus terga vertis, malens fugere veritatem quam credere veritati.

JUD. Ergone tu mihi hostis es, et ante te sicut ante hostem corruo? Ubi est quod dicebas quia salutem meam quæreres, cum profitearis quod agas hostiliter?

CHRIST. In Psalmo scriptum est: *Perfecto odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII). Perfectum quippe odium est, ubi odio habentur non homines, sed hominum errores; tunc maxime quando cum errore erroris quoque defensio est. Dic mihi nunc quam ob causam tradiderit te Dominus, ut jam dixi, corruentem ante hostes tuos, venerintque super te omnes maledictiones, quas scripsit Moyses, et apprehenderint te?

JUD. Quia non audivi vocem Domini Dei mei, ut custodirem et facerem omnia mandata ejus, et cæremonias quas ipse præcepit mihi.

CHRIST. Vere non audisti, vere non custodisti. Hoc tantum et non amplius, mihi respondere consuevisti. Ego autem certum ex te quæro capitulum, ut confitearis in quo non audieris, in quo non custodieris. Nunquam enim tradidit patres tuos in manus hostium, nisi præmonstrata, et apparente causa: exempli gratia, ut illic filii Israel duxerunt uxores filias Chananæorum, ipsique filias suas eorum filiis tradiderunt, feceruntque malum in conspectu Domini, servientes diis eorum, Baalim et Astaroth, iratusque Dominus contra Israel tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ. Hoc malum, quod erat fornicari cum diis alienis, et adorare eos, semper Scriptura præmittit, narratura iram Domini tradentis Israelem hostibus suis. Quando autem taliter ut nunc tradidit? Quando Israel taliter ut nunc et tandiu captivus atque dispersus fuit? Si ergo quando levius tradebatur in terra sua manens, licet serviret hostibus suis, culpa vel causa nominatim præmonstrata est et præmonstrari debuit, quanto magis et tua præsens captivitas, et dispersio, cuncta retro generis tui calamitates magnitudine sua superans, causam habet quam tu nominatim scire et confiteri deberes? Et quidem non ignoras, sed ignorare te simulas nihil aliud dicere volens, nisi: Propter peccata mea. Ego autem dicam tibi; imo Moysem prædixisse et prophetas ostendam tibi, Moyses namque ubi omnes maledictiones præscripsit, quæ nunc venerunt super te, causam illam subjunxit: *Et erit vita tua quasi pendens ante te; timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII). Daniel autem manifestius: *Et post hebdomades septuaginta duas occidetur Christus* (*Dan.* IX). Hæc est causa, statimque subjunxit quod nunc pateris: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas; et post finem belli statuta desolatio, et deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (*ibid.*) Confitere igitur quia propter peccatum negationis Christi quem negasti ante faciem Pilati, et occidisti, civitatem Jerusalem et sanctuarium dissipavit populus Romanus cum duce, scilicet Vespasiano, sive filio ejus Tito, et statuta perseverat desolatio, et tu non es populus ejus quem negasti. Quo malo tuo, scilicet non esse populum ejus, nihil deterius est. Non dixit: *Et non erit populus ejus*, qui eum occisurus est, sed, *qui eum*, inquit, *negaturus est*. Quod eum occidisti nibil tibi noceret, nisi negares eum pertinaciter. Ecce *vita tua*, sicut dixit Moyses, ut jam memini, *quasi pendens* est *ante te, et non* credis *vitæ tuæ*. Olim fuit vere pendens una, non tota die, sed *ab hora sexta usque ad horam nonam* (*Matth.* XXVII), nunc autem quasi pendens est ubicunque tu dispersus es, sicut præmiserat Moyses idem: ***Disperget te Dominus***

in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus (*Deut.* XXVIII). Nam in eo est quasi pendens vita Christus, qui fuit vere pendens, quod similitudo ejus qui pependit, palam te vidente adoratur in tam multis locis dominationis ejus. Quasi pendet, et quasi **352** pendebit, sicut et prædixit ipse : *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* III). Et pendebit ante te similitudo hæc, licet tu videre nolis, et versus in furorem ac nesciens quid dicas, (neque enim ad rem pertinet) clames contra me, clames contra hoc signum Domini exaltatum : *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum* (*Psal.* CXIII).

Jud. Nunquid vero solum illud adoras crucifixi, tui simulacrum, quem dicis esse Deum tuum, quem mihi persuades esse Messiam, id est Christum? Alias quoque innumeras imagines facis tibi, tam masculini sexus quam feminei, et plena sunt templa simulacris eorum qui non sunt dii.

Christ. Jamdudum dixi tibi quia et Moyses fecit cherubim, et Salomon imagines ejusmodi ampliavit in templo quod fundavit, sicut scriptum est : *Et fecit in oraculo duo cherubin de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera, id est decem cubitos habens a summitate alæ usque ad summitatem alterius. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus, mensura pari. Et opus unum erat in duobus cherubim, id est, altitudinem habebat unus cherub, decem cubitorum, et similiter cherub secundus. Posuitque cherubim in medio templi interioris; extendebat autem alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherubim secundi tangebat parietem alterum ; alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. Texit quoque cherubim auro, et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno. Et fecit in eis cherubim, et palmas, et picturas varias quasi prominentes de pariete, et egredientes* (*III Reg.* VI), etc. Multa post illud tempus, et multo plura, vel majora quam antea, facta sunt memorabilia per sanctorum ministerium angelorum, et multæ atque innumerabiles palmæ atque cedri creverunt nobis in altum, de qualibus psalmista : *Justus*, inquit, *ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur ; plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt, adhuc multiplicabuntur in senecta uberi* (*Psal.* XCI). Et idcirco omnes parietes ecclesiarum laudabiliter sculpo variis cælaturis et torno ; et multiplico non solum cherubim et palmas ; verum etiam et picturas varias memoriæ meæ repræsentantes memorabilia gesta sanctorum, fidem patriarcharum, veritatem prophetarum, gloriam regum, beatitudinem apostolorum, victorias martyrum, quorum omnium inter sacras imagines crux adoranda cum imagine Salvatoris mei præfulget miranti mihi, quia nullo genere mortis illum interficere potuisses, cujus, videlicet mortis imaginatio tali tamque evidenti prospectu proponi potuisset. Si illum præcipitasses de supercilio montis, ut præcipitare voluisti ; si lapidasses, ut semel et iterum lapidare voluisti ; ipsi gladio percussisses, ut eum infantem funestus Herodes trucidare voluit, nullatenus vel sic vel sic perempti posset imaginatio tam insigniter orbi terrarum spectanda proponi. Sed jam solvamus litem, et veni mecum intus in domum Patris qui me recepit, et pro reversione mea diem festum agens vitulum saginatum jussit occidi ; *et manducemus*, ait, *et epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, et revixit ; perierat et inventus est* (*Luc.* XV). Veni intus, ut simul epulemur, crede, ut mecum salveris.

Jud. Hoccine mihi persuadere vis, ut tecum epulans carnes quoque suillas comedam, cæteraque immunda, quæ lege probibita sunt ?

Christ. De hac re pro minimo mihi est loqui tecum, quia sicut jam alibi dixi, præcepta hujusmodi, præcepta non bona sunt, et data maxime propter reatum vituli, sicut ipse apud Ezechielem, cum præmisisset : *Et exacerbaverunt me, in præceptis meis non ambulaverunt*, et cætera usque, *et post idola patrum suorum fuerunt oculi eorum* (*Ezech.* XX), ita subjunxit : *Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent* (*ibid.*). Mihi *omnis creatura bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* (*I Tim.* IV). Nam ad Noe, et ad filios ejus post diluvium, dixit Deus: *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt; et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis* (*Gen.* IX).

Jud. Ergo si absque discretione, *omnes pisces maris*, ait Deus, *manui vestræ traditi sunt, et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum ; quasi olera virentia tradidi vobis omnia ;* cur non etiam carnem comedis ? cur non etiam ranam sive rubetam deglutis ?

Christ. Hoc ego cordi meo expostulare non valeo, sensus meus abborrescit; nimietati huic ratio non consentit. Sed quid mihi diutius agere tecum de ejusmodi ? Nam *quod intrat in os non coinquinat hominem*, ait Dominus meus, *sed quod inde procedit, hoc coinquinat hominem. Nam quod intrat in os, in ventrem vadit ; quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt : et ea coinquinat hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth* XV). Proinde patres mei rectissime dixerunt et scripserunt mihi : *Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato, et fornicatione, et ea quæ vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis, a quibus vos custodientes, bene agetis* (*Act.* XV).

Jud. Qui sunt illi patres tui ?

Christ. Apostoli Jesu Christi, qui me per Evangelium genuerunt, genitura fidei, generatione verbi

Dei, ut adimpletam crederem et scirem esse promissionem, quam patribus tuis Deus fidelis promisit et juravit.

JUD. Ego non multo attendo illis patribus tuis, sed neque curo de illorum dictis aut scriptis : discipulus enim sum Moysis : et hoc scio quia Deus locutus est Moysi ; tuos autem apostolos nescio unde sint.

CHRIST. Unde scis quia Deus locutus est Moysi ? Unde scis quia Deus locutus est prophetis ?

JUD. Scriptura hoc mihi denarravit, et testimonia fidelia præbita sunt signis, prodigiis atque portentis.

CHRIST. Et mihi similiter de patribus meis apostolis Scriptura denarravit, quia Deus locutus est illis, *Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Adhuc autem dicam tibi unum quid, quod nondum rite perpendisti. Inde scio ego, et inde scire debes tu, quod Deus locutus sit Moysi, **353** quod locutus sit prophetis, quia in scripto illorum, quo instructi vel edocti sunt, non fuit secundum hominem, neque enim ab homine acceperunt verbum, neque didicerunt, sed cum essent plerique illorum idiotæ, imo et pastores, ut Amos vellicans sycomoros, et David pascens oves patris, invisibiliter per revelationem Spiritus Dei edocti et sapientes effecti sunt, et verbum sapientiæ eorum sequebatur effectus rerum. Ob hoc recepti sunt, et recipi debuerunt in tanto auctoritatis apice, ut eos non audire, hoc fuerit vel sit Deum non audire sicut cuilibet eorum dixit ipse Deus : *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me* (*Ezech.* III). Ecce autem patres mei apostoli non ab homine, neque per hominem acceperunt aut didicerunt, sed cum essent homines sine litteris, et idiotæ, venit Spiritus sanctus super eos, et repente sapientes et scientes, linguisque omnibus eloquentes effecti sunt, et verbum sapientiæ eorum secutus est et sequitur effectus rerum. Exempli gratia, cum adhuc staret civitas tua, civitas Jerusalem terrena in sua gloria, scripserunt et dixerunt cito venturum ejus exterminium, quod a magistro veritatis audierunt : *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus ; erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes* (*Luc.* XXI). Hoc enim non solum Magister prædixit, sed et discipuli scripserunt priusquam fierent, ut ab eis dictum, vel scriptum, ita et factum est. Et saltem istam veritatis portionem tu abscondere non potes, ductus captivus non in unum locum, sed in omnes gentes, gladio Romanorum superstes. Igitur quoniam tam Patres mei apostoli, quam et Moyses et prophetæ non ab homine neque per hominem didicerunt, sed per Spiritum sanctum repente docti sunt ; recte in eodem canonicæ auctoritatis apice mihi patres sunt : et quia tu istos audire non vis, dico revera, quia non vis audire Deum. Et ecce habebo lapides molares duos ad molendum verbi Dei frumentum, et faciendum panem vivificum : tu autem, qui Moysen et prophetas te audire profiteris, quos tamen non vere audis, Apostolos autem neque audis, neque audire te velle profiteris ; unum tantummodo habes lapidem, inferiorem, otiose jacentem ; unde nec facis farinam : id est eam quam in Scripturis et habere putas, auctoritatem non invenis tutam. Age nunc, ut dixi, noli stare foris, nec invideas stolæ, et calceamentis, et annulo, fidei signaculo, quæ mihi pœnitenti filio Pater dedit, sed veni intus, et esto socius gaudii, particeps convivii. Quod si non facis, exspectabo, et sustinebo indignationem tuam, donec egressus Pater ipse te roget (*Luc.* XV), et interim dicam ad gloriam ejusdem patris : Annulus meus mihi, annulus meus mihi.

---

354 DE VITA VERE APOSTOLICA

DIALOGORUM LIBRI V,

AUCTORE UT VIDETUR RUPERTO ABBATE TUITIENSI.

(Edit. Dom MARTENE *ampl. Collect.*, t. IX, col. 969, ex ms. codice Graffchatensi monasterii, cujus character annos circiter sexcentos refert.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Non aliam ob causam scripti videntur hi quinque dialogorum libri *De Vita vere apostolica*, quam ut eorum auctor demonstraret, monachos ad omnia Ecclesiæ munia obeunda idoneos esse, summamque illis injuriam fieri a canonicis regularibus, qui, vix sæculo XI exorti, statim eis bellum indixerunt, existimantes, et ubique conclamantes monachos tanquam incapaces, verbi divini prædicatione, administratione sacramentorum, parochiarum cura interdictos, intra cellularum suarum angustias esse detrudendos : quamvis hactenus monachi infinitos prope populos, integras nationes, et regna non pauca prædicatio-

nibus suis ad Christi fidem convertissent; nec aliquas tantum parochias, sed universas pene totius orbis diœceses administrassent, ipsamque sedem apostolicam non semel occupassent, nec sine fructu. Namque absque ullo vanæ jactationis vitio possumus asserere vix unquam magis floruisse Ecclesias quam cum monachos habuerunt episcopos.

Horum *Dialogorum* auctor suum ex professo nomen subticuit, si quid in eis boni protulit, id totum Deo, a quo omne bonum, referens, optansque ut in *laude sua mutus liber ipse legatur, dummodo laudem Dei et Ecclesiæ loquatur.* Scriptos tamen a Ruperto abbate Tuitiensi, prope Coloniam Agrippinam, ex conjectura non levi possumus asserere. Nam Grafschatense monasterium, cujus ex codice illa ætate exarato ipsos descripsimus, situm est in diœcesi Coloniensi, simulque exemplar pariter in ipso Ruperti cœnobio Tuitiensi reperimus, quod pene unicum ex omnibus tanti viri operibus, ibidem superstes habetur. Deinde auctor librum suum tertium his terminat verbis: *Imminens sancti Nicolai festivitas compellit nos sibi insistere, unde compellimur quartum distinguere, cujus ad hoc possumus prece juvari.* Porro sanctus Nicolaus patronus est vicini Tuitio Brunvillarensis monasterii, quocum magnam, haud dubium, consuetudinem habebat Rupertus. Demum certum est hoc de argumento opus aliquod a Ruperto compositum fuisse, ut discimus ex Anselmi Havelbergensis epistola ad abbatem Husbergensem, qui occasione Petri cujusdam canonici regularis, gratia majoris perfectionis ad monachos transvolantis, ejusdem argumenti lucubrationem ediderat. Hanc enim ille refellere cupiens, magno cum contemptu sic de Ruperto effatur: *Porro nescio cujus Roberti, cujusdam doctrinam adnectis, cujus auctoritas, quia in Ecclesia ignoratur ea facilitate contemnitur qua probatur Fortassis apud vos magnus habetur, non ob id quod aliqua magna scripserit, sed ob hoc quod monachorum abbas exstiterit. Ego sane quædam illius scripta fateor, curiosa levitate legi, ipsum etiam vidi et novi, sed pulchre dictum apud Græcos proverbium in illo verum reperi: Pinguis venter non gignit tenuem sensum.* Hæ sunt amœnitates quibus iste episcopus summum illum virum recreat, cujus hactenus et scripta et sanctitatem veneratur Ecclesia. At qui justam defendunt causam, non in conviciis aut in contumeliis victoriam quærunt sed in validissimis argumentis.

INCIPIT PROLOGUS.

355 Cum quidam fratrum intuerentur usquequaque quemadmodum sancta sanctorum conculcarentur et lapides sanctuarii in capite omnium platearum dispergerentur, illo zelo quo renes Mathathiæ contremuerunt, ipsorum præcordia infremuerunt, valde sedulo me hortabantur, ut et ego proprium arriperem baculum, quo etsi non prosternerem, saltem vulnerarem qui quotidie exprobrat Israel diabolum. Quibus cum dicerem me quasi inermem et impotentem adhuc non sufficere, hac me parabola conantur convincere: Quomodo lex, inquiunt, divina obtinuit et humana quod debeat omnis viator qua id possit voce prodere, cum videt lupum gregem invadere, ne, hunc si prodere cunctatur, sublati pecoris reus habeatur; debent etiam pusilli cum majoribus fustes vel quælibet defendicula arripere, dum acrius bellum vident ex adversa facie insurgere. Non licet omnigenis armis parcere, qui nolunt communem hostem prosternere. Unde David pusillæ licet staturæ in funda et lapide Goliam prostravit, qui omni Israel in facie exprobravit. Horum itaque victus ratione pariter ac postulatione, elegi proprio stylo Satan filiis Dei prodere, quos vult dispergere, et tamen inter ipsos absque nota latere. Quapropter quicunque vere estis filii Dei, vel vero vultis computari Israeli, animadvertite me pro vobis et ad vos subsequens opusculum dirigere, in quo me constat non contra vos, sed contra hunc qui est rex super universos filios superbiæ scribere. Hic enim licet dixerit circuisse se terram et perambulasse, tamen dicit cum filiis Dei ante Deum adfuisse, scilicet ut ejus spiritu concipientes superbiæ filios pareret quos esse filios Dei invideret. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis et carnales, A cum constet filios Dei esse pacificos ut fratres spiritales? Vetus est enim hæc inter monachos et clericos controversia, qui eorum digniores sint ad Ecclesiæ tractanda mysteria, adeo ut, dum inter se contendant pro apostolica dignitate, vacui ambulent ab apostolica charitate. Quippe cum sint monachi et clerici totius populi, quasi duo corporis oculi, si hi spiritu superbiæ cæci ostenduntur, quantis populi tenebris involvuntur? Quia *si oculus tuus tenebrosus est, totum corpus tuum tenebrosum erit* (*Luc.* XI, 34). Si enim in uno capite duo oculi pariter videre dedignarentur, nonne justum esset ut ambo de capite eruerentur? Cum igitur hos oculos pituita superbiæ se alterutrum superponendo graviter ægrotare vidissem, et sæpe huic bello interfuissem, B nisus sum qualiscunque medicus ipsorum morbum describere, et eisdem hoc opusculum quasi quoddam collyrium impendere, tum ut, destructa contentione, ambulent et ipsi in dilectione, tum ut omnibus pateant causæ manifestiores qui in apostolica dignitate sunt digniores. Nam quod vitam et regulam monachorum tanta auctoritate Evangelio et dignitati æquiparavi apostolorum, testor judicium futurum et Jesum, vivos et mortuos judicaturum, quod hoc non personarum acceptione fecerim, sed veritate et hujuscemodi admonitus visione. Quadam enim nocte cum pro ipsa quæstione mente turbarer sollicita, subito oppressus somno visus sum mihi missas celebrare, et ecce vidi ad dextram altaris pariter collaterales placido vultu mihi tres miræ auctoritatis viros astare. Me igitur stupente, et qui essent pariter C nesciente, repente quædam vox insonuit, quæ mihi duos quidem apostolos, Bartholomæum et Thomam, tertium autem S. Benedictum monachum fore in-

noluit. Rursum ad sinistram altaris respexi; et ecce quidam clericorum veste quidem incomparabili, ad me tamen accessit facie terribili; et cum quasi aliquid mihi illaturus acceleraret, ab his tribus qui in dextra steterunt est prohibitus, ne me in aliquo gravaret. Finita itaque missa, hi tres pari modo placido vultu abiere. Itaque intellexi me debere monasticam vitam et apostolicam in eadem dignitate describere, cum beatus Benedictus se parem apostolis in visione mihi dignaretur ostendere, exprimens hoc totius in libri quæstione quod vidi in hac visione. Cæterum utrum aliter hæc visio intelligatur, in arbitrio lectoris relinquatur. Ideo autem nominis mei subtraxi personam, quia si quid utiliter dixi, A inde non meo, sed suo nomini do gloriam, ut in laude mea mutus liber legatur, dummodo laudem Dei et Ecclesiæ loquatur. Pro meo itaque nomine, *Dialogus quæ sit vita vera apostolica* vocetur, nam hæc summa totius libri habetur. Quod autem sub dialogo subsequens composui opusculum, ideo me sic fecisse manifestum, quia cum hæc quæstio inter monachos et clericos quasi inter duos constaret, volui eligere talem qui interrogaret, ut dum nil minus quam interrogando parceret, purum esset omne quod respondendo pateret. Unde etiam hunc volui auctoritate attestari, quod posset a me ratione probari. Rogo autem ut hic prologus cum capitulis sicut a me ordinatus ipsi opusculo præfigatur.

—

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

DE EO: QUID SIT VERE APOSTOLICA VITA

356 [Cap. I.] Discipulus. Sanctam Ecclesiam ne patiaris, dilecte magister, quorumdam calumnia diutius commoveri; cum eam valeas tam rationis veritate quam Scripturæ auctoritate defendere.

Magister. Quid jubes fieri?

D. Ut sinas me quorumdam objectionum verbis te interrogare, ut tu quoque freno rationis et auctoritatis ora iniqua loquentium valeas refrenare.

M. Creditur Ecclesia supra firmam petram ædificata. Ergone mei homunculi indigebit fulcimento, quæ Christum habet in fundamento? Quis aut immobilem festuca supponit montem, aut turbida aqua lucidissimum eliquat fontem? Quis lippis oculis clarissimum jubar illuminat solis, aut lutulenta manu tangit candidissimis vestitum stolis?

D. Age, jam eo quo dicis modo Ecclesia nullius D indigeat propugnaculo, saltem concedas interrogans respondentis egeat oraculo.

M. Age, jam victus; concedo breviter comprehendenda quæ tibi videntur objicienda.

D. Cum constet me magna quædam et utilia mea interrogatione parturire, non debeo quod sentio præpropere præterire, quare non valeo ea tam breviter comprehendere, ne postmodum cogar præcipitati nimis eloquii pœnitere.

M. Ista tua sollicitudo nescio quam me sollicitum reddit.

D. Sic indigeo.

M. Unde tandem.

D. Pace tua, ut liceat mihi, post primam et principalem quæstionem, omnes quæ inde videntur

suboriri, prout occurrerint, tuo repræsentare examini.

M. Nequaquam hoc ab homine, sed a rationis examine te decet quærere. Quare si quid movet, tandem exsequere.

[Cap. II-III.] D. Videtur Ecclesia in quatuor membra divisa, quorum tria dum inter se sentiunt contraria, quartum, quod tria sequitur, magno sub errore relinquitur.

M. Verba tantum audio; quare significatione indigeo.

D. Verbi gratia, sunt sub regula monachi, sunt et regulares canonici, dicuntur clerici, sciuntur et laici. Ex quibus cum monachi, regulares canonici et clerici sibi singuli apostolicæ perfectionis dignitatem vindicent, vides profecto quam graviter laicos scandalisent. Horum enim quilibet cum sibi quasi propriam apostolicam dignitatem nitantur vindicare, hinc reliquos sine dubio probantur privare. Sequitur enim ut, si monachi apostolicam vitam habeant soli, hinc omnes sint alieni, regulares canonici et clerici. Item: Si hanc habent regulares canonici, excluduntur clerici et monachi. Si autem clerici, excluduntur monachi et regulares canonici. Unde fit ut quasi excæcato capite totus populus quasi cæcum corpus in tenebris videatur palpitare, et volentes huic mundo renuntiare, ignorent quo se debeant contrahere.

[Cap. IV.] M. Multum astute sub unius quæstionis occasione innumerabiles probaris commovere, ut cum tibi debeam hanc unam expedire, cogar quasi ex debito quod te movet pene de tota Ecclesia exponere. Quare ut reor, dignum judicatur, ut eadem mensura tibi remetiatur.

D. Qua tandem, quæso?

M. Qua? nisi ut sicut tu mihi multas una sub quæstione callide videris ingerere, ita quoque ego tibi astute multas una responsione videar præcidere.

357 [Cap. V.] D. Ne, rogo, irascaris, ne malum pro malo reddere videaris.

M. Dic igitur in omnibus: Deine judicium an hominis est præferendum?

D. Qui non dixerit Dei judicium, hunc video stultum.

M. Quos igitur sibi judicat chariores, hi sunt profecto in omni Ecclesia perfectiores. Hi in ipsa aut ipsi apostolicæ perfectioni propinquiores. Dei igitur judicio relinquitur, qui in apostolica dignitate cunctis prælati perfectiores habeantur.

D. Nimis hoc breve longi itineris compendium.

M. Quare totum negotium expeditum.

[Cap. VI.] D. Vide ergo ne hoc tam breve compendium nimis confusum sequatur silentium.

M. Hoc quod videris dicere opus habes conficere.

D. Si constat Ecclesiam prædicatores recte docuisse, ipsamque ab ipsis juste didicisse, certum est te, et si secundum rationem quæ licet, non tamen secundum ædificationem quæ expedit, conclusisse.

A M. Nondum videtur consonum quod dicis.

D. Constat Moysen narrasse Deum cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt creasse; in his autem omnibus Dei judicium judicio Moysi est præferendum. Si ergo omnia quæ dixit, debuit judicio Dei, ideo quia judicio ejus præfertur, reservasse, sequitur Moysen in omnibus quæ dixit aut mentitum fuisse aut errasse.

M. Nimis progrederis.

D. Simili quoque ratione probantur omnes prædicatores Ecclesiæ errare, si ea quæ prædicaverunt solius judicio Dei debuerunt commendare. Sequitur autem: Si prædicatio subtrahitur, fides non suscipitur, si fides non suscipitur, Ecclesiæ fundamentum subvertitur. Ergo si Ecclesia possumdatur,
B paganismus introducatur, rescindenda sunt et omnia concilia, concludenda omnium librorum volumina; tandem debebunt muta esse omnia labia.

M. Quomodo igitur constringor ratione tibi respondere? ergo perge securus, et tuam quæstionem prosequere.

[Cap. VII.] D. Objectio autem monachorum tali molimine roboratur argumentorum, quia Christus cum de perfectione loqueretur apostolica, hæc ad juvenem quemdam locutus est testimonia: *Si vis* inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (Matth. XIX, 21).* Hoc igitur, aiunt, quia palam nos est implere, probamur hanc perfectionem possidere.

C M. Non nimis absurde hoc dicerent, si de seipsis non præsumerent.

[Cap. VIII.] D. Porro regulares canonicos dicunt non tantam perfectionem possidere, dum manifestum est multa, quæ monachis non licent, eis licere. Quanto autem magis quisque laborat, tanto majus præmium sui laboris recipiet; unusquisque enim secundum suum laborem propriam mercedem recipiet. Multa in hunc modum dicere videntur, quæ postmodum objicienda, si tibi placet, reserventur.

M. Placet; quare de reliquis progredere.

D. Nos inquiunt regulares canonici, apostolis ipsis assimilamur, dum in eorum loco positi mores et vitam imitamur. Sicut enim apostolis dictum est: *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam et ponunt*
D *eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (Matth. v, 14, 15),* et nobis dictum teneamus, quorum vitam, habitum, mores possidemus. Ergo si lux sumus mundi, et civitas quæ non potest absconditi super montem posita, et lucerna super candelabrum collocati, debemus omnibus qui in domo sunt Ecclesiæ prædicare, opus evangelistarum et apostolorum consummare.

M. Satis pro imperio.

D. Porro, inquiunt, monachi, quia vitam noscuntur pœnitentium agere, debent se in claustro quasi sub modio abscondere; mortui enim sunt, et vita

illorum abscondita est cum Christo in Deo. Cum ergo Christus apparuerit, tunc et vita ipsorum apparebit cum ipso in gloria. Sicut ergo hic mortui, ibi vivi; sic ibi apparere, hic tantum debent latere. Ergo nec debens prædicare, nec baptizare. Hoc etiam habitus eorum testatur, quia, sicut sunt tam vestitu quam tonsura despicabiles, ita non sunt in vita huic mundo probabiles.

M. Existimo hanc contumeliam in eorum transire gloriam.

[Cap. IX.] D. Illi autem qui dicuntur clerici, sicut videntur cum regularibus canonicis hæc omnia monachis objicere, ita quod de se sentiunt regulares canonici, ipsi sibi præsumunt ascribere. Simili quoque modo monachi et regulares canonici pariter adversum clericos conveniunt, dum eos pro sæculari conversatione ipso quidem clericorum nomine indignos judicant. Quare nec cum eis in sacramentis participant, dicentes cum Gregorio: *Quorum vita contemnitur, restat ut eorum prædicatio condemnetur*.

M. Hi viderentur habere rationem, si de seipsis non haberent gloriationem.

[Cap. X.] D. Porro monachi et illi qui dicuntur clerici, sicut videntur vitæ professione et morum conversatione longe ab invicem distare, ita nec in propriæ dignitatis ascriptione, nec in aliorum abjectione concordare.

M. Studiose nimis cuncta prosequeris; nam nihil præterire videris.

D. Etiamsi incautus quid videar negligere, pactum, ut scis, tecum posui, valeam ut me corrigere.

M. Ut tibi primum faciam quasi quoddam præludium, per hoc unum potest omnibus responderi Pauli testimonium: *Qui gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui seipsum commendat, hic probatus est, sed quem Deus commendat* (*II Cor*. XVII, 8); et: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos* (*Rom*. XII, 16); et: *Si quis videtur aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (*Gal*. VI, 3). Quicunque igitur de sua professione gloriantur, hi propriæ professionis destructores esse probantur. Ita fit ut, dum singuli in summa Ecclesiæ dignitate esse nituntur, ab **358** omni dignitate ipsius foris excludantur; dignum est enim ut corpus illa membra se debeat foris expellere, quibus non sufficit propria loca retinere.

D. Propemodum jam incipit progredi eloquium.

M. Verumtamen de his omnibus quid vis discere?

[Cap. XI.] D. Equidem rationis veritatem.

M. Ab ipsa, an a quolibet alio?

D. Dummodo discerem, id fateor, a quolibet alio vellem.

M. Ergo a pecude constat te velle veritatem discere.

D. Quis hoc vel sanus dixerit?

M. Idem ille tu ipse probaris.

D. Ergone iratus videris?

M. Tu enim confessus es te a quolibet alio quam ab ipsa ratione veritatem velle discere; quodlibet

A autem aliud quam ipsa rationis veritatis est pecus. Quare, si a quolibet alio veritatem vis discere, debes ergo veritatem a pecude discere.

D. Licet confusus, fateor, me tamen rationis veritatem debere nonnisi ab ipsa veritate discere.

M. Constat igitur veritatem de seipsa nos omnes docere.

D. Manifestum est te hoc rationabiliter probare; me autem constat de ejus inventione jam desperare.

M. Deus te ab ista defendat calumnia.

D. Quid enim? si veritatem constat omnes de se ipsa docere, sequitur et nos ipsam de omni veritate solam interrogare debere. Quonam modo ergo id præsumam facere, vel quis debet hoc de se præsumere?

B [Cap. XII.] M. Debes ergo verba veritatis recordari, si auctoritas rationi alicubi inveniatur concordari.

D. O quam mire admonuisti, ipsam enim Veritatem dixisse recordor: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus* (*Matth*. XXIII, 10). Unus autem ibi ponitur, ac si solus diceretur. Christus autem est veritas; solus ergo Christus magister, sola veritas absque dubio intelligitur. Sicut igitur solus, hoc est unicus magister, omnes qui docentur docere convincitur ita veritatem solam omnes docere manifestissima ratione concluditur.

[Cap. XIII.] M. Tandem bene evigilasti, nimis pulchre ostendens auctoritatem cum ratione concordare.

C Quare, si tibi placet, hunc modum debemus per omnia de cætero observare, ut, cum ego ratione quæcunque dixero, innitar infirmare vel approbare, idipsum tu auctoritate Scripturæ cum ratione facias resonare.

[Cap. XIV.] D. Bene multum; nam sicut singularum partium professiones partim rationis veritate, partim Evangelii auctoritate videntur roborari, sequitur eos eadem rationis veritate et Evangelii auctoritate refutari debere vel approbari.

M. Ut sicut Golias proprio gladio gloriantes videantur cadere, vel sicut David in funda et lapide humiles probantur se defendere.

D. Bene concinnamus; nam et auctoritatem veritatis videor mihi recordari, qua possim a mea illa desperatione relevari: *Ubicunque enim duo vel*

D *tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum,* dicit Dominus Jesus Christus (*Matth*. XVIII, 20). Christus autem dicit: *Ego sum veritas* (*Joan*. XIV, 6). Si ergo Christus in medio congregatorum ipsius non dubitatur residere, in medio nostrum veritatem nos absque dubio testamur habere.

M. Quid igitur dubitamus ipsam interrogare, si seipsam in medio nostrum dignatur collocare.

D. O misera, misera anima, quæ tanta privatur gloria, per quam Pater fecit et sæcula, quæ, cum sit splendor et figura Patris ejus, *portansque omnia verbo virtutis suæ* (*Hebr*. I, 3), et *sermo omni gladio*

ancipiti acutior, pertingens usque ad divisionem animæ (*Hebr.* IV, 12), *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* (*Sap* VIII, 1), in carcere, in medio miserorum hujus exsilii collocatorum dignatur residere, quæ in cœlo omnibus angelorum choris probatur præsidere.

M. Singularum partium objectionibus respondere videtur ordo rationis exigere, ut prius gloriantium atque superbientium prave dicta, quasi vetusta ædificia, destruantur, et postmodum humilium, et non in se sed in Deo spem suam ponentium, quasi super novum ædificium dicta construantur.

[Cap. XV.] D. Hoc et auctoritas testatur, cum Deus ad Jeremiam loquebatur: *Ecce misi te*, inquit, *ut evellas et disperdas, destruas et dissipes, et plantes et ædifices* (*Jer.* I, 10). Quatuor nominavit in vitiorum destructione; duo autem in virtutum subjugavit ædificatione. Sicut ergo prius et gravius est vitiosa destruere, ita posterius et levius virtuosa ædificare.

M. Debeo ergo cum majore labore Adam veterem hominem cum actibus suis destruere, ut novum, qui secundum Deum creatus est, valeam erigere.

D. Hæc faciat et addat Deus, ut hic et in nobis funditus destruatur, et ille qui desursum est in nobis erigatur.

[Cap. XVI.] M. Hoc quoque memineris rationabili ordine me facere debere aliquando, sola ratione procedere aliquando ex adducta in medium auctoritate, quod necesse est concludere.

D. Multum hoc rationabile; nam legitur hoc utrumque Dominus fecisse. Cum enim Christum Judæi non aliud quam filium David ipsi respondissent, adducta in medium ipsius David auctoritate? *Dixit Dominus Domino meo* (*Psal.* CIX, 1), etc., conclusit Christum, quod ipsi negaverunt, ipsius David esse Dominum, et ideo verum Deum ex ratione hoc modo inferens: *Si ergo David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* (*Matth.* XXII, 45.) Rursus, cum eum causarentur die Sabbati homini sanitatem dedisse, ex sola ratione probavit hoc sibi licere conclusisse, dicens: *Cujus vestrum asinus aut bos cadet in puteum, et non continuo abstrahit cum die Sabbati* (*Luc.* XIV, 5)? quasi diceret: Si vobis die Sabbati licet asinum de puteo abstrahere, licet ergo mihi multo magis hominem sanare.

[Cap. XVII.] **359** M. Hoc quoque concedas mihi licere, ut, cum videar singularum partium professiones nunc de præsumptione arguere, nunc ad pacem concordiæ sermone reducere, videar sic aliquando quosdam arguere, ut ibidem videar alios defendere, et rursum alios sic defendere, ut videar alios corripere; nunc autem omnes de præsumptione corrigere paratus, vel secundum professionem defendere.

D. Hoc quoque ex auctoritate constat te debere, cum Paulus apostolus in eadem causa hoc idem videatur facere. Nam contra Judæos et Græcos loquens, Judæos de legis præsumptione contra gentiles gloriantes sic videtur reprimere, ut consummationem legis gentilibus videatur attribuere, dicens: *Si autem præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisione reputabitur?* (*Rom.* II, 26.) Aliquando autem sic gentiles contra Judæos de ignorantia excusantes videtur arguere, ut videatur multo magis Judæis attribuere, dicens: *Quid ergo amplius Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? multum per omnem modum* (*Rom.* III, 1). Nunc vero omnes pariter redarguere ut ibi: *Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse* (*ibid.*), nunc vero omnes ad pacem concordiæ reducere, dicens: *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* V, 1), etc.

M. Multum multumque mihi videris succurrere.

D. Non ego, sed ipsa Veritas dignetur nos hic et ubique docere.

M. Fiat, fiat. Nunc ergo qui hanc veritatem desiderant, volunt præmonere nullos quasi de superfluitate copiosi sermonis causari debere, cum videant me per totam pene Ecclesiam sermone discurrere, qui cogor de omnibus professionibus sermonem disserere, in quas constat totam se Ecclesiam dividere.

[Cap. XVIII.] D. Ex auctoritate constat facilius [*l.* satius] esse ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur; et rursum, in quantum absque dispendio veritatis possumus, proximorum scandalum vitare debemus. Nam cum Dominus testaretur non omne quod intrat in os, sed quod exit de ore hominem coinquinare (*Matth.* XIV, 11), maluit inde Pharisæos scandalizari, quam veritatem non attestari: *Sinite eos*, inquiens discipulis suis, *cæci sunt et duces cæcorum* (*ibid.*, 14). Et rursum ne deberent scandalizari, jussit pro se et Petro Cæsari censum staterem dari (*Matth.* XVII, 26). Exemplo ergo Domini si tibi sermo pro veritate est, debes prius omnes in scandalo relinquere, quam tacendo veritatem deserere. Veritas ergo Christus est; qui ergo veritatem, quid nisi Christum abnegat?

M. Vides igitur quam graviter peccamus, quoties scientes veritatem ipsam abnegamus. Quare, ut veritatem audiamus, pariter ad ejus consultum procedamus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

III. *Quomodo illi justificantur qui a seipsis accusantur.*

IV. *Quod sicut humilitas sit qua in ipsum itur Deum, sic superbia qua in ipsum diabolum.*

V. *Quod omnis homo imperfectus probetur, si districte judicetur.*

VI. *Quod si abstinere per se bonum vel malum concedatur, inconveniens sequatur.*

VII. *Quomodo constat probatum jejunium nec bonum esse nec malum, sed medium.*

VIII. *Oppositio quare nobis imitandum proponatur, si per se nec bonum nec malum probatur.*

IX. *Quod non dicta et opera, sed animus proponatur imitandus.*

X. *Quod regnum cælorum magis detur ob boni animi studia quam ob ipsa jejunia.*

XI. *Quod nunquam monachi fuere qui potuerunt retrocedere.*

A XII. *Quod regulares canonici concludantur nunquam cum Domino judicare debere, qui se volunt super monachos extollere.*

XIII. *Quod, si dicunt habitum apostolorum se habere, omnes debent se et albo colobio induere, et adeo fieri pannosi ut ad videndum sint ignominiosi.*

XIV. *Quod quicunque volunt de habitu præsumere, non possunt hanc calumniam evadere.*

XV. *Quod qui nolunt esse juniores et humiliores, convincuntur non habere vitam sanctam et sanctos mores.*

XVI. *Quod non faciat apostolum miraculis coruscare, baptizare, prædicare, sed virtutes habere et seipsum humiliare.*

B XVII. *Quod multiplex inconvenientia sequatur, si in his tribus apostolica vita accipiatur.*

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

[Cap. I.] D. Si igitur, inquiunt monachi, Christus dicit : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21), palam autem est hoc nos implere. Probamur igitur hanc perfectionem possidere.

M. Si constat multos sanctorum in omni perfectione omnia bona sua pauperibus erogantes Christum fuisse secutos, ergo in sua professione non debent singulariter de hac perfectione gloriari, quam certum est cum ipsis multos in qualibet professione participare.

D. Constat autem tales in omni professione fuisse, ut hinc nefas sit quemlibet dubitasse ; nec opus est nominare quos constat abundare.

M. Non debent ergo monachi tantum sibi ascribere quod constat multos possidere.

D. Quod si hanc, inquiunt, non soli, sed cum aliis possidemus, certum est tamen quod hanc habemus.

[Cap. II.] M. Ratio exigit ut hi qui dicunt se perfectionem apostolicam habere ipsos apostolos cogantur imitari debere. Certum est autem ipsos apostolos nullo modo sibi apostolatus sui perfectionem ascripsisse.

D. Hoc constat ; nam Paulus apostolus de hac perfectione dicit : *Ego me non arbitror comprehendisse* (*Philipp.* III, 13) ; sed ut hanc postmodum apprehenderet, dicit se extendisse. De omnibus autem apostolis hoc idem dicit de se sentire : *Quicunque ergo*, inquit, *perfecti sumus, hoc sentiamus* (*Phil.* III, 15).

M. Vides igitur quid inde concluditur. Monachi, si apostolicos sequuntur, non se arbitrantur hanc comprehendisse ; aut si dicunt contra apostolos hanc se comprehendisse (quod manifestum est apostolos fateri de se non ausos fuisse), sequitur ergo eos minime fuisse apostolorum imitatores ; quare, nec eorum dignitatis apprehensores :

D. Nefas est si aliquis renititur quod inexpugnabili ratione concluditur. Nam et illud Apostoli video sic posse impleri : *Quid* **360** *habes quod non accepisti ? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* (*I Cor.* IV, 7.) — *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Matth.* XVIII, 12).

C [Cap. III.] M. Vides ergo, si sunt justi, debent accusari ; si volunt exaltari, debent humiliari. Si autem ideo exaltantur quia humiliantur, ideo justificantur quia a seipsis accusantur, profecto sequitur quanto se huic justitiæ putant propinquiores, tanto fiant ab ea remotiores.

D. Huic contrarium videtur quod ab ipsa summa justitia nobis præcipitur : Appropinquate enim mihi, inquit justitia, et ego appropinquabo vobis. Et rursum : *Accedite ad eum et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Unde autem homo illuminatur, id lumen esse probatur ; est autem lumen Deus ipse, sicut dicitur : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Jubemur ergo ad lumen accedere, ut illuminemur ; hoc est ad Deum, quatenus, ut ita dicam, deificemur. Quis
D autem deificatur, nisi qui justificatur ? qui autem justificatur, hic justitiæ appropinquare videtur. Est ergo contrarium, nos appropinquare ut justificemur, et elongari ut justificemur. Unde sequi videtur ; si ideo justificamur quia justitiæ appropinquamus, ergo non justificamur quia elongamur.

M. Movisti, ut fateor, quod et me movere videtur. Cum ergo hæc contrarietas ex his verbis oriatur, quibus dicitur : *Omnis quis se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*, diligenter examinandum quis ex his verbis purus intellectus habeatur.

D. O quam id a me desideratur !

M. Quid ergo intelligitur in hoc : Qui humiliatur exaltabitur ? hominem se humiliare, hoc est hominem humilitatem habere ; humilitatem autem hominem habere, hoc est hominem se ipsum cognoscere. Ipse autem homo est peccator ; hominem ergo se cognoscere, hoc est peccatorem seipsum cognoscere, hoc est quod verum est esse de se intelligere ; qui autem de se quod verum est intelligit, juste facit ; non potest autem quis juste facere, nisi justitia id debeat efficere. Juste autem justitia aliquid efficere non potest, nisi ipsius justitiæ qui juste facit debeat appropinquare. Ergo qui humiliatur, hic est qui justitiæ appropinquat ; qui autem justitiæ appropinquat, huic justitia appropinquare probatur. Porro cui appropinquanti justitia appropinquare probatur, hic est qui a justitia justificatur. Ergo idem concluditur esse ad Deum accedere et illuminari, et ad Deum hominem appropinquare, et Deum nobis appropinquare, quod est humiliari et exaltari, id est justificari.

D. Si igitur idem est humiliari quod est justificari, qui autem justificatur, hic exaltatur ; ergo si Dominus prohibet hominem exaltari, prohibet eum justificari, hominem justum fieri. Quare si Deus prohibet hominem justificari, prohibet eum justum fieri. Probatur autem injustus, qui hominem justum prohibet fieri. Est ergo Deus injustus qui hominem justum prohibet fieri ?

M. Deceret te aliquando dissimulare aliquid, et me minime tantum gravare.

D. Si, non videns veritatem, hanc me videre simularem, me ab ipsa veritate fraudarem. Sed nullus se debet a veritate defraudare, quare nec eam ego dissimulare.

M. Unde tibi videtur nasci hæc argumentorum contrarietas ?

D. Ex hoc quia probasti idem esse exaltari quod justificari.

M. Oculis apertis vides quare, si ideo quia idem intelliguntur, hæc tam contraria concluduntur, ergo si hæc duo, id est exaltari et justificari, accipiuntur contraria, nulla inde sequuntur impossibilia.

D. Jam mihi videor videre.

M. Hoc quoque debes dicere.

D. Scilicet ut ubi dicitur, qui se humiliat exaltatur, exaltatur idem intelligatur ac si diceret, humiliatur. Tu autem probasti egregie hunc justificari, quem constat humiliari. Porro ubi dicitur qui se exaltat humiliabitur, sic exaltari accipiatur, ac si diceretur qui superbit.

M. Sicut ergo humilitas et superbia sunt contraria, ita qui præcipit hominem humiliari, ut debeat exaltari, id est justificari, et qui prohibet hominem exaltari, ne debeat humiliari, nihil aliud videtur præcipere, nisi in uno homine humilitatem proponere, in altero ab ipso superbiam removere : quod totum est justum facere. Non est ergo injustus Deus, qui hoc probatur præcipere vel prohibere.

D. Non me pœnitet hanc movisse quæstionem, cum magna mei utilitate solutam.

M. Qua tandem dicito.

D. Jam video sicut nihil superbia detestabilius, ita nihil humilitate utilius.

M. Licet in hoc diutius immoremur quam vellem, tamen, ut utiliter te inde commoveam, humilitas est qua in ipsum itur Deum.

[Cap. IV.] D. Superbia igitur qua in ipsum diabolum.

M. Imo quæ fecit ipsum.

D. Perhorresco, perhorresco : nam ante superbiam constat eum splendidissimum fore angelum.

M. Factum est ergo, cum superbiret, eum immundissimum fieri diabolum. Quare, ut reor etiamsi constaret monachos omnium hominum esse sanctiores, vides profecto tanto eos esse debere humiliores. Humilitas autem de se semper probatur humilia sentire, quare nihil sibi monachi debent sanctitatis præsumere.

D. Bonum est ut tuam admonitionem diligenter attendant. Nam video quod non aliter partem suam quam humilitate defendant.

[Cap. V.] M. Omnis qui opus bonum inchoat, ignorat si bona possit consummare cum constet quemlibet etiam de propria vita ignorare. Boni operis autem consummatio ejusdem est perfectio. Constat ergo omnes imperfectos esse, qui ignorant perfectionem boni operis se perficere posse. Si autem homo semper viveret, semper utique bonum facere deberet. Si ergo quod semper facere deberet, districta justitia ab eo exigitur, omnis ergo homo cum moritur, etiam imperfectus relinquitur.

D. Videtur hoc posse impugnari, nisi quod idem hanc auctoritatem constat attestari : *Cum perfeceritis omnia*, inquit Dominus, *quæ facere debuistis, dicite* : *Quia inutiles servi sumus* (*Luc.* XVII, 10).

M. Perfectis autem omnibus quæ debuimus facere, si nos debemus inutiles servos dicere, inutiles autem servi sunt imperfecti ; quare omnis homo concluditur esse imperfectus. Quare si de hoc interim satis tibi videatur, ad ea quæ restant sermo progrediatur.

361 D. Porro adjiciunt regulares canonicos non tantam perfectionem possidere, dum manifestum est multa, quæ monachis non liceat, eis licere. Quanto autem magis quisque laborat, tanto magis præmium sui laboris recipiet. Unusquisque enim secundum suum laborem propriam mercedem recipiet.

M. Est bonum abstinere ? Bonum.

[Cap. VI.] D. Bonum et malum nonne sunt contraria,

M. Contraria.

D. Quod autem bonum est, jubemur semper implere, et quod malum est semper prohibemur facere. Si igitur bonum est abstinere, ergo jubemur semper id facere. Sequitur itaque si jubemur semper abstinere, semper ergo prohibemur comedere. Quod autem semper prohibemur facere, id nunquam de-

bemus attingere. Ergo nunquam debemus comedere.

M. Videris mihi injuriam facere; me etenim tibi interroganti constat verum respondere, de nullo autem quod verum conceditur, falsum sequitur: quare si me constat verum concessisse, non debuisti de vero falsum conclusisse.

D. Age jam; concedo tibi, aut si potes contradicito, aut, si non potes, ab initio respondeto.

M. Rationi tuæ non possum contradicere; vides tamen quia verum est quod concessi. Quapropter ut calumniam tuam possim evadere, concedo malum esse abstinere.

D. Omne autem quod malum est prohibemur facere, ergo malum est abstinere. Quod autem prohibemur facere, id nunquam debemus attingere. Ergo nunquam debemus abstinere.

M. Angustiæ mihi sunt undique. Nam video me incidisse in illud, ut dicitur, inextricabile labyrinthum, vel in illam Dedali domum, quam qui intrat non invenit exitum. Si enim concessero bonum esse abstinere, concludis nos nonnunquam debere comedere; si autem malum, concludis nos nonnunquam debere abstinere. Quid autem tam contrarium quam hominem nunquam comedere et nunquam abstinere, id est semper comedere.

D. Si velles tantum auctoritate suscipere cuncta quæ dicuntur, posses ut simplices breviter credere, non tamen an ita sint an non sint indubius intelligere. Si autem ratione cuncta an ita sint et aliter esse non possint investigare, debes longos circuitus rationis tolerare. Nam ratio sicut omnia præcedit, ita per se solam sufficit. Sed quia paucorum valde est rationem intelligere, debent autem omnes homines, utpote rationabiles, ad rationem pervenire, debet ergo auctoritas pusillis condescendere, ut, dum illa suscipiant, debeant pusilli cum majoribus ad rationem ascendere.

M. Eat et circumeat volens, ut fateor, tolero eam, dummodo nos reducat ad seipsam. Sed quia non sum ausus abstinere vel bonum vel malum respondere, dicam ergo neutrum esse.

[Cap. VII.] D. Quid est esse neutrum?

M. Ut interim videtur medium.

D. Omne autem medium habet se ad primum et extremum. Ergo abstinere nec per se malum est, nec per se bonum. Siquidem probatum est bonum inter et malum esse medium. Ergo judicabitur pro arbitrio utentium, ut si boni eo utantur, bonum, si vero mali, judicetur malum.

M. Fugata ignorantiæ caligine jam videor esse in lumine.

D. Quando autem monachi dicunt se esse ideo regularibus meliores quia illis licent quæ sibi dicunt non licere, profecto indicant se a cibis multis plusquam canonici abstinere.

M. Ita putatur illos esse sanctiores qui sunt a cibis abstinentiores.

D. Probatum est autem abstinere non per se malum, nec per se bonum esse. Si ergo sunt meliores, de hoc quod dicuntur plus abstinere, ergo de hoc esse eos meliores quod nec bonum est nec malum concluditur. Esse autem meliorem, hoc est esse plus bonum; plus autem esse bonum ab eo quod non est per se bonum, ut est omni bono contrarium, ita et falsum. Falsum est ergo ideo monachos esse meliores quod dicuntur plus abstinere.

M. Quia audio inaudita te concludere, debeo quæcumque possum objicere.

D. Bonum edissere.

[Cap. VIII.] M. Justum est ut unusquisque secundum proprium laborem mercedem accipiat. Quicunque ergo plus laborat, plus mercedis accipiet. Qui autem plus abstinere probantur, plus laborare judicantur. Ergo qui plus abstinent, plus necesse est mercedis accipiant. Porro qui sunt in mercede ditiores, hi sunt profecto meliores. Falsum est ergo quod tu conclusisti non ideo esse meliores, quia plus abstinent.

D. Multum es importunus.

M. Tu autem sis benevolus.

D. Vidistine aliquem hypocritam fortiter abstinentem et sanctum omnes cibos cum gratiarum actione participantem.

M. Etsi faterer me non vidisse, constaret tamen utrumque fuisse secundum sententiam Salvatoris ita dicentis: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes* (*Matth.* VI, 16). Et iterum de sanctis apostolis dicitur, quod *non possunt filii sponsi jejunare, quandiu sponsus cum illis est* (*Matth.* IX, 15).

D. Si igitur meliores sunt qui plus abstinent, id autem facit hypocrita quod aliquis sanctus minime, ergo melior est hypocrita aliquo sancto, et meliores sunt Pharisæi et discipuli Joannis abstinentes, quam apostoli comedentes. Apostoli autem sancti, Pharisæi iniqui, ergo iniqui sanctis sunt meliores.

M. Quia nefas est me diutius apertæ veritati renuere, debes saltem quod interim mihi his videtur contrarium exsolvere. Nam, ut prætermittam multos sanctorum qui ob jejunia videntur cœlorum regna recepisse, unde laudatur Moyses et Elias quadraginta diebus jejunasse, ille jejunando legem recipere, hic jejunando meruit igneo curru in cœlum transire? Ipse etiam Christus post baptismum cur jejunasse quadraginta diebus et quadraginta noctibus nobis imitandus proponitur, si jejunium minime per se bonum dicitur.

[Cap. IX.] D. Si constaret te ea quæ dicta sunt diligenter percepisse, non deberes profecto hæc objecisse; ex his enim quæ sunt superius probata, hæc omnia constat soluta.

362. M. Inter videntem et lippos oculos habentem magna distantia, si tu putas mihi lippienti cuncta patere, quia te claro constat videre.

D. Censesne eadem verba esse eadem verba? non sunt eadem; non sum homicida, non sum

homicida; et idem jejunium estne idem jejunium.

M. Hoc utrumque idem esse me fateri est necesse.

D. Pronuntient ergo hæc eadem verba homo sanctus et homicida, censesne eadem esse, si dicit homicida: Non sum homicida, et justus: Non sum homicida.

M. Nunquam hoc dixerim, sed sunt vera et falsa. Mentitur enim homicida, verum dicit homo sanctus.

D. Cur igitur accidit, cum superius constaret eadem verba esse eadem verba, nunc quæ dicta sint a justo homine et homicida falsa et vera sint judicanda?

M. Quia profecto omnia quæ dicuntur, non secundum verborum sonum, sed secundum dicentium accipiuntur animum.

D. Præponitur ergo nobis in omnibus quæ dicuntur non sonus, sed animus dicentium imitandus, verbi gratia, ut si bono animo aliquis aliqua dixerit, sicut est laudandum, ita nobis imitandum. Et item si malo animo aliquis aliqua dixerit, sicut hoc est vituperandum, ita nobis non est imitandum. Verba autem constat esse eadem, nisi vel bono animo vel malo dicantur. Ergo sequitur in omnibus quæ dicuntur, nihil nisi animus vituperatur, vel animus laudatur. Quare de jejunio vide quid consequatur.

M. Inde non est tantum laborandum, licet hoc mihi relinquas adinveniendum.

D. Videris mihi videre quare interrogaverim utrum esset idem jejunium, idem jejunium.

M. Ideo, ni fallor, quia cum constet idem jejunium et idem jejunium, hoc autem ideo vel malum judicetur, quia hoc facit malo animo hypocrita, utpote pro vana gloria, vel bonum, quia hoc facit bono animo bonus homo, utpote pro æterna gloria, non ibi jejunium tantum attendatur, sed vel malus animus vituperandus, vel bonus laudandus nobis proponatur.

[Cap. X.] D. Si igitur, ut probatum est, in omnibus quæ dicuntur vel opere complentur, non tantum ipsa verba vel opera, sed animus vel vituperatur vel laudatur; quidquid autem vituperatur, non sit a nobis imitandum; et quod laudatur sit imitandum; ergo cum Christus, Moyses et Elias jejunantes nobis collaudantur, non tantum eorum jejunium, sed bonus animus nobis proponitur imitandus. Vides ergo cum multi sanctorum referantur jejunasse, non hoc quod jejunaverint, sed qualiter, id est quali animo id fecerint, Scripturam nobis commendasse. Ideo sequitur non ob jejunia eos regna cœlorum percepisse, sed ob boni animi studia.

M. De illo etiam jejunio quod tu probasti per se non esse bonum, constat idem sensisse Dominum. Nam cum quidam hoc putarent sufficere, Dominus dignatur eos arguere. Quare enim dicebant: *Jejunavimus, et non aspexisti; humiliavimus animas nostras et nescisti?* (*Isa.* LVIII, 3.), Dominus autem dixit se preces eorum non audivisse: *Ecce*, inquiens, *in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis; ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie* (*ibid.*, 4). Ibi ergo, quia jejunium malo animo eos habuisse probatur, a Domino refutatur. Et rursum: Quomodo bonum, quia bono animo fit, habeatur, subjungens docere dignatur: *Nolite jejunare sicut ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem hominem affligere animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, et sacco et cinere sternere? Nunquid istud vocavi jejunium et diem acceptabilem Domino? Hoc est*, inquit, *magis jejunium quod elegi dissolvere colligationes impietatis* (*ibid.* IV, 6), et his similia. Et idcirco nisi medium probaretur, nunquam ab apostolo diceretur: *Neque manducans non manducantem, nec non manducans manducantem spernat* (*Rom.* XIV, 3). Non tantum autem de jejunio, sed de omnibus quæ fiunt pro vana gloria ostendit nos Dominus nulla consequi laborum præmia: *Amen*, inquiens, *dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 16.)

M. Quare si interim tibi satis videtur, nostra ratio ad reliqua discurrere conetur.

D. Nos, inquiunt canonici regulares, apostolis ipsis assimilamur, dum in eorum loco positi, mores et vitam imitamur. Sicut enim apostolis dictum est: *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V, 14, 15); ita nobis dictum tenemus, quorum vitam, habitum, mores possidemus. Ergo si lux sumus mundi et civitas quæ non potest abscondi, super montem positi, et lucerna super candelabrum collocati, debemus omnibus qui in domo Ecclesiæ sunt prædicare, opus evangelistarum et apostolorum consummare.

M. Hos constat viam veritatis ignorare.

D. Via autem veritatis, sicut superius est probatum, humilitas est qua itur in Deum.

M. Manifestum est ergo eos in tenebris ignorantiæ absque via errare. Denique quidquid superius dictum est contra præsumptionem monachorum, potest dici et contra gloriationem canonicorum. Quod probatum est, quanto quique vellent esse sanctiores, tanto debent esse humiliores, dejectiores, sua confessione a Deo remotiores, quod te totum credo, sicut ex superiori ratione, non latere ita in sancta ubique Scripturarum auctoritate posse videre.

D. Quod recordor te superius dixisse illos debere auctoritate refutari, qui contra ipsam et ex ipsa videntur roborari, debes interim a ratione quiescere et eos ex adducta in medium auctoritate bene vel male dixisse convincere.

M. Nonne dixi tibi hoc me totum fecisse, et te totum intellexisse.

D. Ne graveris, sermo enim eorum validus vide-

tur; quare valenter et potenter necesse est ut refutetur: vel si hoc non potes facere, sinantur palmam habere.

M. Nondumne intelligis eamdem causam apostolos habuisse, quos constat de prioratu contendisse?

D. Scio, sic enim scriptum legitur; *Facta est contentio inter discipulos Jesu, quis eorum videretur esse major.*

M. Legis etiam ibi quomodo hic error eorum opprimeretur, quidve illis, si majores esse vellent et perfectiores proponeretur?

D. Constat a Domino ita propositum, ut qui ex illis vellent esse majores, fierent juniores et qui præcessores, sicut ministratores; nam seipsum Christus probavit omnium **863** esse majorem, tamen dixit se in medio eorum esse sicut ministratorem juniorem.

M. Quare tu taces quid illis de dispositione regni dixerit? Non tantum se dixit his regnum sicut sibi disposuit Pater disponere; sed etiam dixit eos super duodecim thronos sedere, judicare duodecim tribus Israel debere.

M. Sedere autem super duodecim thronos et judicare duodecim Israel tribus vides eos non aliter posse possidere, nisi in illo proposito quo præceptum est illos fieri juniores, ministratores vellent permanere.

D. Manifestum est nullum ad hoc posse pertingere, nisi in hoc præcepto velit permanere.

M. Isti autem in eorum loco sicut se positos dicunt, ita quæ illis dicta sunt, et sibi dicta esse præsumunt; nolunt autem, quod illis dictum est, esse juniores ministratores, non ergo erunt majores prædecessores.

D. Sic sequitur.

M. Quiesce interim. Dubitas esse monachos Christi discipulos?

D. Nunquam hoc dubitaverim, licet quosdam ex his retrocedere viderim.

[Cap. IX.] M. Nunquam monachi fuere quos constat retrocedere, quia impossibile est ut vel unus de electis pereat, quare de veris monachis id necesse est ne fiat.

D. Ecce secundum definitionem sui nominis concedo veros monachos non retrocedere, sicut nec undecim quos constat veros Christi esse apostolos; si autem aliquis hoc videtur facere, sicut Judas, nunquam fuit apostolus, licet hoc videretur, ita iste nunquam fuit monachus.

M. Bene intelligis, quia, si esset apostolus, nunquam diceret Christus de eo: *Unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71), quare constat monachos Christi esse discipulos. Qui autem volunt Christi esse discipulis majores præcessores, debent fieri juniores ministratores. Porro qui fuerint Christi discipulis juniores ministratores, hic procul dubio debent fieri sicut super duodecim sedes sessores, ita super duodecim tribus Israel cum Domino judicatores. [Cap. XII.] Si igitur isti monachis, quos Christi constat esse discipulos, volunt esse majores, hoc autem impossibile sit fieri, nisi probentur omnibus Christi discipulis juniores ministratores, hoc autem nolunt facere dum se super monachos conantur extollere, concluduntur ergo nunquam super duodecim sedes sedere, nec duodecim tribus Israel judicare debere.

D. Vere nunc constat te manifeste concludere.

M. Adhuc te decet exspectare.

D. Exspecto, tu quid vis exsequere.

M. Non est major dignitas apostolica, quam hæc potestas judiciaria, hæc autem non tantum apostolis, sed omnibus sæculi renuntiatoribus est promissa. Quapropter si isti, ut probatum est, ab hac dignitate excludantur, vides profecto quod non tantum ab hac dignitate excellentiore, sed ab omni renuntiatorum gloria excludantur. Sequitur ergo ut qui majorem adipisci nitantur, in nulla gloria inveniantur.

D. Melius esset ut juniores se faterentur, quo ad hanc gloriam majores elevarentur.

M. Potesne, ex verbis eorum, perlucide contemplari unde magis ipsis apostolis videantur assimilari?

[Cap. XIII.] D. Perfacile, quia eorum vitam, habitum, mores se dicunt habere.

M. Mallem tibi de his omnibus quemlibet alium respondere, cum non valeam tibi nisi quibusdam risoriis sententiis satisfacere, et idcirco melius est hæc te tecum conjicere.

D. Valerem quidem multa inde conjicere, sed aliud est conjicere, aliud quod verum est firmiter tenere. Quare inde non te decet excusare, si aliquid quod verum est poteris investigare.

M. Quis certum teneat quo habitu apostoli uterentur, cum hæc a nobis pene omnia celentur?

D. Non ideo excusaris; nam Simon et Judas habuisse leguntur habitum adeo pannosum, ut videretur eos audire vel videre ignominiosum.

M. Si hoc constat de his solis, quid dicetur de reliquis?

D. Imo, si diaboli creditur testimonio, S. Bartholomæus usus legitur albo colobio, clavata purpura, et indutus albo pallio, quod per se singulos angulos habuit singulas gemmas purpureas, quo licet per viginti sex annos indueretur, nunquam tamen inveteratum legitur. Nam etiam Joannes evangelista et apostolus sindone, Thomas et Jacobus colobio albo usi fuisse perhibentur.

M. Vides igitur quid inde sequitur?

D. Nequaquam.

M. Profecto regulares canonici, si se dicunt habitum apostolorum habere, omnes debent se albo colobio, albo pallio, purpurato, gemmato sindone Bartholomæum, Joannem, Thomam, Jacobum sequentes induere, et rursum Simonem et Judam sequentes debent adeo fieri pannosi, ut ad videndum vel ad audiendum sint ignominiosi.

D. Hoc utrumque sicut est multum indecens, ita valde inconveniens. Multum autem ab hoc differunt,

cum neque sint vestitu ut Simon et Judas ignominiosi, neque ut Bartholomæus, Joannes apostolus, Thomas et Jacobus colobiati, sed inter utrumque caputi, superpelliceati.

M. Desinant ergo attestari per habitum illis assimilari.

D. Quid si hoc idem a canonicis objicitur monachis ?

M. Omnino ipsi quique, vel si de habitu præsumerent, calumniam hanc non evaderent.

D. Est tamen loco et habitui aliquid sanctitatis attribuendum ?

[Cap. XIV.] M. Nihil aliud nisi iis tantum discrete utendum. Nam Judas sub habitu apostolorum Christum tradidit, et Sebastianus sub chlamyde militari martyrium subiit. Rursum diabolus in cœlo apostatavit, et Job in sterquilinio residens Dominum laudavit.

[Cap. XV.] D. Age jam non de habitu, sed de moribus et vita eorum ; dicant canonici se apostolos imitari, quare, et illud quale sit te decet perscrutari

M. Cum hæc soluta sint superius, multum videris hæc rursum objiciendo vel superfluus vel importunus. Nonne probatum est inter **364** omnes apostolos et Christi discipulos, quicunque vellent esse majores et digniores, hi deberent esse juniores et humiliores ? Quid est autem esse juniores et humiliores, nisi habere sanctissimam vitam et sanctissimos mores ? Porro isti nolunt esse juniores et humiliores ; convincuntur ergo non habere vitam sanctam et sanctos mores, quæ non habere si probantur, quomodo humiles apostolos imitantur ? Quis dixit apostolorum: Ego sum major aliorum ? Nonne vides Paulum dixisse, quem constat in tertium cœlum raptum esse : *Novissime visus est mihi tanquam abortivo ; ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus ?* (*I Cor.* xv, 8.) Nonne de omnibus apostolis tale edidit oraculum, cum omnes dixit esse quasi peripsema et mundi spectaculum? Quis eorum non se dixit peccatorem, juniorem, cæteris inferiorem? Quis non ut pestiferum venenum fugit linguam adulantium? quis non eorum, cum posset lampadibus et cereis ut Deus venerari, maluit cum omni opprobrio et dedecore reputari ? quis non eorum omni conamine maluit se deprimere, quasi hoc solum esset ascendere? [Cap. XVI.] Quod si regulares illam vitam apostolorum et mores indicant, qua illos constat innumeris miraculis claruisse, et mundum pene totum circumvolantes baptizando, prædicando convertisse, et quia omnia testantur se fecisse, dicunt se apostolorum imitatores fuisse, ergo ostendant necesse est quibus miraculis claruerint, vel quos fines mundi circumvolantes baptizando prædicando converterint, vel quas in partes mundi convertendas vel conversas jam a Domino directi apostoli fuerunt. Quod si hæc cuncta a seipsis minime possunt ostendere, desinant ergo apostolorum vitam in solo baptismo, in sola prædicatione et miraculo accipere. Nam non facit apostolum prædicare, baptizare et miracula facere, sed virtutes habere, et, sicut illis injunctum est præ cæteris seipsum humiliare. Si enim in baptizando, in prædicando, in miracula faciendo, tantum vita apostolica et ipsi apostoli accipiuntur, hæc duo absurdissima inde concluduntur; aut omnes qui talia fecere apostolicam vitam habuere et apostoli fuere, aut qui talia non fecerunt nunquam apostolicam vitam habuerunt nec apostoli fuerunt. Mali autem sicut multa miracula fecerunt, ita baptizavere et prædicaverunt. Sequitur ergo malos apostolicam vitam habuisse, et ipsos apostolos esse. [Cap. XVII.] Rursum autem multi perfectissimi et apostolici viri, sicut nunquam curaverunt miracula facere, ita nec baptizavere, nec prædicavere, quos omnes sequitur nec apostolicam vitam habuisse, nec apostolicos viros fuisse. Quæ, sicut sunt contraria, ita concluduntur esse falsa. Ergo non his tantum accipitur apostolica vita. Amplius quid dici posset absurdius, quam ut in hoc tempore, cum non fiunt miracula, privaretur omnis Ecclesia dignitate apostolica ? Denique inde non tam res mira quam contraria sequi videretur, ut nullus canonicorum, nullus monachorum, nisi faceret miracula, prædicaret, baptizaret, apostolicam vitam habere videretur, et quemlibet immundissimorum clericorum, quem constat utrumque facere, baptizare et prædicare, apostolicam vitam probaretur habere.

D. Multum multumque rationabile totum. Ergo, o utinam sic semper te videam commotum! Nam miraculis coruscare, baptizare, prædicare, cum illo jejunio, loco et habitu, ut medium debemus computare. Quæcunque enim sunt a te probata, manifesta constant auctoritate prolata. Nusquam enim Dominus dixisse legitur: Discite a me miraculis coruscare, baptizare, prædicare, sed: *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi, 29). Nam cum quidam hæc facerent et gloriarentur, quasi hæc ad salutem sufficerent, minime inde gloriandum esse Dominus fertur hoc illis responsum reddidisse : *Nolite*, inquit, *gaudere quod dæmonia vobis sunt subjecta, sed quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x, 20). Et rursum his qui de miraculis confidunt dicturus est in fine : *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* xxv, 12). Paulus quoque, in quo ipse Christus loquebatur, hoc idem de baptismo et de prædicatione testatur; nam, cum quidam plus justo in prædicatione et baptismo vellent confidere, ex hoc solo probavit eos Christum velle dividere, hoc modo proponens : *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ ; ego autem Christi. Divisus est Christus ?* (*I Cor.* i, 12.) Quasi diceret : Si baptismus in tot dividitur a quotquot suscipitur ; in omni autem baptismo unus Christus per fidem suscipitur, ergo in tot quot baptizant unus Christus dividitur. Nam etiam gratias Deo agit, quod neminem illorum baptizaverit, nisi Crispum et Gaium, et Stephanæ domum; cæterum nescit se aliquem baptizasse, ne quis de-

beret in ejus nomine gloriasse. Non enim dixit se missum a Christo ut baptizaret, sed ut evangelizaret. Quid autem stultius quam Paulum non plenum esse apostolum, si de his tribus prætermitteret unum, sicut sibi dixit injunctum? quod totum ex hoc sequeretur, si vita apostolica et apostolum esse nonnisi in his tribus acciperetur. Tandem sic de se plantante, et Apollo rigante, id est prædicante et A baptizante, loquitur: *Neque qui plantat*, id est prædicat, *neque qui rigat*, id est baptizat, *est aliquid* (*I Cor.* III, 7). Quare tua ratio omnino vera concluditur.

M. Ut vides nocte superirruente compellimur quiescere; quare si interim de his tibi satis videtur, id quod restat futuro diei reservetur.

—

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *De eo quod, si verum est quod monachis objicitur, de omnibus sanctis inconveniens concluditur.*

II. *Quod si monachi de vita pœnitentium jure culpantur, omnes sancti in ea culpa esse probantur,*

B III. *Item quod inde sequatur Christum solum cœlum ascendisse, et solum ibi absque sanctis resedisse.*

IV. *Quod, quia hæc inconvenientia falsa concluduntur, ideirco monachi hæc facere sinuntur.*

V. *Quod sit auctoritas monachorum de vita orthodoxorum.*

VI. *Quod, ideo quia monachi in Christo mortui esse dicuntur, spiritualia tractare conceduntur.*

VII. *Quod omni monacho qui presbyter ordinatur, prædicare, baptizare concedatur.*

VIII. *Quod si non licet hoc monacho qui ordinatur, non plenus sed semipresbyter vocatur.*

IX. *Quod, si monachi de vili vestimento causantur omnes sancti qui hoc usi sunt pro nihilo habeantur*

X. *Objectio quod non sint idem regulares canonici, et illi qui dicuntur clerici.*

XI. *Solutio quod omnes clerici dicantur esse regulares.*

XII. *Quod, sicut qui vivunt absque Christianitate, non sunt Christiani, ita qui absque regula canonicorum non sint clerici.*

XIII. *Quod sicut qui faciunt irregularia irregulares sint dicendi, ita qui non clericalia, non sint clerici habendi.*

XIV. *Quod ita esse ex Evangelio et ex canonibus sit necesse.*

XV. *Quod hi soli debeant potestatem ligandi atque solvendi habere, quos constat secundum regulam apostolorum vivere.*

INCIPIT LIBER TERTIUS.

D. **365** [Cap. I.] Sicut irruente nocte compellebamur quiescere, ita ipsa illucescente die hortamur surgere. Quare te decet quod monachis objicitur diligenter excutere.

M. Dummodo mihi Deus dignetur succurrere, id præsto sum facere. Quare te decet quod objicitur præmittere.

D. Porro, inquiunt regulares canonici, quia vitam noscuntur monachi pœnitentium agere, debent se in claustro quasi sub modio abscondere; *mortui* enim sunt, et *vita* illorum *abscondita est cum Christo in Deo. Cum ergo Christus apparuerit*, tunc et *vita* ipsorum *apparebit cum ipso in gloria* (*Col.* III, 3, 4.) Sicut ergo hic mortui, ibi vivi; sic ibi apparere, hic tamen debent latere. Ergo nec debent prædicare, nec baptizare. Hoc etiam habitus eorum testatur quia, sicut sunt tam vestitu quam tonsura despicabiles, ita non sunt in vita huic mundo probabiles. Illi autem qui dicuntur clerici, sicut sibi videntur regularium canonicorum vitam ducere, ita hæc cum ipsis canonicis monachis objicere.

M. Hæc non debent solis monachis, sed omnibus patriarchis et prophetis, apostolis, tandem omnibus sanctis objecisse, quos constat omnes vitam pœnitentium habuisse.

D. Si ita intelligitur, nullus ab hoc opprobrio C excipitur; nam scriptum est: *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 32), et omnes peccavimus, et egemus gratia Dei (*Rom.* III, 23.) Ipsi etiam apostoli de se dicunt: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8).

M. Omnes autem qui dicuntur sub peccato conclusi esse, necesse est, si salvati sunt, de peccato pœnituisse. De peccato autem pœnitere hoc est vitam pœnitentium habere. Igitur, si omnes sancti noscuntur vitam pœnitentium agere, debent ergo se omnes sancti sub modio abscondere. Nullus ergo debuit prædicasse, baptizasse, vel miracula aliqua fecisse.

D. Hoc nihil falsius dicitur.

D M. Nihil igitur hoc falsius monachis objicitur.

D. Non sic, inquiunt, intelligitur vitam pœnitentium agere, sed quos constat de criminalibus peccatis id facere.

M. [Cap. II.] Sequitur ergo Petrum et Matthæum se abscondere sub modio debuisse, nec aliqua miracula fecisse.

D. Sic videtur; nam ter Petrus Dominum negavit.

M. Quod criminale esse peccatum nullus unquam sapiens negavit, absque his quæ fortisan antea multa in vita perpetravit.

D. Respexit autem Deus Petrum, et exiens flevit amare (*Luc.* xxii, 61, 62).

M. De hoc autem quod Deum negavit cœpit amare flere, hoc est de criminali peccato pœnitere. Concluditur ergo Petrus vitam pœnitentium habere. Vides ergo quod primum conclusi, id inde sequi debere.

D. Video, nam, si Matthæus seipsum in publico telonio publicus peccator dicit resedisse, constat te de utroque verum conclusisse.

M. Imo multa absurdissima possum inde ostendere.

D. Cum hoc video necesse, ne pigriteris facere.

M. Aut igitur vitam pœnitentium hoc modo dicuntur habere, ut hoc debeamus de omnibus peccatis intelligere, aut ita, ut tantum de criminalibus videantur pœnitere.

D. Quid autem de utroque sequatur, diligenter rogo discutiatur.

M. Quia si ideo debent latere, nec baptizare, nec prædicare, quia pœnitere de omnibus peccatis dicuntur, hoc nulli apostolorum, nulli sanctorum, tandem nulli omnium ecclesiasticorum facere debuisse concluditur; sequiturque nullos sanctorum regna cœlorum percepisse, si hoc inobedienter et contra Deum probantur fecisse, et omnem Ecclesiam semper in errore fuisse.

[Cap. III. Inde (res mira)! colligitur Christum solum cœlos ascendisse, et ibi solum vacuo solo absque sanctis omnibus resedisse :

D. O res non tam mira quam detestanda!

M. Si autem eo modo dicuntur vitam pœnitentium habere, ut hoc nonnisi de criminalibus debeant facere, et ideo nec debeant prædicare, non baptizare, sed semper latere, non tantum sequitur Petrum et Matthæum et innumeros sanctorum, quos constat graviter deliquisse, nunquam ad aliquam dignitatem pervenire debuisse, sed et nullos monachos esse, nisi quos constaret criminalia peccata perpetrasse.

D. Deus per suam gratiam ab hoc defendat Ecclesiam.

M. Concluditur ergo falsum esse ideo monachos latere debere, quia vitam pœnitentium dicuntur habere.

[Cap. IV.] D. Multum, sicut dicitur, ratio rationabiliter **365** progreditur; nam et auctoritate idem ita esse conceditur. Nam, si monachis hoc non licuisset, minime Ecclesia tam valida fuisset; nam monachi dicuntur convertisse pene dimidium orbem terrarum, quod ita esse probatur auctoritate omnium scripturarum. Nam, ut præter mittam monasticæ vitæ tam viros innumerabiles quam sanctitate incomparabiles, qui tempora beatissimi Martini præcesserunt, qui innumerabilia signa fecerunt, qui exempla sanctitatis suæ omni mundo imitanda reliquerunt, inter quos in magno Antonio tota spes Ægypti fuit, et fide claruit, et id Hilarione tota Syria suspensa fuit, cujus sanctitatem dæmones ubique testificabantur, et sicut de eo scribit beatus Hieronymus, nunquam potuit propter miracula delitescere, dum de omni mundo certatim ad eum fluxere. Qui omnes imitantes Eliam et Joannem Baptistam in solitudinibus, licet erraverint, et facere miracula vitaverint, tamen sanctitate sua innumeros populos attraxere, et cum vellent latere, nullo modo id potuere. Ipsi etiam monachi prædicavere, miracula fecere. Et illos, inquam, omnes omittam, quid de beatissimo Martino dicam? quis ejus valeat narrare miracula? quis ejus sanctitatis attinget fastigia, qui par apostolis in nomine Trinitatis trium mortuorum meruit esse suscitator magnificus, ut ejus tempore a solo Martino monacho cœlum sustentaretur, Ecclesia omnis illuminaretur, ut hic quasi solus apostolus præ omnibus episcopis videretur, a quo trina divisio totius Galliæ se fore conversam gratularetur. Etiam nunc quis non Martinum extollat in cœlum? quæ mens non contremiscit ad Martini sanctitatem? quis tyrannorum audito nomine Martini, quasi quodam fulmine cœli obstupefactus, vel ad modicum non deponit feritatem? Hic tamen monachus prædicavit, baptizavit, opus evangelistæ et apostoli consummavit. Quid de beatissimo Gregorio, qui ut dulcissimum Spiritus sancti organum multa miracula faciendo, prædicando, baptizando, sicut universam Ecclesiam sanctitate decoravit, ita doctrina prædicationis illuminavit? Quid tandem de beatissimo Benedicto monachorum institutore dicetur, qui, sicut spiritu omnium justorum ab ipso Gregorio plenus describitur, ita ejus sanctitatem et miracula ad plenum nulli evolvere conceditur? Hic tamen monachus, sicut idem Gregorius testatur, omnibus qui ad eum confluxerunt, verbum vitæ prædicasse monstratur. Longum est singulariter evolvere quanti monachi episcopi, prædicavere et quot mundi partes sua prædicatione convertere. Sed forsan tu me judicas, interim silere melius.

[Cap. V.] M. Nollem nos in his tandiu immorari, sed quale sit quod objicitur perscrutari.

D. Ante nos est; nam, quia mortui et in Christo absconditi sunt, cum Christus apparuerit, debent apparere, hic tantum latere, et, sicut sunt habitu despicabiles, ita non sunt huic mundo probabiles.

M. Estne gloriosum monachorum vitam cum Christo abscondere, et cum Christo resurgere?

D. Hoc constat omnes sanctos debere.

M. Debent ergo omnes sancti latere.

D. Sic sequitur.

M. Si ergo omnes sancti debent latere, nulli miracula facere, nulli baptizare, nulli prædicare debuere; unde eadem inconvenientia sequuntur quæ superius concluduntur.

D. Hæc satis dicta videntur, cum superius ita esse probarentur.

M. Dic tamen qui in Christo mortui dicuntur, in spiritualibus an in carnalibus vivere conceduntur?

[CAPUT VI.] D. Qui in carnalibus dicet eos vivere, vult eos peccare libere ; hoc autem quia impossibile est esse, vivere ergo eos in spiritualibus est necesse.

M. Porro baptizare, prædicare, facere miracula opera sunt carnalia, an spiritualia ?

D. Qui dixerit carnalia, vult sanctos esse bruta animalia ; hæc quia sunt contraria, sunt ergo opera spiritualia.

[CAP. VII.] M. Si ergo omnes, qui in Christo mortui dicuntur, in spiritualibus vivere conceduntur, baptizare autem, prædicare, etiam miracula facere sint opera spiritualia, ergo monachi, si in Christo mortui dicuntur, spiritualia, id est baptizare, prædicare nullo modo prohibentur. Item, quoties aliqui ordinantur presbyteri, nonne ibi compotes præficiuntur sacerdotalis ministerii ?

[CAP. VIII.] D. Nisi omne quod presbyterorum est facere concedantur, inordinati esse probantur. Qui autem ordinantur non possunt inordinati probari.

M. Ergo compotes sui sacerdotalis officii probantur quicunque presbyteri ordinantur. Est autem plenum officium sacerdotalis ministerii baptizare, prædicare, et his similia, et missas cantare. Si igitur hoc non licet monachis qui ordinantur, ergo non pleni presbyteri, sed semipresbyteri vocantur.

D. O hoc non tam opprobrium quam ridiculum!

M. Quia autem est impossibile non ordinari qui ordinantur ; huic autem qui ordinatur omnis potestas sui officii conceditur, ergo omnis monachus presbyter prædicare, baptizare debere concluditur.

D. Qui dictum hoc non sequitur, valde insipiens convincitur.

[CAP. IX.] M. Amplius Quia dicuntur huic mundo improbabiles, quia sunt vestitu despicabiles, tantumdem est intelligere, si in his aliquid mundus quod sibi proprium est cognosceret, mundus quod suum est in his diligeret.

D. Hoc mire exponitur, quare eos hoc sequitur : *Sed quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, idcirco odit vos mundus* (*Joan.* xx, 19).

M. Si igitur a mundo odiuntur, ergo a Deo eliguntur. Qui autem a Deo eliguntur, quæ Dei sunt facere sinuntur. Sunt autem Dei opera prædicare, baptizare, et his similia implere. Ergo hæc omnia debere monachi probantur facere.

D. Sed judicantur honore ecclesiam [*f.* in Ecclesia] non debere potiri, quos contat tam vili vestimento vestiri.

M. Debuit ergo Joannes Baptista major inter natos mulierum ab omni Ecclesiæ dignitate **367** submoveri, quem constat pilis camelorum vestitum, et zona pellice præcinctum, necnon Simon et Judas, et apostolorum alii, et Martinus episcopus, tandem millia sanctorum, qui usi leguntur extrema vilitate indumentorum. Si igitur monachi de extrema vilitate causantur, hi omnes ecclesiastico honore submoveantur.

D. Nequaquam, sed omnes qui asperis vestiuntur, cum Joanne Baptista a Domino magis videntur laudari.

M. Hi ego qui mollibus vestiuntur, debent vituperari. Debent ergo qui mollibus vestiuntur, in domibus regum esse terrenorum. Ii ergo qui asperis vestiuntur, in aula cœlestium regnorum.

D. Sed hoc videtur contrarium, cum superius constet nil sanctitatis habere habitum.

M. Nonne tibi dixi quia aut multum es superfluus aut multum importunus ? nam videris mihi illius sententiæ oblitus, qua ad animum bene intentum debet referri habitus, ut omne medium.

D. Parce, oro, ut stultitiæ, ita propriæ et verecundiæ.

M. Caveas tu tamen, ne rursus sint probanda quæ constant superius probata.

D. Quid igitur de his qui dicuntur clerici, et sicut regularium vitam ducere, ita cum his hæc monachis videntur objicere ?

M. Si videntur cum illis vitam ducere eorum sententiam videantur ubique suscipere, unde quæ te movent cætera, si placent, recita.

D. Videris mihi dissimulare, aut ea quæ dicis non recte examinare.

M. Debes ergo ostendere videar in quibus hæc facere.

[CAP. X.] D. Quia dicis idem esse qui dicuntur clerici, et qui sunt regulares canonici.

M. Ergone debeo tibi aliud dicere quam quod me constat intelligere ?

D. Sicut mira sunt quæ audiuntur, ita mira quæ hæc sequuntur.

M. Esto ut placet.

[CAP. XI.] D. Quis intuens vitam clericorum dicat hanc esse regularium canonicorum ? Quantum distat cœlum a terra, et Synagoga Judæorum ab Ecclesia Christianorum, tantum vita clericorum a vita regularium canonicorum. Isti enim, in mundo dispersi, terum fruuntur deliciis, illi claustro collecti, regulæ constringuntur disciplinis. Hi habent omnia propria, hi autem omnia communia. Hi absque pastore quolibet vagantur, hi in unum sub magistro congregantur. Horum pars maxima uxoribus associati, hi omnes ab his segregati. Hi vestimentis griseis, mardalinis utuntur vel sabolinis, hi laneis lineis utuntur vel agninis. Hi lepores venantur, vel quas licet feras, hi libros scrutantur, vel sanctorum quaslibet sententias. Hi de mundo quocunque placet possident hi omni mundo renuntiant. In his tandem quidquid contrarium irreligiosumque vituperatur, in his contrarium et irreligiosum probatur.

M. Audistine uno vocari sub vocabulo quos constat servire Christo et diabolo ?

D. Næ, heu ! sic se habent res humanæ, ut quæ sunt bonæ vocitentur vanæ ; et quæ malæ vocitentur, minime id esse probentur.

M. Sunt autem quæ bona bona, et mala quæ mala ; non ergo ideo res mutantur, quod alio vocabulo vocantur.

D. His videtur congruere quod te constat dicere.

M. Quid igitur miraris si clericorum nomine vocantur, qui id minime esse probantur?

D. Non miror. Nam si quilibet id esset quod diceretur, adhuc Judas apostolus haberetur.

M. Nonne clerici sunt, qui debent sicut docere, ita populum regere?

D. Manifestum est hoc.

M. Decet ergo hos esse sine regula, qui alios constringunt sub ipsa, ut docentes regulam sint irregulares? debetne aliquis Christianus vivere sine regula Ecclesiæ.

[Cap. XII.] D. Sicut qui vivunt absque Christianitate non sunt Christiani, ita qui vivunt sine regula non sunt clerici; et cum Christus et apostoli omnibus Christianis regulam tradiderunt, sicut clerici eorum loca possederunt, ita regula quam ipsi sibimet tenuerunt, hanc observandum clericis tradiderunt.

M. Si igitur a regula dicuntur regulares, debent autem omnes clerici, qui cogunt populum sub ipsa regula docere, multo magis ipsi regulam implere. Ergo omnes clerici debent regulares esse.

D. Qui non concedit sic esse necesse, vult clericos clericos non esse.

M. Dicitur autem canon Græce, *regula* Latine; inde canonici Græce, *regulares* Latine. Ergo, quando regulares canonici dicuntur, nihil aliud est quam si regulares regulares dicuntur.

D. Non est quod huic objici videatur.

M. Non autem sub una regula vivere dicuntur qui facere omnia contraria suæ regulæ convincuntur. Tu autem dixisti superius clericos deliciis frui, propria possidere, ubique vagare, uxoribus colligari, mardalinis et zabulinis vestiri, venari, mundum possidere et his multa contraria et irreligiosa vituperari, sed hæc omnia sunt irregularia, quia regulæ clericorum contraria. [Cap. XIII.] Sicut ergo qui faciunt omnia irregularia, irregulares sunt dicendi, ita qui hæc faciunt clericis contraria, et, ut ita dicam, non clericalia, non clerici sunt habendi. Merito igitur monachi et veri regulares hos abjiciunt, et cum his in sacramentis non participant, quia qui manifeste clerici non esse probantur, dignum et justum est ut non tantum a monachis et veris regularibus, sed ab omnibus Christianis spernantur. Quod si vis sanctum Evangelium et sacros canones, eorum scilicet regulas, investigare, manifestissime ita esse poteris probare.

[Cap. XIV.] D. Manifeste; de his enim dicitur quod *si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* (*Matth.* XVIII, 9). Melius est ergo luscum populum absque cæco oculo ad vitam intrare quam cæcos clericos cæcum populum ducere, et ambos in foveam cadere. Et rursum: *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut foris projiciatur et ab omnibus conculcetur* (*Matth.* V, 13). Melius est ergo clericum in reproba vita, quasi sal infatuatum, projicere, quam totum populum, infatuato sale salitum, absque tamen sale in fetore peccati relinqui fetidum. Hoc etiam manifestum **368** est sacros canones attestari, qui præcipiunt omnibus fidelibus hos exsecrari. Inquit enim papa Clemens in epistola sua ad Jacobum: « Ministri altaris, presbyter, sive diaconus, sive subdiaconus, tales eligantur ad Dominica officia, qui ante ordinationem conjuges reliquerunt. Quod si post ordinationem ministro contigerit propriæ invadere cubile uxoris, nec sanctuarii nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec cum offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat, aquam porrigat manibus sacerdotum, ostia forinsecus claudat, minora officia gerat. Hæc igitur, frater Jacobe, de ore jubentis sancti Petri audivi. Si quis hæc præcepta non integra servaverit, sit anathema usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. » Et rursum ut debeant vitam canonicorum regularium, ut tu probasti superius, omnes ducere, Alexander papa his verbis probatur præcipere. « Præcipiendo, inquit, mandamus ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem. Unde sancta synodus hæc a capite sub excommunicatione statuit dicens: Quicunque sacerdos vel diaconus vel subdiaconus, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis aut Nicolai de castitate clericorum, qui concubinam duxit palam vel ductam non reliquit, ex parte omnipotentis Dei, aut auctoritate Petri et Pauli, præcipimus et omnino contradicimus ut missam non cantet, neque Evangelium legat, neque Epistolam, neque in presbyterio ad divina officia cum his qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, et præcipientes statuimus ut hi prædictorum ordinum, qui eisdem præcessoribus nostris obedientes castitatem servaverint, juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant, et quidquid ab Ecclesiis competit communiter habeant; et rogantes monemus ut ad apostolicam, scilicet communem, vitam pervenire studeant, quatenus perfectionem cum his consequi qui centesimo fructu ditantur, in cœlesti patria mereantur ascribi. Deinde et primitiæ seu oblationes virorum et mortuorum Ecclesiis Dei reddantur fideliter a laicis, ut in dispositione episcoporum sint; quas qui retinuerint, a sanctæ Ecclesiæ communione separentur, ut per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat Ecclesiam, ne gratis nec pretio, nec aliquis clericus duas Ecclesias obtineat, aut per Simoniacam hæresim nemo ordinetur vel promoveatur ad quemlibet officium ecclesiasticum, nec de ecclesiis ejiciatur; et ut nullus habitum monachilem suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat; ut nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum sæcularem habitum divinæ conversationis inter clericos fuerit comprobatus. » Vos ergo hæc et alia sanctorum Patrum statuta

fideliter Christiana reverentia observate, si vultis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et apostolicæ sedis pace et communione atque benedictione et absolutione gaudere. Verumtamen quid est, quæso, quod se potestatem ligandi atque solvendi habere testantur, quomodocunque videantur vivere?

(CAP. XV.) M. Nonne, sicut ego ratione ostendi et tu auctoritate, debent hi potestatem ligandi atque solvendi habere, qui minime ecclesiastice probantur vivere? Nullus, nisi ipsa Eclesia, hanc potestatem habet. Ecclesia [*l.* clerici] autem ecclesiastice secundum regulam in communi debent vivere. Quare quicunque probantur his moribus quos Ecclesia damnat vivere, sine dubio hanc potestatem minime debent habere amplius; magis Deus factis iniquis quam verbis malis negatur. Unde sequitur: Licet aliquis verbis Deum confiteatur, tamen iniquis operibus Deum negare convincitur. Quos autem constat male vivendo Deum negare, certum est seipsos hac potestate privare, cum non possit nisi Ecclesia solvere atque ligare, quæ Deum nunquam debet negare, quod, ni fallor, potest ex auctoritate declarari.

D. Paulus enim hoc attestatur dicens: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Rursum autem de potestate ligandi atque solvendi beatus Augustinus inquit: « Illi soli habent potestatem ligandi atque solvendi, qui in hac carne positi, sicut sancti apostoli, illorum exempla, vitam simul tenent ac doctrinam, et omnia communia habent secundum regulam apostolicam. » Item: « Sicut eunuchus fuit, qui Joseph comparavit, ita qui gratiam mercatur vivum semel non habet siccis genitalibus, sic quoque ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captivitatis sub aqua vixerat, exstinctus est, Antiocho Jasoni vendente sacerdotium, quod significat vere ignem sancti Spiritus sacramentis Simoniacis non licere. » Unde, ut ego aliquid ex ratione moliar cernere, hinc lux vera omnem quæstionem probatur exsolvere.

M. Enitere, rogo, hoc idem ostendere.

D. Si enim, quemadmodum ex ratione et auctoritate superius est declaratum, illi soli potestatem habent ligandi atque solvendi, qui, sicut sancti apostoli, eorum tenent doctrinam, et omnia communia habent secundum regulam apostolicam; ergo si vel canonici vel monachi melius præ cæteris apostolorum doctrinam et omnia communia secundum regulam apostolicam habere probantur, hi præ cæteris verius et dignius non solum ligare atque solvere; sed omnia spiritualia posse tractare concluduntur. Unde te hortor feliciter nunc pergere, et qui in Ecclesia apostolorum vitam dignius habent ostendere.

M. Videbar mihi debere nunc ab his quiescere, tu autem me cogis ea quæ supra me sunt dicere: non enim digne quod hortaris possum ostendere, nisi ad ipsos apostolos debeam ascendere, et qualiter omnem Ecclesiam instituerint oculo claro contemplari, qualiterque ipsam Ecclesiam deinde contigerit quasi de verissima radice primæ institutionis ad nos usque derivari, vel etiam ab illa perfectione paulatim devians exorbitari.

D. Nondum imples debitum tuæ promissionis, nec perfecte nodum solvis totius quæstionis, si hoc, licet arduum, tibi videatur implere, minime poteris ostendere. Si enim te constat dixisse. Primum enim aiebas: Debeo Adam veterem hominem destruere, ut novum hominem, qui secundum Deum creatus est, valeam erigere. Unde cogeris, quia superbos destruxisti, humiles erigere, quia inquietam flagellasti disciplinam, pacatam familiam pascere; et scis quia Saulus si prostratus non erigeretur, magno apostolo Ecclesia privaretur.

M. Ut vides solis occasus terminat diem, unde licet tertium claudere librum.

—

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

369 [Cap. I.] D. Ut video, instantis mane diei dat finem gratæ quieti. Unde compelleris surgere, et ea quæ sunt proposita animadvertere.

M. Quia ad perfectam totius quæstionis absolutionem compellor ascendere usque ad apostolorum primitivæ Ecclesiæ institutionem, dignum irrefragabilem auctoritatem eorum orthodoxorum introducere, cui nullus audeat contradicere, quæque constat ex ipsa nos verius et perfectius instruere.

D. Hoc fateor mihi multum placere si etiam eorum verba digneris ponere, ut, sicut non tuæ, sed Ecclesiæ auctoritati creditur, ita ipsius Ecclesiæ verbis roboretur quod dicitur.

M. Faciam ea quæ sunt necessaria, vitans, in quantum possum, superflua.

D. Adsit igitur tibi Spiritus sancti gratia!

M. Post adventum igitur spe ejusdem Spiritus sancti, procul fugato omni servili timore, omnes apostoli de illo suo conclavi prorupere, et verbum Dei patenter primum quidam Jerosolymis prædicavere, dein se in toto mundo dispersere. A quanta autem perfectione ea multitudo quæ primo Jerosolymis crediderat ab apostolis instituebatur, manifestissimo Lucæ evangelistæ testimonio in ipsorum Actibus declaratur: *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia, neque enim quisquam egens erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum, dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* (*Act.* IV, 32).

[Cap. II.] D. De multitudine Jerosolymis congregata et quanta perfectione sit inchoata nulli dubium videtur, dummodo in aliis mundi partibus ab aliis apostolis in eadem perfectione Ecclesiam inchoasse monstremus.

M. Firmissime tene omnes apostolos sicut unam doctrinam habuisse, ita in una perfectione omnem Ecclesiam instituisse. Absit enim ut, cum multitudo cor unum et animam unam habuissent, apostoli, ipsius doctores, alius in alia consuetudine alias instituissent Ecclesias!

D. Vellem tamen audire qua id probares auctoritate.

[Cap. III.] M. Ut ecclesiastica historia testatur, Petrus Romæ prædicans Ecclesiam in eadem qua Jerosolymis perfectione æquavit; post Marcum evangelistam discipulum ejus cum ipso Evangelio quod scripserat sua auctoritate in omnem Ægyptum primo delegavit. Marcus autem in Ægypto Evangelium prædicavit. Post in hoc Alexandriam migravit, ibique sicut apostoli Jerosolymis, et Petrus magister ejus Romæ, primus Ecclesiam informavit. Introducitur autem in ipsa ecclesiastica historia quidam, Philo nomine, narrans de omni Alexandrina Ecclesia, sub Marco instituta evangelista, qui sermone veracissimus, ipsum Petrum Romæ vidit, et quæ a Petro et Marco didicerat, omni Ecclesiæ indubie conscripserat. Tanta enim refertur multitudo virorum credentium ac mulierum primo ingressu Marci evangelistæ exempla sobrietatis ejus et continentiæ congregata, ut etiam conversatio eorum qui per ipsum crediderant, et vita totius abstinentiæ et frugalia eorum sobriaque convivia librorum memoriæ mandarentur. Hæc igitur omnia idem Philo describens in libello quem de vita theorica vel supplicum attitulavit, nihil omnino vel de proprio vel extrinsecus addidit. Dicit itaque primo omnium quod renuntiaverint cunctis facultatibus suis qui sub apostolis crediderint, bonaque sua fratribus tradiderint; deinde quod omnes vitæ sollicitudines procul abjecerint, et, extra urbem egressi, in hortulis vel exiguis quibusque agellulis vixerint, refugientes imparis propositi consortia et vitæ dissimilis contubernia, scientes hæc omnia impedire qui volunt arctam viam incedere. Vides igitur quod in una perfectione et in una consuetudine Ecclesia hic in Alexandria et in Ægypto sit inchoata, qua illa prima sub apostolis Jerosolymis congregata, et illa sub Petro Romæ initiata.

[Cap IV.] D. Manifestum est, quoniam idem narrat de Ægyptiis Alexandrinis, quod et de his qui primo crediderant Jerosolymis; nam ut videtur et ipse se habet ordo verborum, et ipsa perfectio renuntiatorum, videtur Ecclesia inchoasse a vita monachorum.

M. Si vis omnia Scripturarum consulere testimonia, nihil aliud videntur dicere quam Ecclesiam inchoasse a vita monastica, sicut se habent hæc verba sequentia. « In multis, **370** inquit Philo, orbis terræ partibus est hoc genus hominum apostolos sequentium. — Oportebat, inquit, profecto hujus boni participem fieri omnem Græciam, omnemque Barbariam. In Ægypto tamen major est copia per singula quæque territoria, præcipue in Alexandria. Nam optimus quisque ex omnibus locis, velut ad uberis patriæ glebam, festinus accurrit colonus. — Est, inquit, in singulis locis consecrata domus orationis, quæ appellatur semnion vel monasterium, quod interpretatur « honestorum conventiculum. » In quo, inquit, honestæ vitæ celebrant mysteria, nihil in eo reservantes, nisi legis tantum libros, volumina prophetarum, et hymnos et his similia, quibus in perfecta exercentur disciplina. — Ab ortu autem, inquit, die usque ad vesperum in his ducunt studium, — « habent etiam, inquit, disputationes quasdam et interpretationes veterum virorum, qui auctores eorum exstiterunt, qui illis normam intelligentiæ et perfectæ vitæ monimenta reliquerunt, quorum illi, velut itineris sui ducum et auctorum, instituta

pariter sequuntur et morem. Procul dubio autem eorum duces et auctores apostoli dicuntur, quorum instituta pariter et mores sequuntur. « Rursum, inquit, non solum intelligunt subtilius hymnos veterum, sed et ipsi faciunt novos in Deum, omnibus eos et metris et sonis honestu magis et suavi compage modulantes. »

D. Hæc omnia, sicut frequentius leguntur, videntur monachi facere, ita illis specialiter videntur convenire.

M. Vide adhuc quod illis magis ascribatur; nam ita prosequitur : « Continentiam vero, velut fundamentum quoddam, primo in animo collocant, et ita demum reliquas super ædificant virtutes. Cibum potumque nullus eorum capit ante solis occasum, videlicet tempus lucis cum philosophiæ studiis, curam vero corporis cum nocte sociantes. Nonnulli post triduum in communionem veniunt cibi, quos edacior studiorum fames perurget. Quidam autem in sacrorum voluminum lectione ita inflammantur, ut nec quarto nec quinto, sed sexto demum die, non tam desideratum quam necessarium corpori indulgeant cibum. Vinum nemo in gustu contingit, sed nec quamlibet carnem, tantum autem sit eis aqua poculum, panis cum sale cibus et hyssopum. »

D. Palam est quod ex auctoritate istorum oriretur vita monachorum.

[Cap. V.] M. « Adhuc, inquit, habitant per se viri seorsum, et per se feminæ deorsum, in quibus grandævæ sunt virgines, integritatem servantes, non ex necessitate, sed ex devotione ; non solum animo, sed et corpore consecratæ, indignum ducentes libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum, et edere mortalem partum, a quibus divini verbi concubitus sacrosanctus et immortalis expetitur, ex quo posteritas relinquatur nequaquam corruptelæ mortalitati obnoxia. »

D. Hinc auctoritatem ducere videntur moniales quæ sacro velamine velantur.

[Cap. VI.] M. Vis autem adhuc scire a quanta perfectione omnis Ecclesia ab apostolis institueretur? contemplare quid ab eodem viro subjungeretur : Omnis, inquit, lex istis viris videtur animali esse similis, quod corpus quidem habeat, ipsam litteram, et ea quæ secundum litteram observantur; animam vero, occultum in littera spiritalem et invisibilem sensum, ut ab apostolis sunt docti, contemplantur. »

D. Hi viri probantur omnem legem transcendisse, et perfecte vereque sub Evangelio vixisse.

M. Videnturne tibi perfectissimorum hi monachorum instituta non habuisse, quæ post eos monachi usque in hodiernum diem vix potuere ab his tradita custodisse? Quod autem constat Jerosolymis factum de Ecclesia et Romæ a Petro, in Galatia, Bithynia, Cappadocia ; et in Ægypto et in Alexandria a Marco; hoc fecit Thomas in Parthia, Matthæus in Æthiopia, Bartholomæus in citeriore India, Andreas in Achaia, Joannes in Asia, Simon et Judas in Perside, utrique Jacobi in Judæa, Philippus in Scythia, Matthias in Samaria. De Paulo autem quid dicetur, a quo quidquid erat in Jerusalem et in Illyricum mare Evangelio repleretur?

[Cap. VII.] D. Quia igitur in qua perfectione, in qua institutione omnis Ecclesia sub omnibus apostolis primo institueretur te satis probasse videtur, superest ut etiam dicas qua de causa, quid impedimenti pateretur quod in hac perfectione minime perseverare sineretur, vel in quibus ab hac perfectione exorbitasse, vel in quibus in semel incœpta perfectione perseverasse comprobaretur.

M. Licet hoc meis verbis cito possem facere, malo tamen nulli contradicendam auctoritatem adducere. In XXIV enim sanctissimorum Patrum collationibus et totius apostolicæ perfectionis institutorum, qui in terris positi omnium sapientium judicio probantur, non tantum apostolicam, sed etiam vitam duxisse angelicam, ita de his omnibus luce clarius constat expositum. « Itaque, inquit prædictus Collationum liber, cœnobitarum, id est perfectissimorum monachorum, disciplina a tempore prædicationis apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis Jerosolymis illa omnis credentium multitudo, quæ in Actibus apostolorum describitur. *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32), et cætera quæ in Actibus apostolorum sunt inde subjecta — Talis, inquit, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis invenire difficile est Sed cum apostolorum excessu tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maxime quæ ad fidem Christi de alienis ac diversis gentibus confluebat, a quibus apostoli pro ipsis fidei rudimentis et inveterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebant, nisi ut ab immolatitiis idolorum, et fornicatione et suffocatis et sanguine temperarent; atque ista libertas, quæ gentibus, propter infirmitatem primæ credulitatis, indulta est, etiam illius Ecclesiæ perfectionem, quæ Jerosolymis consistebat, paulatim contaminare cœpisset, et crescente quotidie vel indigenarum numero vel advenarum, primæ illius fidei refrigesceret fervor, non solum hi qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam illi qui erant Ecclesiæ principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim, existimantes id quod **371** videbant gentibus pro infirmitate concessum sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis fidem Christi confessionemque sequerentur. Ili autem, quibus apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis, descendentes a civitatibus suis illorumque consortio qui sibi et Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, et ea, quæ ab apostolis per universum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim et peculiariter exercere cœperunt, atque ita coaluit ista quam diximus discipulorum qui se ab illorum contagio sequestraverant disciplina. Qui paulatim, tempore procedente, segregati a credentium turbis ab eo quod conjugiis

abstinerent, et a parentum se consortio mundique ipsius conversatione secernerent, monachi seu monaziantes a singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt.

[Cap. VIII.] Unde consequens fuit ut, ex communione consortii cœnobitæ, cellæque ac diversoria eorum cœnobia vocarentur. Istud ergo solummodo fuit antiquissimum monachorum genus, quod non solum tempore, sed etiam gratia primum est, quod per annos plurimos inviolabile usque ad abbatis Pauli vel Antonii duravit ætatem, cujus etiam nunc adhuc in districtis cœnobiis cernimus sedere vestigia.

[Cap. IX.] De hoc perfectorum numero, inquit, et, ut ita dixerim, fecundissima radice sanctorum etiam anachoretarum post hæc flores fructusque prolati sunt, cujus professionis principes, hos quos paulo ante commemoravimus, sanctum scilicet Paulum vel Antonium novimus exstitisse; qui non, ut quidam, pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris perfectus contemplationisque divinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet eorum prior, necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum devitat insidias, eremum penetrasse dicatur. » Ita ergo processit ex illa quæ diximus disciplina aliud perfectionis genus, cujus sectatores anachoretæ, id est secessores merito nuncupantur, eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias diaboli calcaverunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timeant, ad imitationem scilicet Joannis Baptistæ, qui in eremo tota ætate permansit Eliæ quoque et Elisei atque illorum de quibus Apostolus ita commemorat : *Qui erant in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, agentes, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ* (*Hebr.* XI, 37).

[Cap. X.] D. Ut ratio et auctoritas declarat, sub apostolis sicut apostolicæ perfectionis omnis Ecclesia a monachis sumpsit exordium, ita in his de cætero totius perfectionis remansit privilegium ; et sicut umbra legis cum Synagoga, lux autem vera cum Ecclesia, ita omnes qui ab hac perfectione se sequestraverunt, sub legis terrore permanserunt, sola autem monastica vita, quod est perfecta et primitiva Ecclesia et ab hoc apostolica, sub Evangelii honore permansit.

M. Considerastine in supradicta auctoritate hujus vocabuli, quod est *monachus*, definitionem, vel quare monachi vocarentur qui a cæterorum contagio segregarentur ?

D. Patet, sicut ibi dicitur, quia omni mundo, sicut apostoli eorum institutores, renuntiaverunt, et a remissionibus, turcis et parentum consortio, mundique totius contagio segregati, monachi seu monaziantes, id est singulares vel solitarii a singularis vitæ sanctitate sunt nominati.

M. A qua forma sunt ita informati ?

[Cap. XI.] D. Nonne tibi dixi, ab apostolis suis institutoribus ?

M. Si igitur omne quod aliquid informat, necesse est a se formati in se formam habere, constet autem monachos, in quantum sunt monachi, ab ipsis formam sumere, ergo omnes apostoli monachi veri fuerunt.

D. Hoc nusquam legitur, et tamen ex his quæ dicta sunt sequitur.

[Cap. XII.] M. Nonne legitur apostolos omni mundo renuntiasse, ab omni conjugio segregatos esse, seipsos abnegasse, Christum secutos fuisse, Christo obedientes usque ad mortem exstitisse ?

D. Hoc ubique legitur manifeste.

M. Hæc autem omnia observare est monachus esse. Legitur ergo apostolos monachos fuisse.

D. Hoc dico quod hoc vocabulo, quod est *monachus*, non sunt vocitati.

M. Nonne monachus Græce, Latine dicitur *singularis* vel *solitarius* ?

D. Quis hoc negat ?

M. Erant autem apostoli in sanctitate singulares et in hujusmodi tecto habitaverunt, mente solitarii. Hoc ergo quia ubique in libris esse Latine dicuntur, Græce ergo monachi fuisse leguntur. Amplius. Non est curandum quo quis nomine vocetur, cum id quod nomen significat esse probetur, alioquin magna contrarietas in multis rebus sequeretur. Si enim statim id esset quod quisque diceretur, sicut tu superius dixisti, adhuc Judas apostolus haberetur; et e converso quam cito aliquis sanctus vocaretur, illico in virtute consummatus probaretur. Unde res absurdissima eveniret et contraria, ut nulli pro adipiscendis virtutibus deberent laborare, sed solo se virtutum nomine vocitare. Unde quod in nominibus sanctius diceretur, ut Deus ipse coleretur.

D. Vere fateor, ab his quiescere cogor.

M. Nonne fuerunt apostoli justi, casti, sancti, mansueti, prudentes, sapientes, fortes, discreti, patientes, obedientes, charitativi ?

D. Qui hoc negat, fidem non habet.

M. Docuerunt autem homines justos, castos, sanctos, mansuetos, prudentes, sapientes, fortes, discretos, patientes, obedientes esse et charitativos. Ergone docentes homines has virtutes possidere, ipsi seipsos ab his virtutibus docendo evacuavere ?

D. Quis hoc, vel insanissimi capitis, dixerit quod hos apostolos crediderit ?

M. Hoc videntur illi facere, qui nolunt apostolos fore monachos concedere.

D. Ego, ut verum fatear, nunquam cogar id dicere.

372 M. Sicut ergo apostoli docentes alios sanctos charitativos, etc. esse, hoc quod docuerunt ipsimet fuere, ita docentes monachos vivere, ipsi vere monachi exstitere. Tandem ut de aliis taceam, nonne tibi videtur verus monachus fuisse Paulus, quem constat dixisse : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi per quem mihi*

mundus crucifixus est et ego mundo ! (*Gal.* VI, 14.) Nonne omnes fuere veri monachi, cum omnibus hoc conveniret : *Habentes victum et vestitum, his contenti simus ?* (*I Tim.* VI, 8) Quid tibi videtur dixisse Paulum : *Volo autem omnem hominem esse sicut meipsum* (*I Cor.* VII, 7), nisi verum monachum ? non enim voluit omnem hominem esse apostolum, maxime, cum dicat in alio loco : *Nunquid omnes apostoli ?* (*I Cor* XIII, 19.)—*si totum corpus oculus, ubi auditus ?* (*ibid.*, 17.) [CAP. XIII.] Ipse autem huic mundo renuntians, se a conjugio et a totius mundi contagio sequestravit, contentus victu et vestitu, et secutus Christum seipsum abnegavit. Hoc autem est esse monachum. Unde, quia omnem hominem voluit esse sicut seipsum, omnem ergo hominem voluit esse monachum.

D. Si autem omnis homo esset monachus, cito periret mundus, quia si nullus generaret, nullus generaretur ; unde etiam in tempore Pauli, vel non multo post eum, mundum finisse sequeretur. Quid igitur de his sanctis, qui post eum usque ad finem sæculi fuere, diceretur ?

M. Constat esse electorum numerum certum atque diffinitum ; mundus autem pro nullo alio adhuc stare probatur, nisi ut hic numerus electorum paulatim de ipso colligatur. Unde sequi videtur, si in tempore Pauli omnis homo perfectus monachus haberetur, electorum numerus uno tempore cito acceleraretur, qui postea paulatim colligi videretur.

D. Verumtamen privilegium apostolicæ dignitatis, quod probatum est a tempore apostolicæ prædicationis veros monachos usque ad nostra tempora possidere, id est regulares canonici eodem modo videntur implere. [CAP. XIV.] Nam omni mundo renuntiant, seipsos sibi abnegant, a conjugio et mundi contagio, contenti victu et vestitu, se segregant, obedientiam usque ad mortem præpositis suis promittunt. Hoc autem quia vita est monachorum, videtur ergo ut ab hac non differat regularium canonicorum.

M. Quia video nihil tibi sufficere, debeo tecum serius agere. Dic igitur quis fecit eorum regulam ?

[CAP. XV.] D. Absque aliis præcipue tamen sanctus Augustinus.

M. Dic etiam, Nonne in tempore beati Augustini fuere omnes monachi sicut sanctiores, ita magis quam nunc omni Ecclesiæ celebriores ?

D. Nam ipse Augustinus vitam monasticam multoties dixit vere apostolicam, quam dixit nec satis posse admirari, nec, ut dignum erat, sermone laudari.

M. Sicut autem ipsa vita etiam suo testimonio probatur esse vere apostolica, ita in ipsa fuere a tempore apostolorum ipsorum instituta. Nam sicut ipsam vitam apostoli statuere, ita aut ipsi aut æqui apostolici viri huic instituta tradidere.

D. Quod videris dicere, nulli fas est contradicere.

[CAP. XVI.] M. Si igitur hæc vita ejus testimonio est vere apostolica, in qua ante ejus tempora fuerunt apostolorum instituta, cur sanctus Augustinus instituit regulam canonicorum, dando omnino alia instituta, quam scivit ante sua tempora ab apostolis vel ab ejus sequacibus huic vitæ tradita esse ? vel si eamdem voluit esse regulam canonicorum, quæ est monachorum, cur non est contentus, sicut apostolica vita, ita et apostolica regula, et monachorum disciplinis pariter et institutis ?

D. Hic me video deficere, quare te decet nodum exsolvere.

M. Aut igitur sanctus Augustinus regulam canonicorum eamdem æque apostolicam voluit esse cum illa quæ est monachorum, aut superiorem et sanctiorem, aut inferiorem et minus sanctiorem.

D. Ut videtur, eamdem.

M. Si eamdem voluit esse, non tantum superfluus invenitur, sed etiam contrarius fuisse judicabitur : erat enim superfluus ut intelligeret eamdem, et insuper componeret aliam ; contrarius ut intelligeret ejusdem regulæ eadem instituta, et tamen daret multo remissiora et ob hoc diversa. Carnes enim comedere in septimana tribus diebus absque festivis, uti lineis mollibus et candidissimis, et multo brevius agere divinum servitium et levius, quis non videat esse diversum et multo remissius ab his qui abstinent a carnibus, asperis vestiuntur laneis, et omnibus vestibus huic mundo abjectissimis, et qui magis occupantur in psalmis et divinis disciplinis ? Insuper judicabitur ipsis apostolis et apostolicis viris præjudicium fecisse, quorum regulam in id quod est remissius probatur immutasse. Illos etiam videtur magno præmio privare, quos constaret in regula monachorum majora instituta observando, majus præmium exspectare.

D. Omnia videntur falsa et sancto Augustino contraria.

M. Non ergo intellexit Augustinus canonicorum eamdem regulam esse et monachorum.

D. Age, intellexerit canonicorum multo altiorem et sanctiorem regula monachorum.

M. Si igitur eam voluit esse multo superiorem et sanctiorem, contrarius sibi erat dando multo leviorem et remissiorem. Unde sequitur quod levior et remissior regula canonicorum multo altius habeatur quam altior et sanctior regula apostolorum et monachorum. Unde res mira colligitur et contraria, ut quanto quis remissius conversetur, tanto altior et sanctior esse probetur. Unde etiam regula canonicorum non est jam apostolica, sed super apostolos et apostolicos viros composita.

D. Ergo omnibus apostolis contraria.

M. Noluit ergo Augustinus eam superiorem esse, nec sanctiorem.

D. Ut videtur, necessitate constringimur dicere regulam canonicorum inferiorem esse et minus sanctiorem regula monachorum. **373** Unde merito quæritur quæ causa sanctum Augustinum hanc non

adeo perfectam compulisset componere, cum ante A sua tempora perfectiorem, utpote apostolicam monachorum regulam sciret existere.

M. Si Adam datam sibi a Conditore naturalem legem cum sua posteritate vellet custodisse, nullo modo videretur necesse legem cum prophetis postea Deum tradidisse. Unde si legem et prophetas vellent spiritaliter observasse, ut scriberetur Evangelium non esset necesse. Hoc est enim esse rotam in rota, Evangelium in propheta. Unde consequens fuit: Si Evangelia ab omnibus diligenter observarentur, nec canones nec quælibet regulæ superponerentur. Nam quicunque justus et perfectus vellet per omnia, ut præcipit Evangelium, vivere, huic non esset necesse, sicut nec ipsis apostolis alia sub lege vel regula vivere. Quapropter sicut Filius Dei voluit, B quærens hominem ad ipsum se deprimere, ita oportuit omnem sanctam Scripturam, ut hominem retraheret, ad ipsum condescendere, ut qui naturalis legis transgressor haberetur, scripta lege et prophetis admoneretur. Porro hæc si transgrederetur, scripto Evangelio retraheretur; et rursum si Evangelio minus cautus intenderet, vel canonibus, vel quibuslibet regulis se subderet. Unde indubitanter colligitur, si vellent clerici in tempore Augustini recte sub Evangelio vivere, vel aliis perfectioribus regulis se subdere, superfluum esset et etiam periculosum aliam his regulam scribere. Et sicut omnem Scripturam ab initio monstratum est cum homine condescendisse, ita oportuit Augustinum suam regulam his qui tunc erant condescendendo C composuisse, scilicet ut quos vidit nec districte sub Evangelio ut ipsos apostolos vivere, nec se ut eorum sequaces districtiori regulæ alicui sanctorum subdere, his deberet condescendendo talem regulam facere, ut qui non possent altius ascendere, in hac communi possent vivere.

D. Recte te constat hoc discrevisse, unde jam constat me sagaciter perpendisse etiam beatum Benedictum in aliquo monachis condescendisse, cum his vini licentiam probatur indulsisse. Dicit enim se legisse monachorum omnino vinum non esse. Unde quia suis temporibus id monachis non potuit, ut ipse testatur, persuaderi, hunc illis in vino condescendisse a quolibet potest videri. Quare, simili modo si posset beatus Augustinus clericis omnibus persuadere ut ab his quæ his indulsit vellent abstinere, quis non videat hoc illum libenter voluisse facere?

M. Ideo semper clerici infirmiores esse his probantur, quibus non adeo condescendisse ab illa evangelica perfectione beatus Benedictus, ut cæteri magistri districtioris regulæ judicantur. Verumtamen fateamur est necesse sanctum Augustinum summæ discretionis in hac regula exstitisse.

D. Nullus hoc poterit ignorare, qui cupit et qui potest libros suos perlucido oculo perlustrare. Unde quia dicis regulam monachorum de regula quasi de fonte derivasse apostolorum, summopere necesse est te demonstrare monasticam cum regula apostolica per omnia concordare.

M. Imminens S. Nicolai festivitas compellit nos sibi insistere. Unde compellimur quartum librum distinguere, cujus ad hoc possumus prece juvari.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUINTI.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

[CAP. I.] D. Peracta festivitate in eadem versamur necessitate. Unde necesse est te persolvere quod scis me ex debito deposcere.

M. Monachorum regulam plerique composuere qui incomparabilis sanctitatis viri exstitere, quibus B. Pachomius Regulam monachorum ab ipso angelo de cœlo dictatam, non videlicet ut hominis, sed ut divinum oraculum monachis tradidit. B. autem Basilius, qui Dei testimonio columna usque in cœlum erecta exstitit, qui igneis linguis loquebatur, omnibus in Cappadocia monachis regulam tradidit. Post quos sanctissimus Benedictus, qui, ut dicitur, plenus spiritu omnium justorum ipsius divinitatis secreta penetravit, regulam monachorum dictavit. De quibus tibi sufficit unam eligere, de qua coner quod hortaris ostendere.

D. Licet primus eorum de cœlo dictatam tradidisset, secundus autem igneis linguis suam edidisset, tamen beatissimi Benedicti Patris latinorum monachorum Regulam debes assumere, de qua summam concordiam cum evangelica perfectione necesse est te ostendere.

[CAP. II.] M. Credo non intelligitur dignior apostolorum regula quam ipsa quatuor Evangelia, quæ sicut sunt omnium doctrina doctrinarum, ita omnium regula regularum. Quare, si tibi placet, quæcunque sunt in his præcepta altiora et perfectiora, et solis apostolis dicta, et congrua excipe, ut iis, si possit fieri, conferatur beatissimi Benedicti Regula.

374 D. Bene multum, nam jam video in uno Matthæi Evangelio omnia altiora posse monstrare, uno insimul loco. Hic autem est, ubi Dominus, relicta turba in loco campestri, in montem ascendit, et solos apostolos docebat dicens: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v, 3), etc. Ideo etiam cum solos apostolos doceret in montem ascendit, indicans se tam alta præcepta apostolos docere, ad quæ non posset relicta turba ascendere.

M. Apostolos ergo sicut secum altius præ cæteris voluit in montem ducere, ita per hæc quæ ibi docuit, altiora voluit eos præ cæteris perfectius et altius in cœlum ascendere. Unde ibi dignatus est altissimam octo beatitudinum, quod est octo graduum scalam in cœlum usque erigere, quam nulli nisi contemptores mundi perfectissimi in his beatitudinibus, ut ipsi apostoli, valerent conscendere.

[CAP. III.] D. Ut videtur hic erecta est illa scala, quam Jacob in somnis videbat, cujus summitas cœlos tangebat, per quam ascendentes et descendentes angelos cernebat: de quo etiam loco quam terribilis esset adjungebat.

[CAP. IV.] M. Contemplare igitur et diligenter perpende quia beatissimus Benedictus eamdem scalam quam vidit Jacob in somno, et quam erexit Jesus discipulis suis in monte, in Regula sua se testatur

A erigere, ut probentur monachi hanc ascendendo eamdem summitatem cœli attingere, quo Christus suos discipulos in scala a se in monte erecta voluit ascendere.

D. O Dei gratia cum summa gloria!

M. De hac enim scala sic dixit in Regula (cap. 7): *Unde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, et ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus, scala erigenda est illa, quæ in somno Jacob apparuit, per quam ei descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere et humilitate ascendere*, etc.

B [CAP. V.] D. O vere sanctissimum hominem, qui ipsius divinitatis secreta penetravit, dum in spiritu Jacob non aliam hanc scalam vidisse testatur, nisi quam ipse in Regula sua erexisse monstratur. Quid est autem quod hæc scala a Christo in monte octo graduum, id est octo beatitudinum, esse docetur, in Regula autem a beatissimo Benedicto duodecim graduum esse perhibetur, vel cur hic duodecim, ibi autem octo graduum esse dicitur, vel quomodo idem esse duodecim, quod esse octo graduum intelligitur?

M. Primo duodecim erant apostoli, quibus a Domino in monte contexitur scala evangelica. Unde ut se beatus Benedictus, non aliam quam duodecim apostolorum vitam indicaret instituere, voluit scalam C evangelicam in sua Regula duodecim gradibus distinguere; qui duodecim gradus sine dubio iidem intelliguntur, qui ibi octo esse dicuntur.

[CAP. VI.] D. Porro *beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3), ibi primus gradus dicitur.

M. Qui in Regula tertius ponitur, habens sub se duos, per quos ad ipsum tertium ascenditur.

D. Hoc nondum intelligitur.

M. Tertius humilitatis gradus dicitur, cum quis pro amore Dei abbati factus obediens usque ad mortem efficitur, quod nullus potest facere, nisi qui vult animam suam in hoc mundo perdere, quem sine dubio potest pauperem spiritu dicere. Vides ergo eumdem esse in Regula tertium, quem Dominus in Evangelio inchoavit primum. Porro quia nul- D lus potest, factus obediens usque ad mortem, seipsum abnegare, nisi his duobus debeat primum renuntiare, id est primum substantia mundi seipsum depauperare, et postea non amans propriam voluntatem desideria carnis a se amputare. Idcirco duo præmisisse beatus Benedictus dicitur, per quos, uti dixi, ad tertium ascenditur. Primum enim de timore Dei gradum in imo hujus scalæ posuit, quia, cum *initium sapientiæ sit timor Domini* (*Psal.* cx, 9), oportuit duodecim gradus in timore Dei initiari, quos con-

stat in summa ejus sapientia consummari. Cum enim non possimus Deo servire et mammonæ, timor, ne Deum amittamus, projecit mammonam iniquitatis, ut postea Deo serviamus. Secundum autem de amputando desiderio primo superposuit, quia quem constat projecta mammona Deo servire, debet a se desideria carnis abscindere, usque ascendit tertium competenter, ut factus obediens usque ad mortem, quod est animam suam perdere, quem sine dubio pauperem spiritu potest dicere.

[Cap. VII.] D. Secundus autem in Evangelio ponitur, dum *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* dicitur (*Matth*. v, 4).

M. Qui quartus in Regula sine dubio intelligitur. Tantum enim valet dicere: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, quantum beati patientes, quoniam ipsi debent animam propriam possidere, quam in hoc mundo omnia adversa patiendo pro Christo, non se ulciscendo, quasi videntur perdere. Qui enim dixit: *Qui animam suam in hoc mundo perdiderit, in vitam æternam eam possidebit* (*Luc*. IX, 24); ipse dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc*. XXI, 19). Si igitur idem est *Beati mites* quod est patientes, beatus autem Benedictus in quarto gradu doceat esse patientes. Id est (cap. 7): *Qui præceptum Domini et in adversis et in injuriis per patientiam adimplentes qui percussi in maxillam, præbent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angariati milliarium vadunt et duo, cum Paulo apostolo falsos fratres et persecutionem sustinent, et maledicentes se benedicunt*. Igitur idem gradus in Regula intelligitur qui in Evangelio secundus primo superponitur.

[Cap. VIII.] D. Tertius autem in Evangelio subnectitur, cum *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur* subjungitur (*Matth*. v, 5).

M. Hic est idem qui quintus in Regula ponitur qui sic a beato Benedicto intexitur: **375** *Si omnes*, inquit, *cogitationes malas, cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati non celaverit suo*. Si igitur humilem confessionem etiam de cogitationibus facere, hoc est eos hic lugere, qui postea consolabuntur. Quintus ergo in Regula, et tertius in Evangelio unus esse concluduntur.

[Cap. IX.] D. Quartus autem in Evangelio ita contexitur, dum *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* subintroducitur (*Matth*. v, 6).

M. Is in sextum et in septimum hac ratione in Regula subdividitur. Qui enim esurire et sitire justitiam dicitur, hic nimium justus esse probatur; qui autem nimium justus dicitur, hic seipsum nimium debet accusare, sicut scriptum est: *Justus in principio accusator est sui* (*Prov*. XVIII, 17); et: *Quanto major es in omnibus, humilia teipsum* (*Eccli*. III, 20). Nimium autem justum seipsum accusare, id duobus modis debet facere, scilicet omni vilitate vel extremitate contentus esse, quod est sextum gradum humilitatis in Regula ascendere, et rursum omnibus se humiliorem et viliorem aliis in exemplum sua lingua pronuntiare, quod est septimum humilitatis gradum in Regula consummare. Hæc quia utrumque qui esurit et sitit justitiam debet facere (*Matth*. v, 6), ergo quartus gradus scalæ evangelicæ subdividitur in sextum et septimum Regulæ.

[Cap. X.] D. Quintus autem ita in Evangelio subnotatur, cum *Beati misericordes quoniam, ipsi misericordiam consequentur*, a Domino subjungatur (*Matth*. v, 7).

M. Qui octavus humilitatis gradus in Regula ita esse dicitur (cap. 7); *Si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla*. Quis enim non videat valde hos esse misericordes, quos cum constet sicut justos nulla sub lege teneri, tamen ut aliis condescendendo possint misereri, debeant sub communi monasterii Regula tantum coerceri, scilicet ut omnibus omnia fiant, ut omnes lucrifaciant. Hoc ergo quia misericordes debent facere, vides ergo quintum evangelicæ et octavum Regulæ unum eumdemque existere.

[Cap. XI.] D. Porro sextus gradus in scala evangelica intexitur, cum *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* subintroducitur (*Matth*. v, 8).

M. Hic ergo in Regula in tres derivatur, cum nonus, decimus, undecimus pronuntiatur ut Deum videre promereatur, ne munditiam cordis videatur etiam otioso verbo offuscare; non debet linguam suam taciturnitate clausam nisi ad interrogationem reserare, unde debet non facilis in risu existere, sed, cum loquitur, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate, et pauca verba et rationabilia dicere: quod quia totum mundus corde debet consummare. Vides ergo sextum in Evangelio se in tres in Regula derivare.

[Cap. XII.] D. Septimus autem in Evangelio nobis ascendendus demonstratur, cum *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* super cæteros collocatur (*Matth*. v, 9).

M. Qui duodecimus in Regula cæteris præfertur (cap. 7), si non *solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet, id est in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicunque sedens ambulans, vel stans inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus*, etc. Quis autem non videat valde hunc esse pacificum, cujus corpus adeo efficitur mansuetum, ut sicut suo spiritui nihil in nullo loco perpetret contrarium, ita nulli proximorum se videnti quod vel oculis displiceat, ponat offendiculum? Pacificus enim hic minime esse probatur, cujus adhuc corpus spiritui reluctatur, nec pace firma perfruitur, in cujus adhuc corpore aliquod indecens vel proximo ostenditur. Hoc est enim quod Dominus dicit, duo super terram convenire, corpus a spiritu in nullo bono dissentire. Hoc est *si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus*

se semper indicet, id est in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus. Quod est, secundum Ezechielem, cœleste *animal plenum oculis ante et retro* se undique circumspicere (*Ezech.* I, 18) : Unde te necesse est hunc vere pacificum dicere, qui stans in duodecimo gradu Regulæ, in septimo probatur evangelicæ scalæ consistere.

D. Mirum valde videtur, si in hac vita major perfectio possidetur, quia quem constat in tanta consummatione virtutum gradus ascendere, nihil superest nisi ut summam summi certaminis coronam a justo judice debeat recipere.

[CAP. XIII.] M. Unde cognoscas octavum gradum evangelicæ scalæ quo *beati* esse dicuntur *qui persecutionem propter justitiam patiuntur* (*Matth.* V, 10), non aliud intelligi debere, quam septem graduum consummatam justitiæ retinere. Et ne tanto labore in septem gradibus conquisitam justitiam se amittere patiantur, tantum contra persecutionem hanc quia defendunt beati vocantur.

D. Ideo forsan in octavo non aliud præmium promittitur nisi regnum cœlorum quod in primo proponitur.

M. Bene intelligis, nam sicut septem diebus omne tempus volvitur, in Dominico autem die totius septimanæ initium et finis concluditur, ita omnis virtutum consummatio in his septem gradibus consumitur. In octavo autem initium et finis repetitur.

D. Quemadmodum ergo manifeste probatur, beatus Benedictus hujus in ascensu scalæ ad eamdem summam gloriæ videtur perducere monachos, quo Christus in evangelica scala duodecim apostolos.

M. Hoc nulli dubitare conceditur, dum quantæ perfectionis sit stare in summo hujus scalæ his verbis ostenditur (*ibid.*) : *Ergo*, inquit, *his omnibus humilitatibus gradibus ascensis, monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ « perfecta foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18), *» per quam universa quæ prius non sine fortitudine observabat, absque ullo labore velut naturaliter, ex consuetudine incipiet custodire ; non jam timore gehennæ, sed amore Christi* **370** *et consuetudine ipsa bona et delectatione virtutum, quæ jam Deus in operarium suum mundum a vitiis et peccatis Spiritu sancto dignabitur demonstrare.* Nam si ad perfectam charitatem Dei quæ foras mittit timorem, sicut tu vides, monachus perducitur, Deus autem charitas ipse est, et qui manet in charitate in Deo esse Joannis testimonio dicitur. Ergo perfectus monachus in Deo esse et Deus in illo manifeste concluditur. Unde nullus permittitur dubitare quin monachus perfectus regnum Dei, ut sui Patris, debeat hæreditare.

[Cap. XIV.] D. Quid est, rogo, quod sola humilitas in duodecim gradus dividitur, et nulla alia virtus ad hoc quasi minus idonea assumitur ?

A M. Nonne constitit superius inter nos, sicut humilitatem esse qua in ipsum itur Deum, ita superbiam qua in ipsum diabolum ?

D. Non sum immemor unde admoneor.

M. Scis autem superbiam proclivem scalam exstitisse, qua primus homo a Deo ad diabolum probatur descendisse. Unde necesse est, si volumus a diabolo ad Deum ascendere, scalam humilitatis erigere. Sola autem humilitas, quia probatur secura, de diabolo ad Deum ascendere voluit. Ideo beatus Benedictus solam humilitatem in duodecim gradus distinguere, ut hæc sola videretur ascendere, quæ id secure sola potest facere. Unde rogo ut omnes monachi admoneantur, ut hanc adipisci præ cæteris summopere nitantur. Licet enim in ascensu hujus B scalæ multitudo virtutum demonstretur, quarum tamen dum quælibet ibi titubando ascendere videtur, sola est humilitas, cui securum iter in cœlum usque præbetur. Nec quælibet aliarum ascendit, nisi cujus manum hæc ductrix apprehendit.

D. Eodem modo ergo necesse est admoneantur ut superbiam præ cæteris vitare nitantur, quæ scribitur sicut omnis peccati initium, ita hæc sola ad hujus scalæ sufficit præcipitium ; nec quilibet inde præcipitatur, nisi ejus manu deorsum trahatur. Pede enim superbiæ primum labitur, post ejus manu deorsum trahitur. Ibi enim omnes ceciderunt, qui iniquitatem fecerunt.

M. Vides ergo cum superbia pes et manus peccati dicatur ; pes autem et manus finis et initium totius C corporis videatur, quam terribile monstrum superbia, omnis peccati initium et finis indicatur, in quo omnis qui cecidit, prius lapsus monstratur. Unde quia humilitas huic contraria probatur, merito omnis qui ascendit scalam virtutum, in primo gradu cum illa associatur, et in summo stans in illa consummatur.

[CAP. XV.] D. Vere necesse est fateamur regulam canonicorum in inferiori gradu collocari, cum manifestum sit beatissimi Benedicti Regulam tam alto virtutum cubitu mensurari.

M. Amplius. Duo adhuc de jugo utriusque regulæ liberi eligantur, quibus ambæ regulæ ab initio relegantur ; unus autem nondum eo ductus, ut si omni vilitate et extremitate contentus, nec ex corde possit confiteri se omnibus humiliorem et viliorem haberi, D nec per tam altum graduum iter imbecillo animo præsumat incedere, per quod Regula beatissimi Benedicti fortissimo animo suos sequaces probatur ducere. Eligat ergo Regulam sancti Augustini, quæ magis videtur infirmis condescendere. Nam nec adeo vilia et extrema in usu corporis, nec adeo ardua virtutum præcepta a suis sequacibus videtur exigere. Alter autem utpote fortiori mentis proposito, malit quæ viliora et extremiora in usu corporis, altiora etiam præcepta virtutis profitendo Regulam beati Benedicti pro Christi amore eligere ; quem, inquam, eorum censes ut fortiorem et sanctiorem, ita fore Deo chariorem ?

D. Qui fortiori mentis proposito pro Christi amore quæque viliora et extremiora et virtutum præcepta altiora mavult eligere, hunc judico fortiorem, meliorem, sanctiorem Deoque chariorem existere.

M. Si igitur ambæ regulæ et professores earum tantum attendantur, omnes qui Regulam beati Benedicti profitentur, professoribus Regulam beati Augustini ut fortiores, meliores, sanctiores ita Deo chariores esse judicantur.

D. Nihil habeo quod huic objiciatur.

M. Ergo omnis monachus, si regulam suam observat, jure canonico præferatur. Nam nisi propositum monachi altissimum judicaretur, nunquam qui regulam vult profiteri per intregrum annum antea probari præciperetur, cum nihil tale in Regula sancti Augustini esse manifestetur.

[CAP. XVI.] D. Habent aliud privilegium suæ dignitatis monachi, quam non habeant canonici?

M. Magnum et ab his differens multum. Nam ut in Regula legitur, post integrum annum in patientia suscipitur, factoque officio celeberrimo dum Regulam profitetur, monachus efficitur. Ubique cooperto capite quasi superposito sepulcro, per tres dies cum Christo sepelitur, et in tertio die cum Christo resurgit, dum caput ejus, quasi aperto sepulcro, cuculla discooperitur (56) quando etiam missa super eum celebratur, et abbas dans sibi Christi pacem, hunc osculatur, quasi Christus resurgens, *Pax tibi, ego sum*; *pacem meam do tibi, pacem meam relinquo tibi*, eum alloquitur. Unde etiam si perseveraverit verus Christi discipulus esse probatur.

D. Quid igitur si aliquis canonicorum voluerit ad hoc privilegium sanctitatis ascendere, nunquid judicabitur id debere?

[CAP. XVII.] M. Absque dubio judicabitur debere, si tamen ad hoc a suo præposito humiliter licentiam vult quærere, nec bonum est si hoc voluerit sibi temere contradicere. Nam multi sanctorum episcoporum etiam post episcopatum se monachos fecere, quod dignum laude magis judicatur, et a nemine nisi a stultissimo vituperatur. Nam nostra etiam memoria beatus Willelmus (57) Catalaunensis episcopus, cum esset perfectus regularis canonicus, omniumque judicio probatus, terque licet subterfugisset, tandem invitus episcopus efficitur. In quo quam sancte vixisset, nullus qui hoc scit dubitare conceditur. **377** Hic, inquam, regularis canonicus et episcopus sanctus, cujus quasi claro oculo nil latuit in omni divina Scriptura, dum testaretur Regulam sancti Augustini ad perfectionem non sufficere, voluit sicut et fecit se monachum facere, quod tantum virum nunquam constaret fecisse, si hoc sciret non licuisse.

[CAP. XVIII.] D. Quam perfectus quamque doctus fuerit omnis testatur, cui eum videre vel audire contigerit. Quid est igitur quod quidam aiunt se privilegium ab apostolico habere, ut nulli de canonica vita ad monasticam liceat ascendere, cum tanta auctoritate et ratione constet hanc vitam superemınere.

M. Omni sanctarum Scripturarum volumina contemplanti nihil aliud occurrere videtur quo id non licuisse probetur, cum toties factum esse tam sancta Scriptura quam sanctorum exempla attestentur, nam ipse sanctus Augustinus, cujus Regulam habent in libro De Trinitate Dei, cum de contemplativa vita loqueretur, sic hunc locum Apostoli: Quod vir non debet velato capite orare (*I Cor.* xi, 7), exponere videtur, ut ideo vir caput non velare præcipiatur, ne dum modo velit in contemplativa vita altius ascendere ab aliquo prohibeatur. Vir enim ibi rationale mentis, quod optimum est hominis, accipitur, quod quia ad imaginem Dei factum est, ut in ejus contemplatione debeat semper ascendere, idcirco præcipitur velamen super se non habere. Unde qui prohibet hominem in contemplativa vita altius ascendere, et contra apostolum velamen super caput viri vult ponere, et contra Deum prohibet hominem creatorem suum diligere; hoc est enim, secundum Evangelium, optimam partem Mariæ eligere (*Luc.* x, 42), quod Christus solum necessarium se diligentibus videtur proponere. Nam cum Martha Mariam ab hac parte quam eligit lacrymabili querimonia vellet impedire, nequaquam Christus Mariam Marthæ ideo præcepit succurrere, dum eam laudando ad pedes ejus permisit sedere. Unde nullo modo hoc generaliter ab ullo apostolico prohibitum esse creditur, nisi forsitan in aliquo claustro, dum aliquis hoc temere facere et incompetenter nitebatur. Dato hoc quod dicis privilegio ex necessitate, ne tale scandalum oriretur, restringebatur. Quapropter nullo modo generaliter id fieri prohibetur, licet aliquibus aliquod privilegium pro vitanda quorumdam importunitate, ut tunc oportuit, daretur. Alioquin si omnibus per hoc privilegium contradiceretur, non solum beatus Willelmus supradictus episcopus, qui hoc postea fecit, in communione Ecclesiæ non haberetur, sed multi qui hoc postea fecerunt, nec extra communionem Ecclesiæ obierunt. Quæ quia omnia Ecclesiæ contraria exstiterunt, aliqui privati suo privilegio contenti erunt.

[CAP. XIX.] D. Etiam beatissimus Benedictus quomodo in Regula sua tam sacerdotes, id est episcopos, quam reliquos clericos præcipit abbati suspicere, si ipse qui totum mundum uno radio solis collectum conspexit, hoc contra Deum perpendit non licere.

M. Si quis monachus fit canonicus, quid tibi videtur facere?

D. Mihi, ut omnibus, apostatare.

M. Est autem apostatare a Deo deorsum descendere.

(56) De hoc ritu vide si lubet quæ diximus in commentario in Regulam S. Benedicti, cap. 58 (*Patrologiæ* t. LXVI, col. 803)

(57) Is est celeberrimus ille Willelmus de Campellis, doctor egregius, qui, assumpto canonicorum regularium habitu, initium dedit insigni monasterio S. Victoris Parisiensis: unde extractus anno 1113, factus est episcopus Catalaunensis, atque obiisse dicitur anno 1121, viii Kal. Februarii, ut legitur in chronico Morigniacens., sepultus apud Claramvallem, forte assumpto in extremis monastico habitu.

D. Hoc me necesse est concedere.

M. Si igitur apostatare est a Deo deorsum descendere, hoc autem qui monachus fit canonicus videatur facere: ergo qui canonicus fit monachus, probatur ad Deum sursum ascendere.

D. Nullus valet hoc contradicere.

M. Sursum autem ad Deum ascendere probatur homini licere.

D. Quis hoc potest negare?

[Cap. XX.] M. Licet ergo canonico se monachum facere. Unde perpendis quantum judicetur canonica vita a monastica distare, si de qua descendens in illa videatur apostatare, et ascendens de ista in illa probatur ad Deum sursum ascendere. Tandem ad unum exemplum beatissimi Martini adducatur, quo hoc quod dicitur omni argumento certius habeatur. Nam ut in Vita ejus legitur, hic sibi cellam de lignis contextam, sicut seorsum ædificavit, ita in hac cum illo nobilissimo suorum monachorum discipulatu seorsum habitavit. Cæterum canonici, qui, ut ita dicam, sub Martino regularissimi exstitere, in monasterio, id est in episcopali sede ex ejus præcepto habitavere. Unde si vita monastica canonica dignior non haberetur, minime dignius habitare cum monachis seorsum Martino videretur. Nam cum utrique sibi ut oves pariter a Domino committerentur, videbatur ratio sui episcopatus postulare, ut in episcopali sede ut episcopus deberet habitare. Sed qui dignioris et sanctioris vitæ exstiterant, cum his habitare maluerat. Unde exemplum Martinus reliquerat, ut quicunque sanctius vellent vivere, ad monasticam vitam deberent confugere.

D. Quod si ratio nulla fuisset, hoc unicum exemplum beatissimi Martini suffecisset, quod illa vita cæteris dignior haberetur, in qua Martinus habitare dignaretur. Unde miror si justum videatur quod aliquis canonicorum digniori vitæ in magisterio præponatur, sicut audio quosdam regulares canonicos sanctimonialibus præesse, quod mihi videtur inconveniens nec necesse.

[Cap. XXI.] M. Si sanctimoniales sub examine sanctioris Regulæ beati Benedicti vivere probantur, ut tu dicis inconveniens, nec necesse est, quod illis magistri inferioris Regulæ præponantur, præsertim cum numerosiores et sanctiores ejusdem Regulæ inveniantur, qui has regere dignius judicantur. Turpe est enim et periculosum pastorem ea docere quæ ipse in vita sua minime vult retinere. Tandem utrum secundum propriam informat eas, an secundum illarum sancti Benedicti Regulam?

D. Quid videtur secundum propriam quam tenent Regulam?

M. Si eas informat secundum Regulam suam, cum ipse professus sit aliam, incurrit illud evangelicum periculum quo dicitur: *Qui autem solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19). Unde res mira necesse est sequatur, **378** ut ambas Regulas observare constringatur. Unam cujus professor habetur, alteram cujus magister quam docere videtur. Quicunque enim alium vult docere, ipse id ipsum cogitur implere. Si autem eas secundum quam profitetur vult informare, eas nimirum cogit a propria exorbitare, ut cum aliam doceantur, et aliam profiteantur, neutram impleri videantur. Porro si utrasque eos vult docere, videtur ut idem periculum ita inconveniens incurrere.

[Cap. XXII.] D. Rationabiliter id videris contradicere. Nam et canones hoc constat prohibere. Unde digneris, rogo ostendere qua ex auctoritate monachi probentur vestimentum tale habere.

M. Sicut vitæ apostolorum probantur habere privilegium, ita sui vestimenti ex apostolorum vestimento sumpsit exordium; nam apostoli colobio utebantur, in quo Christum inconsutili tunica usum imitabantur. Porro quia Christus hac tunica utebatur, nonnisi unica tunica quilibet apostolorum induebatur. Qua necessitate idem colobium cucullam dicebatur habere sine manicis, ne videretur aliquis superfluum possidere. Colobium ergo apostolorum recte imitatur cuculla monachorum. Porro manicis additis, dempta cuculla, idem colobium in dalmaticam est mutatum, ut honor sit ministrorum uti dalmatica, ut veste apostolorum. Dempta igitur cuculla, additis manicis, quasi dalmatica monachi insuper utuntur tunica. Legitur autem a S. Bonifacio hujus vestimenti spiritalis interpretatio, quia vitam habere angelorum noscuntur, sex alæ seraphim in hoc vestimento exprimuntur; in capitio, duæ alæ quasi fides et spes, quibus quinque sensus capitis reguntur; in duabus manicis, duæ alæ dilectionis Dei et proximi, quibus ad cœlum extolluntur. In cucullæ autem duabus partibus ante et retro quibus corpora eorum teguntur, timor et pœnitentia, quibus se ante oculos Dei tegunt, exprimuntur. Vile vestimentum mundi contemptum quod se ad pedes usque videtur continuare, significat eos in suo proposito usque in finem perseverare. Monachorum lata tonsura sumitur a Christi spinea corona, ut sicut cum eo debent habitare regni imperium, ita cum Christo crucis portent improperium.

D. O quam jucundum et quantæ gratiæ delectamentum hac sub spe latam coronam portare et vile vestimentum!

M. His igitur ita peractis reflecte oculum ad primam illam Ecclesiæ definitionem, quæ cum a te in quatuor membra divideretur, turbabaris quod ex trium inter se dissensione, quartum magno sub errore relinqueretur, indicans hoc populum esse, qui si vellet huic mundo renuntiare, ignoraret quo se deberet contrahere.

[Cap. XXIII.] D. Video utrumque et nimis incaute me Ecclesiam in quatuor membra divisisse, cum te constet duo membra sub uno posuisse, probans omnes clericos debere regulares esse, et quod consilium detur populo volenti huic mundo renuntiare, scilicet utrum ad clericos vel ad monachos se debeant contrahere.

M. Poterisne tandem omnibus sane consulere ne aliquibus videaris præjudicium facere?

D. Licet hoc de his quæ probata sunt possim facile, ne tamen discipulus videar tibi magistro præjudicium facere, malo te in hoc dando consilio extremam manum imponere.

M. Cum igitur constet Jesum toties in Evangelio clamare nullum posse ejus perfectum discipulum esse, nisi qui vult omnibus quæ possidet renuntiare, et sequens illum crucem portare, id autem probatum sit ratione et auctoritate, dignius et perfectius monachos qui suum student propositum, ut ipsos apostolos, consummare, potes sanum consilium dare omnibus volentibus huic mundo renuntiare, et ad perfectionem, ut veri Christi discipuli, pertingere, ut se debeant ad monasticam vitam contrahere. Sicut *alia enim claritas solis, alia claritas lunæ; et stella differt a stella in claritate* (*I Cor.* xv), ita alia est claritas monachi, alia est claritas canonici, alia claritas laici. Unde qui vivit ut bonus laicus facit bene, melius qui est canonicus, peroptime qui est monachus.

---

(58) ROBERTI ABBATIS

EPISTOLA

Qua ratione monachorum ordo præcellit ordinem clericorum,

AD LIEZELINUM CANONICUM.

(Edidit D. MARTENE, *Anecdot.*, t. I, p. 285 ex ms. Regii Montis.)

ROBERTUS, monachorum minimus, LIEZELINO, canonico professione et merito, carne et spiritu fratri dilectissimo, de spei certitudine lætari in his quæ dicta sunt nobis, quia in domum Domini ibimus.

Si jam, frater charissime, stantes sunt pedes tui in atriis Jerusalem; si, inquam, ut credo, spero et confido, cogitatus tui firmiter stant affixi in amplitudine cœlestis Jerusalem, ita ut possis dicere: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20), gaudeo et gratias ago, et hoc oro ut, dum illa Jerusalem ædificatur ut civitas, de vivis et electis lapidibus, merear quoque ego lapis non reprobus esse, sed in ea etiam tecum participatio fiat in idipsum, id est in essentiam stabilem, incommutabilem, sempiternam. Non enim separavit te a me gladius ille, quem venit Dominus mittere super terram, ut separaret hominem a patre suo, et filiam a matre, et nurum a socru; sed gratia Dei in eadem voluntate et eodem proposito dicimus: Curramus, curramus, quia in domum Domini ibimus. Quippe neutrum nostrum alterum revocare aut retardare nititur ab illa Jerusalem, quo ascenderunt tribus tribus Domini, videlicet omne habentes testimonium Israel, id est fide et opere testificantes quod sint Israel et Deum videre digni. Imo gaudeo, et ob hoc absentiam tui corporalem levius fero, quia scio quod tu ascriptus in tribu nobili regulariter viventium canonicorum, tendis ire in domum Domini ad confitendum nomini Domini. Quin etiam vellem, ut si quem altiorem esse ordinem concedis, ascendisses tu illum quoque gradu provectæ humilitatis. Vellem, inquam, sed non jam velle aut hortari audeo, et dicam quare prius obnixe postulatis, ut, admissa ratione, remota simultate, sic mea dicta accipias, ut charitatem illæsam intacta germanitas custodiat. Dixisti in quibusdam litteris tuis, quas cuidam fratrum nostrorum misisti, in quibus de Arnulfi apostasia quæstus es, majorem esse ordinem vestrum ordine monachorum, idque quosdam monachorum quoque attestari; quod utrum aliqui ex monachis attestati sint, ut dixisti, non valde curo. Nam etsi sunt monachorum aliqui, qui sæculum diligentes suum ordinem nec cognoscant, nec diligant, utpote sidera errantia vel cadentia, luna tamen stans in ordine suo, id est sancta Ecclesia, dicit: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam quid desit mihi* (*Psal.* XXXVIII, 5), subaudis ad ipsum finem, id est ad perfectionem. Qui ergo hujusmodi sunt, divinæ Scripturæ, sanctorum canonum subnixi auctoritate, his tribus causis adversus dicta tua repugnant.

Ordo videlicet monachorum vestro ordine altior est, quia monachorum ordini vestri ordinis nullus gradus deest, quia cum ecclesiasticis ordinibus quibus et nos et vos fungimur, consecrationem quoque propriam habet monachus: quæ auctoritate SS. Patrum et sacrorum canonum secundus baptismus est, et triduanæ morti Domini configuratus. Quia ergo non semel audivimus quosdam dicere ex vestris: Nos sumus primi, nos incedimus secundum ordinem sancti Petri, juxta sensus illorum qui di-

(58) Robertus hujus epistolæ scriptor alius mihi esse non videtur quam Rupertus abbas Tuitiensis, qui etiam alibi idem argumentum prosecutus est (in opusculo cui titulus: *Altercatio monachi et clerici* supra).

cebant : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* (*I Cor.* I, 12). Subjungimus et nos et rationabiliter probaturi dicimus : *Nos autem Christi.* In quo quis audet in insipientia dicimus audemus et nos, ut minus sapientes dicimus, plus nos. Quanquam insipientiæ notam omnem causa probata auferat, quia videlicet non de vitæ privatæ meritis, sed de publico ordine agitur, nec qualis ego vel tu simus in hoc vel illo ordine, sed quis ordo legitime observatus, majori præmio suum operarium amplius fatigatum coronet aut remuneret.

Dico ergo arctior qui est ordo, nonne et altior? Consideremus fabricam arcæ Noe, quæ in inferioribus longitudine cubitorum trecentorum, latitudine quinquaginta cubitorum, surgensque in altitudine cubitorum triginta in cubito consummatur. Figuram utique humani corporis præferens, quod altitudinis suæ decuplum, latitudinis autem sescuplum habet, ac per hoc præsignans corpus Christi, quod et ipsum fenestram accepit in latere, id est vulnus ex lancea militis. Totam itaque ecclesiam, quæ est corpus Christi, arca illa præsignat, quæ mansiunculas habet, ob distinctionem ordinum diversorum qui sunt in Ecclesia. In inferioribus arca continet animantia et quadrupedia, in superioribus homines; nam et Ecclesia inferius habet vitam carnalium, superius vitam spiritualium. Consideremus, inquam, fabricam arcæ, quæ a multa amplitudine incipiens, et paulatim in angustum deducta in cubito consummatur. Ibi profecto quidquid angustius absque ulla contradictione est et altius. Sic nimirum in sancta Ecclesia quanto quisque ordo est arctior, tanto est et altior. Monachorum igitur ordo vestro ordine arctior est, quia nec carnibus vescuntur, nec lineis vestiuntur, nec stramentorum blanda mollitie fruuntur, et statutis vigiliis amplius fatigantur, et apprehensa majori disciplina iram Domini strenue præveniunt, promptiusque sanguinem suum in potestate paternæ virgæ dederunt, ut percutiat pater filium suum virga quantum vult, dummodo liberet a morte animam ejus, et aliis multis modis pro Christi nomine amplius quam vos regulariter arctantur. Igitur juxta præscriptam similitudinem, quia monachorum ordo multo quam vester est arctior, est etiam altior. Et quia, ut ait beatus Job, *sapientia non invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII, 13), tanto magis hic ordo propinquat sapientiæ, quanto minus quam in vestro ordine suaviter in eo vivitur.

Jam ad secundam causam veniam. Dicite, tantum estis clerici, sive canonici? videlicet quia estis de sorte Domini, de sorte et ministerio altaris, id est sacerdotes, diaconi, subdiaconi. Nunquid et nos his etiam officiis non decoramur? Ita plane, et hoc maxima pars coronæ nostræ est; ejus autem reliquum ipse monachicus est ordo, sicque ex utroque perfecta, jure eisdem manibus et eisdem digitis signanda est,

A quibus corona virginitatis imprimitur. Utrumque ordinem simplici clericatu fulgentem tanto præcellit, quanto centesimus fructus superat sexagesimum. Qui autem in nobis monachi ex laicis conversi sunt, et nullo clericatus gradu ad altaris officium sunt promoti, illos canonico non superiores esse fatemur, sed pares auctoritate sacrorum canonum, qui in hujusmodi monachis lapsum eidem sententiæ vel pœnitentiæ submiserunt, cui et canonici diaconi lapsum subjacere decernunt. Talesque Pius papa ideo prædicare vetat, quantæcunque scientiæ sint, quia, cum ordinati non sint ab episcopis, quasi non sint missi ab apostolicis, nec habent potestatem ligandi atque solvendi, nisi sacerdotes a summis sacerdotibus tanquam ab apostolis missi, id est

B ordinati. Itaque vester ordo solos cherubim imitatur, id est plenitudinem scientiæ, quia vestri officii est populum docere. Noster autem ordo quicunque cum officio altaris monachico habitu præfulgemus, cherubim imitamur et seraphim : cherubim in prædicandi et docendi officio, vel scientia; seraphim autem, quod interpretatur *ardens*, vel *incendens*, in eo quod quasi igneo calculo peccata præterita consumat. Et ne quid minus ex imitatione seraphim putet quis habere monachum, tam clericum quam laicum, Bonifacius papa ipsum monachi habitum depingit ita, post aliqua : « Sacerdotes monachi atque canonici, qui Dei præcepta annuntiant, angeli vocantur; sed unusquisque angelicus ordo, quanto vicinius Deum contemplatur, tanto sublimius digni-

C tate firmatur. Nunquid enim, ut seraphim, monachi sex alis velantur, duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonstratur assertionibus. Illud vero quod brachiis extenditur, alas duas esse dicimus, et illud quo corpus conditur, alas duas. Sic sex alarum numerus certissime conficitur. Itaque dupla proportione vos præcellimus, et sicut dictum est a quodam, Maria virgo et Joannes virgo, sed major proportio in Maria, quia illa mater et virgo. » Sic et nos dicimus, Robertus clericus et Liezelinus clericus, sed major proportio in Roberto, quia sacerdos et monachus. Sed dicit aliquis : Nunquid apostoli monachi fuere? Ad hæc inquam, minime. Nam tunc primum his quasi artificibus conductis noster Noe, id est *requies*, scilicet Christus Dominus; qui requiescere nos fecit a sempiternis labori-

D bus, arcam sibi faciebat, nec vacabat artificibus, necdum dispositis mansiunculis, ut in lectulis monachicæ contemplationis collocarentur. Quanto autem monachica contemplatio apostolico sit speciosior exercitio, testis est beatus Gregorius, qui monachus de claustro exire, et apostolatum sumere coactus, deflet in epistolis suis se gravi damno afflictum, prohibetque se vocari Noemi, id est pulchram, *sed vocate me*, inquit, *Mara* (*Ruth.* I, 20). Itemque deplangit, quod cum amasset Rachel, Lia sibi supposita esset. Per Rachel sane monachicam contemplationem, per Liam autem apostolicam significans actionem. Nec ignoramus apostolici fasti-

gii celsitudinem, sed, ut ait Daniel : *Pertransibunt plurimi, et multi, lex erit scientia* (*Dan.* XII, 4) ; nec ab apostolorum norma recedunt, qui domum ab illis sapientibus architectis ædificatam, auro et lapidibus pretiosis perornant, nisi quis ita insaniat, ut aliquos ab apostolicis gradibus ad monachicam venientes professionem retrogredi arbitretur, cum tales de hoc quod habuerant nihil amittant, et quod non habuerant adjiciant. Non contemnimus B. Augustinum episcopum, sed confidenter illi præponimus Martinum episcopum et monachum, amplius autem Gregorium apostolicum et monachum. Et te, frater charissime, non parvipendo sacerdotem, sed confidenter me tibi præfero sacerdotem et monachum. Non de vitæ privatæ meritis agitur, sed de publico ordine et publica professione, cujus consecrationem Gregorius papa commendans, ait : *Episcopus debet celebrare missam in ordinatione presbyteri, et abbas in consecratione monachi* ; et cætera usque *trecentorum octodecim Patrum.*

Hæc, frater amantissime, tranquillo atque germano animo a me dicta esse noveris. Scio enim lenitatem et modestiam animi tui, et confido in Domino te amplius de die in diem proficere gradibus pietatis. Sed sunt, fuerunt, et erunt, quos æmulatio mala erigit adversus monachos, quos et sacri canones valde redarguunt, quorum hic sententias vitans, prolixitatem epistolæ non apposui. At illi forte nec sacros canones, nec seipsos noverunt, adeo *non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I, 7), ut antiquissimum monachorum ordinem a beato Benedicto cœpisse putent, et beatum Martinum, atque illam orientalium Ecclesiarum lampadem Hieronymum, vel monachos vixisse, vel ante S. Benedictum fuisse non videant, innumerosque Patres, quibus ante beatum Benedictum mundus floruit universus ; siquidem fuit hoc propositum in cordibus sanctorum a Spiritu, antequam liceret congregationes esse in Ecclesia, vel monachorum, vel clericorum, persequentibus impiis, exeuntes in desertis habitarent, imitantes Joannem Baptistam, aut Eliam, donec paulatim decrescente impietate, et crescente religione, licuit Ecclesias hujus ordinis diademate coronari. Tunc ergo hic ordo cœpit in apostolico, vel episcopali officio, ad populum mitti tanto dignius, quanto verius exemplo Isaiæ purgatis labiis per calculum ex igne altaris evangelizare fueri digni, utpote iterum baptizati Spiritu sancto et igni in incendio sanctæ professionis, qua imitamur seraphim. Sed esto, beatum Benedictum sequimur : regulam nostram ille scripsit ; sed Regulam Patris nostri Basilii, et antiquorum Patrum instituta nostræ infirmitati nimium rigida, oleo pietatis, id est habitantis in se Spiritus sancti clementia, discrete molliverit. Tamen, sive incœptor, sive illustrator hujus ordinis beatus Benedictus fuerit, quis nisi insensatus, tanti viri deprimere velit instituta, vel possit, B. Gregorio ab urbe Roma, imo ab altitudine cœli intonante, vir Domini Benedictus, omnium justorum Spiritu plenus fuit ? Qui plenus Spiritu omnium justorum fuit, nonne et Spiritu Petri ? Quis Petrum melius probatur imitari, quam is qui Petri, et omnium justorum Spiritu plenus fuit.

At qui hæc ignorant, his saltem auctoritas sufficere debuerat, qua licuit, semperque licebit canonico fieri monachum, quod ab innumerabilibus viris sanctis factum est, et a multis in quibus Spiritus sanctus prodigia et signa magna faciens, utique errare non potuit ; monacho autem ex laico licet monachum fieri clericum, sacros ordines accipiendo, non tamen a professione monachi, vel habitu recedendo. Hic quippe universalis ordo quasi amplissimus divinæ pietatis sinus, omnem gradum, omnemque sexum complectitur, sanctos sacerdotes splendidius exornat, peccatores tutius reconciliat, virgines sacras, id est sanctimoniales Christo ambitiosius maritat, peccatrices in misericordiæ asylum excipit, ut eripiat. Quis computet quantos Ninivitas ad prædicationem nostri Jonæ, scilicet Christi, subversionem Ninivæ futuram, id est mundi interitum fugientes hic ordo eripuit et eripit ? Plenus est mundus hujusmodi Ninivitarum in sacco et cinere plangentium, viri et sexus feminens, bos et pecora, id est hi qui prius animaliter viventes, non percipiebant ea quæ Dei sunt, pueri et vituli, id est qui fuerant insipientes et lascivi, non gustant quidquam, sed clamant in fortitudine ternis diebus, ne periclitentur ut Sodoma, videlicet tribus diebus consecrationis suæ operto capite, triduanam Domini mortem imitantes, quam in baptismo trina mersione nescientes significaverant, jam scientes atque docti hoc schemate iterant. Itaque, frater dilectissime, omnibus persuadendum est potius, ut omissa hujusmodi æmulatione, unusquisque in suo ordine rogemus quæ ad pacem sunt Jerusalem, et dicamus : Fiat pax in minoribus ordinibus, tanquam in virtute tua ; et in majoribus, tanquam in turribus tuis. Vale.

RUPERTI CHRONICON
SANCTI LAURENTII LEODIENSIS.

(Edidit W. Wattenbach Ph. D. apud PERTZ *Monum. Germ. hist.* Script. t. VIII, p. 261.)

Rupertus (59) S. Heriberti Tuitiensis abbas, qui, ineunte sæc. XII, litteras sacras magna scriptorum mole ditavit, prodiit e Leodiensi S. Laurentii monasterio, ex disciplina abbatis Berengari. Ubi eum a puerulo educatus esset, ut refert Reinerus in Vita ejus (60). « uno libello statum nostræ prosecutus est Ecclesiæ, videlicet a quibus exstructa sit, quæ bona vel quæ mala de manu Domini ab Evraclo Leodiensium episcopo usque ad Obertum susceperit. » Postea presbyter factus plurima scripsit, et Cunoni abbati Sigebergensi a Berengero commendatus, postremo per Fridericum archiepiscopum monasterio Tuitiensi præfectus est (61), ubi IV Non. Mart. an. 1135 obiit (62).

Hæc de vita viri sufficiant; opera ejus theologica hic non attingimus, de vita Heriberti quam post Lambertum ornatius scripsit, vid. Mon. SS. IV, 740. Sed dum illorum operum plurimi codices inveniuntur, editiones non paucæ, historiæ S. Laurentii vestigia tantum manserunt in recentiori hujus loci historia, exeunte sæculo XV, scripta per Adrianum de Veteri busco S. Laurentii monachum, quam duumviri, optime de litteris nostris meriti, Edm. Martene et Urs. Durand, ediderunt in Coll. ampl. IV, 1034-1164. Codex, quo usi sunt periit, neque satis accurate in præfatione descriptus est. Loquuntur enim de cod. sæc. XII; de continuatione nihil dicunt, et ipse codex antiquior in fine mancus esse videtur, sed Adrianus statim pergit, atque etiam prioribus jam notas aliquas adjecit. Itaque Adrianus codicem illum vel descripsit, vel ipsum antiquum exemplar volumini suo præfixit, quod magis credo. In hoc continebatur opus cujusdam de gestis episcoporum Leodiensium, in quinque libros divisum, quorum tres priores erasi erant, locumque cesserant Bernardi operi in Cantica. Adrianus ipse cap. 4 observavit, ea quæ ibi de fundatione monasterii Sancti Laurentii narrantur, ex scriptis Ruperti de verbo ad verbum sumpta esse, aliqua tamen abbreviata. Sed quæ præterea de gestis episcoporum ibi invenimus, neque a Ruperti opere ubique secerni poterant, nec pretio carent. Itaque ea hic servavi, iis tantum exceptis quæ auctor ex Sigeberto exscripsit, passim adjiciens ea omnia vel tempore, vel consilio et auxilio episcoporum Leodiensium acta esse.

Ea igitur notis tantum breviter indicavi, sed quæ fusius narrata famam popularem referunt, ea sive Rupertus, seu alter quidam scripserit, servanda duxi, cum prima hic vestigia habeamus tabularum, quas postea adultas, ut ita dicam, Joannes Ultramosanus tradidit. Hæc operis portio finitur cap. 36. pergit Adrianus qui, p. 1078, observat et Ruperti libro « præscripta pro majori parte excerpta » esse, Quæ præterea adjecit, facile noscuntur: sumpta sunt e Reineri Vita Reginardi et libro De gestis abbatum ex Ægidio De Aurea valle, e Rodulfi Gestis abbatum Trudonensium, et libro Chartarum S. Laurentii, Itaque his omissis opus Ruperti restituere conatus sum, neque multa nobis periisse arbitror. Habemus historiam fundationis fabulis mistam, et post brevem casuum monasterii expositionem satis accuratam narrationem de persecutionibus quas per Wolbodonem et Obertum sustinuerunt, usque ad restitutionem Berengeri abbatis an. 1095. In priori parte Anselmi Gestis epp. Leod. et Sigeberti chronico usus est, ita tamen ut in Verbis multa, in rebus nonnulla mutaret, etiam Vitam S. Lamberti auctore Godescalco (63) et Ludowici senioris relationem de adventu reliquiarum S. Laurentii (64) habuit; postremorum ipse testis fuit. Eodem adhuc sæculo auctor chronici S. Huberti Ruperti opere usus est, deinde Reinerus ad Vitas Evracli (65), Wolbodonis (66) Reginardi (67) scribendas sæc. XIII. Ægidius Aureæ vallis monachus in Gestis epp. Leodiensium quæ Chapeavillius edidit (68). Et hic et fortasse

NOTÆ.

(59) ita plerumque scribitur; Reinerus Robertum vocat, cod. ap B. Pez, Thes. I, p. XXXIX, Ruodpertum.

(60) Libro I De gestis abbatum, sive De claris monasterii sui scriptoribus, ed. in Pezii Thes. IV, 3. 20; qui liber ansam dedit opinioni Reinerum Historiam S. Laurentii edidisse, quæ omnino falsa est

(61) Rodulfi Gesta abb. Trudon., lib. VI.

(62) Teste epitaphio in cod. S. Laurentii servato; in alio cod. an. 1127 mortuus dicitur, v. (Martene et Durand) *Voyage littéraire*, p. 187; Adrianus in Martene et Durand, Coll. IV, 1083, circa an. 1113 abbatem factum, an. 1128 mortuus esse refert. Anno 1128 chartæ Frederici archiep. Col subscripsit, ap. Chapeavill, II, p 8 Causas cur locum mutaverit ipse commemorat in epistola libris De Trinitate præmissa, scripta ad Cunonem abbatem a. 1117: « Proinde actum est, credo, per providentiam Dei... ut in notitiam venirem tuæ charitatis et fidei, utque postmodum migraturus ab hoc sæculo pater meus, A vir vitæ venerabilis et sapientiæ memorabilis, Berengarius abbas Sancti Laurentii in Publico monte Leodii tuæ committeret fidei tanquam pupillum tutor. Solus enim is qui nunc successit ei, vir fidelis et prudens Heribrandus, qui et ipse litterarum peritus pueritiæ meæ magister exstitit, illuc usque non posset mihi patrocinari, quo, sicut scis, invidia pervenerat nominis mei. » Heribrandus sedit 1115-1130.

(63) C. 5.

(64) C. 35.

(65) Pez Thes. IV, 3, 155.

(66) Acta SS. Maii II, 857. Mabillon, Acta SS. Sæc. VI, 1, 176.

(67) Pez Thes. IV, 3, 167.

(68) Hic tamen magis usus est Reineri operibus, et in Gestis Otberti nec nostro nec Chron. S. Huberti multum usus est, quia episcoporum laudi studens ea omisit quæ ab adversariis contra eos prolata invenit.

Reinerus codice nostro usi esse videntur, cum ea quoque receperint, quæ pro interpolatis habenda sunt, nisi omnia Ruperto tribuere volumus. Reinerum autem nostro usum esse, non ab interpolatore excriptum, et color orationis indicat, et cap. 17, 24, quæ apud eum cum Anselmi verbis composita sunt. In verbis scribendis usum sæculi ab editoribus oblitteratum restitui; capitum distinctionem addidit.

CHRONICON S. LAURENTII LEODIENSIS

379 1. (Anselm. c. 24). Baldrico primo hujus nominis episcopo mortuo (*an.* 959), Evraclus loci illius qui Bonna dicitur præpositus, ad episcopalem cathedram est assumptus. De quo, quia in hac Leodii civitate tantam sibi memoriam acquisivit, ea quæ alibi scripta repperi, silentio præterire nolui. Omnibus scholarum studiis ita perfecte eruditus extitit, ut suis temporibus par ci nullatenus inveniri potuerit. Unde Ottoni imperatori ac Brunoni archiepiscopo Coloniensi ita carus fuisse perhibetur, ut nulla rerum majorum exercerent negotia, nisi in illius præsentia, nisi ejus essent consilio astipulata. Totam Leodiensem ecclesiam, imo totam provinciam, nullis hactenus studiis illustratam, ad studium coaptavit, scholas constituit, peritos quaquaversum clericos collegit, eosque magistros instituens sua ope liberaliter pavit. Ipse quoque frequenter illis intererat, ac perfectioribus **380** divinam facundissime paginam lectitabat. Si quando autem pro re communi longius iret, non deerant quibuscum in itinere de Scripturis tractaret.

2. (Anselm. c. 24.) Quodam ergo tempore invitatus ab imperatore, pro regni negotiis Calabriam venit; ubi dum esset, mediante die meridie eclypsis solis subito facta est, cunctisque stupentibus ac nimio terrore solo cadentibus, timor et tremor erat omnibus (*an.* 968 *Dec.* 22). Verum episcopus præ cunctis solus stabat imperterritus, utpote de naturali plenilunio soli subjecto id accidisse non ignarus; accessit suis, ut surgerent imperavit quidnam hoc esset edocuit, cum subito cœli facies, ut erat ante clarissima rediit [1].

3. Porro de humilitate et patientia præsulis A Evracli supersedemus plurima narrare, cum nulli unquam malum pro malo, vel maledictum reddiderit pro maledicto. Nam cum multi sanctitati ejus inviderent atque detraherent, quia nichil caret invidia nisi miseria; ipse tamen per acceptam injuriam nunquam talia fecit. Nam cum cives Leodienses multa cum injuria quadam die affecissent, promptuarium ejus vi irrupissent, vinumque omne effudissent, quamvis multorum adjutorio rem graviter ulcisci potuisset, maluit illis donare quam suam injuriam vindicare.

4. Quia [2] ergo hoc in loco (69) ecclesia nostra, ecclesia beati Laurentii martyris, sub cujus patrocinio fideli ego indignus qui hoc edidi opusculum dego, cœpta est ædificari; utile arbitror scribere, quibus auctoribus exstructa **381-2** sit et hactenus B steterit hæc ecclesia sancti Laurentii, quæ bona de manu Domini vel quæ mala susceperit in torcularibus, quibus per totum premitur semper ecclesia Dei. Petimus autem omnes qui hoc in loco Deo militant, vel militaturi sunt, quatenus ad cavendas hostis insidias sint vigilantissimi: quia draco ille magnus et rufus, qui in Apocalypsi Johannis, quia mulierem quæ peperit et filium ejus masculum devorare non potuit, adjecit bellum facere cum reliquis de semine ejus, ipse forsitan quia gloriosus martyr caput illius in die certaminis sui multis multo potentius conculcavit, adjecit semper et adjiciet bellum facere nobiscum, qui illi specialiter hoc in loco deservimus. Nam a primis fundamentis hunc locum ne strueretur diu multumque impedivit, exstructumC que magna semper ira impugnavit. Sed gratia Dei et beati Laurentii martyris meritis, quantulumcum-

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Quæ hic sequebantur, ex Sigeberto desumpta, ejicienda existimavi. Evracli persona ubique intrusa est, hoc modo*: Prædixit tamen aliquid infortunii propediem eventurum regi cum suis; quod et factum est. Quidam enim *etc. Sig. a.* 969. — discerperet. Sed consilio præsulis hujus imperator — rex consilio episcobi nostri sedato — mereretur. *A.* 964. Qui Theodericus — insula. Aliud quoque imperatori infortunium accidit secundum quod episcopus Everalus super eclypsim solis prædixerat suis. Nam dum ipse rex partem *etc. Sig.* 969. — vindicandum, accepto a prædicto præsule Evraclo consilio, imperator — insurgunt. *Sig.* 971: Ille, autem timens — suavit primogenito suo Johanni — imperavit. Hæc extrinsecus meminerim ut pateat omnibus, quantæ vir iste industriæ fuerit, quem sic imperator in consiliis suis ubique magni habuerit. Præterea referendum erit suis diebus in quanto errore sancta ecclesia fuerit, nec tamen suam diœcesim ipso providente quicquam nocuerit. Res acta hujusmodi est. *Sig.* 963: Collecto — exordinatur. Nunc ergo ad superiora redeamus. [2] *In ms. codice hanc margini observationem apposuit Adrianus de Veteribusco*: « Hic incipit narrare fundationem hujus monasterii. Nota tamen quod quidquid hic habetur de fundatione hujus monasterii, sumtum est ex scriptis domini Roberti de verbo ad verbum. In aliquibus tamen dicta ejus abbreviavit auctor. » *Ergo Ruperti opus, quod modo non reperitur, ejusque compendium penes se habebat Adrianus. Alias qui potuisset id ferre judicium? Vellem nobis indicasset abbreviatoris Ruperti nomen.* Mart.

NOTÆ.

(69) In Publico monte, quo Everaclus domum episcopi transtulerat, teste dipl. in Mart. et Durf. Coll. ampl. VII. 55. Quamquam superiora ex Ruperti opere sumpta esse dubito.

que flumen de ore suo emiserit, terra absorbebit, et mulier, id est ecclesia, quam insequitur, a flumine oris ejus non trahetur.

VICTORINUS. Vellem apertius et morosius exponeres quidnam sit quod dicitur, quia : *Adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo* (*Apoc.* XII, 16).

JOHANNES. Tunc utique quando illud formosissimum in Nicæa concilium fervor christiani principis Constantini excitavit, et [3] publicis asinis atque mulis et curraeibus equis episcopos et qui cum eis erant ad synodum venire præcipiens: tunc, inquam, adjuvit terra mulierem, quia pæne de tota terra, de toto orbe terrarum convenientes [4] viri illustres ex omnibus gentibus, viri religiosi, viri famosi, disputare scientes, omni elocutionis arte exercitati, ad defendendam catholicæ veritatis ecclesiam, in qua a facie serpentis, id est, ita ut non timeat serpentem, per tempus et tempora et dimidium temporis, id est tribus annis et dimidio, quanto tempore antichristum persecutione sua mundum vexabit : atque idcirco recte per hunc terminum intelligitur tempus quo persecutionem patitur ecclesia, pro eo quod in Christo pie vivit.

VICTORINUS. Jam nunc ad id quod intermiseras redeundum est, quia plane quæstioni meæ satisfactum est.

5. JOHANNES. Postquam (70) igitur memoratus episcopus Evraclus sancti Pauli sanctique Martini in hac civitate construxit et copiose ditavit monasteria, jam emeritus senior, jam termino vitæ suæ proximo, iterum refloruit ut et beato Laurentio devotionem suam afferret, imo per ipsum Deo, cui Laurentius sacrificium mundum in odorem suavitatis oblatus est. Itaque in honore ipsius cultor Trinitatis tertii hoc in loco fundamenta jecit monasterii. Fuerat autem locus ipse infamis, scilicet latronum suspendio et malignorum hominum cæde pollutus : sed forte sapienti viro tanto ad hoc opus fuit aptior, quando Calvariæ illi, in qua Dominus noster sanctus sanctorum crucifixus est, videbatur similior. Refert etiam non vana vetustas hunc locum illum fuisse, ubi interfectores sancti Lamberti, cum peracto scelere redirent, dignissima sibi diviserunt spolia, mortem scilicet mutuis sibimet vulneribus inferentes, suasque tam animas quam corpora diabolo, cui militaverant, debita cum rabie sacrificantes (71). Sed quis nisi non sapiens [5], situ loci et opportunitate oblata, talia reformidaret ; cum Dominus Jesus, ut jam dictum est, in opprobrio Calvariæ verum ipse templum et templi Deus pependerit [6] ; nosque omnes, quondam vasa iræ, forti armato per fortiorem Christum direpta facti sumus templa Dei. Itaque quia secundum jus belli licet a victo tolli quicquid victori placuerit, hic quoque in abundantia peccati ut superabundaret gratia, ecclesia Dei fundata est et signa victoris sunt fixa. Cœpto itaque opere, mox ut aliquantulum a fundamento surrexere parietes, memorabilis episcopus quasi sponsus voti festinus qui puellam necdum nubilem longe ante subarrat, quibusdam prædiis, quæ adhuc possidemus, nascentem ecclesiolam quasi prima dote ditavit ; nondum majus altare, quod erat beati Laurentii, sed interim juxta hoc minus dedicans in honorem beati Sixti papæ et martyris (72). Nec multo post gaudium hujus desponsionis tristitia, proh dolor ! operuit, per mortem venerandi episcopi, domino vineæ vocante operarium suum ad recipiendum æternæ vitæ denarium (*an.* 971, *Oct.* 27).

6. Relicta est ergo imperfecta ecclesia dotata quidem tenuiter, sed ut dictum est imperfecta, inornata, nullorum solatio filiorum. Dum ergo vir Domini Evraclus suum adesse exitum molestia corporis ingravescente cognosceret, monumentum sibi fieri præcepit in ecclesia beati Pauli apostoli : sed eo die [7] quo defungi debuerat, beatus Paulus ei per visum astitit, nec suæ esse voluntatis ut quisquam in sua ecclesia, quamlibet justus et sanctus, jaceret indicavit (72). Juberet ergo sepulcrum claudi, et ipse illi aperiret cœlestis januam regni. His visis amicos suos vocari jussit, et quod ei ostensum erat revelavit. Consentientibus illis, in ecclesia beati Martini sepeliri se jussit. Quod et factum est ad laudem et gloriam Christi Jesu. Amen.

7. Illo itaque defuncto, vir sanctæ memoriæ Nothgerus in episcopatu successit. Hic in capite hujus civitatis, sicut hactenus cernitur, diadema splendide fabricavit, ecclesiam scilicet sancti Lamberti a fundamento renovans cum domo episcopali ; urbem muro cinxit, et in insula domum sancti Johannis evangelistæ et dilecti Domini, nec non et sanctæ Crucis devotissime construxit. O beatam rem publicam, si episcopi moderni in quantum illis pecunia affluit, studium haberent hujusmodi ! At ipsi juxta illud dictum sapientis : *Transi hospes et orna mensam* (*Eccli.* XXIX, 33), nunc interim dum

VARIÆ LECTIONES.

[3] et *delendum videtur*, [4] *vel* conveniebant *legendum est*, *vel verbum supplendum*, *sed plura hic corrupta esse videntur*. [5]. n. recte s. *Ægid.* [6] *ita pro* penderet *Ægid.* [7] eo forte d. *Ægid.*

NOTÆ.

(70) Cap. 5 et 6 exscripsit Ægidius De Aurea valle ap. Chapeavill. I, p. 198 ; excerpsit Reinerus in Vita Evracli, c. 6.

(71) Vide Godescalci, V. Lamb. c. 13.

(72) Tertio Nonas Septembris. MART.

(73) Tenuit in hunc diem, ait Fisenius lib. VI Hist. Leod., n. 30, apostoli præcepto. Nullus ædo tota tumulus est. Humo conduntur canonici, vel in adjacentibus sacris porticibus, vel in sacrariis ad utrumque templi latus positis. MART.

vivunt ornant mensam, quia laudem altaris extendunt postmodum vero, quasi de transitu hospitis, sic de eorum vita et morte silebitur.

8. Curabat (74) autem venerabilis sacerdos Nothgerus non solum de præsentibus, ut fieret pax tantum in diebus suis: verum etiam de futuris summa illi cura erat, ne sub se adolesceret, quod postmodum illis in laqueum esset. Enim vero Capot Mundi nobile castrum, sic nominatum eo quod ante Carolum Magnum sedes regni, quam ille Aquis transtulit, ibi esset; quod non tantum præsentibus quantum futuris nociturum prævidebat, ingenti calliditate et industria captum subvertit Sanctorum reliquias, quæ in tribus erant ecclesiis super ipsum montis verticem fundatis, intulit monasteriis a se recenter constructis. Unde quantum nostræ civitati commodum intulerit, præsentes sentiunt et futuri, cum illo quotidie castello Legiæ nimium contiguo militares ac prædones irrumperent, ac cæde et rapina omnia turbarent [8]. Erat autem adeo forte et inaccessibile, ut illo potiendi spem nullam haberet, omne prorsus humanæ [9] auxilium nisi subveniret. Vocatis ergo archidiaconibus et quibusdam in quibus maxime confidebat, consilium suum aperit, rogat ut armati sub cappis se sequerentur, utque parati essent animoque forti obtestatur. Erat autem ante dominicum pascha quinta feria, quando pœnitentes suscipiuntur sacrumque benedicitur chrisma. Mandat ergo episcopus his qui in prædicto castello erant, ut sibi aperiant, eo quod sacrum diei officium ibi eadem die celebrare vellet. Illi nichil suspecti tali die talique occasione, claustra aperiunt, pontificemque cum suis benigne suscipiunt. Qui introgressi cappas quibus obtecti erant projiciunt, omnesque quos ibi invenerant eliminant et extrudunt. Ita episcopus, quod diu multumque desideraverat, castello potitus, omnem munitionem destruxit, nec ab illo die hostibus ibi refugium esse vel munimen potuit.

9. Aliud etiam quod egit referam exemplum, unde civitati suæ, immo omnibus nobis, valde consuluit (75). Erat locus in medio civitatis altus et eminens [10], quem ita natura tunc temporis munierat, ut ex alterutra parte videretur inaccessibilis. Eum vir quidam nobilis et potens viribus, sed ingenio

A malo pravoque, secus illum transiens concupivit, quia credebat se dominum fore civitatis, si illo potitus esset, et super eum munitionem præparasset. Quid multa? versuta calliditate cum a rege obtinuisset, episcopum aggreditur, prædictum locum sibi ab imperatore concessum ut et ipse non contradiceret deprecatur, dicens se munimen civitatis et ecclesiarum fore, si aliquam ibi aptasset munitionem. Intellexit episcopus, utpote vir altioris ingenii et prudentiæ, quos ille machinabatur dolos, sed qua illi obviaret ratione custos bonus de nocte sollicitus erat. Timebat utrimque periculum; si fieri concederet, **383** totius civitatis ruinam cogitabat; si contradiceret quod illi ab imperatore concessum erat, tanti viri offensam qua bonis

B exterioribus nociturus erat, metuebat. Tractato igitur prudenti consilio, tamquam occupatus distulit, et diem longiorem qua petita illi concederet statuit. Recessit barbarus quasi jam securus. Episcopus autem vocato archidiacono atque præposito majoris ecclesiæ nomine Roberto, rem ut audierat exponit, monet atque hortatur, ut quasi se ignorante jaciat fundamentum ecclesiæ, se præbiturum necessaria quæque. Paruit ille libenter ac citius, quia et ipse jam mente conceperat aliquid Deo offerre, unde in memoria æterna cum justis justus mereretur esse. Fundamenta jacit, ecclesiam constituit, altare componit in honorem sanctæ et victoriosissimæ Crucis (76) Cum interea die ab episcopo sibi concesso barbarus rediit, se fraudatum agnovit, mille convicia in pontificem sanctum tamquam

C bellua frendens conjecit. Præsul vero quasi nescius unde sic increparetur, rem omnino dissimulat, quare tot ab illo conviciis afficeretur patientissime rogitat. Ille nimia succensus ira: *Vere*, inquit, *de pessima gente Alemannorum, qui semper infidi et instabiles mente fuerunt, te esse manifestum est, degenerare non potes. Quare locum non solum a te, verum etiam a rege michi concessum, me absente ædificari fecisti? Injuriam meam ruina vindicabo* (77). Ad hæc episcopus, a quo id factum sit tamquam ignarus requirens, præpositum accersiri jubet. Quem, ut sævientis barbari insaniam mitigaret, graviter increpans, quare id præsumpsisset, cujusve jussu id concepisset, coram illo durius requirebat.

VARIÆ LECTIONES.

[8] *Quæ hic sequebantur tanquam aliena ejeci, scil.* Quod qua industria peregerit, quam turbata res publica fuerit memorabo. Otto imp. etc. *Sigeb.* 981-983, 992: Interea Remis — viget R. 1001: Otto — 1003: facit. Tali ac tanta rei publicæ quæ sic perturbata erat necessitate vir Domini Nothgerus anxius esse cœpit, ne quid mali de prædicto castro posset oriri, vel qualiter illud caperet vel subjiceret sibi.
[9] prudentiæ *vel* calliditatis *excidisse videtur.* [10] habens turrim fortem *addidit Adrianus de Veteribusco.* MART.

NOTÆ.

(74) Cf. Anselmi c. 25; sed hic jam germina habemus fabularum, quibus procedente tempore hæc magis magisque exornata sunt. Plura jam ap. Ægidium p. 201 invenies. Posteriorum commenta e Joanne Ultramosano refert Polain, *Hist. de l'ancien pays de Liége*, 1844, 8. 1,133.

(75) Hæc sive Ruperti sive alterius sint, Anselmi c. 26 referunt quidem, sed auctum. Postea magis exornata est narratio: v. Polain l. l. Mone. Anzeiger 1836. p. 314.

(76) Ibidem sepultus est Robertus ille in navi illius ecclesiæ. 6 Idus Martii, observatque Fisenius VII, 6 ex ecclesiæ archivo, ipsum chorepiscopum fuisse. MART.

(77) Cf. Sall. Catil. 31.

Ille contra nichil motus, humiliter respondit, non præsumptione sed devotione hoc egisse; ignorare se quod illi promiserat, opus esse cœptum in veneratione sanctæ Crucis, esse in potestate illius, si destrui oporteret. Cui episcopus. *Si*, inquit, *aliud quid ibidem construxisses, diruendum pro certo scires, et duci nostro fidem servandam; malo enim mihi successum quam fidem deesse. Sed quia redemptorem nostrum in sua cruce, quam pretioso sanguine suo sanctificavit, offendere non est consilii, perfice quod cœpisti.* Ita mitigata est sæva principis ira, et ecclesia, ut erat cœpta, constructa et perfecta, multaque possessione dotata. (Ans. c. 27.) Alia quoque ecclesia a Nithardo præposito ejus consilio et auxilio est ædificata, ad titulum sancti Dionysii martyris dedicata (78). In qua 20 primum canonicos posuit, deinde 10 superaddidit [11].

10. Cum (79) ergo Nothgerus tanta fecerit, hunc locum quasi alienum fundamentum negligentius aspexit; nuditatem tamen ejus omnium oculis patentem, completis tantum et æquatis parietibus, tecto cooperuit. Post hæc Leonem quemdam ex nobilissimis Græcorum episcopum venientem ad se profugum cum suis excepit; qui bello Calabrico, quod Otto secundus imperator contra Græcos gessit, expulsus fuerat a Græcis, asserentibus quod Romanis Calabriam prodiderit. Et quia necessitatem coacti exilii verterat in voluntatem sanctæ peregrinationis, ut perveniret ad illam quam expectaverunt patres nostri veram terram repromissionis, hic illum sancto in loco sanctoque proposito manere et de ecclesia vivere cum suis instituit, et sancte vivendo hic usque in finem perseveravit, tandemque migrans ad Dominum, in hoc eodem incolatus sui loco ante altare sancti Gereonis corpore quiescit (80). **384** Vir ergo venerabilis Nothgerus 36 annis Leodiensi ecclesiæ præfuit, ac demum in bona senectute defunctus migravit, et in ecclesia sancti Johannis dilecti Jesu, cui se totum corpore et anima impenderat, sepultus requiescit (*an.* 1008, *Apr.* 10).

11. (Ans. c. 31.) Quo defuncto, successit episcopus domnus Baldricus vir nobilissimus, omnique morum honestate præclarus, cujus ut cuncta breviter bona comprehendam, nulla in suo episcopio fuit basilica, quam non aliquo juverit commodo, sive ecclesiarum sive possessionum largitione multimoda. Paudnardum suæ proprietatis allodium beato Lamberto tradidit et ecclesiam unam, unde pauperes 24 quotidiano aluntur stipendio. Tum temporis etiam Gerardus ecclesiæ Cameracensis episcopus cum germano fratre Godefrido Florinense cœnobium construxit, prædiis ac possessionibus liberaliter dotavit, et sanctæ Mariæ sanctoque Lamberto illud contradidit. Cui cœnobio duas Baldricus episcopus ecclesias addidit, ne quid illic Deo famulantibus deesse videretur. Ipse cum archiepiscopo Coloniensi Heriberto prædictam ecclesiam sanctæ Mariæ sanctique Lamberti a prædecessore suo Nothgero nuper constructam, debita consecratione dedicavit. Ecclesiam quoque S. Bartholomæi apostoli a quodam vita venerabili viro Godescalco majoris ecclesiæ præposito constructam in suburbio cum prædicto archiepiscopo consecravit, et alio multa utilia fecit [12].

12. Pollebat [13] tunc temporis nobilissimus comes Hezelo, qui alio nomine Heinricus (81) dicebatur, frater Gozelonis ducis, vir consilio et sapientia clarus, et quod magis prædicare et pie meminisse debemus, beato Laurentio singulariter et unice devotus. Quod qua occasione acciderit, qua necessitate se suaque beato Laurentio tradiderit, non immerito huic addiderim operi. Erant illi duo parvuli miræ pulchritudinis et venustatis, quos tenerrime diligebat, ut heredes patrimonii magnæque possessionis. Factum est ergo sacratissima nocte dominicæ nativitatis, ut comes una cum uxore sua valde religiosa ecclesiam matutinus adiret, officiumque divinum more solito peraudiret, sacramque dominici corporis et sanguinis communionem perciperet. Pueruli mane surgentes, a ministro domus suæ panem commessuri accipiunt, intrantesque culinam, nullumque reperientes — casu enim cocus exierat — carnem quæ super ignem verubus circumposita assabatur, dominoque reversuro in escam parabatur, tollunt vescunturque. Interim puerili more altercan-

VARIÆ LECTIONES.

[11] *Rursus Sigeberti lacinias eliminavi, quamvis eodem modo interpolata apud Ægidium p. 206 legantur*; *a.* 989: Temporibus ejus siccitas — est. Fertur etiam precibus ejus annonam — omnino. Episcopus vero Nothgerus indicto communi jejunio periculum imminens repulit. 1000 Terræ — pedibus. Quæ pericula oratione viri Dei sunt annihilata. 998: Illo tempore — facit. Quam consuetudinem etiam episcopus Christi Nothgerus ad suam diœcesim transtulit eamque solempniter fieri ordinavit. 1006: Castrum præterea Valentianas — Normannorum. Sed quia idem rex de obsidione redierat inefficax, vocato in auxilium suum prædicto episcopo Nothgero contra dedit. [12] *Sequebatur ex Sigeberto a.* 1013: Castellum in villa — occidit. 1015: Godefridus — dedit. 1010: Gens Hungarorum — per orationes hujus episcopi aliorumque sanctorum virorum, qui tunc temporis meritis clarebant, et per Gislen — commendavit [13] P. ut prædiximus t. *cod.*

NOTÆ.

(78) 4 Idus Martii. Mart.

(79) Exscripsit Reinerus, V. Evracli c. 6.

(80) De quo tale cernitur lapidi insculptum esse epitaphium: *Conditur hic præsul Græcus Leo qui fuit exsul. Anno. M.* Mart.

(81) Imo Herimannus. Sequentia fabulam sapiunt; nam filio et filia in tenera ætate mortuis, cum altera filia Raginero Montensi Brabantiam tradidit. Sigeberti Auct. Afflig. an. 1005. filium Gregorium archid. Leod. addit V. Richardi abbatis c. 10, Godefridum et filiam Odiliam Hugo Flaviniacensis. S. Laurentio monasterium juxta Eibam dedicavit, Gesta epp. Camerac. II, 45, et oratorium in cœn. S. Vitoni; V. Richardi c. 9.

tos, sibique mutuo irascentes, verubus acutis se A invicem cordetenus perfodiunt, et heu proh dolor! mortui decidunt. Princeps cocorum rediens, pueroeque jacentes mortuos offendens, exhorruit, exclamavit, semianimisque cadens, vix demum animum recepit. Quid ageret miser nesciebat; rem tamen occultare volens, ne parentes mortuorum tali nuntio talique infortunio subito desperarent, parvulos ablatos occuluit, et quod actum erat omnino dissimulavit. Peractis officiis, comes cum uxore de ecclesia redeunt, ad escam discumbunt. Comitissa, ut solebat, parvulos præsentari jubet. Responsum est ab illo qui illos absconderat, cum aliis eos pueris spatiatum longius exisse. Credidit illa, comedit, sed inter edendum quodam naturali et præsago dolore cordis tacta intrinsecus, jubet quantocius parvulos B accersiri, non se comesuram donec adventaverint. Illi qui rem dissimulare et celare volebat, nescius quidnam ageret, comiti causam aperit et ostendit. Qui statim mensis remotis exilivit, super parvulos flevit, suarumque possessionum beatum Laurentium heredem conscripsit. Illius devotio hic operata est, illius consilium aliorum opus est, illius animæ gratia habenda est. Ipse enim velut ille desiderantissimus templi Domini Nehemias, apud plures civitatis hujus episcopos, unum post alium, pro hoc loco interveniens, non ante destitit quin desiderium suum suimet oculi viderent.

13. Primum enim domnum Baldricum frequenti et familiari colloquio repetens, nunc commiseratione loci, nunc amplificatione meritorum beati Laurentii, persuadebat uti ad hanc solitudinem manum suæ li- C beralitatis extenderet. Tandem obtinuit, et episcopus locum suo adventu lætificavit, ad altare accessit, vota vovit, prædia cum ecclesiis obtulit, et ad ordinandam in integrum ecclesiam animum intendit. Ecce autem Johannes quidam (82) gente Longobardus ordine episcopus, et arte **385** pictor egregius, a Deo ut credimus missus, quia necdum venerat tempus miserendi loci hujus, beatum vero Jacobum fratrem suum jam pius Jesus honorare disposuerat, jam ei ecclesiam in qua a fidelibus suis familiariter et devote ministraretur illi fieri ordinaverat; episcopum familiari devotione adiit, et ab hac sententia sic ejus animum revocavit. Dixit enim non satis illum agere prudenter, quia memoriam sibi non propriam strueret, non suum quippe, sed alienum D esse fundamentum, cui superædificare ipse disponeret. Et quia prædecessor ejus Nothgerus sancti Johannis dilecti Domini memoriam perfixerat, nunc ipse Jacobi fratris Domini ecclesiam adjungeret, ut eorum patrocinia sicut meritis, sic et vicinitate conjuncta forent. Ad hæc dubitanti, eo quod parvulam hanc jam allocutus fuisset, quomodo quæ semel jam dederat, hæc iterum auferret; subdidit ille nichil esse quod impediret, sic enim nec in Deum nec in homines delinqueret. In homines quidem, quia locus ipse tutorem hominem non haberet, qui pro ipso reclamaret; in Deum autem, quia illi voverat, illi nichilominus ubicumque vota sua redderet. Quid multa? Tandem episcopus approbato consilio, se et sua hinc abstulit, et in insula cœnobium sancti Jacobi fratris Domini, qui et minor Jacobus appellatur, fundavit, abbatem (83) et monachos sanctæque religionis normam, sicut hactenus cernitur, in eo disposuit, ubi et postmodum in corpore quiescit (84), factus particeps benedictionibus, quas ille filius accrescens Joseph promeruit, in quo solo Jacob, licet 12 haberet filios suam generationem, id est suæ vel paternæ similitudinis pulchritudinem, effudit.

SPECIOSUS. In quo?

JOHANNES. In eo, etc. (*Longiorem dialogum utpote nihil ad rem facientem omisi.*)

14. (ANS. c. 32) Defuncto, ut diximus, episcopo Baldrico (*an.* 1018, *Jul.* 29), vir pietate insignis Wolbodo, Sancti Martini Ultrajectensis præpositus, in episcopatum succedit, moribus implevit. Cui quantum debeatur a nobis, non me video idoneis posse consequi verbis. In renumerandis ejus beneficiis jejuna est verborum vicissitudo. Ipse enim pater et tutor noster est, ipse hujus ecclesiæ sancti Laurentii pretiosus lapis est, ipse hujus domus columna et murus est; nec dubium de hac domo possedici: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, quæ super hujus sancti præsulis venerandum corpus fundari meruerit. Sed hæc sequentia dabunt intelligi. Nunc ordinem prosequamur.

15. (*Ib.* c. 33.) Eum (85) imperator Henricus miro diligens affectu, cum adhuc esset præpositus, secum assumpsit, sibique arctius astringens, in suo eum palatio retinuit. Sed, ut diximus, Leodiensi ecclesia pastore suo viduata, convenerunt **386** canonici ad imperatorem — adhuc enim non electione, sed dono regis episcopus fiebat — mortem sui pontificis nunciantes, aliumque petentes. Tum vero imperator prædictum Wolbodonem, licet diu multumque renitentem atque amarissime flentem seque indignum vociferantem, eis tradidit; quem ut veluti patrem honorarent, benigne ammonuit; ab illo satagerent diligi, cujus gratiam scirent apud se pro magno ære censeri. Illi de tanto præsule hilares multumque lætificati, non enim ejus ignorabant sanctitatem, ingenti cum lætitia rediere Leodium. Civitas omnis applaudit venientibus, episcopo pro sua sanctitate, clericis pro bona legatione.

16. (*Ibid.*) Erat (86) autem idem vir Domini Wolbodo tantæ proceritatis et corpulentiæ ut in multi-

NOTÆ.

(82) Cf. V. Balderici c. 20.

(83) Olbertum Gemblacensem

(84) In crypta quam in honore sancti Andreæ dedicaverat. Sepulchrum ejus marmoreum cernitur hodie in medio chori ab Ægidio Lambrecht abbate piæ memoriæ erectum. MART.

(85) Hæc amplificavit Reinerus in Vita Wolbodonis c. 5.

(86) Ibid c. 6.

in fine populi devote se circumdantis quisnam esset cunctis appareret, et super omnes scapulo tenus emineret. Verum cum multa ei pro consuetudine esset abstinentia, nichilominus tamen roseus in eo vultus renitebat, immo ut scriptum est : *Lux vultus ejus non cadens in terram amplius radiabat* (*Job* XXIX, 24), amplius videri honestus erat ; sanctis æquævus pueris, quibus regius ille cibus fastidium generabat : nam, cum ei quotidie lautiores cibi, ut tantum decebat pontificem, apponerentur, pauperes ille admitti censebat, quibus appositas præbens delicias officiosissime ministrabat, pane et aqua ipse contentus. Erat enim valde compatiens, et super afflictos adeo pia gestabat viscera, ut plerumque cum nihil aliud haberet, tapetia vel aliam ecclesiæ suppellectilem pauperibus largiretur, donec a camerario suo redimerentur. Vigiliarum quoque et algoris ita patiens exstitit, ut sæpenumero dormientibus ceteris, discalceatis in ecclesia pedibus pernoctaret. Et sicut de sancto Jacobo juniore legimus (87), quod multis genuflexionibus nervi ejus in modum camelorum obduruerant, sic pedes ejus crebra nuditate et laboris usu callosi erant effecti. Solet [14] enim attestari quidam familiaris ejus, quod inter lavandum pedes illius frigore et glaciali viarum asperitate adustos viderit, quamvis hoc omnes summo conamine, exemplo Domini humani favoris instabilem auram devitans, diu celaverit. Referam unum adhuc sancti hujus exemplum, magnum constantiæ illius judicium.

17. (Ans. c. 34.) Memoratus (88) imperator Heinricus quibusdam sibi familiaribus male credulus, de illo aliquantulum erat suspectus, et ab eo falsa animi suspicione aversus. Quem episcopus placare saltem muneribus volens, quemadmodum Jacob fratrem suum Esau, aliquantulum pecuniæ illi oblaturus venit ad curiam ejus. Nunciatum est imperatori ingentibus illum cum muneribus adventasse. Dies quo se illi præsentare debuisset indicitur; sed ea nocte supervenientibus omnia distribuit pauperibus, bono consilio malens inde superni regis acquirere gratiam, quam humanum sibi conciliare favorem : *Melius est enim*, ait Psalmista, *sperare in Domino, quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII, 9). Crastina die ad imperatorem jam securus sine munere introivit, qui ante cum muneribus ingredi formidabat. Ubinam esset quod attulerat rogitatur. *Supervenerunt*, inquit, *regis et imperatoris nostri Dei legati, cui per illos omnia transmisi : non enim illum tibi præponere dubitavi, nec spero quod te illi præponendum æstimaveris : es enim in manu ejus, omneque regnum mundi, et cuicunque voluerit dabit illud.* Imperator A brevi revocatus ratione, gratiam illi suam reconciliat, dicens illum vere sanctum, se vero peccatorem et reum : illum debere honorari, qui Deum altissimum imperiali neglecta majestate sic honoraverit ; illum in regno suo plurimum valiturum affirmabat, qui regno Dei amicum se et familiarem ostendebat. Ita humanum imperium firmissimum esse, cum illud causa regni Dei minus valeret, cum existimatione illius vilesceret. *Et impendio*, inquit, *postulo ut humanissimum inceptum religiosa cura non deserat : his enim maxime nutrimentis regnum meum stabilitum erit ; non quod verear ne diligentia tua tali laude lentescat, quin potius spero benevolentiam tuam, si quid pleno potest addici, largiorem* ; *quia bonis familiare est studia bona cumulare, quorum gratiam sentiunt non* B *perire.* Ita vir Domini regiam magnificentiam placavit, et Dei omnipotentis gratiam non amisit.

18. Arnulfus comes Grandevadensis (89) contra Fresones dimicans, victus fuga salutem meditatus est ; sed præventus ab illis occisusque nequicquam attemptavit. Cujus mortem Theodoricus filius ejus ulcisci aggressus, totam pæne Fresiam igni ferroque omnique nocendi arte populatur (*An.* 1018). Ad quem debellandum Godefridus dux Lotharingiæ ab imperatore missus est, et conserto prælio, vox repente, nescitur unde, ab omnibus audita est : *Fugite, fugite, capite, capite.* Cunctis actutum instar locustarum fugientibus, multisque adversariorum hinc inde peremptis, dux ipse Godefridus ab hostibus captivatur. Pro cujus liberatione venerabilis episcopus C Wolbodo, eo quod sibi notus esset et carus, transmissus est. Qui tanquam fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei, verba pacis et concordiæ ubi de conscientia bona et fide non ficta eructuabat, et quasi quædam cœlestis virtus, ab omnibus omnino est reveritus. Quid multa ? Prædonibus veniam ab imperatore obtinuit, ducem sanum recepit, pacatis omnibus, bellorum impetus conquievit (*An.* 1019).

19. Benedictus papa Romanus ab imperatore pro quibusdam regni et ecclesiæ negotiis invitatus, in Gallias venit ; multisque episcoporum ad synodum unde unde confluentibus, multa ibi utilia, multa honesta decreta sunt quæ omnia hujus nostri Wolbodonis astipulatione fuerunt subnixa. Imperator enim quamvis archiepiscoporum suorum multa esset auctoritate et scientia suffultus, nichil tamen erat firmum, D nichil stabile, nisi illius corroboratum fuisset consilio et sanctitate. Gratusque erat omnibus, non minus his qui venerant cum papa sanctissimo, quam eis qui erant cum rege memorato : fuit enim non solum regalibus peritus institutis, sed in ecclesiasticis quoque perfectus disciplinis. Ordinavit (90) quippe

VARIÆ LECTIONES.

[14] *verbum ex Anselmi textu servatum, pro quo fortasse, cum Reinero,* solebat *legendum erat.*

NOTÆ.

(87) Eusebii hist. Eccl. II, 23.

(88) Ex hoc cap. et Anselmi 34, Reinerus c. 8 Vitæ Wolb. composuit.

(89) Id est, Gandavensis. Amplificata hæc sunt ex Sigeberto an. 1018, 1019. Exscripserunt Reinerus c. 11, et Ægidius, p. 247.

(90) Cf. Ægid. p. 250.

In illo sancto paschæ et in assumptione Domini dieque pentecostes de singulis ecclesiis clericos cum sollempni processione ad majorem ecclesiam convenire, dulcesque ex ipsis sollempnitatis cantilenas in medio templi decantare. Multis præterea utilitatibus et honestis ecclesiam consuetudinibus perornavit : nam clericos dominicis sacrisque diebus in lineis candidatos, quod signum constat esse innocentiæ, ire instituit : in adventu autem et a septuagesima usque in pascha cappis nigris tamquam pœnitentes circumamiciri perdocuit (91).

20. Prædictus (92) rex sanctum Coloniensem archiepiscopum Heribertum multis affecerat injuriis, eo quod lanceam et coronam ceteraque regalia nonnisi nobilium judicio tradidisset illi, diuque magnæ inter eos fuerunt simultates, diu ecclesia omnis in hoc scandalizata est, multumque attrita et commota. Qua de re vir Domini Wolbodo valde angustiatus **387** est, tum quia regi familiarissimus erat, ejusque salutem et honorem diligebat, tum quia archiepiscopus, quem ille offenderat, suus dominus sanctusque homo esse virtutibus etiam manifestis claruerat. Monet ergo secretius imperatorem, ne contra sanctum Domini ulterius iram suam protelaret ; justum esse Deoque placitum, ut qui illum sine causa injuriatus fuisset, gratiam ejus cum satisfactione prior ipse repeteret. Memorem eum esse verbi dominici : *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II, 8). Melius esset si faciem Domini præveniret, qui injurias servorum suorum graviter vindicaret. Hac ille oratione flexus, Coloniam venit, in die natalis Domini coram omnibus archiepiscopo satisfecit (an. 1020). Ita pravorum factio, quæ occasione hujusmodi creverat ecclesiamque affligebat, cassata est.

21. (ANS. c. 34). Interea sacerdos Domini multo ante sui exitus diem gravissimo stomachi languore cruciatus est, ut si qua forte contraxisset delicta, infirmitas sanaret diuturna : flagellat enim Dominus omnem filium quem recipit. Cum autem in sollempnitate paschali missarum ex more sacramenta celebrasset, tanta se debilitate sensit confectum, ut suum propediem adesse non dubitaret exitum (an. 1021, *Apr.* 2, c. 35). Jam res clepera et anceps esse non poterat, quia toto corpore defectum sui sentiebat. Itaque parari sibi stramenta vileque cilicium jubet ; his cinere superaspersis, in eis se vere fortunatus senex composuit, cum ecce videt diabolum pone adsidentem. *Quid hic*, inquit, *adstas, o inimice veritatis ? Recede, recede, cruenta bestia ; Dominus auxiliator meus, ideo non sum confusus. Nichil periculi est sperantibus in illum. Crede michi, non prævalebis adversum me, nichil in me funesti reperies ; licet enim peccaverim, tamen faciem Domini in confessione præoccupavi. Ille me recipiet, ille contra te custos michi ac bellator fortissimus est.* Hæc eo dicente, recessit inimicus.

22. Illi (93) autem taliter ægrotanti apparuit beatus Laurentius, et familiariter alloquens : *Quinta* inquit, *feria mecum eris.* O terque quaterque beatum lilium, quod cum tali rosa sociari meretur in horto sanctorum ; non quidem ipsum est rosa, quia non rubet passionis sanguine, sed ex vicinitate rosæ melius complacet in sua con[illegible] et pulchritudine. Accepta ergo tantæ promissionis gratia, clericis et majoribus ecclesiæ gratulabundus enuntiat, illis sibi congaudentibus pariter et mœrentibus, quia plurimum erat gaudere, plurimumque flere pro tanti viri migratione. Ipse ad diem illum desiderantem præparat animam. Cum ergo gravi dolore cruciaretur diutius in cinere et cilicio recubans, accersito Johanne archidiacono postea præposito ait : *Neminem, carissime fili, ab ingressu isto arceri facias, sed ingrediantur omnes, ut videant miserum Wolbodonem, videant futurum mox vermem et cinerem. Aspiciat grex pastorem suum, sit memor illius extremæ horæ, in qua viderit suum pontificem ultimo agone deficere. Mea saltem pœna sit et ultimæ diei memoria, facit exemplum, ipsa non facit eloquium. Plus est exemplo docere, quam voce.*

23. Interim (94) vocat abbatem Sancti Remacli Poponem, eique ordinandi hujus monasterii curam committit. Ubi autem venit dies quintæ feriæ qui desiderabatur, expectantem illum jam dissolvi et esse cum Christo non lætificavit desiderii sui effectus. Itaque cor suum tristis inspiciens, culpam in se deprehendit, videlicet quia visionem tantæ dignationis dignis pariter et indignis plus justo lætus innotuit ; accitoque Wielando clerico familiari suo et religioso, auctoritateque divini nominis illum astringens : *Video*, ait, *quid justitia temporum, quid causæ nostræ bonitas, quid cura tua, si tam tibi cordi sum, efficere possit : nam coronam meam perdidi, nisi propitius Jesus misertus fuerit michi. Feria quinta venire debuit, et non venit, quia illum credo exacerbari, eo quod visionem ejus omnibus inaute prodiderim. Fac ergo vapulare me quod deliqui, ut merear veniam hujus delicti.* Hæc dicens, vinctusque ab illo, corpus languore depressum pius pœnitens verberibus subjecit. Itaque feria quinta subsequentis hebdomadæ venit propitius Dominus Jesus ; cujus ille imaginem jam in ultimo agone positus offerri sibi jussit, devotus accepit, osculis oris sui diutissime astrinxit, lacrymis rigavit, crine tersit, pio exemplo illius peccatricis de qua dixit Dominus discipulis suis : *Amen, amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo, dicetur quod hæc fecerit in memoriam ejus* (*Matth.* XXVI, 13). Igitur dum his intentus omnino esset, inter ipsa dulcissima oscula eum vocante Domino, generosum

NOTÆ.

(91) Evraclo hoc tribuit Reinerus in Vita ejus, c. 5.

(92) Cf. Sigeb. 1021. Sed Wolbodonis nec ibi nec in Vita Heriberti a Ruperto scripta ulla mentio est. Nostrum secuti sunt Reinerus c. 9. et Ægid. p. 251.

(93) Cf. Reinerum c. 12, qui nostro usus est.

(94) Exscripsit Reinerus, c. 12. 13.

illum contemptoremque omnis potentiæ spiritum non emisit, sed ejecit (*an.* 1021, *Apr.* 21). Itaque anima sancta in gaudium Domini sui recepta, corpus sanctum omni veneratione dignum, in hac ecclesia sancti Laurentii honorifice conditum est. Abbas autem Poppo commissam sibi hujus ecclesiolæ curam fideliter exsecutus fuisset, sed Satan qui semper, ut dictum est, huic loco stetit ex adverso, invenit quomodo et per quos adversari posset.

24. Nam (95) Durandus factus episcopus, non secutus est prædecessorem suum, vel alios qui plantaverant vineas, id est ecclesias, devotione sua; sed econtrario tulit, et partim militibus dedit, partim ad mensam episcopii retinuit ea quæ beato Laurentio sanctus antecessor suus Wolbodo obtulerat. Nam qui necdum positi fuerant, qui in hoc loco Deo militarent, leve putavit si ea quæ ante militiam præparata fuerant, nemine sibi contradicente tolleret. Non est recordatus miserationum Domini, qui illum de paupere nido in quo natus est et altus est, eo usque ad summos provexit proceres, ut dominorum suorum dominum et episcopum constitueret. Non, inquam, recordatus est misericordiæ quam fecerat secum venerabilis episcopus Wolbodo, qui imperatori quærenti clericum scientem litterarum, omissis aliis eum pauperem commendaverat, rogans etiam ut super eum poneret oculos suos; quodque imperator episcopi commendationem tanta gratia dignam habuerat, ut eum hujus civitatis episcopum, et ut dictum est, dominum dominorum suorum faceret. Itaque visio dura apparuit illi semel et iterum propter hoc.

25. Erat (96) autem hujusmodi visio: eumdem venerabilem episcopum contra se stantem et se acri vultu intuentem, eleemosinam quam a se Deo et martyri **388** ejus oblatam ipse abstulisset repetere. Quod cum ille suis nonnihil sollicitus exponeret, aiebant, maxime hi quibus rapta largitus fuerat, non debere eum somnia attendere, hominem enim sapientem illum esse, multas quippe curas sequi somnia, ideo hæc illum dormientem videre, quod vigilans similia tractaret. His et hujuscemodi verbis adulantium lingua facile omnem timorem de corde ejus elambuit. Ecce autem tertio apparens sanctus et illo potentior episcopus Wolbodo in virga furoris venit, missus contra eum durus nuncius, et comminans terribiliter ait illum non posse diutius vivere, jam enim securim ad radices arboris positam esse, quia fructum malum in bonum noluisset convertere. Inter hujusmodi verba gravissime illum cecidit, quem et statim prævia mortis ægritudo corripuit. Expergefactus ille, clamoreque ejus familia turbata est, convocat archidiaconos et primos civitatis, et narrans quæ viderit: *En morior*, inquit, *ad misericordiam domini mei sancti Wolbodonis me projicite,*

A *ex opposito illius extra ecclesiam beati Laurentii, extra parietem sepelite me.* Tradensque sancto Laurentio prædium in Wasegga, quod nuper a Roberto archidiacono comparaverat, et quod solum residuum, quatuor marchas auri, unde postea factus est calix optimus, spondebat quod si spatium sibi daretur, universa quæ tulerat in integrum restitueret. Sed non expectatus obiit, et hic, sicut petierat, extra ecclesiam sepultus est (*an.* 1015 *Jan.*). Ibi tamdiu nudus et sine tecto jacuit, donec ecclesia nova fundaretur, et tunc ampliata domo muro inclusus et sub tectum admissus est, et hanc sepulturam quæ hactenus cernitur, abbas Stephanus pro veneratione episcopii super illum composuit.

26. Hic est abbas Stephanus matutinus et primus B hujus vineæ quam Deus hic plantari voluit operarius, qui 33 annos et duos menses, longum videlicet diem propter spem denarii in hoc opere explevit. Sed et antequam ad hoc opus vocatus fuisset, prius etiam quam sanctum monachi propositum suscepisset, non otia foris sectatus est, sed ubicunque fuit semper in vinea Domini laboravit; nam et ideo cum esset Sancti Dionysii canonicus, sancto Wolbodoni episcopo adhuc viventi solo primum aspectu complacitus, cum ille de qualitate ejus a fratribus ipsius sollicite requisisset, et laudanda didicisset, familiaris ejus factus est et præ ceteris carissimus. Hoc eo die contigit, quo ille prædicti martyris dedicata ecclesia convictu quoque suo fratres lætificavit, hic ut cellerarius servivit. Invitatus est ergo, disponente ut credimus Deo, quatenus cui semel viventi C complacuisset, in ejus defuncti contubernio perenniter commaneret. Sed hic in initio dolores habuit ut parturientis, eo quod et episcopus (97) locum penitus negligeret, et cum his qui secum venerant, videlicet sex fratribus, necessariis egeret. Cum igitur humilis servus Christi velut exulem se et egenum conspiceret, et pro hoc loco circa sepulchrum sancti pontificis totis noctibus fleret et oraret; quadam nocte, post uberes lacrymas, cum residens deflexo inter manus capite paululum obdormisset, hoc modo illum divina gratia ibidem consolata est. Vidit assistere sibi juvenem speciosum ac splendidum, qui a pio patre Wolbodone se esse missum assereret; isque consolans eum: *Tu*, inquit, *nunc quidem tristitiam habes, sed in proximo est ut hæc tristitia tua convertatur* D *in gaudium etenim sanctus Laurentius sanctusque Wolbodo locum hunc pariter ante Deum assumpserunt, et fundamenta ejus in illis sanctis montibus sunt, et quamdiu fuerint hic inquisitores regni Dei, omnia quæ necessaria sunt corporis adjicientur eis, et hoc erit tibi signum. In proximo episcopus flante spiritu Dei huc animum suum applicabit, et de grandi periculo in quo nunc est enatans, hoc in loco suæ spei figet anchoram. Ecce et is frater quem hodie mittis ut*

NOTÆ.

(95) Ex hoc cap. et Anselmi cap. 36, Reinerus cap. 16. concinnavit.

(96) Reinerus V. Wolbod. c. 17.

(97) Reginardus. Sequentibus Reinerus usus est in Vita Reginardi c. 3.

ad vestimenta comparanda mutuum aliquid accipiat, cum venerit ad forum rerum venalium, præparatum a sancto Wolbodone unum inveniet, qui quantum necesse est gratis tribuat. His ille acceptis evigilans, confestim fratrem Rennardum, quem ad Viseti forum ire præceperat, jam egressum, jam vadentem revocari citius imperat. Exposita visio est, cunctisque gaudentibus, eumdem fratrem abire præcipiens, ex ejus eventu firmius didicit quid de ceteris oraculi deberet sperare promissis. Ille quippe stans in foro, et a quodam non sibi noto interrogatus quid quæreret, cum respondisset se a sancto Wolbodone missum, ut fratribus deferret aliquid vestimentorum, nec se habere pretium, sexaginta probatæ monetæ solidos ab illo satis hilariter tribuente lætabundus accepit.

27. Interea quidam ecclesiæ nostræ mansionarius, homo pauper et exiguus, sed forte apud Deum meritis magnus, mira se quædam per visiones nocturnas audire et videre perhibebat. Vadensque per civitatem festis diebus simplicitate rustica, et quadam quæ verorum pauperum est licentia, palam omnibus proclamabat, sanctum Laurentium sanctumque Wolbodonem in Publico monte commune habere hospitium, eos totis noctibus metiri suum habitaculum, et quia parvum eis videretur, condixisse eos vetus debere dirui novumque fabricari. Cumque multis ostenderet, dicens : *Hucusque in longum, sic in latum, tantoque in altum suas lineas ipsi tetenderunt,* tamdiu stolidum et insaniæ proximum cuncti crediderunt, donec universa effectus vera esse probavit [15].

28. Anno dominicæ incarnationis 1025. Reginardus post Durandum fit episcopus. Hic (98) non attendens ostium — debemus enim ad gloriam Dei ore libero peccatum propalare pœnitentis, sicut adulterium David et homicidium, sicut negationem Petri, sicut Mariæ septem dæmonia. — hic, inquam, non attendens ostium, aliunde ascendit in ovile ovium. Designatus enim ad episcopatum Virdunensem, ipse Leodiensem ecclesiam eodem tempore Durando mortuo præsule vacantem magis ambivit, aditoque Curando tunc temporis imperatore, pecunia obtinuit ut optato potiretur. Hoc igitur episcopatu adepto, abbas Poppo curæ hujus loci, quam a sancto patre Wolbodone susceperat, qui jam de illa desperare cœperat, se absolvit, et prædicto episcopo in manum remittit. Tunc agente enixius apud episcopum sæpedicto comite Hezelone, ut abbatem loco præficeret, et dicente scire se Virduni (99) quemdam probatæ vitæ monachum, nomine **389** Stephanum, quondam hujus civitatis canonicum ; episcopus, si modo ille deducatur, facturum se pollicetur. Quo audito idem comes celeriter dat operam ut ille adesset.

29. (SIGEB. 1034.) Hoc tempore, Frederico Mosellanorum duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus ducatus competeret, Gozelo dux, impetrato ab imperatore etiam Mosellanorum ducatu, in Lotharingia nobilius principabatur. (SIGEB. 1035.) Burgundionibus (100) vero non desistentibus a consueta contra regem suum insolentia, rex Rodulphus regnum Burgundiæ Conrando imperatori tradidit, quod a tempore Arnulfi imperatoris per annos plus quam 130 gentis suæ reges tenuerunt, sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam. (SIGEB. 1036). Odo autem Campaniensis regnum Rodulfi regis avunculi sui a Conrado imperatore nepote suo repetens, ut sub eo regat Burgundiam efflagitat. Quod cum ei rex negasset, ille contra eum bellans Lotharingiam incursat, castella oppugnat, urbem Leuchorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, et in nullo temperat furori suo. (SIGEB. 1048). Erat tum temporis ejusdem civitatis episcopus domnus Bruno, qui postea factus papa ecclesiæ Romanæ, vocatus est nominis hujus nonus Leo. Hic tantæ fuit sanctitatis, ut cum ad capessendam sedem apostolicam Romam tenderet, audivit voces angelorum canentium : *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis* (SIGEB. 1037). Ipse vero, cum in papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, eum fotum diligenter in lecto suo collocavit, quem cum reserato ostio non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit. Ipse ergo, ut diximus, obsessa civitate sua ab illo tyranno, orabat Deum attentius, ut auxilium misericordiæ suæ mitteret sibi quantocius. Ille tamen nichilominus sæviit, castrumque Barum obsidet et capit. Tam ancipiti periculo permotus dux Gozelo Leodium venit, domnum Reginardum episcopum rogat plurimum et obtestatur, ut non solum sibi, verum etiam omni Lotharingiæ, imo vero universo subveniret imperio, quod æterno notaretur elogio, si prævaleret prædictus Odo ; omnes Francigenas omnemque Burgundiam conjurasse cum illo, nichilque aliud meditari, nisi irruptionem in regno Romano. *Hujus,* inquit, *nobis curæ absolutionem diligentia vestra usu exploratam promittit. Nihil moramini, michi satis subsidii est si venitis. Sed vereor indulgere verbis præconii vestri, ne proximus esse videar blandienti, quamquam dulce sit certamen familiaris officii. In defectu rerum nichil operæ est indulgere dictis. Res ipsa vestram satis excitat experientiam.* Episcopus habito cum suis consilio, suum pollicetur auxilium ; præcederet ipse, ne absentia ejus hostibus audacia, suis vero cresceret

VARIÆ LECTIONES.

[15] Explicit liber quartus. Incipit quintus. *cod. quæ a Ruperti opere aliena sunt.*

NOTÆ.

(98) Eadem Reinerus c. I. 2, refert.

(99) Apud S. Vitonum, cf. V. Richardi abb. c. 12.

(100) Reineri c. 8.

A timor et desidia : subsecuturum se citius cum suus paratus fuerit exercitus. Dux lætificatus promissis ejus, quem sciebat multum valere in ejusmodi, tum et sapientia quæ multum præstat in arte bellica, ac nobilium militum multitudine quæ sub eo erat, propere recedit, suosque oppido lætificat, quos in magno mœrore varioque curarum æstu reliquerat. Nec tamen congredi cum hoste ausus fuit, donec episcopus adventaret, donec sua exercitum præsentia lætificaret. Mox ut ille advenit, divisus in procinctu per turmas et cuneos militum alis, personantibusque hinc inde tubis, commissum est prælium, diuque incerta belli alea decoxit exercitum (*An.* 1037 *Nov.* 15). Multitudo quæ cum hostibus erat, victoriam illis promittebat, hos innocentia sola protegebat : B superbia illos armaverat, istos justitia. Odo princeps hostium, sinistro cornu protrito, milites suos convertit ; totum belli negotium in episcopum agit, a cujus se militibus cernebat præ omnibus et sentiebat prægravari. Episcopus Dei auxilium in præsenti discrimine invocans, nobilium mentes juvenum hortatu paterno excitabat ; senibus ut pristinæ memores essent industriæ, neve suprema virtus nutaret prædicabat ; illius gesta nobiliter olim declarata memorabat, hunc ex nomine proprio compellans, ut fortiter hostem cæderet exorabat. Gozelo dux recollectis suis, quos palantes revocaverat, legiones iterato restaurat, cum episcopo fortiter prælianti gradum firmat, ferrum denuo imbre lethali conseritur, plurima mortis imago vertitur (*Æneid.* II, 369) ; episcopus a latere lacessentes protudit, lectas C retro legiones immisit. Albertus comes Namucensis, qui cum episcopo erat, dum præ nimio zelo hostem conterendi in confertissimos hostes incursat, unde unde telis obruitur, sed dum cedere censet esse pudori, cum multo hostium detrimento non inultus perimitur. Crevit in adversis virtus : nam episcopus cum duce, cernentes comitem interiisse, jam totis habenis in hostem irruunt, Odonem cum omnibus suis nobilioribus interimunt, ceteros ubi ubi palantes confodiunt. Nec apposuerunt ultra Francigenæ fines Lotharingiorum incursare. Leuca civitas diutina obsidione attrita jamque, nisi divina affuisset misericordia, in deditionem futura, liberatur. Episcopus Bruno, qui illa obsessus tenebatur, gratias Deo agebat, exauditum se fore subactis prædonibus. Episcopus D Reginardus victoria plena potitus, et ab omnibus magnifice glorificatus, Leodium redit, et pro cunctis suorum, qui in expeditione oppetierant, obtulit Deo sacrificium laudis, factaque est ingens lætitia imperatori Conrado cunctisque primoribus aulæ ; domnus Reginardus ab universis prædicatur, qui tantum imperii hostem protrivisset, et quasi opprobrium abstulisset ab Israel.

30. Interea (101) jam episcopo Reginardo divinitus cœperat agi quod Dominus per prophetam dicit : *Venies usque ad Babylonem, et ibi liberaberis* (*Mich.* IV, 10) ; venerat enim usque ad Babylonem, ingentis scilicet peccati confusionem, et ibi respectus ab illo qui respicit terram et facit eam tremere, quo respiciente Petrus flevit amare, tremuit ipse et flevit, territus periculi sui magnitudine. Igitur ut liberaretur Deum instanter cœpit exquirere manibus suis, sentiensque quod esset vinctus manibus, et quod nisi [16] detectis vinculorum nodis solutionem mereretur, vadit Romam ad pedes apostolorum principis, ut ferrum quo vinctus esset solvendi potestatem habenti suppliciter detegeret ; et cum animo jam, exemplo regis Ninive, de solio suo descendisset vadit tamen cum tam ingenti pompa nobilium, ut non tam peregrinatio quam exercitus crederetur, aliis pro honore, aliis pro sua devotione secum proficiscentibus ; tanto utique verius pœnitens, quanto minus multitudinem notorum in eo quod facturus erat erubescens. Cum his itaque ingressus Romam et apostolorum principis ecclesiam, mox ut **390** apostolicum Benedictum (102) intuitus est, in conspectu ecclesiæ suorumque comitum cum ingenti gemitu ad pedes ejus procidit. Moti omnes maximeque sui stupere miraculo. Præoccupant verba lacrymæ, vocemque ejulantis potius quam loquentis singultus intercipit. Itaque tanquam Lazarus ad magnam Domini vocem concussus, cum requireret apostolicus, et causam expectaret, tamquam de sepulchro totus prodiit, qualitatem suæ mortis fatetur et vinculi quo erat compeditus, scilicet quod episcopatum quem non meruisset per gratiam, obtinuisset per pecuniam. Idcirco se velle dimittere, ait, sic male acquisitum ; non dubitare dexteram manum suam, quia se scandalizaret, abscidere et projicere a se ; melius quippe esse cum una manu privatum ad vitam ingredi, quam duabus manibus potentem potenter tormenta pati in gehennam ignis. Itaque secundum suum ipsius judicium, apostolico quoque prosequente ita magis expedire, cum super altare beati Petri baculum pastoralem deposuisset, apostolica benedictione absolutus, privatus abire jubetur. Cum hi qui secum erant mœrerent, gaudebat ipse, sicut qui esset solutus a vinculis, abstractus ab inferis, suscitatus a mortuis.

31. Interea recogitans apostolicus misericordius cum illo esse agendum, neque enim eum ceperat in gladio et arcu suo, sed ille ultro prodiderat delictum suum — nam et Petrum, quia ultro flevit, resurgens Dominus ex nomine revocavit apostolum ad apostolatum — tertia die mittens, vocari ad se jubet eum Leodiensem exepiscopum et alloquens eum : *Quoniam*, inquit, *hactenus ut negotiator se-*

VARIÆ LECTIONES.

[16] *Altera negatio deesse videtur.*

NOTÆ.

(101) Rein. c. 4. Apud Anselmum nullum horum vestigium est.

(102) nonum ; sed Reinerus Joannem nominat.

disti in templo Dei, et hoc agnoscens, non expectato flagello Domini tuam ipse cathedram everteris; nunc in nomine Christi et ex auctoritate Petri apostoli accipe curam et regimen sanctæ ecclesiæ, et permanens in ea, fac dignos fructus pœnitentiæ; secundum possibilitatem tuam pasce pauperes, et sublева in necessitatibus deficientes, et si potes, alicujus sancti ecclesiam ædifica, ut, cum defeceris, recipiat te in æterna tabernacula. Hoc vero expertum in se quam bonum sit præoccupare faciem Domini in confessione, auctum benedictione Domini ad propria remittit. Itaque revertebatur, illud in se habens simile David, quod sicut ille, cum fugisset a facie Absalon filii sui, iterum in regnum suum est reductus, ita ipse, postquam fugerat a facie peccati, mali videlicet filii, rursus in regnum ecclesiæ reverti merebatur.

32. Cumque (103) revertens jam per Publicum montem descenderet, jamque exiguum quod hic situm erat azylum conspiceret, comes Hezelo nonnichil ejus secreti conscius, appropians lateri ejus: *Ecce* inquit, *domine, beatus Laurentius, qui te, si ab ipso promerueris, apud Christum potenter auxiliabitur.* Hoc dicto mirum in modum locus ipse et nomen sancti martyris animo ejus incidit. Itaque cum civitatem ingressus fuisset, et debito cum honore exceptus in pace resedisset, die quadam summo diluculo ascendens ad orationem visitavit locum, et consolatus est humilem et pauperculum abbatem Stephanum, omnia visioni suprascriptæ convenienta repromisit. Et quia jam hiems instabat, erat enim ille dies secundus mensis Novembris, propositum quod mente gerebat, tunc quidem implere distulit. At ubi jam pæne hieme exacta verna temperies appropinquavit, ecce repente die tertia mensis Februarii summo diluculo ascendunt officiales episcopi, et ascendentes tectum ecclesiæ dissipare murumque subvertere summa alacritate et ingenti gaudio atque clamore cœperunt. Ita sero in præterita vespera fuerat in domo episcopi deliberatum, ut abbati Stephano adhuc quiescenti repentinus fragor pro nuncio fuerit. Diruto itaque veteri ædificio, locus in quo steterat positis fundamentis per medium divisus est. Fundamenta quippe novæ ecclesiæ a medio ejus foris in occidentalem plagam deducta sunt, reliquum ejus ab orientali plaga cedens in habitationem sancto episcopo Wolbodoni, fundamenta cryptæ accepit in honorem beatæ semper virginis Mariæ. Erant autem in hoc opere episcopi, imo Dei adjutores abbas Olbertus Sancti Jacobi Sanctique Petri Gemblacensis, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, et Hunecco frater ipsius episcopi, et Meinerus [17] tunc temporis judex civitatis.

33. Nec illud inter prætereunda ponendum videtur quod accidit (103). Arbuscula quædam, quam vulgo salandram (104) nominant, extra fundamentorum ambitum relicta fuerat: hanc supramemoratus somniator omnino longitudine ecclesiæ concludendum esse perhibebat. Jam parietes non modice surrexerant, et ille nichilominus ita futurum esse confidenter asserebat. Nec eum hæc sua confidentia frustrata est. Venit quippe prædictus frater episcopi, et inspecto opere vituperare cœpit et detestari multum sibi displicere mensiones longitudinis, dominum suum multo melius posse perficere quod inchoaverit. Hæc dicens potenter ac fiducialiter operariis imperat 40 pedes in longum augere parietes, asserens quod si episcopo non placeret, propriis ipse sumptibus augmentum illud suppleret. Sic inclusa est ea quam diximus arbuscula, et pauper ille his a quibus irrisus fuerat arridens, quasi victor insultabat.

34. Itaque hoc opus licet homines adversi, quasi quidam Samaritæ, diu multumque impedissent, tandem Domino jubente fieri permissum, et citius quam quis ratus erat posse fieri consummatum est (105). Deinde expetita auctoritate apostolica, et veniente Joanne Portuensi episcopo, ac Pilegrino Coloniensi archiepiscopo, anno dominicæ incarnationis 1034, indictione secunda, ipsius autem Reginardi episcopatus anno 10, cum summo gaudio et honore ecclesia dedicata est [18] (*an.* 1034 *Nov.* 3).

35. Satis autem constitit merita sancti martyris Laurentii toti extunc subvenisse civitati (106); nam superioribus annis, quamdiu basilica **391** vetus hic in negligentia stetit, expectabatur semper et erat terribilis nox passionis beati Laurentii, gaudium utique victoriæ ejus aeriis spiritibus qui ab ipso victi sunt horrore tempestatis obscurare nitentibus; nam densato nigram in nubem aere, depugnantibus ventis et effusis imbribus fiebant tonitrua, crebraque micabant ignium jacula, ut manifeste daretur intelligi ipsa propter odium ejus a malignis spiritibus elementa vexari. At ubi eidem victori serpentis antiqui debitus hic honor cœpit exhiberi, omnis illa tempestas et spiritus contrarius Domino increpante obmutuit. Unde et huic civitati mos inolevit, ut quotiens nimia vel imbrium vel siccitatis injuria, seu quælibet alia tribulatio ingrueret, congregatus

VARIÆ LECTIONES.

[17] *ita pro* Memmerus *Rein. l. l. et privil. Reginardi in Mart. et Dur. Coll, IV*, 1169. [18] *Sequebantur ex Sigeb. a.* 1025. Prædictus vero Joannes Portuensis ep. cum postea factus fuisset papa Romanus, frater ejus Stephanus ejusdem papa civitatis ei apparens — esse, *quæ nec Reinerus habet, et temporum rationi repugnant.*

NOTÆ.

(103) Rein. c. 5.

(104) Reinerius *salangram* scribit, Ægidius *salangam*, Stabulaus *sambucum*, Papebrochius in Vita sancti Wolbodonis salviam fuisse putat. MART.

(105) Ita ipse Reginardus loquitur in privilegiis ap. Mart. et Dur. IV, 1165.

(106) Rein. V. Regin. c. 6.

clerus et populus cum letaniis postulet suffragia beati Laurentii. Qui, cum sæpe subvenerit, ea præcipue die jocundam vultus Dei hilaritatem terris obtinuit, qua Godefridus canonicus sancti Lamberti pignora ejusdem sancti martyris, sicut apud nos scriptum habetur (107), ab urbe Roma detulit; sol quippe toto mensis unius spatio nascentes tunc fruges nullo juverat caloris beneficio, nimiaque pluviarum injuria spem omnem totius anni tam in agris quam in vineis pæne consumpserat; nec exaudiebantur quærentes miserationem a Domino, qui sibi opposuerat nubem ne transiret oratio. Sed ea die congregatus in hac ecclesia clerus et populus, cum pro serenitate missas celebrassent, mox ut clamatum est *Kyrie eleyson*, scissis eodem momento nubibus sol serenus effulsit, terramque deinceps diutino ac sufficienti calore refecit.

36. Hoc modo gaudentibus angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, hic quoque locus gaudii ipsorum particeps factus est; at ille, scilicet Reginardus episcopus, cum consolatus fuisset locum, et potuisset desertum ejus quasi delicias, qui adhuc augere voluisset gaudium et exultationem, nobis nimium cita morte præventus est. Itaque moriens eo in loco sepulturam habere concupivit et meruit, ubi die ac nocte, quotiens ad deprecandam faciem Domini ingredimur, nostris, ut ejus memores simus, semper se ingerat aspectibus. Orat pro illo ad Dominum etiam elemosina magni pontis (108), quem super Mosam multis sumptibus exstruxit, pauperes quoque 1200 quos magnæ famæ tempore famis pavit, 300 Leodii, 300 Hoii, 300 Deonanti 300 Fossis, simulque eos quos verecundia mendicare prohibebat, in opera pretio conduxit [19].

37. Itaque præsulatus sui anno 14 (109) temporalis vitæ subtractus est luci, et ducatu beati Laurentii a valle lacrymarum ascendens, intravit in gaudium Domini sui 1036 incarnationis Christi anno, Nonas Decembris (*an.* 1037 *Dec.* 5) **392**; corpusque ejus cum honore maximo in hac quam construxit ecclesia ante majus altare venerabiliter est reconditum, ubi tale super sepulchrum ejus sculptum fuit epitaphium:

Huic domus hæc index, hæc ejus tota supellex,
Nec minor indicio cultus episcopio.
Tollitur hic Nonis perfuncta sorte Decembris.
Par et ei introitus, par erat et reditus.

Anno Domini 1036, *obiit dominus Reginardus venerabilis Leodiensis episcopus* [20].

38. Post (110) obitum domni Reginardi, domnus abbas Stephanus, vir scientia clarus, sed conversatione clarior, dignum se patremfamilias exhibuit et quasi pupillus absque patre, soli Deo derelictus, ædificia claustri et officinas a Deo sustentatus consummavit, succisisque circumquaque silvis, quæ propter latronum insidias noxiæ fuerant omni transeunti, vineas plantavit, novalia excoluit et prædia conquirere, ædificia construere, quantum absque detrimento spiritualium poterat, totis viribus laborabat. Multa tamen hujus sæculi adversa, Satana procurante, sustinuit. Ac veluti uva dulcis ex vinea Soreth, id est electa vel optima, torculari tribulationum sæpenumero pressus est, quoniam Nithardus nepos domni Reginardi ex sorore, custos Sancti Lamberti, qui avunculo suo successerat in præsulatum, totam suppellectilem et auri plurimum et argenti, quod ille sancto Laurentio thezaurizaverat, ut in comparandis huic ecclesiæ prædiis pro illius anima expenderetur, retinuit et usurpavit, non recogitans quanta pius nutritor suus sibi fecisset bona.

39. Quo defuncto (*An.* 1041, *Aug.*) Wazo episcopus successor ejus non minime domnum abbatem Stephanum afflixit, jura quædam infringere volens circumjacentis terræ, quam venerabilis Reginardus liberam ab omni exactione huic ecclesiæ delegaverat. [Hic Wazo fuit frater Wensonis abbatis de Florinis. Hic primo, *etc. Adriani excerpta ex Anselmo suppressi.*]

40. Post Wazonem Theoduinus successit (*An.* 1048), placidum Leodiensis ecclesiæ sidus, qui basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, ut magna devotione sic magna operositate in Hoyo extruxit (111), [in qua et sepultus, *etc. Excerpta ex Ægidii, cap.* 5, 7, 8, 9, *omisi.*] Anno autem episcopatus ejus 13 (*An.* 1060, *Jan.* 12) Domnus abbas Stephanus cunctorum hujus ecclesiæ monachorum pater primus qui usque in senectam et senium bene regi Christo militavit, tandem senex et plenus dierum de hujus vitæ laboribus evocatus, ad nominis sui, quod coronatus vel normale interpretatur, coronam transiit et togam æternæ pacis et quietis accepit, postquam præfuerat huic ecclesiæ 33 annis et duobus mensibus (112). Sepultus est in crypta **393** ante

VARIÆ LECTIONES.

[19] *Hactenus Ruperti abbreviator ante annos quingentos exaratus. Quæ sequuntur ex Reinero et celeris scriptoribus antiquis collegit atque exscripsit Adrianus de Veteribusco, uti ipse testatur infra ad annum Christi* 1218 *MART. Sequentia de anniversario ejus, Ruperto posteriora, ejeci, necnon enumerationem thesauri ecclesiæ et oblationum Reginardi, a Ruperti stilo alienam. Eandem e vetusto cod. S. Laur. dedit Chapeavill. I*, 274.

[20] *Everlini epitaphium e Reineri c.* 9 *sumptum eliminavi.*

NOTÆ.

(107) Auctore Ludowico; edidit B. Pez Thes. Anecd. IV, 3, 3. Factum est a 1056, Jun. 3.

(108) Eadem habet Reinerus V. Reg. c. 8.

(109) Melius Reinerus XIII; v. Anselmi Gesta c. 37. n. 60.

(110) V. Reineri. c. 9.

(111) V. Rein c. 9, Ægid. III, 1.

(112) Duodecima Januarii ætatis suæ, anno 69; de quo necrologium hæc habet: *IV* (ita ed.). *Idus Januarii domnus Stephanus Deo duce ad nominis sui*

altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, ad pedes sancti Wolbodonis episcopi, apud quem pro sua religiositate et honestis moribus multum habuerat gratiæ et familiaritatis [21].

41. Succedit Lambertus abbas noster secundus, qui et ipse tempore suo prospere processit, homo multimodæ utilitatis. Hic vitam Heriberti Coloniensis archiepiscopi et miracula descripsit (113) et quædam musice de ipso composuit et in versibus faciendis claro viguit ingenio. Sed si licet parva comparare magnis (cf. VIRG. G. IV, 176), aurea ætas sancti ordinis, quæ ante ipsum sub domno abbate Stephano fuerat, sub ipso in argenteum sæculum degeneravit. Præfuit annis circiter decem, sepultusque est ad dextrum domni abbatis Stephani (*An*, 1070.)

42. Tertium a domno abbate Stephano pastorem sortiti sumus Everardum (114) ecclesiæ Florinensis monachum, propter rerum exteriorum experientiam electum, qui parum huic ecclesiæ profuit, quippe qui nec uno quidem anno integro supervixit, sed eodem die quo prædecessor suus obiit, anno tamen revoluto et ipse defunctus est (*An.* 1071). Et quia exterioribus magis quam interioribus deditus erat, sub ipso status sanctæ religionis quasi in aereum sæculum degeneravit. Sepultus est in crypta, ad sinistram scilicet domni abbatis Stephani. Post quem Wolbodo successit ferro potius ex duritia quam ex virtute comparabilis [22].

43. Igitur anno dominicæ incarnationis 1071 regimen pastorale ecclesiæ nostræ Wolbodo suscepit, de quo arbitramur, quod princeps quidem exstiterit, sed Dominus non cognoverit; scilicet propter peccata inhabitantium hoc in loco præesse permiserit; quippe qui nimium confisus gloriæ et nobilitati suæ, quia venerabilium episcoporum sancti Wolbodonis et Reginardi proximus esset et affinis, illum referens patris patruum, istum referens matris suæ fuisse avunculum (115). Unde nimis se extollens, longe se habebat aliter quam conveniret monasticæ professioni. In omni enim habitu suo magis se gerebat ut principem, quam ut abbatem. Cum ergo sancti illi essent in conculcationem et bona ecclesiæ in direptionem, contigit domnum Theoduinum ex hac luce discedere, anno Domini 1075 (*Jun.* 23). Post cujus decessum orta est dissensio inter potentes agendæ electionis et dum plures voluissent episcopi fieri, nulli eorum ut episcopus fieret contigit. Leodienses tamen Theoderico abbati Sancti Huberti, ut ad imperatorem domni Henrici dicti Pacifici (116) ab eis electi electionem referret injunxerunt, quam imperator confirmavit.

44. Henricus igitur ab archiepiscopo Coloniensi Annone, qui cœnobium Sigebergense construxerat (117), 54. Leodiensis episcopus sive Tungrensis est consecratus. A quo etiam adjuratus est sub testimonio collatæ sibi benedictionis, ut ejus quoque verbis utamur: *Per benedictionem*, inquit, *patris tui Annonis obtestor te, ut destruas superbiam et insolentiam abbatis Sancti Laurentii Wolbodonis.* Episcopus autem Henricus ipsum Wolbodonem in spiritu mansuetudinis corripiens, interventu nobilium quorum erat affinis et maxime Wilhelmi Trajectensis episcopi, aliquamdiu distulit et correctionem ejus exspectavit. Cumque nihil sic proficeret episcopus, sed ille ex superbia et indignatione ad deteriora deficeret, constituit diem ad discussionem ejus publicam (*Oct.*): congregataque ecclesia et abbatibus ad hanc diœcesim pertinentibus, consilio et judicio ipsorum **394** jussus est Virduni in monasterio sancti Aggerici subire exilium. Consentit ille primo judicio sapientium; sed locutus cum suis, quod prius promiserat exequi, publica contradictione excusavit. Episcopo exigente [23] ut daretur sententia huic inobedientiæ, decretum est ab omni conventu, ut in sua se recognosceret [24] et ipsam abbatiam libere ad placitum suum disponeret, cujus abbas convictus criminibus nollet ei ad emendationem obedire. Nec moratus Wolbodo ad imperatorem Henricum abiit, cujus

VARIÆ LECTIONES.

[21] *Extrema verba e vita Reginardi interpolata existimo.* [22] *Excerpta e Gestis abb. Trudon. de Adelardo II hic ejeci.* [23] *verbum omissum in priori ed. e Chron. S. Huberti supplevi.* [24] *scil.* sententia.

NOTÆ.

coronam transiit. Qui primus huic Ecclesiæ 33 *annos duos menses et undecim dies præfuit.* Anno 1656, in die elevationis sancti Wolbodonis corpus ejus integrum et incorruptum, ipso etiam monachali habitu illibato indutum inventum est, caput etiamnum canitie venerandum. Ejus epitaphium ex schedis R. P. Cœlestini Lombard subjicere juvat:

Conderis hoc tumulo mortis legem subeundo,
Stephane prime, Pater, jam te retinet pia mater
Hierusalem supera, pax et requies ubi vera:
Nam bene vixisti, gregibus bene consuluisti,
Jam recipis merita, revirescis perpete vita,
Ut tibi jungamur, precibusque tuis mereamur.
Quod lapis hic urget Christo veniente resurget.

Præfuit annos 33, *menses* 2, *dies* 11; *migravit anno Domini* 1058. II *Idus Januarii, Requiescat in pace. Amen.* MART. Sed Theoduini an. 13. m. Jan. incidit in an. 1061, vel si minus accurate computamus, 1060. Eumdem annum invenimus, si annos a fundatione monasterii computamus, quam Ann. Laub. Leod. in an. 1026. ponunt. Diei 2. Id. Ian. etiam in Missali Stabul. Ms. ascriptus est.

(113) Edita est in Mon. SS. IV, 739. Cf. Reinerum De claris scriptor. I. 1.

(114) Cf. Rein, ib. c. 4.

(115) Eadem verba habet Ægid. III, 11. Cæteris Chron. S. Huberti c. 28, 29, usus est. Cf. ejus Præfat.

(116) Propter pacem quam an 1071. 6. Kal. Apr. condidit, v. Ægid. c. 12. Sed hæc postea interpolata esse arbitror.

(117) Eadem habet Ægid. 34. unde sumpta hic ab Adriano inserta videntur. Sequentia partim hinc mutuatus Chron. S. Huberti, c 29, 36, brevius retulit, alia ipse addidit.

violentia adversus episcopum conatus est se tueri. Sed nec precibus regis potuit episcopus attrahi ut eum restitueret, obtestans nolle se episcopatum ad tempus intermittere, quam hujusmodi insolentiam pati sine congrua satisfactione. Igitur adiit Romam apostolicæ sedis expetens refugium. Apostolicus autem litteras episcopo mittit, ut aut illum restitueret, aut depositionem ejus legitimo judicii ordine definiret. Acceptis episcopus mandatis, diem statuit synodi generalis (*An.* 1076.), ut ubicumque sit ille veniat, audiendus canonice, si quid justæ querelæ habuerit. Sed ille non venit in præsentiam, cum jussu episcopi convenisset ex omni episcopio abbatum, archidiaconorum, clericorum, laicorum congregatio valde magna. Petiit igitur episcopus sanctum conventum propter Christum et secundum Christum sibi verum dari consilium. Tunc totus ille conventus Wolbodonem adjudicavit et ut episcopus alium qui dignus esset in locum ejus substitueret consuluit. Episcopus vero rogat virum sanctum abbatem Sancti Huberti Theodericum, ut Deo et sibi det unum de suo grege monachum ad hoc opus idoneum. At ille priorem monasterii sui nomine Beringerum in religione probatissimum, tradit episcopo in abbatem ordinandum. De quo prætereundum non est quod, cum pauper fuisset, Dominus illum de pulvere suscitaverat et quod magis prædicandum est, deposito potente de sede, loco illius humilem exaltavit. Igitur tunc Dominus oves suas post multam earum dissipationem visitavit, cum hic abbas et pastor ordinatus curam earum suscepit (*Sept.* 17.). Concordabat in eo vita cum nomine, et erat vir potens in opere et sermone, fuitque Deus cum eo, et in omni negotio, in omni consilio prospere agebat. Benedixitque Dominus domui huic per illum, et multiplicavit tam in decimis quam in agris cunctam ecclesiæ substantiam. Dei quoque adjutores, qui sæculo renunciaverunt, illi accreverunt, videntes gratiam Dei esse in eo. [Tunc et venerabilis Robertus monachus est effectus.] Interea retribuebantur ei nonnumquam mala pro bonis ab aliquibus ei objicientibus opprobrium Salvatoris : *Nonne hic est filius fabri, et nobili viro honorem suum supplantavit?* Ad hoc accessit, quod Henrico rege pascha celebrante Leodii (118), Wolbodo cum circuita terra redisset a Pulania et Anglia, ipso die sancto paschæ inter missarum sollempnia coram rege procidit, conquirens et regiam auctoritatem implorans. Episcopus autem facti sui vitans invidiam, non abnuit cum illo reverti ad judicium, diemque illi præfigit quo se præsentet in omni querela sua audiendum. Dominus abbas Beringerus hoc audiens, die præfixo, quia Wolbodo more suo non comparuit, coram omni frequentia quæ convenerat, surgit in medium, expositaque ut optime noverat causa sua, pastoralem dimittens baculum, sedit privatus sub abbate suo in loco privatorum. Tunc omnes qui convenerant, in Wolbodonem renovaverunt judicium, hoc addito, quod nec hujus ecclesiæ nec alicujus in hac diœcesi dignus esset prælatione. Berengerus autem rogatus est ab omnibus, et ab episcopo ratione et potestate compulsus, onus arcæ Domini subjectis trahere cervicibus, qui duodecim postea prospere præfuit annis. Wolbodo vero cum rege recessit, et usque ad mortem domini Henrici apud eum permansit.

Iste episcopus dedit sancto Laurentio ecclesiam de Aioncourt et mediam partem villæ cum omnibus appenditiis suis (119) et decimas vinearum in Frangeis [15].

45. **395** Erat (120) tunc temporis in ecclesia Leodiensi canonicus quidam, Olbertus nomine, præpositus Sanctæ Crucis, qui accepta licentia eundi Romam, cum invenisset regem in Italia, apud eum se in ejus curia cum ceteris capellanis contulit, ubi Wolbodoni nostro familiaris effectus, et ab ipso et ceteris regi Henrico commendatus, tantam familiaritatem apud eum adeptus est, ut eum donum episcopatus habentem Leodium, nunciata sibi morte episcopi Henrici (*an.* 1091) remitteret, sic tamen, ut data fide coram rege firmaret, quod tertio die post introitum suum Wolbodonem in hac ecclesia expulso venerabili viro domno Berengero relocaret. Wolbodo igitur trepudians a mercatoribus hujus patriæ pecuniam multam mutuo accepit, quam de ecclesia ista persolveret : unde ipse rex 300 marcas habuit, Obertus autem non parvam inde partem accepit. Itaque fama facti hujus Leodium pervenit, scilicet Wolbodonem advenire, et multas secum divitias apportare. Quæ fama mox ut monachorum attigit aures, mœrebant hi in quibus erat lumen prudentiæ; alii autem qui leves corde erant, cupiditate novarum rerum, nonnulli vero quibus disciplina fuit onerosa, odio præsentis patris tripudiabant. Quid multa? tota civitas repleta est de nobilitate generis et divitiis Wolbodonis. At ille omnium egentissimus pecuniam mutuam acceperat, quam de carne et ossibus monachorum soluturus erat.

46. Venit igitur Obertus Leodium cum eo in vi-

VARIÆ LECTIONES.

[15] *Ejeci quæ Adrianus hic inseruit, sumpta e libro chartarum S. Laurentii, deinde excerpta e Gestis abb. Trudon. et ex Ægidio de Henrico episcopo.*

NOTÆ.

(118) *An.* 1080. vel 1079, siquidem Berengerus postea 12 annis feliciter præfuit.

(119) Conf. Historia S. Petri Eyncurtensis, auct. Adriano de Veteribusco in Mart. et Dur. Coll. IV, 1183, ubi charta donationis servata est, et e « martyrologio mon. S. Laurentii » hæc verba : *Secundo Kalendas Junii commemoratio domini Henrici dicti Pacifici Leodiensis episcopi qui dedit* — *suis*, ut supra. Cæterum illa a Roberto venisse dubito.

(120) Abhinc conferendum est Chron. S. Huberti c.66 seqq. ; sed auctorem ejus ibi nostro usum esse non apparet.

gilli nativitatis Domini (*Dec.* 24); sed nichil agere attemptavit, priusquam in sede sua episcopali benedictione confirmaretur. Ordinatur ergo Coloniæ pridie purificationis beatæ Mariæ, ibique firmata est sententia oportere perfici regis imperium. (*an.* 1092, *feb.* 1). Cumque redisset, evocato domno Berengero coram omni clero et populo cunctisque pæne principibus, non ex sua sed quasi ex regis sententia invitus, edicit oportere ut abeat. Nec erat in tanto conventu, quamquam multos adversarios haberet, quisquam tam audax, qui in eum unquam vel unum sermonis impetum ad extorquendum illi baculum pastoralem jacularet. At ille vir venerandus, exposita ut optime sciebat diligentia quam circa pastoralem curam habuerat, coram eis transiens, per medium illorum ibat. Detestabantur hanc judicii subversionem pæne cuncti tam clerici quam laici, et cum honore eum deducentes, dederunt ei equos ad subvectionem fratrum, qui cum patre suo magis exules esse elegerant, quam sub mercenario vivere vel audire vocem alienorum.

47. Ejectus ergo vir Dei tam venerandus et huic ecclesiæ tam necessarius, venit cum fratribus suis ad abbatem Sancti Huberti Theodericum, qui eum benigne suscipiens et consolans, dedit ei prioratum unum prope civitatem Remensem (121), ubi per tres annos et dimidium moratus est ingens exul, cunctis qui eum noverant valde gratiosus, Deoque devotus. Percusso igitur pastore, susceptus est infelix ille mercenarius cum infaustis canticis, monachis illud responsorium canentibus: *Deus domini mei Abraham, dirige viam meam*, etc. O infaustum diem illum quem tantæ tenebræ sunt secutæ! Sequenti etiam die exceptus est Lupo ille Hasbaniensis, qui de ecclesia sancti Trudonis fecerat speluncam latronum. O vere tempora infelicia! Nam cum Wolbodone veniens statim se ostendit armata egestas, ita eum debitis exagitantibus, ut feram rapidam fames valida exasperat. Et quidem primo in pauperem ecclesiæ familiam durus exactor incubuit, nunc prece, nunc dura lege placiti prædam faciens ex eorum substantiis; deinde fundos ecclesiæ, decimas quoque paulatim oppignerat, partim vendens in perpetuum alienat, nonnulla sub conditione annui census emancipat, alia in beneficium alienis heredibus donat. Quod videntes monachi cœperunt se invicem rixando detestari, abbatem Beringerum hæc omnia prædixisse referentes; ejusque beneficia recolentes, eorum ingratitudinem arguebant. Principes etiam hujus patriæ simul cum Godefrido duce consilium inferunt, et Oberti animum vix obtinuerant, ut domnum Beringerum remandaret, et domum istam de manu tanti prædonis eriperet. At episcopus demandato Wolbodone coram facta ejus arguebat; sed ille improvisus, vix usque in crastinum induciis impetratis, locutus est cum senioribus monachis qui partem ejus foverant, et conficta qua potuit purgatione, et dictorum seniorum armatus defensione, revertitur ut qui nocebat noceret adhuc. Ipsi enim trepidabant timore ubi non erat timor, scilicet ne si domnus Berengerus abbas reverteretur, in ipsos, quia quodammodo causa commotionis fuerant, tantum malum retorqueret. Quapropter potentibus exasperatis, crevit circa locum despectio, et facti sunt despicabiles monachi in oculis omnium timentium Dominum.

48. Domnus vero Berengerus et qui cum eo erant, prædicabantur et laudabantur ab omnibus, et veniebant ad eum omnes qui illi detraxerant, in tantum quod etiam Girardus (122) Trajectensis episcopus ejus gratiam requirens, eum **396** dignis muneribus honoravit, suam operam ad sublevationem hujus ecclesiæ repromisit, sicut et postmodum fecit. Sed cum omnibus esset gratiosus, soli Oberto factus est odiosus, quia illi imputabat quod nomen suum famosum ubique opprobriis coopertum esset. Interea Deo volente vexatio dedit intellectum auditui, et licet diversa intentione, uno tamen igne discordiæ cœperunt omnes monachi simul contra Wolbodonem ardere. Crepitum incendii tota civitas audivit, et ipse episcopus ad extinguendum festinus occurrit. Quod semel et iterum atque tertio frustra temptatum est. Nam monachi cœperunt Wolbodonem tamquam simoniacum detestari, improperantes ei quod quondam abjudicatus, nunc per pecuniam introductus in bonis Ecclesiæ tyrannizaret. Tunc episcopus qui stulte se ipsum prodiderat, partem se pecuniæ illius habuisse, totus contra monachos insurgit. Quod videntes monachi, communibus supplicationibus in communi statutis, prosternebantur singulis noctibus in crypta ante altare beatæ Mariæ Virginis, et ad tumulum sancti episcopi Wolbodonis; quod acceptum fuisse supernis revelationibus indicatum est. Nam vidit quisquam navim cum monachis in mari turbatam, a beata Maria ad littus perductam fuisse, sanctumque episcopum Wolbodonem ad altare sancti Laurentii sacrificium laudis obtulisse, et baculum pastoralem Wolbodonis in manu ejus fractum per innumeras partes dissiluisse.

49. Obertus episcopus monachis aversus, eo quod de simonia fecissent mentionem, in feria quarta dominicæ passionis (*an.* 1095. *Mart.* 21), cum nullo imperio, nullis clamoribus flecti possent ad subjectionem Wolbodonis, qui se a communione ejus abscindentes, et se invicem cohortantes, perseverantiam sibi mutuo firmatis animis devoverant, nec ipsis manibus temperavit, et quosdam de prioribus violenter laicis tradidit abducendos; quos cum his furiis vincere non posset, tradidit eos Stephano abbati Sancti Jacobi, ut apud illum exilio detine-

NOTÆ.

(121) Ebernicicurtem.

(122) Conradus tunc episcopus Trajectensis erat.

rentur. At illi qui relicti fuerant, dispersi sunt in capite omnium platearum. Tandem navim ingressi, qui tam ex ipsis ad episcopum Trajectensem pervenerant; et paulo post jussit episcopus omnes de finibus suis exire, quia inobedientes sibi essent. Qui navim conscendentes, longo navigio ad abbatem Beringerum pervenerunt; quos ille in pacis osculo benigne suscepit, et consolatus est; et sic ecclesia ista per trium mensium spatium, dispersis filiis, desolata permansit (123).

50. Tandem suscitavit Dominus spiritum Godefridi ducis [de Bulbon] et principium hujus patriæ, ut Oberto episcopo quamdam vim rationabiliter inferrent. Nam cum obsessurus castrum Clarummontem eorum auxilium flagitasset, responderunt sibi non esse tutum suas vel suorum animas pro eo mittere in periculum, timendumque esse ne pro eo morientes damnarentur, quia ipsis consentientibus destructis ecclesiis servos Dei suis effugasset sedibus. Tunc ille Wolbodonem ad se vocatum repente dejecit, detinens eum apud se, et sperans quod abbatem Beringerum callide repellere posset, quem cum fratribus suis revocavit. Revocatus autem Berengerus omnes fratres suos præmisit, et tam vigilanter et industrie eos dispersos conservavit, ut non perderet ex eis quemquam. Omnes igitur fratres qui A cum eo vel post eum ex hoc loco recesserant, una die simul iterum redierunt, quæ erat vigilia beati Laurentii patroni nostri gloriosi (Aug. 9). Unde divinum officium diu intermissum, a primis vesperis solemnitatis ipsius martyris inchoantes resumpserant. Dominus autem abbas Beringerus post fratres veniens, se episcopo coram clero et populo præsentavit; qui jussus reverti in locum suum, non acquievit, donec cunctas donationes Wolbodonis exigeret irritas fieri. Quod statim factum ad magnum commodum huic ecclesiæ provenit. Nam quæ gratis data fuerant, quamvis non sine multorum odio, gratis recepit. Quæ vero pretio distracta fuerant, pecuniis undecunque quæsitis magno labore redemit, et se ipsum suavissimo Christi jugo subiciens, B filios suos secum inter angustæ illius viæ, quæ ducit ad vitam, semitas tam exemplis quam documentis coarctabat. Nullus alicui evagandi locus et a sanctæ religionis tramite exorbitandi sub eo erat. Quapropter Dominus multorum se timentium corda tetigit, ut in redimendis prædiis quæ per Wolbodonem pretio distracta vel vendita fuerat manus illi liberaliter porrigerent adjutrices. Unde in brevi temporis spatio quicquid per Wolbodonem perperam gestum fuerat, Deo juvante solerti pastoris diligentia restauravit.

NOTÆ.

(123) Usque ad d. 9 Augusti, cum Berengerus tres annos et dimidium exsul fuisset. Hæc bene inter se conveniunt, et an. 1096 Berengerus redux scriptum edidit de conditis in altari reliquiis S. Laurentii, quod Adrianus hic annexuit. Itaque epistola Urbani II ad Berengerum exsulem in Mart. Coll. I, 553, e concilio Placentino potius quam Claromontano data est. De obsidione Clarimontis, ad Mosam siti, cf. Chron. S. Huberti c. 78. et Ægid. c. 19 : *Item Clarimontis castellum beato Lamberto multo pretio acquisivit.*

EPISTOLA MENGOZ CANONICI

AD RUPERTUM.

Remittit ipsi libros suos, quos laudibus effert.
(MARTENE. *Anecdot.* I, 290.)

Domino et amico ROBERTO, venerabili abbati Tuitiensi, MENGOZ, canonicus Sancti Martini, salutem in Domino.

Libros vestros, sicut mandastis, per præsentem nuntium remisi; quibus perlectis, et aliquoties retractatis, gratias retuli Patri luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, cujus Spiritu cor illuminatum, tanta in Scripturis sacris meditari, et vivacis styli lepores depingere potuit ad instructionem tam posteritatis quam præsentium. Etsi enim ab aliis eadem tractata videantur, non tamen eo, aut tam convenienti modo, nec ita directe, quia, dum omnia ad finem assumpti laboris et propositi aptissime referuntur, eo ipso nova et miranda videntur, sicut in libro *De victoria Verbi Dei*, in quo ab initio sæculi usque ad consummationem, victoria Verbi in singulis et in omnibus tam magnifice de- D claratur, ut, cum alibi sparsim eadem cognoverim, hic vero mihi videar velut ad novi certaminis spectaculum admissus, pro ipsa convenientissima direptione assumptæ materiæ stupidus spectator et attonitus mirator. Ego in libris vestris, quantos adhuc legi, nihil omnino reprehendere volo aut jure possum, in quibus tot bona invenio, ut in tam pulchro corpore leves maculæ non dedeceant, sicut quidam detrectant quod dicitis angelos de aere factos, et illum primum angelum patrem superbiæ et mendacii diu adversus Deum mente intumuisse, et sequacibus suis apostaticis spiritibus idem persuasisse, donec tandem a Patre Deo per victoriam Verbi Dei de regno cœlorum ejiceretur, et de collegio sanctorum angelorum Spiritu Dei exsufflaretur,

quorum rationes et argumenta referre supersedeo, quia ubi de creaturis disputatur, diversis, et aliquando contrariis opinionibus fidelis animus non movetur. Benedictus Deus, quod a fide, qua justus vivit nunquam exorbitastis, quantum adhuc legi et percipere potui. Creatura creaturæ aut sibi, quantum in ipsa est, salus esse non potest ; Deus autem salus est et vita omnium. De Deo igitur contraria, A aut quæ non sunt, diffinire perniciosum est ; de creaturis vero aliquid ignorare, aut diversa opinari, periculum non est. Pater mi, ego de tuis scriptis ita sentio, ut optem te diu vivere, diu studere, diu scribere, quia vita tua, studium tuum, scriptura tua, magnam utilitatem pariunt præsentibus et futuris. Cum opportunum vobis fuerit, reliqua opuscula vestra mihi transmittite. Valete.

DISSERTATIO CHRONOLOGICO-HISTORICA

DE VITA ET SCRIPTIS RUPERTI.

(*Histoire littéraire de la France par des religieux bénédictins de la congrégation de Saint-Maur*, t. XI, p. 422.)

§ I. *Histoire de sa vie*

Nous ignorons qu'elle a été la patrie de Rupert (124), l'un des plus célèbres écrivains du XIIe siècle. Quelques recherches qu'ait faites sur ce sujet Mathias Agricius Wulichius, il n'a pu la découvrir. Trithème et Cochlée ont cru qu'il était Allemand. L'éducation qu'il reçut dès l'enfance dans le monastère de Saint Laurent, près de Liége, a persuadé à D. Mabillon (125) qu'il était de cette ville, ou du territoire. Quoi qu'il en soit de la patrie de Rupert, il fut dès sa plus tendre jeunesse offert à Dieu dans le monastère de Saint-Laurent de Liége, de l'ordre de Saint-Benoît, où il fut elevé, ayant pour maître, dans la discipline monastique, Bérenger qui en était abbé ; et dans les lettres, Héribrand, qui succéda dans la suite à Bérenger. Comme Rupert avait naturellement peu d'ouverture d'esprit et de disposition pour les sciences il y faisait peu de progrès : mais ayant eu recours à la mère de la Sagesse incréée, il en obtint une si grande facilité qu'il n'y eut personne de son temps qui l'emportât sur lui (126). Alors il s'appliqua à l'étude avec beaucoup de succès. Pour se former un style, il mettait tantôt de la prose en vers, tantôt des vers en prose, et il réussit à s'en former un qui est meilleur ou moins mauvais que celui de la plupart des écrivains de ce siècle. Etant arrivé à un âge plus avancé, il se livra tout entier à l'étude de la théologie. Mais, en s'y livrant, il ne perdit jamais de vue les obligations de son état ; au contraire, il n'en fut que plus exact à assister aux offices divins et à remplir tous les devoirs de la vie religieuse, bien loin de regarder l'étude comme une raison légitime de s'en dispenser (127). L'ardeur qu'il avait pour la lecture des livres saints était si grande, qu'elle l'empêchait de reposer. On voyait par le mouvement de ses lèvres qu'il se rappelait, même pendant le sommeil, ce qu'il en avait lu dans la journée.

Lorsqu'il se fut perfectionné dans les sciences et dans la piété, Bérenger, son abbé, voulut le faire B élever au sacerdoce. L'humilité de Rupert y mit d'abord obstacle (128) ; car, s'en jugeant indigne, il allégua diverses raisons pour se dispenser d'obéir, jusqu'à ce qu'ayant connu la volonté de Dieu par une vision qu'il eut, il déclara à Bérenger, sans lui faire connaître la cause de son changement, qu'il ne lui résisterait plus, et qu'il était prêt de se soumettre au joug qu'il voulait lui imposer. L'abbé le félicita, et lui fit recevoir la prêtrise.

D. Mabillon croit qu'il ne la reçut qu'après la mort de l'antipape Guibert, arrivée au mois de septembre 1100, parce que outre qu'il s'en croyait indigne, il fuyait les évêques schismatiques, et ne voulait point recevoir de leurs mains l'ordination.

Le sacré caractère fut pour Rupert une source abondante de lumières, comme il le témoigne. Dès lors il s'appliqua à composer des ouvrages, et commença par ses livres *Des offices divins* qui sont au C nombre de douze. Il travaillait au huitième l'an 1111, comme on le voit par l'épître dédicatoire à Cunon, qui fut dans la suite évêque de Ratisbonne.

Les productions de notre auteur ne furent pas à l'abri de la contradiction et de la critique (127) : pourquoi, disaient quelques-uns, tant d'écrits ? Les ouvrages des SS. Pères nous suffisent ; nous ne pouvons pas même lire tout ce qu'ils ont écrit ; beaucoup moins ce que ces gens inconnus et sans autorité écrivent de leur tête. Outre ces plaintes générales, qui ne regardaient pas moins les autres écrivains de ce siècle que Rupert, on en fit de particulières contre lui ; il eut même, avec deux hommes des plus fameux de ce temps, des démêlés considérables, dont nous aurons occasion de parler.

L'abbé Bérenger, qui avait une tendre affection pour Rupert, se voyant proche de la mort, et craignant qu'Héribrand son successeur n'eût pas assez D de fermeté pour le défendre contre les traits de ses envieux (130), le recommanda à Cunon ou Co-

(124) Il est constamment nommé *Robert* dans la Chronique de Saint-Tron, qui parle de lui avec éloges. D'autres écrivains l'appellent aussi Robert. Ce nom est le même que Rupert (*Spic. t.* VII, *p.* 485).

(125) *Ann.* lib. LXVIII, n. 44, p. 301.

(126) *Ann.* ibid ; *Bib. Belg.* p. 1087, nov. ed. Mart. *Voy. litt.* p. 190. Alex. *hist. eccl.* t. VI p. 520.

(127) Pez. *Anecd.* t. IV. part. 3, p. 25.

(128) Rup. lib. 12. in Matth.

(129) Rup. ep. ad Cun. Mab. *Ann.* t. V, p. 562.

(130) *Ann.* ib. t. V, p. 588.

non, abbé de Sibourg, dans le diocèse de Cologne.

Non seulement cet abbé accorda sa protection à Rupert, qui, après la mort de Bérenger, arrivée en 1113, se retira à Sibourg, mais il lui procura encore celle de Frédéric, archevêque de Cologne, et de Guillaume évêque de Palestrine, légat du saint siége. Ces trois protecteurs, considérant la piété et la science de Rupert, ne se contentèrent pas de l'honorer de leur amitié et de leur protection contre les envieux qui le poursuivaient toujours, ils l'excitèrent et le pressèrent même d'écrire; ce qu'il fit. Il répondit aux plaintes de ses adversaires, composa un traité *De la volonté de Dieu*, et fit d'autres ouvrages très-importants, dont nous rendrons compte dans la suite. Il suffit de dire ici que la jalousie de quelques disciples d'Anselme de Laon et de Guillaume de Champeaux donna occasion à quelques uns de ses écrits, et fut proprement l'origine de leurs disputes. Trop zélés partisans de la réputation de leurs maîtres et trop humainement attachés à eux (ce qui n'est que trop ordinaire, et ce qui cause souvent de la division, comme on l'a vu même du temps des apôtres) ils trouvaient fort mauvais qu'un moine, qui n'était jamais sorti de son cloître, osât penser autrement qu'eux, et prît la liberté d'attaquer le sentiment de ces maîtres fameux qui attiraient à leurs écoles tous les plus savants hommes, non-seulement des extrémités d'un vaste royaume, mais même des pays étrangers. De là les plaintes contre Rupert, tant de la part des disciples que des maîtres mêmes, qui ne voyaient pas sans peine que leur sentiment fût combattu. L'amour-propre n'est jamais entièrement éteint, même dans les gens de bien. L'éclat des vertus extérieures et le bruit de l'applaudissement empêchent souvent qu'on ne s'en aperçoive, et qu'on ne voye et qu'on n'entende ce qui se passe dans le cœur. Anselme, quelque piété qu'il eût, fut piqué au vif contre Rupert à cause du traité *De la volonté de Dieu*, et écrivit à Héribrand pour s'en plaindre (131), le regardant comme l'abbé de Rupert, quoique celui ci demeurât à Saint-Laurent de Liége. Héribrand, ayant reçu la lettre d'Anselme, fit venir Rupert à Liége pour rendre raison de sa conduite. Ce religieux exposa ses sentiments en présence du doyen de l'église de Liége et d'autres gens habiles, qui les approuvèrent, et il composa ensuite un nouvel ouvrage *De la toute-puissance de Dieu*, contre Guillaume de Champeaux et Anselme.

A Veteris Testamenti auctoritate fulciatur. Quiddam enim huic simillimum antiqua nobis refert historia. Nam introductis quondam filiis Israel in terram promissionis, filii Ruben et filii Gad et dimidia tribus Manassen, ad sortis suæ terram redeuntes cum ad Jordanis tumulos pervenissent, infinitæ magnitudinis altare construxerunt. Præceperat autem Dominus in lege, ut filii Israel ad celebrandum sacrificiorum ritum unum omnes communiter altare haberent in loco, quem ipse ad invocandam majestatis suæ potentiam elegisset. Qui locus tunc celeberrimus habebatur in Silo (*Deut.* XII, *Judic.* XX). Cum autem hoc factum Rubenitarum et Gadditarum filiis Israel innotuisset, graviter adversus illos, utpote legis prævaricatores, commoti, ad puniendam in eis hujus B enormitatis audaciam, arma corripiunt. Provido tamen usi consilio, interim ab effusione fraterni sanguinis manus continuerunt, donec præmissis ad illos singulos tribulos [tribus] legatis, per eorum explorationem tanti ausus cognoscerent occasionem. Qui cum venissent, eos cur contra legis vetitum in scandalum et ruinam totius Israelis altare præsumpsissent exstruere, redarguentes, hujuscemodi responsum ab eis acceperunt: *Fortissimus Deus, Dominus ipse novit, si prævaricationis animo altare hoc constructum est, non custodiat nos, sed in præsenti puniat, et si ea mente fecimus, ut holocausta et sacrificia et victimas pacificas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet, et non magis cogitatione atque eo tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Deo Israel? Terminum posuit* C *inter nos et vos Dominus, o filii Ruben et filii Gad, ad Jordanem fluvium, et idcirco partem non habetis in Domino, et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius et diximus: Struamus nobis altare non in holocausta, neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos et vos, et inter sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino* (*Jos.* XXII). Sicut ergo isti altare construxerunt, non ut in eo victimas et holocausta immolarent, sed ut se suamque posteritatem ad sortem populi Dei tali testimonio pertinere demonstrarent: ita et nos simili ratione crucem Christi in magna quidem reverentia propter in se pendentem habemus, cui tamen divinitatis cultum nequaquam exhibemus, sed sicut illis altare, ita D nobis crux in testimonium fabricatur, quatenus dum in ea redemptionis nostræ pretium pependisse consideramus, per ilud nos ad sanctorum societatem et æternam cœlestis Jerusalem hæreditatem pertinere gaudeamus. Sicque Robertus omnibus objectionibus meis tam pulcherrimis rationibus, quam validissimis Scripturarum auctoritatibus, eas velut quandam tetræ noctis caliginem clarissimis responsionibus [responsionum] suarum radiis propellebat. Sed miser ego more aspidis surdæ et obturantis aures suas suavissimæ incantationis suæ verba auribus cordis non percipiebam, nec mentualibus oculis, quos judaicæ cæcitatis caligo obduxerat, lumen veritatis

intueri non poteram [intueri poteram]. Verum cum nimis longum est omnem nos hujus nostræ disputationis seriem texere partim ea hic attigisse sufficiat. Nunc susceptum historiæ discretionis exsequamur negotium

CAP. V. — *Quod eum ad fidem Christi charitas et fides cujusdam plurimum incitaverit.*

Occurrit hoc loco rei cujusdam memoria, quam etiam hic inserere dignum existimo, tum scilicet quod sui dulcedine magnum mihi conversionis præbuit incitamentum, tum etiam quod perfectæ charitatis et fidei non fictæ præclarum imitandumque legentibus conferre potest exemplum. Habebat sæpedictus pontifex Ekebertus quemdam domus suæ provisorem, vocabulo Richmarum, virum, ut mihi satis probatum est, in omni conversatione sua valde religiosum. Huic die quadam episcopus inter prandendum dimidiam similiam assamque esocis portionem per dapiferum, suum, ut dominis moris est, destinavit. Ille vero, sicut erat homo pietatis affectu plenissimus, quæ missa sibi fuerant, ante me, nam juxta eum sedebam, cum summa alacritatis charitate deposuit, ipseque pane tantum et aqua juxta consuetudinariam sibi religionem contentus permansit. De qua re ego non tantum gratulatus, sed etiam vehementer admiratus sum, quod scilicet homo, quem prorsus exlegem et sine Deo putabam, tantam charitatis posset habere virtutem, præsertim erga me, quem simili modo, velut suæ sectæ inimicum, detestari magis poterat quam amare, justa nimirum antiquæ legis censura qua dicitur: *Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum* (*Matth.* v; *Lev.* XVIII). Sed veræ ut ipse evangelicæ legis discipulus, qua dicitur, *Diligites inimicos vestros* (*ibid.*), et cætera, sciebat non tantum ad domesticos suæ fidei, verum etiam ad omnes homines bonum operari (*Gal.* VI). Unde et mihi indigno sedula suæ dilectionis beneficia exhibebat meque blandis assidue colloquiis exhortando et obsecrando a paterno errore avellere, et Christo lucrifacere satagebat. Sciebat quippe, Jacob apostolo dicente, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvaret a morte animam suam, et operiret multitudinem peccatorum suorum (*Jac.* v). Verum cum se ex his pietatis artibus adamantinam cordis mei duritiam emollire non posse conspiceret, illud de me ratus, quod quodam loco testatur apostolus, quod, inquiens, Judæi signa quærunt (*Matth.* XVI), hanc mihi proposuit conditionem constantissime, ut si ferrum ignitum nuda, ut fieri solet, manu in fidei suæ argumentum bajulans nullum sensisset incendium, ego de corde meo totius infidelitatis detersa caligine sacri baptismatis fideliter subirem remedium. Sin autem manus ejus adustionis recepisset vestigium, mei rursum esset arbitrii, quid agere, quid eligere vellem, se vero super hac re ulterius non suasurum. Hac itaque illius constantissima propositione gratanti a me animo suscepta, ipse jam quasi de mea conversione securus lætissimus redditur, præsulemque festinanter expetens orat, ut ad celebrandum hoc fidei spectaculum, ferrum exorcizandum [exorcizare] dignaretur. Sed quod miserendi mei tempus nondum advenit, ipse contra spem piæ hujus petitionis suæ effectum non obtinuit. Siquidem episcopus, tametsi magnam in illo fidei constantiam mirabatur atque laudabat, tamen hanc ejus postulationem non tam piam quam inordinatam esse altiori discretionis suæ perpendens libramine, modesta cum responsione corripuit dicens; eum quidem in hac re zelum Dei habere, sed non secundum scientiam (*Rom.* x), hujusmodi examinationibus Deum nullatenus esse tentandum, quin potius exorandum, ut ipse, *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II), quando et quo modo vellet suas misericordissima pietate nodos infidelitatis dissolvere et ex magistro erroris discipulum veritatis dignaretur efficere. Cæterum autem, ait, hujus rei gratia signum aliquod a Deo tibi nec petendum, nec magnopere exoptandum est, cum unique ejus omnipotentiæ facillimum sit absque omni miraculo sola occulta gratiæ suæ visitatione convertere, quem voluerit, et otiosum sit signum, quod visibiliter foris exhibetur, si ipse per gratiam in corde hominis invisibiliter non operetur. Et multos enim absque signis conversos, innumeros vero etiam post visa miracula legimus infideles perstitisse. Sciendum præterea, ait, fidem, quæ miraculis persuadetur, vel nullum tibi, vel minimum meritum habere, illam vero, quæ sine ullo miraculorum incitamento simplici pietate et pia simplicitate suscipitur, excellentissimi coram Deo meriti summæque laudis existere, teste fidei ipsius auctore Domino nostro, qui in Evangelio suo regulum infidelitatis arguit, *Nisi*, inquiens, *signa et prodigia videritis, non creditis* (*Joan.* IV), et centurionis fidem, quam, priusquam signum videret, credidit, imo per quam potius signum accipere meruit, adeo laudis suæ præconio extulit, ut ne in Israel tantam fidem invenisse se diceret (*Luc.* VII). Hinc est etiam quod post resurrectionem suam Thomæ infidelitatem, quam non nisi palpatis suorum cicatricibus vulnerum, poterat credere, ex obliquo commemorans, quod, inquit (*Joan.* XX), *vidisti me credis*, quodque subdendo, *beati qui non viderunt*, etc., illorum fidem commendavit, quos in se per solum prædicationis auditum credituros esse prævidit. Sic doctor egregius pactum nostræ conventionis, ad cujus effectum pari utique aviditate suspensi tenebamur, non episcopali sua auctoritate prohibendo, sed manifesta rationum veritate dissuadendo diremit. Ut ergo opusculum hoc pia intentione legentes, ex ejus lectione non minimæ utilitatis fructum consequantur, et in ipso episcopo magnæ discretionis, in ejus autem dispensatore admirandæ fidei et perfectum charitatis præcipuum imitentur exemplum ut quomodo ipse non me velut perfidum et Christiano consortio indignum, exsecratus est, sed mihi potius ac si Christiano suæ charitatis ac pietatis stu io (*sic*) judaici seu cujuslibet erroris homines nequaquam, ut quibusdam mos est, conspuentes, abhorreant, sed ut vere Christiani,

hoc est Christi pro suis crucifixoribus exorantis imitatores benigne ad eos sinum fraternæ charitatis expandant. Quia enim, ut ait Salvator, *salus ex Judæis est* (*Joan.* IV), attestante quoque ejus apostolo Paulo, quia *illorum delicto salus est gentibus* (*Rom.* XI), digna omnino et Deo placita vicissitudo est, Christianos, quantum possunt, pro salute illorum satagere, ex quibus ipsi æternæ salutis auctorem Jesum Christum meruerunt suscipere. Quod si dilectionem suam et ad eos jubentur extendere, a quibus pertulerunt malum, quanto magis ad eos debent, per quos venit generale bonum ? Confirment igitur ad illos charitatem eorum, quantum valent, necessatibus communicando ac totius eis forma pietatis existendo, quatenus quo verbo non possunt, lucrentur exemplo. Vere enim, ut quidam ait, exemplo melius quam verbo quisque docetur. Sedulas quoque ac simplices pro ipsis ad Patrem misericordiarum preces effundant, si forte, ut ait Apostolus, *det illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim.* II). Sed his per digressionem non inaniter, ut spero, aut inutiliter dictis, jam nunc ad exsequendum per ordinem id quod cœpimus revertamur.

CAP. VI.— *Qualiter cum episcopo Eckeberto ad claustrum Kapenbergense veniens, visa fratrum conversatione sit compunctus.*

Cum eidem adhuc venerabili antistiti exspectatione recipiendi debiti adhærerem, et cum eo sæpius diversa episcopatus sui loca invisente pergerem, contigit me quodam secum tempore ad Capenbergeuse cœnobium devenire. Hic autem locus in montis fastigio constitutus castro quondam per totam Westfaliam opinatissimo fuerat insignis. Cujus magnificæ ac regiæ generositatis comites, Godefridus et Otto, germani, roseo adhuc primævæ ætatis flore vernantes, divitiis ac totius sæcularis pompæ voluptatibus affluentes, igne divini amoris accensi, quidquid in hoc mundo deliciarum vel habebant, vel habere poterant, alacri devotione pro Christo reliquerant ipsumque castrum cum sufficientissimis patrimonii sui prædiis Deo in simplicitate cordis sui læti offerentes, in monasterium illud clericorum regulam beati Augustini tenentium commutarunt. Scientes autem perfectorum esse, non solum sua, verum etiam semetipsos relinquere (*Matth.* XVI, 19), ipsi evangelicæ perfectionis ferventissimi æmulatores cum suis omnibus semetipsos pariter abnegaverunt, assumptoque ejusdem perfectionis habitu, suas mansuetissime cervices alicui moderaminis jugo submiserunt, ita cunctos fratres totius abjectionis humilitate prævenire certantes, sicut eos prius sæculari dignitate præcesserant. Istuc, ut dicere cœperam, veniens, in hac Christi fidelium societate ex omnibus [hominibus] variæ conditionis diversæque nationis collecta, Isaiæ de Christi temporibus prophetiam cernebam spiritualiter impletam quam ad erroris mei munimen carnaliter putabam in Christi adventu complendam. *Vitulus*, inquit, *leo et ovis simul pascentur, et puer parvulus minabit eos* (*Isa.* XI). Per quam prophetiam usque hodie Judæi perfidiam defendunt, ut, quod carnaliter hoc, quod prædictum est, non vident impletum, eum adhuc venisse diffidant, de cujus fuerat adventu prædictum. Sed cum indifferenter ibi prudentes et idiotæ fortes et invalidi, nobiles et ignobiles, divini verbi pabulo pariter alerentur, quid nisi vitulus, leo et ovis simul pascebantur ? Quos etiam puer parvulus minabat, quod videlicet eos spiritualis Pater malitia quidem parvulus, sensu vero perfectus, Christi vice gubernabat. Horum itaque comitum ac cœnobitarum religiosam cernens conversationem ignominiosam, ut ego sensi, rasuræ vel tonsuræ decalvationem, habitus abjectionem multimodam, carnis macerationem, orationum et vigiliarum continuationem, miser ego et miserabilis tanto eos infeliciores reputabam, quanto hunc eos sine remunerationis fructu laborem vana spe perpeti existimabam. Sicut enim, verbi gratia, si quempiam hominum velociter quidem, sed ignorata via, per avia currentem, aspiciens, tanto eum judicarem miseriorem, quanto ipsa cum cursus sui velocitate cernerem a via remotiorem, ita nimirum et hos fortiter quidem per varia laborum exercitia, sed sine regia, ut putabam, legalium observationum via currentes, miserabiliores omnibus hominibus miserando potius, quam detestando censebam, utpote qui inani se in hac vita affligerent labore, et post hanc vitam non solum nullam præteritæ afflictionis suæ consolationem apud Deum judicem inventuri, verum etiam æternæ ab illo damnationis sententiam, velut increduli et infideles certissime essent excepturi. Itaque intime eis, tanquam miseris, ego potius vere miser humano affectu condolens, altaque ex imo corde suspiria trahens, cœpi talibus intra me pro ipsis quæstionibus, quasi contra Deum argumentari: Quænam est, o Domine, tanta tamque investigabilis tuorum abyssus judiciorum, ut hos doctissimos famulos tuos te in toto corde suo exquirentes, a mandatis tuis repellas, eisque errantibus viam veritatis tuæ, per quam ambulantes salvari possunt, abscondas, qui contemptis omnibus mundi delectationibus te solum sequendum, te diligendum elegerunt, omnemque curam suam fiducialiter in te jactaverunt, pro cujus amore tantorum jugiter laborum martyria, ipsa quoque morte graviora, perferunt. Non est tuum, qui judicas orbem terræ in æquitate, cujus *universæ viæ misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV), non est, inquam, tuum, ut tibi famulantes averseris, te diligentes abomineris, te quærentibus, te nosse affectantibus occulteris. Tua quippe vox est, illa quæ dicit : *Ego diligentes me diligo* (*Prov.* VIII), et cætera. Tu quoque vocem illam misericordiæ plenam per os prophetæ promisisti : *Nolo mortem peccatoris sed magis, ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Qui ergo vitam peccatorum te desiderare demonstrans, eos ut vivere possint, ad

conversionem invitas, dignum omnino et tuæ, cujus misericordiæ non est numerus, bonitati est congruum, ut ad hos fratres jam ad te per distinctam pœnitentiam conversos, tu etiam benignissima miseratione tua convertaris, sicut alibi per prophetam, promittere dignatus es: *Convertimini*, inquiens, *ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I). Juxta cujus promissionis, vocem triduanam Ninivitarum olim pœnitentiam suscepisti, jamque imminentem eis ultionis tuæ gladium parcendo misericorditer avertisti (*Jon.* III), tali scilicet exemplo paterniter ostendens, quam patienti affectu peccatorum pœnitentiam atque salutem desideres. Tu enim, Domine, suavis et mitis et multæ miserationis omnibus invocantibus te (*Psal.* LXXXV). Et si omnibus, quanto magis his servis tuis, non triduanam, ut illi quondam Ninivitæ, sed continuam pœnitentiam agentibus, atque pro amore tuo non solum mundum et ea, quæ in mundo sunt, verum etiam, quod multo difficilius est, semetipsos in omni humilitate et abjectione despicientibus. Dum ergo ista mecum gemebundus tractarem, et pro illis claustralibus quodammodo, si dici fas est, cum Deo judicio contenderem, grandis continuo cordi meo de contrariis atque diversis a se Judæorum et Christianorum legis ambiguitatis ortus est scrupulus. Quia enim Deo, cujus natura bonitas, cujus judicium misericordia est, optime videbam congruere, ut servis suis, vere juxta vocem psalmi tota die pro se mortificantibus (*Psal.* XLIII) viam veritatis demonstraret, titubare intra me cœpi et cogitare, ne forte, Judæis errantibus, per viam mandatorum Dei currerent Christiani, si, inquiens, legalium adhuc rituum illi observantia placeret, non adeo eorumdem observatores Judæos gratiæ suæ destituisset auxilio, ut eos bonis omnibus patriaque proscriptos per omnes terræ nationes longe lateque dispergeret. Quo contra si sectam Christianæ religionis exsecraretur, non eos per orbem terrarum in tantum dilatari et confortari pateretur. In hujus itaque dubietatis constitutus ancipiti, quo me verterem, cui me potissimum viæ crederem, incertus eram, quod eorum exitus, qualis esset, penitus ignorabam. Dum ergo sic hærens maximas in corde meo dissidentium inter se cogitationum pugnas sustinerem, recordatus eorum, quæ dudum de conversione beati Pauli a Christianis tam clericis quam laicis audieram, quomodo scilicet mira Dei clementia ad fidem catholicam vocatus Ecclesiæ fuerit prædicator et propugnator constitutus, quam antea tyrannica fuerat crudelitate persecutus (*Act.* IX), tota mox ad Deum mente conversus, eum sum lacrymabiliter deprecatus, ut si ipse Christianæ religionis auctor existeret, mihi hoc vel per occultam inspirationem seu per somnii visionem, vel certe, quod efficacissimum arbitrabar, per signum aliquod visibile revelaret, et qui Ecclesiæ [ad Ecclesiæ] suæ ovile Paulum traxit apostolum etiam suo stimulo superbe recalcitrantem, ad illud me perduceret, suis humillime precibus obtemperantem. Deus autem justæ petitionis pius semper exauditor, diu quidem hoc meum distulit, sed non abstulit desiderium, quod postmodum non solum implere, sed etiam amplioribus gratiæ suæ donis dignatus est accumulare, sicut rerum exitus comprobavit.

CAP. VII. — *Quomodo eum ad parentes reversum Judæus sibi in custodem delegatus accusaverit.*

Post hæc itaque paschali superveniente festivitate, debito mihi ab episcopo restituto, ad Coloniensem, ubi manebam, metropolim, una cum illo æmulo meo Judæo sum reversus. Quod ut dudum mihi fuerat comminatus, parentum et amicorum meorum suis erga me accusationibus plurimum infirmavit affectuum, asserens, me contra licitum tanta Christianis sedulitate ac familiaritate adhæsisse, ut jam non Judæus sed Christianus existimari potuerim, nisi simulata pietate paternam religionem habitu solo mentitus fuissem. Deus autem ultionum Dominus (*Psal.* XCIII) dignam mox ei pro hac maligna accusatione sua ultionem reddidit, quod juxta propheticam vocem duplici eum contritione contrivit (*Jer.* XVII). Statim namque gravi febrium dolore correptus infra quindecim dies obiit et a pœnis temporalibus ad æternos gehennæ cruciatus infeliciter transivit. Sic justus Judex in uno eodemque facto misericordiam exhibuit et veritatem: veritatem quidem, debitas illi pro meritis pœnas recompensando misericordiam autem me ab illius insidiis et criminationibus liberando.

CAP. VIII. — *Qualiter triduano se jejunio pro sua illuminatione afflixerit.*

Ego autem tanto magis de Dei pietate confisus, quanto eam in hoc fueram accusatoris mei ultione expertus, cœpi iterum, sicut prius crebris cum precibus implorare, ut mihi veritatis viam, sicut sancto quondam Daniele (*Dan.* VII) somniorum mysteria, nocturna visione dignaretur revelare. Ejusdem etiam Danielis secutus exemplum pro hujus ardentissimi desiderii mei impetratione triduanum Deo devovi jejunium (*Dan.* IX) Sciens autem Judæos et Christianos non eamdem jejunii regulam tenere, cum Christiani diebus jejunii hora nona vescentes, carnium esu abstineant, Judæi vero ad vesperam perdurantes carnibus et quibuscunque eis vesci licitum est, utantur, ignarus, quod horum magis Deo placeret, indifferenter utrumque servare decrevi. Itaque et juxta Christianitatis ritum carnibus abstinui, Judæorum vero more ad vesperam usque jejunium protrahens modico pane et aqua contentus permansi. Ob nimiam quoque desiderii mei aviditatem solito me maturius sopori tradens, divinam mihi consolationem eo, quo petieram, ordine sperabam adfuturam. Sed frustra. Enimvero peccatis meis exigentibus incassum nox illa defluxit. Unde, licet plurimum dolens, minime tamen in impatientiam prorupi, quin imo, ex ipsa dilatione meo crescente desiderio, jam velut diei prioris parcimoniam tantæ rei impetratione indignam reputans, illo

die nihil omnino gustare decrevi. Mature quoque, sicut prius, cubitum vadens, ineffabili desiderio divinæ visitationis præstolor auxilium. Similiter autem et nox illa inaniter pertransiens suas quidem secum tenebras detulit, sed me infelicem horrenda infidelitatis caligine involutum reliquit. Sed nec sic quidem de Dei consolatione diffisus cœpi iterum flebiles coram pietatis suæ oculos preces effundere, ut me tam avida exspectatione suspensum voti mei compotem dignaretur efficere. Porro nimia confectus inedia, æstuales etenim dies erant, cum toto jam corpore deficerem, nec abstinentiæ votum ad vespertinum tempus differre valerem, intolerabilis defectus carnis paululum me aquæ circa meridiem coegit insumere. Itaque nox tertia instabat, ex qua suprema visitationis meæ exspectatio dependebat. Sed et ipsa nihilominus sine effectu pertransiit. Mane autem expergefactus cernensque caliginosam noctem rutilo sole illustrari, graviter gemebam, et ultra quam dici vel credi potest, dolebam, quod tali exemplo aureo Sole justitiæ non meruissem illuminari. At Judæi tanta me contra solitum abstinentia macerari videntes, suspicati sunt criminale aliquod inter Christianos commisisse flagitium, simul et præfati illius Judæi accusatione fomitem eis hujuscemodi devotationis ministrante. Hæc illorum mihi cognita suspicio, alterius perturbationis causa exstitit, sicque cordi meo cumulus doloris accrevit. Qui enim acceptabiliter et sine querela semper conversatus inter Judæos fueram, hanc inter eos infamiam sine confusione ferre non poteram. Verumtamen considerans quod misericors Deus, grandia plerumque hominibus dare disponens, prius eorum in prece perseverantiam probare et patientiam dilatione solet exercere, resumpta in hac pusillanimitate animi constantia, cœpi denuo pro consequendo desiderii mei effectu ad hostium [ostium] divinæ bonitatis lacrymis et precibus indesinenter pulsare, dicens ei cum Propheta: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua, et doce me* (*Psal.* XXIV).

CAP. IX. — *Quod pro investiganda veritate catholica cum clericis disputationi vacabat.*

Iterum ergo cogitanti mihi, quibus studiis ad agnitionem veritatis attingerem, visum est, ut ecclesiasticos viros ac Veteris Testamenti peritissimos expetens, de contraria sibi cum eis Christianorum atque Judæorum religione haberem collationem, et si ex manifestis legis ac prophetarum testimoniis suæ mihi sectæ auctoritatem possent ostendere, et quod huic soli, sicut dicebant, cœlestis regni aditus pateret, probabiliter affirmare, ego rationi cedens saluti meæ consulerem, et paterna, quam æmulabar, traditione postposita, approbatam mihi libenter amplecterer veritatem. Itaque religiosis Ecclesiæ doctoribus et maxime, ut dixi, in Veteri Testamento exercitatis, quotidie me opportune importune ingerens, meis eos quæstionibus pulsare non destiti. Quod illi nec non in contentione conveniendæ contentionis, sed studio cognoscendæ veritatis, actitare videntes, suis me disputationibus et admonitionibus a synagoga Satanæ segregare cupientes, et sanctæ Ecclesiæ visceribus laborabant incorporare. Cumque mihi multa de Christi adventu et [ex] lege et prophetis proferrent testimonia, ego soli litteræ pertinacissime innitens, ea de Christo vel prædicta non fuisse contendebam, vel, si hæc negare non poteram, sinistra ea qualibet interpretatione pervertebam, aut certe, si neutrum manifesta conclusus ratione valebam, callida eos tergiversatione per ambages verborum ad aliam mihi solvendam quæstionem circumducebam. Nam quod scriba doctus in lege a meis existimabar, Christianorum assertionibus, quas illi ut fabulas aniles contemnunt, superari aut concludi confundebar, miser non considerans hanc confusionem, qua de proprio errore confunderer, Deo placere, eamque non mihi ignominiam, sed gloriam magis adducere. Sic ergo inanis gloriæ appetitu, velut quodam pessulo aditum mihi veritatis ipse, ne credere possem, interclusi, juxta quod in Evangelio Judæis Dominus ait: *Quomodo*, inquit, *potestis credere vos, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* (*Joan.* V.) Verum, licet cum clericis disputatis eorum verbotenus assertionibus refragare viderer, quæcunque tamen ab eis mihi aperta ratione et manifesta auctoritate probata fuerant, gratanti animo suscipiebam, ac pulcherrimas, quas de Veteri Testamento procudebant [producebant] allegorias, in theca pectoris diligentissime recondebam.

CAP. X. *Qualiter contra voluntatem et propositum suum uxorem ducere coactus, et per ejus amorem in pristino errore sit obligatus.*

Sed auctor invidiæ diabolus, qui me infidelitatis adhuc nexibus irretitum tenebat, ad ecclesiam me quotidie properantem, et verbum Dei, quo contra omnis tyrannidis suæ munirer insidias, avidissime audientem conspiciens, et gravi super his meis profectibus invidia contabescens, antiquæ me fraudis suæ armis aggreditur. Qui enim primo parenti gustum necis per feminam (*Gen.* III), quique Job sanctissimo solam ex omnibus bonis uxorem non ad consolationem, sed ad subversionem reservavit (*Job* II), ipse mihi in meam ruinam mulierem matrimonio copulavit. Nam veniens ad me Judæus quidam, Alexander nomine, cujus filiam virginem desponsaram, multum mihi, ut diem nuptiarum statuerem, monendo, hortando, rogando cœpit insistere. Ego autem incertus adhuc utrum in Judaismo perseverarem, an ad Christianismum declinarem, provideque perpendens, quod alligatum me uxori magis oporteret domesticæ rei curam gerere, quam quotidianis, ut solebam, disputationibus vacare, cogitabam convenienti interim, si qua possem occasione nuptias differrre, donec, Deo miserante, quod mihi potissimum pro animæ meæ remedio foret agendum, certo quovis indicio mererer agnoscere. Itaque deliberato apud me consilio respondi, suum quidem consilium

gratanti me animo, velut ex charitate descendens, suscipere, cui tamen ad præsens minime possem obtemperare, quod scilicet Franciam prius, studendi gratia, deliberassem adire. At ille cum sæpius animum meum ad suum tentans assensum inflectere, nihil penitus se proficere perviderct, post preces et blanditias, ad minas et terrores more scorpionis cauda ferientis convertitur. Coacto siquidem Judæorum consilio, causatus est, pestiferis me Christianorum confabulationibus in tantum depravatum, ut ad consensum matrimonii, nec pio parentum vel amicorum consilio, neque, quod gravius est, legali auctoritate possem aliquatenus inclinari. Ego a Judæis, an hæc ita se haberent, inquisitus, conjugium quidem me non omnimodis recusare, sed dispensatorie adhuc id velle differre, respondi, eamdem eis, quam et socero meo hujus dilationis meæ causam prætendens. Illi in Franciam me velle proficisci audientes, et hanc me occasionem non simpliciter, sicut nec faciebam, præferre suspicantes, unanimi se mihi omnes consensu opposuere, quoddam hoc apostasiæ indicium esse, nec ad hoc me propositum studii, sicut dicebam, sed magis appetendæ Christianæ superstitionis amore impulsum protervis vocibus conclamantes. Et quid multa? Cognita tandem animi mei in suo proposito constantia, unum mihi e duobus eligendum proponunt, ut scilicet aut, remota omni occasione, copulando matrimonio secundum scita legis acquiescerem, vel, si aliud quippiam mihi placuisset, extra Synagogam eorum fierem. Quod ne leve apud eos esse quisquam fortassis arbitretur, noverit hoc esse inter Judæos extra Synagogam fieri, quod apud Christianos ab Ecclesia per excommunicationem eliminari. Sed quod, ut ait Scriptura, *Ubi non est sepes, diripietur possessio* (*Eccli.* XXXVI), infelix ego dum merito infidelitatis divina protectione circumseptus non exstiti, totius pristinæ devotionis meæ circa inquirendam viam veritatis possessiunculam, diabolo deprædante, amisi. Ad primam etenim Judæorum comminationem ita totus immenso pavore obrigui, ac si ab eorum mihi Synagoga excluso, nulla ulterius cujuslibet via pateret remedii. Quod et, si quis extra Synagogam salutis esset aditus, tamen quod hunc nec sciebam, nec ullis, ut probaram, conatibus ad perfectam ejus indaginem pervenire valebam, tutius me fore arbitrabar in ea traditione, quam ab ipsis quodammodo maternis uberibus suxeram, fingtemus perseverare, quam ad novam quamdam religionem, nullis mihi signorum vel rationum argumentis persuasam, inconsulte aspirare, præsertim cum etiam per inevitabilem forte errans ignorantiam, facile a pio judice consequi possem indulgentiam. Adeo autem in hac dementissima cogitatione evanui, et obscuratum est insipiens cor meum, ut omni pristina intentione postposita, neglectoque ardentissimo quo antea circa veritatis indaginem flagraveram, desiderio, sævienti adversum me diabolo perfectam lætitiam facerem, et ad integrum perditioni me tradens, juxta quod quibusdam a Domino per prophetam exprobratur, *fœdus cum morte, et pactum* vanæ securitatis *cum inferno* (*Isa.* XXVIII) componerem. Sic omni namque retractione universali Judæorum parens voluntati, diem eis, in quo nuptialis collocaretur thalamus, designavi. Cui desponsioni meæ tanta illorum exsultatio, tanta erga me cunctorum successit exsultatio, ut ad consensum eorum magis me communis omnium attraheret favor, quam prius terror impulerat. Instante vero nuptialis convivii die, multi illuc non solum Judæorum sed et familiarium mihi Christianorum confluxere. Illi quidem, ut falsæ jucunditati meæ condelectarentur, hii vero, ut exitialibus meis casibus Christiano affectu condolentes, eisdem superius pietatis lumen imprecarentur. Quomodo, inquiunt, miser Judas, tam cito, tam facile a bono proposito ad tantum perditionis barathrum dilapsus es? Quomodo manu ad aratrum missa, tam cito retro respexisti? Nos tibi semper monita salutis dabamus, quibus te aliquando consensurum, et in Christum, nostræ salutis auctorem, crediturum sperabamus. Et ecce contra spem nostram tuas potius sequi concupiscentias elegisti, ac desperata salute perditioni te ad integrum tradidisti. Heu infelix, decepisti nos, et ipse miserabiliter deceptus es. Utinam enim saperes et intelligeres, ac novissima provideres, ut scire posses quæ te manent supplicia, quæ te, si in hac superstitione permanseris, æstuantis gehennæ excipient incendia! Unde jam tibi placeat salutiferum nostræ charitatis consilium, et dum tibi pœnitentiæ adhuc patet aditus, omni instantia tuæ curam gere salutis, ne si hanc dum agere potes, nolueris, tunc incipias sero velle, cum non poteris. Quod si fidem Christi toto corde amplexatus, ejusque salutari lavacro fueris regeneratus, plenam tuorum ab ipso erratum indulgentiam perfectamque totius, quam investigare cœperas, veritatis agnitionem consequeris. Licet enim nullum, ut ipse ait, ad se venientem foras ejiciat, illis tamen ad se per fidem revertentibus suam uberius gratiam impertietur, ad quos solos ab errore suo revocandos missum se a Deo Patre profitetur, *Non sum*, inquiens, *missus, nisi ad oves, quæ perierant, domus Israel* (*Matth.* XV). Qui ergo prior venit ad te requirendum, se utique tibi, si recta eum fide et puro corde quæsieris, facile præstabit inveniendum. Hujus Christianæ exhortationis suæ vomere adamantinam cordis mei duritiam conscindere, et ad compunctionis gratiam satagebant emollire. Ego autem saluberrima eorum monita, tanquam surdus non audiebam, quando aures, quas in suo Evangelio Dominus requirebat, dicens: *qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII), aures videlicet cordis, aures intellectuales non habebam. Et quod spirituali auditu carebam, ea, quæ corporali solum aure perceperam, contemnebam. Et impletum est a me, quod scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII). Mox vero, ubi sum

carnis corruptionem expertus, ita mentem meam lubrica delectatio et copulatæ mihi conjugis exæcavit affectus, ut, quod extremæ desperationis solet esse indicium, ne ipsum quidem gravissimum animæ meæ possem sentire languorem. Quia enim nullas, ut antea, tentationum molestias superare, utpote qui eisdem enerviter per omnia victus subjacebam, beatum me in hac falsa vitiorum pace reputans, cœpi cum summa illic carnis voluptate jacere, quo me ante timueram præcipitare. Et sicut de conjugatis Apostolus, *Qui*, inquit, *cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi hujus quomodo placeat uxori, et divisus est* (*I Cor.* VII), per varias mundi curas cœpi defluere, nihilque jam eorum, quæ Dei sunt, quærere, sed his solummodo libebat operam dare, unde sponsæ meæ possem oculis complacere.

CAP. XI. — *Quomodo post obligationem uxoris, sursum circa veritatem sit ejus reaccensa devotio.*

Decursis autem tribus mensibus, ex quo letargico hoc animæ meæ morbo cœperam laborare, Deo miserante, ad cor rediens, et quia [quasi] de gravi prioris ignorantiæ somno expergiscens, perpendere cœpi, unde per negligentiam cecidissem, et in quanta [quantam] miseræ delectationis voraginem devenissem. Et quando, ut legitur, *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (*Eccle.* I), cœpi in hujus miseriæ meæ considerationem [consideratione] gravi compungi dolore, pugno pectus tundere, atque inter crebra suspiria lacrymas ubertim profundere, miserum me et infelicem profitens, quod propter modicam carnis delectationem in tantam me perditionis voraginem præcipitassem. Ex hujus igitur compunctionis gratia resumpta paululum de larga Dei pietate fiducia, cœpi superfluas sæculi curas ab animo resecare, carnis concupiscentias continentiæ freno coarctare, et sicut exhibueram membra mea arma iniquitatis peccato, ita per omnia eadem studui exhibere arma justitiæ Deo. Pristinam vero adhuc de contraria sibi Judæorum et Christianorum fide retinens dubietatem, sciensque *sine fide impossibile* esse *placere Deo* (*Hebr.* XI), et quod omne, quod *non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV), conari rursum cœpi, si quomodo Deo propitio hujus de corde meo ambiguitatis caliginem propellere, et veræ fidei lumen possem invenire. Itaque sicut antea peritissimos Ecclesiæ doctores diligenter requirens, suæ ab eis fidei et religionis exigo rationem. Quam eis copiosissime mihi ex multis Scripturarum testimoniis et variis Veteris Testamenti figuris reddentibus, ego dum ordine præpostero fidem intellectu volebam prævenire, ad ipsum, qui fidei merito comparatur, intellectum nullatenus valebam pervenire, secundum vocem prophetæ dicentis : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa.* VII). Quadam vero die contigit me cum nominato quodam magistro disputationis inire conflictum. Cumque in longum sermone contracto nullus a me eorum, quæ probabiliter ab illo diceban-

A tur, extorqueri posset assensus, unus assidentium ibi clericorum obstinatam cordis mei cernens duritiam : Cor, inquit, o magister, cur frustra niteris? Quid in ventum verba fundis? Quid arenæ semina mandas? Scis equidem, teste Apostolo, usque in hodiernum diem, cum legitur Judæis Moyses, velamen positum est super cor eorum (*II Cor.* III). Hoc audiens, et unde verbi hujus occasio tracta foret, optime, tanquam in Veteri Testamento exercitatus, intelligens, vehementer expavi, reputans, ne forte, sicut filii quondam Israel clarificatam in monte Moysi faciem non nisi velo mediante quibant aspicere (*Exod.* XXXIV), sic ego mysticum Mosaicæ legis intellectum, nequaquam velut interpositis quibusdam carnalium figurarum umbris, clara mentis acie possem attingere. Rursus itaque anxius æs-

B tuare cœpi, nescius quid agerem, qualiter hoc a corde meo velamen removerem, ut revelatio mentis oculo claram veritatis lucem intueri possem. Ad Patrem ergo luminum contrito et humiliato corde confugio, flebilesque in conspectu bonitatis ejus preces prosterno, clamans cum Psalmista : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo* (*Psal.* CXVIII). Et quod, Christianis docentibus, magna [magnam] esse sacræ crucis virtutem agnoveram, frequenter cor meum signo ejusdem crucis consignabam, efficacissimum illius esse sperans auxilium, ad hoc a me velamen perfidiæ removendum. Sed quid ille sævissimus et mille artium hostis ageret, cum me,

C quem per infidelitatis laqueos adhuc sub tyrannidis suæ ditione captivum tenebat, tali adversum se præsidio armari conspiceret? Vel quando suum a se mancipium, quod jussis tenebat legibus, liberum pateretur abscedere, qui ipsos quoque Domini sui servos, fideles quosque impia et illicita non cessat crudelitate persequendo captivare? Igitur quo minus cautum facilius posset seducere, in angelum se lucis transfiguravit, dum me non aperta jam fronte, sed subtili fraude oppugnandum expetiit. Mandata quippe legis ad memoriam mihi cœpit reducere, inter quæ et hoc Judæis præceptum fuerat (*Exod.* XXXIV), ut in nullo penitus immundos ac Deo exsecrabiles gentium ritus imitarentur, ne quos sibi Deus ex omnibus nationibus in populum peculia-

D rem elegerat (*Deut.* VII), illarum superstitionum in aliquo participes aut consimiles viderentur. Quod ideo callidissimus hostis fecisse credendus est, ut intentionem meam eo facilius a proposito suo retraheret, quia per hoc me legis prævaricatorem esse ostenderet. Nam ita factum est. Cœpi quippe instinctu diabolico graviter super hoc facto velut divinæ legis transgressor propria redargui conscientia, et pro consequenda hujus, ut putabam, enormitatis indulgentia, distincta me lacrymarum et jejuniorum castigare pœnitentia. Post hæc autem ab hac dementia ad mentem rediens, et hanc pœnitentiam non placationis, sed magis offensionis

esse deprehendens, cœpi iterum hujus ignorantiæ A meæ errorem deflere, et ea, qua prius, instantia crucis me cordetenus signo munire. Sed heu ! nullum ejus merui sentire remedium, cujus vitali pretio me nondum de maledicto legis agnovi redemptum. Et quid agerem ? Totius ab animo consilii et auxilii spes fugerat. Rursus ergo lacrimæ rivatim profluere, rursus ab intimis præcordiis gemitus graves cœperunt erumpere. Dixique contra me : Heu ! me miserum, quid faciam ? Quo fugiam ? Quæ mihi de reliquo poterit spes esse salutis, neque cum Judæus perfecte sim neque Christianus ? Si talem me ultima vitæ meæ dies repente tanquam fur veniens (*II Petr.* II) comprehenderit, quo ibo ? Utique peribo. Tanta vero cordis mei fuit amaritudo, ut etiam lingua tacente, melius vultus ipse maciei suæ B ac squaloris demonstraret indicio. Omnis namque, qui de magnis me ortum natalibus et tam legis scientia quam rerum sufficientia pollere noverant, tanto [tanta *vel* tam] me subito contra morem macie confectum videntes, eo magis obstupebant, quo nullis me aliquando quorumlibet incommodorum molestiis pulsatum viderant.

Cap. XII. — *Quomodo per orationes religiosarum sit illuminatus feminarum.*

Ego autem ad Deum, qui solus laborem et dolorem considerat, omni cum fiducia velut ad turrem fortitudinis confugiens effundendo in conspectu ejus orationem meam, et cordis mei tribulationem ante ipsum pronuntio, flebili prece deposcens, ut secundum multitudinem dolorum meorum in corde C meo consolationes ejus lætificarent animam meam et ad educendum me de tenebris et umbra mortis dexteram suæ majestatis dignaretur extendere, quem ex propria infirmitate ubique videret defecisse. Quod ergo fideliter ab illo quæsivi, efficaciter obtinere promerui. Prudenter etenim ex interna ipsius inspiratione considerare cœpi, quod, sicut servilis aliqua persona, perdita domini sui gratia, non ad eam ulterius, nisi ejusdem domini pro se intervenientibus amicis, valet reverti : ita nec ego, nisi sacræ Ecclesiæ fultus intercessionibus, Christi possem gratiam promereri. Cogitanti itaque mihi cujus me potissimum orationibus velut majoris apud Deum meriti commendarem, duarum sororum occurrit memoria, quæ apud Coloniensem civitatem juxta Beati Mauritii monasterium pro Deo inclusæ D cœlibem simul vitam ducebant, quarum una Berta, altera Glizmut dicebatur, quarum sancta conversatio suavissimum bonæ opinionis odorem per totam civitatis illius diffuderat viciniam. Harum patrociniis me sperans plurimum posse apud Deum adjuvari, ad ipsas omni cum festinatione perrexi, eisque quantum tentationum stimulis perurgerer, multis cum lacrymis aperui, et ut pro mea illuminatione suas ad Deum preces dirigere dignarentur, suppliciter exoravi. Illæ, ut erant totius pietatis et compassionis plenæ visceribus, largas super tantis miseriis meis lacrymas fundentes, tam diu indefessas se ad Deum pro me supplicationes fusuras esse voverunt, donec optatam supernæ gratiæ consolationem mererer accipere. O quam vera est illa Jacobi apostoli sententia : *Multum valet deprecatio justi assidua !* (*Jac.* V.) Haud multo enim post tempore meritis ipsarum et precibus, tanta repente cordi meo Christianæ fidei claritas infulsit, ut ab eo totius pristinæ dubietatis et ignorantiæ tenebras penitus effugaverit, congrua nimirum vicissitudine, ut per feminam lapsum, feminæ precibus sublevarent. O vos ergo devotæ et sacræ mulieres, quæcumque ista legeritis, vel lecta audieritis, præclarum imitandumque in his beatis feminabus [feminis] orandi exemplum accipite, scientes orationes vestras quanto quietiores, tanto esse sinceriores, tantoque esse ante Dei conspectum ad impetranda quælibet efficaciores. Ecce enim me, quem ad fidem Christi nec reddita mihi a multis de ea ratio, nec magnorum potuit clericorum convertere disputatio, devota simplicium feminarum oratio attraxit.

Cap. XIII. — *Qualiter in fide profecerit.*

Inventa igitur per gratiam Dei una pretiosa catholicæ fidei margarita, cœpi evangelici illius negotiatoris exemplo (*Matth.* XIII) temporalia cuncta in illius amore contemnere, ut ejus jucundissima et saluberrima ditari mererer possessione. Ab omnibus igitur me, in quantum potui, curis expediens, adeo ut moræ totius impatiens, vix domi cibum caperem, sacrorum basilicas magna cum devotione frequentare, ac verbo Dei audiendo tam cordis quam corporis auditum cœpi delectabiliter accommodare. Porro occulte hoc agebam, quod Judæorum persecutionem velut infirmus adhuc et tener in fide, sicut ille Nicodemus, qui venit ad Jesum nocte (*Joan.* III), metuebam. Itaque cum eodem audiens Nicodemo Dominum in Evangelico suo terribiliter intonantem : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (*Ibid.*), cœpi regenerationis hujus lavacrum tanto ardentius desiderare quanto sine ejus remedio me juxta hanc Domini vocem cœleste regnum constabat posse [non posse] introire.

Cap. XIV. — *Qualiter fratrem suum a judaismo detraxerit, et quomodo Judæi adversus eum conspiraverunt.*

Sciens autem præceptum fuisse a Domino filiis Israel, exituris de Ægypto, ne vacui exirent, sed egredientes Ægyptum spoliarent (*Exod.* XI) : nolebam et ego tali doctus exemplo de Ægypto, tenebris videlicet judaicæ infidelitatis, vacuus exire, sed aliquam inde auri et argenti, seu pretiosi cujuslibet indumenti, sed rationabilem prædam adducere, quæ summi Regis templum non solum adornaret, sed et esse mereretur, secundum illud Pauli apostoli : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Habebam enim septennem Maguntiæ fratrem de patre, non de matre, quem ardentissimo desiderio divinæ mecum gratiæ per lavacrum regenerationis fieri optabam cohæredem, quatenus quam non

habueramus carnaliter nascendo, unam haberemus simul matrem Ecclesiam, spiritualiter renascendo. Videntes autem Judæi suæ me ex more synagogæ nunquam interesse, cujus antea tantopere, sicut in præcedentibus agnosci potest, am[illegible] [illegible] communionem, animadverterunt non levem esse hujus tam inopinatæ mutationis occasionem. Positis ergo insidiis mihi vias omnes actusque meos curiosius explorare cœperunt. Quem cum quotidie nihil pene aliud agere, quam ecclesiasticis vacare disciplinis deprehendissent, in tantum omnie adversum me zelum exarsere, ut, si qua eis efficiendi sceleris facultas occurrisset, propriis me non timuissent manibus lapidare. Sed perfidiæ ac malignitatis suæ tenebris excæcati parricidali crimine, quod per se perpetrare non poterant, ad damnationis suæ augmentum et alios involvere satagebant, nec habituri effectum sceleris, in solum se præcipitabant reatum voluntatis. Comperto siquidem, quod Maguntiam proficisci disponerem, in unum adversum me convenerunt, cogitantes, ut scriptum est (*Psal.* II; *Matth.* XXVI), consilia, quæ non potuerunt stabilire. Nam litteras Hebraice scriptas per Volequinum quemdam reginæ Richzæ capellanum Judæis Maguntinensibus, me ignorante, destinaverunt, quarum hæc summa fuit, ut scilicet me tanquam perfidum et apostatam comprehenderent, et secundum legalis censuræ rigorem pœna condigna mulctarent. Sed, sicut ait Apostolus: *Si Deus pro nobis quis contra nos?* (*Rom.* VIII.) Ipse igitur, qui dissipat consilia gentium, et reprobat consilia principum (*Job* V: *Psal.* XXXII), illorum suo nutu dissipans consilium, ab eorum non solum me laqueo potenter liberavit, verum etiam pium, quod circa lucrandum fratrem meum conceperam desiderium, misericorditer effectui mancipavit.

CAP. XV.— *Quam mirabiliter scriptas contra se a Judæis litteras deprehenderit.*

Ex Dei namque dispensatione eidem me clerico Maguntiam legationis suæ causa proficiscenti contigit in via sociari. Cum neutro nostrum, quid alter negotii haberet, sciente, de variis rebus commeantes fabularemur, ille quosdam parentum meorum Maguntiæ commorantium cœpit inscius, quod consanguinei mei essent, nominare, dicens, se secretum quoddam nuntium ad eos perferre. Quo audito, cum Judæorum adversum me insidias penitus adhuc ignorarem, cœpi tamen in illius legatione idem, quod erat, suspicari, magnum scilicet malum per illam Judæos mihi machinari. Itaque clericum super hæc allocutus, cum maximo eum animæ suæ discrimine Judæorum dixi litteras bajulare. Ille, ut erat rem celare rogatus, litteras se aliquas ferre negavit. Sed ego negationi ejus minime fidem accommodans, ita rem se habere, ut dixeram, constanter affirmabam adjiciens sibi grave divinæ ultionis pondus imminere, si contra meum consilium Judæis Maguntiensibus præsumpsisset acceptas litteras præsentare, eo quod magni in eis mali lateret seminarium. Multis

A itaque precibus [illegible] importunitatibus vix tandem ab eo [illegible]. Confessus ergo mihi, ita omnia [illegible], ut dixeram, rogavit, ut ipsas [illegible] litteras [illegible]. Tunc ego, quod dictu quidem mirabile, [illegible], Deo teste, verissimum est, [illegible] que earum ex sola cordis mei conjectura [illegible], ac si eas vel legissem vel, aliquo prodente, agnovissem. Quod utique non casualiter, sed Dei [illegible] ac providentia gestum est, qui de malignorum exspectatione plebis Judæorum eripere et [illegible], quod agebam, negotium, ad gloriosum [illegible] effectum perducere. Quas etiam ab ipso mihi porrectas accipiens explico, perlego, Judæorum adversum me malignissimam accusationem in eis ita, ut con- B jeceram, scriptam reperio, maximaque cum exsultatione Deo pro liberatione mea gratias agens, ipsos pestiferos apices igni comburo.

CAP. XVI. — *Quod veniens Wormaciam fiducialiter Christum in synagoga Judæorum prædicaverit.*

Tunc ergo Psalmistæ cum inenarrabili concinens tripudio: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII), tam fortiter in amore catholicæ fidei ac religionis cœpi fervere, ut omni pusillanimitatis meæ foras per charitatem misso timore (*I Joan.* IV), Christum Dei virtutem esse et Dei sapientiam (*I Cor.* I) non tantum ad justitiam credere, et ore ad salutem confiteri (*Rom.* X), verum etiam inimicis ejus Judæis constanter et libere prædicare auderem. Nam veniens Wormaciam, ubi ger- C manum fratrem, vocabulo Samuelem, habebam, Judæorum synagogam die illo, quo convenire solebant, introivi, eosque Gamalielis sui superstitiosa super Vetus Testamentum commenta legentes audivi, Moxque divino fervore accensus magnaque cum fiducia et oris gratia propheticam cum ipsis disputationem ingressus, cujus fidei essem quantumve ex multis mecum Christianorum de orthodoxa fide disputationibus profecissem, opportune ibi demonstravi, dum contra stultas et aniles, quas idem ille Gamalieles de conscripturis conflixerit [confixerat] fabulas, mellifluam eis spiritualium allegoriarum dulcedinem eructans, eos, eorum quod Christum blasphemando et sanctæ ejus Ecclesiæ derogando in cœlum ponere cæca superbia et superba cæcitate D præsumunt, multis ac validis divinorum eloquiorum auctoritatibus oppilavi. Quantus itaque putas tunc omnes, qui aderant, Judæos stupor apprehenderit, cum me paternarum traditionum suarum fortissimum viderent expugnatorem, quarum me fidelissimum, utpote Judæum, ex Judæis, speraverant esse defensorem? Contra archisynagogum quoque, David nomine, et prædictum fratrem meum singulare certamen disputationis arripiens, adversus eos legis et prophetarum paginas diu versavi, ex quarum sufficientissimis testimoniis Christianam fidem defendens et approbans, omnem eis contra Christum et sanctam Ecclesiam ejus calumniæ aditum interclusi. Illi me

Christianis tam pertinaci studio favere videntes, semichristianum vocare cœperunt, tali scilicet nomine mihi velut callidis illorum persuasionibus mulo circumvento exprobrantes. Ad ultimum autem percunctantibus eis, num in omnibus, quæ adversus ipsos pro fidei Christianæ defensione protuleram, mens et lingua concordarent, veritus ego, ne, si nudam eis veritatem confiterer, ab ereptione fratris mei eorum insidiis aliquatenus impedirer, ita meum temperavi responsum, ut Christianum me esse neque negarem, neque aperte propalarem : Quando, inquiens, cum Christianis frequenter disputans, subtiles eorum adversus Judæos maxima ex parte cognovi argumentationes, idcirco eorum in me volui transfigurare personam, ut tali vos assertionum mearum edocti præludio, circumspectiores ab eis in inveniamini necessitatis articulo. Quam illi responsionem gratanter acceperunt.

CAP. XVII. — *Quomodo Maguntiam perveniens fratrem suum occulte deduxerit.*

Post hæc Maguntiam veniens, abreptum furtive matri puerum clanculo eum ob metum Judæorum extra civitatem volebam educere, ubi servum cum equitatura certo nos in loco jusseram exspectare. Sed atrocissimus humanæ salutis inimicus furtum istud non suo sed divino instinctu perpetratum, non ad suam sed ad Dei sortem intelligens pertinere, illud mihi maligna suæ fraudis arte conatus est impedire. Nam cum transitus urbis illius mihi esset notissimus, ita, quod dictu mirabile est! oculi mei sunt diabolica illusione obcæcati, ut ab hora diei prima usque ad sextam, per omnes civitatis illius plateas oberrans exitum ejus invenire non possem. Lassato et præ lassitudine flente puero, misertus ejus meis eum humeris gestandum supposui, quod multi videntes, velut fatuum me deriserunt Christiani. In magna itaque vultus mei confusione et incredibili cordis angustia positus, quod unicum mihi patebat refugium, divinum supplex imploro auxilium, clamque fronti meæ sanctæ crucis imprimo signaculum. Mira res! Portam civitatis, quam toties gyrans et regyrans primo invenire nullatenus potui, mox ubi crucis me signo armavi, cassata, quæ me cæcaverat, diabolica illusione, lætus videns agnovi, egressusque servum nos cum equis, ubi mandaveram, præstolantem inveni. Paululum igitur nobis de civitate progressis, Judæi Colonienses navigio supervenientes, quæcunque de me suæ professioni inimica perceperant, civitatis illius Judæis divulgarunt, quomodo scilicet Coloniæ libros cum pecunia apud Christianos abscondissem, eo quod ad eorum sectam pertinaciter transmigrare decrevissem. Quibus auditis mater pueri conturbata nimis et conterrita, inquiri me undique diligentissime fecit. Sed minime invento, tota præ nimietate doloris velut insana effecta, ad primos civitatis amarissimo cum ejulatu cucurrit, suum sibi filium furtive subreptum lugubri voce proclamans. Qui protinus ad comprehendendum me nuntios destinaverunt. Sed sicut Dei ordinationi nequaquam

A resistere (*Rom.* XIII), ita nec me eidem ordinationi servientem valuerunt comprehendere. Igitur ego cum puero profugus cœpto pergens itinere, ad claustrum, quod Welanheim dicitur, vespertino perveni tempore. Cognito fratres pio cordis me desiderio, cum magna me lætitia et charitate susceperunt. Adhuc autem nobis vescentibus, ecce nuntius ad investigandum nos ordinatus ante portam assistens, portarium, si Judæus puerum deducens illo introisset requisivit. Ille, ut erat homo simplex, nullas in nullo suspicatus insidias, simplicem ei prodidit veritatem. Ne igitur aliquam fratres illi propter me sustinerent molestiam, commendato eis puero, ut sacris per eos litteris imbueretur, clam inde fugiens ad claustrum, quod Revengresburch appellatur, deveni.

B Ubi cum magna a fratribus exsultatione detentus et catechizatus tertio Kalend. Novembris.

CAP. XVIII. — *De visione, quam vidit ante baptisma.*

Evolutis autem tribus ferme septimanis, posteaquam catechumenus effectus sum, quarta feria ante Dominicum, quo baptizandus fui, diem, vidi somnium, sicut visu ita relatu dulcissimum. Vidi versus orientem cœlum apertum, cujus imaginaria, quæ mihi per visum apparebat stuctura, auro purissimo per totum fuerat ornata. Ubi Dominum Jesum sublimi in solio et Paterna majestate potentissime et honorificentissime vidi residentem atque sceptri vice triumphale suæ crucis signum super dextrum humerum tenentem. Cui, ut mihi videbatur, cum excellentissimis ejus amicis assistens, ineffabili contem-

C plationis suæ suavitate ineffabiliter delectabar. Cum ecce duo amitæ meæ filii, quorum alter Nathan, alter Isaac vocabatur, post tergum meum præpeti gressu transibant, ut ex ipso eorum transitu liquido animadvertentibus daretur intelligi, illam eis beatitudinem non ad solatium sed ad supplicium esse demonstratam, ut eo ipso intus in animo torquerentur, quod illa, quam cernebant, sanctorum gloria, perfrui non merebantur. Ad quos ego conversus, sic eos sum allocutus : O miseri et infelices, nunquid non istud, quod super humerum Christi videtis crucis signum, illam vobis nunc Isaiæ ad mentem reducit prophetiam: *Cujus imperium super humerum ejus?* (*Isa.* IX). Huic vos olim de Christo prophetiæ per meam exhortationem credere contempsistis, quam ecce ad perpetuam confusionem vestram im-

D pletam aspicitis. Illi vero nimio pavore circumdati, vix mihi paucis humili et suppressa voce responderunt, dicentes. Vera quidem, o nepos, sed nimis heu! sero nobis sunt probata quæ memoras, quando, amisso salutaris spatio pœnitentiæ, sine spe consequendæ salutis, æternæ destinati sumus gehennæ. Vix verbum compleverant, statimque de medio facti sunt, impleta in eis Scriptura, quæ ait : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI) Expergefactus itaque et recordatus quantis aliquando precibus et lacrymis jejuniorumque frequentia talem cœlitus pro mea illuminatione visionem impetrare satageram, cœpi in his quæ videram gaudio spiri-

tunc superabundare, debitasque Deo pro tam suavi visione, qua in ejus fide roborari merueram, grates exsolvere.

CAP. XIX. — *Quomodo baptizatus sit, et quas in ipso baptismo diaboli fraudes pertulerit.*

Venit autem, dies Dominicus, in quo veterem hominem cum actibus suis exuendus et novum fueram per lavacrum regenerationis induendus. Universus itaque Coloniensis civitatis clerus in Beati Petri, apostolorum principis, basilicam festiva cum exsultatione convenit, ubi ad celebrandum salutare mysterium locus fuerat præparatus. Quo circa horam tertiam consecrato, ac regenerandis animabus per invocationem sancti Spiritus fecundato, fidem sacræ Trinitatis ex toto corde confessus, in eum magna cum devotione cordisque contritione sum ingressus. Sed heu! quod dictu grave est, nec in ipso baptismi articulo ab impugnatione mea fraus destitit inimica. Nam quemadmodum, evangelista teste, puer Domini miseratione a dæmonio liberandus, tunc gravius est elisus, cum ab eo nequam spiritus est exire compulsus (*Luc.* IX); ita nimirum antiquus hostis graviores contra me tunc impetus fecit, cum per divinæ institutionis salutare sacramentum ab ejus me rapi tyrannide conspexit. Siquidem in cæteris ad fidem orthodoxam pertinentibus sufficienter pro mea capacitate imbutus, solum de baptismi trina immersione in nomine sacræ Trinitatis exhibenda, ex ministrorum negligentia, imo potius ex insidiantis mihi inimici fraudulentia edoctus non fueram. Fluenta igitur vivifici fontis ingressus, et in eo semel contra orientem immersus, solam hanc immersionem suffecisse credebam ad antiquæ vetustatis renovationem. Clerici autem baptisterium circumstantes, sæpius me mergi debere clamabant. Sed ego, qui fonte jam recens emerseram, discrete eorum voces audire, vel clare quos mihi faciebant, nutus, defluente nimirum hinc inde piloso capite aqua, videre non poteram. Igitur a facie detersa manibus aqua, quid vellent audivi, sed magno fontis astrictus frigore, eorum primo voluntati non libenter obedivi. Attamen blanda baptistæ mei flexus admonitione, feci quod faciendum erat pro salute. Ratus itaque hac me secunda tinctione divinis mysteriis satisfecisse, cœpi de fonte velle exire. Siquidem præ nimio ejus algore pene totus obrigueram. Sed clerus magnis rursum vocibus perstrepebat, me ad consummationem sacramenti versus ad austrum salutaribus fluentis humiliter debere submitti. Diabolica igitur fraude circumventus, suspicatus sum haberi me ab eis derisum. Unde sicut ille quondam Naaman Syrus accepto ab Eliseo propheta septies lavandi mandato in Jordane, indignans cœpit abire (*IV Reg.* V), ita et ego pari dementia magno animi succensus furore, ac mora totius impatiens, volebam e baptisterio prosilire. Sed, Deo gratias, quod etsi se inimicus erexit, non tamen adversum me prævaluit. Enimvero quemadmodum isdem Naaman suorum flexus admonitione comitum, salutari prophetæ consilio obtemperavit (*ibid.*); ita blanda religiosorum, qui aderant, clericorum exhortatio propriam ab animo meo conceptam malæ suspicionis caliginem, meamque in fide pusillanimitatem roboravit. Ut igitur per omnia veteribus nova liceat comparare, Naaman in Jordanis septies lotus fluentis, a lepra carnis visibiliter est curatus (*ibid.*), ego in baptismo per septiformem Spiritus sancti gratiam invisibiliter sum ab animæ lepra mundatus. Illius caro detersis elefantiæ sordibus, infantis recepit munditiam; me per lavacrum regenerationis pelle vetustatis exutum, in novam peperit Ecclesia virgo mater infantiam. In quo nimirum lavacro sicut vitæ prioris ordinem et nominis proprietatem mutavi, quippe Judas antea appellabar, Hermannus nomen accepi. Hanc igitur gloriosam dexteræ Excelsi mutationem (*Psal.* LXXVI), hanc perditæ ovis in humero pii Pastoris ad ovile sanctæ Ecclesiæ reportationem (*Luc.* XV) quantis non tam clerus, quam universus fidelium populus, laudum præconiis extulit, quantis in commune gaudiis celebravit! Nec immerito. Nam quomodo de conversi peccatoris pœnitentia populus non gauderet Christianus, cui etiam, Domino teste, plus quam nonaginta novem justis angelorum congaudet exercitus? (*ibid.*) Judæi autem, qui zelum quidem legis, sed non secundum scientiam (*Rom.* X) habebant, luctu me amarissimo, velut perfidum ac perditum, inconsolabiliter plangebant.

CAP. XX. — *Qualiter post baptismum sæculo renuntiaverit, et sub ordine canonico divino se mancipaverit obsequio.*

Igitur immundo spiritu de domo cordis mei per lavacrum regenerationis expulso, metuens ego et valde pertimescens, ne, si rediens, eamdemque domum, licet lavacro salutari mundatam, Christique sacramentis ornatam, ab exercitio tamen spiritualis disciplinæ vacantem inveniens, eam cum peste septemplici gravius quam antea occupaturus intraret, sicque novissima mea pejora prioribus fierent (*Matth.* XII), cura id pervigili laborabam efficere, quatenus pervasori obfirmata maligno, dignum fieret habitaculum Christo benigno. Evangelicum itaque audiens præceptum, *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Marc.* X); et illud: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV), cœpi hilariter cuncta, quæ temporaliter habere videbar, spe et desiderio æternorum contemnere, quatenus laboriosa mundi sarcina exoneratus, per arctam, quæ ad vitam ducit, viam expedito ac libero possem pede incedere. Discens etiam, Psalmista dicente, *bonum esse, et jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII), ad famosum ac totius religionis locum Capenbergense videlicet, cujus supra memini, cœnobium, velut ad quemdam salutis portum de naufragio mundi hujus pelago nudus cum nudo hoste luctaturus evasi, ibique præsentis vitæ finem, et promissionem futuræ præstolaturus, secundum regulam beati Augustini vitam cum habitu mutavi.

Latinæ quoqce linguæ addiscendæ jugem indulgens operam, tantum intra quinquennium, Deo opitulante, profeci, ut ad sacros ordines suscipiendos aptum me fratrum charitas judicaret, benigneque attraheret, cum tamen ego humiliter, ut justum erat, subjiciens, meindignum ad hoc minusque idoneum protesturer, quantumque audebam et decebat modeste renitorer. Deus autem, qui humilibus semper dat gratiam (*I Petr.* v), inter suos me convivas novissimum videns locum elegisse, dicere mihi dignatus est : *Amice, ascende superius* (*Luc.* xiv). De qua ejus ego vocatione non in timore, sed cum tremore, ut scriptum est (*Psal.* ii), exsultans, gradatim ad ordines canonicos ascendi, donec ad sacerdotalis excellentiæ dignitatem perveni. Tunc itaque primo visum ante meam conversionem somnium in prima hujus opusculi fronte insertum, quod in me futurum, præsignaverit, intellexi, cujus, superius sicut promisi, interpretationem explicabo.

Cap. XXI. — *Quod tunc primum visum in pueritia sua de futura in se Christi gratia somnium intellexit et eumdem qualiter interpretatus sit.*

Visionis itaque interpretatio hæc est : Terrenus itaque, qui mihi apparuit, imperator, cœlestem significat Regem, de quo Psalmista, *Dominus*, inquit, *virtutum ipse est Rex gloriæ* (*Psal.* xxiii). Hic magnum quemdam principem habuit, angelum scilicet illum, quem in suæ creationis exordio cunctis angelicis spiritibus nobiliorem condidit, et cæteris omnibus angelorum ordinibus præfecit. Qui videlicet vere tunc est mortuus, dum, se contra Deum superbus erigens (*Isa.* xiv), dignitatis suæ gloria nudatus et de archangelo diabolus est effectus. Hic itaque Rex regum per suam me gratiam visitare dignatus, niveum mihi equum obtulit, dum gratiam sacri baptismatis, quo super nivem dealbarer, concessit. Balteum quoque tradidit, quod virtutem mihi fluxa carnis desideria restinguendi contulit. In septem gravis monetæ denariis recte septiformis Spiritus dona intelliguntur, quæ quemcunque impleverint, morum gravitate exornant. Qui, cum jam per hujus sancti Spiritus dona vitæ cœperit munditia, velut argentum examinatum, nitere, incipit etiam aliis de Dei amore et vita æterna suaviter tinnire, quod bene significat argenti sonoritas. Quod autem hi septem denarii, ne facile perderentur marsupio fuerunt inclusi, hoc significare spero, quod collata mihi misericorditer Spiritus sancti charismata non me derelinctura[derelictura], sed ad devincendas omnes tentationum molestias et regnum cœleste promerendum mecum sint finetenus permansura. Porro de hoc meo tam felici successu principes indignati sunt, quod maligni spiritus, quos mundi rectores appellat Apostolus (*Ephes.* vi), sive Judæi, qui propter acceptam a Deo legem inter cæteras sibi nationes principatum usurpabant, Christi me gratiam, qua ipsi indigni erant, meruisse inviderunt. Sed ego niveo illo balteo, id est continentiæ robore præcinctus, equo regio insedi, quod gratia baptismi in me vacua non fuit, sed quod equi indicat usus, eam cum Dei adjutorio spirituali exercitio semper excolere, et ad bonum usum inflectere laboravi. Christum quoque regem secutus sum, mundum et quæ sunt in mundo contemnendo, nec solum mea omnia, verum etiam et meipsum pro ejus amore abnegando, faciens hoc, quod ipse de se testatur. *Non veni*, inquiens, *facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris* (*Joan.* vi). Et bene equo sedens niveo regem sum comitatus, quod Christi vestigia nemo sequi erit idoneus, nisi eam, quam per equum candidum figurari prædiximus, baptismi gratiam fuerit consecutus. Palatium autem, in quod eum secutus sum, locum conversionis meæ arbitror designare. In quo nimirum clericorum conventu seu quorumlibet religiosorum per orbem regulariter viventium cœnobia [cœnobiis], quid nisi quædam summi Regis insinuantur palatia? In his etenim Christus propter vitæ castitatem et religiosam conversationem domestice quodammodo et familiariter velut rex in suo palatio creditur per gratiam inhabitare. Tunc autem ad mensam regis convivaturus accessi, quando sacrosanctum altaris ministerium, licet indignus, suscepi. Ad mensam vero sedere, est, ad altare Christi humiliter accedere. Sed hujus cœlestis mensæ quale sit convivium, quam dulces deliciæ, digne verbis explicari non potest, sed hæc illi soli noverunt, qui per gratiam Dei experiri meruerunt. Quale, inquam, fidelis sit animæ convivium, ad reverendam altaris mensam cum integra fide cum vera cordis humilitate et contritione, cum sincera mentis devotione accedere, et in ea agni immaculati Jesu Christi carnibus saginari, et sacrosancti sanguinis ejus calice inebriari, nemo ut dixi, nisi expertus, intelligit. Porro olus, quod in mensa regia manducare mihi visus sum, Christi arbitror designare Evangelium. Nam sicut idem olus ex variis fuit herbarum generibus confectum; ita ex variis præceptis ad vitam æternam pertinentibus Christi constat Evangelium. Ad regale igitur convivium olus manducare est, sacerdotem Dominico altari assistentem sancti Evangelii præcepta solerter atque subtiliter considerando velut in ore cordis ruminare, pensando scilicet quam humilis, quam devotus, quam nitidus castitate, quam fervidus charitate existere debet, qui tanti sacramenti mysterium decenter a Deo acceptabiliter cupit celebrare. Nobiscum quoque Rex Christus epulatur, quod spiritualium profectuum nostrorum dulcedine pascitur. Dulcem quippe sibi refectionem in corde pio et obsequiis divinis mancipato existere testatur ipse in Apocalypsi : *Ecce*, inquit, *sto ad ostium et pulso; si quis mihi aperuerit januam, introibo ad illum et cœnabo cum illo, et ipse mecum* (*Apoc.* iii). Sed neque abs re hoc esse puto, quod ex eadem mihi cum rege scutella visus sum manducare. Una itaque scutella catholicæ fidei significat unitatem. De una ergo scutella olus cum Christo comedit, quisquis ejus cooperante gratia sancti Evangelii præcepta in unitate

fidei catholicæ custodit. In qua ego nunc unitate, sicut hujus quondam felicissimæ mihi visionis ostensum est præsagio, per gratiam Dei consistens, servio ei, ut scriptum est (*Psal.* II), cum timore et exsulto cum tremore. Exsulto, inquam, cum tremore, quod ipsius, qua jam fidelis sum, gratiæ debeo, ut gaudeam, et de ejus mihi adhuc profundissima et investigabili judiciorum abysso, qua nescio utrum amore an odio dignus sim (*Eccle.* IX), restat, unde timeam. Quis enim mortalium, quamlibet justus, quamlibet sanctus, terribilem illam nostri Salvatoris non pertimescat sententiam, qua dicitur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX.) Confido autem in Domino Jesu, quod qui cœpit in me opus bonum, perficiet usque in finem. Siquidem maximam mihi spem promittit futurorum præcedentium magnitudo beneficiorum. Ecce enim misericors et miserator Dominus de stercore pauperem erexit, et eum cum principibus populi sui collocavit (*Psal.* CXII), cum me de sordidissima judaicæ superstitionis et nefandissima secta misericorditer ereptum, non solum suis fidelibus per unitatem catholicæ fidei sociare, verum etiam per sacerdotalis dignitatis gratiam gloriosis mensæ suæ conviviis [convivis] pius et misericors dignatus est aggregare. Quis hæc, o Domine, tuæ circa me indignum pietatis viscera pensare, quis tam immensas bonitatis tuæ divitias digne valeat æstimare? Spero, Domine et fideliter de tanta benignitate præsumens credo, quod misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, cujus tanta jam mihi gratiarum pignora dignatus es prærogare, pro quibus, ut dignum est, laudes et hostias jubilationis tibi piissimo illuminatori meo immolare non desino. Sed et vos, quicunque hæc legeritis vel audieritis, congaudete mihi et congratulamini, quia mortuus fueram et revixi, perieram et inventus sum. Magnificate igitur mecum Dominum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI MCXXXV

UDASCALCUS

MONACHUS AD S. ULRICUM AUGUSTANUS.

NOTITIA

(FABRIC. *Bibl. med. et inf. lat.*, VI, 288)

Udascalcus, ex familia honesta nobilium virorum de Maisack natus, monachus ad S. Ulricum (Augustæ Vindelicorum), abbatis Eginonis individuus comes, vir religiosus et præclare doctus, versificator non pœnitendus, musicus et componista eximius, theologus vero sui sæculi nominatissimus, eligitur in abbatem anno Domini 1126. Præfuit prudenter et fideliter annis 25. Scripsit librum *De musica*, *historiam* multorum sanctorum, imprimis vero *S. Afræ, S. Udalrici, S. Mauritii* et *S. Mariæ Magdalenæ*, varii generis versibus. Exstant multa ipsius *epigrammata* sparsim hinc inde parietibus inscripta, quæ ipsius ingenium admodum fecundum, doctrinam vero non vulgarem præclare et luculenter produnt. Obiit anno Domini 1151. Hæc Casp. Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ pag. 497, cum quo confer Sigismundi Chronicon Augustense Pistorianum tom. III, p. 605. Ejus hodie exstat *Narratio de Controversiis inter Hermannum episcopum Augustanum et Engionem abbatem S. Udalrici*, edita a Canisio Lect. Ant. tom. III, part. II, p. 1. Unicum *epigramma* ejus in Eginonem decessorem extat apud Bruschium. p. 496. Mabillonius sæculo V Benedictino, p. 415, dicit, ipsum a quibusdam auctorem Vitæ S. Udalrici episcopi Augustani, a Velsero, ipso Mabillonio et in Actis sanctorum editi, habitum fuisse: quia vero ille auctor binis locis memorat se Udalricum vidisse, noster vero binis sæculis junior fuit, eam scribere non potuit. Contra vero Sigismundus l. c. docet *Vitam hujus Udalrici* carmine ab Udalscalco fuisse conscriptam; incipit enim bis verbis: *Inclyta devotis colimus*. Adde Jo. Pinium in Commentario prævio ad Vitam S. Udalrici, in Actis sanctorum tomo II Junii, p. 95; Oudinum tomo II, p. 1013.

UDASCALCI

NARRATIO

DE CONTROVERSIIS INTER HERMANNUM ET EGINONEM.

(Canisius, *Antiq. lect.* edit. Basnage, t. III, p. II), p. 3.)

JACOBUS BASNAGIUS LECTORI.

De Udalscalco hæc habebat Canisius in præfatione secundi tomi : « Udalscalcum ex ms. codicibus monasterii S. Udalrici et Afræ Augustæ habui ; quis autem Udalscalcus, quis Hermannus, et Egino fuerit, docet Bruschius de Monasteriis. »

I. *De Eginone.* — Cum præ manibus nobis non sit Bruschii liber et careant procul dubio plurimi, pauca quædam hic delibare censuimus : primo nata est illa controversia inter Eginonem abbatem et Hermannum episcopum occasione investiturarum. Jam a longo tempore sedem episcopalem tenebat Hermannus cique adhæserat amicitia conjunctissimus abbas cum subito ortæ sunt inter eos controversiæ. Episcopus ab abbate velut excommunicatus habitus est ; crimina ipsi intentat sæpius, tum apud pontificem, tum apud Arnaldum Moguntinum. Inde schisma conflatum. Fuga sibi consuluit abbas, quem deseruere monachi, ipsumque velut perturbatorem sunt exsecrati, qua de causa apologeticam epistolam ipsis rescribere coactus est. Sed dum Italiam peragraret, obiit in itinere.

II. *De Udalscalco.* — Udalscalcus hic fuit Augustanus monachus, dein abbas, Eginonis itinerum socius fuit, et dum e sæculo migraret infelix abbas, præsens adfuit Sic de illo Egino : « Socium laboris nostri fratrem Udalscalcum præ hominum multitudine cum navis capere non posset, » etc. Ipse vero Udalscalcus patroni mortem describens : « Pisas et ego perveni, sperans laboris et doloris mei finem, cum scilicet dominum meum et Patrem reperirem ; sed tristitia super tristitiam, illo jam in extremis posito, mihi accumulabatur. » Fuit igitur Udalscalcus abbatis sui vehementissimus defensor, ita addictus causæ patroni, ut Henricum imperatorem Neroni conferre non pertimescat; imo pontificem ipsum, quod pro libitu ipsius in Hermannum non sæviret, acriter increpat : O prudentia Romana, exclamat ille relatis Paschalis secundi epistolis, quanta obdormisti, quod gratia tui dixerim, negligentia. Huic Udalscalco tribuit Vossius Vitas Mariæ Magdalenæ, Afræ, atque Udalrici præsulis Augustani, nec immerito : patet enim ex Augustano Chronico Udalscalcum scripsisse legendam totam S. Afræ tam conversionis quam passionis, similiter et almi confessoris Udalrici, incipiens:

Inclyta devotis colimus, etc.

Nam eam alligaverat metro, postulante episcopo Constantiense. De beata vero Maria Magdalena, quam venerabatur singulari affectu, ut fert idem Chronicon (l. II, c. 2), « composuit singularem cantum super verba sancti Gregorii. Nec eæ sunt tantummodo Udalscalci opera, quem Augustenses speciale decus musicæ ordinis doctissimumque appellant : nam tragico carmine sepulturas abbatum, elegiaco fratrum circa introitum dormitorii descripserat Prudentium imitatus. Fuit igitur non modo historicus, sed et poeta heroico carmine sæpius canens ; musicæ fuit etiam peritissimus. Eginone mortuo Udalscalcus ex Italia reversus abbas Augustensis in locum Eginonis, creatus est.

III. *De tempore quo scripsit.* — De tempore quo Narrationem scripsit, vix dubium esse potest, hoc factum fuisse sub Calixto secundo, dum 1°. narrat Hermannum fuisse damnatum a Paschale, Gelasio nec non a sancto adhuc superstite papa Calixto secundo. Fuit igitur adhuc in vivis Calixtus, cum hanc controversiam in litteras referret Udalscalcus. 2° annum adhuc clarius indicat ; asserit enim Eginonem fuisse abbatem electum anno Christi 1109, per decem annos ab ipsius electione lites agitatas fuisse cum Hermanno, qui ipse fuerat ad episcopatum promotus ab Henrico IV. an. 1094. Obiit Egino durantibus adhuc illis controversiis an. 1119. Non dubium igitur, quin Udalscalcus illas memoriæ mandaverit an. 1120, vel etiam ante mortem Hermanni, quæ contigit an. 1124, succedente ei Waltero Palatino in Tubingen. Brevis est illa Narratio Udalscalci ; in ea tamen evagatur ad miracula quædam narranda. Hoc potius observandum, narrationi suæ inseruisse varias Epistolas Paschalis papæ. Arnaldi Moguntini, et Eginonis abbatis, quorum partes tuebatur, quidquid enim vel Hermannus vel monachi ab Eginone post ejus fugam in sui defensionem afferebant, omisit.

PROŒMIUM SEQUENTIUM.

Sub venerabili abbate Eginone pro Christi positis in dispersione sancti Oudalrici et S. Afræ cœnobitis Oudalscalcus, servus eorum, utinam non inutilis, bravio donari æternæ beatitudinis.

A Gratia Solis justitiæ (*Malach.* XLII) illustrati nationis pravæ atque perversæ renuntiastis cæcitati, ac per hoc in persecutione propter justitiam tribulati (*Philip.* II), evangelica attestatione meruistis

esse beati (*Matth.* v). Patrem enim vestrum spiritualem carni et sanguini præposuistis, immundum tangere noluistis, dum ipso docente Augustensem dictum episcopum in interdictis sacramentis, minime recepistis. Quapropter vestræ quasi in præmium conceditur sanctitati, ut si qui vobis ab eo sunt ordinati, nulli per hoc canonum subjaceant severitati, sed in ejusdem Patris vestri pendeat potestate, ab hujusmodi contagio apostolica vos absolvere auctoritate, maxime illos qui post factam sibi pontificalis officii suspensionem, ullam ab eo percepere consecrationem.

Ut autem Pater idem magis ac magis honoretur vel ametur, qualiter sit abbas constitutus litteris commendetur, tum pro cavenda oblatrantium falsitate, tum pro tenenda rei hujus veritate. Dein quomodo dictus episcopus investiatur, ut totum gratiæ tribuendum esse doceatur, quidquid in eo vel ab eo ab Ecclesia recipiatur. Quantis etiam miraculorum beneficiis locus vester sub tali abbate declaratur, ad laudem Dei, memoriæ non subtrahatur. Postremo tyrannide impiorum prævalente, quomodo locum ipsum Ecclesia reliqueritis præcipiente, calamo non dissimuletur, ut ad tantum justitiæ fervorem exæquandum posteritas provocetur.

NARRATIO DE CONTROVERSIIS

INTER

HERMANNUM ET EGINONEM.

I. *Egino abbas : Henricus imperator Neronem agit.*— Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo nono, Augustensi cœnobio in honore sancti Udalrici et S. Afræ (1) constructo, dominus Egino abbas inthronizatur, qui in eodem loco regulari educandus disciplina, puer a parentibus Deo, sub venerabili ejusdem monasterii abbate Diemaro, oblatus, per incrementa temporum apprime sacris est litteris imbutus. Puerili autem flore ad juventutis maturitatem perducto, honestioris vitæ pollebat studio. Sed quia schisma vigebat ibi tunc temporis illud, cujus erat caput Henricus rex, causa Wibertus, consilio meliore locum mutavit eumdem : præsertim cum prædicto Patre sanctissimo jam dudum orbatus fuisset, et alii in eodem schismate constituto subdi noluisset. Perveniens ergo ad S. Blasii cellam, Nigra in silva sitam, benigne ab omnibus suscipitur, ibique tam diu prudens tyro conversatur, quousque in bonæ memoriæ Gebehardi Constantiensis episcopi, de sede jam expulsi, ministerium assumeretur. Tanta siquidem persecutionis rabie prætatus tyrannus in catholicam exarsit Ecclesiam, ut Neronem mysterium iniquitatis operantem ab inferis emersisse timeres, nisi quod ille Petro occiso nullum sedi apostolicæ, ut iste hæresiarcham Wibertum intruserit, cui etiam cunctis catholicis episcopis proturbatis, sedes eorum per superpositos subdiderit (*II Thess.* II). Illi, inquam, reverendo præsuli pater iste adeo necessarius, adeo fuit acceptus, ut sæpius legatione ejus ad domnum papam fungeretur, deposito interdum ex obedientia habitu monachico, ut hostis per simulatam sæcularium speciem falleretur. Quid plura ? totius laboris et angustiæ ejus comes permansit individuus, donec pace Ecclesiæ reddita, sede receptus est propria. Per idem tempus prædictum Augustense cœnobium Patre carebat ; domnus autem Egino, jam ut emeritus miles quietem monasterii velut in præmium receperat. Ad quod Augustenses fratres, nuntios mittentes, confratrem suum revocabant et animo concordi in abbatem sibi eligebant, quem ille renuens ut puta onus, honorem penitus abdicasset, si non ex supra memorati præsulis jussione, nec non multarum spiritualium vel catholicarum personarum persuasione subire acquievisset, maxime cum Augustensis episcopus, a quo erat investiendus, communionem Ecclesiæ jam recepisset, insuper et abjurationem omnis hæreseos in præsentia apostolicæ sedis legati fecisset. Nullus enim eorum, qui Wiberti et Henrici consenserant hæresi, ab apostolica sede recipiebatur, qui non prius eadem peste cum capitibus suis abjurata, catholicam Ecclesiam publice profitebatur.

Hoc in loco minus prætermittendum videtur, quod quidam veritatis subversores quasi ratiocinando calumniantur dicentes huic patri sedem non vacasse ; dum tres eo superveniente fateantur inibi sedisse. O linguam mendosam, o labia dolosa : ideo *posuerunt in cœlum os suum*, ut *lingua eorum* transeat *in terram* (*Psal.* LXXII). Tres, inquiunt, ibi sederunt. Si tres fuerunt, aut omnes, aut duo ex illis superpositi exstiterunt ; si omnes, nullus eorum abbas ; si autem duo, Pater iste non tribus, sed uni est superpositus. Ergo sive illud sit, sive illud, falsum est quod dictum. Verum ut fidelibus, ne offendant, rei hujus veritas pateflat, transcursis obturata aure Scyllæis canibus, his dictis intendatur.

(1) Ecclesia vero eorumdem sanctorum constructa fuit ab Henrico abbate tertio, post Udalscal- II. *Hartmannus abbas Augustensis. Egino eligitur* cum in monasterii regimine successore. an. 1184, ut fert Chronicum Augustanum, l. I, c. 1, p. 790. BASN.

abbas. — Defuncto igitur ejusdem Augustensis loci abbate nomine Sigahardo, domnus Hartmannus Gotwigensis abbas eidem præficitur cœnobio. Quod quia intolerabile visum est Ecclesiæ (talem scilicet personam a schismatico episcopo nomen regiminis accepisse) quod incaute fecit, in sua rediens correxit. Deinde non multo evoluto tempore quidam nomine Beringarius, Vuldens s professus, Augustensibus vero incognitus, pro fratris sui munere obsequii, locum ipsum suscepit regendum. Qui, etsi idiota fuisset, tamen quia contra statuta canonum, non a fratribus electus, ut puta ignotus, illo advenisset, intellexit, intelligens et ipse discedendo correxit. Hæc tamen omnia in schismate et schismatico præsule sunt facta. Tandem illa generali absolutionis dispensatione per apostolicæ sedis legatos, videlicet Richardum Albanum et Gebehardum Constantiensem episcopos in Teutonici regni diffusa latitudine etiam Augustensis episcopus amicitia non excludebatur: qui, ut prædictum est, per hæreseos abjurationem et unitatæ Ecclesiæ professionem, reconciliabatur. Tamen quia tempus miserendi (*Psal.* CI) nondum advenit, etsi religiosus alterius iterum loci, videlicet Wezzinesbrunnensis abbas et huic Augustensi supervenit. Hic quanto prudentior, altiora se quærendo (*Eccli.* III), cecidit tanto celerior, fratribus quoque suis idipsum exigentibus, sua repetendo, surrexit.

Tandem, rebus, ut dictum est, ecclesiasticis tranquille dispositis, non neophytus, non alienus, vel alio ovili occupatus, sed loci ab infantia professus, Pater Egino, nullo præsidente, eligitur abbas; canonice electus ordinatur. Et unde vel cui superpositus? Ecclesia in schismate positum deposuit; alienigena oves, ut puta non proprias, deseruit; pastorem suum grex derelictus recepit. Sic nimirum sic tribus constitutis, imo destitutis abbatibus quartus, ut fertur, Pater iste est superpositus. Sed ut oblatrantibus breviter concludamus, aut iste statuatur, ut illi deponantur; aut illi approbentur, ut iste reprobetur. Ex his duobus parum laborantes, unum scilicet probabile imo necessarium, alterum illis semper laboraturis probandum dimittimus. Necdum stylus retrahi poterit, dum qualiter inimicus proprio confodiatur mucrone, occurrit.

III. *Hartmannus abdicat.* — Causa exstitit, qua prælibatus Gotwigensis abbas, Augustam veniens, huic Patris nostri investituræ interfuit. Tum vero grande cernere spectaculum, quomodo scilicet abbas electum nostrum veluti robustior agonotheta debellaret exspectantium. Sic se habet popularis concursus, litibus nimirum oblectari et seditionibus, ut hinc partem plausibus attollat, inde parti illudat. Verum hic pugna non præveniente, spes illum affectantium delusa est, nullo vincente, nullo ruente. Si quidem abbas, quod ante non fecerat, curam vel nomen hujus regiminis publice abdicarat, fratribus obedientiæ voto indulso, familiæ etiam sacramento quo sibi erat obligata resoluto. Ingens tamen clamor populi, Deum super his collaudantis attollitur, ut et tali acclamatione insinuatori adulterans suspicio tollatur. Vides adhuc æmule primum et maximum de illis tribus abbatibus, dextras nobis dedisse Videbis et ultimum, non tamen minimum (*Gal.* XXI), eadem postea fecisse, nisi tibimet contrarius, nobiscum fatearis, neutrum eorum necessarium exstitisse. Etenim extra legem usurpans potestatem, sicut ei cui jure debetur, intromittendo, non nocet; sic non ejus, sed propriæ tantum saluti, ab illicitis cessando prospiciet. Dominus quippe *facit judicium patientibus injuriam* (*Psal.* CXLV), non irrogantibus.

Hoc ergo ordine pater iste intronizatus, ut alter Jeremias (*Jerem.* I), vitiorum spinas quæ inibi ultra modum succreverant omni cœpit annisu evellere, atque virtutum germina quoslibet viros convocando religiosos studuit excolere. Unde contigit ut locus ex incolentium pravitate jam diu abjectus ac despicabilis, per hujus bonæ conversationis odorem vitæ, acceptus haberetur et honorabilis, adeo ut in brevi numerus Deo fideliter servientium augeretur, prædiis quoque vel Ecclesiæ thesauris copiosius ditaretur. Sancti etiam, quorum ibi venerantur patrocinia, majori signorum vel miraculorum clarificantur gloria. Ex quibus, multis prætermissis, pauca subnotentur, quæ specialius ad ejusdem Patris nostri consolationem pertinere videntur.

IV. *Bruno dæmoniacus sanatus.* — Quidam ex laico conversus, Bruno vocatus, ab eo monachus ordinatur, aliquandiu sanus et incolumis commoratur. Credo tirocinii fervore tepefacto, vis dæmoniaca, quæ ad tempus recesserat, jam septempliciter aucta redibat. Frenesi namque arripiebatur graviter, et sicut se habet hoc genus, vix a multis captus tenebatur (*Matth.* XII). Nobis vero mirantibus super his atque stupentibus, etiam domnus abbas accurrit festinantius. Stridet miser dentibus, ligno duriori, ne linguam masticando consumat, fit gargarismus. Videres pectus, utpote ubi minus premebatur, in cumulum succrescere, faciem pallescere, totum vero corpus tremere, quælibet contigua velle carpere ac secum discerpere. At ubi benedictionem Patris nostri promeruit, paulatim quasi de somno gravi evigilans resedit, sicque ut nunquam dæmoniacus languor rediret, convaluit.

V-IV. *Epileptici sanati ad S. Afram.* — Alii quoque duo ex eodem monasterio fratres, quorum unus Adalgoz, alter Hecil vocabatur, eadem epilepsia, diverso tempore, non diverse corripiebantur. Quibus ut ab ipso Patre quædam sancta præcantabantur, nobis astantibus, in momento et illi sanabantur.

Turbis aliquando ad festum patroni nostri sancti Udalrici undique versum confluentibus quidam homo novem jam annis et dimidio ita contractus, ut plantis pedum natibus velut innatis videretur, asello vectus advenit. Cujus etiam asini dorso digiti pedum sessoris impressi cernebantur; ut quantum vitium naturæ dominaretur humanæ, et ex animalis vul-

nere, contra naturam scilicet inflexo, cohibetur. Hæc nobis missarum solemnia ad altare sancti Udalrici celebrantibus, manibus reptans et genibus, ad sepulcrum beatæ Afræ pervenit, ibique spe aliquantula sanitatis, ut postmodum ipse retulit, orationem fudit. Interim animo occurrit, artus jam diu contractos velle distendere, maxime cum gravius quam solebant cœpissent dolere. Tota ergo nitens virtute, plantas vix modicum e carnium cavernis potuit removere. Nervi vero se paulatim extendentes crepitare audiebantur, ita vero ut cremium aridissimum confringi putaretur. Tum ipso præ dolore nimium vociferante, a populo irruente sustollitur, et ad tumbam sancti Udalrici defertur; ubi cum diutius sine voce et motu jacuisset, subito pectus cœpit intumescere, ita ut cuncta corporis interiora ibi timerentur erumpere. Quapropter cunctis astantibus, animæ egressum præstolantibus, sæpe dictus Pater monasterii, salviæ folio muti linguæ supposito interrogat quomodo valeat. Bene, inquit, domine, bene; si tantum curam habebitis de me. Exinde Pater accepit eum in sua. Nondum septem diebus completis, clero et populo convenientibus, crucem iste tam diu vermis et non homo, per medium civitatis portabat, cunctisque Deum magno cum tripudio glorificantibus, quia perfectæ sanitati redditus esset, saltibus lætitiæ demonstrabat.

VII. *Puella clauda incedit.* — Puella quoque septennis, ex utero matris clauda, parentibus comitantibus ad eumdem perducitur locum; de quo etsi plura mira, et huic ætati insolita idoneis attestantibus personis cognovissemus, nos tamen ea tantum quæ vidimus subnotare curavimus. Cum esset, ut dictum est, debilis et imbecillo corpusculo, austeriori maxime vescebatur cibo, pro magnis deputans deliciis, si quando reficiebatur ovorum edulio vel lactis. Jesu nomen in ore jugiter volvebat, angelico potius quam humano vultu resplendebat. Ultra omne desiderium quotidie Dominicum delectabatur percipere sacramentum; cui et quanta reverentia seu lacrymarum compunctione approximabat? inspiciendum crebrius conscientiam judicabat: personas hominum juxta vitæ meritum pensabat dum quosdam libenter aspiciebat, a quibusdam obtutum, tanquam nequitia reverberatum, avertebat. Nobis vero cur hoc faceret percontantibus, ac Domini cum publicanis et peccatoribus manducantis (*Matth.* IX) exemplum proponentibus: Idipsum, inquit, Deum testor, non causa despectionis me hoc agere, sed timoris; quod etiam rivus iste mei prodit sudoris; si quidem, ut unum ex plurimis dicamus, duos forte supervenientes aspiciens clericos, unum alloquitur, alterum abominatur. A circumstantibus rogatur, ut et alterum intueatur. Ecce, inquit, annuo vestræ precationi: sed vos amabo, huic meæ parcite afflictioni. Facies enim pallebat, sudor per totum corpusculum decurrebat. Nos quasi pœnitentia ducti tristabamur quidem in doloris compassione, sed lætabamur in dubiæ rei comprobatione. Vigilantius autem de clericorum scrutantes conversatione veraciter, didicimus, eumdem quem puella detestabatur, monachum fuisse, sed habitum clerici, potiori abjecto, induisse.

Sed ne aliquis objiciat hanc illos prius cognovisse, ideoque in utriusque pensatione nihil miraculi exstitisse, exceptis veris, ut ostensum est, indiciis, quæ fidem dare poterant dictis, plurimorum occultiora detegebat peccata, quæ nonnunquam per confitentes vere sibi probavimus revelata. Hæc dum in Ecclesia noctes ac dies pene, orationum instantia continuaret, quadam die vespertina hora reptando circa memoriam beati Udalrici ad altare usque provolvitur; cujus pallam cum geniculans tetigisset, repente locus quo hærebat movetur, ita ut puella acrius laberetur. Ad cujus erectionem circumstantes accurrunt, claudam ex more sessum componunt. Tum illa: *Statuite*, inquit, *me super pedes meos, quia Dominus direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX). Illis hoc non sine admiratione facientibus, et ne caderet, adhuc retinentibus, relictis omnibus progreditur, et quasi alienis pedibus nutando primum abutitur, sed in brevi toti natura restituitur. Nec mora, in turbas rapitur et, sicut est humana curiositas, hilariores cujus hanc domus promeretur; comitatur epulis lascivia, hauriuntur innocentis auribus vaniloquia, attrahitur scurrilitate pueritia, minuitur boni speciei gratia; Deo tamen propitio, dolore corripitur acerrimo, attenuatoque diuturna castigatione corpusculo in Domini confessione a præsenti nequam eripitur sæculo.

VIII-XI. *Cæca videt.* — Mulier quædam Augustensis non ignota civis, nebula obducitur cæcitatis, octo eo et amplius visu privatur annis. Quæ dum solito ad beati Udalrici sepulcrum quodam die humili prosterneretur supplicatione, subito totam replevit clamore basilicam, invitans omnes ad redditam sibi lucis gratiam. Fama universam convocat civitatem Domini laudantem super tam evidenti miraculo pietatem.

Pater idem cui noster servit stylus, testatur se quemdam mutum vidisse ad sæpe dicti sancti Udalrici mausoleum consedisse, cui repente solutis linguæ vinculis, loquendi sit restituta facultas, per indicium currentis ex ore sanguinis.

Quid referam de energumenis? quos ibi fere toties vidimus liberari quoties vexari. Contigit enim quadam femina meritis beatæ Afræ curata et crucem, sicuti moris est, confluenti turbæ per medium urbis præferente, aliam arrepticiam in ecclesia sanctæ Dei Genetricis liberatam cum sibi juncta multitudine occurrisse, sicque unitis duobus semper vincentis Jesu vexillis duplici exsultantem Dei populum triumpho, hinc inde cum laudibus in sua redisse.

In hujus nostri templi dedicatione, præfato Patre verbum vitæ ad populum aliquando faciente, quidam dæmonio vexatus, magnis cœpit strepere vocibus, ita ut magis ad eum compescendum, quam ad verbum audiendum occuparetur vulgus. Tum subito hostis humani generis: *Quid*, inquit, *tantopere me*,

sedatis, cum post paululum quam utili circumferar negotio videatis? Hæc nobis audientibus, cunctaque pro viribus ab eo qui mendax ab initio (*Joan.* VIII) fuerat avertentibus, ecce cruentatum militem quasi ex acie fugientem per medium populi cernimus discurrentem, atque urbem ab hostibus captam terribili clamore nuntiantem; flebilis omnium vociferatio, nulla fugientium exspectatio, domus Dei asylum fieri posse desperatur, dum et inerme vulgus egreditur, a suburbanis arma rapiuntur, ad locum certaminis properatur, in se quæque ruunt, nec hostem quem feriant inveniunt. Tandem in se reversi, Satanæ insidias cognoscunt, mendosum militem requirunt sed reperire, ut puta evanescente phantasmatis transfiguratione, nequeunt, quæ illusio quamquam ex cujus acciderit peccato nescitur, tamen quoties ad audiendum verbum divinum congregamur, ne aliorsum intendamus, in commune per hoc tactum exhortamur.

XII. *Fur per visionem detegitur.* — Presbyter quidam nomine Luipoldus ejusdem ecclesiæ æditus, jam senio confectus moritur. Per cujus sepulturam alius e vicino sacerdos defunctum sibi videre videtur per somnium, quasi catenam emoventem quinque cubitorum. Quam narrans visionem consilium fuit, omnem mortui perscrutandam fore suppellectilem, ne quid forte de rebus Ecclesiæ ibidem contigisset latitare. Domo ergo eversa, zona ex optima reperitur purpura, quæ ex somnii conjectura mensurata tantæ exstitit longitudinis, quantæ catena visionis a fratribus confestim recognoscitur, in vestiario reponitur.

XIII. *Evanescit mulier.* — Duos calices argenteos cum patenis quædam furatur paupercula, sed fores Ecclesiæ non valens egredi, nota proditur sacrilegii; capitur miserrima, reddito furto trahitur ad supplicia. Sed quæ onerata crimine, etsi occulto, non potuit effugere; exonerata manus evasit tortorum Deo parcente. Omnibus quippe ad hoc crudele currentibus spectaculum, quæ puniatur quæritur, sed diu quæsita non invenitur.

XIV. *Variæ reliquiæ.* — Gloria, inquam, majori signorum vel miraculorum sancti nostri illustrantur, majori etiam studio sub isto Patre nostro venerantur. Ut enim taceamus Coloniæ ...(1*) ex undecim millibus virginum, Albini quoque martyris, sanctorum Maurorum, nec non multas eum sanctorum undecunque reliquias acquisisse, quibus Augustam allatis, sanctos inibi hactenus latentes, videlicet Dionysium (2) primum ejusdem civitatis episcopum, Quiriacum cum sociis suis viginti quatuor martyribus demum jam reperiuntur, tanquam bene notis civibus, assurrexisse. His, inquam, veluti novis prætermissis inventionem beatæ Afræ antiqua jam pene oblivione abolitam, solemniter constituit celebrari; viginti quatuor prædictorum martyrum, simul cum sancta Hylaria passorum festivitatem sub una die nihilominus statuit venerari. Nec in tali fraudatur studio, dum pretiosissimo remuneratur thesauro, capite scilicet ejusdem martyris Hylariæ illis diebus invento.

XV. *Lites abbatis cum episcopo.* — Sed totius bonitatis adversarius, veluti (*cap.* I), Patrem istum, non gratis Deum colere ratus, quippe qui prosperis rebus vel honoribus sit circumvallatus, ac pro nihilo ducens exterioribus eum privari, quasi carnem ejus et ossa desiderat flagellari dum se cum fratribus suis, tanquam carnem ossibus per cordis vel animæ unitatem adhærentibus, ab ipso loco machinatur proturbare, quibusdam ex ipsis longius a se passibus vitæ remotis, sicuti in convivio voluptatis igne consumptis. Ergo hic qui nomen pastoris super ovile ejusdem tenet civitatis, adversus eum concitavit, adeo ut qui defendere gregem a morsibus luporum debuit, non ut mercenarius fugeret, sed ipse lupus effectus, oves raperet, laniaret atque dispergeret. Cujus tamen persecutionis causa ipsi episcopo interdictum ab apostolica sede pontificale exstitit officium; quo illo abutente abbas noster tantæ noluit præsumptioni communicare. Ut autem finis hujus rei lucidius subsequatur, initium quoque stylo cautius digerente proponatur.

XVI. *Episcopi Augustensis electio.* — Beatæ memoriæ Urbano papa Romæ præsidente, sedes Augustensis vacabat Ecclesiæ. Præfato autem tyranno Henrico imperatore apud Veronam tunc temporis morante, quippe dona (3) Mathilde prohibente Longobardiam non valens ingredi nec Italiam obstantibus Teutonicis principibus egredi; quidam comes nomine Oudalricus tyrannidi suæ consentaneus, videns eum hinc inde magnis jactari angustiis, acceptis mutuo quingentis a Veronensibus talentis pro episcopatu Augustensi fratri suo dando sibi obtulit. Insuper et comitatum Teutonicas adeundi partes promisit, quod etiam persolvit. Hoc pacto luscus frater comitis adducitur, nec ante ab excommunicata laica manu investitur, quam memoratum pondus argenti Veronensibus persolvere juramento constringitur. Sic militum manu copiosa comes stipatus fratrem non dico electum, sed nec facie notum invexit Augustensibus. Cogente tamen armatæ manus timore, ut episcopus excipitur, diligentius ut agnoscatur inspicitur, paulatim cæcum se excepisse Augusta miratur. In hoc completam esse Prophetæ maledictionem in commune lamentatur: *Obscurentur*, inquit, *oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII). Quem enim pro oculo sibi ad salutem prospicientem susceperunt (*Rom.* II), hunc exteriore et interiore cæcitate natum, ex dorsi incurvatione, id est, ex suimet

(1*) Mirare hic undecim mille virgines celebrari. BASN.

(2) Zozimus erat frater Hilariæ, matris Afræ, cujus nomen immutatum dum baptizaretur, et appellatus est Dionysius. Quot fabulæ de iis narrantur? Dionysius enim et Afra Augustam nunquam venerunt. BASN.

(3) Pro *domina*, seu *domna*

fortitudine quantocius intellexerunt. *Cæcus namque si cæco ducatum præbent, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* xv). Talis ergo electus, contra statuta canonum gradu promovetur presbyteratus; ordinationem pontificatus non incongruo accessu amodo subiturus. Si quidem ab episcopo Aquileiensi, qui abusive patriarcha vocatur, sub pallio Wiberti hæresiarchæ, præmissis duobus juramentis ordinatur. Cum enim ordinandus se licentiam magistri sui Mongontiensis archiepiscopi hujusmodi consecrationis accepisse fateretur, nec nudis verbis ab ordinatore etsi a duobus apostolicis excommunicato, Urbano scilicet atque Gregorio, crederetur; ministerialis ex potiori familia beatæ Mariæ, qui hoc sacramento probaret, inquiritur. Quo non invento, tributarius quidam ex eadem familia, Bero dictus, optimis induitur vestibus, et primo se ministerialem militem, ut puta qui erat grandis staturæ, juramento confinxit, secundo dominum suum licentiam archiepiscopi, consecrationem accipiendi habere, sicuti ipse ad conversionem postmodum veniens nobis retulit, coactus fefellit.

XVII *Episcopatus Augustensem Ecclesiam spoliat.* — Hoc itaque exsecratus ordine consequenti visitatur omine, novus etenim pontifex sancta sanctorum ingreditur, Deum non placaturus, sed irritaturus. Missæ officio, ut videbatur ad hoc peracto, diaconus populum ad episcopi benedictionem humiliandum exhortaturus, non mente, ut putabatur, alienatus, hoc utitur præconio : *Inclinate*, inquit, *capita vestra Deo*. Ab omnibus exhortatio pontificalis benedictionis suggeritur ; a levita, ut populus Deo capita inclinet, iterum atque iterum repetitur.

Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
(Virg. *Æneid.* ii. 649.)

Percontatus post a familiaribus utrum ex industria hoc fecerit, idem diaconus testabatur Deum se non sponte, sed quasi in extasi præcinuisse. Denique mendacio compositus Augustam regreditur episcopus, clerum et populum jam libera tyrannide oppressurus. Siquidem divites ac pauperes deprædatur, ecclesia sanctæ Dei Genetricis infinito per eum thesauro privatur, canonicorum prædia vel oblationes in beneficia laicis accommodantur, horæ canonicæ seu Missæ non celebrantur, dum pro laudibus Dei querelæ ob victus penuriam frequentantur. Temporibus illis præfatus Romanæ sedis legatus Richardus Albanus episcopus in Teutonicas directus partes Mogontiam devenit. Ubi cum apud Ingelenheim Heinricum Imperatorem regalibus privasset insignibus, capite nimirum hæreseos abscisso, communioneque omnibus reddita, singula in unum Ecclesiæ pacificantur membra. Hic, inquam, hic dictus episcopus in generali absolutione non excipitur, sed per Wibertinæ hæreseos abjurationem, nec dum ventilata sui causa, inter cæteros recipitur. Legato quoque Augustam veniente, cleri ac populi exponuntur querimoniæ; dictum videlicet episcopum absque canonica electione seu consecratione sedem illum invasisse. Diligentius res audita discutitur. Si aliquis canonicorum se huic subtrahat accusationi, perquiritur ; omnes unum dicentes, idem sapientes, nominatim subscribuntur ; cuncta in domni apostolici præsentia finienda differuntur, Synodus colligitur Warstallensis, adsunt cum suo Episcopo nuntii Ecclesiæ Augustensis, refert legatus quæ audierit, qualiterve audita distulerit, idonea iteratur accusatio ; nulla prætenditur excusatio, facile ab omnibus concordatur ut talis episcopus deponatur. Quod et factum fuisset, si non Gebehardus Constantiensis in Ecclesia Augustensi hoc faciendum persuasisset. Eo namque tempore domnus papa Teutonicum adire proposuerat regnum, quod in ruinam perficere nequivit multorum. A pontificali tamen suspensus officio semiepiscopus regreditur. Terminus huic rei finiendæ constituitur. Augusta sui liberationem dolens præstolatur, dum in spe apostolici adventus defraudatur, intraque scilicet terminum idem episcopus, pro interdicti restitutione officii, apostolicum adivit, sed litteras ab eo hunc in modum se continentes accepit.

XVIII. *Paschalis epistola.* — « Paschalis episcopus, servus servorum Dei, Augustensis Ecclesiæ canonicis et cæteris parochianis salutem et apostolicam benedictionem.

« Venit ad nos non vocatus frater noster Herimannus, vestræ civitatis episcopus, causam suam postulans certiori fine concludi, etc. *Vide in Paschali II ad an.* 1118.... Volumus enim ut tam ipse quam Ecclesia quæ sub eo est, usque ad præfinitum tempus pacem et tranquillitatem, Domino largiente, obtineat. Data x Kal. Decembris.

XIX. *Alia Paschalis epistola.* — Has litteras vix Venetium asportavit, initoque consilio cunctos earumdem conscios, ut unius anni spatio non detegerentur, jurare compulit ; sicque fictis pro libitu mendaciis, domum rediit. Excogitata vero graviori adhuc nequitia, unum de accusatoribus suis, qui præstantior cæteris videbatur, pretio corrupit, et litteras quasi ex Augustensium persona occulte per eum apostolico direxit : qui falsitatis nuntius benigne susceptus, dum auditur, magna contra eum papa indignatione invehitur, corde et corde loqui ab omnibus deprehenditur. Curiensi tamen episcopo atque Gotwigensi abbate pro ipso supplicantibus, datis veluti Augustensium respondentibus litteris, abire permittitur, vera cum falsis relaturus : Vera hoc modo.

(Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Augustensis Ecclesiæ clericis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Post impetitionem quam super episcopo vestro fecistis, dilectionis vestræ litteras suscepimus. In quibus quia pacem et concordiam cum eodem episcopo vos habere nobis significastis, lætati sumus, si eamdem concordiam gratis factam fuisse constiterit. Nos tamen constitutum terminum exspectamus, ut quidquid æquitas dictaverit, auxiliante

Domino exsequamur. Data VIII Idus Februarii. »

XX. *Hermannus agnoscitur episc. Augustensis Hermannus adulter.*—Quibus litteris clam episcopo lectis, contra nuntium infremuit, non æqua pretio sibi referri mandata objicit, patre iterum mendacii suggerente, interminatur, ne tam adversa prodantur, sed prospera fingantur. Egreditur in publicum, arriguntur aures exspectantium ;

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
(Horat., *De Art. poet.* 139.)

Dum falso benedictione apostolica salutatur episcopus, eademque gratia participatur populus. Nec longum evolvitur tempus, et cardinalis nomine Divitius a papa missus Teutonicas adiit partes. Quo Romam regresso episcopo quasi per cardinalem restituto sub nullo tamen testimonio, pontificali abutitur officio. Jam utiliori Achitophel utens consilio (*II Reg.* XV, XVI, XVII), quoslibet ex clericis vel laicis potentiores suo secretiori ascivit consortio, ut hoc modo, inferioribus suffocatis, nemo proditor falsitatis, nemo præco esset veritatis. Pontifex ergo vix Melchisedech secundus prædicatur ; cunctis retro dictis vel factis, oblivioni traditis, ut legitimus per omnia frequentatur. Sub hujus medio silentii noctisque caliginoso cursu, pater Egino, in veræ lucis præconem, Augustam ut prælibatum est, revocatur, honore abbatis sublimatur ; assumitur et ipse in amicum, ut puta inter primos tenentes principatum, post modicum talem episcopum miratur, dum sui patris, videlicet præsulis Constantiensis, recordatur. Paulatim se ab ejus subtrahit familiaritate, non a communionis unitate ; quia necdum quidquam certi de tantæ præsumptionis cognovit immanitate. Sed Deus tantum virum hujusmodi nolens diutius ludificari figmentis, quo modo sanguis sanguinem tangat, hoc ordine revelat. Deprehensus jam crebrius in stupri fœditate dictus episcopus, post monialium seu aliarum meretricum scortum, perpetrasse in Ecclesia diffamatur adulterium. Cujus videlicet uxoris maritus, cum esset fortitudine ac bonitate conspicuus, facile totam civitatem in adulteri posset conciliare necem. Sed malens gladio spirituali judicium sibi fieri quam materiali, sedem petivit apostolicam, de crimine facturus querimoniam. Augustensis vero Ecclesia tanto scelere quasi de gravissimo erroris somno experrecta, ad eamdem sedem litteras dirigit, quid super tali episcopo sentire debeat inquirit. Quæ infra positis informatur scriptis.

XXI. *Paschalis epistola.* — « P. episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Augustensis Ecclesiæ clericis salutem et apostolicam benedictionem, etc. *Vide in Paschalis II ad an* 1118... Latorem præsentium apostolicæ sedis, auxilium postulantem, vestræ fraternitati commendamus, ut in querela quam adversus eum episcopum regit, vos cujus justitiam tueamini. Data IX Kal. Decembris. »

XXII. *Paschalis epistola Moguntino episcopo.* — A *Moguntiensi* quoque episcopo querelæ expositæ his litteris injungitur discussio.

P. episcopus servus servorum Dei, Arnoldo venerabili fratri Moguntino archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem, etc. *Vide in Paschali II ad an* 1118..... Quod enim a vobis juste et rationabiliter auctore Deo statutum fuerit nos ratum habebimus. »

XXIII. *Arnoldi Moguntini epistola.* — Hoc accepto archiepiscopus mandato, Augustensium prælatos tali invitat præcepto :

« Arnoldus, Dei repropitiante clementia devotus in Christo gregis Moguntini famulus, reverendo abbati una cum charissimis filiis Augustensis Ecclesiæ fratribus et dominis, consilium paternæ affectionis in B spiritu divinæ consolationis.

« Dilectioni vestræ, fratres amantissimi, insinuamus litteras nos a sede apostolica nuper accepisse, in quibus cum sit vestri episcopi nobis injuncta discussio, placuit summa diligentia id fieri, Ecclesiæ nostræ et fratrum consilio, servato tenore canonico; ne vel actori causa pereat, vel summum pontificem indiligentiam nostram causari oporteat. Querimoniam universam, vobis notam cum habeamus a prædicta sede remissam, suo loco et tempore retractandam, illas domni papæ bullatas transmittimus vobis exemplatas; earum commoniti auctoritate, aut dominum abbatem, aut quoslibet ex vobis idoneos prælatos vestros, tempore Werzeburgensis curiæ, ad nos destinate : tunc quidquid nobis interim Ecclesiæ nostræ et fratrum suggesserit Spiritus C per vestros vobis plenius intimabimus. Vale. »

XXIV. *De Hermano. Lites judicandæ a pontifice.* — Verum quia hisdem temporibus Longobardiæ, in regia expeditione, infamatus morabatur episcopus, abbas noster quemdam e fratribus suis nomine *Retpotonem* cum apostolicis litteris Augustam delatis ad eum dirigit, ut papam adeat de officii restitutione, seu de objecti sacrilegii purgatione acturus, obnixius suggerit. At spreto episcopus salubriori consilio, ut criminis conscius, solito mendacii armatur præsidio. Litteræ siquidem tanquam e Augustensis Ecclesiæ persona finguntur, per canonicum Conradum et dictum fratrem Ratpotonem apostolico diriguntur. Quarum fallacia ex hujusmodi deprehenditur rescripto.

D XXV. *Paschalis epistola* — « P. episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, D. decano et cæteris Augustensis Ecclesiæ canonicis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Diu est quod frater noster Hermannus episcopus vester de tribus apud nos fuit capitulis impetitus, etc. *Vide in Paschali ad an.* 1118.....Etsi episcopus vester de rerum Ecclesiasticarum, et de perversæ conversationis emendationem fecit, et de aliis quæ objecta sunt, tertia episcoporum vel quinta presbyterorum manu se purgaverit, restitutionem interdicti sibi officii consequatur. Data Beneventi Kal. Aprilis, »

XXVI. *Hermanno crimina imputata. Pontifex dor-*

mittat. — His litteris aliquantisper immorandum videtur, dum plena in eis superiorum notitia continetur. Primo namque primum ponitur quomodo iste, utinam mercenarius non per ostium (*Joan.* x), sed aliunde ingreditur : ingressus ut mactet et perdat, pro consecratione exsecratur, dein consequentia, perversa scilicet vita cum rapina. Terminus, inquiunt, constituitur, quo pars utraque invitatur. Pars accusata litteras terminum indicantes sub juramento, ut prædictum est, celat, ut altera loci justitiæ ignara obmutescat. A neutra ergo parte aditur. Et hoc est quod dicitur, quod episcopus liber esset, nisi illi constituto termino convenirent. Tamen irrefragibili determinatur confirmatione, sicut inquiunt, Conradus asserit O prudentia Romana, quanta obdormisti, quod gratia tui dixerim, negligentia, ne forte dicendum sit, te ut bonum quandoque dormitare Homerum. Cur, sicut ipse asserit, non sicut tu asseris, cum memoriter cætera noveris, numerum diffinis capitulorum, officii non taces suspensionem, quo cuncta discutienda seu finienda fuerant, repræsentas terminum, libertatis tantum conditionem nescis, ut et nos nescire cohorteris? Sed quoniam, inquiunt, propter difficultatem itinerum et personæ infirmitatem, etc., hinc evidens colligitur mendacium. Itinerum scilicet difficultas et personæ infirmitas, cum, ut postea rescivimus, præsentari nollet sanissimus. Nam dum eumdem canonicum, cur hujusmodi confingeret, percontaremur apologeticum : *Verum*, inquit, *dixi cum cæcum a nativitate pro infirmo duxi.* Cæterum ne quis miretur archiepiscopo injunctum negotium alii apostolicum commisisse discutiendum, sciat istum canonicum hujus videlicet varietatis auctorem, Curiensis episcopi fuisse fratrem, ideoque *Moguntiensem* ut regis inimicum Augustæ abominari, fratrem vero suum in hac causa ibidem asseruisse non detrectari. Cautius tamen et ipsi injungitur, si nimirum episcopus de rerum ecclesiasticarum, et de perversæ conversationis emendatione (sicut falsæ testabantur litteræ) fecit, etc. Hic inquam, episcopus multis conductus promissis Augustam venit, clero ac populo objiciente, non nisi facta ficta emendatione. purgationem episcopi minime recepi debere. Quatuor infames eliguntur personæ, quinta sacramentis addicitur pœnæ, dum plusquam a quingentis convincuntur falso jurare. Sic purgatus episcopus interrogat episcopum si jam pontificale licitum sit officium. Hoc eo non annuente, sed ut apostolicum pro ejus restitutione interpellet, persuadente, dicessum est. Tunc iterum dictus episcopus in regiæ conturbernio expeditionis Italiam proficiscitur, armata manu jam tertio domum beati Petri ingreditur; cum excommunicatis communicare non veretur. Non differt archiepiscopus hoc aliter intimare Augustensibus.

XXVII. *Epistola Arnoldi.* — ARNOLDUS Dei gratia Moguntinæ sedis archiepiscopus domno E. [Eginoni] abbati Augustensis cœnobii cum cæteris fidelibus A Ecclesiæ catholicæ membris, conjacere in corpus Christi in Spiritu unitatis.

Jam dudum clamor ascendit in cœlum (*Exod.* ii), super eo qui vester dicitur episcopus : atque ab ipsa, ut nostis, apostolica sede querimoniæ seriem et præceptum discutiendi illum accepimus. Quia vero *charitas nunquam excidit* (*I Cor.* xiii), et obedientes etiam diligit, ex superabundanti, si fieri potest fugientem revocaremus, et magnis vulneribus magna medicamenta componeremus, si ægrotus vester se ipsum recognosceret, et medicum etiam vocantem non detrectaret. Nunc igitur quodammodo vos ista causa vocat; in quamcunque partem ceciderit, consilium videtur, quatenus ex nostra commonitione visa illum voce conveniatis ut resipiscat, ut saluti suæ B nunc saltem consulat, excommunicationis contagia deserat, et non usque in finem prævaricando excedat. Nostis, novit et ipse, quam horribili comminatione districtus, ab ipso beati Petri vicario est, longo jam tempore officio suspensus; neque tamen adverterit qualiter etiam excommunicatione se contaminaverit et nullam salutis viam exinde quæsierit. Proinde sicut nos quod nostrum est, ita et vos quod vestrum est, facite : Ecclesiastica correptione illi intimate quia vicinior erit illi via salutis, si se ipsum humiliaverit et veniam quæsierit, quam si audientiam synodalem exspectaverit, ubi judicem in neutram partem flecti oportebit. Quod si vestræ fraternitatis verba et nostra hæc monita non attenderit, illi interim præter jam vetitum officium, cleri populique obedientiam avertimus, quia ipsum irrevo- C cabilem et inobedientem judicamus.

XXVIII. *Egino exsulat.* — His litteris ab abbate receptis, totique Ecclesiæ lectis episcopus regreditur, non dubitans quin pro catholico suscipiatur. Ecclesiam ergo nostram ex more ingreditur : a nemine occurritur. Si quidem abbas interdictum abnuerat, suisque hinc cavendum indixerat. Quæritur contemptus causa, referuntur universa. Tum vero nihil humanum in homine cerneres; bestiam ex fremitu vel discursu putares. Blasphemiis abbas minisque afficitur; ut publicus regni hostis proscribitur. Urbis tamen civibus tanti viri expulsionem non ferentibus. propinquorum amicorumque turba colligitur armata : nec sic quidem potest effectum habere voluntas pessime concepta. Interim ar- D chiepiscopus alias eo dirigit litteras in hunc modum :

XXIX. *Hermannus excommunicatus ab Arnoldo.* — Sanctæ Augustensis Ecclesiæ filiis et fratribus, cum E. [Eginone.] abbate sancti Udalrici, ARNOLDUS Mogontinæ sedis minister indignus, fraternam dilectionem cum oratione.

Quod proxime a domino Prænestino romanæ sedis legato apostolica auctoritate denuntiatum fuit vobis, nos quoque eadem denuntiamus vobis. Sed quia hæc neglexistis, nec vos nec ille quem dicitis episcopum vestrum, sancto concilio interfuistis; ipsum quidem, quia jam diu a domno papa episco-

pali et sacerdotali suspensus est officio, communione corporis et sanguinis Domini usque ad satisfactionem privatum esse sciatis; vos autem adhuc nostra intercessione dilatos, idem tamen subituros nisi sancto concilio Fritesleriæ v Kal. Augusti celebrando, abbates et prælatos Ecclesiæ vestræ interesse faciatis. Quod quidem sicut in mandato accepimus, apostolica auctoritate et nostra præcipimus. Præterea super querela illius vestri Adalberti nos eadem firmasse, quæ apostolicam sedem fecisse cognovimus, fraternitati vestræ notificamus. Adulterum enim et adulteram et omnes consentientes excommunicavimus. In qua damnatione vester dictus episcopus non excipitur, quia non faciendo justitiam patienti injuriam, consensum crimini adhibere probatur.

XXX. *Populus recusat confirmationem ab Hermanno.* — Quibus item a Patre nostro prædicatis, cunctisque jam ad episcopi facinus per regium timorem proclivis, totum pondus prælii solius abbatis imminebat capiti. Sabbatum sanctum Pentecostes supervenit, in quo non longe pro baptizanda cujusdam comitis filia a monasterio recessit; episcopus vero exploraturus si chrisma suum reciperemus, idem petiit monasterium. A priore loci, nomine Markwardo, baptismatis agitur officium; dum ad hoc venitur, episcopo jubente chrisma nostrum ab antistite, catholico acceptum ministro, aufertur, suumque baptistæ offertur. Tum ille quasi alienum tangere formidat, notum sacramenti vasculum quæritat. Hoc, inquit portitor exsecrati liquoris, accipere debetis, aliud non habebitis. Voce publica profitetur baptista, nolle se hæretico inquinari sacramento. Exsilit episcopus, vociferatur altius, fit in populo strepitus, discurrit clerus, divina et humana habentur promiscua. Quid ageret præcursoris Christi discipulus? tantum spiculatoris præstolabatur gladius; nisi quod Johannem Herodes in carcere (*Matth.* XIV), istum juxta altare hostis trucidaret Ecclesiæ, uterque tamen occumberet pro veritate. Tanto quippe furore præsul debacchatur, ut non sibi imperanti, sed populo non obtemperanti sacrilegii dilatio jure ascribatur. Tandem missarum solemnia inchoantur, sacerdos ad altare progreditur, vere dignam Deo hostiam immolaturus, ipse pene victima paulo superius psallentium ora blasphemiis obstruuntur, ab Ecclesia vi expelluntur, divina ex hoc officia fratribus interdicuntur. Hoc triumpho contentus pontifex contemptus, claustrum ingreditur; mensa pransuro apponitur. Saturatis omnibus exitur, Pater cœnobii regreditur, series rei gestæ retexitur. Vespertina synaxis abbate incipiente solemniter agitur, eoque magis insistendum divinæ servituti Pater idem hortatur, quo ad Satanæ injuriam fieri credatur. Ipse vero jam non in palam procedit, dum undique timor mortis occurrit. Audax namque pessimorum perquiritur contumacia, pro nece abbatis copiosa pecunia, seu alia promittuntur beneficia; episcopus hoc non pro sacrilegio, sed pro justo fieri

A indicit judicio. Processione tamen ordinata sanctæ Dei Genitricis intratur ecclesia. Ubi dum totius civitatis conveniret populus, abbate jubente litteræ superius positæ recitantur, laicis quoque interpretantur. Hæc est, inquit Pater, causa pro qua tam, ut nostis, patior adversa. Ecce ejicior cum pueris quos mihi dedit Deus, a facie vestra; sit omnium horum vestra testis conscientia. Quo facto litania incipitur, minitans cervici gladius, Deo protegente, sine læsione transitur.

XXXI. *Novæ turbæ de electione abbatis.* — Jam decimus ordinationis Patris hujus instabat annus, et quasi decimæ bonorum fructuum offeruntur Deo, dum propter justitiam Pater cum filiis privatur domo. Eodem quippe monasterio hostili manu re-
B pleto, nulloque fratre qui Patrem sequi nollet invento, pax fugæ obtinetur, egressus a novis viatoribus præparatur. Nec defuit ultionis divinæ præsagium, quo et superbi perterrerentur, et humiles consolarentur: ambitus enim monasterii terræ motu validissimo quassatur, ecclesia cum terra, campanis hinc inde percussis, ruinam minatur, sepulcrum beatæ Afræ dissoluto metallo aperiri videtur, comitatus dominæ hoc signo famulis dispergendis spondetur. Gratiarum actionibus Dei qui in sanctis suis est mirabilis (*Psal.* LXVII), propensius peractis, pedestri turba peregrinum sæculi solum calcatur, ex utroque latere uda plangentium ora fixis in terram vultibus dissimulantur, Licus transitur, monasterium santi Petri non longe positum aditur, fit multus occurentium apparatus,
C finitis Dei quibus excipiebantur laudibus seu sacratissimæ lectionis consolationibus, sub nostro pastore duplicati gregis adunatur ovile. Ubi dum vix septem moraremur diebus, Augusta, loci sui capitalis non ferens destructionem, episcopum ut alterum convenit Egeatem, in commune revocari postulamur, importune reddi exigimur, Parasceve per omnia simulatur dum altaria denudantur, signa non pulsantur, divina officia sub silentio lamentantur. Aptiores ergo eliguntur personæ pro nostri diriguntur revocatione, quidquid contrarii subierimus, litteris promittitur, non repetendum ulterius. Communicato virorum catholicorum consilio regredimur, clero ac populo in obviam ruente, cum laudibus excipimur. Sed Satana cribrari nos, ut triticum expetente (*Luc.*
D XXII), Christus pro Petri intervenit fide, dum falsi fratres inter nos discernuntur, veri non subvertuntur. Novo itaque congredimur prælio, pestiferæ suasionis delinimur blandimento, ut videlicet Patri nostro renuntiantes alterum eligamus, cum illum, ut puto præsulis inimicum, habere nequeamus. Abbas ocius remanentibus inibi subjectis proturbatur, locus perpetrando sceleri datur. Nec sic dolore concepto ad iniquitatis parturitionem perducto (*Psal.* VII) ut abbas jam e medio tollatur, hoc modo excogitatur: impiorum turba colligitur, abbati locus justitiam defendendi promittitur, nihil quam ut in præsentiam veniat restare nuntiatur. Lætior Pater ad ur-

bem properat, concludere paratus quidquid proposuerat. Verum ille, qui per angelum suum Joseph revelat, ut cum Jesu in Ægyptum Herodianam declinans persecutionem descendat (*Matth.* II), ipse nihilominus, ut innocens hujus Patris sanguis non effundatur, præcavere dignatur. Maximam etenim itineris consumpserat partem; et ecce obvium habet nuntium, litteras a fratribus suis ferentem, quæ intra et extra urbem insidias ei indicant paratas. Abbas convertitur, a cruenta disputatione tortorum eruitur.

XXXII. *Eginonis epistola.* — Interea rex jam secundo excommunicatus, Teutonicum ex Italia adiens regnum, Augustam cum duobus eadem excommunicatione damnatis ingreditur episcopis. Qui cum a fratribus prædictis accuratius susciperetur, pastor bonus dolens gregem sibi commissum, hac participationis contagione esse temeratum, hujusmodi dirigit ei mandatum:

« Novit fraternitatis vestræ discretio, quomodo matri nostræ sanctæ Ecclesiæ condolentes, corpore et spiritu fugerimus illam persequentes; novit quibus pacis et veritatis promissionibus simus revocati, nec tamen a promittentibus consecuti. Mundus enim pacem promittere potest, dare non potest (*Joan.* XIV). Ego autem pacem illam, quam Christus discipulis suis dedit, inquirens, Herodianam iterum persecutionem cum ipso Jesu in nocte tribulationis declinavi (*Matth.* II), vobis tamen prius idipsum faciendum intimavi. Econtra Dominici timoris et paterni amoris obliti, alienum pastorem vos meæ parvitatis grex, vos, inquam, filii mei, quos in Christo genui (*I Cor.* IV), illum Guntherum nostræ professionis inimicum, ad quælibet estis secuti. Me etenim, qui locum defendendi justitiam in conspectu totius Ecclesiæ desidero, violenter expulso, vobis potius congrueret nudipedalis lamentatio, quam regalis sine capite jubilatio. Hæc vobis honesta occasio, hæc meæ expulsioni fraterna posset prætendi compassio. Huc accedit quod illum alterum Judam, traditorem meum dicam Ratpotonem, quem, meo spiritu et corpore vobiscum congregato, tradidi Satanæ in interitum carnis (*I Cor.* V), modis omnibus sequendo et amplectendo in communionem recepistis, partim illi communicantibus non restitistis, sicque hujusmodi contagione pene omnes polluti estis. In quibus omnibus, quia episcopi præceptis obtemperastis, votum obedientiæ, quod mihi coram Deo et sanctis ejus singillatim per nomina promisistis, eheu! violastis. Quid ultra faciam vobis? dominum priorem, magistrum vestrum, post me fugientem, me sequentem, per illum dictum raptorem Ratpotonem, quod dictu nefas est, despoliastis. Et si in hoc non omnes, ut credo, consensistis in facientes tamen non digna ultione exarsistis. Quid dicam? Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare contra hostes tuos (*Josue*, VII). Senior noster domnus Engilboldus, non ut Mathathias (*I Mach.* II) in vobis princeps surrexit. Ipse videat quid fecerit. Verumtamen quia ipse et alii perpauci

A obedientiæ suæ mihi post hæc omnia mandaverunt obsequia, quod mihi promiserunt, præcipio et attestor. Dixi enim vos fortius non debere mutare, quamdiu permansissetis a communione illius episcopi vos observare. Quod quia prævaricati estis, vel nunc saltem, qui Domini velit fieri, me non tardet sequi. Ego enim vos non longe vobis exspecto, si quos ex vobis recipere promeruero, gratias ago. Interim illum Henricum dierum malorum inveteratum, communione corporis et sanguinis Domini sciatis esse privatum. »

XXXIII. *Monachorum fuga.* — His auditis aliquidam ingemuere, quidam derisere. Presbyter vero, nomine Eberhardus, cum bonæ indolis adolescente Odalrico monasterium egressus, Lechique torrentibus vix transcursis cum paludibus, lassos

B pedites missi a dicto Ratpotone insequuntur equites. Inermes ab armatis capiuntur, despoliati ut oves minantur; evasum utcunque gurgitis periculum intrare coguntur; in derisum vulgo per medium plateurum nudipedales reducuntur. A quibus jam mitioribus impetratur ut præda illis reddatur, sed a Ratpotone hanc in præmium recipiunt, vel si quid talibus perfugis auferre possent. Dimissi iterum eamdem viam arripiunt, Patris sequi præceptum, etsi a tubus, animis non deficiunt. O miserandam rerum faciem! In vasti medio campi, jam defecti, prosternuntur, frigore undosa membra dissolvuntur, diei consolatio tollitur, noctis terror invehitur. Tandem respirante aliquantulum fortiore, per devia discurritur, si qua humana appareat conversatio, cæcutiente visu palpatur. Villa ex improviso offenditur,

C domus contiguæ ostium pulsatur, quis intempesta nocte adsit percontatur. Ut pauperibus, causa Dei, aperiatur humiliter supplicatur. Quamvis tarde, intromittitur, locus accenditur, quod vere pauper sit cernitur. Pro socio in via derelicto interpellatur, precibus annuitur: plaustro impositus sacerdos, et a Samaritano in stabulum ducitur (*Luc.* X). Tepefactis artubus, apponitur jejunis cibus; matutini aguntur, ad locum sibi condictum proficiscuntur. Alii quoque fratres monachi habitu deposito, negotiatoribus junguntur, alii noctu effugientes Patrem nostrum sequuntur. Quidam vero ex ipsis subdola intentione obedientiam abbati suo demandant, nec tamen passibus corporis, sicut nec cordis appropinquant. Quibus istis respondetur litteris:

D XXXIV. *Eginonis epistola.* — « EGINO Dei gratia, quod est, fratribus, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum (*Rom.* VIII). »

« Litteras obedientiæ vestræ fidelitatem insinuantes jam sæpius accepi; sed quod eadem fides non sit in vobis universalis, testatur dissensio, imo contentio particularis. Partes autem discordantium non habet Ecclesia (*I Cor.* XI). Ergo illi extra Ecclesiam tunc convincuntur, qui fidem quæ est in Christo irritam fecisse concluduntur (*I Tim.* V). Unde nollem vos quasi in commune eulogia obedientiæ ad me direxisse, sed magis divisos a nobis corde et calamo divisisse. Qui enim legationi proxime vobis a me

factæ non timuerunt detrahere, eorum nomina ad verecundiam filius iniquitatis non oportet latere. Rogo autem, quid eos ibi offenderit dicant. Puto filios regni regalem monitionem perturbasse. Ponam iterum eamdem monitionem ad eorum confusionem vel, quod mallem, ad eorum correctionem (*Matth.* VIII). Me, inquam, qui locum defendendi justitiam in conspectu totius Ecclesiæ desidero, violenter expulso, vobis potius congrueret nudipedalis lamentatio, quam regalis sine capite jubilatio. Sine capite, inquam, hoc est, sine abbate, sine priore; iterum atque iterum dicam, sine capite. Abbas inquiunt, Guntherus tantum astabat. Quis iste locus defensionis? quomodo astabat? Pro capite, an pro cauda? Ipse non concedit pro cauda, et vos non conceditis pro capite illum astitisse. Ut esset amborum neutrum, et illius usurpatio, et vestra invalide probavit, reluctatio. Me, inquam, violenter expulso. Nonne ipsi rationi vim facere videntur, qui hujusmodi dictis regi me injuriam irrogasse fatentur? An uno e duobus concesso alterum non conceditur? An cum musica in luctu excluditur, in gaudio non admittitur? Hoc modo filiis sponsi me qualicunque illis ablato, magis congrueret nudipedalis lamentatio, quam regalis sine capite jubilatio.

« Quare ipsam litteram litterati non attendunt (*Eccli.* XXII)? Nonne nudis pedibus incedere, est judicem ad misericordiam flectere? Ergo illi magis regem offenderunt, qui ficta lætitia ac per hoc duplici corde ipsi occurrerunt. Hæc, inquam, vobis honesta occasio, non ut suspicantur regem non honorandi, sed non jubilandi; hæc mei expulsioni fraterna posset prætendi compassio. Hæc verba si exponimus, pueris ludum facimus, cum aperte confundant offendentes in superioribus. Cæterum ut cœpistis, hostiam vociferationis non immoletis (*Psal.* XXVI), videlicet ab officio missæ abstinendo et horas canonicas sub silentio, vigilanter tamen persolvendo. » Ad ultimum vero sua monita vel præcepta hujusmodi concludit sententia:

XXXV. — « EGINO Dei gratia quod est, electis in Christo, propter quos omnia sustineo, id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum (*Rom.* XV).

« Quoniam vestræ fraternitati cuncta quæ de instantibus periculis dicenda erant, tam absens quam præsens intimavi, restat ut obtemperantes nobis in Christo a facie iniquitatis in sinum matris Ecclesiæ colligamus; apostatantes autem a Deo, ac per hoc a nostra obedientia, quia filios Dei conturbant, justæ censura sententiæ abscindamus. Præcipimus ergo in verbo Domini, ut quicunque in vobis se filios Ecclesiæ recognoscunt, incontaminato per inobedientiam loco ulterius non remaneant, ne cum Dathan et Abiron inferno deglutiente pereant (*Num.* XVI). His vero qui in hac qua cœperunt contra nos contumacia perdurare decreverunt, eumdem locum in virtute

A sancti Spiritus (*Rom.* XV) interdicimus, ne per illos diutius nomen Dei blasphemetur in gentibus (*Rom.* II). Miro etenim modo locidem facere obedientiam et conditionalem nituntur: cum non nisi in ambitu quatuor parietum claustri, et non irato contra abbatem episcopo monachis eam servandam esse fateantur. Hi quia Sarabaitarum lasciviam sequuntur, a fortissimo genere cœnobitarum excluduntur. Ut autem finem multimodis verbis faciamus, omnes voto sanctæ obedientiæ nobis in Christo obligatos, ad locum per nuntium, nostrum condictum invitamus, alienantes autem retrorsum ac nostræ fraternitatis fugientes consortium ab unitate corporis Ecclesiæ gladio spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI) amputamus. »

B XXXVI. *Egino sese excusat.*) | Augustensibus de his omnibus abbatem incusantibus, suique destructorem loci inclamantibus, Pater idem scriptis excusatur talibus:

« Sanctæ Augustensis Ecclesiæ filiis universis, EGINO, Dei gratia, quod est.

« Novit beatitudo vestra qualiter apud vos hactenus conversatus sim, quomodo vi expulsus discesserim, et quomodo vocatus redierim. Hujus vocationis credidi promissis, maxime quia catholici redundabat dictis, dum quidquid justum, quidquid canonicum, quidquid tam vestræ quam meæ saluti esset necessarium, loqui inter vos sit mihi concessum, imo loquenti consilium et auxilium vestrum non sit negatum. Ex hoc nihil his contrarii, nihil novi, nihil locutus sum dubii, unde deberem, nec confessus, nec C convictus, expelli. Jam profugus recessi, quid ultra patimini fugientem persequi? Fratres mei, sancta obedientia vocante, me sequuntur, quos inermes armati ex vobis insequuntur, et contumelia afficientes deprædantur. O prudentiam, o fortitudinem Augustensium ad hoc redactam, ut uni homini sancta illorum conculcanti resistere timeant, subjici non erubescant. Siquidem præcepto illius apostatæ Ratpotonis, monachorum persecutoris, obtemperatur in vobis, dum qui nullius est apud Deum dignitatis, tantæ sit apud vos potestatis, ut postquam qui vos lingua dolosa expellat, etiam gladio persequi prævaleat. Tandem, precor, redite ad cor, quia si tacti intrinsecus fueritis, me non nisi vera inter vos dixisse videbitis, ac per hoc a persecutione mea cessabitis (4) ....»

D

XXXVII *Epigonis apologia.* — « Reverendæ paternitatis ac diligendæ fraternitatis, cunctis utriusque sexus in Christo fidelibus, EGINO ille cujus incolatus est super terra prolongatus (*Psal.* CXIX), cælestis patriæ associari civibus.

« Quoniam *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). omnis qui manet in Deo, imo in quo manet Deus, nimirum, spiritu charitatis est repletus.

(4) ..... Hiatum hunc resarciri posse jam quidem mihi nulla spes est; quod aliud exemplum, quantum ego scio, non exstet. Aliena quædam inserta erant ab alia manu postea id factum, ne pagellæ vacarent scilicet. CAN.

Ex fonte vero dilectionis rivulus emanat compassionis. Hoc igitur salubri fonte redundantibus necessario duxi paucis absolvere, quibus subsequentium casibus * præmissa causa quæ tot provocavit adversa, ut virtus compassionis crescat ex causa justitiæ et veritatis. Quamvis enim peccator indignus officio regiminis (*I Cor* xviii) ut multi vestrum noverunt, cœnobii fungebar Augustensis. Ubi quanta Deus nostris temporibus, non dico meritis fecerit, quod videlicet religiosos viros inibi coadunaverit, quamque virtutibus rebus quoque exterioribus locus idem in brevi succreverit, non modo vicinos et contiguos, sed etiam remotos latere minime potuit. Verum quia, juxta egregium prædicatorem, oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant, expetente Satana ut cribraret nos sicut triticum (*Luc.* xxii), quem defensorem ac propugnatorem sperabamus, ut puta gregis dominici pastorem, Augustensem episcopum, crudelem sensimus persecutorem. Qui cum a beatæ memoriæ papa Paschali pro diuturna inobedientia, in omni pontificali officio fuisset interdictus, atque a successore ejus Gelasio secundo, nec non a sancto adhuc superstite papa Calixto secundo, absque spe ejusdem recuperandi officii sit damnatus, ab ipsa apostolica sede hoc accepimus mandatum, hujusmodi vitare ut mortiferum (*I Cor.* xv). Nos tamen ut minus perfecti non statim ad hæc implenda convaluimus; cum Petro scilicet ad ancillæ carnis vocem adhuc pertimuimus (*Joan.* xviii); cum iam nefanda, potius humana sapientibus acquiescendo, quam divinis et apostolicis præceptis obtemperando, dissimulavimus.

« Denique ipso contra jus fasque omnibus modis grassante, adeo ut catholicum papam respueret, Burdinum reciperet, nomenque ejus in cerei paschalis benedictione recitari præciperet, ac plebem sibi subjectam, tanti hæresiarchæ litterarum salutatione pollueret, nos etiam in his omnibus secum contaminari cogeret : tandem ut arcus fortium superaretur (*I Reg.* ii), nos hactenus infirmi divino robore accingimur, in medium progredimur : cum apostolis, etsi longe impares, protestamur : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v). Hac voce non minori quam Scribæ et Pharisæi pontifex iste commovetur furore ; dum mox vincula et carcerem minatur et exsilium, nec unquam cessaverit quousque ego et fratres mei, qui cum duodecim Christum sequebantur (*Joan.* vi), aliis retro abeuntibus a monasterii quiete proturbamur. Nec tamen huic præsuli post innumeras contumelias et injurias, nostri suffecit expulsio, quin in omnes terræ fines nos ejus pro posse sequeretur persecutio. Quamobrem cum archiepiscopum nostrum, nec non magnum episcoporum, abbatum seu principum catholicorum adirem colloquium, expositæ querelæ, in commune pro sceleris immanitate mirantur et lamentantur. Proinde communicato prudentiorum consilio ad Romanam dirigor sedem, tum pro speciali nostra necessitate, tum pro communi Ecclesiæ utilitate. Quod iter cum arriperem, ex hostium insidiis periculosissimum potius per devia quam regia via utcunque perveni Placentiam. Ubi dum puer meus, quem ab infantia nutrieram, cum omnibus rebus nostris, exceptis equitaturis, nocte aufugisset ; qui in paucis sæpius de itineris perfectione diffidebam, in nihilum de ejus qui cuncta creavit ex nihilo, misericordia præsumebam. Quid plura ? Per abrupta montium, per vastissimam eremum, per terram famis et sitis, ubi vestigium non inveniebatur hominis, transivimus. Sed quasi in pretium tanti laboris domnum apostolicum in maritimis locis, videlicet apud Rosellam civitatem invenimus ; a quo hilarissimo ut est vultu recipimur. Romam una secum deducimur, relaturi terræ nostræ, ut ipsius verbis utamur, triumphum Ecclesiæ. Jam enim quis illius terræ concursus? quantus omnis sexus et ætatis apparatus? militiæ quoque Romanæ, ultra trium dierum iter occurrentis, quam jucundus fuerit comitatus, Cæsar, si superesset, indignans miraretur ; Tullius forsitan attraheretur, dum vexillo crucis omnium consulum et imperatorum superari trophæa conspicaretur. Appropinquante vero summo pontifice ad Urbem, puerorum et infantium cum ramis omnigenarum arborum occurrentium excipitur laudibus, quos ne quis opprimeret vel abigeret, cum Jesu benedicens aiebat : *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum* (*Matth.* xix). Deinde coronatus ut regali sacerdotio Ecclesiam credas potiri, per medium deducitur civitatis, plateis auro, gemmis pretiosissimis, palliis undique adornatis. Nec defuere Græcorum et Latinorum concentibus confusi Judæorum plausus, ut cæca gens vel invita confiteatur, unde magis puniatur. Vix hora decima cum esset III Non. Junii, a mane protracta rarescit processionum frequentia, quando et idem Pater universalis a Lateranensi exceptus sede in palatium, ut moris est, judicum legali perducitur carmine. Abhinc usque in Kal. Julii præsentia jugiter tantæ sanctitatis perfruebar viri, hac instantia nesciente fastidium, quia semper in majus accendebatur desiderium. Siquidem hilaris vultus sub verborum pondere ; jejuniorum seu vigiliarum discretio, absque eo quod intrinsecus latet (*Cant.* iv), cunctis intuentibus in eodem Patre uno atque eodem spiritu operante mirabili effectu patet. Laus omnis inferior, dum vir iste revera apostolicus virtutibus et miraculorum signis comprobetur sublimior. Quæ quia tota Francia, Longobardia, Tuscia, atque Apulia prædicat, hujus angustia chartulæ supersedeat. Igitur percepta a sanctis ejus manibus Dominici sacramenti communione, et inter crebra oscula, largissima benedictione, iter rediturus arripui, navique per mare transiturus, apud Ostiam civitatem cum Aquensi episcopo intravi. Quæ cum socium laboris nostri fratrem Udalscalcum præ hominum multitudine capere non posset, alteram, quæ tamen cum nostra erat itura, ascendit. Sed mox pelago turbato naves in tantum sunt disjectæ quod intra quatuordecim dies

nec loqui invicem potuimus nec videre. Cœpi ultra modum de amisso fratre contristari, ex tristitia infirmari, vixque Pisas valebam deportari. Ubi qualiter frater me invenerit, quidve postea de me factum sit, ipse fideliter referat, animamque meam vestris rationibus commendet. »

XXXVIII. *Eginonis mors.* — Heu me! Pater amande, quid agam? orphanum et pupillum in exsilio derelinquis filium, et tu ad patriam pergis et ad Dominum. Paucissima ponam verba, quia magis tunc jubilabam dolore, quam garriebam ore. Igitur decimo quarto, ut dictum est die, post innumera maris, famis et sitis pericula. Pisas et ego perveni, sperans laboris et doloris mei finem, cum scilicet dominum meum et Patrem reperirem, sed tristitia super tristitiam, illo jam in extremis posito, mihi accumulabatur, nec ulla spes consolationis inveniebatur. Tum vero quantis Pater filium amplectitur suspiriis, quantis filius Patrem infundit lacrymis, pretiosa in conspectu Domini mors ejus (*Psal* cxii) testatur, dum me qui perieram recepto mox a præsenti sæculo nequam erui precatur. Fratribus ergo suis et amicis per me valedicens, et ut in Ecclesiæ obedientia ad mortem usque permaneant exhortans, tanquam præsentia fastidiens, ad futura jam rapitur: usque ad ultimum enim spiritum nulla ex ore ejus nisi vox psalmodiæ auditur. Psalmus autem hic erat quem sæpius replicabat: *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini* (*Psal.* cxv). Cujus et extremus versiculus egredientem comitatur spiritum ejus; illud optabile his verbis præfigurans: Euge, quod erit in proximo auditurus, qui in pauca fidelis, super multa es constitutus (*Luc.* xvi). Quos enim in Christo per Evangelium genuit (*I Cor* iv), hoc digno in domo Domini ad gloriam, ut mater filios, lætus recipit. Itaque astante religiosissima Camaldulensis ordinis congregatione, post intimum peccatorum suorum confessionem, post olei sacrosancti unctionem, Dominicis munitus sacramentis, idibus Julii via æterna mortem sæculi commutavit præsentis. Depositus est autem in Beati Michaelis monasterio, juxta incomparabiles Pisanorum divitias optimo archiepiscoporum mausolio, ubi nesciuntur tenebræ, exclusæ jugiter sole vel oleo. Nullus ergo ex simplicioribus hujusmodi tanquam fortuitis, etsi adversis, quantum ad humanum aspectum scandalizetur casibus, cum Abrahæ patriarchæ divinitus præcipiatur ut terram nativitatis suæ egrediatur (*Gen.* xii); Moyses et Aaron non in terra repromissionis moriatur (*Deut.* xxxii); apostoli quoque per omnes terræ fines dispergantur (*Deut.* xxxii) quatenus et nos non in terra esse patriam, sed cœlum (*Psal.* xxxviii), verbis et exemplis instruamur

UDALSCALCI

CARMEN

DE ITINERE ET OBITU EGINONIS

ABBATIS S. UDALRICI AUGUSTÆ.

—

Hic Patris occasus, dum veri solis ad ortum
Tendit, et ad portum, qui nescit tempora casus.
Est tibi gaudendum pro tam præstante corona,
Fili, mente bona simul est quoque mente dolendum.
Nam velut orbatus remanes patre spirituali,
Et tibi causa mali reputatur is, unde beatus.
Sed tamen est pia spes, hic qua dolor alleviatur,
Scilicet optima res, qua justus quisque beatur;
Nato reddit ubi patrem sinus ille paternus
Ergo si nos jungat ibi Pater ille supernus.
O style plangentis, quid per diversa vagaris,
Ut dolor est unus, sic una voce fruaris.
Finis ad hanc vocem verborum suscipiatur,
Finis nos Patris monet, ut finis teneatur,
Nam variis animus licet involucris subigatur,
Sæpe tamen loquitur quod semper quis meditatur.
Res miseranda nimis sub honore Dei referatur,
Ut pietas ejus quam magna sit hinc videatur,
Largus in auxilio miserorum cum doceatur
Cum Patre filius exsulat, unicus hos comitatur
In specie famuli fuit, ut Judas toleratur.
Nam nihil officio distant; servus Dominis similatur
Jam procul a patria via deserti speculatur
Quæ locus ad fraudem furis sub corde paratur;
Noctis adest tempus; magis ille dolo tenebratur;
Rebus enim cunctis, quibus illud iter rugetatur
Direptis abiit. Mortem fortuna minatur
Sed Pater omnipotens spoliatis auxiliatur
Spem tribuendo viæ peragendæ; nec dubitatur
Munus enim magnum misero spes firma probatur,
Quid moror? intratur eremus, tandem peragratur
Octo tamen soles ibi cum sudore vagatur
Cum latro difficilis, via difficilis patiatur
Ecce laboris honor; prope sanctus Papa moratur
Tum volucres homines reputares, sic properatur
Vix exspectatur, quod ad illum perveniatur
Suscipit inventus clementer, amat, veneratur
Est locus, adventus Patris hujus ut expediatur
Qualiter in cathedra Romano jure locatur

Omnis adest ætas, ubi sexus uterque gregatur
Cleri seu populi vox lætitia modulatur
Quolibet ornatu via, qua transit variatur
Pompa triumphalis tibi Cæsar tanta negatur
Te veniente decus patrum cum lege fugatur;
Hujus in adventu lex justitiæ renovatur
Cum socero pugnas; civile malum dominatur
Per te nulla quies, dum Cato sibi moriatur:
Hoc sed Patre pio gens genti pacificatur
Ecclesiæque status jus in proprium reparatur,
Plurima signa Deus super infirmis operatur
Ejus per meritum, dum quisque febris relevatur;
Quod quia Tuscanus, Ligur, Appulus astipulatur
Carmine præsenti per plura supersedeatur:
Apt ad eos, quibus iste stylus servit, redeatur
Ad mare tendebant ut ab hoste viæ caveatur
Navis ut aggreditur, sui mergens unda levatur
Ut pater a genito miseranda sorte feratur
Quam rerum faciem, nisi passus, quis meditatur.
(5). . . . .

(5) Videntur quædam deesse nam et hic in ms. alia manu aliena quædam addita sunt, ne pagella scilicet vacaret.

VITA CHOUNRADI

CONSTANTIENSIS EPISCOPI.

AUCTORE UDALSCALCO.

(PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. t. IV, p. 429.)

—

MONITUM

Udalricus I Constantiensis episcopus cum Chounradum antecessorem suum a Calixto II papa inter sanctos referri postulans, hoc nisi vita illius in generali concilio coram papa recitata et comprobata fieri non posse responsum accepisset, Vitæ conscribendæ Udalscalcum, Augustensem SS. Udalrici et Afræ monachum, adhibuit (6). Qui Eginonem abbatem, ab Hermanno episcopo, Heinrici V imperatoris partibus favente, Augusta pulsum fideliter comitatus, cum tunc temporis apud Udalricum hospitio exceptus exsularetur (7), officium sibi injunctum explevit, et antiquis schedulis vetustisque relationibus sibi ab Udalrico oblatis innixus, librum concinnavit (8), quo per ipsum et Heinricum vicedominum papæ oblato, Calixtus II ex decreto concilii rescripsit, ut si vera esse agnoscerentur miracula quæ per eum a Deo facta dicerentur, scripturis et lectionibus memoriter deinceps teneretur. Responso benevolo recepto legati regressi, in itinere capti et aliquanto tempore carceri inclusi sunt, ubi Udalscalcus rogatu concaptivorum historiam Chounradi « suaviter modulatus est,» quam non multo post dimissus Udalscalcus rogatu concaptivorum historiam Chounradi « suaviter modulatus est, » quam non multo post dimissus Udalrico episcopo una cum litteris Calixti detulit; quibus allatis, corpus Chounradi d. VI Kal. Decembris a. 1123 elevatum est (9).

Liber ab Udalscalco centum quinquaginta fere annis post obitum Chounradi compositus et satis jejunus, jam prodit ope

1) Codicis monasterii Sanctæ Crucis in Austria, quem a. 1821 evolvi et D. Franciscus Goldhann Vindobonensis in usum nostrum nuper exscripsit. Est membranaceus in folio maximo sæculi XII. Idem fere textus.

2) Chronico episcopatus Constantiensis, auctore Jacobo Manlio, insertus legitur (10), unde nonnullos locos emendare et capitulum unum supplere licuit.

3) De codice, Udalscalci nomen præferente, quem Leibnitius inter libros vindobonenses laudat (11), nihil comperi, certe quem ipse catalogos bibliothecæ secutus in Annalibus nostris adnotavi (12), cum Vitam istam minime exhibere, Chmelius noster rogatus ad me retulit (13).

NOTÆ.

(6) V. infra Hist. translationis S. Chrounradi.

(7) Cf. Udalscalci librum De controversiis inter Hermannum episcopum et Eginonem abbatem in Canisii Thesauro edit. 2, t. III, p. II, p. 1 sqq., et Sigismundi Chronicon Augustanum ecclesiasticum l. II, c. 2, in Pistorii SS. t. III, p. 675.

(8) V. Præfationem.

(9) V. Hist. translationis

(10) Pistorii SS. III, 711-717.

(11) SS. Brunsv. II, Præf. p. 2.

(12) II, p. 498 (in Catalogo Hist. eccl. 111).

(13) Codicis qui olim in monasterio Budecensi exstabat apographum inter schedas sociorum Bollandi Bruxellis in codice regio 8953 Bethmannus vidit.

PROLOGUS.

Domino [1] Calisto papæ sanctissimo, Udalrikus Constantiensis ecclesiæ famulus, cum universo dominici gregis sibi commisso ovili, debita obedientiæ et [2] servitutis vota cum orationis [3] instantia. Divini clementiam [4] respectus, sub vestræ paternitatis gubernaculo dies nostros multis consolantem [5] bonis propensiori gratiarum actione magnificamus [6], cum de tranquillo rerum statu et nova sanctorum claritate, qua diversæ illustrantur ecclesiæ, gaudeamus. Sicut enim splendor veri solis plures [7] mundi partes [8] electorum suorum meritis quasi totidem radiis penetravit, ita ad nostrum quoque vergens occidentem, per felicis memoriæ Chunradi Constantiensis episcopi miraculorum insignia non impari luce totam nostris temporibus Alamanniam perfudit. Pro cujus gloria, ut moris est ecclesiarum, canonizanda cum sedis apostolicæ præsentiam crebris jam dudum interpellassem litteris, hoc inmutabilis sententiæ responsum accepi, vitam ejus in concilio recitandam A et comprobandam fore generali, et [9] testes insuper ydoneos signorum quæ per eum fiunt seu facta sunt, ibidem adhybendos, ut tantis cœlestium donorum beneficiis reverentia fidelium assurgat universalis, et [10] per hoc invidia, quæ nec mortuis parcit, obstruatur [11] particularis, cum digito Dei malefici superentur [12] Pharaonis. Quapropter operam dedi, ex patrum scedulis, hujus viri dignissimam Dei [13] conversationem potius quam miracula, quæ nonnumquam reprobis cum sanctis communia sunt, continentibus, sequens opusculum colligere, vestræque sublimitati examinandum dirigere, malens stilum simpliciorem verecundiæ patere, quam civitatem supra montem ponendam in valle torporis et oblivionis diutius latere. Adjeci tandem ex innumeris, B quibus plurimæ ad memoriam ejus lætificantur nationes sub probabili testimonio, pauca duntaxat signa, ne sicut videntibus gaudium, ita audientibus nimietate sua generent [14] fastidium.

INCIPIT VITA.

1. Igitur beatus Chunradus, nobili Alamannorum stirpe exortus, in paradyso [15] ut germen erumpens uberius florem, illustrem natalium [16] exornat propaginem. Quem enim clarum altior carnis edidit nativitas, hunc clariorem atque excellentiorem spiritus reddidit generositas, ita ut [17] in hanc ab ipsis tenerioribus [18] annis totus transfertur. Gratia quippe superna virtutum iniciis primordia ejus comitabatur, et quantus esse futurus, jam pro ætatis [19] modulo non mediocriter in eo informabatur [20]. Denique traditur a parentibus Constantiensis ecclesiæ fratribus litterarum scientia imbuendus; in quorum contuberniun illius sorte, cujus est assumptio nostra, receptus, ad excubias tabernaculi quod fixit Deus ministerium [21] initiatur leviticus. Nec defuit unctio spiritus alumni sui præcordiis, quæ frustrari non sinebat laborem hominis extrinsecus docentis, dum quælibet liberalis disciplina [22] docibilis Dei ardentius reconderet semina, multiplici quandoque fructu proferenda.

2. His studiis lubrico ætatis illius gradu trans- C cursu, solidioris intellectus et habitus roborat animum progressu, in tantum ut corruptibilis æstum naturæ divino temperaret timore, et [23] per hoc in ejus pectore sedes fundaretur sapientiæ. Nam [24] tamquam in editiori gravitatis morum solio residens, mirabatur, si retro respiceret præcipicium adolescentiæ inmuni se passu evasisse; nec tamen de [25] hucusque servata præsumens innocentia, vitam artioris parsimoniæ moderatur [26] observantia.

3. Per idem tempus ecclesiæ Constantiensi pontifex reverendus præsidebat Nothingus (*an.* 920-934), qui ubi viri hujus conversationem probabilem et honestam comperit, in opus ministerii sui eum assumpsit, et instar Josuæ populo Dei præferendus instrueretur, qualiter ipsi præsuli tanquam Moysi successurus ducatu spirituali quandoque potiretur. Publicis igitur et privatis ecclesiasticæ curæ negotiis instans, ut major consilio, ut expeditior verbo, D illius gratia de cujus plenitudine omnes accepimus, non sine [27] admiratione vigilantius auditur ab omnibus, cum in singulis causis et personis idem sibi,

VARIÆ LECTIONES.

[1] D. et venerabili 2. [2] et s *desunt* 2. [3] orationum 2. [4] Divina clementia 2. [5] consolandum 2. [6] magnificemus 2. [7] alias 2. [8] plagas 2. [9] *deest* 2. [10] ac 2. [11] observetur 2. [12] molestia superetur 2. [13] Deo 2. [14] sui generarent 2. [15] paradyso 2. [16] nobilium 2. [17] *deest* 2. [18] teneoribus 1 ? [19] pietatis 1. [20] formabatur 2. [21] minister 2. [22] disciplinæ 1. *vocabulo* doctrina *deleto.* [23] ac 2. [24] Jam 2. [25] *deest* 1. [26] moderatus 1 ? [27] sui 1 ?

diversus pro rationis qualitate videretur aliis [28]. Super egenum et pauperem, ut intelligens inopiam [29] esse quam diviciæ alienum a se fecerant, compassione experiri desiderat, [se [30] miseriorem], se inferiorem reputans, si cuique pro viribus non subveniat. Cunctis oppressis, pro sui relevatione [31] tunc temporis episcopum adeuntibus, hic facilis accessus, hic non emptus causidicus, hic postremo adjutor extitit importunitatibus [32]. Verum tantæ virtutis homo digniori probandus erat exercitio, in præpositum a fratribus eligitur, ac per hoc communi rerum utilitati prospicitur. Nam juxta adeptum [33] culminis honorem, quod hactenus voluntate [34], deinceps operatur bonum ad omnes facultatis liberalitate [34], præsertim cum ambitionis, quam nimirum generat avaritia, ignoret cæcitatem [35]; sed quanto magnus sit, eo [36] magis sectetur humilitatem, eo largius caritatis amplectatur benignitatem. Non minus et ipse honorabilis atque amabilis, tum [37] pro reverentia dignitatis, tum [37] pro affectu paternitatis habetur universis; qui felix revera illud ævum arbitrantur, quo tanti vir exempli divinitus orbi donatur.

4. Interea præfatus antistes Notingus humanæ debitum persolvens naturæ defungitur; cujus corpus a sancto et venerabili Udalrico Ausgustensi præsule [38] sepelitur. Hic admirabilis vitæ pater, cum erga [39] viduatam ecclesiam in eligendo episcopo pro cœlesti duceretur oraculo, triduanum jejunium toto clero indixit et populo, dignum asserens, præcipua [40] quæque divinarum rerum consilia majori devotione a spiritu consilii fore petenda. Cumque [41] die statuta frequens utriusque sexus et ætatum esset [42] concursus, grandis omnium fit expectatio, quem Deo plenus pater Udalricus ydoneum gregi dominico pastorem exprimat primus. Ille spiritu instructus, Chunradum non modo irreprehensibilem, sed omni qua apostolus episcopum describit forma perfectum, in hoc opus bonum hortatur assumendum. Nec [43] mora, hæc vox in ore universorum: *Juxta generale votum dedit nobis Deus episcopum!* Renitentem itaque [44] et indignum se vociferantem cathedra pontificali Constantia suum exaltat Chunradum, ad cœlum usque laudibus suum attollit electum [42]. Gaudet clerus, se talem promeruisse pontificem [46] qui sibi prudentia [47] præesse valeat et providentia, cum alterum eorum hunc principaliter [48] ordinem respiciat, alterı eorum [49] specialius indigeat. Quamvis enim filii seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint, ab illa tamen sapientia quæ desursum est oculus eorum quam plurimum caligat, cujus radii Deo dicatos tamquam proprios clarius [50] illustrant. Quorum etiam potior obtutus solerti [51] præsidentis servandus est cura, ne aliqua tenebrosi seculi turbetur nebula. Inpaciens enim pluviarum est purpura, qua [52] altare aureum tabernaculi fœderis involvitur; sagis vero ciliciniis turbinis et imbrium tempestas impune excipitur.

5. Sed ut stilus ad novum recurrat antistitem, lætatur [53] populus de tam eximio pastore, cujus voce indesinenter ad uberrima supernæ beatitudinis invitatur [54] pascua, cujus vita nullatenus a sana discrepat doctrina [55]. Cum enim sic se imperitum hominum genus habeat, ut si secus doctrinam [56] quam docet prædicator non agat, nec verum quidem suspicetur quod [56] dicat, hic veritatis doctor [58], hic operator [59] justiciæ operum commendatione vulgari laude ferebatur, ac per hoc non paucas Deo animas lucratur [60]. Pauperes in eo se vere patrem invenisse [61] fatentur, quorum miseriæ cominus suis refrigescit diebus, quorum nuditas vel inedia hospitalis viri largitate solatur continua. Quibus et domum in ipsa civitate ædificavit, in qua sacrato principum [62] ecclesiæ numero duodecim pauperes præter alios omni hora supervenientes [63] jugiter disposuit pascendos. Postremo ipsi nobiles ac potentes mundi exemplo ejus sub potenti manu Deo [64] addiscunt humiliari, nec est ulla jam utriusque sexus mortalium conditio, quæ suo non instruatur exemplo vel [65] documento, vel [66] reficiatur beneficio.

6. Principalem præterea genitricis Dei æcclesiam duplici cumulavit thesauro, copiosis scilicet [67] undecumque [68] collectis sanctorum reliquiis et metallorum ex auro et gemmis fulgoribus preciosis. Tres insuper basilicas, unam foris murum civitatis, duas infra construxit, quas et abundante dote [69] dedicavit. Ex quibus in ea [70] quæ ad honorem beati Mauricii fundatur sepulchrum Domini in similitudine [71] illius Jerusolimitani factum mirabili aurificis opere per gyrum decoravit; ubi etiam [72] et 12 clericos datis stipendiis ordinavit. Auget quoque numerum majoris ecclesiæ fratrum; spaciosum ac memorabile ex propriis tradens [73] eis allodium, ne, si militantes Deo gravius paterentur victus aut vestitus dispendium, illud tamquam in deserto murmurantibus virus irreperet serpentium [74], quod nonnisi per dominicæ passionis fugatur intuitum. Quamquam enim noslet, timentibus Deum nichil deesse, cum aut rebus aut sola qua penuriam superent patientia exhuberent, modis tamen omnibus præcavere conatur, ne scandalo vel extremo [75] pusilli Jhesu offendantur. Plenus enim [74] ante et retro

VARIÆ LECTIONES.

diversis 1. *ubi* aliis *deest.* [29] p. int. eorum inop. 2. [30] *desunt* 1. [31] revelationi 1 ? [32] a. in oportunitatibus 2. [33] adepti 2. [34] voluntatem — liberalitatem 1. [35] cæcitates 2. [36] tanto 2. [37] dum — dum 2. [38] pontifice 2. [39] gratia 1 ? [40] majora 2. [41] Tum 2. [42] *deest* 2. [43] Hec 1 ? [44] ergo 2. [45] clericum 1 ? [46] præsulem 2. [47] et sapientia 2. [48] præcipue 2. [49] *deest* 2. [50] p.tibo- c. 2. [51] vigilanti 2. [51] quam 1. [53] novi antistitis obsequium veluti parvulus ad maternum recurrat sinum, lætatur 2. [54] u vitæ inv 2. [55] opera a salubri n. discrepant d. 2. [56] *deest* 2. [57] vera.... quæ 2. [58] d.verax 2. [59] orator 2. [60] lucrabatur 2. [61] accepisse 2. [62] quo s. principium. 1. [63] extra superv. 2. [64] dei 2. [65] e. vel *desunt* 2. [66] seu 2. [67] videlicet 2. [68] undique 2. [69] easque d. habundanti 2. [70] similitudinem 2. [71] *deest* 2. [72] speciosum ex p. ac.memoriale t. 2. [73] serpentinum 2. [44] *deest* 2. [76] aut 1.

oculis, præsentibus prospicit atque [75] futuris, nec est studium ecclesiasticæ traditionis [77] aut religionis unde fervente [78] in Deo animum [79] enormitas exterreat laboris.

7. Pericula maris tertio temptat, ut totiens Hierusalem etsi terrestrem videat; non pro nichilo ducens, si terram repromissionis aspectu intuetur [79] carnis, ubi patriarcharum figuris et prophetarum triscensis oraculis, ipsum Deum hominem [80], quem præcinebant septem humanitatis assumptæ [81] reserantem signacula, fidei contempletur oculis.

8. Suprememorati patris Udalrici, ut Davit Samuelis, perfruitur amicitia, exercitatur visitacionis mutuæ frequentia. Nec incongrue [82]; in ipso enim [83] spiritu antistes hic per episcopum eligitur, in quo [84] illic rex [85] per prophetam ungitur. Est autem in territorio Constantiensi castrum ex situs [86] proprietate Loyfen [87] denominatum (14); in quo dum simul commorantes, die quadam maximum Reni velut in abyssum inibi [88] proruentis indeque visu terribili [89] ebullientis mirarentur impletum, duas vident volucres circa rupes e medio fluminis incessanti [90] volatu gyrantes. Quæ et crebrius, ingruente rotatus defectu, unda torrenti jam jamque præcipitari [91] incipiebant, rursumque emergentes, miserabile spectaculum intuentibus præbebant. Nec diu re insoluta obtutus sanctorum frustrantur [92], qui, in avium specie animas nondum plene [93] purgatas illo tormenti genere cruciari, per spiritum docentur. Festinatur ergo ad celeberrima mensæ cœlestis præsidia; et prior ut hospes accedere cogitur Udalricus [94], hostiam vitæ immolaturus. Qua diviuitus suscepta, [95], nonnisi una comparet avicula; altera per dominum domus [96] salutis offertur [97] victima, et altera simili translationis modo liberatur anima.

9. Præterea spiritum prophetiæ [98] beatissimo Chunrado non defuisse, ex his quæ sequuntur possumus colligere. Causa extitit, pro qua terminanda domum, in qua [99] morabatur, cum paucis consilium habiturus egreditur. Super cujus sedile in medio relictum dum optimæ indolis Gebehardus, tercius post eum episcopus, non s[…]rii gratia consedisset [100], reppertus in eo, talia a superveniente patre non sine rubore verba audivit: *Præmature*, inquit, *Gebeharde, sedem meam arripuisti; ante tempus locum pontificis invasisti. Michi succedet, qui prior te in hac katedra sedebit.* Quod quam verum fuerit, exitus rerum probavit. Viro namque Dei de [101] præsentibus beato Chunrado [102] sublato, Gamenoldus [103] quidam vacante excipitur solio. Hoc item ante lustri expletionem defuncto, dictum Gebehar tum Constantia promuerit pastorem, sanctitatis revera et morum prædecessoris sui Chunradi in omnibus heredem.

10. De [104] cujus virtutibus retexere aliqua, epistolaris minime permittit angustia, maxime cum tantæ credantur, quam ad laudem ipsius materia brevitatis impatiens esse videatur. Tandem ad transitum patris Conradi calamo festinanti, de multis, quæ ad honorem Dei in sui pontificis dici poterant factis, unum ponatur, quod tam imitatione quam admiratione relatu non indignum censeatur. Paschalis siquidem lætitiæ [105] dies advenit, in qua vir iste Agnum, cujus sanguine tum intentionis nostræ superliminare, tum postes corporis purgantur et animæ, inter missarum artiorem [106] Deo patri obtulit. Accepto ergo corporis dominici sacramento, venitur ad sanguinis ejusdem participationem. Calix ex more disco operitur; aranea vitæ liquori illapsa cernitur. Animal mortis exitium homini exteriori minatur, sed interim poculo immortali animatur. Quod fecit minister cœlestis convivii? Summa accinctus fide, nihil in hac re mortale, nihil ducit exitiale; avidius consumit et quod sacramenti et quod exterminii fuit, non immemor antiqui serpentis venenum antidoto passionis dominicæ evacuatum. Cerneres ministerii hujus cooperatores pallescere, nimirum antistiti, ut suspicantur, necis periculum circumstantibus innuere. Ab omnibus in commune tristatur ac timetur, dies gaudii in mœrorem vertitur. Tamen peracta communionis distributione, ultra omnium spem ad mensam, artus jejuniis attenuatos refecturus, accedit, sed non gustando cibum aliquandiu sedit. Percontatur secretius quid esset acturus. *Expecto*, inquit, *hospitem in proximo venientem.* Et reclinato super mensam capite, exitium araneæ aperto præbet ore, quæ nec mori in homine Dei, nec mortem potuit inferre. Tum quanta convivarum exsultatio, quanta de viri constantia suboritur admiratio, lector potius animo concipiat, quam experimendum verbis exigat.

11. Ceterum plenus dierum beatus Chunradus [107] cursum consummavit, fidem servavit, in reliquo repositam sibi coronam, justiciæ a Domino accepturus, justo judice [108]. Transiit autem de hujus exilii tenebris 6. Kal. Decembris, anno dominicæ incarna-

VARIÆ LECTIONES.

[76] te adicimus 1? [77] ferventem? [78] illius a. 2 [79] promissionis et oculis intueretur 2. [80] et h. 2. [81] sue 2. [82] immerito 2. [83] quippe 2. [84] antestes 1? episcopus hic per antistitem el. quo 2. [85] *deest* 2. [86] exitus 1. [87] Lauffen 2. [88] *deest* 2 [89] horribili 2 [90] f. prominentes incessantique 2. [91] Quæ ing. inter tum r. d. aquarum voragine præcipitari 2. [92] insolita sancti f. 2. [93] n. pene plene 1. nerdum ad plenum p. 2. [94] senior Udalricus 2. [95] accepta 2. [96] Conradum *add* 2. [97] aff. 2. [98] prophetie 1. [99] q. tunc m. forte? [100] sedisset 2. [101] a 2 [102] b. ch. *desunt* 2. [103] gemenoldus 1. [104] *caput* 10. *deest* 1. [105] lætitia 2. [106] celebrationem? [107] b. C. *desunt* 2. [108] s. sibique rep. just. cor. a Deo i. t. recepit. Transiit. 2.

NOTÆ.

(14) Laufen infra Schafhausen.

rioris nongentesimo septuagesimo sexto, episcopatus vero [109] sui quadragesimo secundo, mundi videlicet [110] heremo vastissimo virtutum progressibus tamquam sub hoc castrorum numero feliciter transcurso [111]. Spiritu [112] itaque ad cœlestem patriam assumpto, sanctum corpus ejus cum omni reverentia sepultum est ante ecclesiam sancti Mauricii martiris, quam ipse construxit et in qua sepulchrum Domini, sicut jam ante diximus, miro opere decoravit.

12. Beati pontificis Chunradi miraculorum insignia, quæ in hac quoque vita fuisse credimus innumera [113], ex scriptorum incuria temporibus nostris pauca sunt cognita; ac per hoc, quæ minus probabili didicimus attestatione [114], posteris stilo omisimus [115] commendare; præsertim cum antiquis merita ejus [116] non indigeant testimoniis, quæ nova semper ad sepulchrum illius [117] gratia tocius declarantur sanitatis.

13. Ut enim quædam ex his dicamus, duos a nativitate cæcos ibidem diversis temporibus illuminatos vidimus; et veritatis promissa sunt impleta: *Qui*, inquit, *in me credit, opera quæ ego facio et ipse faciet* (*Joh.* XIV, 12). Christus enim cæco a nativitate visum reddidit; quod Pharisei calumpniantes, sub Moyse facere nequeunt, Chunradus vero [118] per Jhesum [119] potest et poterit.

14. Fertur, quendam utriusque pedis officio quatuor annis privatum, sex mensibus circa viri hujus memoriam baculorum sustentaculis gyrasse, crebrisque precibus pro adipiscenda sanitate noctes diesque continuasse. Ibi [120] cum die quadam ligneis innitens [121] gressibus solitæ orationi instaret attentius, subita caligine hebet visus, obrigescunt manus, vires amittuntur, baculis elapsis homo labitur. Circumstantes accurrunt [122], eripere lapsum gestiunt, et [123] absque voce et motu durantem mortuum credunt. Exequias tamen facturi, cadaver levant; et ecce oculos sensim aperire seminecem aspiciunt, extendere crura usque huc curva lætiores cernunt. Totus ergo in momento restitutus homo et Deo laudem et mortalibus adauxit fidem.

15. Quamquam autem [124] signa non fidelibus sed infidelibus tribuantur, nonnumquam [125] credentes, ut in fide crescant, ut in spe æternitatis et [126] fervore caritatis proficiant, gratia quoque sanitatum provocantur. Puer quidam longa corporis molestia debilis effectus, extra hominis incessum manibus reptabat et pedibus. Hic fama beneficiorum beati viri attactus [127], patri suo, quatinus Constantiam deferretur, supplicavit [128] innixius. Qui filii congaudens fidei, annuit peticioni. Navicula ergo ad optatum devectus locum, vasculo cavea excipitur, et tanquam immobile quid ante præsulis tumbam deponitur. Inde [129] oblatione facta excutitur, ut miseræ conditioni astantes compatiantur. Videres quadrupedis more hominem reptare; et quia liminis vel graduum crepidine sanctuarium ingressus offendebatur, distendere genua retorta cogebatur. Tali scandens conamine, ad genitricis Dei pervenit altare; in quo munusculum oblaturus, primo hærere, deinde altiora petere manibus cœpit, quousque vota peregit. Hoc igitur modo animal pronum remansit erectum, et ex informi homine integrum pater recepit filium. Crederes matrem Domini hoc contulisse, si fides simplicior sancti [130] concordaret [131]. Sed per eam et cum ea Chunradum id potuisse, nulli dubium; at pro [132] hoc non incongrue utrique ascribitur, quod hinc spe, hinc re egens consequitur.

16. Vidimus mulierem [133] plantis sulcantibus nates contractam circa sæpe dicendi patris volutasse mausoleum, ejusque omni annisu diebus aliquot flagitasse suffragium. Quæ, pristino gressuum statu reintegrato, multis inibi annis curationis adeptæ fuit testimonio.

17. Altera quoque decennali ægritudine confecta, usque ad ulcerum saniem tam ex sinistro latere quam ex collo periculosius erumpentem devenit, tandem aliquantulum fluor ille exsiccatur [134] execrabilis, sed tabefactum manet [135] brachium cum manu ejusdem lateris. Denique sæpius in somnis vidit, se memoriæ beati viri assistere, indeque curatam recedere. Evigilans, de imaginaria quidem salute tristabatur, sed occultiori quadam spe consolabatur. In qua et cum aliis, quos illius temporis festivitas attraxerat, civitatem ingressa sociis [136] ad ecclesiam properantibus, nuditatis verecundia hospitio retinetur sola. O mira, o stupenda Conditoris judicia! Multi enim [137] nesciunt, et sanissimi divitiis affluunt, nudi sunt justicia, et incedunt ornati gemmis et purpura; hæc autem paupercula durissimis [138] afflicta cruciatibus, cum nudo Adam latitat verecundius, nisi quod [139] ille pro paradysi ejectione, ista pro ecclesiæ mœrebat sequestracione, uterque tamen obnoxius morti ac per hoc pudoris contusioni. Hanc igitur mulierculam paupertate a publicis arcente, gemino [140] misera, tum frustratæ spei, tum mendicitatis torquebatur dolore, rivisque lacrimarum uberrimis nonnullos qui eam noverant ad pietatem flectit compassionis. Vestibus ergo populari vehementia [141] collatis induitur; ad eum, cui hactenus in visu præsentabatur, frequenti turba deducitur. Super cujus sarcophagum aridam dextera fulciente offerens manum [142] miseriæ

VARIÆ LECTIONES.

[109] *deest* 2. [110] scilicet 2. [111] excursa 2. [112] Spiritu — decoravit *desunt* 2. [113] cujus signa vel miracula, quibus eum numerosius in hac credimus fulsisse vita, ex 2. [114] relatione 2. [115] noluimus 2. [116] *deest* 2. [117] ejus 2. [118] *deest* 2. [119] Christum 2. [120] ubi 2. [121] 1. solito innixus g. o. 2. [122] occ. 2. [123] sed 2. [124] enim 2. [125] n. tamen 2. [126] ac. 2. [127] attractus 2. [128] supplicat enixius 2. [129] unde 2. [130] sanitati 1. [131] commodaret 1. [132] ac per 2. [133] m. quandam 2. [134] exsicatur 1. siccatur 2. [135] remanet 2. *cujus lectiones non omnes attuli.* [136] sociisque 2. [137] cum 2. [138] dir. 2. [139] quidem 1? [140] gemina 1. [141] *ita* 1. 2. [142] dexteram f. o. manu 1.

suæ plena fide fecit sacrificium. Nec diu supplicans tardatur, dum manus cum brachio redivivo donata motu retrahitur.

18. Item puella confluentem in hunc locum innumeram multitudinem comitabatur; quæ digitis in volam [143] contortis, ex utero matris excruciabatur. Hæc dum protinus curaretur, lascivior aut simplicior, rem celans egreditur. Incommodo statim priori occupatur; manca, nimio hæsitans stupore, periclitatur. Ocior tamen redit, confitetur quod celavit, mirantibus cunctis sanitatem quam amisit denuo recepit.

19. Gallus quidam Pictaviensis, duodecim annis claudus, ad urbem Constantiam [144] longævus viator venit. Hic, ut solitum est, vice pedis alterius base lignea nequaquam sustentatur; sed [145] baculis ascellas rodentibus, tripes ferebatur. Tibia quippe cum pede arefacta et fere in fistulæ subtilitatem redacta, totus in poplite humor nocivus concrevit, ac per hoc genu in maximum tumorem excrevit. Sex ergo mensibus in urbe moratur, et visis tantis curationum beneficiis, ad spem recuperandæ sanitatis [145] animatur. Ecclesiam frequentat; ut sui, jam tempus multum in dolore habenti, [146] ut ex longinquo venienti, [147] pater sanctus misereatur, supplex postulat Interea nox sanctissima pentecostes supervenit, in qua excubias circa sepulchrum ejus devotus egit. Ventum est ergo [148] ad matutinorum vigilias, et novo cruciatu dicta membra jam dudum emortua incipiunt torqueri, ita ut jam de repentino dolore magis quam de gressus afficeretur privatione. Sensus in brevi amittitur [149], ipsa quoque vox adimitur. Hora dicendi cantici « Te Deum laudamus » instabat, et homo vires cum incessu naturali recuperabat. Supplici ergo laude Deo [148] jubilatur, dum Spiritus paraclitus et propria festivitate et hominis liberatione universos consolatur.

20. Puerum quemdam in clero constitutum, sed innatura paralysi debilitatum, parentes ad hunc transferunt patronum. Et quia non de infimis natalibus erant procreati, plures condolentes tam suæ quam genitorum [150] conveniunt oppressioni. Non minima ergo plebe stipati, debilem suum ante viri Dei memoriam exponunt, seque in terram pro eo supplicatim mittunt. Quid amplius [151]? Fides eorum ex alto respicitur, æger Chunradi meritis attolitur, pontifex summus in ministro tabernaculi perfectioris honoratur, mirabilis Deus in sanctis suis prædicatur.

21. In cœnobio quodam sanctimonalium duæ [152] virgines diversis laborabant ægritudinum molestiis; una siquidem ex vomitus instantia non retinens mensibus octo alimenta desperabatur [153] altera paralysi gravissima resoluta periclitabatur [153]. Com-

A pertis hujus patris virtutum præconiis, ab ipsis claustri seris pia spe trahuntur, sed tam morbi quam infirmæ ætatis pudore a publico repelluntur. Nox igitur huic fluctuationi satisfactura præstolatur, in qua navi inpositæ, prima vigilia — non enim longe distabant — ad urbem perveniunt. Intromissæ præsulis velut coram vestigiis positæ, fide [154] plenissima prosternuntur; pro salute diu sperata preces cum lacrimis a pernoctantibus funduntur. Est autem loco in eodem memorati viri poculum ligneum non indebita veneratione hactenus servatum; unde cum summa aviditate modicum aquæ gustassent, vis quædam cœlestis undam prosequitur, quæ perfectam in eis medicinam operatur. Ad cœlum hinc inde laudum voces tolluntur; ipsa enim qua a clero civitatis

B et populo lætícia prosequuntur, virgines a sororibus incolumes excipiuntur.

22. Vidimus etiam ab infantia aliam paralyticam ibique jam in adulta ætate sanatam. Hæc potitæ [155] immemor gratiæ, petulantior vagatur; amissaque virginitate, per quemdam clericum profitentem gravida efficitur. Concepit ergo dolorem et peperit iniquitatem, quia pristinæ statim debilitatis induit confusionem. Cogitur misera ad pœnitentiam, revisit patris Chunradi clementiam, optinet denuo per eum [156] curata veniam. Ex integra tamen postea minime convalescit, ut artus imbeciliores violatæ mentis deplorent [157] integritatem.

23. Jam vir egregius, fama trahente, non modo ubi requiescit a male habentibus frequentatur, sed

C etiam ubivis terrarum auxilium ejus in cunctis angustiis imploratur et imprecatur [158]. Siquidem adolescens quidam dum Thuriæ fluvium vespertino tempore per incultum vadum aliquando vellet transire, repente fundo limoso et arborum radicibus unda [159] congestis hæret irretitus. Validiori impellitur torrenti, et quia obsistendi seu quoquam divertendi locus non occurrit hærenti, utroque pede [160] ad natandum divaricatur. Manibus flumen sulcatur, sed pedibus immotis, aquæ impetu ac frutice caput obruitur. A servantibus in ripa quas [161] nudus deposuerat vestes, nimio attoniti clamore juvenis advocantur parentes. Res flebilis a sororibus duabus — hæ [162] enim fratrem submersum comitabantur — confusa voce singultibus refertur, locus periculi monstratur, discurritur, quæritur, nec invenitur.

D Tota vociferantium ejulatu perculsa accurrit villa, et quia quæsitus non comparet, retibus pro saltim tumulando cadavere laboratur. Noctis jam tenebræ instabant, quæ finem quærendi dabant, quem inveniendi negabant. Communi ergo omnium voto specialibus beati Chunradi patrociniis sive in corpore sive extra corpus homo commendatur, et sic ad tristes lares reditur. Tertia parte primæ noctis vi-

VARIÆ LECTIONES.

[143] uoluam 1? [144] cl. constantia 2. [145] sed — ferebatur *desunt* 2. [146] salutis 2. [147] m. habentis — venientis 2. [148] *deest* 2. [149] amittit 1? [150] geniti 2. [151] a. morer 2. [152] duo 1. [153] desperatur — periclitatur 2. [154] coram positi v. f. 2. [155] petite 1. [156] precum 1? [157] implorent 1. [158] impretatur 2. [159] unde 1. [160] u. p. *desunt* 2. [161] quis 1. [162] hec 1.

giliæ transacta, et [163] ecce gravior unda, quasi de A objice indignata, in quandam se voraginem circa oppositum [164] animal collegit [165], et hoc impetu sinuoso prorumpente, ad litus eum e regione aquarum transvexit. Ex terra factus, aridam [166] ut a se alienam miratur nullatenus contrariam naturæ aquam, utpote quæ eum extinguere non potuit, suspicatur, dum Creatori, sive ad vitam, sive ad mortem, ab utroque [167] indifferenter serviatur. Insuper de rerum permutacione et unde has paciatur tenebras, qui clara die subierit undas, secum hæsitans longam, [168] ordine transposito, pernitionis moram æstimat brevissimam, dum e converso breve omne deliciosum et longum ducatur omne periculosum. In se tandem aliquando reversus, domum regreditur, nuditatis suæ necdum memor. Ut genitus tamen recognitus, genitorum suscipitur [169] amplexibus. Crastina illuxit dies, et velut emersus ab inferis, irruenti turba vallatur ut alterius seculi nuntius; quid secum ageretur, qualiter evaserit, percunctatur. Alter igitur salvationis modus, non minima inquisitione facta, ignoratur, nisi qui fide omnium concordanti [170] verissimus probatur, quod nimirum illius meritis sit liberatus, cujus fuerit, mortalium destitutus auxiliis, singulariter commendatus.

VARIÆ LECTIONES.

[163] *deest* 2. [164] app. 2. [165] a, se c. 1. [166] *deest* 1. [167] u. elemento 2. [168] longo 1. [169] g. stupentibus excip. 2. [170] exundanti 2.

ANNO DOMINI MCXXXIV

MUNIO MINDONIENSIS
HUGO PORTUCALENSIS
IN GALLÆCIA EPISCOPI
ET
GERARDUS PRESBYTER

NOTITIA

(ANTONIO. *Bibliotheca Hispana vetus*, t. II, p. 19).

Inter insignia veteris historiæ nostratis monumenta præcipuo quodam loco habita semper fuit *Compostellanæ Ecclesiæ Historia*, cujus auctores fuere Munio, Mindoniensis, et Hugo Portucalensis sedium in Gallæcia episcopi, cum Gerardo presbytero. Munius, alias *Martinus* (quod idem nominis est, sicut et Nunnus, sive Nonnius, vulgo inter nos *Nuno*, adnotantibus originum nostrarum vindicibus (1), ex thesaurario Compostellanæ Ecclesiæ factus Mindoniensis præsul, capellanus et a secretis fuisse dicitur Alphonso regi VII, *Imperatori* cognominato, instrumenti cujusdam testimonio (2) cui ita se subscripsit : *Munio Mondoniensis episcopus et capellanus regius notavit.* Anno scilicet 1126. Idem pars fuit regiæ adversus Saracenos expeditionis circa annum 1130 factæ : cui inter alios, ut moris fuit, episcopos interfuisse ipsum observavit Prudentius Sandovalius in hujus regis Alphonsi VII Historia (3), B sub nomine tamen Vallobricensis episcopi, quod idem esse ait ac Mindoniensis. Vere enim locus, ubi ædificata urbs fuit, Vallibriensis (4), hodie *Valdeabria* dictus. Munius Alphonsius a nemine hic audit (5).

Hugo, item Portucalensis antistes, Gallus natione, ut creditur, tam ex hoc ejus quam ex Guilielmi cujusdam nomine, qui se, his diebus quibus Hugo sedem hanc tenuit, fratrem se episcopi cuidam instrumento subscripsit : de quo Roderico da Cunba in Historia monemur Portuensium episcoporum. Idem enim est oppidum *Portucale* antiquum ab Idacio (6), et in Dulcidiano carmine episcoporum sui temporis memoratum, cum *Portu*, sive *Porto* Lusitanorum, cui urbi laudatus Hugo præfuit. Et hic ille est Hugo Portucaliensis, quem hujus sæculi nugatores ante aliquot annos epistolæ cujusdam ad Mauricium archiepiscopum Bracarensem scriptæ *Hist. de la orden de S. Benito*, cent. 1.

(1) Mariana lib. XVI, cap. 6. Colmenares *Historia de Segobia*, pag. 282.
(2) Ægidius Gonzalez Davila in *Theatro Eccl. de Mondoñedo*, pag. 421.
(3) Fol. 146, pag. 2.
(4) Davila ubi proxime, pag, 407 et 412. Jepes

(5) Pellizer *en el Memorial de los Saavedras*. Ægid. Gonzalez in *Theatro Compostell. Eccles.*, cap. 9, pag. 44. Zurita, lib. I, cap. 39.
(6) In Chron. sub Marciani imperio.

auctorem finxere (7), ut de prædicatione Jacobi apostoli, Petri Iriensis vicariatu per Hispanias, quidquid in mentem iis venerat pro certo venditarent.

His duobus accessit operæ supplementum Girardus, et ipse Gallus, Compostellanæque Ecclesiæ canonicus, et ad Sanctæ Anastasiæ sacram ædem parochus, Didaci Gelmirii archiepiscopi Compostellani, summi illius ætatis viri, familiaris: qui in prologo illius partis quam conscribendam susceperat, eidem Didaco antistiti, cujus vere jussu et auspiciis totum opus cœptum et absolutum fuit, directæ, quibus id auctoribus acceptum ferri deberet noluit posteros ignorare. *Tuæ igitur sanctitatis*, ait, *hortatui obsequentes, reverendissime pater Didace secunde* (8), *S. Jacobi antistes* (9), *præcedentis libri seriem ex parte contexere studuimus. Ejusdem namque libri præcedentia Munio Mindoniensis, et Hugo Portugalensis episcopi, viri scilicet prudentes ac reverendi, scripserunt.* Quæ Girardi verba exscripsit e codice quodam hujus historiæ manu exarato laudatus nuper Rodericus Cunha; eademque ex alio collegii majoris Salmantini S. Salvatoris *de Oviedo* nuncupati, Joannes Vasæus de tribus his auctoribus prodidit (10). Quos quidem ignoravit Prudentius Sandovalius, dum Alonsum (*Alonem* dicere debuit) grammaticum, cujus in ea mentionem ait haberi, auctorem hujus historiæ suspicatus fuit (11). Cujus et aliud exemplum in bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ asservatum novimus. *Continet ea* (ut Vasæus inquit) *primordia, successus, incrementa Ecclesiæ Compostellanæ*; in qua plurima scitu digna se reperisse ait, quæ suis locis ponere cogitabat. Videri possunt de ea Morales lib. IX, cap. 7 (12), et Sandovalius in Historia regis Alphonsi VII (13) et Ramirezius ad Luitprandi Pseudo-Chronicon (14): qui tribus eam constare partibus docet, primæ duobus episcopis, secundæ tertiæque Girardo auctoribus.

Annales ne iidem *Compostellani* sunt, quibus non semel Morales utitur (15)? Vix credo, cum *Annales Compostellanæ Ecclesiæ* qui initia libri privilegiorum

A (*Tumbos* dicunt) ejusdem leguntur, alio loco totidem verbis laudet: quos *Annales* quosdam *breviores*, inde dictos *Compostellanos* (16), quod in libro ejus Ecclesiæ ab eo reperti essent, non *historiam Compostellanæ Ecclesiæ*, quam suo nomine appellare consuevit, existimamus. Hanc potius significare nobis videtur, cum lib. XVII, cap. 20, *archiepiscoporum Compostellanorum antiquioris historiæ* meminit.

Iriensis quoque Ecclesiæ historiam quamdam vulgaris linguæ circumferri manu exaratam legimus (17); sed ea nihil ad Compostellanam de qua agimus pertinet; quantumvis Irienses origines, unde Compostella derivavit, hæc prodat. Fere latet adhuc antiquum hocce ac pretiosissimum historiæ monumentum, paucis olim visum; qui tamen inde ad areolas suas quidquid observatione atque memoria maxime dignum fuit sese deduxisse aiunt, Vasæus nempe, Morales, Sandovalius, Joannes Tamaius, aliique. Fere latere diximus; excusam enim jam fuisse hanc

B historiam in libello supplici, sive memoriali, ut nos vocamus, confecto pro instruenda lite votorum S. Jacobi, hoc est, solutione ejus partis, quæ olim per totam Hispaniam voto promissa dicitur Ecclesiæ Compostellanæ S. Jacobi: admonuit nos D. Josephus Pillizerius, regius historicus (18), adjungens propria Pelagii Ovetensis episcopi manu scriptam sese habere.

Sed falsus fuit amicus noster, si de Historia Compostellana, qua de loquimur, excusam eam in laudato memoriali affirmat, et non de Iriensis Ecclesiæ Historia quam typis edidit memorialis auctor. Nec prætermittendum est in bibliotheca Olivariensi, quæ, ut credimus, hodie est in hortis marchionis del Carpio Matriti, hanc Historiam Compostellanam olim fuisse, quam tamen catalogus ms. quem penes nos habemus, ita per errorem appellat. *Chronica de España por el arzobispo D. Gi Almeirez*, ubi ad oram notatur: *Esta en Salamanca en el colegio de S. Sal-*

C *vador* (19). *Estan al fin las guerras de D. Fr. Berenguel. Es del archivo de la Iglesia de Santiago.*

(7) Vide Bivarium in Com. ad Dextri Chron. inter elogia, pag. 9.

(8) Cum primus fuerit episcopus Compostellanus Didacus hic Gelmirez, secundum idcirco vocat auctor, quia Ecclesiæ Iriensi, cui Compostellana subrogata fuit, paulo ante ista tempora Didacus alter Pelagii præfuerat.— Præfuit Iriensi Ecclesiæ Didacus, hujus nominis primus, cognomento *Pelagii*, ab anno 1070 ad 1088, in quo, ut habetur in Historia Compostellana (lib. I, cap. 2 in fin.) *a domo rege Adefonso* (Castellæ, hujus nominis sexto) *suis exigentibus meritis captus, spatio* XV *annorum permansit in vinculis.* Reliqua ejus acta videsis in Historia Compostellana a cl. Florezio, t. XX edita, et ordinatius apud eumdem, t. XIX, a pag. 201.

(9) Jacobi, non Compostellæ antistitem similiter inscripsit se cuidam dedicationi apud Cluniaciense monasterium Dalmacius hujus Didaci decessor; quod vide in *Theatro Compostellanæ Eccles.* Ægidii Gonzalez, pag. 42.

(10) In *Chronico Hisp.* cap. 4. num. 10.

(11) In *Histor. Alphonsi VI*, fol. 105.

(12) Fol. 232, pag. 2, et 241, pag. 1.

(13) Fol. 136 et 144.

(14) Pag. 453 edit. Antuerp.

(15) Lib. IX, cap. 7, fol. 241, et lib. XV, cap. 19 in fine.

(16) *Annales Compostellanos breviores* primus, ut puto, omnium vulgavit Franciscus Berganza monachus Benedictinus, t. II *Antiquit. Hisp.* Matriti 1721 e recenti eorum exemplo Matritensis Sancti Martini Benedictinorum cœnobii: mox Cl. Florezius, t. XXIII, a pag. 317, e Compostellano codico vulgo *Tumbo negro* appellato.

(17) Sandoval *Observ. a los obispos*, pag. 119. Pellizer ad Dulcidii Chronicon, fol. 30, Tamaius in *Martyr. Hisp.* Martii, pag. 38 et 39.

(18) In lib. cui tit.: *Trofeo de la verdad de la historia*, fol. 34.

(19) In bibliothecæ comitis olim ducis Olivariensis catalogis a fratre Duca de Alahejos Escurialensi monacho anno 1625 confectis, ejusque manu exaratis, quos possidemus autographos, duobus voluminibus fol. sub litteris C. M. S. legitur in priore eorum, pag. 470: *Chronica archiepiscopi Compostellani Ægidii Ramirez*, fol. *C.* 4. Et paulo inferius,

D pag. 174: *Compostellana Historia incerti ab anno* 1327, *vetusta nota in folio*, *C.* 2, abest tamen utrobique: *Esta en Salamanca*, etc. Item eodem volumine in *Indice materiarum*, verbo *España*, pag. 143: *Chronica de Jacobo Gil Ramirez* (pro *Gelmiride*, sive *Gelmirez arzobispo de Santiago*: *de las causas que acontecieron en los tiempos antiguos. Tiene al cabo las guerras del arzobispo de Urguel* (pro *Berenguer*) *ms. fol Datine C.* 4. Extat hodiedum eadem Didaci Gelmiridis, sive, ut Hispani cognomina patronymica efferimus, *Gelmirez*, Compostellana Historia a triumviris Munione, Hugone et Gerardo conscripta, Salmanticæ in bibliotheca collegii Sancti Salvatoris Ovetensis, quam ad annum 1746 sæpius contrectavimus, bonamque descripsimus ejus partem.

HISTORIA COMPOSTELLANA

SIVE

DE REBUS GESTIS D. DIDACI GELMIREZ

PRIMI COMPOSTELLANI ARCHIEPISCOPI,

Ubi multa alias incognita de summis pontificibus, cardinalibus, episcopis, conciliis, regibus virisque illustribus (ab anno præcipue 1100 ad 1139) memoriæ commendantur,

EDITA

PER R. P. MAG. ET DOCT. FR. HENRICUM FLOREZ

Ordinis Eremitarum sancti Patris Augustini.

(*España sagrada*, t. XX. Matriti 1791.)

NOTICIA PREVIA

DE LA HISTORIA COMPOSTELANA, Y SUS AUTORES.

1. No puede renovarse sin dolor la memoria de A tantos y tan illustres varones antiguos Españoles, que, habiendo escrito obras dignas de perpetuarse en cedro, ne han logrado hasta hoy un patrono benevolo, que las sacase a luz. Entre estas una es la *Historia Compostelana*, que andando en manos de algunos, se contentaron condar a entender que la tenian, y despues de seiscientos años, persevera muy cerrada en archivos. Aquellos a quienes pudiera tocar hacer este servicio al publico, acaso no lo han hecho per alguna atencion particular. Pero el que trate de los Obispos Campostelanos, incluyendo al ultimo, que fue el primer Arzobispo de Santiago ; si ha de ofrecer pruebas de los hechos que refiera (como es preciso, si pretende autorizarlos) no puede menos de poner por delante la Historia Compostelana, quien sola es como texto de lo que sobre los Obispos de Santiago se refiere. Esto hace indispensable el publicar la obra ; y como ahora es la primera vez que sale á luz, conviene dar razon de B la importancia, de los auctores, del tiempo y fin para que la escribieron : pues no habiendo salido al publico, no ha podido formarse una idea pontual, y se han dicho algunas cosas mal fundadas.

Utilidad de la Historia Compostelana.

2. Qualquiera documeuto de los siglos antiguos, escrito por el que se alló presente á los sucesos, es de una tal importancia para los hombres de letras, que su falta no puede ser resarcida por los hombres sabios de la posteridad. Lo que yo escribo hoy sobre documentos antiguos, lo podran hacer otros, presentes, ó por venir, con mejor metodo y com mas felicidad ; pero ninguno, ni todos los presentes, pueden contar lo pasado, que en no dejando vestigios, necesita un tal espiritu, como el de los que prophetizan lo futuro. Nada supieramos de lo sucedido en el mundo antes y despues del Diluvio, si Dios no lo hubiera revelado á Moyses, y si no perseveraran C sus escritos. Los principios de las Iglesias, de quienes no tenemos documentos antiguos, totalmente se ignoran. Lo mismo sucederia con mil noticias de la santa iglesia de Santiago, si no fuera por la Historia Compostelana. Uno de los mayores hombres que deben ser aplaudidos en la Historia ecclesiastica, su primer arzobispo, andaria sepultado en el olvido, si no fuera por esta obra : y aun con ella no hay noticia de sus famosas acciones, por no haber salido hasta hoy á la luz publica.

3. La excelentia de la Iglesia del apostol Santiago, nuestro patron y capitan general se interesa aqui, como ninguna. Merece que el mundo vea sus grandezas en lienzo original : el modo con logro el palio : la metropoli con que fue condecorada : la legacia apostolico de su primer arzobispo : y finalmente un tal cumulo de proezas en aquel gran varon, el Sr. D. Diego Gelmirez, que le deben inmortalizar entre los heroes. Sobre estas utilidades proprias de la Iglesia del apostol, hay otras generales á otras, y en especial para la santa sede apostolica Romana, por medio de muchas letras pontificias, hasta hoy no conocidas en el publico : sucesos particulares de papas, y antipapas, de que ó no habia noticia, ó tienen aqui su prueba original. Varias cartas, viages, y acontecimientos de cardenales, patriarcha de Jerusalem, abades Cluniacenses, y principes de Francia, que no se encontrarau en otra parte. Sobre prelados de España, arzobispos, abades, y otros varones ecclesiasticos hay unas particularidades, que ni sus mismas iglesias las supieran, si faltara esta obra, como sucede en las de Toledo, Abila, Salamanca, Zaragoza, y en especial Granada, de cuya persistencia de obispo en el aña 1116, hay aqui una comprobacio no conocida hasta ahora, como prueba el libro I, c. 113. En valde se buscaran, fuera de aqui, varios concilios, que en ninguna otra parte han dejado vestigio. Lo mismo digo acerca de reyes, y señores de España desde el rey Don alfonso VI por todo et reynado de su hija Doña Urraca, y Don Alfonso el emperador, en cuyos tiempos se escribia esta obra : y consiguientemente desde el año myl y ciento en adelante es original y coetanea, que hubiera utilizado mucho á Baronio, ó á Pagi, si no estuviera oculta ;

y hubieran evitado los yerros cometidos sobre diverso puntos, como v. g. sobre el tiempo de la metropoli en Santiago, y los sufraganeos que la pertenecieron : lo qual se ocasionó de no estar dada a luz : y esto es confirmacion de la utilidad, ò por mejor decir, necesidad de su publicacion.

Sus autores, tiempo y motivo.

4. Tambien recibe recomendacion un escrito por las circumstancias del autor, por su veracidad, juicio diligencia y documentos de que usa. En la Historia Compostelana no fue uno el escritor, sino tres : los dos en el principio, unidos como uno : y otro en el medio y fin. La idea nacio del ultimo obispo de Santiago, y arzobispo, el señor Don Diego Gelmirez, que deseando perpetuar las memorias de sus antepasados, y lo mucho que él hizo y meditaba hacer para exaltacion de su Iglesia, encomendó la obra à dos canonigos de los mas instruidos, y familiares suyos. El uno se llamo Don Munio (ò Nuño) *Alphonso* thesorero de la Santa Iglesia : él otro Don *Hugo*, queera arcediano, y Frances de nacion. Ambos fueron estimados del prelado, que les fiaba sus mayores secretos, y se vala de su consejo y diligencia en las cosas mas arduas. A estos, como instruidos en los negocios por lo intimo, encomendo la obra : valiendose de dos para el mayor acierto y prontitud, pues consta que cada una escribia lo que pasaba por su intervencion, como se ve en la translacion de las reliquias de Portugal a Santiago escrita por el arcediano Don Hugo, que accompaño al obispo en aquel viage, como afirma aqui en el lib. I, cap. 15. Don Nuño escribia otras cosas, como prueba el cap. x del lib. I, donde dice : *Ego ipse Munio Adefonsiades* etc., y en el cap. 16, n. 3, *Me ipsum Munionem* etc., Segun lo qual se manifiesta la recomendacio de la obra por la cadidad de los autores que escribian de cosas a que se hallaron presentes.

5. Esto pide formar una distincion en lo que la obra refiere sobre prelados antiguos de la Iglesia Iriense, y de lo que pertenece á Don Diego Gelmirez. La fuerza de autoridad que damos á esta obra apela sobre lo segundo, por ser esto lo de puntuales informes, como cosa de visita en sugetos habiles y veraces. Lo demas no tiene igual autoridad, por ser cosa que pendia de informes, los quales suelen desfigurarse con el curso del tiempo. Por lo que en sucesos distantes del siglo undecimo hay lugar para sospechar mezcla de no puntual informe. Pero desde que empieza à nombrarse el Señor Gelmirez, no hay prudente fundamento para dudas, por ser cosas vistas y referidas por el mismo prelado, ò presenciadas por el mismo que escribe. A lo antiguo damos la prerogativa de anteponerlo siempre que no se descubra cosa en contra : porque la circumstancia de estar escrito dentro de la misma Iglesia, debe prævalecer, quando no hay otro documento coetaneo. Si le ubiere, debera formarse el juicio por el todo de las circumstancias.

6. Esto es por lo que mira á la autoridad de la obra, que se entienda mejor individualizando el tiempo, sobre lo que alguanos hablaron mal informados : y no hay duda en que fue despues del año 1100, en que empezo a ser obispo el que mando escribir esta obra : y despues del 1102, en que se hizo la translacion de la reliquias, escrita por Don Hugo, como refiere aqui : esto es lo unico que consta haber escrito Don Hugo : lo demas corresponde a Don Nuño (no sin acuerdo y aprobacion del compañero) pues demas de las palabras alegadas *Ego ipse, me ipsum*, vemos continuar las cosas de su tiempo en nombre de uno *verba auctoris* : *aggrediar*, etc., y este parece Don Nuño, por ser el que mas descubrio el nombre, aunque todo corria por cuenta de los dos, pues el continuador attribuye a uno y otro lo que escribieron (*prol del libro* II) y solo hacemos

A la distinction referida, por haberla declarado ellos mismos en su obra : de suerte que el que quiera citar nombre del autor, puede citar a los dos como si fueran uno : a Don Hugo en la traslacion de los santos de Portugal : en lo demas a Don Nuño. Esto es acerca de lo perteneciente a su pluma ; pero hay mas dificultad en declarar hasta donde escribieron, pues nos lo dejaron distinguido : por lo quel algunos citan mal a Don Nuño en lo que es de Girardo, y al contrario : a causa de no estar instruidos en lo que pertenece a cada uno. Sobre esto digo que Don Nuño y Don Hugo llevaron el nombre de la obra hasta el año 1112, en que los dos fueron a un tiempo electos para obispos : D. Nuño, de Mondoñedo, y Don Hugo de Porto, como expresa el cap. 81 ; por lo que es muy de admirar el poco esmero con que Ferreras en el tomo XVI, pag. 7 del Apendice, dijo haber escrito la Historia Compostelana *Don Munio, que fue obispo de Lugo, y Don Bernardo,*
B *prebendado de aquella sancta Iglesia* : cosas que solo pudo haber soñade, pero no leer aqui, ni en los autores que han hablado de la Compostelana. Alli da a entender que deseo publicarla : *pero como esta obra es*, dice, *de tanto cuerpo, es menester medios para que sola por si salga a luz* : *y aunque se han echo algunas incinuaciones a los señores prelados de aquella santa Iglesia, ambarazados de cuidados mayores, no han logrado su atencion.* Pellicer en su Dulcidio cometio otro yerro no menor, diciendo fol 30 b. que la Historia Compostelana se escribio por Don Diego obispo de Orense, y Don Gerardo canonigo de Santiago : en lo que erro los autores de ambas obras. Historia y Chronicon : pues este le aplico a D. Nuño y D. Hugo, que son autores del principio de la compostelana, y no del Chronicon : y la Historia la aplico a quien no tuvo parte en ella, Don Diego obispo de Orense.

7. Desde que fueron escogidos para obispos Don
C Nuño y Don Hugo, fue precio escoger otra pluma, porque, necesitando las mencionadas Iglesias la presencia de sus pastores, no podian estos continuar lo empezado : y en efecto encomendo la obra el obispo de Santiogo a otro canonigo de su satisfaccion, llamado Girardo, o Giraldo, reconocido por Frances en Don Nicolas Antonio, y entre otros. Yo no se si quiso declarar su patria, quando refiriendo un tumulto de la ciudad, dice en el cap. 109, n. 4. que quisiera hallarse entonces en *Beauvais*, ciudad de la Gallia Belgica en Isla de Francia ; pero no sin el prælado : *Mallem esse Belvaci, eo tamen non absente.* Que era canonigo de Santiago, lo dice el mismo en el cap. 6 del lib. II : *Ego Girardus Ecclesiæ B. Jacobi canonicus, qui prioribus negotiis interfui, et hujus paginæ seriem contexui.* Este acabo la obra, prosiguiendo desde donde lo dejaron los primeros, que corresponde al cap. 83 del libro I, donde acaba la eleccion y consagracion de los primeros escritores, cuya materia parece debe aplicarse a la misma plu-
D ma que lo antecedente, porque al hablar de la eleccion de los dos en el cap. 81, dicen del obispo de Santiago, *de quo superius tractavimus* : y los que escribieron lo precedente fueron Don Nuno y Don Hugo, no Girardo, que no tuvo necesidad de tomar la pluma, hasta que la soltaron los que se fueron a gobernar sus Iglesias en el ano de 1113. Desde entonces empezo Girardo : pues dice en el prologo del libro II : *Præcedentis libri seriem ex parte contexere studuimus : ejusdem namque libri præcedentia Munio Mindunienśis, et Hugo Portugalensis episcopi, viri scilicet prudentes ac reverendi scripserant.* Si Girardo escribio parte del libro I, como aqui afirma, debemos atribuirle lo que hay despues de ser consagrados obispos los primeros escritores de la obra, que es desde el capitulo 83 del primer libro. Y segun esto empezo Girardo a tratar de lo acontecido desdo el ano 1113 hasta el fin, que fue el ano de 1139.

8. Los ostros hablaron de los prælados antiguos de

tria, y de los primeros sucesos de Don Diego Gelmirez, pero con la notable diferencia de reducir á cosa de seis hojas lo acontecido en once siglos (que precedieron a Don Diego Gelmirez) y dando tanto el resto de la obra a la Vida de este prelado. La mencion de los demas obispos fue por via de conexion, para introducir a su heroe, de quien solo cuidaban y quien fue todo el *motivo de escribir*, como prueba el titulo de la obra, llamado *Registro del obispo Don Diego segundo : Incipit primus liber REGISTRI venerabilis Compostellanæ Ecclesiæ pontificis Didaci secundi :* y el mismo prelado mando poner este titulo de registro, como dicen los autores en los prologos del libro I y III. Pero hay otra diferencia, que los primeros propusieron solo dos libros : uno del tiempo en que fue obispo y otro desde que empezo su arzobispado. Pero viendo que crecia mucho esta segunda parte, la dividio en dos libros, como expresa Girardo en el prologo del tercero : *Divisit Registrum illud in tres libros, quorum primus episcopatus liber : alii duo archiepiscopatus non irrationabiliter intitulantur.* De aqui nace el que Vaseo y otros solo cuentan dos *libros* en esta obra, por no haber reconocido mos que el primer prologo, donde se reparte en dos : uno del obispado, y otro del arzobispado. Pero la misma obra manifiesta tres libros, y Girardo en el prologo del tercero afirma ser reparticion hecha por el arzobispo.

9. De esta diferencia de autores nacio la diversidad que el mas diligente podra notar en esta obra, no solo en el estilo, sino en algunas materias, v. g. en el modo con que los primeros hablan de la hija de Don Alfonso VI, Dona Urraca, mas honorifico en los primeros que en el ultimo : porque quando aquellos escribieron no habia manifestado la infanta la inconstancia y ligereza con que despues se porto.

10. Tambien por lo dicho se conocera que no escribieron esta obra dos obispos (como algunos refieren) y mucho menos tres, como dijo Ambrosio de Morales, pues ninguno era obispo, quando escribia. Los dos primeros ciñeron despues mitra pero del continuador no sabemos que llegase a gozar la, antes bien es creible, que fallecio primero que el arzobispo, pues no escribio la muerte del prelado.

1. Inter hæc siquidem dominus rex Adefonsus, vir Catholicus, intima consideratione comperiens quod beatissimi apostoli Ecclesia in periculo viduitatis posita, nisi pastorali muniretur providentia, sine damno, nullo modo constare posset; alium in pontificalem ecclesiæ B. Jacobi sublimare cathedram satagebat. Celebrante itaque Ricardo sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali atque legato apud Sanctam Mariam de Fusellos (33) concilium, idem rex Adefonsus adfuit, et prædictum episcopum quem diutius vinculis mancipari fecerat, quasi solutum, sed tamen sub custodia, ad concilium venire jussit: videlicet ut eum a pontificali dignitate dejiceret. Tunc prædictus episcopus metu regis, et spe liberationis perjudicium Romani cardinalis passus est, et coram omni concilio se indignum episcopatu proclamans, annulum et virgam pastoralem cardinali reddidit. Cardinalis autem alium, videlicet Petrum nomine, Cardinensem (34) abbatem, in pontificalem Ecclesiæ B. Jacobi cathedram intronizandi licentiam concessit. Post hæc idem episcopus, quanquam præjudicio gravatus, captioni tamen regis iterum mancipatus est. Eapropter his demum Romæ ventilatis, prædictus Ricardus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis atque legatus confusionis atque ignominiæ jaculo confossus est. Nimirum papa Urbanus atque S. Romana Ecclesia admodum objurgavit atque confudit, utpote qui prædictum Compostellanensem episcopum captioni mancipatum præjudicio gravaverat, et injuste deposuerat; proinde ipse quoque legatione qua talia præsumpserat privatus est. Rex autem Adefonsus communi consilio sapientum virorum Hesperiæ, quemdam abbatem Cardinensis monasterii nomine Petrum, huic apostolicæ prætulit Ecclesiæ, qui post commissi gregis regimen biennio in episcopatu permanens, quia sine consensu matris nostræ S. Romanæ Ecclesiæ ad tanti honoris arcem provectus fuit, in quodam concilio Legione a domino cardinali Regneri celebrato, qui postea in urbe Roma factus papa, sortitus est nomen Paschalis, juste et canonice depositus est.

Eo absentante sequitur villicatio.

Ibi namque quidam parochianorum Ecclesiæ B. Jacobi, nomine Petrus Vimara, laicus et regius villicus, totum honorem quem episcopus obtinuerat sanctissimi regis domini Adefonsi manu suscipiens, ad propria rediit: ubi tantum crudelitatis pauperes ac divites deprædando instanter exercuit, quod universa hostili more dissipanda destruxit, et quia ipse omnia sine intermissione conflaturum ac rapturum sese præsumpserat, quorumdam benevolentiam iniquissime captanda terram illam quæ Montanos nostro vocabulo vocitatur, et quoddam castellum S. Jurgii sive quamdam partem illius parochiæ quæ Cordarium dicitur, huic patrono nostro B. Jacobo funditus auferri consentiendo permisit. Eo quoque deposito, et venerabilissimo comite domino Raimundo augustissimam filiam catholici domini regis A. in conjugium suscipiente, Arias Didaci majorinus hujus terræ effectus est. Iste quippe crudelis ardentissima cupiditate existens quæcunque extorquere et rapere potuit, sitibunda mente vehementius rapuit et destruxit: unde, tam potens quam impotens, tantæ afflictionis intolerabiliori pondere oppressi, usque ad illius obitum in afflictione acerrima permanserunt. Canonici itaque hujus Ecclesiæ, qui dispensatores ecclesiasticæ dignitatis esse deberent, ad tantum inopiæ tum temporis devenerunt, quod paupertatis vinculis obligati, cibis corporeæ sustentationis in ipsa etiam canonica modis omnibus indiguerunt. Quod autem valde indignum est, ac flebiliter condolendum, vilissimis etiam et variis vestimentis induti, quasi totius doctrinæ ecclesiasticæ consuetudinis expertes, in choro laudes Deo inordinate cantabant.

Verba auctoris

Præceptis domini Didaci secundi Compostellanæ sedis episcopi, libenti et devoto animo obtemperans, ipsius prædecessorum gesta, quam verissime potui hucusque paginæ commendavi. Nunc vero ipsius reverendi episcopi successus quos in hoc honore habuit, et adversa, quæ in eodem viriliter pertulit, atque ea quæ ipse ad Dei honorem et suæ Ecclesiæ utilitatem Domino cooperante discrete et sapienter peregit, describere, et ad posterorum memoriam revocare divina præveniente gratia aggrediar. *Adjufuit indictum.*

(31) Vide infra lib. II. cap. 55.
(32) Vide lib. II, cap. 2 et 55.
(33) Vulgatum Fusellense concilium anno 1088
(34) Hodie *Cardena.*

torium nostrum in nomine Domini. Qui fecit cœlum et terram. Amen.

CAPUT IV.

De prælatione Didaci Gelmiride.

Comes itaque domnus Raimundus, vir idoneus atque discretus, condolens Compostellanæ Ecclesiæ, non juxta canonum instituta, ut supra exposuimus, ordinatæ, non inconsultis quatuor episcopis, videlicet Petro Lucensi, Gunsalvo Minduniensi, Auderico Tudensi, Petro Auriensi, quosdam seniorum et populum hujus Ecclesiæ ex affectu internæ pietatis sic alloquitur dicens: « Ite, et vobismetipsis consulentes quemcunque a me reposcere volueritis, protectorem et defensorem Domino miserante impræsentiarum habere poteritis. » Hæc igitur audientes seorsum sumpto consilio in conspectu domini Raimundi, totius principes Gallæciæ pariter advenerunt; et coram eo assistentes summis precibus ab eo quemdam clericum, nomine Didacum Gelmiridem, honestum et magnæ discretionis virum, uno ore petierunt. Cujus patrem (35) Iriam et ei vicinam provinciam, videlicet inter duos fluvios Uliam et Tamarem, mira arte discretionis, et summo rigore moderaminis et multis annis gubernasse recolebant. Quorum petitioni venerabilis comes viscere tenus condescendens domnum Didacum, Ecclesiæ S. Jacobi canonicum, quem per manum et licentiam omnium canonicorum, pro cancellario et secretario (36) suo secum in curia honorifice tenebat, omni terræ et honori reverendissimi apostoli Jacobi præposuit: qui lux inexpugnabilis intentionis suffultus, nobiliorum virorum prudenti consilio adjutus cœpit destructa restaurare, et restaurata conservare, et conservata quasi ad statum rectitudinis multo labore perducere.

CAPUT V.

De Dalmachio Cluniacensi monacho, in episcopum Compostellanæ promoto.

Præterea delapso unius anni spatio venerandus rex Ildefonsus, et ejus gener dominus Raimundus, et uxor sua, nobilissima domina Urraca (37) consilio et cleri et populi B. Jacobi, auctoritate S. Romanæ Ecclesiæ quemdam monachum cluniacensis religionis, nomine Dalmatium, pudicum et religiosum virum et abbatis benedictione et licentia, Compostellanæ Ecclesiæ, Domino auxiliante, fecerunt episcopum. Hic sedem quasi incultam reperiens vineam, sicut formam sanctæ doctrinæ noverat, utilitati sanctæ Ecclesiæ ardentissimo amore instuduit. Nam cum dominus Urbanus, S. Romanæ Ecclesiæ providentissimus episcopus, apud Clarum Montem concilium celebraret, religiosus idem Dalmatius cum quibusdam comprovincialium episcopum, qui germana juncti charitate ejus sanctitati inhæserant, in eodem concilio domino papæ se præsentavit: ubi ab omnibus valde honoratus hoc privilegium, in se-

A quenti serie conscriptum, quod nemo prædecessorum suorum impetrare potuerat, cum istis subsequentibus litteris, de confraternitate hujus Ecclesiæ scriptis, apud gratiam domini papæ summis precibus impetravit.

Libertas Compostellanæ Ecclesiæ.

Urbanus episcopus, » etc.

« Veterum synodalium, » etc. *Vide in Urbano II ad an.* 1099, *Patrologiæ* tom. CLI, *col.* 440, *sub. num.* 000

CAPUT VI.

Dissolutio Dalmacii episcopi, et prælatio secunda Didaci Gelmiride.

Inde tanto dono rediens decoratus, Compostellanam Ecclesiam libertatis robore decoravit. Sed B quia non durat quem mors prosternere curat, octo dies durat quod nos dolor ejus adurat. Clerici ergo qui se de tot periculis ac tribulationibus ad portum quietis pervenisse putabant, quasi navis in medio maris, ingruente tempestate de littore solet excuti, sic inter procellas hujusmodi huc illucque se quati conspiciunt. Sed omnipotentis Dei clementia quæ secundum suæ providentiæ dispositionem dissoluta nave naufragantibus manum perfectæ consolationis porrigit gubernatorem nostrum catholicum regem, domnum Ildefonsum, generumque ejus piissimum comitem, dominum Raimundum, cum uxore sua domna Urraca divinitus animavit, ut eos de hujusmodi assiduis incursibus ad portum tranquillitatis misericorditer retraheret: quod sic factum fuisse recto ordine describitur. Clerus, et populus C Ecclesiæ B. Jacobi omnium beneficiorum, quæ dominus Didacus Gelmirides eis primitus fecerat non immemores existentes, tam importuna petitione januam misericordiæ prædictorum principum suppliciter pulsare studuerunt, quod apud eorum gratiam eumdem dominum Didacum pro gubernatore et domino impetrarunt.

CAPUT VII.

Semotio Didaci primi ab episcopatu.

Domnus itaque Didacus Pelaiz prædictus episcopus a captione regis jam liberatus, audiens sanctissimum Dalmacium episcopum naturæ debita persolvisse, et hunc alium totum honorem non pontificali dignitate, sed vicaria potestate pro tempore obtinere, Romam precita festinatione petiit: D ibique pontificalem dignitatem se injuste amisisse, et vim passum fuisse, importunis clamoribus conquestus est. Unde sic factum, quod post mortem domini Dalmaci Ecclesia ista, inter diversas angustias posita, hoc negotium *quatuor annorum spatio* permansit indefinitum. Per illos autem *quatuor annos continuos* dominus Didacus Gelmirides vicarius totum hujus Ecclesiæ honorem communi bonorum consilio et assensu gubernavit. Divina tandem pietate inspirante, et ad communem utilitatem provi-

(35) Pater ejus *Gelmirius* vocabatur. Vide lib. II, cap. 2.

(36) *Secretarii* vocabulum pro officio et dignitate ejus qui secretis in aula jam tunc in usu erat.

(37) Fere semper nomen hoc (et aliorum) sola prima littera denotatur.

dentia persuadente, excellentissimus idem rex Adefonsus, volens diffinire præfati negotii causas tam diutina protelatione agitatas, misit Romam nuntios suos cum clericis hujus Ecclesiæ, suas rationes contra eumdem Didacum Pelaiz, calumnias adhuc in eum injuste devolventem, propalaturos, et pertractaturos : qui, Romam pia intentione pervenientes, bonæ memoriæ papam Urbanum ad quem mittebantur defunctum, et Paschalem ei in honorem jam subrogatum (*an.* 1099, *die* 15 *Aug.*) invenerunt. Hic Paschalis ante papatus adeptionem Ranerius dictus in Hispania fuerat jam legatus, et totam hanc dissensionem, et beati Jacobi Ecclesiæ calamitatem certissime noverat. Reverendissimus igitur S. Romanæ Ecclesiæ episcopus Paschalis, eorum rationes et objectiones patula cordis aure perspicacius audiens, ac tantæ inquietudinis summam subtili consideratione discernens, Didacum Pelagidem tantæ dignitatis prælatione indignum esse dictante justitia, censuit. Unde hæc Ecclesia quæ spatio quindecim annorum in supradictis miseriis quasi languida permanserat, Domino miserante liberata idem papa venerabili regi nostro, clero et populo beati Jacobi subsequentes remisit litteras.

Ad regem, de liberatione Compostellanæ Ecclesiæ.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Petitionem tuam, » etc. *Vide in Paschali ad an.* 1118, *Patrologiæ* t. CLXIII, *sub num.* 4.

Ad Clerum et populum Compostellanæ Ecclesiæ de eodem.

« Paschalis, » etc.

« Quantis jam diu, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 5.

CAPUT VIII.

Dilationis electionis.

Cum nobis equidem his præcipientibus litteris electionem diu desideratam facere liceret, propter absentiam præpositi nostri domni Didaci Gelmirez, qui orationis gratia limina B. Petri adiverat, ubi ad ordinem subdiaconatus promotus est, usque ad adventum ejus electionem fieri modis omnibus distulimus et quia vitam et mores ipsius cognoveramus, visis domini papæ istis subsequentibus litteris, eum nolentem, atque renitentem cum nobilioribus totius Gallæciæ, et ascensu regis Adefonsi, et comitis Raimundi qui nobiscum laudantes, in episcopum elegimus.

Ordinatio prædicti D. Romæ in subdiaconum.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Didacum Ecclesiæ vestræ, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 11.

CAPUT IX.

Electio ejus et consecratio.

Et in venturis Kal. Julii annuente Domino prædictus Didacus in episcopum electus est (38) sub æra I. C XXXVIII (*an.* 1100), et ad venturum Pascha episcopus consecratus est XI K. Maii. Unde magna lætitia in Ecclesiæ nostra orta est. Post electionem vero cum multis hujus Ecclesiæ personis Toletum, ubi dominus rex Adefonsus erat, petens, a Toletano archiepiscopo cum summa processione ibidem susceptus est. Inde regali gratia valde honoratus rediens, cum ejusdem regis vicario quamdam partem honorum quam Ecclesia B. Jacobi prædecessorum suorum temporibus injuste amiserat, Domino auxiliante, recuperavit (*an.* 1101) ; et quia eumdem electum Romæ consecrandum juxta privilegium prædecessoris sui domini Dalmatii cognoveramus, ne suorum hostium dolosis insidiis in eundo vel in redeundo forte caperetur, interrumpentibus suspiriis valde doluimus. Didacus quippe Pelaiz exepiscopus, et ejus propinqui, cum domino Petro Aragoniensium rege, per cujus regnum ipsi electo transeundum erat, morabantur, et ideo gloriosus rex Adefonsus, et B. Jacobi Ecclesia nequaquam eum Romam ire consecrandum permittebant, captionis periculum a supra dictis hostibus illi metuentes. Quamobrem ab eodem domino nostro rege Adefonso deprecatorias litteras expostulantes, duos ex canonicis nostris cum eis ad dominum papam, ut eum apud nos consecrari permitteret, misimus : qui has litteras suscipientes domino Hugone aggravato ægrimonia, alius scilicet Vincentius viam universæ carnis subiit.

De eodem.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Destructioni Ecclesiæ Compostellanæ, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 20.

Item de eodem.

« Paschalis episcopus » etc.

« Nosse fraternitatem tuam, » etc. *Vide ubi supra sub num.* 41

Item de eodem.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Sicut de tua, » etc. *Vide ubi supra sub num.* 26.

CAPUT X.

Item de eodem.

Et quia legatorum alio jam defuncto, alio vero summo languoris pondere oppresso, hac præcedentes litteras, quarum auctoritate noster consecrandus erat electus, nullatenus habere potuimus, ego ipse Munio Adefonsiades, et alter Munio Gelmirides, frater ejusdem pontificis, a canonicis hujus Ecclesiæ cum repetitis a sanctissimo imperatore nostro litteris missi Romam, sollicite ivimus, et divina interveniente clementia has litteras ampliori collectione descriptas summo labore detulimus.

Item de eodem.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Destitutioni Ecclesiæ vestræ, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 42.

Item de eodem.

« Paschalis episcopus, » etc.

(38) Vide infra lib. II, cap. 2. De episcopis qui ejus interfuerunt electioni.

« In autumno præterito, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 49.

CAPUT XI.

De confirmatione libertatis.

Post consecrationem suam idem episcopus, juxta Ezechielem prophetam, quod a grege sibi commisso rejectum fuisse cognovit, reduxit; et quod fractum invenit, sicut melius potuit alligavit, et ut Ecclesia ad arcem dignissimæ libertatis proveheretur, providenti diligentia laboravit. In primo etenim anno sui pontificatus, me nondum thesaurarium cum quodam Gaufrido archidiacono Romam sollicitus delegavit, ut privilegium quod prædecessor ejus Dalmatius a domino Urbano, sanctæ memoriæ Romano episcopo, de libertate Ecclesiæ impetraverat, sanctissimus dominus papa Paschalis, qui ei successerat, auctoritatis robore confirmaret, et confirmando aliqua Ecclesiæ nostræ utilia subministraret. Ubi tranquillitatis tempore cum essemus cardinalium opitulationibus adjuti, et privilegium libertatis tantæ, similitudine rescribi fecimus, et cum eo robustius confirmato has subsequentes litteras asportavimus.

CAPUT XII.

Confirmatio Compostellanæ diœcesis, et libertatis, et votorum.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Justitiæ ac rationis ordo, » etc. *Vide ubi supra sub num.* 56.

CAPUT XIII.

De cardinalibus.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Ecclesiam quam regendam, » etc. *Vide in Paschali.*

CAPUT XIV.

Ad adipiscendum libertatem parochiorum Compostellanæ sedis.

Verum amore B. Jacobi succensus, et hujus præcedentis impetrationis odore excitatus, duos ex canonicis nostris, videlicet Hugonem et Didacum, pro honore et reverentia suæ Ecclesiæ Romam misit, et has subscriptas litteras ab eisdem redeuntibus suscipiens successoribus suis reliquit

Libertas Compostellanæ Ecclesiæ.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Sicut injusta, ». *Vide ubi supra, num.* 95.

CAPUT XV.

Quando adiit Portugaliam.

Ut ergo, quantum ad humanam capacitatem nullatenus discreparet, a sententia qua dicitur: Quæcumque potest manus tua facere, instanter operare, in quibuscunque potuit vigilantius laboravit, ne præsentis vitæ subrepente studio, sub terrenæ cogitationis aggere ipsius animus sepeliretur. Cum itaque divina inflammatus gratia Portugalenses intraret partes, quodcunque in his subsequentibus legitur Domino auxiliante peregit.

A *Translatio S. Fructuosi, Silvestri, Cucufati, Susannæ virginis et martyris in Compostellam.*

Anno igitur Incarnationis Dominicæ 1102 (39), venerabilis Pater Didacus secundus Ecclesiæ B. Jacobi Compostellanæ sedis divina præstante gratia episcopus, secundo episcopatus sui anno Ecclesias, cellas, et hæreditates quæ in Portugalensi pago Compostellanæ Ecclesiæ juris esse cognoscuntur, ut justum est, visitare decrevit; ad bonum namque pertinet pastorem, ut tam exterioribus suæ Ecclesiæ bonis, quam interioribus provideat, et si quid detrimenti vel aliquid inordinatum in eis invenerit, providentia sua restauret, et disponat. Assumpsit itaque de majoribus suæ Ecclesiæ personis, et ad Portugalensem uti disposuerat iter suum direxit. Cumque B appropinquarent civitati, quæ Bracara dicitur, nuntium suum ejusdem civitatis archiepiscopo præmisit qui adventum suum ei nuntiaret. Ipse vero archiepiscopus, nomine Giraldus, vir prudens atque religiosus, audito quod episcopus S. Jacobi ad suam veniret civitatem, magno repletus est gaudio, et congregans omnes clericos suos, cum civibus et cæteris ecclesiæ suæ ornamentis obviam procedens, episcopum Compostellanum cum magna veneratione in processionem suscepit, et clero cantante ipse cum manu dextera tenendo in ecclesiam suam introduxit, et ut in ea eadem die missam celebrare dignaretur summis precibus apud ipsum impetravit. Post missæ vero celebrationem ad mensam refectionis, post refectionem quoque ad suam cameram propriam archiepiscopus episcopum honorifice C comitando perduxit, eique suum proprium hospitium præbens, in aliam mansionem ibit mansurus. Illa itaque die episcopus Sancti Jacobi apud archiepiscopum Bracarensem commoratus est. Sequenti vero die salutaris ejusdem Ecclesiæ fratribus, atque benedictione firmatis, præfatus episcopus ad ecclesiam Sancti Victoris, cujus juris medietas Bracharæ civitatis esse perhibetur, archiepiscopo comitante pervenit, et in sua regias palatia ut dominus susceptus est. Interea tamen ecclesias suas circumeundo, visitando, et in eis missarum solemnia celebrando, multorum corpora sanctorum, quæ per eas semisepulta debito carebant honore intuens, pio gemebat affectu, et pietatis studio pio versabat pectore, quod postea divina opitulatione implevit; ferventi namque D studio excogitabat qualiter pretiosas de inconvenientibus locis margaritas extrahere posset, et ad Compostellanam urbem asportaret. Convocatis itaque suis familiaribus clericis, et consilio probatis, quid inde, vel quomodo facere vellet aperuit, dicens: Fratres charissimi, scitis quia ad has partes ideo venimus, ut si quid in ecclesiis istis, seu hæreditatibus destructum, seu inordinatum esset præsertia nostra restauraret, et ordinaret, et male posita in meliorem statum mutaret. Nunc autem vestram

(39) Bullam anno 1103 signatam supra posuit, quoniam alteram anno 1102 obtentam subsecuta, ut ex ejus patet verbis cap. præc. *Hujus præcedentis impetrationis* (*anno* 1102) *odore excitatus*, etc. Nunc de rebus ab episcopo gestis eodem met anno 1102 iterum illi sermo.

non latet diligentiam quæ in eis inconvenientia reperiuntur: plurima etenim sanctorum corpora, nullo cultu venerata, sed nuda et publico visui patentia passim per eas jacere inspicitis, quæ debita veneratione carere non ignoratis. Si ergo vestra nobis consuluerit prudentia, hoc emendare curabimus, et quædam pretiosorum corpora sanctorum, quibus nullus hic exhibetur cultus, ad Compostellanam sedem transferre curabimus. Occulte tamen hoc fieri oportebit, ne forte gens hujus terræ indisciplinata, tantoque thesauro exspoliata, in nos subitam seditionem commoveat, sicque quod tentare audemus frustra nos tentasse doleamus. Hoc autem consilium cum ejus clerici approbassent, utpote consilium divina inspiratione ortum, esse postponendum assererent, venerabilis episcopus maxima mentis jucunditate repletus respondit, et ait: « Dominus Jesus Christus, de cujus misericordia confidimus, ipse sua pietate quod desideramus adimpleat, et propositi nostri devotionem ad bonum finem perducere dignetur. » Deinde ecclesiam Sancti Victoris ingrediens, ibique missam celebrans, ad dexteram partem majoris altaris fodi præcepit. Ibi arca marmorea, mire ac subtiliter fabricata, mox sub terra reperta est. Quam cum præsente domno episcopo aperuissent, duas capsulas argenteas intus invenerunt. Eas itaque prædictus episcopus cum magno timore accipiens, glorificato nomine Domini cum psalmis et orationibus reseravit: in una quarum Domini nostri Salvatoris reliquias, in alia vero plurimorum sanctorum esse demonstravit. Clausas igitur et firmiter sigillatas suis fidelibus clericis custodiendas tradidit. Alia autem die ad ecclesiam Beatæ Susannæ virginis et martyris, quæ non longe ab ecclesia Sancti Victoris remota est, perrexit, et in ea summa cum devotione missam celebravit. Celebrat autem missa, ut sacris vestibus erat ornatus, ad mausolea sanctorum Cucufati et Silvestri martyrum, in eadem ecclesia requiescentium, trepidante animo accessit, et eorum gloriosa corpora, munda sindone involuta, de inconvenientibus sarcophagis latenter assumpsit, et cum magna reverentia per idoneos ministros atque fideles, cæteris ignorantibus ad cameram suam deferri fecit, et fideliter custodiri. Ad sepulcrum quoque sanctæ Susannæ virginis cum pervenisset, ejus venerabile corpus cum fletu et lacrymis suspirando accepit, et occulte cum aliis custodiendum tradidit.

Præterea vir Dei cognoscens divina pietate ei esse concessum quod sanctorum corpora per eum honorificanda essent, apposuit ut B. Fructuosi confessoris atque pontificis gloriosam corporis glebam simili modo transferret, atque convenientius collocaret. Post duos vero dies venerunt ad ecclesiam B. Fructuosi, ibique missam solemniter celebravit. Finita vero missa ad ejus sepulcrum sacris indutus vestibus accessit. Sed, quoniam sanctus Fructuosus regionis illius defensor et patronus erat, cum majore timore et silentio de ecclesia sua, quam ipse adhuc vivens in carne fecerat, cum pio latrocinio sustulit, et sublatum fidelibus suis custodibus servandum commisit, et, quamvis hoc factum omnes lateret præter illius consilii conscios, consequenti tamen nocte haudquaquam episcopus secure dormire potuit; timebat enim perdere quod secum gaudebat habere. At, ubi mane facto quod egerat non esse propalatum agnovit, cum gaudio et lætitia suum occultum thesaurum comportans ad quamdam Sancti Jacobi villam, quæ Corneliana nuncupatur, tanquam iniens fugam accelerando regressus est. In Corneliana igitur rumor populi aures pontificales percussit, referens ab episcopo Sancti Jacobi indignum fieri facinus, qui sanctos de Portugalensi terra sublatos, patriæ scilicet, defensores atque patronos, ad suam conabatur transferre civitatem. Quo audito vir summæ prudentiæ et pietatis eximiæ veritus ne qua occasione seu violentia pretiosam sarcinam amitteret, cuidam fideli archidiacono suo sanctorum corpora commisit, et quomodo ea per occultos tramites ad Tudensem defferret civitatem, sapientibus verbis eum instruxit. Pontifice ergo apud Cornelianam remanente, archidiaconus secundum ejus præceptionem iter faciens usque ad flumen Minei, quod secus Tudam defluit, prospere pervenit. Flumen equidem ante tam asperrimis per tres dies inhorruerat procellis, quod nullis navibus transiri posset. At, postquam sanctorum corpora supra ripam fluminis imposita fuerunt, eorum reverentiam fluvius sensisse visus est: nam gravis auræ asperitate submota, aerisque intemperie evanescente, transferendis sanctis tantam transfretandi facultatem flumen exhibuisse perhibetur, quantam ipsius planities aquæ subministrare potuit: quæ sedatis fluctibus tam magna ferebatur tranquillitate, ut nec modica fluctuationis unda quateretur. Translatos itaque per fluvii tranquillitatem sanctos in cœnobio Sancti Bartholomæi, quod in suburbio Tude civitatis situm est, posuerunt. Archidiaconus igitur fideli custodiæ administratione quemdam diaconum Sancti Jacobi apostoli canonicum cum eis relinquens, ad episcopum in Cornelianam reversus est, eique quidquid in itinere accidisset, et ubi sanctos Dei dimisisset referendo patefecit. Deinde diaconus quem custodem deputatum esse prædiximus, ex præcepto pontificis supradictos sanctos ad ecclesiam Sancti Petri de Cella, quam B. Fructuosus fabricaverat, religiose detulit. Ibi vero per decem dies episcopum præstolando, debitam venerationem eis exhibuit.

Audiens autem episcopus quia jam Minei fluvium sancti transissent, et in tuto loco positi essent fluvius enim iste Portugalensem terram disterminat a Gallæcia) præparatis omnibus quæ præparanda erant, ad monasterium ubi sancti erant positi festinando pervenit; et assumptis inde sanctis, jam manifeste per villas Sancti Jacobi cum magna veneratione et lætitia ad Compostellanam civitatem redire cœpit. Cum autem pervenisset ad Villam, quæ Gosgildum appellatur, nuntios suos cleri et populo

Compostellano præmisit, ut eis sanctorum adventum nuntiarent, et qualiter deberent suscipi jussione episcopi admonerent. Clerus igitur Compostellanus et populus, audientes quia divina miseratione permissum esset, quod sanctorum corpora Bracara in Compostellanam transferrentur civitatem, valde gavisi sunt; intelligebant siquidem quod tam eorum meritis et intercessionibus quam piissimo B. Jacobi apostoli patrocinio, cujus sanctissimi corporis præsentia Compostellana civitas illustratur, ab omni peste, seu languorum debilitate, liberandi essent. Exeuntibus ergo obviam nudis pedibus clerici subsequenti populo totius civitatis usque ad locum qui Humiliatorium dicitur, religiose processerunt. Quo cum pervenisset episcopus, et se et qui secum venerant, discalceari præcepisset, clerici secundum ejus dispositionem sacris vestibus ornati, nudis pedibus existentes, post eos venientibus turbis gloriosa sanctorum corpora susceperunt, et episcopo præeunte et clero in civitatem suam cum hymnis et canticis, et pia devotione detulerunt, et in ecclesia Sancti Jacobi apostoli Compostellanæ sedis collocata fuerunt.

Corpus enim S. Fructuosi confessoris atque pontificis ad altare S. Salvatoris in majori ejusdem ecclesiæ crypta positum est. Veruntamen expletis quatuor annis iterum præfato pontifici suisque clericis melius visum est, ut B. Fructuoso, quem de propria mansione susceperant, proprium facerent habitaculum. In ejus itaque honore fabricatum et dedicatum est altare, et ab eodem episcopo consecratum in sinistro membro ejusdem ecclesiæ, in crypta quæ est inter portam quæ mittit in claustrum, et altare S. Jacobi. Ibi ergo positum est corpus B. Fructuosi, et conditum, et tanquam in propria sede requiescit usque in sempiternum diem miraculis gloriosum. Sanctum vero Cucufatum martyrem altare S. Joannis apostoli et evangelistæ suscepit; et S. Silvestri martyris corpus ad altare beatorum apostolorum Petri et Pauli in ejusdem ecclesiæ corpore conditum est. Beata vero Susanna virgo et martyr in ecclesia quæ in honore S. Sepulcri et omnium Sanctorum fundata cognoscitur in loco quem antea Uterium puldrorum (40) appellare solebant, honorifice collocata requiescit. Hugo ejusdem Compostellanæ sedis canonicus et archidiaconus, qui prædicti secreti conscius fui, qui etiam in tanti tamque pretiosi thesauri inventione et inventi administratione fidelissimus consultor et diligens cooperator corpore præsens et animo devotus exstiti, præfati eventus prosperitatem, ne oblivionis caligine sopiretur, diligenter scripsi, et posteris memoriam fideliter tradidi. Translata igitur sanctorum corpora, ut supradictum est, collocata fuere XIV Kal. Jan., regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XVI.

Quando Romam adiit pro pallio.

Præterea non post multum temporis idem venerabilis episcopus, circa ministerium et dignitatem sanctæ Ecclesiæ infinitam sollicitudinem gerens, cum nobilissimis hujus Ecclesiæ personis præsentiam catholici imperatoris nostri domni regis Adefonsi humillima dilectione visitavit; et quidquid utilitatis suæ Ecclesiæ competentis in armariolo sui pectoris præfixum se tenuisse recoluit, in ejus discretis auribus exposuit. Qui de diversis negotiis colloquentes tacita assertione disposuerunt, ut ipse divinæ pietatis confidentia roboratus cum quibusdam canonicorum suorum gratia impetrandæ alicujus dignitatis Romam peteret; et ne ab inimicis regis illita sibi aliqua pateretur adversa, clanculum divertendo incederet. Tantæ itaque prudentiæ in hujusmodi peragendis negotiis præfatus episcopus fuit, quod nec ab illis omnibus quæ cum rege nostro sanctissimo ibi disposuit declinavit, nec suæ dignitatis excellentiam nisi interveniente sanctæ humilitatis virtute aliquo modo inclinari permisit; prius etenim quam de Campaniæ (41) partibus egrederetur, Burgensis ecclesiæ G. (42) episcopus cum summa processione cum honestius suscepit, et in quibuscunque potuit per parochias sui pontificatus pro velle ei magnopere obsequi non cessavit. Postquam autem multis et idoneis personis tam clericorum quam militum circumdatus transpirenavit, et in partes Vasconiæ ad honores salvitatum nostræ Ecclesiæ pervenit, tanto affectu a majoribus terrarum, et a cæteris, honoratus exstitit, quod licet imperitiæ meæ descriptio tanta hebetudine, ut cernitis, ut nequaquam pigresceret, nullatenus insinuare valeret.

De honorificentiis et processionibus.

Cumque hæc per partes illas fama volens circumquaque vulgaret, Auxensis Ecclesiæ nobilissimus archiepiscopus ei obviam occurrens in festivitate Nativitatis B. Mariæ, quæ præ cæteris apud indigenas partium illarum specialiori devotione annuatim celebratur, eum cum summa processione honorabiliter suscepit. Ibi etiam eadem die, licet ex itinere defessus multis tamen precibus archiepiscopi et omnium canonicorum compulsus, majorem missam celebravit, et prout ei gratia S. Spiritus vires infudit, multitudinem gentium, quæ ex diversis locis ad festivitatem confluxerat, pabulo sanctæ prædicationis cibavit. Ea propter archiepiscopo et fere omnibus probis viris qui affuerant indissolubili vinculo dilectionis conjunctus, post tertiam diem cum ampliori veneratione a civitate egressus est.

(40) Henschenius edidit *ante altare Sepulcrorum*. *Auterium* vero *pullorum* melius retinendum, quod Hispanice dicas *Otero de Potros*: ibi enim nundinæ fiunt pullorum equinorum. Vide dicta tom. præced. sub hoc anno. Infra cap. 116, *pullorum*, non *puldrorum* scriptum.

(41) *Campaniam* dicit tractum quam veteres incolebant Vaccæi, quique patrio huc usque sermone *tierra de Campos* nuncupatur.

(42) Burgensis tunc episcopus Garcia vocabatur,

Item de eodem.

Inde per salvitates et honores B. Jacobi aliquantisper remorando, summo cum honore Tolosam intravit. Cumque ibidem divina administratione quosdam inimicorum suorum memorati imperatoris domini A. sibi insidias apposuisse cognosceret, meipsum Munionem, et archidiaconum hujus Ecclesiæ, nomine Gaufridum, Romam præmisit, et ipse cum cæteris clericis, videlicet archidiacono Oduario, Hugone cardinali Capellano, Petro Anajade, Petro Pelagiade, et aliis quam pluribus et militibus suis per devia incedens ad monasterium S. Petri de Mosiaco quasi ad tranquillitatis portum, Domino auxiliante, pervenit; ubi, cum officio sacræ processionis digne et laudabiliter susceptus cum quibusdam prædecessoribus ejusdem monasterii Caturnicensem urbem adire est agressus. Cujus equidem episcopus ex ejus jam sibi notificato adventu sollicitus, quæcunque viro tantæ capacitatis paranda erant, sagaci industria parare festinavit, et hunc venientem congrua veneratione gaudens suscepit.

Item de eodem.

Illinc nempe cum egrederetur ad monasterium S. Petri Usurgecensis veniens apud religiosos monachos et abbatem, qui ibi erant, non minus honorificentius susceptus est. Sic itaque, ut supra exposuimus, ab omnibus ubique honoratus Clemoium, ubi corpus S. Martialis revera esse cognoscitur, fideliter venit, et tanta ibi reverentia honoratus exstitit quod si in humano corde plene concipitur, ab ore tamen minus plene profertur; si vero, juxta rei eventum, singula sequentium obsequiorum, quæ apud S. Leonardum et sanctam Valeriam, ac Saluimum Compostellano episcopo postmodum subministrata fuerunt, subtili consideratione pensemus, ea quæ superius memoravimus minora procul dubio fuisse conspicimus.

Item de eodem.

Cum autem ad Cluniacum videlicet ad caput totius monasticæ religionis, præfatus episcopus, tot et tantis sacris venerationibus insignitus accederet, apud beatitudinem illius sanctissimæ congregationis quam ibi divinitus profecto esse credimus, variis ordinibus processionum intervenientibus, familiarius ac specialius est susceptus. Sicut enim qualitate sanctæ religionis ac quantitate, claritateve dignitatis, Cluniacum ab omnibus monasteriis fere distare cognoscimus, ita charitatem ipsius omnibus intervenientibus largifluam ac paratissimam constare sentimus. Quam obrem idem venerabilis episcopus sanctissimo abbati et ejus sanctæ congregationi quasi quodam privilegio amoris adeo innexus existebat, quod a domino abbate consilium petens, ob quam causam tantum iter arripuisset, ejus auribus instillavit. Cujus animo tanti negotii auditione pulsato, cœpit ipse intra A sinum suæ mentis, quasi mira quæ audierat repetita cognitione revolvere, et revolvendo, hæc sequentia quæ Compostellanum latebant episcopum, ei aperire. Cum dominus Urbanus, in Christo charissime, qui prius Cluniacensis monachus, ac postea S. Romanæ Ecclesiæ exstitit apostolicus, apud Clarum montem concilium celebraret, illius noster dominus Dalmachius, ut tua charitas novit, B. Jacobi Ecclesiæ religiosus episcopus, ab urbe Compostellana veniens eidem concilio interfuit; ubi cum multis religiosis episcopis dominum papam pro dignitate pallii, ut jam expressius nominemus, summis precibus exoraret, quamvis uterque nostræ congregationis consocii fuissent, nihil tamen apud ejus gratiam impetrans, repulsam passus fuit.

B Aliud quoque obstaculum imminet quod dudum tuæ Ecclesiæ, frater reverendissime, valde obfuisse cognovi. Quodam namque tempore, cum quidam cardinalium Romanæ Ecclesiæ legationis gratia Gallæciam intraret, nuntios suos Compostellano præmisit episcopo, ut ei subjectæ obedientiæ debita subministraret, eumque cum officio sacræ processionis veneranter susciperet. Quorum equidem suscipienda eloquia, surda aure audiens, atque moleste ferens, non religiosa urbanitate, sic eis fertur respondisse: « Ite, inquit, ad hujus Ecclesiæ cardinales, et tantum obedientiæ honorisque Romanæ Ecclesiæ cardinalibus exhibeant, quantum postea Romani cardinales versa vice Romæ exhibituri sunt (43). Unde Romana Ecclesia, quæ caput et forma omnium Ecclesiarum est, ut audivit, communi decreto constituit, C ne suo assensu Compostellana ulterius sublimaretur Ecclesia. Hæc profecto superius dicta, fili charissime, tuæ petitioni repugnatura valde pertinere scio. Hæc indesinenter pulsant animum meum: hæc etiam meritis et intercessionibus Petri principis apostolorum et B. Jacobi a tenaci memoria cardinalium Romanæ Ecclesiæ penitus removeri optarem. Tu autem umbraculo patrocinii B. Jacobi suffultus matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam, sicut jam incœpisti visitare ne renuas, et ne forte dominus papa petitioni tuæ condescendere refugiat, non per te, sed per clericos tuos supradictam dignitatem impetrare pertenta. Cujus equidem verbis memoratus episcopus fidem commodans in festivitate S. Michaelis eorum precibus motus majorem missam in conventu D eorum celebravit. Idem etiam reverendissimus Compostellanæ Ecclesiæ minister, pietate timoris eruditus sub forma sanctæ humilitatis inter negotia ecclesiastica degens, quidquid carnale in seipsum corrigendum persensit, spirituali mentis dominatione restrinxit, ac sincera rationis discretione æternæ pacis requiem sollicite requisivit, ad quam requirendam requiem apud gratiam domini abbatis divinitus promeruit, ut post ejus decessum, ibi in

(43) Alter codex *exhibitum est*, et paulo ante, *prius a Rom. cardinalib.* ex quibus melius videtur legendum, *quantum eis prius a Romanis cardin. versa vice Romæ exhibitum est*, scilicet præteritum præsenti compensando, non præsens exhibendo pro futuro, quod sub obsequentis non cadit potestate. Ita etiam infra lib. II, c. 1.

recordatione sui ipsius anniversarium, et tricennarium in perpetuum fiat.

CAPUT XVII

Item de eodem.

Deinde sanctæ congregationis benedictionibus munitus per cellas et possessiones Cluniacensium obedientiarum usque ad valles Maurianenses Domino auxiliante pervenit. Ibi etiam venerabilis comes Umbertus eum honorifice suscipiens, usque ad urbem Sensiam (44) summa cum veneratione perduxit; ubi præ timore Teutonici imperatoris, qui tunc temporis euntibus ad dominum papam insidias tetenderat, militari habitu indutus variis laboribus Romam profectus est. Cum autem sacrum intraret palatium quia nullus episcoporum hujus Ecclesiæ Romæ sponte fuerat, tanto affectu præcordialissimæ dilectionis dominus papa hunc suscepit, quod si subtilius consideremus, paucissimos ita suscepisse arbitramur, et ne singula numerando diutius fatigemur, ad ea quæ decem dierum spatio ibi assiduis precibus impetravimus, omni circuitione seposita veniamus. Idem igitur venerandus episcopus omnium quæ dominus Cluniacensis abbas ei insinuaverat, non immemor existens, interventu omnium cardinalium a domino papa per clericos suos dignitatem pallii petiit, et ut petitioni suæ condescenderet, non infructuose laboravit. Tandem superna cooperante gratia, pallium, quod valde desideravit, in ecclesia S. Laurentii ab altari, juxta Romanam consuetudinem, de Dei misericordia confidens religiose accepit, et per hoc subsequens privilegium S. Jacobi Ecclesiæ in perpetuum tradidit.

Concessio pallii.

« Paschalis episcopus, etc.

« Jacobi apostoli corpus, etc. *Vide ubi supra sub num.* 121.

Obedientia P. papæ promissa.

Hujusmodi obedientiam idem supradictus episcopus P. papæ promisit : Ab hac in hora in antea fidelis ero sancto Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, et domino papæ P. ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, nec in facto, ut vitam perdant, aut membra, vel capiantur mala captione. Consilium quod mihi per se, aut per litteras, aut per nuntium credituri sunt ad eorum damnum me sciente nulli pandam. Papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum, salvo meo ordine, contra omnes homines. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus necessitate. Legatum apostolicæ sedis, quem certo legatum ejus esse cognovero, honorifice tractabo. Apostolorum limina singulis trienniis aut per me, aut per meum nuntium visitabo, nisi eorum absolvar licentia. Sic Deus me adjuvet, et hæc sancta Evangelia!

A

CAPUT XVIII.

De restauratione altaris B. Jacobi et cæterorum.

Inter cæteras quibus præfatus episcopus dignitates ecclesiam suam decorare non pigra sollicitudine festinavit, quæcunque in ejusdem ecclesiæ altari sua manus restauratoria gesserit, ne in posterum ignorantiæ nebula offuscentur, ab oblivionis interitu defendere curavimus. Sed, ne singula proferendo per devia longius evagemur, intentionem nostram ad rectum tramitem dirigamus, quatenus ea quæ propriis oculis aspeximus, prout possibilitas nostra valuerit, succedenti memoriæ commendemus. Altare etenim S. Jacobi, quantulæcunque parvitatis exstiterit, ne minus vero dicere judicemur, ex ipsius arulæ quantitate verius colligi poB terit. Crescente denique in fidei cognitione Christianæ professionis religione, aliam arulam, aliquantisper majoratam a cultoribus sanctæ fidei superimpositam, antiqua antiquorum Patrum memoria, tam fidelium verborum enuntiatione quam certa litterarum subministratione, nobis evidenter insinuavit. Cæterum præfatus episcopus, in augmentando suæ Ecclesiæ decore sollicitus vehementer, quoniam arula jam secundo augmentata, tantum apostolum minime decebat, apostolicum altare majorari debere pia consideratione consideravit. Quapropter habitaculum illud ab ejusdem apostoli columnis ad instar inferioris mausolei conditum, quo sacrosancti apostoli pignora sine ullo scrupulo claudi cognoscimus, religiosorum virorum prudente consilio roboratus, se destructurum canonicorum conventui sibi super C hac re fortiter reluctanti prænuntiavit ; multiplici etenim assertione asserebant opus manibus tantorum virorum, licet rude et deforme ædificatum destrui nullatenus debere, ne ipsi aut eorum Dominus, cœlestis fulminis mucrone percussi tantæ audaciæ citata pericula sustinerent. Ipse vero, velut strenuus miles, impenetrabili suæ bonæ considerationis clypeo munitus, quia eos exterioribus magis quam interioribus oculo suæ discretionis intendere prospexit, calcata eorum formidine, pede bonæ intentionis supradictum habitaculum solo tenus destruxit, et altare quod modicæ quantitatis primitus exstiterat, jam tertio marmoreo desuper imposito lapide undique, prout decuit, augmentavit. Circa cujus egregiam et optimam quantitatem, argenteam tabulam, non D interjecto temporis spatio, mirabiliter incœpit, et mirabilius consummavit. Pavimentum quoque cum gradibus, quibus ad altare conscenditur, plano opere et omni decore decorato reædificare curavit (45). Cibolium (46) etiam ad honorem apostolici altaris, quod congruenti artificii varietate, auro, argentove fieri præcepit, humanæ investigationi suus monstravit intuitus. Altari etenim, sicut superius prælibavimus, taliter exstructo, quoniam humanis

(44) Al. *Sensiam*. Ego *Setiam* lego, urbem ditionis pontificiæ.

(45) Peractum opus illud an. v sui episcopatus (nempe 1105), ut versus in eadem sculpti tabula (quæ hodie Frontale dicitur) testantur. *Vide* tom. præc.

(46) Aliis *Ciborium*, tegimen scil. et umbraculum altaris, columnis innixum.

visibus ex omni parte patebat, nullum arcanum, in A quo privatæ orationis a fidelibus voto solverentur, relinquebatur. Opportunum namque et sanctæ meditationi necessarium eminebat, quatenus mentes internæ contemplationis splendore coruscantes, et maculas suæ conscientiæ fuso lacrymarum flumine in secreto loco mundarent, et per sanctæ orationis juvamina, quasi cœlestis alimoniæ dapibus refecti, a pestifera mole vitiorum exonerati redirent. Quare cœpit episcopus intra suæ mentis hospitium cogitationi insistere, et ad faciendam in altari confessionem indefessa sollicitudine funditus anhelare. Quam equidem confessionem infra duas altaris columnas, quæ cibolium sustinent, quantam vel qualem construxerit apparet, quando felicem aditum præbet intrantibus.

CAPUT XIX.

Consecratio altarium, et de oblationibus hospitali concessis, et de ecclesia S. Sepulcri.

In eodem vero opere omnia altaria circumquaque, convenienti magisterio convenienter disposita, videlicet S. Mariæ Magdalenæ, S. Salvatoris, S. Petri, S. Andreæ, S. Fructuosi, S. Joannis Baptistæ, et in sinistro cornu altare S. Joannis apostoli et S. Crucis, postquam sacra chrismatis unctione perunxit deificæ nobilitatis, insignius splendescere fecit ornamento; qui, quoniam in supernæ patriæ contemplatione indissolubiliter animum fixerat, et quoniam mutua semper charitate fervebat, rogatus precibus Petri, Pampilonensis episcopi, condescendit, cui altare sanctæ sedis ad consecrandum cum ingenti veneratione concessit. Facta autem omnium altarium consecratione dedicato in sublimi S. Michaelis altari, quia extra urbem tendere volumus, quædam quæ prætermisimus licet non in suo loco, hic tractatu inserere debemus, de altari, videlicet S. Mariæ Magdalenæ et S. Crucis, unde superius mentionem fecimus; medias omnium eleemosynarum largitiones, a fidelibus superpositas, peregrinorum et debilium hospitalium domui concessit, quam sane ante episcopalis consecrationis adeptionem suo pretio acquisivit, et propriis facultatibus propensius dilatavit. His igitur superius denotatis, quoniam monasterium de Piniario sicut prælibatum est, a prædecessori sui bonæ recordationis Sisuandi episcopi solertia constructum cognoverat, ecclesiam S. Martini ad usum monasticæ religionis, jam fere destructam, cum Leovegildo ejusdem ecclesiæ ministro diligenter majoravit, et majoratam diligentius consecravit. In suburbio autem ejusdem civitatis ecclesiam S. Sepulcri, venerabili S. Susannæ corpore splendidius illustratam, quam de Bracarensi civitate sua transtulit industria construxit, et expleta Paschalis gaudii solemnitate in sequenti die ad eam annuatim processionem fieri firma stabilitate stabilivit, quatenus inibi a clero et ab omni Compostellano populo missarum solemniis solemniter celebratis, quisque ad sua alacriter remearet.

CAPUT XX.

De ecclesia in monte Gaudii fabricata et consecrata, de pontificalibus palatiis, de ordine et numero canonicorum.

Denique prædicti præsulis summa solertia, cujus propositum ab ipsis fere cunabulis semper exstiterat, et destructa construere, ne iterum labefierent sub ipso suæ constructionis statu conservare, ex altero latere civitatis in monte Gaudii ecclesiam sanctæ et reverendæ crucis, per ejus jussionem plano opere fabricatam, ecclesiastico more consecravit, ad quam, completa anni revolutione, tam clerum quam etiam populum in Litania Majore, in festivitate videlicet S. Marci evangelistæ, cujus sacras reliquias in eodem loco veneramur et colimus, ad instar Ro- B manæ curiæ cum pompa ire constituit, et intra missarum solemnia a præsule sedis apostolicæ solemniter celebrata, omnes pabulis æternæ vitæ refecti, sicuti ex ordine primitus iverant, sic ordinatim ad sua recta repedarent.

Præterea postquam episcopatus conscendit fastigia, quoniam Ecclesia, quam divina disponente gratia regendam susceperat, diutino temporis spatio proprii pastoris fuerat destituta præsidio, non solum nullam ibi domum pontifici honestam et congruam, sed neque clericos, præter rudes et fere nulli disciplinæ ecclesiasticæ subditos, in ea valuit reperire. Quapropter intra præcordia suæ considerationis vehementer affectus, salubri consilio salubriter assumpto inter muros ejusdem civitatis, B. Jacobi opus noviter incœptum mirabili suo ingenio tricameratum C solium cum turri convenienter incœpit, et convenientius ad perfectionem non remota festinatione perduxit. Denique domos circumquaque mira dispositione disposuit, ubi et ecclesiam mirabiliter fabricatam, et mirabilius depictam, pontificali infula decoratus cum summa veneratione consecrando consecravit. Qui, quoniam et exteriora congruo moderamine subtiliter regebat, et interiora subtiliori mentis acumine subtilius prævidebat, majora minoribus anteponens ejus largiflua bonitas refectorium canonicis mirabile fecit et congruum, juxta cujus similitudinem, sicut ab ore ipsius frequenter audivimus, in platea palatii claustrum hujusmodi domibus cum appendiciis exornatum, si eum corporalis molestia non subrepserit, se perfecturum spopondit.

D De cætero non solum clericos, qui propter inopiam victus, quem de redditibus ecclesiæ usque ad medium anni habere vix poterant, propriam Ecclesiam dimiserant, verum etiam alios e diversis partibus colligens, locato de doctrina eloquentiæ magistro, et de ea quæ discernendi facultatem plenius administrat, ut nos ab infantiæ subtraheret rudimentis, suo nos commendavit imperio. Denique claritate sui ingenii sic res ecclesiasticas providendo disposuit, quod etiam, juxta numeralem discipulorum Domini collectionem, septuaginta duos canonicos elegit, quibus per totius anni revolutionem sufficientia victualia minime deessent. Eis etiam et charitatis con-

cordia et favore nimiæ dilectionis, sicut bonum decet pastorem, totis viribus erat innexus. Sed, quia antiqui hostis versutia eos, quos ita videt astrictos, felle suæ invidiæ maculare non cessat, in Veteri Testamento facta duorum fratrum, quorum alter, Cain scilicet, fratricidium perpetravit, ad memoriam reduxit episcopus. Reduxit quoque in novæ legis exordio de duodecim discipulis quod unus eorum proditor exstiterit. Et quia hæc omnia valde pontificis animum pungebant, qualiter radix illa proditionis quæ antiquitus pullulaverat exstirparetur, ne præsentes veneno pestiferæ suasionis interficeret, a majoribus suæ Ecclesiæ personis consilium petiit, quorum consilio ne supradicta fieri possent, ab unoquoque canonicorum subjectionis obedientiam consequenti jurejurando suscepit.

De juramento canonicorum.

Anno 1120, Kal. Maii, episcopatus sui anno secundo (47), hoc juramentum fecerunt canonici Ecclesiæ B. Jacobi apostoli suo episcopo domino Didaco II, quorum nomina inferius scripta et singulatim notata videntur.

Juramentum.

Ego N. juro vobis domino Didaco, præsenti episcopo, per Deum Patrem omnipotentem, quod ab hoc præsenti die, et deinceps vobis obediens et fidelis semper in omnibus ero, et vitam vestram et membra et honorem totum, quem habetis nunc vel habituri estis, defendam, et exaltabo absque aliqua fraude et malo ingenio, secundum posse et ingenium meum, omnibus diebus vitæ meæ. Sic Deus me adjuvet et hæc sancta Evangelia!

Nomina eorum.

Gundensindus abbas. Munius Gemirez. Pelagius Gunsal. Gaufridus Arc. Hugo Capell. Oduarius Arc. Pelagius Did. Joannes Arc. Petrus Astuariz. Munio Adef. Pelagius Muniz. Didacus Rud. Martinus Pel. Munio Mr. Adefonsus Atinez. Arias Muniz. Petrus Pel. Cyprianus Pel. Petrus Didaci. Adefonsus Did. Petrus Gundesindiz. Bernardus Gutierre sp. Michael Gunsal. Petrus Did. Joannes Rud. item Petrus Did. Pelagius Mun. Munio Sisnandici. Arias Arc. Didacus Bod. Petrus Judex. Didacus Rud. Pelagius Anajaz. Vimara Ab. Joannes Guimiriz. Michael Janardiz, Didacus Pel. Aloitus Bued. Fagildus. P. Pelagius Tanaoiz. Oduarius Pr. Gundesindus Pr. Adrianus Rud. Didacus Jul. Petrus Al. Rudericus. Fr. Aloitus Joannes. Martinus Beraldus. Pelagius Manso. Petrus Cresc. Pelagius Gelmi. Petrus Anaide. Petrus Mr. Martinez Cidiz. Romanus Romaz. Viamra Astrariz. Riquila Cl. Adefonsus Pel. Petrus Abbas. Guntadiz. Martinus Pel. Petrus Cresc. Erus. Petrus Eliæ. Adulfus. Giraldus archiepiscopus Bracarensis. Pelagius Joannes. Arias Gunsalu. Petrus Fulco. Arias Did. episcopus Auriensis D. A. Tudensis episcopus (48).

De ordine eorumdem.

Quibus ita gradatim dispositis nobis omnibus, veluti bruta animalia nulla adhuc jugali asperitate depressa, reluctantibus, sicut nec chorum ingredi, sic a gradibus altaris ad altare conscendere, nisi superpelliciis decoratos minime permisit. Quid plura? Sic vomere disciplinæ aspera clericorum corda demulcendo mollificavit, quod etiam illi qui, ad quælibet facienda præcipites, nullo unquam moderationis freno fuerant obligati, et sic (quod dictu nefas est) in mutuam cædem prorumpebant, non solum charitatis concordia uniti erant, verum etiam omni jam morum honestate redundabant.

CAPUT XXI.

De ædificatione ecclesiæ de Canogio.

His ergo et aliis consimilibus laboribus semper intentus ecclesiam sanctæ et intemeratæ Virginis Mariæ de Canogio cum domibus circumcirca dispositis, quæ non longe ab urbe sejungitur (49) quanta vel quali animi intentione fundaverit, nisi in examine venturæ felicitatis perfecto dici a mortalibus minime poterit; quippe cum ejus discretionis intuitus totius Gallæciæ sanctimoniales sine regulari districtione vacare intueretur) nullum etenim sanctimonialium monasterium intra tanti regni latitudinem habebatur), ejus animus germanæ charitatis calore succensus ad id peragendum, tam idoneum loci situm veluti illum reperire non potuit, tum quia a præsule sedis apostolicæ de vitæ suæ continentiæ colloquio continuæ visionis frequentius imbuerentur, tum quia propter contiguam loci affinitatem eis uberius et commodius necessaria suppeditarentur. Divino igitur compunctus amore tota mentis intentione cupiens locum illum ædificare, non solum pomerium et cerasetum, unde nec pars arboris ibi habebatur, sed etiam omnia genera arborum, quæ ad gignendos fructus in partibus istis reperiuntur habilia, convenienti loco circumquaque plantari fecit: et in eodem flumine, quod per terminos ecclesiæ discurrit, sicut frequenter audivimus, vivaria piscium fieri jussit, quatenus cum pisces reperiri non possent, sanctimoniales, quæ eumdem locum incolerent, eorum possent subsidio sublevari.

CAPUT XXII.

De restauratione ecclesiarum in Patrono, in Iria, in Sancta Cruce, in Sancta Eulalia, in Sancta Leocritia, in Nevaro, et de cultura villæ, nomine Godegildi.

Hoc quoque silentio præterire nequaquam dignum existimo, quoniam, eo in pastoralis curæ celsitudine permanente, cum honores et ecclesias, veluti bonus pastor, in sua diœcesi sancta visitatione pervisitaret,

(47) Si anno pontificatus secundo id juramentum factum absdubio anno 1102, nullo vero modo 1120 legi debet. Ideo autem circa annum 1105, illud refert, quoniam de canonicorum concordia communique eorum victu et habitatione tractavit.

(48) Tudensis episcopus Audericus, Auriensis vero Didatus vocabatur.

(49) Milliario scilicet, in occidentali *Saris* ripa, ubi hodie conventus Patrum ordinis B. Mariæ de Mercede, vulgo *Conjo*.

in toto sui episcopio, ubi suus frequens erat accessus, ad peragenda divina officia præ nimia vetustatis obumbratione congrua loca invenire nequivit. Ea propter et ecclesiolam S. Jacobi de Patrono ab uno templi sabulo usque ad summa tecti fastigia, cum quodam bonæ memoriæ Pelagio presbytero ædificando construxit, et sicut altare S. Eulaliæ in Iria, sic in Pistomarcis ecclesias, quas inferius de tenebris ignorantiæ ad communem lucis notitiam deducimus, videlicet S. Crucis, S. Eulaliæ, S. Leocritiæ, S. Mariæ Nevarensis, quas etiam solo tenus destructas, vel quasi tuguria reperit, cum domibus utrobique congruenti ædificatione ædificatis, cum vigili exercitio condidisse cognovimus; quas omnes canonicorum suorum collegio stipatus honorifice consecravit. Juxta Paratellam vero S. Jacobi villam, ecclesiam S. Michaelis de Bojene de quorumdam militum potestate, qui eam quasi pro sua tenebant, justa liberatione liberavit. Quo in loco quoniam juxta ipsam villam ad recipiendum pontificem sessio non erat idonea, palatia et domos circumquaque convenientes ædificando construxit. In Saliniensi quoque pago regiam villam, vocabulo Godegildum, cultoris inopia desolatam et destitutam, quam immensa fruticum densitas vehementer occupaverat, a laicale possessione penitus abstulit, et ad eam excolendam proprios cultores celeriter intromisit, juxta cujus villæ affinitatem ecclesiam S. Mariæ de Lua a sitibunda militum cupiditate ante præsentiam piissimi comitis Raimundi per legum censuram justa liberatione liberans, postquam pro suo jure consecravit, juri suæ restituit Ecclesiæ.

CAPUT XXIII.

De libertate civium Compostellanorum.

Supradicto namque consule Raimundo, qui tam ingenii claritate quam generis nobilitate inter occidentales emicuit, Gallæciæ regnum obtinente, inter Compostellanos cives contra nobiles terrarum principes magnam dissensionem ortam esse cognoscimus; nobiles etenim sine aliqua justitiæ repetitione, et sine aliqua justa ratione civibus cum per honores suos extra urbem commercia requirebant, censum, et vehicula et omnia quæ asportabant sua vi auferebant. Quorum negotio ex utraque parte rationaliter ventilato, idem vir summæ prudentiæ et sapientiæ consul R., finem imponere cupiens, astante non modica turba militum et virorum nobilium, tale edictum fecit, quod nunquam aliquis civium pigneraretur, nisi pro sua tantummodo causa justitia primitus postulata, et a pontifice sedis apostolicæ denegata. Quod si quis superbia tumidus, fastu elationis impinguatus, hujusmodi edictum, ejus robore roboratum in aliquo violare tentaret ea quæ pigneraret duplici compositione componeret, et pro ipsa sui ausus temeritate solidos ex persolvere idem consul certa scripturæ cognitione affirmando confirmavit. Dato itaque judicio, cum vir illustrissimus socer ejus rex Adefonsus causa orationis B. Jacobi limina ferventi animo visitasset, et a civibus, ut hoc judicium confirmaret, vehementius pulsaretur, ipse eorum justissimæ postulationi assensum præbendo suarum cognitionem litterarum suæ successioni reliquit, et eum qui non observaret perpetuo anathemate constringendo constrinxit.

CAPUT XXIV.

De tributo S. Pelagii de Luto.

Cumque apud civitatem Zamoram præfatus consul tam dysenteriæ morbo quam acutæ febris ægrimonia percuteretur, de debito S. Pelagii de Luto, quod vulgari appellatione Portaticum dicitur, præfatus episcopus cum vehementi invectione vehementer increpavit: quisquis etenim ex loci parte sive fecerat, sive transitum faciebat, non solum propter suæ pecuniæ amissionem, verum etiam propter magnum sui corporis dedecus, nudato etiam ex parte corpore, instantius lacrymabatur. Quorum labores episcopus animi compassione recordans, quia consulem tunc temporis census inopiam pati cognoverat (multa etenim idem consul militiæ suæ spoponderat, sed unde persolveret non habebat) ex propriis suæ ecclesiæ stipendiis censum, qui ei more solito de castro illo dabatur, pari trutina trutinatum ei conferre voluit, sed quia consul pro remedio animæ suæ cognovit episcopum constantius insistentem, inter reliquas suarum eleemosynarum largitiones debitum id per firmam scripturæ cognitionem cum consilio suæ conjugis penitus abstulit, et suæ propagini, si id repeteret, modis omnibus interdixit.

CAPUT XXV.

De acquisitis domibus Compostellæ, et de Pilonio, et de Branderitio.

Præterea sanctissimi regis Adefonsi sororem sanctissimam, vocabulo Geloyram, finali sorte depressam, totam curtem Anaemaris nummularii ecclesiæ B. Jacobi contulisse cognovimus. Quam equidem Geloyram medietatem monasterii Pilonii et Branderitii, cum pertinentiis eorum, non dissimiliter dedisse præsensimus. Cujus digna vestigia ejus soror, Urraca, regis Fredenandi discreta et nobilis filia, profunda mentis provisione pertractans, antequam suus spiritus de ergastulo carnis fuisset elapsus, in urbana Compostellæ civitate solum quoddam juxta forum luculenta litterarum attestatione non dissimiliter impendit. In acquirenda autem supradictorum monasteriorum, Pilonii videlicet et Branderitii, alia medietate, cum omnibus suæ dominationi jure veteri pertinentibus, tantum nostra desudavit Ecclesia, quoad usque vir summæ prudentiæ et religionis rex Adefonsus cum ea quæ sibi proxima consanguinitatis linea juncta constabat, Urraca videlicet, eodem utero progenita, per certam Scripturæ cognitionem, firmo stabilitatis robore eam roboratam clericis Jacobensis tribuit Ecclesiæ.

De indagine terminorum Pilonii

His igitur impetratis, et a pontifice diligenter receptis, quia quidam corbulo, Anfonsus scilicet Remiriz, cognovit episcopum ad suam venire ecclesiam S. Eulaliam de Loson, quæ Pilonii et erat et

esse dicebatur, felle suæ malæ opinionis infectus ad villicum terræ Luzum Ariam se transtulit, et per eum consuli et ejus uxori se præsentavit, quatenus ecclesiam illam et ea quæ sui juris non erant, eorum dominio manciparet. Quod episcopus comperiens tandiu cum Infanta nunc blandis sermonibus, nunc duris invectionibus sæpe latum negotium pertractavit, donec vir ejus super hujuscemodi rebus in quæstione positis, et vera sua indagine determinatis, tam ipsum Anlensum, quam ejus hæreditatem, quia ad ecclesiam B. Jacobi pertinere cognoverant, præsulis dominio mancipavit. Recepto itaque Pilonio, cum ejus honorem diligenti investigatione investigasset, totum dominium a Viniola usque in Carrium, et a Carrio usque ad portum Mouri, unde solo nomine se possidere medietatem persensit, juri suæ ecclesiæ vera assertione attinere tum temporis didicit. Quo cognito præsentiam consulis celeriter adiit, et ejus conspectui super hujuscemodi terminis querelam opposuit, cujus judicio et certa diffinitione de Viniola usque in Carrium aliam medietatem se impetrasse gavisus est, et quia ab Carrio usque ad portum Mouri alia medietas sub judicum determinatione determinanda remansit, opportuno eam tempore determinari ratio postulat.

CAPUT XXVI.

De diffinitione Oxomensis et Burgensis diœcescos, et de ægrimonia comitis Raimundi.

Porro aliquanto labente temporis articulo dominus papa dilectioni ejus quasi præcordiali et speciali filio suo præceptorias litteras delegavit, quatenus cum provincialium sedium episcopis, Petro videlicet Legionensi et Pelagio Asturicensi, et aliis quos vitandæ longitudinis causa sub silentio tegimus, eam quæ inter Oxomensis et Burgensis Ecclesiæ clericos ambiguitatem de finibus communis parochiæ habebatur, certissima indagine determinaret, et facta determinatione super hujuscemodi omnibus, aures domini papæ litteris suis informarent: cujus profecto jussioni, velut vir magnæ auctoritatis et humilitatis, sine mora obtemperans, ad indagandos terminos iter suum cum omni celeritate arripuit. Cum autem in partibus Campaniæ ejus notus fuisset adventus, quoniam vir illustrissimus consul. R., quem natura et morum dignitas inter Occidentales non parum exornaverat, apud villam Gralialium, secus Sanctum Facundum positam, gravi ægrimoniæ languore detinebatur, idem consul, notæ prædicti præsulis clementiæ, quasi ad desiderabile salutis animæ suæ refugium, ut ad sese venire dignaretur, nuntios suos destinavit; ante cujus præsentiam cum percita festinatione pervenisset, tanta veneratione venerandus episcopus est susceptus, quantam silentio prætcrimus, ne in ejus descriptione diutius et morosius immoremur Nam, postquam consul dignis pœnitentiæ fletibus suorum criminum maculas detersit, et se et omnia suæ potestati consistentia arbitrio præsulis commisit, in ripa fluminis Minei monasterium de Plantata (50) cum suis appendiciis Ecclesiæ S. Jacobi fidelissima litterarum attestatione dare voluit.

CAPUT XXVII.

De testamento S. Mametis, et de obitu ejusdem comitis.

Sed quoniam Ecclesia nostra non solum in capite, verum etiam in suis membris sic intrinsecus quomodo forinsecus a villicis ejus frequenti impugnatione impugnabatur, ex internæ pietatis affectu colloquiorum dulcedine prælati principis aures pulsans instantius, ei tandem persuasit, quod, sicut infantæ dominæ U. uxoris suæ consultu de servili conditione progenitis tam ad regalia imperia, quam etiam ad comitatum pertinentibus, et in civitate S. Jacobi commorantibus, inconcussa stabilitate per testamentum jugum debitæ servitutis abstraxerat, sic me Petrum, nondum capellanum, scriptum de S. Mamete cum suis omnibus pertinentiis facere coarctavit, quod ante præsentiam soceri sui catholici regis domini Adefonsi, qui ad videndam ejus ægrimoniam, quoniam specialis dilectionis privilegio eum diligebat, advenerat, roboro suo roboravit. Quibus ita peractis, aliquando suæ uxori sulphureæ tempestatis terrorem denuntians, aliquando venturæ felicitatis gaudia repromittens, postquam et persuadendo persuasit, quatenus omnes ecclesias et hæreditates, præter hæreditatem Superati et curtem unam in civitate, inter fluvios, Uliam scilicet et Tamarim, apostolicæ Ecclesiæ per testamenti deliberationem, sicut et contulit, contulisset, ejus sancta anima debita naturæ munera persolvendo de habitaculo carnis est evulsa. Quocirca communi clericorum consilio, cum Petro, Legionensi episcopo, et aliis consortiis, ad faciendam terminorum supradictorum indaginem duos clericos suos direxit; ipse vero ad propria revertendo supradicti viri exsequias et pretiosam sepulturam in ecclesia B. Jacobi debita humanitatis officia solvens officia pietate peregit.

CAPUT XXVIII.

De burgo Tabulato et de moneta S. Jacobi, a rege datis, et de altercatione pro Joanne Longobardo et fratre ejus.

Denique præfatus imperator dominus Adefonsus, interna mentis consideratione considerans tanti pastoris solertiam, circa opus Ecclesiæ ejusdem fore semper intentam, ex affluenti suarum rerum fertilitate operis inopiam sublevare desiderans, et in confinio vallis Carceris burgum Tabulatum (51), et monetam S. Jacobi, modis omnibus liberatam, ea legis conditione concessit, quatenus ejusdem operis machina, primitus consummata, ulterius tam ad clericorum inibi deservientium impensas quam etiam ad usus suæ necessitati necessarios Ecclesiæ perpetuo sine ulla suæ propaginis receptione permaneat. Recepta ergo, sicuti patula cordis aure superius audistis, omnino libere moneta, ejusdem præsulis summa solertia omnibus suis

(50) *Plantata* hodie *Chantada.*

(51) Nunc *Trabadeto.*

A nummularii Tandulfum, majori ingenio præditum cum magna cautela proposuit: cujus custodiæ omnimodo monetæ dominium, ne falsificaretur, attribuit. Qui Tandulfus per secretam sæpe fati pontificis jussionem in discretis auribus pissimi regis Adefonsi de duobus civibus suis, Joanne videlicet Longobardo et ejus fratre Gaufrido, querelam opposuit; quorum alterum, Joannem scilicet regis filiæ repositarium, eadem regina per jussionem et summam præsulis rogationem collegerat, alterum vero Petrus consul ab eodem pontifice non dissimili ratione susceperat. Quorum potestate vallatos tunc temporis episcopus justificare non poterat. Audita igitur hujusmodi querela rex episcopum cum ingenti veneratione ad se arcessiri præcepit, et de his civibus justitiam ab eo sine dilatione expostulavit;
B et quoniam hæc Legione acta fuerant, ubi consul P. et regina tum temporis aderant, episcopus eos advocavit, ut causas illorum suorum hominum ante regem cum suo nummulario determinarent. Missus itaque fuit consul Petrus, ut pro se et regina causas diligenter discuteret, et querimonia utriusque partis, jam diutius pertractata in conspectu nobilium qui eo tempore præsentialiter aderant, rex omnium civium dominationem, tam suæ filiæ quam etiam consuli, in perpetuum abstulit, dicendo ab avis et proavis suis ea legis concessione dominium ecclesiæ B. Jacobi fuisse concessum, quod nullum hominum, nec aliquod jus in civitate habere deberent, et tradidit eos pontifici judicandos, ut suos. Insuper etiam omni suæ futuræ propagini modis omnibus
C maledicendo interdixit, ne quis ex sua stirpe descendens, sive descensurus, aliquo ausu temerario hoc judicium contaminare vellet; quod si facere præsumeret, maledictionis ejus sententiam festinanter incurreret, et a paterno cespite exsul fieret, et dignæ divinæ dispensationis ultioni subjaceret.

De cyrographo monetæ.

Sub eodem vero tempore idem quoque episcopus pro cyrographo (52) monetæ, quod erat faciendum, duos clericos suos, Didacum Britanum videlicet et Munionem fratrum suum, Burgis cum rege reliquit; quod equidem factum cum nullatenus impetrare valuissent, quia rex super altare apostoli se illud oblaturum esse asseruit, cum omni celeritate in propria sunt reversi.

CAPUT XXIX.

De morte Sancii regis filii, et de impetrato cyrographo monetæ.

Transacto abhinc ferme triennio (53), in ea parte quos æstus solis facit Æthiopibus similes, castra et oppida Toleto subjacentia acrius solito invaserunt, et interfectis hominibus qui eorum obstabant fortitudini, quia robore militum suorum vallati nulla hostium spicula formidabant, ibi quasi in summa positi tranquillitate sua tentoria firmaverunt: quod cum filio regis, Sancio scilicet, fuisset auditum, cujus custodiæ secundum patris imperium Toleti dominium erat commissum, assumpta nobilitate consulum, et stipatus probitate et militia virorum nobilium, ad fugandos hostes suæ patriæ destructores celeriter est profectus. Quos cum assiduis ictibus et duris incursionibus sterneret (quod est lacrymabile dictu), voluntatis suæ contrarium incurrit, quia ipse cum omni nobilitate sua Maurorum spiculis infeliciter succubuit. Cujus igitur audita pernicie, et virorum nobilium clade percepta, prudentia præsulis suorum militum multitudinem collegit, et cum filia regis Urraca ad loca quæ Mauri invaserant, desideratus advenit. Unde fugata hostium multitudine valida cum ægrimonia protinus
B est insecuta. Sed cum omnipotens Deus Ecclesiam S. Jacobi tanti pastoris præsentia privari minime vellet, quatenus qui corrigendi erant pastoralis curæ sollicitudine corrigerentur, cum pristinæ incolumitati restituit, et Segoviam civitatem, quæ regis præsentia lætabatur, quam citius potuit intravit. Ubi cum surgente lucis aurora, tam de causis ecclesiasticis quam etiam de sæcularibus negotiis, sicuti bonum decet Ecclesiæ rectorem, regem alloqueretur, inter cætera scripturam, quam de monetæ concessione jam fieri præceperat, ab eo summopere petiit. Cumque hoc persistendo nihil responsionis acciperet, et in sequenti die eadem episcopus repeteret, tale fertur suscepisse responsum: « Primitus, inquit, Toleti mœnia visurus adibo, et tunc sub
C habitu peregrinationis gratanti animo peram accipiam, et recto tramite eundo B. Jacobi patroni et tutoris mei limina diu mihi desiderata visitare curabo. Ad quæ equidem loca cum Deo auxiliante pervenero, quod tua charitas valde deposcit, me offerente cyrographum impetravit. Ne forte, inquit episcopus, subrepenti mortis articulo plenum vestræ devotionis affectum consequi non possitis, dum vestræ discretioni possibile conceditur, quia quod superstes feceritis, a propagine vestra, quæ amplius cupit acquirere quam sanctis donis ecclesias impertire, minime destruetur, vestri muneris largitionem impendere debetis; omnipotens etenim Dominus qui verus cordium et cogitationum nostrarum est inspector, non ad loca vel ad munera respicit offerentium, sed quæ munera et quo animo dentur,
D ex alto prospectat, quibus æternæ beatitudinis præmia sine fine conservat. » Cum autem et his et hujuscemodi sermonibus regis animus incalesceret: « Ite, inquit, et omnia vobis necessaria hac die suppeditabimus, et in crastinum quod de his omnibus nobis Deus donaverit respondebimus. » Mane itaque facto cum rex et regina in secretarii sui mansione sederent, episcopus ab eis honorifice susceptus, quanta regis animus tota nocte revolverat eo referente cognovit. Accersito etenim repositario, sua

(52) Idem ac chirographum.

(53) Præfata monetæ donatio circa annum 1105 videtur facta, si intercessit triennium; at cum post mortem Sancii pueri fuerit scriptura firmata, huic non incongrue loco ejus mentionem reservavit. Obiit autem regius ille puer anno 1108.

scrinia fecit aperiri, unde sibi præfatum scriptum jussit asportari. Quo accepto flexis in terram poplitibus, genisque rivo lacrymarum madefactis, pedes pontificis osculando, illud ei cum ingenti veneratione concessit.

A

CAPUT XXX.

Quod ædificavit burgum Cacavellos, etc.

Idem quoque episcopus quanta in Francigeno itinere vigili exercitio condiderit, ad vestræ cognitionis memoriam reducimus, ne ignorantiæ tenebris offuscata futurorum scientiam latere valeant. Construxit namque burgum Cacavellos, quod solo tenus destructum reperiit, et domibus inibi factis cum magno honore ecclesiam consecravit. Denique cum partes Campaniæ pro adipiscendis suæ Ecclesiæ honoribus sæpius visitaret, et cum per Astoricam et Legionem sæpissime transitum faceret, et in propriis B. Jacobi mansionibus locum requiescendi minime reperisset (destructæ etenim et omnino incultæ humanis usibus apparebant), ipse intra suæ mentis habitaculum quasi quoddam velamen tristitiæ retinens, exterius tamen nulla ejus vestigia ostendens, qualiter eas ad perfectionis cumulum perduceret modis omnibus cogitabat. Transacto itaque non multo temporis intervallo de propriis suis facultatibus censum et necessaria omnia cuidam villico suo attribuil, qui quo artificio eas spatiosas condiderit, ne minus vero dicere videamur, ex ipsarum perfectione, qui scire voluerit, plenius cognoscere poterit.

B

CAPUT XXXI.

De donis consulum.

Quia igitur hactenus, et de regibus et de filiorum regum muneribus, quæ diximus sub brevitate descripsimus, tempus exoptat ad comitum dona omni postposita morula redeamus. Comes namque Sanctius, debita consulis jura summo regens moderamine, sicut in Aviancos villam Maurim per testamentum attribuit, sic eum in eodem loco ecclesiam dedisse non surda aure audivimus. Quem consul Petrus tota animi devotione sequi cupiens, cum animus suæ uxoris a suo velle non discreparet, sicut solum in civitate circa monetam, ita post corporalem sui resolutionem in Nemitos ecclesiam S. Tirsi, penes Avecundum S. Jacobi villam cum hominibus debitæ servituti obnoxiis, et villam Pausatam perpetuo habendas nostræ Ecclesiæ reliquit. Cujus sinceram devotionem soror ejus Munima ante oculos suæ mentis sæpius resolvens, quoniam sobrinum suum Froylam, præfati comitis filium, in Nemitos cum servis villam Eruedinum jam dedisse B. Jacobo præceperat, ipsa non inferioris posse se esse existimans, in territorio Saliniensi, villas videlicet Romarizium, et Octarium sobrinum imitata, clericis Ecclesiæ perpetuo concessit. In Lemos quoque comitissam Geloyram partem monasterii S. Verissimi cum omnibus suis beneficiis et debitis, dedisse, quoniam scimus, sine ambiguitate proferimus.

C

D

De donis militum.

Expeditis itaque comitum donis, et pro nostro modulo diligenti pertractatione pertractans, qui ad inferiores militum lineas gradatim descendendo descendimus, eorum dona, licet inferiora, minime prætermittere debemus, per hæc etenim et minus valentes ad exercitium bene operandi decenter assurgunt, et potentes ad sublimiora peragenda penitus inardescunt.

Lucius ergo Ariades cum vehementi febris molestia vehementer esset astrictus, quoniam uxorem suam Majoram in supremo finis articulo positam, mediam partem de ea villa quæ est secus pontem Uliæ, et in Salnes medietatem de villa Quintaina, et in Taberiolos villam Ruvinum, contulisse cognoverat; ipse eam toto mentis ardore imitari desiderans, itidem in Deza villam Sautum Longum, et in Cusanca villam Dadin, et in Deza Villam Novam, et aliam penes pontem Ulliæ non dissimili ratione concessit.

In Saliniensi vero confinio Oduarius Didacides villam Ovar, et Oveeus Cresconides villam Portal, et Nunus Pelagides alium Sautum, sicut cum magna suarum conjugum devotione dederunt, sic nos eas summo animi affectu suscepimus.

Sed quia idem pastor in acquirendis suæ Ecclesiæ rebus semper erat sollicitus, quartam partem ecclesiæ S. Verissimi de Arcubus, et medietatem ecclesiæ de ecclesia S. Georgi Villæ Novæ, et in ripa Uliæ ecclesiam S. Joannis de Coba ab Aria Alottide simul cum servis suis sollicite conquisivit, et conquisitam vigilanti cura vigilantius conservavit, sicut etenim aliena juste conquirere summa virtus esse cognoscitur, sic acquisita caute custodire non interior virtus a sapientibus creditur.

Denique, in monte Zebruario, burga Paturnelo ab Oveco Sanctio impetrato, in ripa Tamaris de monasterio Novallis Didacum Viliulfidem tertiam partem contulisse, propriis obtutibus ipsi prespeximus.

Præterea in Farensi pago Cresconium Petridem, sicut villam dedisse cognovimus, sic Sandinum Adefonsum in Dubria portionem suam de villa Benviver concessisse similiter scimus.

Porro episcopus subtili mentis industria quasi futurorum certissimus eminus futura mala prospiciens ne pauperes intolerabili pondere cujusdam nostri parochiani, Petri videlicet consulis, qui omnia more hostium devastare consueverat, opprimerentur, et villam ab Onega Ectaz per testamenti seriem acquisitam pro alia in Aona cum ejus fratre Garsica transmutavit, et ibi, in Aona videlicet, villam Petri Petridis convenienti pretio conquisivit, quas præfatus comes cupiditatis siti in modum clibani ardens emere concupierat. Tunc episcopus ipsam villam, nomine Ovam, pretio, videlicet sexcentos solidos, a Petro Petriz, cujus juris erat, emit, et sic ab injuria comitis evasit.

Circa idem fere tempus episcopus in Montanos villa Jacobi de Martino Pelagide jam diutius impetrata

in Varonensi affinitate Gunza Eriz evidenti indicio Arianı Gundesindidem evidenter aspiciens qui quartam partem monasterii S. Pelagii de Circitelio contulerat, ejusdem monasterii suam proportionem et octavam S. Eulaliæ de Brodo cum omni stabilitate nostræ contulit Ecclesiæ.

Interea Ildoncia Froiliz, ea quæ nullo unquam fine determinantur ætate confecta sancta meditatione præmeditans, post hujus vitæ naufragia, se ulterius operari minime posse, Geloyram Martinidis, et Adefonsi Munionis sancto exemplo fortiter excitata, quorum alter in confinio S. Eulaliæ de Ovorio villam, alter in Pistomarcis villas, Olveiram scilicet. Carnes et Neormam, Ecclesiæ habendas perpetualiter concessit; ipsa non dissimilem gerens animum, in Cornato de monasterio Argeniario, quod suus animus exspectabat ad bonæ devotionis effectum sine ulla dilatione perducere festinavit, quando suam particulam per certam scripturam præsentibus clericis nostræ submisit Ecclesiæ.

Acquisitis itaque in Taberiolos a Baragunzia Sisnandiz Villacobas, et de Villa Plana sexta, de Lagaztone vero superiori sexta, et de inferiori decima portione, in dominio Saliensi de Villa Bella duas partes pretii collatione comparavit.

CAPUT XXXII.

Item de restauratione ecclesiarum.

Præterea præfati præsulis provida paternitas sicut clara sui ingenii solertia de muliere Ariæ Savariquiz Guina Oduariz, duas villas, Pausatam scilicet et Fusim, altera earum in Lagartones, alteram vero in ripa fluminis Uliæ in dominio Sacri Montis sollicite conquisivit, sic in Sancta Xpina de Noya, aliam villam de Pelagio Gundesindide cum ab hac præsenti luce migraret, non minus sollicite impetravit. Impetravit postremo ecclesias quas in propriis B. Jacobi hæreditatibus cum quodam honesto viro, Joanne scilicet nostræ Ecclesiæ archidiacono, in Nemitos paternitatis ejus discretio sollicite restauravit, et restauratas præsentia nostra nequaquam postposita sollicitus consecravit, veluti Barbarios. Pravella, Aveguudo, Toiobre, Degio, Aumentarias, Moralias, de hoc tractatu excludimus.

CAPUT XXXIII.

De ædificatione castelli Honesti.

Hæc autem inserendo inserimus, quia, cum assidua incursione Ismaelitarum sævitia in devastationem nostræ patriæ vehementius desævisset, ipse episcopus cum propheta pro domo Israel se fortem murum opposuit, et cum homines e diversis partibus ad Honesti castrum (54) reficiendum annua revolutione ex assuetudine convenirent, quatenus quæ destructa et aptanda erant advenientium frequentia restauraret, sumpto cum rege consilio, rex injunxit ei, ut quoniam male aptatum erat, castrum illud penitus destrueret, ne forte Ismaelitarum sub dola versutia qualibet machinatione, seu ingenii calliditate, illud caperet, et inde totam affinitatem ejus, et circumquaque vicinam solo tenus devastaret. Consilio ejus audito episcopus intra suæ mentis hospitium digna volvens suspiria, quoniam ejus prudentiæ magis placuit semper ad utilium ædificationem tendere quam ad destructionem funditus anhelare, ex unaquaque domo totius sui episcopii ad illud sublevandum regiæ monetæ solidum reddi præcepit. Quibus receptis homines huic servituti obnoxios per certam scripturæ interpositionem ab hoc servili more ingenuavit: de quorum minima pecunia, quoniam moneta tam pondere quam lege tum temporis erat attenuata et debilis, non turrim integram ad summitatem perducere potuit, sed de propriis facultatibus sic castrum Honesti murorum ædificio, propugnaculis, et turrium altitudine munivit, quod si forte tam Moabitæ, quam Ismaelitæ, se aliunde quoquo modo ad id castrum applicarent, aut lapidibus et acutis sudibus desuper jactis obruerentur, aut a militibus qui ibi sub tranquillitatis custodia permanerent, captionis aut mortis periculo procul dubio urgerentur.

CAPUT XXXIV.

De archipresbiteratibus Bisancos, Trasancos, et Salagia.

Ante vero quam hæc omnia agerentur (55) præfatus episcopus, recolens Mindunicnsem episcopum, duos archipresbyteratus et dimidium, ab antecessoribus suis, scilicet Compostellanis episcopis, sub nomine præstaminis obtinuisse, ne forte eos in posterum Compostellana sub aliqua occasione amitteret Ecclesia, ab eo pacifice requisivit, et quia ei reddere contempsit, in Carrionensi concilio, quod B. Toletanus archiepiscopus et S. Romanæ Ecclesiæ legatus celebravit, proclamationem fecit, et super hac renuntios suos domino papæ multoties destinavit. Cujus litteras licet diverso tempore asportatas, qui ad unum negotium pertinebant, in unum non incongrue constringendo constrinximus. Archiepiscopus igitur domnus Bernardus, a compluribus comprovincialium episcoporum comperiens supradictos archipresbyteratus, videlicet Bisancos, Trasancos et Salagiam ad jus Compostellanæ Ecclesiæ pertinere, has Minduniensi episcopo misit litteras.

De eodem.

Bernardus, Dei gratia Toletanæ sedis archiepiscopus, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus charissimo suo Domino G. (56), Minduniensi episcopo salutem. Quod ad Carrionense concilium (*An.* 1102) fraternitas tua se præsentare nequiverit per nuntios tuos ægrimoniæ tuæ necessitatem cognovimus, in quo quidem concilio inter cæteras quæ adversus te ortæ sunt querimonias, Ecclesia S. Jacobi in auribus nostris gravem super te querelam peregit, quod

(54) Vide tomo præc. sub Cresconio episcopo, num. 5.

(55) Scilicet ab anno 1102, ut ex num. seq. constat; sed cum anno 1108 (de quo nunc) lis denuo fuerit agitata, res ad eam pertinentes, esto diverso, ut inquit, tempore actas, non incongrue simul commemorat.

(56) *Gundisalvus* ei nomen erat.

duos scilicet archipresbyteratus et dimidium, quos juris præfati apostoli quondam fuisse constat, violenter usurpat. Quocirca tibi per obedientiam præcipimus, ut quidquid præfata Ecclesia legitimis scriptis habuisse perhibetur, sicut in privilegio Romano continetur, omni alia ambage postposita reddere non recuses, ne forte Romani privilegii transgressor, anathematis gladio feriaris. Postremo his præfatæ ecclesiæ restitutis, venerabilem fratrem et coepiscopum D. interpellabimus, quatenus vel ea, vel alia fraternitati tuæ indescendendo (57), nostro interventu ad tempus tibi conferat. Vale

Datum Legione II Nonas Februarii, æra MCXI (anno 1103).

Quibus litteris Minduniensi episcopo non obediente, Compostellanus episcopus ad dominum papam duos nuntios delegavit, et per eos hujusmodi negotium in Carrionensi concilio agitatum ei notificavit. Dominus papa, tantæ auctoritatis litteras conspiciens, ac totius concilii jussionem intenta cordis aure prospiciens, subsequentes litteras Minduniensi direxit episcopo.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Venerabillis fratris nostri, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 94

Item de eodem.

His litteris susceptis, nobis respondere noluit, sed ad præsentiam domini papæ clericos suos, scilicet Gundiosalvum et Munionem destinavit, et per eos has litteras Compostellano episcopo D. asportavit.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Petentibus, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 98.

Item de eodem.

Quarum quidem præceptione, tam nos quam ipsi, apud Kal. Octob. Romam magna festinatione ivimus; et hoc judicium a domino papa Paschali II, suscepimus, videlicet ut quinque personæ ex vetustioribus Minduniensis Ecclesiæ irent Astoricam, ibique Burgensi episcopo domino G. præceptoriis litteris domini papæ advenienti jurarent prædictas diœceses se quadraginta annorum spatio inconcusse possedisse, ea scilicet ratione quod ulterius non inquietarentur. Minduniensis episcopus, supradictum judicium audiens, quamvis senectutis suæ debilitate impatiens laboris esset, cum clericis Compostellanæ Ecclesiæ Astoricam judicium subiturus intravit. Ubi cum esset, et Burgensem episcopum interveniente ægrimonia non invenisset, tam propter absentiam ejus quam etiam indigentiam personarum, judicium complere nequivit. Ea propter simul disposuerant, ut ubicunque ipse esset, ejus conspectui se repræsentantes tantum negotium diffinirent. Cumque inde egrederentur omni festinatione ad castrum Soritium, ubi dominus rex A. erat, pervenerunt, et in ejus curia Burgensem episcopum invenerunt. Ibi etiam sicut prius Astoricæ ita coram ipsius præsentia ac multorum nobilium virorum judicium domini papæ complere omnino renuit. Burgensis itaque episcopus videns eos defectum incurrisse, domino papæ litteris suis patefecit: ipse vero cardinalium sumpto consilio has litteras Minduniensi episcopo remisit.

Item de eodem.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Sicut ex confratris nostri, » etc. *Vide ubi supra, sub. num.* 160.

Item de eodem.

His nimirum supra scriptis litteris visis, ipsi tanquam ignorantiæ vinculo obligati obedire contempserunt. Cum ergo Toletanus archiepiscopus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus Legione concilium celebraret, idem Compostellanus episcopus interfuit, et in præsentia regis totiusque concilii, proprio ore querimoniam ex inobedientiæ culpa Latine ventilavit. Querimonia siquidem audita, et ex utraque parte diutino spatio pertractata, sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus hujusmodi diffiniendum negotium quibusdam commisit episcopis, qui seorsim venientes et utriusque partis rationes invicem pertractantes, communi consilio statuerunt, ut diœceses illæ a Minduniensi episcopo ablatæ, sub regimine Auriensis episcopi retinerentur, donec cum litteris totius concilii Romam peterent, et huic negotio tam longo tempore agitato finem imponerent. Acceptis itaque tam Toletani archiepiscopi quam etiam totius concilii litteris, idem episcopus suum archidiaconum, nomine Gaufridum, super hoc negotio Romam direxit, et quia Minduniensis Ecclesiæ nuntii defuerunt, dominus papa non determinavit judicium, sed Toletano archiepiscopo determinandum per has litteris commisit.

CAPUT XXXV.

Diffinitio ejusdem negotii.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Litteras dilectionis tuæ, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 187.

Et quia his litteris asportatis, per archiepiscopum Toletanum Romanæ Ecclesiæ legatum justitiam habere nequivimus, aliquantulum temporis ab hac disceptatione non sine molestia quievimus. In qua nimirum dilatione, ejusdem diœcesis clerus et populus, recolentes easdem diœceses, tam catalogis legitimis quam proprietate juris, Ecclesiæ B. Jacobi fuisse et esse debere sine ullo scrupulo cognoscentes, insuper audito judicio Toletani archiepiscopi et sanctæ Romanæ Ecclesiæ legati, ultronei ad prædicti episcopi celsitudinem venerunt, et se errasse viva voce confessi sunt, qui ducta tam longi erroris pœnitentia, ei et Ecclesiæ suæ perpetuam obedientiam exhibuerunt. Quorum subjectio et nomina litterarum cognitione inferius denotata sunt.

Obedientia abbatis Sancti Martini de Trasuncos.

Ego Nunno, abbas cœnobii S. Martini, quod est situm territorio Trasancos secus flumen quod dicitur Juvia, pro parochia Ecclesiæ Compostellanæ promitto canonicam subjectionem et omnem in Christo obedientiam domino Didaco II Ecclesiæ S. Jacobi

(57) Forte idem quod vulgo *condescendendo*, id est illius voluntati indulgendo

apostoli episcopo, ut cum prædicto monasterio et hominibus ei pertinentibus sim fidelis et obediens deinceps in perpetuum pro diœcesi S. Jacobi, tam illi quam successoribus ejus canonice promovendis, tam ego quam successores mei eidem monasterio præponendi. Hanc professionem feci ego Nunno abbas æra MCXVIII et quot VII Id. Februarii (anno 1110 [58]).

De subjectione aliorum.

Recepta hujus abbatis obedientia non multo subrepenti temporis articulo hanc professionem et obedientiam ab inferius scriptis devote suscepimus sub æra MCXVIII et quot Nonis Mart.

Obedientia monachorum, abbatum, clericorum et laicorum.

Nos, habitantes apud diœceses Bisancos, Trasancos, Lavacencos et Arros, tam abbates, archipresbyteri, monachi, et omnium illarum Ecclesiarum rectores, quam et comites, et milites, et dominæ, et universus populus quorum nomina et subscriptiones inferius notantur, vobis ven. domino D. II Dei gratia S. Jacobi apostoli episcopo et Ecclesiæ vestræ veridice confitemur prædictas diœceses canonica institutione esse quondam Iriensi sedi subjectas, per fines proprios et antiquos terminos, et quadam causa injusta existente inde sublatæ sunt, et quia nos et antecessores nostros cognoscimus contra canonum decreta erravisse, agnito veritatis tramite sponte subdimur, tibi et Ecclesiæ tuæ promittentes obedientiam, ut deinceps simus concurrentes ad B. Jacobum census et debita, quæ ad jus sedis vel diœceseos pertinent singulis annis fideliter vobis et successoribus vestris per dispositionem vestri prælati, quem vos et successores vestri nobiscum et cum nostrorum successorum assensu unanimiter elegeritis, tam nos quam et successores nostri cum omni reverentia persolvamus et tali pacto hoc coram Deo et B. Jacobo unanimiter affirmamus, ut non nos, neque successores nostri ullo unquam tempore ab hac promissione et subjectione retrahamur, sed viribus nostris, et toto nostro conamine abjecta et aliorum pontificum prælatione et dominatu, ut prædiximus, vestræ vestrorumque successorum obedientiæ ac præceptis perenniter adhærentes, vobiscum in hoc sæculo educati, juste ac pie vivamus, et cœlorum regna vestris orationibus et B. Jacobi intercessione feliciter capiamus. Et si aliquis non credens in futurum recalcitrare vel quod stabilitum est irritare voluerit, quisquis fuerit, nisi resipuerit, perpetui anathematis gladio feriatur. Cunctis autem observantibus sit Domini Redemptoris nostri atque B. Jacobi benedictio, et suorum peccatorum plena remissio, et in perpetuum cum omnibus sanctis felix habitatio. Hæc confessionis et subjectionis scriptura plenum obtineat robur per omnia sæcula. Amen.

Confirmatores.

Petrus, Floylaz comes, proprio signo confirmo. Comitissa domina Mayor, uxor ejusdem comitis, confirmo. Nunnus, abbas cœnobii S. Martini de Juvia, propria manu conf. Munina Floylaz, soror prædicti comitis, proprio ore et subscriptione confir. Visclavara Froylaz et soror ejusdem comitis, atque Munia Deo vota conf.

Nomina militum de Bisancos.

Hæc sunt nomina militum habitantium Bisancos, quæ inferius denotata sunt: Menindus Holmiz confirmo, Feruens Holmiz confir. Histrarius Holmiz conf. Ovecus Froylaz. conf. Rodericus Pelaiz conf. Vistrarius Pelaz conf. Gundisalvus Menendiz conf. Munimus Oduariz c. Veremudus Rageliz c. Joannes Vimaraz c. Veremudus Asmodi c. Petrus Veremudiz c. Fernandus Suariz. c.

Nomina sacerdotum.

Hæc sunt nomina clericorum ibidem habitantium, qui hanc subjectionem juste B. Jacobo devoverunt et confirmaverunt, tam pro se præsentibus quam pro cæteris suis sociis absentibus, atque pro universo populo: Pelagius Almondiz presbyter Ecclesiæ S. Petri de Cervalles conf. Didacus Fulgentiz presbyter Ecclesiæ S. Eulaliæ de Juvia conf. Vimara presbyter S. Jacobi de Francia conf. Rudericus Sisnandiz presbyter, et prælatus monasterii S. Vincentii conf. Pelagius Veremudiz presbyter Ecclesiæ S. Joannis de Pinnario conf. Gutierre Osoriz presbyter Ecclesiæ S. Salvatoris de Magnios conf. Rudericus Muniz presbyter Ecclesiæ S. Vincentii de Mediano conf. Oduarius presbyter Ecclesiæ S. Eulaliæ de Caurio conf. Froyla presbyter Ecclesiæ S. Jacobi de Baraliobre conf. Froyla presbyter Ecclesiæ S. Mametis de Laragia c. Joannes presbyter Ecclesiæ S. Marinæ de Seliobre c. Ordonius presbyter Ecclesiæ S. Salvatoris de Seliobre c.

Nomina militum de Trasancos, et Lavacencos, et Arros.

Hæc sunt nomina militum, Trasancos, et Lavacencos, et Arros habitantium, quorum nomina inferius denotata sunt, qui hanc subjectionem juste fecerunt tam pro se præsentibus quam et pro sociis suis absentibus, atque pro universo populo: Nunnus Veremudiz conf. Ovecus Gundisalviz conf. Gundisalvus Petri c. Suario Teliz c. Veremudus Gelidiz c. Rageliz c. Menindus Gundisalviz c. Froyla Veremudiz c. Ovecus Muniz c. Petrus Muniz c. Petrus Gundisalviz c. Veremudus Hiscaz c. Egica Stephaniz c. Veremudus Petri c. Petrus Suariz c.

Nomina presbyterorum ibidem morantium.

Hæc sunt nomina clericorum ibidem habitantium, qui hanc subjectionem firma stabilitate, ut supra exaratum est, devoverunt et confirmaverunt, tam pro se quam pro universo populo: Joannes presbyter, prælatus monasterii S. Juliani de Naraon conf.

(58) Esto de rebus anno 1108 gestis, nunc sermo; prælatas merito adjungit obedientias, quamvis aliquanto elapso tempore; ut præmisit, factas, utpote quæ causæ pro nunc finem dederunt. Vide lib. II, cap. 56.

minus presbyter Ecclesiæ S. Mariæ de Sichario c. Enindus presbyter, prælatus monasterii S. Stephani de Setes c. Suarius presbyter Ecclesiæ S. Mariæ de Castro c. Petrus presbyter Ecclesiæ S. Eulaliæ de Avinio c. Erus presbyter Ecclesiæ S. Jacobi de Laco c. Garsia presbyter Ecclesiæ S. Juliani de Lamas c. Ordonius presbyter Ecclesiæ S. Saturnini c. Rudericus presbyter Ecclesiæ S. Mariæ Majoris c. Froyla presbyter Ecclesiæ S. Petri de Lexa c. Munimus presbyter Ecclesiæ S. Mariæ de Lavacencos c. Vimara presbyter Ecclesiæ S. Salvatoris de Sarantes, et Petrus Luz c. Gunsalvus presbyter, prælatus monasterii S. Matthæi c. Petrus presbyter Ecclesiæ S. Columbæ c. Pelagius presbyter Ecclesiæ S. Georgii de Marinas c. Petrus presbyter Ecclesiæ S. Romani de Domnius c.

Ego Pelagius Pelagii filius, et presbyter illius patriæ indigena confirmante supradictorum assensu scripsi in concilio, et confirmo.

CAPUT XXXV.

Ad confirmandam hanc obedientiam.

Accepta ergo tam clericorum quam populi obedientia, præfatus episcopus duos de clericis suis, Gaufridum videlicet ejusdem Ecclesiæ archidiaconum et Petrum capellanum super hujuscemodi omnibus, citato calle Romam direxit, qui a domino papa subsequentes litteras huic negotio finem imponentes asportarunt.

Testamentum horum quæ pertinent ad Ecclesiam S. Jacobi.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Sicut injusta poscentibus, « etc. *Vide ubi supra. sub num.* 296.

CAPUT XXXVII.

De oppressione sanctæ Ecclesiæ, et de invasione ecclesiæ S. Michaelis in Compostella.

« Paschalis episcopus. » etc.

« Oppressiones et augustiæ, » etc. *Vide ubi supra. sub num.* 297.

Idem quoque P. nostræ Ecclesiæ Capellanus, super quodam spurio, nomine Suario, qui amplius sæculari potestati fulgebat, quam subdiaconatus officio vacabat, in præsentia domini papæ querimoniam Latine ventilavit. Suarius enim, suarum tribuum robore vallatus, sine aliqua justitiæ repetitione. tertiam ecclesiæ S. Michaelis portionem, mense Januario nondum finito, ei cum summa violentia abstulit, cujus tempestatis impetum ferre non valens, ad domini papæ celsitudinem confugium fecit, cernendo Suarium injustitiæ nebula esse obductum, de cujus Ecclesiæ restitutione subsequentes litteras Romanæ auctoritatis sigillo munitas suscepimus.

De redintegratione eidem Ecclesiæ.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Filius noster, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 198.

CAPUT XXXVIII.

Confirmatio cardinalium et cæterorum.

« Litteras denique quas de confirmatione vestro-

A rum cardinalium, quos Deo juvante ad decus vestræ Ecclesiæ in Ecclesia statuimus, et de investitura Ciniensis monasterii, de illis etiam qui incesto conjugio filias suas astringunt, et de aliis diversis negotiis in unum colligere non incongruum duximus, quia ante mortem regis nos eas suscepisse meminimus. Sed ante quam ad alia transeamus, de militibus qui causa Hierosolymitanæ visitationis loca vestra Maurorum incursionibus devastanda relinquebant, sicut litteras prius suscepimus, sic eas non immerito in serie libri præponimus. »

CAPUT XXXIX.

Ne occasione Hierosolymitani itineris occidentalis depopuletur Ecclesia.

« Paschalis episcopus, » etc.

B « Magnum vestræ salutis dispendium, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 44.

CAPUT XL.

Vocatio ad concilium.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Quantum veritatis, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 58.

CAPUT XLI.

De causa pelagii.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Causam Pelagii, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 69.

CAPUT XLII.

De illicita copulatione.

C « Paschalis episcopus, » etc.

« Grave valde, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 122.

CAPUT XLIII.

De abbate Ciniensi.

« Paschalis episcopus, etc.

« Abbatem Ciniensi cœnobio » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 135.

De monasterio Ciniensi.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Postquam de monasterii Ciniensis, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 153.

De eodem.

« Paschalis episcopus, » etc.

D « Qualem quantamque tua fraternitas, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 95.

CAPUT XLIV.

De miris habendis.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Petitionem vestram, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 159.

CAPUT XLV.

Quod super altare B. Jacobi nemo celebret missam nisi episcopi vel septem cardinales.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Piæ voluntatis affectus, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 262.

CAPUT XLVI.

De probitate et scientia regis Adefonsi, et de pace in regno ejus, et de juramento a Gallæcis apud Legionem facto Adefonso filio comitis Raimundi adhuc puero.

Magna igitur præsulis prudentia, hæreditates, ecclesias, et villas, quas superius ordine minime observato prænotavimus, pervigili sollicitudine, et immenso labore acquisivit, et acquisitas Ecclesiæ suæ juri in perpetuum mancipavit, multas etiam alias his adjecit, a nobis prætermissas, utpote ignoratas, quas qui scire voluerit cum ad scripturarum cognitionem in thesauro B. Jacobi ecclesiæ repositam et servatam ire præcipimus. Hæc autem supra dicta omnia ante mortem regis nostri catholici bonæ memoriæ Adefonsi a præsule sunt juste acquisita. Qui nimirum rex miræ sanctitatis virtute conspicuus, atque ferventis ingenii capacitate mirandus, quam duris ictibus et assiduis incursionibus terga suorum hostium ceciderit, procul dubio novimus, quia ea loca quæ a potestate Ismaelitarum gladio suo invicto liberavit, corporali intuitu prospeximus. Regnum etenim Toleti, castella, civitates et oppida, quæ ultra decursum Dorii fluminis esse noscuntur, in quibus Christianæ professionis religio tenetur, et observatur, a cultura gentium, numina vana colentium, penitus evacuavit. Quo nimirum loco ecclesias faciendo desudavit, et consecratas divino cultui mancipavit. In regendis autem subditis, licet præpotentissimus esset, tantæ discretionis, et sapientiæ, et humilitatis exstitit, quantam si describere vellet humanum ingenium, nequaquam posset. Non enim singularitate culminis lætabatur, sed æqualitatem conditionis in se ipso contemplabatur. Sciebat enim quia si æquales natura sibi subditos despiceret, sive eos uti decet non regeret, totius creaturæ rectorem, sub quo omnes natura æquales sunt, modis omnibus offenderet. Unde a subditis quam justo et temperato moderamine debita potestatis exegerit, seu quam pacificus circa eos exstiterit, post ejus obitum nobilium virorum pernicies, et subsequentia bella crebrius exorta, parte monstraverunt. Hic rex, cum ejus generum consulem Raimundum a visione præsentis lucis facta funditus subduxissent, et ejus filiu, qui adhuc triennii tempus nequaquam expleverat, piissimi regis præsentaretur, ex internæ pietatis affectu super eum misericordiæ viscera commovens, omnes Gallæciæ nobiles, consules, et principes qui ejus præceptione cum puero iverant apud Legionem, tali alloquio affatus est : « Omne equidem Gallæciæ regimen et jus pueri pater obtinuit, et ideo vos omnes, qui ejus jura et honores eo vivo tenuistis, et eo mortuo adhuc tenetis, filio ejus, nepoti meo, procul dubio famulatores exhibeo, et totam ei Gallæciam concedo, si ejus mater Urraca virum ducere voluerit, nec ab eo etiam mihi ipsi ulla ulterius obsequia deposco, et ut omnibus his in auribus vestræ præsentiæ profero sine ullo scrupulo dubietatis, fidem adhibeant præsente Viennensi archiepiscopo præfati pueri patruo, in manibus domini Didaci secundi Ecclesiæ B. Jacobi divina dispensatione episcopi, discreti videlicet viri, hujusmodi jusjurandum vos dare præcipio quatenus præsentem puerum in Dominum suscipiatis, et susceptum cautius et vigilantius custodiatis, honorem etiam quem vobis præsentibus ei attribuo, etiam contra me ipsum si injuriosus ipsi exstitero, totis viribus defendatis. » Facto igitur intra mœnia Legionis, sicut audivimus, juramento, et a pontifice Compostellanæ Ecclesiæ solerti cura recepto, cum auctoritate tanti principis ad sua quisque reversus est.

CAPUT XLVII.

De morte regis Adefonsi et de discordia et cæteris malis ingruentibus.

Cum autem ferre biennium pertransisset, hic rex Adefonsus moritur gravitate doloris, qui lux et clypeus Hispanis exstitit oris, sub Æra MCXVII, et quot III Kal. Jul. (59) quo nimirum mortuo et fides, ac si nunquam esset, postponitur, et pax, quæ principatum diu possederat, cum rectore suo amittitur. Inde, etiam per totam regni ejus latitudinem bellum seditio, et fames exoritur : inde etiam tellus non solum debita cultura privatur, sed omni rectitudine violata desolatur. Quamobrem inter consulem Petrum (60) et quosdam Gallæciæ nobiles, jusjurandum quod domino suo fecerant, non attendentes, postposita pacis connexione, magna discordia pullulavit. Quod idem consul, cujus custodiæ puerum vivens pater attribuit, cupiens evitare, nunc blandis sermonibus, nunc minarum illationibus eorum contumaciam compescere tentavit, quatenus eos de tenebris ignorantiæ semoveret, et ad statum rectitudinis, quem incaute reliquerant, solerter perduceret. Sed quia cor quod iniquitate gravatur, si superna gratia desit, nec verborum copia, nec sermonum abundantia illustratur, nebula erroris abducti, atque diutino furore succensi verbi consulis credere recusarunt. Tali etenim adinventæ germinitatis pactione connexi erant ut sese hostium fortitudinem mutuo et indefesso robore adjuvarent, et omnia adversa unanimiter tolerarent. Qua securitate vallati, a concordiæ unione animum semobevant, a quibus Compostellanus episcopus summo opere invitatus, et multa prece efflagitatus, solatium tantæ germanitatis hac intentione suscepit, quatenus pacem et stabilitatem Ecclesiæ conservaret, et salute totius regni Gallæciæ indefessa sollicitudine invigilaret, et eis dissuadendo, et violatæ fidei periculum ostendendo, modis omnibus quibus posset, consuli concordaret. Recepto itaque supradictæ amicitiæ contubernio, et intercedente non multo temporis intervallo, præfati nobiles terræ, quoniam Compostellanum episcopum, ingenia

(59) II Kal. Julii legendum, æra MCLXVII, nemque ultimo die Junii anni 1109.

(60) Petrus Froylaz, comes de Trava, nutritor regii pueri Adefonsi VII, de quo multa in hoc opere, locis in generali indice consulendis.

clarum, consilio providum, ratione discretum, veracem, et rectitudinis zelo ferventem in omnibus et per omnia cognoverunt, circa castrum Bili solertiam tanti præsulis invitantes, juramentum et fidelitatem ei fecerunt, licet multi de melioribus Gallæciæ ante hoc novæ germanitatis inventum præfato episcopo hominium fecerant propter solidatas et præstamina, quæ uberius ab ejus largitate susceperant, veluti Arias Petriz, Petrus Gudesteiz, Joannes Didacides, et Pelagius Gudesteiz, et alii quamplures egregii milites quos sibi hominii vinculo vehementer astrinxerat (61).

« Paschalis episcopus, » etc.

« Ad hoc omnipotens Deus, » etc. *Vide in Paschali, Patrologiæ.* t. CLXIII.

CAPUT XLVIII.

De illicito connubio regis Aragonensis et reginæ, et de guerra inde orta inter Gallæcos.

Interea sumpto rege Aragonensi, cui incesta conjugii copula Urraca regina inhæserat, eadem regina pro filio suo in partes Gallæciæ nuntios suos celeriter destinavit : et quoniam eumdem filium in regni fastigia sublimari prorsus inardebat, ne tanto gaudio privarentur, ad ejus sublimationem omnes Gallæciæ nobiles invitavit, cujus jussa sine ulla dilatione complentes, iter suum cum omni festinatione arripuerunt. Cum autem incolumes Legionem transissent, regi Aragonensi, viro videlicet suo (si cum esset ei proxima consanguinitatis linea junctus, vir ejus est nominandus) eamdem reginam reconciliatum, et alligatam verissima relatione didicerunt. Unde vehementi mœrore affecti consulem Enricum, præfati pueri avunculum, celeriter accersentes quid ex hoc rei eventu acturi essent, diligenti cura consuluerunt ; cujus prudenti consilio fortiter excitatus consul Petrus quosdam ex illis qui jusjurandum filio comitis mentiebantur, juxta castrum Soricis (72) in itinere cœpit, et cum eis in Gallæciam celeri cursu regreditur, pro quorum postea solutione castrum Minei (63) suscepit ; ubi eam, quæ uxor sua esse cognoscitur cum filio et domino suo quem ipsi in gremio suo aluerant, quasi sub tuta defensione celeriter intromisit. Cujus intromissionis damna indigenæ tolerare nolentes, et consulem de finibus illis cum ingenti dedecore pepulerunt, et sine intermissione debita jura promissæ fidei violantes, cum illis qui eorum nequitia participabant, dominum suum (quod dictu nefas est), et ejus nutricem in castro Minei impudentius obsederunt ; cujus obsidionis laborem cum obsessi propter annonæ et potus paucitatem, obsidentes vero propter diutinam stationem, jam ultra fame affecti tolerare nequibant, alterutra conventione jusjurandum, ex utraque parte octava manu firmatum, suscipientes unanimiter decreverunt quatenus obsessi castrum, et quemdam quem vinctum tenebant, Oduarium videlicet Ordonidem, obsidentibus absque ulla redemptione solverent, et ipsis ductoribus comitisa cum omnibus quæ intro erant, ad propria sine aliquo detrimenti incursu remearet.

CAPUT XLIX.

De obsidione castelli Minei.

Sed quia illustres viri, qui cum comitissa famulatum regali puero diligentius exhibebant, de eorum fide, quasi futurorum præsagii, aliquantulum titubabant, se egressuros a castro omnino denegaverunt, si Compostellani pontificis præsentia deesset, in quo solo fidei ubertas tum temporis plenarie redundabat. Quapropter ad eum legatione super his omnibus destinata, ex utraque parte bis et ter eum cum omni sollicitudine invitaverunt ; qua nimirum legatione suscepta per nuntios suos quos ad eos exemplo præmisit, se iturum celeri cursu spopondit ; nitebatur enim de tam ineffabili laboris angustia et dominum suum eruere, et eos dissidentes concordiæ ligamentis devincire, et pacem terræ funditus reformare. Directo itaque calle cum præfatus episcopus ad Ernegum fluvium cum paucis de suis militibus pervenisset, nuntios suos quos jam præmiserat, reperit. Quo in loco licet se fraudulentam legationem suscepisse quorumdam relatione comperiret, tamen ab incepto calle pedem bonæ intentionis retrahere recusavit. Ipse namque tam de incerto piæ devotionis studio, quam de illis quos privilegio hominii sibi alligaverat, nimium confidens, duos nuntios, Munionem videlicet couterinum suum et P. Gutierridem, diversa de causa ad eos secundo direxit : Munionem, qui ab inimicis pontificis et a comitissa, quid de hoc negotio acturi essent disceret ; Petrum vero, qui tunc temporis hostis comitis habebatur, ut ab inimicis præfati consulis, si forte fortuitu laqueos proditionis tetendissent, quoque modo rimaretur. Qui celeri cursu redeuntes, non solum se nullas insidias reperisse dixerunt, verum etiam Ariam Oduaridem ad episcopum, qui securius eum præcederet, et ei dubietatem proditionis auferret, obviam venire fecerunt. Cujus contubernio fretus usque ad ripam Minei cum eo loquendo pervenit.

Quo in loco celebrata missarum solemnitate, postquam sui milites sua tentoria firmaverunt, auditu nefandæ proditionis perculsi, ne fluvium transmearet, episcopo multiplices causas ostendendo interdixerunt ; quod etiam militibus A. Petridis, et aliis probis probantibus credere contempsit ; in eis quippe nimium confidebat, tum propter germanitatem invicem habitam, et hominium quod sibi postea ipsi ultronei fecerant, tum propterea quia fere omnes de ejus parochia erant, et solidatas et præstamina ab ejus largitate susceperant. Hac igitur securitate persuasus cum duos alios nuntios ex parte comitissæ, Sancium videlicet Ramiridem, ex alia vero parte Rudericum Sanchidem sese cum omni festinantia invitantes, cominus suscepisset, procul du-

(61) Absque titulo litteræ allatæ pontificis, de illicito reginæ Urracæ et regis Aragonensis connubio, de quo statim.

(62) Hodie *Castro Xeriz.*

(63) *Castrum Minei* hodie *S. Mariæ de Castrelo* ad ripam Minei quatuor circiter leucas infra *Auriam.*

blo lembum intrare non formidavit; ad cujus ingressum dum sui milites juxta morem patriæ vana auguria diligenter investigarent, et majorem aquilam e contrario transeuntem diligentius inspexissent insuper equidem omnes uno omine pelculsi tertio et quarto cum ne illo iret vehementius increpaverunt. Quorum dicta quia non tantum ex sensus abundantia, quantum ex matre errorum, videlicet ignorantia, processerant, et præfatus episcopus benigna cordis aure suscipiens, tale fertur eis dedisse responsum: « Nolite, inquam, charissimi filii, his ungis et vanis tentationibus propositum bonæ intentionis disturbare; omnipotentem namque Dominum, totius creaturæ gubernatorem, secreta sui consilii hujusmodi avibus et brutis animalibus nullatenus commisisse noveritis. »

Quando episcopus castellum Minei adiit.

Hac inexpugnabili ratione devicti omnes milites ora sua freno compescentes conticuerunt, deinde cum tribus sociis se comitantibus. P. Anaide clerico, et canonico sua et M. Gelmiride, et P. Gutierride, qui ejusdem proditionis intimator dicitur et esse non dubitatur, ad aliam partem fluminis incolumis pertransisset, cum proditoribus suis, Petro videlicet Aria, et aliis (64) secretum colloquii habuit quo in loco eis imminentia terræ pericula sapienter ostendit, atque eos vigilanti cura et tota diligentia interrogavit, quatenus de fraude, quæ sæpius suas aures attriverat, eis referentibus veritas sibi quoquo modo manifesta claresceret. Sed quia a mente quam sua iniquitas deprimit, superna se veritas abscondit, cum vulnus proditionis in pectore servarent, ut iniquitati iniquitates celerose accumularent, ejus celsitudini cum jurejurando se proditionem minime facturos modis omnibus denegaverunt; nos etenim tuæ paternitati, inquiunt, per certam hominii subjectionem colla nostra submisimus, et post hæc omnia felle malignitatis non infecti, aliquod dedecus tibi inferre excogitavimus? Imo etiam si forte fortuitu ab aliquo aliquod dedecus tibi inferri viderimus, nos usque ad necem corpora nostra tui amore periculis objecturos esse discretio tua confidenter agnoscat.

CAPUT L.

Quod facto juramento proditores invitaverunt eum ad cœnam.

His igitur dictis et promissis falsis episcopus illectus, ad sublimitatem turris, in qua comitissa cum domino suo sedebat, pedetentim ire aggressus est; cujus adventum cum superius astantes jam vicinius aspexissent, tanta cordis hilaritate, tanta etiam mentis jucunditate eum susceperunt, quanta illi lætitia gravisi sunt, quos barathro demersos, superna charitas sua præsentia visitavit. (64*) Quo in loco cum de multis alterutra allocutio acta esset, extra castri munitiones ex utraque parte sacramenta duodecima manu firmata, ea conditione præsente pontifice firmaverunt, quatenus in subsequenti die castrum illud ex funditus redderetur, et ipsam eamdem comitissam cum nobili puero domini, videlicet suo, et cum omni sua militia et supellectili, usque ad virum suum sine detrimento ipsi conducerent. Firmata igitur hujusmodi pactione cum recedente die nox jam vicinius incumbebat, ultra flumen ubi totam suæ militiæ cohortem reliquerat, ubi etiam sibi et illis sumptus necessarios parari præceperat, se iturum circumstantibus dixit. Illi autem qui intra sinum suæ mentis proditionis horrendæ sibi pila præfixerant, qui jam ad perficiendum suum dedecus unanimiter conspiraverant, paternitatem ejus obnixius deprecati sunt, hortantes cum ne in tam profundæ noctis conticinio fluvium transmearet; quorum blandis sermonibus acquiescens episcopus effectum suæ petitionis eis sine mora attribuit. Porro Fredenandus Sancides, cujus dominio Lemensis provincia tunc temporis opprimebatur eadem nocte eum procurandum his fraudulentis verbis suscepit: « Oportet, inquit, te, sanctissime Pater et domine, qualem nunquam sumpsisti hodie mecum cœnam sumere. »

CAPUT LI.

Machinamentum proditionis.

Quantus autem vel qualis cœnæ fuerit apparatus, subsequentis diei proditio manifestavit; et quia multoties animus solet esse futurorum præsagus, totam fere noctem illam insomnem duxit episcopus. Mane itaque facto cum quorumdam ejusdem provinciæ indigenarum ad se, veluti ad fontem misericordiæ, confugientium, confessionem patula aure percepisset, eisque misericordiæ viscera aperiendo, modum pœnitentiæ, prout decebat, injunxisset; supradictus Fredenandus facie proditionis peragendæ præ cæteris æstuans cum quibusdam complicibus suis episcopum ut inceptæ deditionis negotium citius perageret, dolosa circumventione increpare non horruit; et quia dies in studio bonæ operationis ad effectum tendebat, pravæ voluntatis effectum se non posse consequi formidabat. Pius ergo pater, a dextris et a sinistris habens arma, ejus insolentiam charitatis ardore diffusus sustinuit: « Primitus, inquit, fili, juxta Veritatis vocem oportet me regnum Dei evangelizare, deinde his quæ mundi sunt curam impendere. »

CAPUT LII.

De comitissa.

Consulto itaque primum, juxta pastoralis curæ sollicitudinem, ovium deposito, cum magna circumstantium lætitia deditionem facturus castrum intravit, ad quem utpote ad portum salutis intra aditum castri residentem, ab ipsa turris summitate, qua

(64) *Præcipui proditionis auctores erant* Arias Perez, Petrus Arias, Ferdinandus Sanchez, et Oduarius Ordonez. (ex cap. 66.)

(64*) Nollem hunc blandiendi modum imiteris

veluti in maris profunditate comitissa cum regali puero detinebatur cum alia non modica nobilium turba, summa cum jucunditate descendit. Quo in loco donec sui omnia supellectilia apportaverunt, latus pontificis claudendo cum regio puero permansit.

CAPUT LIII.

De captione regis pueri et comitissæ.

Dumque ibi tanti patris præsentia se esse excogitaret munitam, proditorum turba gladiis, clypeis instructa, atque omni genere armorum horrenda, per castri hostium impudentius irruit, et unanimiter ad tollendum puerum, ipsa in gremio suo jam jam propter inopinatum assultum et armorum strepitum fere exanimem tenebat, festinantius cucurrerunt. Quem quidem quia ipsa de eorum manibus nitebatur eruere, more leonum in eam frementes, ei terribiliter comminati sunt, quod nisi cum festinanter dimitteret, eam procul dubio (quod grave est dictu), fece tenus dehonestarent. Quorum dicta acerrime prolata cum pontificis aures vehementer perculerant, ejusdem præsulis summa puerum solertia ferme exanimem suavi tactu de comitissæ manibus auferens, Ordonio nutritori suo custodiendum cum diligenti cura attribuit. De cætero ipsam comitissam genas suas vehementi impetu dilaniantem, atque ad instar undantis fluminis lacrymis effluentem, ad altitudinem turris, qua sua sponte descenderat, cum domino suo et quibusdam aliis, gravi cum dedecore captam deduxerunt.

CAPUT LIV.

De rapina rerum pontificatum.

His igitur ita peractis cum nobiles et egregios milites, qui cum comitissa regali puero obsequebantur, graviter percuti, dehonestari, atque propriis facultatibus exspoliari præfatus aspexit episcopus duobus tantummodo clericis comitatus præ nimia cordis angustia quasi aliquantisper sui oblitus, tristis humi resedit. Munionem namque conterinum ejus, quem gratia legationis ad Ariam Petriz extra castrum direxerat, in ipsa legatione consimili dolo et proditione ceperunt. Cæterum, juxta Joannis sententiam, ut *qui nocet noceat adhuc, et qui sordidus est, sordescat adhuc (Apoc.* XXII), ut super iniquitatem scelus propensius augmentarent, Pelagium Martini, et Leovegildum Luz suæ malignitatis complices, cum maxima parte suæ militiæ, et tota illius terræ germanitate ad invadenda præsulis tentoria, atque ad diripienda ejus militum spolia, sitibunda cupiditate ultra fluvium destinarunt; qui sub pacis figmento euntes, et cum eis in fraudulento colloquio perdurantes, eorum mansionem et castra armata manu terribiliter invaserunt. Unde proditionis felle inebriati, atque suæ cæcitatis caligine offuscati, non solum omnia præsulis supellectilia abstulerunt, verum etiam (quod humanis auribus terribile insanat) in ejus capellam suas manus sacrilegas injecerunt; ejus namque casulam (65) juxta insatiatam luporum rapacitatem, inter se frustatim diripientes, suis pravis usibus profuturam conservari non horruerunt; ex qua nimirum casula suarum vestium oras et limbos, quasi decorando, sine ulla mora turpissime dedecorarunt. Aureum quoque vasculum quo Dominicum corpus, nostra scilicet hostia salutaris immolatur, trimembri divisione partientes, ille inferiorem partem, iste vero superiorem, hic autem reliquam partem sibi exsecrabilius vendicare procul dubio non formidarunt. Arcam denique argenteam, et crucifixum mirifica aurificis manu consculptum nulla dissimili ratione partiti sunt. Quid plura? Non solum omnes fere equitaturas, et totius militiæ procinctum, verum etiam non qualescunque sarcinulas, styli tædiosum laborem evitando, prætcrimus. His itaque solerter præcognitis tantus timor, et tam inopinatus horror totam Compostellæ Ecclesiæ militiam perculerat, quod relicto viæ compendio per nemorosa montium cacumina eundo ad propria non sine magno labore pervenit.

CAPUT LV.

Quando proditores transierunt Mineum cum pontifice.

Facta autem superius audita proditione cum pontifice et quibusdam aliis nobilibus, et Petrus Arias et filius ejus ipsa eadem die a castro exeuntes, juxta monasterium S. Stephani ripæ Silis quiescentes pernoctaverunt, et tota nocte vigili cura et armata militum manu eos captos custodiri fecerunt; qua transacta cum Phœbus ab undis Oceani solito more emersisset ad portum Minei, qui vulgari appellatione Ambas Mixtas (65*) nuncupatur, celeri cursu pervenientes sine aliquo detrimenti obstaculo transmearunt. Quo in loco præfatus episcopatus Ariam Petriz seorsum vocavit, et cum eo præsentibus duobus clericis suis hujusmodi colloquium habuit: « Miror, inquit, te, antehac nobilem et egregium virum, quem loco germani fratris et quasi pro dimidio mei cordis habebam, hujusmodi proditionem excogitasse, et excogitatam fecisse; te enim prærogativæ dilectionis privilegio ab ipsa etiam pueritia connexum habebam, necnon etiam in te veluti præcordiali amico ampliori confidentia confidebam, tum quia præstamina et uberrimas solidatas a mea largitate susceperas, tum quia homini vinculo non semel, sed his et ter sub jurejurando firmato me tibi credulum feceras, tuæ siquidem et tuorum consociorum inscitiæ, et fraudulenti juventuti vehementius, quam meo dedecori condoleo, quod tuæ nefandissimæ proditionis nomen toto terrarum orbe, nisi melius tibi provideris, vulgabitur et blasphemabitur. »

CAPUT LVI.

Responsio Ariæ ad verba pontificis.

Cujus dicta tam sapienter probata Arias hujuscemodi affamine subsequitur: « Hæc, inquam, sanctissime Pater, quæ mihi summo charitatis ardore

(65) Alii codices, *infulsam*, quæ apud illius ævi scriptores idem ac *casula*.

(65*) Hodie *Ambas Mestas* ubi Sil et Minius miscentur.

a tua paternitate referuntur, vera esse, et deteriora procul dubio quam tu ipse asseris, oculo meæ discretionis considerando intueor; verum parti nostræ tam vehementi formidine formidabaris, si celsitudinem tuam quæ tanta consilii prudentia, tantique exercitus abundantia, et amicorum ubertate redundat, ad propria reverti incolumem permisissemus, pro cæterorum captione, quam coram tua veneranda præsentia peregimus, tam propriis honoribus quam propriis etiam facultatibus nos ipsos privari sine mora. Quod equidem factum licet humanæ rationis detestabile et remorsibile videatur, quoniam jam non potest non fieri, quo pacto id queat dissolvi, inter nostrarum mentium considerationem reperire nequaquam possumus.

CAPUT LVII.

Verba P. Anaide.

Quem equidem P. Anaides, præfati præsulis clericus quasi ex indignatione silentium prorumpens, sic est allocutus : « Cum tua dicta assidua animi revolutione speculando præmeditor, eximia indignatione vehementi cordis dolore afficior, quod in hujuscemodi actibus omnino vobis consilium defecisse perpendo; vos etenim, quibus nuper in sinistro latere ingenii vena salire putabatur, quomodo tam egregium, tamque potentem virum, totius videlicet Gallæciæ gubernatorem, malo ingenio et fraude vestri horrendi criminis circumveniendo cepistis, quali pactione postea id factum dissolveretur non prius indefessa sollicitudine excogitastis. Ad ultimum si vestræ utilitati providendo desudatis, pro ejus solutione, utrum sui muneris largitione vos divites efficiat, an venerandis obsidibus dubietatem vestræ formidinis auferat, in præsentiarum sine ulla dilatione conferre debetis. Si vero cum timoris occasione, ut asseritis, cepistis, vel jusjurandum a Munione couterino fratre ejus, vel castrum Honesti, et S. Mariæ de Lanciata, ne id quod formidatis vobis eveniat, ad tempus suscipiatis (hoc etenim de castris ex industria, et sui ingenii sagacitate protulerat, quoniam si hac pactione solveretur, dominum suum circa triduum castra sua recuperaturum incunctanter cognoverat), intueor, etiam vos ipsos, vobisque succedentem posteritatem tam horrendi criminis periculum nullatenus evasuros, hujusque nefandissimæ proditionis opprobrium sempiternaliter incursuros, nisi eum quantocius liberare festinetis. » Cujus verba nedum finita quoniam modo invectionis proferebantur, P. abbas Termarum, qui ejusdem captionis domini sui socius esse cognoscitur, tali affamine intercipiendo subsecutus est.

CAPUT LVIII.

Verba P. abbatis Termarum.

Nosti, inquam, charissime frater, quod hujus nostri Patris providentia Compostellanam Ecclesiam, tam honoribus quam facultatibus uberius dilataverit, et numero septuaginta duorum canonicorum, quos ejus paternitas intra gremium suæ dilectionis bene morigeratos reddiderat, plenius exornavit, et firmius corroboravit. Quæ videlicet Ecclesia tanti Patris afflictione multata, omnino desolabitur, et te existente causa ruinæ destructa annihilabitur.

CAPUT LIX.

De pacto liberationis episcopi.

Has itaque et supradictas rationes Arias Petriz benigno cordis affectu suscipiens, pro castrorum inquam, receptione dominum vestrum sine intermissione liberare festinabo. Ea igitur die ad quoddam rus, videlicet Amoarium citato calle pervenientes præfatum pactum, ne labefactari seu infirmari posset, fide ex eorum parte recepta firmavimus, et super his omnibus Munionem Eriz, et Froylam Menindiz Compostellam direximus. Cum autem secundæ lucis præsentia a facie mundi tenebras effugaret, castrum S. Joannis de Pena Corveria (66) intravimus ; tertio itaque die ibidem relicto P. Aria cum regali puero, et quibusdam aliis vinctis, per devia et fructicosa montium cacumina euntes, non sine magno labore ad castrum Lupariæ (67) pervenimus. Quo in loco supra nominatos nuntios quos jam Compostellanæ Ecclesiæ præmisimus cum duobus ejusdem ecclesiæ canonicis, et quibusdam aliis concivibus, cum summa cordis jucunditate suscepimus: quibus referentibus didicimus omnes Compostellanos clericos sacro se juramento alligasse, quod prædicti præsulis solutioni unanimiter insisterent, et eo vitalem auram suscipiente, in dominum nullum alium susciperent. Insuper etiam non solum concives, verum etiam totius terræ milites sacræ sibi fidei vinculo diligenti ratione astrinxerant, quatenus sub omni celeritate euntes, de tam nefandæ captionis ergastulo dominum suum liberarent; in conducenda etenim militia totus Ecclesiæ thesaurus, totaque respublica expendi unanimi omnium sententia exponebatur. Is itaque rumor qui nos vehementi lætitia cœlo tenus extulit, Ariam Petriz graviore vehementius perculit. Quocirca cum quibusdam de suis consilium sumpsit, ut a supradictæ pactionis promissione discederet, et præfatum pontificem ad aliud castrum quo firmius et securius teneri posset, sine ulla temporis dilatione deduceret. Quorum consilium quoniam pontificem minime latuit, ipsi solerter præsenti sua militia A. Petriz ad rationem posuit, quia a pacto quod jam superius pepigerat, semetipsum irrationabiliter subtrahere vellet; quod illius terræ barones, non sine cordis mœstitia percipientes, eumque summopere increpantes, ne aliquid aliud præter id quod inter illos stabilitum erat facere auderet, ei modis omnibus interdixerunt. Horum ergo inexpugnabili ratione A. Petriz coactus, illorum custodiæ cum eo tenore commisit, ut, si ea die præfata castra sibi dederentur, exemplo eum ipsi exsolverent. Quem ipsi in sui tutelam grataanter suscipientes, eum a castro per spatium unius leucæ

(66) *Cornaria* legendum, ut infra cap. III, n. 4. Hodie vulgo *Pena Corneira*.
(67) Inter Compostellam et Privam.

semoverunt; ex quo nimirum loco M. fratrem suum, et P. Anaidem ad castrum Honesti dedendum direxit, et deditum Froylæ Menindiz, qui illud ex parte Ariæ susciperet, sub omni imperio reddi præcepit.

CAPUT LX.

De liberatione episcopi.

Dum hæc agerentur, A. Petriz intra arcanum sui cordis præmeditans, præfata castra se nullatenus posse retinere sumpto meliori et utiliori consilio, barones suos sic alloquitur: « Utile mihi valde et necessarium esse existimo, quod dimissis castris episcopum liberum ire permittam, et de illato ei de decore qualem a me exegerit justitiam libenti animo faciam; verum etenim, ne id quod verebar mihi eveniat hac tempestate, tres de fratribus suis Munionem, videlicet Ecclesiæ B. Jacobi thesaurarium, et Petrum Gelmiridem, et fratrem ejus Joannem, ad tempus mihi in obsides quam citius iverit, mihi mittere non remoretur. Interea O. archidiaconus, et P. Anaides, et P. Vimariades, donec ipsi veniant, mecum remaneant. » Cujus nimirum sanum et egregium consilium, quoniam omnes sui milites æquanimiter laudaverunt, cum maxima eorum parte præfatus episcopus eadem die castrum suum honestum cum ingenti pompa dediturus intravit. Quo equidem intrante cum nimia cordis jubilatione ingens suorum militum multitudo cum suscepit. Quæ videlicet multitudo, lanceis et gladiis et clypeis exornata, diverticulum petendo, in quibusdam abditis se sapienter occuluerat, ut si forte fortuitu castrum milites Ariæ susciperent, ipsi cum omni celeritate venientes ne castrum necibus implerent, circumquaque obsiderent, et obsessum unanimiter expugnarent. Peracta igitur ejusdem noctis lætitia, suorum militum robore vallatus, sequenti die apud Iriam non minus honorifice susceptus est; ex quo nimirum loco tres fratres suos ad eumdem Ariam, juxta præfatæ sponsionis conventionem, celeriter destinavit, quatenus alios tres qui horum vice cum eo remanserant, ipse sine mora exsolveret, quos quasi a vinculis absolutos veneranda præsulis præsentia cum omni alacritate suscepit.

CAPUT LXI.

Gaudium Compostellæ in adventu episcopi.

Rubescente itaque tertiæ lucis aurora, cum iter suum Compostellam disponeret, ingens utriusque sexus multitudo e diversis partibus, quasi ad totius provinciæ patronum totaliter confluens, ad milliarium usquequo desiderabilis sanctæ civitatis situs prospicitur, ejus optatam præsentiam comitata est: Ad quæ nimirum loca cum auxiliatrice Dei gratia, uti paulo superius prælibavimus, pervenisset, omnis Compostellanorum turba cum tympanis et citharis et diversis musicorum instrumentis cantantes, atque de recepti pastoris incolumitate supernæ pietati laudis præconia persolventes, ei obviam exivit; innumera namque juvenum caterva tanto exsultationis jubilo concinebat, quod si exprimere vellet, in describendo nostri eloquii ratio tanto labori succumberet. Cætera denique adolescentum multitudo cum hymnis atque dulcifluis harmoniæ melodiis ejus optatæ præsentiæ congaudentes, usque ad Compostellanam ecclesiam cum eo cantando perveniunt. In qua equidem ecclesia si antea subditorum curæ minus quam debuit invigilabit, divino fultus patrocinio postea quidquid in subditis emendandum esse persensit, baculo pastoralis curæ correxit, divina Dei gratia largiente qui vivit regna in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT LXII.

De pacis reformatione post liberationem ejus.

Postquam ergo in era I. C. XLVIII. (68) Venerabilis D. Apostolicæ sedis (ut jam dictum est) episcopus a supradictorum captione proditorum Domine liberante eductus est, vir scilicet immensa bonitate conspicuus, prudentia discretus, temperantia probatus, fortitudine constans, justitia rigidus et universa morum honestate præclarus, tanto eum de perfida captione venientem clerus, et populus Compostellæ civitatis, mulieres, et parvuli receperunt gaudio, quanto sorores Lazari suum fratrem quatriduanum resuscitante Domino Salvatore suscipere meruerunt. Dum enim per solos quinque dies a suis traditoribus (heu facinus!), in custodia teneretur, ubicumque ejus audiebatur traditio, protinus oriebantur preces, furoris impetus, ancepsque turbatio in civitate siquidem Compostellana illi quibus maxime probitatis studium odio semper esse solet, ad tantam subito insolentiam conscenderant, quod in religiosas Ecclesiæ personas nefanda conspiratione insurgere audebant, assultusque in clericos facere, nulla reverentia, vel formidine, dubitabant. Unde factum est ut quemdam S. Jacobi archidiaconum, catholicum scilicet et nobilem virum, a pravis glutonibus civitatis in domo sua circumdatum, falsa suspicatione interficere voluerunt. Attamen veritas, quæ sæpe solebat millum coitari archidiaconum, in tanto discrimine amatorem suum deserere noluit, quem ab impiis sacrilegorum manibus misericorditer liberavit. Eos tamen qui tanta debriati insania debacchabantur, assiduo clericorum servitio subdendos et regiæ potestatis decreto sancitum est, et apostolicæ auctoritatis privilegio confirmatum, ut in legitimo B. apostoli catalogo scriptum inveniri potest. Verumtamen pontifice in suæ sedis cathedra divina revocante gratia collocato, mox prosperitas aliquantisper subsecuta est, et bellicosæ fluctuationes Gallæciæ, frequentesque tumultus civitatis parumper quieverunt. Hæc nempe idcirco evenisse putamus, quoniam facinorosi realem præsulis ultionem animadvertere, boni viri vero ejus dilectionem amittere metuebant; quin etiam comitum cæterorumque Galleciæ primatum negotia ad episcopum referebatur ejus consilio et ratione diffinienda, et

(68) Codices duo VIII pro VIII, sed perperam; anno quippe seq. æram MCXLIX scribunt, *cap.* 73.

unanimiter laudabatur ab omnibus quidquid prudenter disponebat episcopus.

Qui nimirum præsul ingenti lamentatione et suspiriis pro regio gemebat puero, nepote scilicet gloriosi regis Adefonsi, imperii sanctitate solemniter memorandi, qui cum pontifice traditus in eadem adhuc captione detinebatur, cumque quem procul dubio regnaturum sperabat, eo propensius venenosa eorum calliditate interire formidabat. Hoc metu et formidine perterritus præsul venerandus totam mentis intentionem et nisum ad hoc dirigere intendit, ut prædictus reginæ filius qui indigne captus erat digna liberatione solveretur, existimans per ejus solutionem posse revocari Gallæciam in pace et concordiæ unionem. Convocatis itaque majoribus suæ ecclesiæ personis voluntatem, quam in animo suo solvebat, patefecit, et accepto cum eis utili consilio, misit legatum suum pro comite Petro, cujus uxor et filii pro regali infantulo captivi tenebantur ut cum eo acciperet consilium qualiter infans sublimaretur in regnum.

CAPUT LXIII.

De solutione pueri filii reginæ.

Convenerunt igitur comes Petrus et pontifex supradictus secus flumen quod dicitur Tamar, ibique multimodis rationibus variisque assertionibus multiplicatis, ad hoc tandem perventum est, quod sine concilio pariter et auxilio reginæ, quæ mater ejus erat, tantum negotium minime fieri deberet. Euntes ergo legati ab episcopo et comite, ipsi arcanum patenter significarunt reginæ, quod episcopus diuturno tempore latenter ruminaverat in mente; quibus regina attentius auditis et diligenti scrutinio inquisitis solemni quodam et ultra quam credi potest exsultavit gaudio, tum quia proprii audiebat filii in regnum sublimationem, tum quia per ejus exaltationem confidenter credere poterat, posse evenire facilius ruinam Aragonensi tyranno, vel citius de regno expulsionem. Confestim ergo vocat ad se comitem Fredenandum strenuum scilicet et prudentem virum, quem regina Domina U. talibus suppliciter alloquitur verbis :

CAPUT LXIV.

Verba reginæ ad comitem F. de suo filio in regem sublimaturo.

« Nobilis et sapiens comes F. quem non solum consanguinitatis linea, verum etiam larga quam semper tibi exibui honorificentiæ prærogativa indissolubili catena mihi vehementer astringit, salubre a liberalitate tua deposco consilium, quid demum statuendum sit filio quem venerandus B. Jacobi episcopus in regem erigere omni studio conatur. Tibi etenim notum est et omnibus Hispaniæ regnum incolentibus, quoniam pater meus imperator Adefonsus, appropinquante sui transitus hora, mihi apud Toletum regnum totum tradidit, et filio mero Adefonso nepoti suo Gallæciam, si maritum susciperem, et post obitum meum totius ei dominium regni jure hæreditario testatus est. Omnes ergo fere consules alioque in Hispania principatum tenentes, qui tunc temporis in expeditionem contra Moabitas profecti Toletum convenerant, quorum quidem alios a pueritia educaverat, alios ex paupertate abundanter ditaverat, alios ex humili genere sublimando, nobiles fecerat, ante se venire jussit, eorumque famulatum meo benigne subdidit imperio, meamque personam et regnum eorumdem fideli custodiæ diligenter commendavit, interminans et admonens ne quid grave vel arduum præter eorum voluntatem et commune consilium ullo modo disponere præsumerem. Sicque factum est quod defuncto genitore meo secundum eorum dispositionem et arbitrium invita nupserim cruento phaltico (69) Aragonensi tyranno, infeliciter ei juncta nefando et exsecrabili matrimonio (70).

Quæ vel quanta dedecora, dolores, et tormenta quandiu cum eo fui passa sim, nemo melius quam tua prudentia novit; non solum enim me jugiter turpibus dehonoravit verbis, verum etiam faciem meam suis manibus sordidis, multoties turbatam esse, pede suo me percussisse omni dolendum est nobilitati. Ipse nimirum mente sacrilegio pollutus, nulla discretionis ratione formatus, auguriis confidens, et divinationibus corvos et cornices posse nocere irrationabiliter arbitratus, sapientes viros et nobiles quasi erubescendo subterfugit, factusque vilium collega nebulonum ad omnem levitatis strepitum sollicitatur; exsecrata apostatarum consortia studiose veneratur, omnemque divinum Ecclesiæ cultum, personasque religiosas pro nihilo ducens aspernatur. Hinc est quod ecclesias Dei absque pietate violat et dirumpit, earumque ministros exspoliat, possessionesque eripit. Hinc est quod Burgensem episcopum et Legionensem a suis sedibus suæ violentia tyrannidis expulsit. In Palentinum etiam manus injecit, quem sub Christianæ fidei tenore ad se venire præceperat, et sic per fraudem eum et dolositatem cepit. Archiepiscopum quoque Toletanum, religiosam scilicet Ecclesiæ Dei columnam, et Romanæ sanctitatis legatum, a diœcesi sua per biennium absentavit, necnon et abbatem S. Facundi a proprio fugavit cœnobio, in cujus locum sacrilegium fratrem suum omni remota religione et justitia intronizavit. Insuper etiam tanto furore et odio in filiolum meum Adefonsum exarserat, ut ad eum exstinguendum totis viribus anhelaret, existimans regno secure potiri, si puer quomodo traderetur neci. Quocirca bellicosum comitem Petrum fidei firmitate fortissimum dira machinatione perditum ire moliebatur, eo quod fidus infantuli nutritius nulla tribulatione vel molestia ab ejus fidelitate separari poterat, cui dominium patre meo præcipiente in Legione civitate juraverat.

Sævius igitur Celtiberus Gallæciam furibundus intravit et quot et quanta facinora in regione illa patraverit, nobilium cædes, militum apud Montem

(69) *Infra*, phantastice.

(70) Vide cap. 79, *num.* 3.

Irsoum crudeliter occisorum, castrumque dirutum A et terra depopulata, bonisque omnibus exspoliata, ecclesiarum violationes, earumque dehonorati sacerdotes, bonæ mulieres denudatæ, virgines impudenter violatæ, destructæ comitis Petri hæreditates, mansiones et palatia combusta, greges equarum, et armenta boum a Gallæcia partim abstracta, partim dilaniata, afflictorum gemitus et lacrymæ pauperum manifeste ostendunt. Ad hæc, formidandum domini papæ anathema, et archiepiscopi Toletani, et religiosissimi Ecclesiæ apostolicæ pontificis exsecratio nostram conjugii turpitudinem incessanter damnabant. Cum ergo me valde constaminatam esse sacrilegii contagio cognoscebam, et acutissimam justitiæ frameam sufferre non poteram, studioso affectu a phantastico idololatra me dissociare curavi : facto autem dissidio, ruptoque pudendo mihi matrimonio, statim incendia, cædes, et rapinæ, homicidia, proditiones, bella per campos et Castellam passim exorta sunt. Dum enim meo indigne frueretur consortio, quasdam civitates fraudulenter occupaverat, quas suis apparitoribus custodiendas tradidit, de quibus modo egredientes sui prædones scelerati, totam deprædantur provinciam, meas regales villas et palatia comburunt, burgos in via publica, et hospitia ubi S. Jacobi hospitari solebant peregrini, dilapidant immisericorditer et obruunt. Denique ager est incultus, tellus inarata, fames et inopia ingruit, agricolæ olim copiosis abundantes divitiis, quibus nihil omnino relictum est præter leves paleas quas ad tegenda fragilitatis suæ pudenda nudato corpori opponunt, per plateas undique et agros algore et inedia reperiuntur mortui, pudor virginum sine pudore violatus, dedecus matrum, et lamentatio viduarum, pupillorumque desolatio, deserta et vastata quæ inhabitari solebant loca nostram lacrymabilem miseriam patentibus indiciis manifestant. Postremo nullus latet Hiberiæ angulus qui tanti furoris strepitu vel perturbatione non moveatur. Nunc igitur, clarissime consul, enodatis rationibus universis meisque interioribus patefactis, tuam decet nobilitatem, meo dubitanti animo, quod melius tibi videtur adhibere consilium. »

CAPUT LXV.

Responsio comitis Ferdinandi.

Comes autem F. tale fertur dedisse responsum : « Regina potens et gloriosa, narrationem tuam vera D ratione prolatam diligentissime perpendi, et firmæ memoriæ totaliter commendavi, in qua regem Arragonensem totius mali causam esse et Hispaniæ detrimentum, nullamque salutis spem in eo nos spectari insinuasti ; unde tibi summopere vigilandum est, ne quod vir apostolicus monitu divino inchoare aggreditur, et per suos tibi mandavit legatos, per te aliquatenus differri videatur. Sed, omni remota dilatione, solerti cura consummare studeas, teque tuumque filium ejusque causam et negotium supradicti episcopi arbitrio, et dispositioni committas, nihilque præter ejus consilium deinceps facere præsumas, imo etiam si bene visum fuerit tuæ voluntati, hanc eidem episcopo perferam legationem, eique ex præcepto tuo, ei in omnibus quæcunque mandaverit, fideliter obsecundabor, et auxilium, quibuscunque modis potero, libenter subministrabo. »

Cum autem regina summo favore approbaret consilium, statim comes F. iter aggrediens ad præfatum episcopum festinanter pervenit, eumque apud S. Jacobum in curia sua circumstantibus clericis, et militibus residentem invenit : cui manum ex parte reginæ deosculando ei multiplices et benignas salutationes impertivit. Causas quoque ob B quas venerat et quidquid ei regina narraverat, totum pontifici seorsum et singulariter recitavit. Deinde comes F. ductus ad hospitium post laborem itineris grato soporis membra dedit. Episcopus autem nocte illa nihil aut parum dormire potuit. Sollicita namque consideratione tractabat (quod vix aut nunquam fieri poterat) ut videlicet suum, et Ecclesiæ suæ dedecus, inultum non remaneret, et infantem a captione liberare valeret, eorum siquidem qui puerum tenebant propositum erat, infantem suarum inimicitiarum constituere pretium, quas ab eodem pontifice et a Petro comite ob suarum culpas injuriarum sibi contraxerant. Assumpto itaque episcopus sano et utili consilio, maluit suam injuriam non ulcisci quam infantem turpi captivitate detineri. Misit itaque nuntios ad suos proditores et C inimicos, quatenus infantem solverent, et vindictam criminis quod in episcopum commiserant, super se venire non timerent. Quo audito, proditores cupienti animo se facturos spoponderunt, si simili pacto comes Petrus suarum odia injuriarum relaxaret. Statuto ergo die, et loco, sæpe dictus pontifex ad Uliæ fluminis portum, qui *de Cessuris* (71) appellatur, proditores et comitem pariter convocavit, quos prius fidei juramento firmiter astrinxerat, ne quid mali sibi invicem in conventu illo machinari tentarent. Multiplices igitur causarum diffinitiones, variasque relationes patenter et occulte ibi pertractatis impræsentiarum explicare non valemus, sed quod nobis intuentibus factum est, silentio præterire non debemus.

CAPUT LXVI.

Solutio pueri et ordinatio ejus in regem.

Quia ergo episcopus se captionem personæ propriæ et dedecus condonare ad communem totius terræ salutem, et ad publicam utilitatem subtiliter provideba pertinere, P. Ariæ et Ariæ Petridæ, et Fernando Sanciade, et Obduario Ordonide, cæterisque traditoribus impiis injuriam suæ proditionis, et opprobrium non solum ex animo relaxavit, et insultam esse concessit, verum etiam comiti P. suas itidem injurias injuriarumque inimicitias postponere blando sermone persuasit. Finitis itaque omnibus culparum calum-

(71) Pontem lege de Gessuris qui etiam hodie nomen retinet, super *Ullam ad Iriam.*

niis et universis inimicitiarum odiis, comes et viri supra nominati juramentis firmatum, amicitiæ fœdus salva felicitate et fidelitate reginæ, et infantis inierunt, et ad solidæ pacis concordiam revocati sunt. Effecti vero, firmata pace, fideles amici, episcopus immensa bonitate plenus, et omnes alii unanimiter statuerunt diem quo infantem erigerent in regem. Dominica ergo sequenti, qua cantatur ad Introitum missæ *Justus es, Domine*, (72) infantem, qui regnaturus erat, ad S. Jacobum cum magna et nobili pompa cunctis exultantibus adduxerunt. Episcopus vero pontificalibus ornamentis indutus, cæterisque clerici vestimentis ecclesiasticis decenter ornati, gloriosa processione eum susceperunt; quem accipiens pontifex ante altare B. Jacobi apostoli ubi corpus ejus requiescere perhibetur, gratulanti animo perduxit, ibique, juxta canonum instituta religiosa, eum in regem unxit, ensem quoque et sceptrum ei tradidit, et aureo diademate coronatum, in sede pontificali regem constitutum residere fecit. Deinde missa ex more solemniter celebrata, regem novum deducens ad palatium suum, episcopus omnes Gallæciæ proceres ad regale invitavit convivium, in quo clarissimus comes Petrus, regius dapifer exstitit, ejusque filius Rudericus clypeum et frameam ad regis scapulas Alfericeus tenuit, Munio Pelagides regalis offertorius, Veremudus Petrides, vinum et siceram omnibus mensis abundanter ministrari præcepit, sicque omnibus diversis ferculis accurate satiatis, dies illa in hymnis jubilationis et canticorum canticis peracta pertransiit.

CAPUT LXVII.

De subjugatione Lucensis civitatis imperio regis pueri.

Altera autem die quæ prima post ejus sublimationem illuxit, convenerunt omnes ante pontificem, consilium ineuntes, ut Legionem suum ducerent regem; ibique eo cum matre collocato totum ejus ditioni regnum submittere, una cum omnibus Castellanis primatibus niterentur. Sed quoniam adhuc quidam, de diversis partibus in *Lucensi* civitate congregati, injustitiam Aragonensis tyranni stolida præsumptione sustentabant, qui videlicet scelerati latrones, homicidii, transgressores, adulteri, fornicatores, miserorum substantiæ cruenti raptores, ecclesiarum violatores, pro nefandis facinoribus pœnas suis corporibus cruciatusque metuebant, visum est congruum episcopo et comiti, cæterisque principibus, ut prius civitas ab omnibus criminosis expurgata, regis subderetur imperio, quam aliud inciperent tractare negotium. Euntes igitur ad civitatem, Lucensibus legatos præmiserunt, quatenus aut civitatem regi redderent, aut se, si possent, defendere pararent. Qui cum terribilem audissent legationem, et exercitium regis super se venientem, maluerunt se regi civitatem reddere, quam contra suum naturalem dominum aliquid quod ejus turbaret voluntatem committere.

CAPUT LXVIII.

De bello facto in Angos.

Pacificata igitur civitate, et regio puero restituta, episcopus et comes cum paucis ex nobilioribus iter suum, sicut Compostellæ constituerant, Legionem recto tramite direxerunt. Cum autem pervenissent ad locum qui *fons de Angos* nuncupatur, papiliones et tentoria sua circumquaque tetenderunt, et ignorantes quod perfidus Aragonensis exploratores in itinere vel insidias occultasset, illa nocte omni remoto timore quiescentes, ibi securam mansionem et somnum habuerunt; omnes tamen CCLXVI, et non amplius erant. Quod cum perfidus Arragonensis a suis exploratoribus cognovisset, congregavit exercitum sexcentorum sexaginta militum, ferro vestitorum, et duo millia peditum in arcu, et gladio, et fustibus, et armis munitorum; et prosiliens ex occultis veniebat in occursum eis. Gallæciani vero, mane facto surgentes, hostemque improbum super se venire audientes, ad arma continuo prosilierunt, et festinanter armati, acies suas constituerunt, bellumque cum paucis pugnatoribus expectantes, contra decem unus, contra mille decem pugnaturi, campum audaciter occuparunt. Attamen ubi hostes ad se procul venientes torvis vultibus aspexerunt, adversus tantum exercitum gradatim tendere cœperunt, et cum jam prope essent, validis lanceas vibrantes lacertis, velocesque equos calcaribus urgentes, terribili conflictu primam aciem invaserunt, eamque totam fere vulnerantes, ad terram prostraverunt, et mortua est illico Arragonensium non minima multitudo; sed cum præliando, hostesque viriliter prosternando, ad immensam militum cohortem et innumerabilem peditum turbam penetrassent, bello fatigati, pulvere et hostibus undique circumveniuntur, et a tergo et lateribus sauciati impetum fortunæ sustinere non valuerunt. Quidam igitur sanguinolento interierunt bello; quidam vero non sine magna sanguinis effusione, capti sunt. Animosus comes Petrus, qui in medias hostium proruperat acies, post acerrimam et diuturnam in bostes ultionem, maluit bellando captus esse quam campum inhoneste dimittere Comes quoque Fredenandus in bello interiit, et alii multi corruerunt.

Cum autem cognovisset episcopus fortunam belli in contrariam cedere partem, majori timore et cura super regem, quem noviter unxerat, quam super propriam sui corporis personam sollicitabatur; non solum enim mortem ejus vel captionem, verum etiam totius Hispaniæ destructionem evenire metuebat. Solerti ergo studio, et prudenti industria, imperatorem parvulum a tanto belli periculo subducere curavit, et genitrici suæ reginæ dominæ Urracæ sanum et incolumem in forti castello Orzilione (quod

(72) Scilicet, Dominica 17 post Pentecosten, quæ anno 1110. incidit in die 25 Sept.

castrum est in Castello) restituit, seque in Astoricam civitatem recepit, ubi per triduum vulneratos in prælio, dispersosque collegit, factus communis omnium salutis portus, et singulare solatium. Post triduum vero cum omnibus quoscunque de prælio colligere potuit, ad Compostellanam S. Jacobi civitatem per magna reversus est itinera; quam non solum infortunato belli eventu audito graviter perturbatam invenit, verum etiam tota fere Gallæcia tantis jam cladibus bellicosisque fluctuationibus agitabatur, quod pene labefactata de salute desperaret. Omnes ergo Gallæciæ proceres episcopus convocavit, eosque firmis jusjurandi securitatibus compulit, ut reginæ, et filio ejus fidelitatem exhiberent et servitium, et ita Gallæciæ tranquillitatem reformavit et pacem.

CAPUT LXIX.

De infantatico inter Tamarim et Ulliam a regina B. Jacobo dato.

Regina autem suscepto filio suo Adefonso rege parvulo venienti, ut dictum est, de infelici prælio, quantam mentis lætitiam habuerit, regalium matres filiorum patentius quam scriptum notificare possunt; primum enim lætabatur quia filium receperat sanum, deinde quia se per eum Arragonensem tyrannum de regno eliminari posse non immerito sperabat. In Orzilione igitur forti et inexpugnabili munitione suum regina filium custodiendum tradidit. Relictisque cum eo fidelibus custodiis de primatibus terræ illius, ad Gallæciam proficisci disposuit. Ad asperos itaque Astures montesque lapidosos iter aggrediens, per Ovetum transitum fecit. Cumque ad Lucensem pervenisset civitatem, divina compunctione, ejus viscera sunt commota ad hoc ut causa pœnitentiæ B. Jacobi limina visitare satageret. Venit itaque Compostellam, et apostolicam ingrediens ecclesiam, inter fereas ipsius vestibuli januas et altare sanctissimum se prostravit in pavimento, et expandens manus, hujusmodi ad Dominum pio affectu fudit orationem: « Domine Jesu Christe, qui dispensatione patris cooperante Spiritu sancto perditum per prævaricationem primi parentis mundum proprio sanguine tuo restaurare dignatus es, te suppliciter exoro et deprecor, ut Hispaniæ regnum a patre meo A. feliciter obtentum, sed modo ipsius morte graviter desolatum, et tyrannidis schismate Arragonensis undique perturbatum, dulcissima apostoli tui Jacobi intercessione, cujus gloriosissimi corporis gleba in hoc præsenti loco venerabiliter requiescit, tu piissime Salvator noster, ei Domino cui jure pertinet concedere et pacificare digneris, quatenus fideles tui in eo tranquille manere valeant, et efficiantur idonei ad serviendum tibi, Deo vivo et vero per infinita sæcula sæculorum. » Cumque signo crucis facto, ab oratione surrexisset, venerandus ejusdem loci pontifex suorumque venerabiles clericorum personæ, ut eam decebat, susceperunt, et ad pontificalia palatia deduxerunt, ubi convenienter hospitata est. Sequenti vero die, divino afflata spiA ritu, cor habens in Domino contritum, et supplici devotione humiliatum pro sua totiusque regni salute, et pro suæ remedio animæ, suorumque parentum regalis in eadem civitate curtes, aliasque mansiones, quæ sui juris erant, et totum infantaticum quod inter Tamarim et Uliam, et quidquid ad regale jus pertinere videbatur, B. Jacobo, ejusque ministris charitativo affectu obtulit, et oblatum ad decus Ecclesiæ illius scripturæ privilegio confirmavit.

CAPUT LXX.

Domorum et hæreditatum nomina quæ dedit regina B. Jacobo.

Quas nimirum hæreditates, curtes, sive mansiones nominatim describendo describimus, scilicet illam curtem quæ fuit F. domini, regis; in illa Quintana, B quæ fuit Gundisalvi Adefonsidis, quatuor domos, scilicet duo solia, et duas casas terrenas, et in alio loco unam domum, quæ fuit majoris Didacidis, juxta illam Joannis Struaridis, et duo solia quæ habuit ex parte Froylæ Didacidis, et unam terrenam domum, quæ est in valle Milvorum, et aliam domum quæ est juxta domum Ariæ Didacidis, et illam villam de Siceranes, et unam villam de Erimar, et villam quæ vocatur Figueiro'a, et unum molendinum quod fuit de Novales. Similiter in terra de Pistomarcis de Regalengo Sanctum Vincentium de Sispalona, Trenonzum, Ferrarios (73) cum suis adjunctionibus, Sanderezum monumenta, villam novam de Masiti, Ramam hæreditatem de Odorio, Monumenta, Sarram, castrum de Malladas, Corronium, pratos de Domino. C Pepi, vincarias (74) Villafredi, Listas, Canales; in Nogia Verrimes de Jusano, iterum Villamfrancam, Lovium medium, in Auzonio suam rationem; in Alvariza unam tabulam de terra per suos mercos, in Pastoriza suam rationem, quartam de aquarios de Jusano, in Circites de Arum de sumptus, casa Ariæ Exemenidis, tertiam villam de Palatios, villam quæ vocatur Dara cum suis hominibus, in villiestro Figeirolam.

CAPUT LXXI.

De facultatibus thesauri datis reginæ.

Omnes has hæreditates superius prænotatas, quæ sunt inter Tamarim et Uliam cum hominibus ad regalengum, et ad infanticum pertinentibus, eidem Ecclesiæ non dissimili ratione contulit, quod factum universorum animos clericorum ad utilitatem reginæ D mirabiliter incenderat, et ad omnem ejus voluntatem juste exsequendam valde animaverat. Porro regina totum fere patris sui thesaurum in exercendo contra Arragonensem bello consumpserat, et ideo ad diuturnam expeditionem facultates ei sufficientes non erant. Quocirca communi canonicorum consultu, totiusque senatus decreto, visum est non deberi negari reginæ auxilium, sive consilium, quod ab eorum Ecclesia expostulasset. Ad debellandum itaque pessimum Hispaniæ vastatorem, et effugandum totius regni perturbatorem, de thesauro S. Jacobi centum uncias auri, et cc marcas argenti

(73) Alter codex, *Hispalona*, *Trevomum*.

(74) *F. Juncarias.*

reginæ postulanti spontanea voluntate præceperunt A dari.

CAPUT LXXII.

De obsidione Lupariæ et captione Ariæ Petriz, et ejus complicum.

Interea quindecim dierum Compostellæ regina moram faciens proceres Gallæciæ suamque curiam universaliter convocavit ad proximum Pascha quod futurum erat (*Die April.*). Protinus convenerunt undique optimates Gallæciæ, scilicet strenuus et fidelis comes P. et Muninus Pelagides, et Veremudus Petrides, et Rudericus Velea]es, et M. Gelmirides, et cæteri qui aliquos principatus vel dominium in Gallæcia obtinere videbantur : inter quos etiam adfuit Arias Petrides,qui profecto exstiterat princeps nefandæ proditionis, quæ apud Cas- B tellum Minei in dominum pontificem D. et in reginæ filium infantem A. (sicut supradictum est (*a cap.*49) doloso facta fuerat, et eodem tempore castrum Lupariæ fraudulenter usurpabat.Verum enim vero licet Arias infamis proditor esset, et tantæ contumaciæ et dolositatis, quod eum quispiam aut vix aut nunquam tolerare poterat,regina tamen prudens et modesta eum benigne suscipiens,honorifice tractabat. Sed quoniam solito feritatis turbine terebatur,et de perpetratis facinoribus meritas superbiæ suæ pœnas, cruciatusque non modice formidabat, et ejus infamia manifeste notabatur,timore perterritus et desperans sequenti nocte post Parascevem Compostellam furtim egressus est, et in Lupariam se recepit,reginæ suoque filio rebellaturus,et aliam C si posset proditionem facturus, quod protinus sub eadem nocte in matutinis in ecclesia nuntiatum est reginæ.Ipsa confestim accepto cum pontifice cæterisque nobilibus consilio, recte quidem statuit, et post Pascha Domini gloriose celebratum, superbiam Ariæ et fraudem prosternere unanimiter egrederentur. Altera ergo die Paschæ regina cum pontifice suoque exercitu egressa est, et Ariam proditorem et superbum in Luparia obsedit. Contumax itaque obsessus Arias nimio terrore percussus, furoris sui tumultu instabilis et trepidus de salute prorsus desperabat, et discretionem non habens, et ratione carens, quid ageret ignorabat. Tandem tetra suæ malignitatis caligine obcæcatus, suique oblitus, nullum pro se fœderis pactum, de sceleribus quæ D commiserat accipiens, se et castellum reginæ tradidit, et cum ea equitabat. At vero ejus complices, præfatæ proditionis participes,ut Ariam cum regina esse audierunt, existimantes eum, qui quasi caput eorum conjurationis existebat, aliquod salvationis suæ fœdus accepisset,convenerunt ad eum in curia, et locuti sunt.Cum autem nihil sibi utile invenissent, ob suarum infamiam et confusionem culparum abesse a curia summopere exoptabant, sed recedere non potuerunt ; jussit enim eos omnes regina capi, et tandiu ferreis vinctos teneri compedibus, donec universa quæ tenebant castella dimitterent.

CAPUT LXXIII.

De obsidione Astoricæ.

Susceptis ergo reginæ castellis a proditoribus perfidis in æra MCXLIX,congregavit exercitum Gallæciæ, et ad regem expugnandum Arragonensem profecta est,per gravia quidem itinera et laboriosos montes, frigidosque nivibus et glacie præteritæ hiemis,quæ anno illo asperrimæ inhorruerat, usque ad Astoricam civitatem perventum est. Dumque in eadem civitate pedites et mancipia reficerent, ea quæ in itinere debilitata fuerant,et viatica necessaria præpararent, communi consilio heroum suos regina nuntios pro Castellanis et Asturibus, cæterisque per Campaniam fidelibus suis direxit. Qui profecto audito reginæ præconio valde velociter convenerunt, et procedentes de castellis, sua in campis tentoria et papiliones posuerunt, non tamen statim directo tramite ad reginam devenerunt, et tendenderunt.

Inter hæc hostis impius Arragonensis innumerabilem exercitum latenter congregaverat. Convenerunt namque Najareni (75),et Burgenses. Palentini, Carrionenses, Cemorani, Legionenses, et qui de S. Facundo unanimiter exierant, quorum equidem corda diabolica persuasio ita stimulaverat ut eum qui sine lege fidei Christianæ atque justitia ætatem suam agere decreverat, prona voluntate sequerentur, ejusque jussionibus libenter obedirent. Has, inquam,omnes,aliamque turbam secum habebant, qui ob graves facinorum infamias homicidæ,malefici, fornicatores, adulteri, latrones, scelerosi, raptores, sacrilegi, incantatores, arioli, fures odiosi, apostatæ exsecrati,propria turpiter loca dimiserant, et ei tanquam omnium principi reorum inhæserant. Talium, ut dictum est, exercitu stipatus erat Arragonensis malignus,et ecce contra Astoricam proficiens ex improviso apparere viderunt inter fruteta montium cum ingenti turba militum quæ inter flumen Orbicum ab Astorica prospiciuntur ; et accedens prope civitatem, castra metatus est,et mansionem fecit : et quoniam fortes bello Gallicianos esse ad Fontem Angos, cum pauci essent, expertus erat, non audebant eos ad civitatem invadere,præsertim cum eorum gentem esse majorem quam tunc fuerat, certe cognovisset.

Missis ergo in Aragoniam legatis, CCC milites loricatos ex Aragonensibus Martinus Muniades ejus jussu adducebat,et eorum auxilio aut civitatem capere aut frequentes assultus in eam facere exspectabat.Verumtamen Castellani, quos in plano tentoria sua posuisse paulo superius memoravimus, audientes quod Aragonenses ad hostilem exercitum adjuvandum festinarent,confestim ad arma cucurrerunt,et veloces ascendentes equos,viam qua venturi erant security occuparunt.Cumque eos venire procul atrocibus oculis conspicerent,præ nimiæ pugnandi cupiditate,non modicum in semetipsis fre-

(75) Mss. *Nazareni* ; incolæ scilicet villæ tunc dictæ Nazara in Rivogia,nunc Najara ; qua de causa *Najereni* suffecti, ut in *Notitia previa*, num. 18, prænotavimus.

mentes, totam simul aciem in eos converterunt, et acutis leves equos urgentes calcaribus, et validis tenentes hastas lacertis, terribiliter eos aggressi sunt, et duris ictibus percutientes, subter clypeos et loricas hostium viscera effundebant. Vulnerati prosternuntur, et spolia impiorum diripiuntur. Arragonenses siquidem corruerunt, et captus est illico Martinus Muniades, et alii quam plures. Cæteri vero omnes, præter captos, et eos qui bello interierunt, in fugam conversi sunt, aut inter frutices occulti latuerunt. Quo audito Aragonensis efferus, vana quam exspectabat spe frustratus, et tanquam Herodes a Magis illusus, anxio metu trepidus, diffidentia et insomni cura fatigatus, venienti nocte clam ab obsidione furtim cum exercitu suo discessit, et in Carrionem aufugit.

Mane autem facto regina cum fidis Gallicianorum proceribus foras in planum egressa est suosque dirigens legatos, jussit ad se venire Castellanos et Astures, et quoscunque fideles sibi per Campos et Extrema (76) habere videbatur, et jam non in castellis seu civitatibus morabatur, sed in tabernaculis habitabat, et congregavit, exercitum magnum valde et fortem, et persecuta est crudelem regulum Arragonensem, castra sua et tentoria, suumque exercitum circumponens, eum Carrione obsedit, obsessumque diuturno tempore tenuit.

CAPUT LXXIV.

De pacis reformatione in Gallæcia ab episcopo.

Interea, Ecclesiæ B. Jacobi venerabilis episcopus ad propria remeavit; ille siquidem a supradicta expeditione Triacastella consilio reginæ omni umque Gallæciæ primatum discesserat, ut pacem et concordiam Gallæciæ reformaret, dum regina ad bellandum Arragonensem tyrannum properaret. Eodem tempore Pelagius Gudesteides, et Rabinatus Munides, postquam reginam Alpes transcedisse, et ad Gallæciæ partes non facile redditum esse facturam audierant, non modica itineris parte profligata, ad castella sua reversi sunt, et qualiter reginæ Urracæ et filio suo parvulo regi Adefonso, quem supradictus episcopus in ecclesia B. Jacobi in regem unxerat, rebellare possent, machinati sunt. Deinde Ariam Petridem, et P. Aridem, et Oduarium Ordonidem, et complices suos adeunt. Illi siquidem ob supradictam in pontificem dominum Didacum et in reginæ filium, parvulum regem A. proditionem, a regina capti et catenati fuerant, et in reginæ manu obsidibus positis, et omnibus municipiis suis datis, exsules ad portus et extremos Gallæciæ fines confugerant; cum quibus P. et Gusdesteides, R. Munides consilium ineuntes de regni perturbatione tractant. Heu miseri! Jusjurandum quod reginæ et filio ejus regi A. fecerant, floccipendunt. Condunato igitur utrinque exercitu Deciam, Taberiolos, et omnes aliusterras invaserunt, et circumcirca depopulando, totam terram, quæ inter Minium et Uliam jacet, præter castellum Lupariæ, impetu tyrannidis suæ sibi vindicarunt, et nobiles atque agrestes domino suo, id est Arragonensi tyranno, quem nefanda manu sibi dominum elegerant, fore fideles juramento astrinxerunt.

Supradictus vero episcopus postquam proditorum efferam rabiem pullulasse cognovit, nimio dolore compunctus, audacter tamen prudenti fretus consilio, magnum exercitum conglomerat, et illos quanquam innumera acie bellatorum stipatos, ire perditum properat; noverat enim quod qui percutit malos in eo quod mali sunt, minister Dei est. Verum enim vero perditissimi proditores sui reatus conscii, audito pontificis adventu dispergatur; pars illorum scilicet P. Gudesteides et R. Nunides cum militibus suis ad munita castella confugiunt. Pars, quibus Arias Petrides, et P. Arides cum prælatæ proditionis participibus præerant, Castellorum munitione tuerunt. Præsul itaque, utpote vir summæ prudentiæ, quidquid illi acquisierunt, ad reginæ favorem convertit, et deleto priori juramento, homines prædictæ conjurationis jurare fecit, ut fideles forent Urracæ reginæ, et filio ejus parvulo regi Adefonso, ejusdem episcopi filiolo, et ab eodem postquam illum abstraxit a captione A. Petride, et Petri Aride, et Oduarii Ordonide, in regem consecrato. Expulsis, fugatisque hostibus, idem episcopus pacem restituit, et ne illi redire præsumerent, maximam partem suorum militum ad protegendas terras illas dimisit,

CAPUT LXXV.

Preces reginæ ad episcopum pro obsidione Castellorum rebellium.

Post hæc, aliquanto tempore transacto, regina Urraca supradicto tutori litteras in hæc verba misit. « Reverendissimo et sanctissimo Domino Didaco, Ecclesiæ B. Jacobi episcopo regina Urraca, salutem. Qualiter equidem vestræ virtutis gratia, vestra prudentia Gallæciæ regnum defenderitis, et qualiter P. Gudesteidem, et Rabinadum Nunidem, et A. Petridem, et alios proditores a regno meo et a regno filii mei regis A. quod sibi usurpabant expuleritis, qualiter pacem et tranquillitatem, expulsis proditoribus Gallæciæ, restitueritis, quot et quanta mala pro regni mei tuitione ex quo a vobis discessi sustineritis, mihi in propatulo claruit, unde omnipotenti Deo, et B. Jacobo, et vobis summas grates refero, et referendo pro tam reverendo tutore gaudeo. De cætero autem clementiam vestram suppliciter exoro, et prudentiam vestram summopere efflagito, ut castellum S. Pelagii de Luto, et Daravum, et cætera quæ sunt Pelagii Godesteide, et Rabinati Nunide, et aliorum nefariorum refugium obsessum eatis, quod si, Deo annuente, et B. Jacobo intercedente, hostes ab illis castellis expellere, et ea debellando capere valueritis, prout

(76) Olim *Extrema*, et *Extremitas* ab extremis Durii partibus ad ortum fluminis et ad oram Australem (cujus Secobia caput). Vide cap. 117. Nunc *Extremadura* a Salmantica in Emeritam, et ultra fluvium Anam.

melius prudentiæ vestræ visum fuerit, vel ea vobis retineatis, vel qui ad opus mei et filii mei parvuli regis A., fideliter custodiant, ea quibusdam primatum meorum detis. Valete, et quantocius potueritis supradicta ad effectum perducite. »

Igitur hæc audiens supradictus patriæ clypeus, id est Ecclesiæ B. Jacobi venerabilis episcopus, protinus edictum dedit, ne quispiam integræ ætatis aut virilis animi in suo principatu ab expeditione se retraheret. Dedit etiam fratri suo M. Gelmiride quoddam castellum, ut auxilium sibi præberet, deinde innumera acie equitum, atque peditum coadunata, ad exstirpandam flagitiosiorum rabiem, et ad supradicta castella debellanda, quantocius properat. Prius tamen edicens atque præcipiens ut Irienses, et quicunque in honore B. Jacobi Oceani maris littora incolebant, aptata classe ad eamdem obsidionem tenderent, ut castellum S. Pelagii de Luto, quod in littore maris positum, hinc situ, illinc impulsu maris munitum habebatur, undique obsidione clauderetur. Igitur Irienses audito domini sui edicto atque præcepto, haud mora classem ex more aptant, armis et quibusque necessariis naves suas onerant, et præter castellum Honesti remigantes homines de S. Maria de Lanchata, adeunt; ii etenim ejusdem artis periti in littore maris se sedebant, et in navali exercitio studere soliti erant. Itaque Irienses densata manu juvenum incœptum iter aggredientes se alto committunt, statuque secundo ad injunctam obsidionem tendunt.

CAPUT LXXVI.

De piratis Angliæ.

Eodem tempore P. Godesteides, et R. Nunides piratas pretio conductos sibi in auxilium assumpserant, qui ab Angliæ partibus venientes causa adeundi Hierosolymam, Hesperiam attigerant, et hac de causa eos sibi assumpserant, ut illorum auxilio muniti, ipsi adjacentes partes deprædando et depopulando inquietarent, et Anglici piratæ, utpote gens nullius pietatis melle condita, et remota et mari finitima pesundarent, et atrocitatis suæ rabiem exercerent, quod haud aliter accidit; equidem Anglici ex improviso, cursu velifero maris confinia invadentes, hos trucidabant, illos denudantes, omnibus bonis suis privabant, alios, ac si essent Moabitæ, captos et catenatos ad redemptionem cogebant, quin etiam nimia pecuniæ cupiditate obcæcati (proh nefas!), D ecclesias violabant, tantique sacrilegii rei quæcunque necessaria ibi inventa, et etiam homines, inde abstrahebant. Sed B. Jacobi intercessio a nefanda gente provinciam suam pesundari et depopulari haud impune permisit, tantumque nefas non inultum remanere voluit.

Interea dum Irienses nautæ, virique qui de S. Maria de Lanchata venerant, ut ad supradictam obsidionem tenderent, forte prædicti prædones solito more ad prædam venerant, et destructa quadam ecclesia, spolia ad classem comportabant; quos ubi Irienses cæterique in quadam a se remota parte A littoris viderunt, procul dubio Anglicos piratas fore arbitrati sunt; post hæc arma capiebant, scuta, gladios, tela aptabant, et ad bella alacriter properabant, nec tamen a remigis officio cessabant. Anglici quoque eadem faciebant, sed impediente reatu, aut ad armandum, aut ad remigandum, vix illis tempus sufficiebat: quid plura? Bellum utrinque exoritur; tela ad instar grandinis mittuntur, et maxime lapidibus quos ad hoc in carinis ferebant, bellum geritur. Denique Irienses, et homines de S. Maria de Lanchata, auxiliante B. Jacobo, acrius in hostes insurgunt, et celeri saltu hostium naves conscendunt. Igitur hos telis transverberant, hos lapidibus obruunt illos junctis manibus post terga vivere permittunt, et ingredientes Anglicorum piratarum biremem et B alias duas naves quas Pelagius Godesteides, et Rabinatus Nunides Anglicis in auxilium dederant, inceptum iter peragunt, tantoque triumpho lætantes, captivos secum ducunt, et ad supradictam obsidionem tendunt, quæ postquam ad aures domini sui, scilicet Ecclesiæ B. Jacobi venerabilis episcopi, uti gesta fuerant, pervenerunt, magno gavisus gaudio, omnipotenti Deo summas grates tradidit, qui provinciam apostoli sui Jacobi a malignis prædonibus defendere et protegere dignatus est. Cum autem prædicti victores se littori applicuissent, episcopus videns Anglicos captos, flentes, et ejulantes, paterna pietate compunctus, misericordia motus est: habebat enim in thesauro memoriæ scriptum: « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*Matth.* v), » etc. Tunc allocutus est nautas suos, ita C dicens: « Fratres, scitis quintam partem omnium quæ in hac victoria, Deo juvante, adepti estis, ad me jure pertinere, quæ quanquam plura et pretiosa sint, nihil tamen a vobis accipere volo, sed tantummodo captivos in portionem meam mihi date. » Hoc autem dicebat volens illos a vinculis solvere, et a captivitatis jugo eruere. Acceptis itaque in portionem captivis, ipse episcopus eos juramento astrinxit, ne amplius Christianorum inquietatores essent, aut tale quid quod superius dictum est, in Christianos facere præsumerent, sicque solvens eos a vinculis liberos abire permisit.

CAPUT LXXVII.

De obsidione S. Pelagii de Luto, et de deditione, et de Dararo.

Interea castellum S. Pelagii de Luto obsidetur, et hinc ingenti tumultu bellatorum, illinc navali prælio circumdatur. Tunc supradictus episcopus quasdam cohortes, tam peditum, quam equitum elegit, eisque præcepit ut properanter euntes, Daravum obsiderent, in quo R. Nunides cum turba proditorum latitabat. Ipse vero cum innumero exercitu prædictæ obsidioni interfuit. Obsesso igitur utroque castello tormenta componuntur, ballista, cæteraque machinamenta ad debellanda castella eriguntur; sed turba rebellantium, quæ in castello S. Pelagii de Luto residebat, postquam videt pontificis constantiam ab incepto minime desistere, et propositum ad effectum

velle perducere, et se ei posse resistere desperat, A omnia sua in præcipitio posita considerat; jam terretur, jam deditionem pollicetur. Quid multis moror? Tanto tumultu bellorum stupefacti nimioque terrore concussi, castellum pontifici reddiderunt. Eadem die qua castellum S. Pelagii de Luto Domino Didaco Ecclesiæ B. Jacobi venerabili episcopo datum est, R. Numides, audiens suorum complicum deditionem, timuit ne totius belli tumultus in se ot in sua verteretur. Quapropter castrum Daravum, scilicet spem et fiduciam suam, episcopi militibus, qui ut superius diximus illud obsederant, reddidit. Facta itaque utriusque castellii deditione, episcopus et quibusdam primatibus commendavit, qui ad opus reginæ U. et filii sui parvuli regis A. ejusdem episcopi filioli, et fideliter tenerent, et tenendo protegerent. B Quæ postquam prædicti proditores, scilicet, A. Petrides, et P. Arides, et cæteri audierunt (etenim in montibus latitantes, et illorum debellatorum auxilio confidentes ex integro Gallæciam inquietare disposuerant), audito tali rumore, frustrata spe confusi et perterriti ad Portus Gallæciæ confugerunt. Tandem fugatis exstirpatisque supradictis proditoribus, acquisitis, munitisque castellis, venerabilis episcopus cum gaudio et lætitia ad propria reversus est, auxiliante Domino notro Jesu Christo, cui est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT LXXVIII.

De prudentia episcopi.

Postquam supradictus episcopus supradictorum proditorum rabiem sedavit, et eorum municipia obsidione cepit, ad ecclesiam patroni sui B. Jacobi apostoli rediens, circa eam indefessam sollicitudinem exhibuit. C Licet enim tot et tantis negotiis, ut superius dictum est, præpediretur, et pro pace reformanda multiplici curarum tumultu detineretur, nihilominus tamen in Ecclesiæ cultu usquequaque desudabat, et ad ecclesiasticarum rerum exaltationem tota mentis affectione anhelabat.

Reversus itaque a supradicta expositione, vetustissimam ecclesiolam obrui præcepit, quæ intra immensam novæ ecclesiæ capacitatem imminente ruina lapsum minabatur. Hæc in longitudinem ad altare B. Jacobi protendebatur ab illo pilari qui juxta principalem ecclesiæ parietem, et secus unum de quatuor principalibus pilaribus existit, in sinistra parte superiorem partem chori ingredientibus pone D relinquitur, et juxta fores pontificalis palatii ecclesiam introeuntibus, recta fronte opponitur, et in alia parte, id est in dextera, a pilari opposito supradicto pilari usque ad idem altare; latitudo vero illius eadem quo modo et chori est. Destructa illa ecclesia in æra I. C. L. quæ quasi obumbraculum totius ecclesiæ esse videbatur, chorum satis competentem ibidem composuit, qui usque in hodiernum diem Dei gratia et B. Jacobi per industriam ejusdem episcopi optimi cleri excellentia egregie decoratur. Ipse quoque episcopus, utpote sapiens architectus, in ejusdem chori dextro capite fecit supereminens pulpitum, in quo cantores atque subdiacones officii sui ordinem peragunt. In sinistro vero aliud, ubi lectiones et Evangelia leguntur. Est autem B. Jacobi specialis et præclara nova ecclesia incœpta æra I. C. XVI. (77) V. Idus Jul. (an. 1878).

CAPUT LXXIX.

De adventu Clusensis abbatis in Hispaniam.

Interea prædictus episcopus, videns discordiæ tumultum magis magisque multiplicari, et Arragonensem tyrannum feritatis suæ impetu fere totam Hispaniam depopulari pro totius patriæ pace sollicitus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifici iterum iterumque litteras miserat, admonens et deprecans eum, ut ipse qui totius orbis dominium tenebat, totiusque Christianitatis pastor et rector erat, Occidentalibus partibus nimiæ discordiæ tumultu perturbatis consilium suum porrigeret, scilicet quempiam de cardinalibus suis, seu aliam ecclesiastici gradus venerabilem personam illud mitteret qui utrobique examinata norma justitiæ, aut belligerum Arragonensem ad pacis fœdera invitaret, aut renuentem anathematis gladio perculeret. Præter hæc ostendens ei quæ et qualia prædictus Arragonensis in eisdem partibus ambitione regni fecisset, quot et quanta mala tyrannidis rabie succensus Hispaniæ intulisset, videlicet divina et humana ab eo audacter temerata, Hispaniarum Ecclesias graviter conturbatas, ecclesiarum thesauros violenter direptos, et earum hæreditates et prædia distracta duces, omnesque Iberiæ heroes, alios ab eodem vinculis ferreisque catenis astrictos, alios gladio peremptos, pauperes ferro, fame, frigore, morti deditos, ipsos sacerdotes Domini, ipsos Ecclesiarum magistros episcopos tanquam fures, et latrones captos, et a sedibus suis expulsos, diversisque contumeliis afflictos. Venerabilem quoque virum Toletanum archiepiscopum et Romanæ Ecclesiæ legatum, ab eodem graviter inquietatum, et a diœcesi sua per biennium expulsum, episcopum Palentinum proditione, atque Oxomensem captos, Burgensem et Legionensem expulsos, abbatem S. Facundi a cœnobio suo abstractum. Præterea tantam Ecclesiæ persecutionem, tantam in Hispania attritionem, quantam nec Sarraceni, si sui juris esset, ei intulissent,

His igitur atque aliis Romanus pontifex a Compostellanæ sedis episcopo multoties suppliciter admonitus venerabilem personam scilicet Clusensem (78) abbatem ad Hispanos misit. Qui ab eodem legis magistro litteras secum attulit, quatenus omnes Hispaniarum pontifices usque ad proximam B. Mariæ festivitatem ad præsentiam ipsius papæ convenirent et Arragonensis regis et nobilis reginæ U. nuntios secum ducerent, ut utriusque causa plenius indagata, tantis cladibus, Deo auxiliante, finis imponeretur, et Hispaniæ finibus pax et tranquillitas

(77) Si æram cum dicendis lib. III. c. 1, conferas, non XVI, sed XX, leges, nempe anno 1082, non 1078

(78) Clusensem, non Cluniacensem. Est autem Clusa abbatia Taurinensis diœcesis.

reformatur. Ecclesiæ vero B. Jacobi supradictum episcopum idem venerabilis Pater ab hoc conventu cessare præcepit: noverat enim illum totius patriæ esse firmissimum clypeum, et infinita cura pro patriæ tuitione et pacis reformatione sese contra hostes inexpugnabilem opponere murum, et ob hoc Arragonensem tyrannum ei per nimium inimicari, et si posset, tota mentis intentione illi muscipulam velle machinari. Heu miser Arragonensis! In mentis promptuario non habebat quod « qui foveam fodit proximo suo, in illam decidet, et qui statuit lapidem proximo, ostendit se in eo (*Eccli.* xxvii, xxix). » Et alibi : « Nolite tangere christos meos, etc. (*Psal.* CIV). »

Supradictus itaque abbas Clusensis occidentales partes ingrediens, et multo plura et nefandiora quam quod audierat videt, totamque Hispaniam discordiæ stimulo perturbatam invenit. Tunc impium Arragonensem adiit, atque illi ex auctoritate B. Petri apostoli, et S. Romanæ Ecclesiæ, et ejusdem apostolicæ sedis pontificis, uti sibi injunctum fuerat, interdixit, ne deinceps ad consanguineæ suæ illicitam copulationem rediret, et ne Hispaniæ regnum fetitatis suæ turbine amplius inquietare præsumeret, quod nobilissimus rex A. persolvens jura naturæ, filiæ suæ U. reginæ et nepoti suo parvulo regi A. dederat; quod si aliquid horum facere renueret, anathematis gladio succumberet. Quid igitur ille? Nempe quod scriptum est : « In malevolam animam non intrabit sapientia (*Sap.* I). Deinde idem abbas U. reginam adiit, atque illi eadem retulit. Illa vero prout eam decuit, congrue respondit : « Post obitum patris sui regis A. Aragonensem tyrannum ad regnum suum convolasse, et ne Hispaniæ regnum tanto rege nuper desolatum aliquo discordiæ tumultu fluctuaret Hiberos proceres se ad illius connubii unionem invitam coegisse; quocirca eum fas et leges talia prohibeant, Romanæ auctoritati satisfacere non repugnabat; noverat enim quod sub spe pœnitentiæ Deum offendere, et pœnitentiæ aditum denegare. Præterea Clusensis abbas litteras a Romano pontifice directas Hispaniarum episcopis tradidit, et eos ad supradictam synodum tempore determinato invitavit, ut de regis et reginæ negotio, et de pacis atque concordiæ colloquio in præsentia ipsius papæ plenius tractarent.

Quod idem abbas Gallæciam adiit, et a prædicto episcopo concilium accepit.

His ita dispositis, abbas ad Gallæciæ partes proficiscitur; et per angustas et asperas fauces montium Gallæciam ingreditur. Tandem ad apostolicam civitatem Compostellam pervenit, et ab ejusdem luci pontifice honorofice susceptus est. Et quia Clusensis abbas venerabilem Ecclesiæ B. Jacobi episcopum prudentiæ profluum fontem habere noverat, et cum firmissimum patriæ clypeum, insuper justitiæ cultorem atque pacis amatorem esse sciebat, et pacis fœdera si quoquomodo possent fieri, maxime per ipsum restitui, non immerito existimabat, ab eo se enucleari summopere expostulavit totius rei seriem et inter impium Aragonensem et reginam U. nobilis regis A. filiam totius discordiæ causas, quæ et qualia idem Aragonensis in occidentali plaga fecisset, et quomodo pax et concordia, extirpata discordiæ lepra, Hispaniæ reformari posset.

Ad hæc venerabilis episcopus tales fertur dedisse responsum : « Et quidem venerabilissime frater, in temporibus nobilissimi regis A. Hispaniæ regnum divitiarum gloria, et non modica fertilitate nimium et plus quam nimium floruit, et illo regnante pax, fides, leges, jura viguerunt; quo defuncto postquam A. rex Arragonensis in illicitum ruens consanguineam suam U. reginam prædicti regis A. filiam in matrimonium sumpsit, omnia supradicta in contraria conversa sunt. Quid enim referam Hispanorum procerum gloriam in laborem et ærumnam conversam, et pauperes fame, nuditate omnique calamitate oppressos? Quid referam Hispaniarum ecclesias ab illo Aragonensi violatas et destructas, divina et humana ab eodem temerata? Quid referam Toletanum metropolitanum, venerabilissimum virum, et Romanæ Ecclesiæ legatum, et expulsum et captum (proh nefas!), insuper Oxomensem, Palentinum, Auriensem insuper captos, Legionensem, Burgensem, et etiam ecclesiæ S. Facundi abbatem expulsos, et diversis contumeliis deshonestates? Quid plura? Illius violentia leges, justitia discesserunt, fraus perjuria, et cætera hujusmodi subierunt. Unde omnipotentem Deum suppliciter deprecemur, et B. Jacobo tota mentis devotione supplicemus, ut finem tot et tantis malis dignetur imponere, et Hispaniam de ore cruentuli leonis eruere, et quandoquidem inter supradictum Arragoniæ regem ut reginam C. consanguineam suam dissidium et discordia habetur, et ad invicem, ut fieri justum est, separentur; tutis viribus animi et corporis niti et resistere debemus ne amplius inter eos illicitæ copulationis concordia fiat. Utique nostrum est adhoc pluribus de causis elaborare. Si enim illum illicitum connubium Arragonensis lupi et nostræ reginæ U. (quod absit!) consolidatam fuerit, procul dubio illicitæ copulationis horrendum facinus amodo occidentis partibus auctores illos sequendo inolebit, et sancta mater Ecclesia fundo tenus evelletur, et destruetur. Proh dolor! ministri Domini pluribus et intolerabilibus contumeliis opprimentur, principes, duces, omnesque Hispaniarum proceres in contumeliam redigentur. Denique Arragonensi tyranno in Hispania regnante pax et concordia prorsus effugabuntur. Qua in re, venerabilissime frater, quem mater nostra sancta Romana Ecclesia ad hoc diffiniendum et discutiendum misit, regem illum Arragonensem hortare, et hortando compelle, ut consanguinitatis reatu se amplius pellui pertimescat, ut Hispaniæ regnum, quod nobilissimus rex A. dum adhuc viveret, filiæ suæ reginæ U. et nepoti suo parvulo regi A. ejusdem reginæ filio tradidit, inquietare desistat; sua habeat, aliena relinquat. Quod si renuerit, a liminibus sanctæ ecclesiæ

et consortio omnium Christianorum segregetur. His auditis, Clusensis abbas pontificis prudentiam nimium collaudavit, acceptoque ab eo consilio, ab apostolica urbe discessit.

CAPUT LXXX.

De reconciliatione regis Aragonensis, et reginæ, et de discidio.

Eodem tempore Aragonensis tyrannus, et regina Urraca, simulato iterum nomine pacis fœdera concordiæ inter se composuerunt, ut alter ab altero Castella et munitiones quadam argumentosa machinatione abstraherent. Verumtamen illi subdolæ concordatione interfuerant, duces principes. Burgenses, Najarei, Carrionenses, Palentini, Legionenses, et alii quamplures, quorum maxima pars firma jusjurandi catena sibi alligata est hac conditione, ut si rex Aragonensis U. reginam, ut solitus fuerat, injuriaret, et rumpendo fœdera pacis pactum inter se et ipsam reginam stabilitum transgredi videretur, supradicti proceres, atque omnes alii parti reginæ faverent, et illius injurias unanimiter ulcisci non differrent; insuper castella, oppida, atque omnes suas munitiones in manu reginæ traderent et mendacem atque perjurum Aragonensem regem a regno expellerent. Quod si regina in illum injuriosa foret, e converso res in contraria verteretur. Verum enimvero ferox Aragonensis fraudis suæ laqueos diu celare non valuit, et quæcunque potuit castella, municipia, fraude sua reginæ abstulit. Tandem rupto fœdere eam de regno suo expellere voluit. Igitur Burgenses, Najarei, Carrionenses, Legionenses, atque alii Hispaniæ proceres apud S. Facundum ad supradictum Arragonensem conveniunt, et ei quod prius diffinitum pactum transgrederetur, et reginam omnino injuriaret, ostendunt. Ille autem multiplices rationes prætendens, et de crastino in crastinum argumentosis verbis rem differens, per suæ fraudis effectum fœdera rupisse ab omnibus comprobatum est, et resipiscere nolens, a S. Facundo furtim, quasi fugiens discessit. Tunc omnes qui in S. Facundum ad discutiendas supradictas injurias venerant, castella, oppida, et omnes munitiones suas reginæ illico tradiderunt, et dominæ suæ domini sui nobilissimi regis A. filiæ congratulati sunt. Verumtamen quanquam discordiæ tumultus supradicti tyranni absentia nimium suffocaretur, Hispaniam tamen in magna parte sui inquietabat. Discedens et enim supradictus Arragonensis in castellis et munitionibus, quæ prius habuerat, vel postea a regina abstraxerat, milites suos reliquerat, qui partes sibi adjacentes inquietantes devastabant, et depopulabantur et circumcirca hostiliter deprædabantur.

CAPUT LXXXI.

De electione Munionis Minduniensis episcopi, et Hugonis Portugalensis.

In temporibus domini Didaci, Ecclesiæ B. Jacobi admodum reverendi episcopi, de quo superius tractavimus, ejusdem apostoli Ecclesia canonicorum senatu feliciter floruit, et clericorum venerabili conventu claruit. Illam nimirum Ecclesiam super omnes Hispaniarum Ecclesias in excellentia cleri, in personarum venustate, dignum erat coruscare, quæ totius Occidentis parte B. Jacobi apostoli præsentia irradiabat. Verumtamen, si fas est de veris vera prædicare, idem supradictus episcopus patroni sui apostolicam Ecclesiam canonicorum dispositione, optimorum clericorum lampade decoravit. Postquam enim ad pontificatus honorem, annuente Deo, in Ecclesia supradicti apostoli sublimatus est, clericos ibi degentes tanquam bruta animalia vomere disciplinæ excoluit, honestate morum ornavit, jugali asperitate depressos, scholatum studio desudare compulit. Præterea non solum illos ab ignorantiæ tenebris extraxit verum etiam unumquemque, prout merebatur, ad honoris fastigium sublimando ecclesiasticis facultatibus ubertim ditavit. Quid plura? Supradictus paterfamilias vineam sibi traditam prudenter excoluit, et de commissis talentis Domino suo lucrum reportare curavit.

Et quoniam B. Jacobo Ecclesiæ suæ filios exaltari placuit, duo de canonicis, quos supradictus episcopus educaverant, ad pontificatus culmen conscenderunt. Alter quorum Hugo, scilicet S. Jacobi archidiaconus, in Portugalensi sede; alter vero, Munio scilicet Adefonsiades, ejusdem Ecclesiæ thesaurarius, in Minduniensi sublimatus est. Facta utriusque electione dominus Mauritius Bracharensis archiepiscopus eorum consecrationem. Tude fieri disposuit. Post hæc Ecclesiæ B. Jacobi episcopum ad eamdem consecrationem venire rogavit; hi etenim quos consecraturus erat, ejus præcordiales filii erant, et ipsum nimio dilectionis vinculo invicem amplectebantur. Quippe archiepiscopus, S. Jacobi canonicus erat, et ab eodem episcopo commoda atque præstamina recipiebat, videlicet medium Bracharæ, et medium Cornelianæ cum appendiciis suis, quod est de regali jure, et ad S. Jacobi episcopum pertinet. Quod vero canonicorum S. Jacobi est, archiepiscopo minime commissum est. Ea utique Ecclesiæ B. Jacobi venerabilis episcopus summæ dilectionis gratia compunctus, Bracarensi archiepiscopo, scilicet ipsius venerabili personæ, non tamen Ecclesiæ ejus, ad tempus pro feudo commiserat, quæ quando vellet reacciperet, et sua ad se redire faceret.

De Bracarensi archiepiscopo.

Hoc scriptum fecit Mauritius Bracarensis archiepiscopus prædicto sancti Jacobi episcopo in Tudensi civitate, quando accepit ab eo præstimonium quod inferius scriptum est æra I. C. XLVII (79), et quot XVI Kal. Octobris. Ego Mauritius, Bracharensis Ecclesiæ archiepiscopus de manu amici et confratris nostri Domini Didaci II venerabilis Compostellanæ Ecclesiæ episcopi suscipio in præstimonium, sive feudum, medietatem possessionum et hæreditatum quas habet Ecclesia Sancti Jacobi, in Portugalensi terra a flumine Limiæ usque ad Dorium, scilicet

(79) Anno 1109. Vide Tom. præc. in Vita D. Gelmirez, num. 63.

medietatem ecclesiæ sanctorum Victoris et Fructuosi cum omnibus appendiciis suis, et medietatem villæ quæ vocatur Corneliana, cum omnibus ad eam pertinentibus, et cæterarum villarum quæ ad præfatam B. Jacobi ecclesiam pertinere dignoscuntur, ut teneam ab eo, et possideam et quando ipse recipere voluerit, et vel ecclesiæ sancti Jacobi quiete dimittam, vel restituam.

Ego Mauritius archiepiscopus præfatus manu mea conf. Qui præsentes fuerunt: Hugo archidiaconus sancti Jacobi conf. Munio Adefonsi ejusdem loci thesaurarius conf. Petrus Didaci canonicus sancti Jacobi conf. Vimara Bracarensis Ecclesiæ prior et archidiaconus conf. Bernardus ejusdem Ecclesiæ magister conf. Ego Didacus II, licet indignus Ecclesiæ B. Jacobi episc. confirmo manu mea. Munio Gomez archidiaconus notarius conf.

CAPUT LXXXII.

De ordinatione prædictorum electorum.

Omnia autem hæc apostolicæ sedis episcopus absque consensu et consilio canonicorum suorum archiepiscopo dederat; quapropter pro irrito haberi poterat. Verum enimvero prædictus episcopus ad determinatum locum nullatenus ire præsumpsit, tum quia hiems asperior solito inhorruerat, tum quia totam Gallæciam, discordiæ tumultu turbatam, considerabat, et metuebat ne in itinere, aut se, aut suos rebelles atque proditores Gallæciæ dedecorare, aut inquietare præsumerent. Misit itaque illuc cum supradictis electis quosdam de canonicis suis, scilicet egregias atque venerabiles personas, qui et electos honorifice comitarentur, et archiepiscopo causam suæ absentiæ penitus intimarent. Archiepiscopus vero audita pontificis absentia supradictis de causis propius accedens, ad Lercensem ecclesiam (80) quæ est diocesis B. Jacobi, venire non renuit, et ad pontificem legatos misit, ne benignitas sua futuræ consecrationi interesse recusaret, præsertim cum et ipse diuturnæ infirmitatis dolore, quam passus erat, contractus et debilitatus, per ardua montium, per concava vallium a Bracarensi sede ad Lercensem ecclesiam accessisset et eum toto mentis affectu videre desideraret, ut cum illo de discordiæ remotione, de pacis reformatione, de Ecclesiarum tranquillitate plenius pertractaret. Ingruente siquidem discordia non modico tempore jam transacto pontifices nec ad celebranda concilia convenire, nec etiam suas proprias diœceses secure visitare audebant. Si enim hoc satagerent, proditores, flagitiosi, perjuri atque alii Aragonensis tyranni sectam edocti (quod nequaquam dignum est relatu), in ministros Christi, si possent, manus injicerent. Attamen apostolicæ sedis venerabilis episcopus fratris sui Bracarensis archiepiscopi audito proprius accessu, a canonicis suis super hoc negotio consilium accepit, et iter aggreditur: tandem ad Lercensem ecclesiam pervenit, cujus adventui archiepiscopus maxime congratulatus est.

In eadem die, id est in Sabbato ante Dominicam de Passione Domini, qua sancti Jacobi episcopus Lercium ingressus est, archiepiscopus missam celebravit, dominum Hugonem archidiaconum ad presbyterii gradum sublimavit. Sequenti die, scilicet Dominica de Passione Domini, in Lercensem ecclesiam sancti Jacobi canonici convenerunt, videlicet supradictus episcopus canonicorum Pater et canonicus, Bracarensis archiepiscopus, Auriensis episcopus atque Tudensis, Mindunlensis electus, atque Portugalensis. Hi omnes Ecclesiæ B. Jacobi apostoli canonici erant, necnon alii venerabiles canonici. Papæ, quanta et quam reverenda lampade sancti Jacobi canonicorum Lercensis Ecclesia resplenduit, quæ in illa die tantum memoriale adepta est! Post hæc archiepiscopus missam solemniter celebravit, et supradictis episcopis astantibus prædictos electos his quæ ad rem pertinebant sufficienter indagatis consecravit. Celebrata missa apostolicæ sedis episcopus quod jam rus suum scilicet Geogildum in cujusdam vallis amœnitate situm prope Lercium repetivit, et Auriensem præsulem secum adduxit. In Lercensi vero Ecclesia archiepiscopum cum utroque episcopo modo ad episcopatus dignitatem provecto, et aliis quoscunque vellet accuratissime procurari præcepit; ipse etenim bene noverat. « Hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX). » In ipsa die archiepiscopus et Ecclesiæ sancti Jacobi episcopus consilium ineuntes de pacis fœdere, de Ecclesiarum utilitate, de his etiam quæ ad Auriensem, vel ad Tudensem diœcesim pertinebant, pro quibus inter utriusque sedis episcopum dissentio erat, diu pertractaverunt.

Alia vero die B. Jacobi episcopus Compostellam redire non distulit, et cum eo Auriensis, Mindunlensis, atque Portugalensis episcopi. Cumque ad milliarium ex quo Compostellanæ civitatis situs prospicitur, pervenirent, venerabilis Pater quosdam præire jubet, qui apostolicæ sedis clero pontificum adventu notificarent. Ingrediente igitur supradicto patrono apostolicam urbem, universa civitas occurrit, parvi siquidem pueri, juvenes, viri, senes, virgines, conjugatæ, matronæ, ad spectaculum conveniebant, ut canonicos sancti Jacobi ab infantiæ rudimentis secum educatos, et jam ad pontificatus culmen provectos, viderent. Ipsum quoque pastorem suum Deo gratias et B. Jacobo referentes magnificabant, qui erga filios suos tam studiose, atque tam obnixe paternam dilectionem exhibebat, ut eos ad honoris culmen sublimaret. Postquam ad ecclesiam B. Jacobi apostoli pervenerunt, canonici superpelliciis et sericeis cappis superinduti, universæque civitatis clerus cum processione eos susceperunt, et usque ad ferreas januas altari responsorium cantando cum summa veneratione deduxerunt. Nempe sui Patris reverenda prudentia ita fieri et disposuerat et præceperat. Post hæc quia erat festivitas Annuntiationis sanctæ Mariæ dominus Hugo Portugalensis epi-

(80) Hodie *Lerez.*

scopus et ecclesiæ Sancti Jacobi archidiaconus super ejusdem apostoli altare missam venerabiliter celebravit. Ipse equidem nuper,ut superius diximus,ad presbyterii gradum, et ad pontificii culmen ascenderat, et dignitatis suæ primitias cum summa gratiarum actione benignissimo Patri suo B. Jacobo non immerito offerebat, qui eum ad tantam honoris celsitudinem provehi dignatus fuerat. O quanta et quam magnifica B. apostoli clementia, qui filios suos tam gloriosæ tamque feliciter beatificando sublimat ! O quantum Ecclesiam suam apostolus decoravit ! quantum et quam memorabile decus Ecclesiæ suæ contulit,cum duos de canonicis suis in eadem die ad pontificatus honorem sublimavit ! Nos ergo,dilectissimi fratres, omnipotenti Deo supplicemus, et B. Jacobi apostoli clementiam efflagitemus, ut sedis suæ idoneum pastorem et supradictos episcopos feliciter regere et custodire dignetur, et de virtute in virtutem ascendere faciat ; et qui illos sublimari,et sibi summos ministros fieri voluit, alios atque alios de eadem Ecclesia apostoli sui eligere et exaltare dignetur Dominus noster Jesus Christus in sæcula sæculorum. Amen (81).

CAPUT LXXXIII.

De guerra regis Aragonensis in Castella.

Dum regina U. super civitates, oppida,et quamplurimæ castella sui regni regnaret, et expulso Aragonensi ab his qui perjurii reatum incurrere voluerant, ut supra diximus,non modicam partem Hispaniæ suo principatui subjugasset, Aragonensis tyrannus armata manu militum, nunc Castellam, nunc Campos,nunc Extremitatem invadebat ; ferro, flamma, omnia devastabat ; agricolas hos gladio confodiebat, illos vinctis manibus post terga captos ducebat. Quid plura ? Ecclesias etiam armata rabie violabat, et quæcunque in suæ matris sinum ad securitatis confugium plebs formidolosa asportaverat, nefanda tyrannis altari et templi parietibus hominum cruore madefactis abstrahebat.Proh dira cupiditas habendi ! quæ nunquam satiari novit,et siti pecuniarum ruit in interitus puteum. Deinde sacrilegus ille ad castella sua redibat, et ea non modica stipendiorum ubertate replebat, homines suos ad bellorum strepitus dociles incitabat, et modo hostibus suis insidias parabat, modo in illos impetum faciendo animositate militiæ succinctus quosdam capiebat, quosdam dare terga fugæ cogebat. At Castellani, audito nomine Aragonensium perterriti, nec se nec sua defendere poterant,et ad bellicos tumultus sudare omnino recusabant, et quoniam de illis mentionem agere cœpi,formidolosam militiam eorum non prætereo.

De Castellanis.

Tempore siquidem nobilissimi regis A. regis Fredenandi F. milites Castellani bellorum studio maxime desudabant, et periculi atque laboris patientes erant,et quanto frequentius militaria negotia exercebant, tanto animosiores ad armaque promptiores in bella ruebant, hostes prosternendo, hostium spolia rapiendo, triumphum, laudem,militiæ famam sibi acquirebant. Illos utique Hispania sibi præclariores elegerat, et ad bella fortiores mittere non formidabat ; tunc nimirum temporis rex A. illorum dux atque princeps erat, et virtutis suæ atque probitatis formam in eos, quasi in specialiores et præcordialiores hæredes, transferre studebat. Ipse prior in hostes ruebat,prior hostium cuneos prosternebat, et milites suos ad eadem animabat ; illos obviam ire Agarenis, et militari exercitio viriliter desudare ad sui exemplar instruebat. Verum enimvero mortuo rege A.. qui probitatis Castellanorum lampas et clypeus existebat, illis omnia in deterius conversa sunt. Castellani desidiæ et ignaviæ dediti sunt, luxus et cupiditas eorum audaciam detrivit, et pristina animositas ingruente formidolositate latuit,et quanto magis rei necessitas eos ad belli strepitum invitabat, tanto magis bello abesse et remotius latere cupiebant : nec sua defendere, nec aliena militanter acquirere studebant ; etenim quanquam major turba militum in Castella haberetur, et Aragonenses a Castella, nisi eis deesset animus, facile expellere valerent, nequaquam tamen antiqua animositas in eis pullulabat.Quapropter Aragonenses et quidam Transpyrenæorum militum qui auxilio regis intererant, Castellanis improperia atque ludibria inferentes, eos femineos milites vocabant, et eos amplius nec castra tueri, nec bellorum tumulti incitari censebant, cum mille quingentis cederent, et centum super ducentis triumpharent.

Ut Gallæci in procinctum properent.

Igitur regina U.. videns suum suique filii parvuli A.regnum fundo tenus devastari,et ab hostibus suis ferro, flamma depopulari, nimio cordis dolore compuncta, indoluit ; nempe sola mulier sine viro,paucorum suffulta suffragio,in tanto rerum tumultu quid ageret ignorabat : filium suum regem A. adhuc pueritiæ rudimentis obnoxium videbat,Castellanos, quos prius bello strenuos et virtute pollentes noverat, modo desides et fere nullius probitatis laude succensos considerabat et eis infinitum thesaurum patris sui distribuerat,ut jam sibimetipsi familiares res etiam ad necessaria deficerent,et quæ municipibus suis daret largiflua munera non haberet. Porro hostes ante fores urbis crebros assultus quotidie facere conspiciebat, boves, oves,jumenta, et cætera hujusmodi rapi, segetes, vineas destrui, domos incendi,homines interfici,nimium et plusquam nimium dolebat : ad Castellanos ut sibi auxilium afferrent sine intermissione legatos mittebat, quorum alios abesse, alios Aragonensium faciem valde pertimescere videbat, et præ nimia mentis indignatione episcopis, Munioni scilicet et Hugoni ; cætera

(81) Quæ hucusque scripta sunt, memoratis assero Giraldo canonico. Vide in notitia prævia n. 7.

multoties hos in risum pertrahebat. Tandem regina prudenti accepto consilio legatos ad Gallæcianos mittit, orans et supplicans illis ut se a faucibus hiantium, a manibus Aragonensium quantocius veniant ereptum ; in his enim multum confidebat, qui filium ejus educaverant, et eum tota mentis affectione diligebant : hos et bello strenuos, et sibi filioque suo semper fore fideles nequaquam ambigebat ; inter quos venerabilem episcopum S. Jacobi, qui filium ejus parvulum regem A. baptizaverat, et in ecclesia B. Jacobi in regem unxerat, specialiter sic allocuta est (is etenim totius Gallæciæ lampas omnibus patrocinium impendebat, et hujus consilium Gallæcianis fore placitum regina procul dubio noverat, et quidquid ipse Gallæciæ proceribus consuleret, aut vix aut nunquam aliter fieret) :

« Venerabilissime Pater, placeat sanctitati vestræ collecta manu militum in expeditionem venire, et omnes Gallæciæ proceres hortari et admonere quatenus mihi filioque meo regi A. citius properent succurrere; Aragonensis siquidem tyrannus regnum meum graviter dissipat, nec est qui tyrannidi illius resistere valeat. Quamobrem paternitas vestra Gallæcianos properanter ad bella venire compellat, nec solum consules, primates aliosque Gallæciæ milites in expeditionem venire compellatis, verumetiam coadunato vestrorum militum agmine cum illis venire minime recusetis ; si enim impius ille castella stipendiis, armis, et quibusque necessariis, priusquam Gallæcia ad me mittat milites suos, munire potuerit, postea nec adventus eorum proderit ; annoque sequenti castella obsidione ad deditionem cogi non poterunt. » His auditis venerabilis episcopus Gallæciæ proceres in curiam B. Jacobi convocat, videlicet comitem P. Velaz, comitem Gutierrum, M. Pelagidem, M. Gelmiridem, et P. Pelagidem, et alios quamplures, et cum illis de expeditionis negotio plenius pertractat. Hortatur et admonet eos quatetenus, semota omni occasione, in auxilium dominæ suæ reginæ coacervato undique exercitu festinent ; ostendit etiam eis reginam in tanto regni culmine pene omnium auxilio viduatam, filium ejus adhuc pueritiæ cunabulis subditum, Aragonensem tyrannum ei infestum, Castellanos trepidos, et ad omne belli studium imbecilles : hostes adesse, et undique regnum ejus devastare. Præterea reginam in Gallæcianis spei et fiduciæ suæ cumulum posuisse, et illos ab infantia sua ei fuisse chariores insinuat. Quod quia in tanto rerum periculo eorum auxilium tam obnixe implorat, nullatenus debere differri affirmat. Quid plura ? His atque aliis Gallæciani admoniti parent patrono, et quoniam ipsum sibi fore præducem intelligebant, et in auxilium reginæ et filii ejus A. tendere, ut pacem regno reformaret, et secum loricam justitiæ se deferre noverant ; quibusdam virtutis stimulis succensi ad belli studium properare ulterius nequaquam differunt, sese pro regni tuitione opponere et Aragonensis tyranni rabiem comprimere summopere cupiunt.

CAPUT LXXXIV.

De Gallæcorum expeditione, et de reginæ machinatione.

Igitur III Kalendarum Junii, venerabilis episcopus B. Jacobi, necnon comes Petrus, totaque militia Gallæciæ in expeditionem egressa est, et ad Campos proficiscitur. Verumtamen non modica itineris parte profligata, nuntii ad episcopum B. Jacobi et ad universos Gallæciæ primates venerunt dicentes reginam Gallæcianis esse infestam, et quia citius ad bella non processerant, graves inimicitias in eos exercere ; et si eam adirent quosdam honoribus privari, quosdam compedibus detineri, item alii atque alii venientes eadem aiebant. Unde accidit plures Gallæcianorum vehementer perturbari, et ab incœpto labore pedem velle retrahere. Tunc episcopi admiranda prudentia hanc schismatis nebulam illis subtraxit, alterumque recti consilii tramite, illos ad propositum revocavit, dicens hæc omnia a delatoribus fuisse inventa, et nil veri in se habitura. Deinde transactis aliquot diebus, cum jam fauces Gallæciæ egressi essent, omnes unanimiter reverti voluere, et reginæ maledicentes, nec auxilium impendere, nec ulterius ad eam venire statuere. Sæpius enim nuntii ad eos venientes, et eadem referentes, rem ita se habere asserebant. Sed prædictus episcopus, turbatos proceres eloquentia sua compescens, legatos ad reginam mittit, et utrum nuntii vera retulissent inquirit. Cum autem Asturicam venissent, et supradicta pro veris habuissent, mira præsulis prudentia optimates exercitus convocat, et cum illis quid prædicta significent pertractat. Post hæc pluribus argumentis ostendit reginam nunquam talia machinari, præsertim cum ipsa Gallæcianos nimium diligeret, et eorum auxilio (in hoc tempore maxime) egeret. Sed cum prædicti proceres præsuli non acquievissent, duos de venerabilibus clericis suis, scilicet cardinalem P. et P. Pelagidem pro supradicto negotio ad reginam legat, et quid illi referant, qualiter eam increpent, utque prædictæ rei seriem inquirant, injungit.

Qui discedentes Carrione reginam inveniunt, et paternis monitis instructi, sic eam allocuti sunt : « Quisquis gratiam vel retributionis plenitudinem cujusque merito, prout justum est, non compensat, necessitatis tempore auxilium sibi negari expostulat. Quis enim tam demens qui pro benefacto quemquam inculpet, vel pro obsequii retributione odium retribuat ? Nempe, o regina, postquam rex Aragonensis Hispaniæ regnum cœpit inquietare, quod nobilissimus rex A. pater tuus tibi ac filio tuo parvulo regi A. reliquit, Gallæciani parti vestræ aliis fideliores permansere, nulloque discordiæ impetu compulsi, contra hostium rabiem constantes fuere. Cum enim Castellani, Legionenses, necnon Camporum, atque Extrematuræ gens innumera cessissent, et fortunæ favorem sequentes Arragonensem tyrannum regem sibi præposuissent, Gallæciani tibi atque inclytæ proli tuæ fidele obsequium indesinenter suppeditaverunt, et multo majora multoque graviora sustinue-

runt. Quid enim referamus quanta ad Fontem Dangos passi fuerint? Quanta mira audacia Aragonensis hostis innumeras acies invaserint? Præterea idem Aragonensis Gallæcianos in Astorica obsedit; sed, destructa illius obsidione, quod eumdem Aragonensem Carrione obsederint (82) et obsessum diuturno tempore tenuerint, omnibus notum est. Ecce iterum, quoniam Arragonæ prædonem, Castellam, Campos et sibi finitima devastare, et castella sua armis, stipendiis munire audierant, sæpius tuis deprecatoriis nuntiis advocati, coadunato exercitu in auxilium tui tuique filii veniebant, et pro regni tuitione sanguinem suum effundere gaudebant. Verum enimvero postquam te nugigerulis atque delatoribus acquiescere eis nuntiatum est, eorumque militia floccipensa, qui hactenus totius regni tui tutores fuere, obsequium et laudem in culpam converti, et quia pro benefacti gratia, pro meritorum retributione, eos ab honoribus privari, et compedes illis minaris, ob hoc pedem ab incepto labore retrahunt, et pro bono malum recipere nolunt; in Gallæciam reverti, se regnumque suum tueri volunt, tibi filioque tuo fideles erunt. Cæterum postquam reversi fuerint, ut hinc in expeditionem veniant, Gallæciæ Alpes non transcendent. Hæc nos pro omnibus illis tibi dixisse, et, nisi resipueris, ita ad effectum perducere ne dubites; nempe nobilissimus rex A. pater tuus, cum Gallæcianos, Astures, Castellanos, et quoscunque sui regni milites ad bellorum exercitia convocaret, alios honoribus ditabat, aliorum benevolentiam captabat. Nunquid enim his molestus esset, qui sibi in nullo molesti erant, ejusque mandata per omnia complebant? absit! »

His auditis regina obortis lacrymis cœpit destestari et jurare se nunquam talia præmeditatam fuisse, neque in strenuos Gallæciæ milites hujuscemodi fraudem velle machinari. Post hæc regina legatos orat ut dominum suum, scilicet ecclesiæ B. Jacobi episcopum, suppliciter deprecentur, quatenus ipse Gallæciæ proceres hortetur et admoneat ne audita frivola pro veris habeant, neve adventum suum diutius retardent.

CAPUT LXXXV.

Quod Gallæci pacificati Burgos adierunt.

Eo tempore Arias Petrides, et Fredenandus Sanchiz, et quidam de complicibus eorum, in curia reginæ erant, et quia comiti P. et quibusdam Gallæciæ proceribus inimicabantur, auribus reginæ quidquid mali poterant de Gallæcianis instillabant. Hi siquidem, ut supra diximus (*a cap.* 49) apud castellum Minei seditionem in episcopum S. Jacobi, et in filium reginæ parvulum regem A. necnon in comitissam uxorem comitis P. atque in plures Gallæciæ optimates fecerunt, eosque captos tenuerunt. Igitur supradicti legati discedentes, Gallæcianorum tentoria adeunt, et quæcunque eis regina retulerat, domino suo episcopo referunt. Tunc episcopus proceres convocat, eosque paternis monitis hortatur ne sibi ignaviæ titulum assumant, neve ab incepto

A negotio desistere velint; omnia namque quæ de reginæ odio ferebantur, procul dubio falsa erant. Tandem Gallæciani paternis monitis acquiescunt, et iter ad reginam arripiunt. Postquam Carrionem, ubi regina morabatur, ventum est, tentoria sua secus fluvium, qui Carrion dicitur, in pratis virentibus posuerunt. Sed quia quæ iterum et iterum audierant, ambigui timebant, et inter comitem P. et inter plures Gallæciæ proceres et reginam non erat firma amicitia, ad curiam protinus ire renuerunt. Quapropter præmittuntur legati, qui fidem, scilicet securitatis pignus, a regina peterent (timebant enim ne regina plus acquiescens his quæ delatores auribus ejus instillaverant, aut in personis suis, aut in honoribus se dedecoraret). Dum hæc plenius tracta-

B rentur, et sol ad occasum demergeretur, ecce adest nuntius referens reginæ regem Aragonensem in proxima die cum multo milite Burgos venturum, et castellum, quod adhuc tyrannus ille retinebat, viris, armis, stipendiis muniturum; quod si fieret, et Gallæciæ exercitus ad obsidionem illius frustra properaret, et Aragonensis prædo per longa tempora solitum confugium non amitteret. Nempe Burgis civitas, in latere montis posita, reginæ favebat: in eodem quoque monte natura duo capita composuerat: inferius plebs Judæorum incolebat, quæ et nostræ parti opitulabatur; in superiori vero castellum situm est, quod hinc natura loci, illinc muro atque turribus satis munitum conspicitur. In hoc rebelles Aragonenses cum Sarracenis, quos rex ibi miserat,

C et urbem sibi subditam depopulabantur, et adjacentes partes deprædabantur. Quæ postquam reginæ cognita sunt, dato securitatis pignore suppliciter orat Gallæciæ partes ut sui gratia properent, Burgos tendant, et truculenti hostis adventum perterreant. Sub silentio itaque intempestivæ noctis strenui milites iter aggrediuntur, et celeri cursu Burgos perveniunt, montem occupant, et secus castellum tentoria figunt. Interea B. Jacobi episcopus inter reginam et comitem P. pluresque Gallæciæ primates amicitiæ fœdus restituit, ac firmæ dilectionis vinculo, scilicet juramento, eos astrinxit.

CAPUT LXXXVI.

Quod episcopus missam celebravit in Ecclesia S. Joannis juxta Burgos.

D Quadam die idem episcopus ecclesiam B. Joannis, quæ circa Burgos est, adiit, et quia erat festivitas B. Joannis Baptistæ, missam celebrare disposuit. Tunc conveniunt ejusdem civitatis cives, Castellani, omnesque exercitus Gallæciæ, necnon regina cum omnibus suis proceribus interfuit (*die* 24 *Junii*). Inter missarum itaque solemnia venerabilis episcopus B. Jacobi astantem plebem divini eloquii pabulo refocillavit, et quæ ad tantæ solemnitatis gaudia pertinebant, sufficienter enucleavit, deinde caducam Hispaniæ sortem considerans de statu sanctæ Ecclesiæ, de Hispanorum imbecillitate plenius cœpit tractare, et ait:

(82) Supra c. 73.

Sermo episcopi de statu regni Hispaniæ.

« Nostis, fratres charissimi, quoniam nobilissimus rex A. cultor justitiæ fuerit, et, quandiu Hispaniæ regnum rexit, status S. Ecclesiæ in sui vigore feliciter floruerit: tunc temporis leges, jura, pax, justitia præcipue vigebant, et virtutum cultores ubique inveniebantur; ejusdem quoque regis tempore Mauri Moabitæ, cæterique finitimi hostes nobis cessere, et eorum municipia nostræ dominationi subjugavimus. Postquam autem rex A., persolvens jura naturæ, filiæ suæ reginæ U. atque nepoti suo parvulo regi A. regnum suum tradidit, et ad eos imperii sceptrum jure pertransiit, illico discordia cœpit pullulare; statim Ecclesiæ jura penitus violata, duces, principes, omnesque Hispaniæ proceres contracti et ad ignaviæ titulum redacti sunt. Pristina virtus eorum omnino latuit. Scimus equidem quoniam regina U. filiusque ejus rex A. regnum sibi deditum jure habere debent, hisque viventibus hujus principatus ad alios transferri jure non potest. Attamen, quanquam justa causa patrocinio suffulti simus, quanquam hostes a patriæ finibus (quod justum est) expellere velimus, qui prius triumphatores fueramus, modo a paucis quamplures superamur. Quare autem tanta virtus, tanta militiæ gloria in nobis hebetata vires suas amiserit, indagare et perscrutari libet. Jam jam, fratres charissimi, in tantum peccatorum pondere premimur, in tantum colla nostra jugo Satanæ submisimus, quod, licet gratia justitiæ arma moveamus, virtus, in nobis mole peccatorum oppressa, vires suas exercere non valet; nos innumera turba vallati impetum hostium nostrorum ferre non valemus. Quod ut melius perpendatis quid in veteri lege acciderit, audite.

De ultione in tribum Benjamin propter mulierem stupro oppressam.

Forte quidam vir de populo Israel cum uxore sua venit in civitatem quam tribus Benjamin incolebat; cumque in foro resideret, et qui sibi hospitium præberet neminem invenisset, ecce quidam homo pauper suburbanus videns illum alienigenam, et hospitio egentem, cum uxore et cum sarcinulis suis duxit in domum suam. Ille quidem advena satis pulcher et decorus aspectu erat, uxor quoque illius elegantissimam formam habebat. Facto autem crepusculo viri illius civitatis ad domum illam veniunt, et advenam cum uxore sua sibi dari expostulant: nempe in viro Sodomæ vitium imitari, mulierem adulterio polluere volebant. Quod audiens dominus domus concives suos exorare et admonere cœpit, ne tam horrendum tamque insolutum nefas præsumerent. Cumque illi non acquiescerent, et impetum facere vellent, tradidit eis mulierem, vix precibus impetrans ut saltem virum dimitterent. Tunc flagitiosi viri, mulierem assumentes, et eam tota nocte coitu opprimentes interfecerunt, mortuamque ante suburbanum ostium projecerunt. Facto mane cum vir ille abire vellet, mulierem suam ante ostium A mortuam invenit, quam frustatim divisit, et ad unamquamque tribum Israel singula frusta misit. Videntes autem undecim tribus Israel frusta mulieris sibi fuisse missa, nefandissimum prodigium admirantes, quid hoc portenderet sollicite considerare cœperunt. Denique omnes tribus Israel decem viros elegerunt, qui illius rei seriem tanquam horrendi prodigii significationem plenius investigarent. Postquam quid in tribu Benjamin accidisset propalatum est, protinus omnes unanimiter tantum nefas ulcisci consurgunt. Mittuntur ergo quadraginta millia militum, qui animosiores et ad bella fortiores tribum Benjamin a minimo usque ad decrepitum perdant, eorumque civitatem fundo tenus destruant. Viri autem Benjamin cognito hostium adventu, xxv millia B equitum, et septies centum sagittarios, arte sagittandi peritissimos, ad bella congregant, et contra innumeros hostes bellum ineunt. At illi qui justitiæ causa arma induerant, prædictumque nefas ulcisci volebant, quanquam, ut supra diximus, multo plures essent, prima die belli cesserunt, et de his xvii millia ceciderunt. Postea iterum atque iterum ad bella procedunt, et omnes exceptis v millibus a tribu Benjamin interempti sunt. Stupent atque mirantur, se justitiæ causam tueri, et a nefando hoste superari. Tandem, Israelitis coadunatis, surrexit inter eos quidam senex, et quare tot infortunia eis accidissent, insinuavit. Ostendit eos vitiis deditos et peccatorum mole oppressos, inermes et imbecilles hostibus non posse resistere. Verum enimvero si colla sua peccatorum jugo subtraherent, et accepta C pœnitentia resipiscerent, succincti virtute, quæ prius vitiis suffocata latebat, procul dubio hostes prosternerent, hostiumque injuriam plenarie ulciscerentur. His auditis, Israelitæ accepta pœnitentia colla erigunt, et deposita mole peccatorum hostes invadunt. Quid plura? horum quinque millia qui remanserant, xxv millia equitum, et septies centum sagittarios de tribu Benjamin prosternunt, et omnes, exceptis quadringentis, qui inter rupes latuerunt, interfecerunt, eorumque civitatem fundo tenus destruxerunt. Præterea omnes pepigerunt, intra xi tribus Israel et tribum Benjamin amplius nulla connubia fieri, et tribum Benjamin a cæteris tribubus omnino alienari (*Judic.* XIX, XX). » Vos quoque fratres, simili facto expergefacti, resipiscite, et pravæ D dominationis jugo colla vestra subducite, tantarum illecebrarum nebulas a vobis extirpate, virtutis clypeum assumite, loricam justitiæ induite, ut regnum vestrum defendere, vestrorumque hostium rabiem comprimere, et ad paradisi gaudia pervenire possitis, ipso præstante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT LXXXVIII.

De Burgensis castelli deditione.

Postquam prædictus Pater sacri eloquii dogmata uberius enodavit, animosque omnium in auditis admirantium ad virtutis spem reduxit, celebrataque solemniter missa, ad tentoria rediit. Obsesso. ut

supradictum est, a Gallæcianis castello, rex Aragonensis exercitum congregat; stipendia præparat, et ad castellum per medios hostes venire nullatenus formidat; si enim hujus castelli confugio careret, totius Castellæ expers fieret. Quod ubi reginæ nuntiatum est, statim legatos ad Castellanos mittit, qui eis referant regem Aragonensem cum multo exercitu adesse, eosque invitent ad tanti belli laborem properare. Castellani vero milites, Aragonensis adventum audientes, se in crastinum ad bellum venire spoponderunt; quippe quantæ audaciæ impetu Aragonenses ad bella ruerent, olim experimento didicerant, atque ideo se tanto labori subducere curabant. Papæ! strenui milites Castellæ, hostes fines suos invadere vident, quanquam aliorum munimine fulti, eis ire obviam formidabant. At ubi Gallæcianis relatum est, subito arma capiunt, et prædicto hosti ire obviam stimulant, audacia ruunt, Athaporcam perveniunt, et facto crepusculo membra quieti dederunt, in crastinum ad bellum egressuri, et in adventum hostis impetum facturi. O quam dispar causa hos et illos ad bella ciebat! Gallæcianos leges, jura, pax, justitia ad arma vocebant; Aragonenses horum contraria in omne nefas præcipitabant. Postquam Aragonensi ad mensam in Villafranca residenti Gallæcianos adesse et amore Martis in occursum ejus ruere nuntiatum est, timuit; quippe Gallæciæ milites militia præclaros et belli studio strenuos efferus ille ad Fontem de Angos, quanquam pauci fuissent, expertus fuerat (83), et quanta audacia hostium sanguinem sitirent, experimento didicerat. Cessit itaque bellicosus bellicosis, et Marte ferox ferociores timuit. Quo audito Gallæciani cum triumpho summæ laudis ad tentoria redeunt; illi autem qui in castello rebelles erant, postquam dominum suum cessisse et sibi auxilium non posse impendere vident, reginam adeunt, et datis obsidibus hujusmodi pactum cum ea statuerunt, scilicet si rex Arragonensis usque ad xv dies auxilium et stipendia illis non præberet, castellum reginæ procul dubio se reddituros pollicentur, et determinant ut ipsi incolumes cum omnibus suis facta deditione discedant.

CAPUT LXXXVIII.

De celebrando concilio in Palentia.

Eodem tempore, B. Toletanus archiepiscopus et sanctæ R. E. Leg. Burgos; venit quem B. Jacobi episcopus adiit, ejus reverendam paternitatem obsecravit ut de statu Ecclesiæ, quæ funditus evertebatur, et de pacis reformatione tractaret. Tunc venerabilissimus Pater, illi acquiescens, advocavit episcopos qui intererant, scilicet Auriensem, Ovetensem, Minduniensem, cum quibus archiepiscopus, atque S. Jacobi episcopus adiit, diutius colloquentes, Ecclesiæ jura violata penitus, Hispaniam Aragonensi tyrannide undique devastatam atque desolatam, una doluerunt. Sed quoniam, ingruente discordiæ tumultu, hæc plenius stabilire impræsentiarum tempus non exigebat, tum quia complures Hispaniarum pontifices deerant, tum quia regina multiplici guerrarum negotio irretita erat, placuit eis tantæ rei diffinitionem producere, et in futuro generaliter concilium celebrare, ad quod omnes Hispaniarum pontifices, abbates, duces, principes, comites cæterique primates, octo diebus ante venturam festivitatem Omnium Sanctorum (84) in Palentinam urbem possent convenire, et causam regis et reginæ subtilius indagare, diœceses, villas, mansiones, agros, vineas, quæ in hoc discordiæ tempore amiserant, sedibus et monasteriis reddere; quæ res reginæ, omnibusque Hispaniæ principibus supra modum placuit.

CAPUT LXXXIX.

De nuntiis regis ad reginam pro reconciliatione.

Interea rex Aragonensis, videns rabiem suam nihil proficere, et municipia quæ in Castella, aut in Campania, aut in Extremitate habebat, quædam ab hostibus suis capi, quædam diuturna obsidione claudi, legatos ad reginam mittit, et pacis fœdera requirit, simulat se ad illicitum connubium reginæ velle redire, et pactionis jusjurandum, quod inter se et illam fuerat, adimplere. Proh subdola calliditas, ut saltem sic regni principatum posset acquirere! Quadam itaque die postquam Burgis discesserunt Toletanus archiepiscopus, episcopus Auriensis, Minduniensis, atque Ovetensis, forte fortuitu ven. episcopus B. Jacobi reginam adiit, ut ei solito more de tot tantisque negotiis consuleret, et Aragonenses legatos in medio palatii invenit. Hi reginam ad nefandum connubium regis compellebant, et Burgenses eam sub simulatæ pacis nomine ad illud idem invitabant. Quorum sacrilegis colloquiis complures, ac præcipue Francigenæ, condescenderant; quippe Gallæciani, Astures, Legionenses, Campani, Castellani ejusdem civitatis incolæ, aliique complures convenerant. Quod ubi venerabilissimo Patri compertum est, et omnes impudenti animo ad præcipitium ruere cernit, licet perversæ contumaciæ eorum aliquid objicere difficillimum videretur, virtutis clypeo munitus surrexit. Cumque omnes in claustrum S. Mariæ convenissent, et regina astante Aragonensis regis nuntiorum verba benigna aure suscepissent, episcopus silentium fieri jussit; et factum est; equidem omnes illum utpote B. Jacobi episcopum præcipue venerabantur, et super hujus rei summa illius diffinitionem audire volebant; putabant enim quod Aragonensis regis nuntiis condescenderet, et quod tanti conventus irrationabile murmur fieri universaliter determinaverat, ejus quoque prudentia approbaret. Verum prædictus Pater, insensatæ plebi non acquiescens, imo illos a perversi favoris exhibitione reducere volens, sic illis prædicare cœpit intrepidus.

Compostellani episcopi verba.

Hactenus Aragonensis regis nuntiis assensum præbuistis, eorumque relationes tota mentis

(83) Supra, c. 68.

(84) Pro die 25 Oct.

affectione auscultastis, nunc autem omnipotentis Regis nuntium audite, quæque mandata in armariolo mentis recondite. Iste nuntium perpetuæ salutis doctrinam vobis annuntiabit, et quod probum et justum est, in conspectu domini nostri prædicabit. Prædicti nuntii valde necessaria et ad interitus puteum tendentia vobis dixerunt, et quod hic et in æternum vestræ saluti sit contrarium, quodque etiam fas atque leges prohibent, annuntiaverunt : Ego, fratres, omnipotentis Dei minister et nuntius, et ad sanctæ Ecclesiæ jura tuenda præmunitus justitiæ interpres, vobis salutifera pandam, quæque vobis tenenda vel quæ sint refutanda in hoc negotio ostendam. Nostis, fratres charissimi, quoniam Dominus ac Redemptor noster in veteri lege pontifices fieri præcepit, ut populo suo præessent, et dominicis præceptis populum sibi subditum instruerent. Sub novæ quoque legis exordio ipse Dominus apostolos sibi elegit, et eos ministeriorum suorum dispensatores ordinavit. Sacramenta illis Ecclesiæ commisit, et ligandi atque solvendi potestatem in cœlo et in terra tradidit eis, dicens : « Quodcunque ligaveritis super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVIII). » Horum vicem nos, quanquam indigni, obtinemus, et eadem potestate nobis tradita, pastoralis curæ apicem conscendimus. Nos ministeriorum Dei summi dispensatores pontifices vocamur ; nos specialiores et præcordialiores filii Dei sumus. Unde Veritas : « Qui vos, inquit, tangit, pupillam oculi mei tangit (*Zach.* II). » Nobis Christus sponsam suam, scilicet Ecclesiam, commisit, ejusque filios nobis erudiendos dedit. Quid plura? quod Regi regum in mundo præcordialius et pretiosius est, nobis procurandum tradidit, videlicet curam animarum gerere, et oves commissas a truculenti lupi rabie tueri ; quod si forte desipuerint, et in amplioris viæ præcipitium ruerint, nostrum est utique ad veritatis viam revocare, et disciplinæ pascuis gregem commissum pascere. Nobis reges terrarum, duces, principes, omnisque populus in Christo renatus subjugatus est, omniumque curam gerimus. Qua in re vos, fratres charissimi, deprecor, et deprecando admoneo, ne regem Aragonensem et reginam U. contribules, et consanguinitatis linea affines, ad illicitum connubium aliquatenus redire velitis; nefas est enim et satis horrendum flagitium talia fieri : si vero proclamaveritis vos in regis et reginæ pactionem jusjurandum fecisse et perjurii reatum nolle incurrere, et ob hoc quasi juramento coactos, utrumque ad prioris fœderis unionem velle reducere, sciatis utique hujusmodi juramenta esse contringenda; ait enim Scriptura : « Non est conservandum juramentum, cum malum incaute promittitur, » velut si quispiam homicidium se facere juramentum faciat, vel adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim juramentum non implere quam homicidium perpetrare, vel in stupri flagitio permanere. Admoniti itaque, respicite, et tantum nefas Hispaniæ finibus traditis prohibete. Quicunque autem hujusmodi connubium vel fecerit, vel fieri consenserit, illum ex auctoritate Dei Patris omnipotentis excommunicamus, et anathematizamus, et a liminibus S. Ecclesiæ sequestramus.

Præterea, ut non solum eos a supradicti criminis participatione revocaret, verum etiam ab ecclesiarum subversione, a cædibus, rapinis, incendiis cessare compelleret, litteras inferius scriptas a domino papa, omnibus Hispaniarum pontificibus missas, illis ostendit :

« P. episcopus, servus servorum Dei, » etc.

Regnorum vestrarum calamitates, » etc. *Vide in Paschali, Patrologiæ t.* CLXIII.

Quod episcopus fugiens tumultum evasit.

Postquam supradictus episcopus verbis finem imposuit, subito omnis populus contremuit, et dissonum murmur inter eos ortum est. Quidam enim quibus cura erat efficacius æquum et justum examinare, reverendi Patris verba laudabant, alii autem quos causa nequior non trutinata justitiæ norma in præceps compellebat, quorum agmen densius erat, lapides jacere, aut impetum volebant in eum facere. Sed præsulis milites, tanto tumultu excitati adveniunt, et dominum suum armata manu undique muniunt. Tunc præsul militum suorum turba circumvallatus, incolumis discessit, et tentoria cito repetivit.

CAPUT XC.

De Burgensis castelli deditione, et Gallæciorum reditu.

Transactis XV præfinitis diebus, Aragonenses reginæ castelli deditionem faciunt. O quantam, quamque præclaram militiæ laudem Gallæcianis dies illa contulit, in qua belliger Aragonensis illis cessit ! sed multo præclarius multoque jucundius fuit, cum strenua Gallæciæ virtus Castellam ejusque milites ab impetu hostium protexit, et Aragonensis castelli deditionem facere coegit. Proh pudor ! Castellani aliorum viribus egent, et Gallæcianorum audacia proteguntur. Formidolosis militibus quid fiet, cum Gallæciæ exercitus, clypeus et murus eorum, discesserit ? Jam Gallæciani diem repatriandi statuunt, jam discedere et ad propria redire gaudent ; quod ubi reginæ compertum est, ad castra venit : et eos obnixius a proposito recessus reducere tentabat. Volebat enim illos ad Castellum Barlancam mittere, quod Moabitæ obsederant. Omnes autem unanimiter dominæ suæ precibus nolentes acquiescere, propensius discedere properabant. Tunc ven. episcopus reginam alloquens ei consuluit ne amplius Gallæcianorum reditum differret, ne, velle eorum protelando, quod bene egerant ingloriosum remaneret. Igitur regina reverendi Patris consilio præmonita, Gallæcianos ad propria redire jussit, et cum illis ipsum episcopum ad B. Jacobi ecclesiam reverti permisit. Prius tamen summas grates ei referens, et secum firmæ dile-

ctionis vinculum connectens, licet enim regina illum ut pote tantum patronum, prius et diligeret et veneraretur, multo magis tamen, postquam tantæ prudentiæ eloquentiam sibi prodesse noverat, postquam illum justitiæ tramitem sectando sui auxilio medullitus desudare viderat, ampliori veneratione et firmiori dilectione amplectebatur, et præcepta illius sagaciter observabat. Quapropter hujusmodi pactum cum illo fecit, et subscriptum placitum ei fecit. Æra I. C. LI, VIII Idus Jul.

« Ego regina U. vobis domino. D. ecclesiæ S. Jacobi episcopo hoc pactum fidei promissione facio, quod deinceps sim vestra fidelis amica, et exaltem honorem vestrum, et deprimam malum, dum vixero, et non deficiam vobis pro posse et ingenio meo ad protectum; et, si aliquod malum honori vel personæ vestræ contrarium sensero, non teneam vobis coopertum, sed in convenienti tempore vobis revelabo, et pro posse meo destruam; si autem aliquod malum de me vobis dictum, vel obortum fuerit, horum judicio qui inter me et vos sunt, si amici mei fuerint, determinetur, et si defuerint, fiat judicio aliorum utriusque amicorum. Personæ autem vestræ ne ulterius in expeditionem veniat, nisi voluerit, condono, milites vestros tantum in auxilium mihi more solito mittatis. Testes, qui huic pactioni interfuerunt. M. Mindun. episcopus, et P. cardinalis S. Jacobi.

De reditu episcopi, et Gallæcorum.

Tandem discedunt Gallæciani, et ad patriam iter aggredientes, supradictum episcopum, ducem et patronum sibi sociari congratulantur. Comes autem Petrus cum quadam parte suorum militum, comesque R. et M. Pelagiades, necnon M. Gelmirides, episcopi B. Jacobi frater, cum quadam parte suorum fratrisque sui militum, et alii quamplures Gallæciæ proceres, Birlancam ad obsidionem Moabitarum tetenderunt, et non invenientes eos ibi, reversi sunt. Postquam Gallæciani Carrionem venerunt, Carrionenses audito supradicto anathemate pontificem tenere quærebant, sed divina gratia protegente, quodam rubeo pallio coopertus, et pileo more Longobardorum obumbratus evasit. Proh nefas! quoniam justitiæ formam Ecclesiæ jura prædicaverat, nefando populo odio habetur. Sequenti die idem episcopus, ut securius incederet, quosdam cohortes militum præire, quasdam præcedentibus omnibus sequi, et sarcinas inter utrumque disposuit, et ut caute irent, omnibus injunxit. Præterea quam affabilis quamque benevolus in itinere illo omnibus fuerit, omnesque doctrinæ pabulo refocillaverit, et qualiter insidias hostium hinc atque inde insidiantium devitare præmonstraverit, quot et quanta suffragia universo exercitui contulerit, ingenioli mei ariditate impediente, sufficienter enodare non potero; etenim quamvis interfuerim, propriisque oculis viderim, quædam tamen memoriæ stylo percurro,

A nonnulla prolixitatis causa prætereo. Nezanum etiam Gudesteidem, qui, ob injurias sibi illatas, milites comitis P. atque M. Pelagidæ capere et dehonestare volebat, pacificum reddidit, et cum nimiæ dilectionis vinculo eis conjunxit. Sane ille castellum S. Mariæ de Octaris (85) tenebat, et omnibus Gallæciæ montana ingredientibus, per fauces montium et concava vallium aditum prohibere poterat; sed prædictus Pater Gallæcianorum dux et tutor fuit, et eos incolumes usque ad propria conduxit; ipse quoque a sanctæ matris suæ Ecclesiæ clero, et ab omni populo, cum gaudio et lætitia, cum processionis veneratione susceptus est, et ejus adventui omnis conventus congratulatus est.

De morte Gundesindi cardinalis, et de P. Gundesindiz in locum ejus promoto.

B Eodem tempore quidam cardinalium Ecclesiæ B. Jacobi, nomine Gundesindus, mortis debitum persolvit, et matris suæ, scilicet prædictæ Ecclesiæ, hæreditatem, quæ Hologium nuncupatur, distribuit; domorum quoque suarum, quas præter domos palatii habuit, medietatem hospitali S. Jacobi, aliud vero medium ad opus ejusdem apostoli construendum dedit, quas Petrus prædictæ ecclesiæ prior in conventu atque consensu omnium canonicorum emit. Defuncto itaque supradicto card. P., Gundesindiz, qui præscripti episcopi capellanus fuerat, ad ejus vicem complendam, canonica promotione sublimatus est, et cardinalis nomen adeptus est.

CAPUT XCI.

C *De concambio hæreditatum Ariæ Exemenides pro medietate Denæ.*

Supradictæ expeditionis tempore, cum prædictum castellum Burgos Gallæciæ proceres obsedissent, Arias Exemeniz, ejusque contribules, reginam U. adeuntes, summopere deprecati sunt quatenus hæreditates quæ inter fluvium Uliæ et Tamaris majoris Didacide fuerant, quasque ipsa regina B. Jacobo sub chirographo dederat, a domino D. ejusdem apostolicæ sedis prædicto episcopo, quoquomodo abstrahere moliretur. Eorum itaque precibus regina acquiescens, sane strenuæ juventuti Gallæciæ quidquam molestiæ inferre erubescens, utpote ingruente Martis tumultu, pontificem super his alloquitur, orat et deprecatur eum ut prænominatas hæredi-

D tates A. Exemeniz ejusque contribulibus reddat, et pro illis medietatem Denæ in concambium recipiat. Accepto cum quibusdam canonicorum suorum, qui intererant, præsul consilio, concambium fieri non renuit, precibusque reginæ condescendere prudenter voluit, tum quia pars hæreditatum illius villæ Denæ, quæ in concambium dabatur, intra honoris B. Jacobi confinia continebatur, tum quoniam in terra de S. Maria de Lanchata, quasdam hæreditates ad Denam pertinentes, quæ regalis juris erant, a regali jure eripere nitebatur, easque ad ecclesiam B. Jacobi

(85) *De Autares* melius leges, faucibus Valcarceris imminens, cujus hodie ruinæ visuntur in earum rupium culmine.

pertinere summo desiderio desiderabat. Præterea reginæ præsentiam circa hoc causa adire haud opportunum ei videbatur. Factum est igitur concambium inter prædictum episcopum et reginam U., datis hæreditatibus quæ fuerant majoris Didaci de inter Ulliam et Tamarim Ariæ Exemeniz, recepta Denæ medietate, quod factum satis utile atque commodum ecclesiæ B. Jacobi fore procul dubio creditur.

CAPUT XCII.

De concilio Palentiæ celebrato, et de reditu Compostellani episcopi.

Anno MCXIII (86) Dominicæ Incarnationis, Bernardus Toletanus archiep. et S. R. E. legatus, synodale collegium VIII K. Novemb. (*a 25 Oct.*) Palentiæ celebravit, et de Hispanarium oppressionibus atque angustiis, et de Ecclesiarum subversionibus atque calamitatibus plenius pertractavit. Gallæciæ quidem pontifices interfuerunt; Ecclesiæ autem B. Jacobi episcopus, cujus consilio atque suggestione, prædictus archiep. concilium celebrari disposuerat, urgente discordiæ tumultu, prædicto concilio interesse non potuit, difficillima causa obsistente detentus; ipse namque præteritæ æstatis tempore, coadunato undique exercitu, ad debellandum Aragonensem Campaniam adierat. Quod si iterum partes illas adire præsumeret, oportebat aut militum cohortes ad se protegendum et muniendum illuc secum ducere, quod temporis qualitas assiduique laboris exercitium fieri prohibebat, aut prædictum flagitiosa rabies, quod relatu abusivum est, in Christum Domini mittere manum nihilominus vereretur. Porro perniciosa manus, bellorum temporibus, prædæ divitiarumque cupiditate incitata, in omne nefas ruere non perhorrescit. Prædictus tamen episcopus ad generalem synodum iter aggrediens Tria Castella pervenit. Verum enim vero comes R. necnon comes M. complures Gallæciæ optimates illum adeuntes, quatenus ab incepto labore desisteret hortantur et deprecantur, dicentes: « Scimus equidem, venerabilissime Pater, si Campaniæ partes absque armatæ manus clypeo adire præsumpseris, et te a truculenta hostium violentia graviter inquietari, aut ut verius profiteamur, cujuslibet prædonis captione dehonorari, et Gallæciam multiplici discordiæ impugnatione opprimi, nos quoque, te absente, in salutis nostræ dispendia ruere, haud ambiguum est. Tua interest curam et sollicitudinem nostram, totiusque Gallæciæ gerere; eapropter hortamur et consulimus ut ab incepto resipiscas, et (quod potissimum est) tibi nobisque omnibus providens. Quod si nobis obsistere volueris, antequam ab aliis (quod in certissimis est) dedecoreris vel capiaris, ne tantum quid temerarie aggrediaris, a nobis captus teneberis; melius est enim tibi discessus licentiam a nobis inhiberi, quam improvido favore ad tantum præcipitium tibi assensum adhiberi. Igitur episcopus his atque aliis acquiescens, duos de clericis suis ad prædictum concilium direxit, quibus absentiæ suæ causam Romano legato prætendentibus, has inferius scriptas litteras attulerunt:

Litteræ S. R. E. legati ad Compostellanum episcopum.

« BERNARDUS Toletanus sedis archiep. et Dei gratia S. R. E. legatus, Compostellanensis Ecclesiæ pontifici salutem et benedictionem. Legatos quos nobis misistis, vidimus dicentes quod concilio, quod Palentiæ vestro præcipue consilio celebravimus, interesse nequivistis, inevitabili necessitate detentus; verum quia solatium, et auxilium, et consilium vestrum nobis subtraxistis, ut verum vobis fateamur, moleste tulimus, sed propter pristinam amicitiam quæ inter me et vos diu exstitit, et interventu vestrorum clericorum, patimur ac vobis indulgemus. »

CAPUT XCIII.

De villa Pianela data M. Froylaz.

Post hæc supradictus episcopus ad multiplicandum Ecclesiæ suæ bona vigilantius anhelans, omnium canonicorum consilio villam, nomine Pianelam, cum ecclesia sua cuidam sanctimoniali, scilicet M. [Munina] Froylaz, sorori comitis P. contulit ut eam, dum vixerit, habeat, incolat, ædificet, plantet, prout melius potuerit. Expleto autem illius vitæ curriculo, præscripta villa ad ecclesiæ B. Jacobi jus cum omnibus suis redeat. Ipsa quoque tanti beneficii non immemor, Ecclesiæ B. Jacobi has subscriptas hæreditates tradidit, videlicet villam cum ecclesiola sua, nomine Rus, in Nemitos, portiones quas habet in Figariola, villam Marin mediam de eremo, in territorio quoque Saliniensi villam Maranes, medietatem etiam illius hæreditatis quæ fuit socrus suæ Godæ. Hæc omnia cum omnibus sibi pertinentibus B. Jacobo contulit. Hujus rei placitum atque pactum utrobique, ut magis ratum magisque firmum habeatur, neve subrepentium temporum cursu deleatur, chirographi pagina, quod in Catagolo B. Jacobi reperies, sancitum est. Factum est autem in æra M. C. LI, VIII Idus Novemb.

CAPUT XCIV.

De alia medietate Denæ, et de aliis hæreditatibus vel ecclesiis.

Aliam quoque villæ Denæ, de qua supra meminimus, medietatem comes P., quem prædictus episcopus, utpote spiritualem filium suum, spiritualis doctrinæ pabulo instruebat, eumque ut ecclesiis ecclesiarumque ministris decimas omnium quæ possidebat, cæteraque beneficia plenius impenderet admonebat, Ecclesiæ B. Jacobi contulit. Dedit etiam has subscriptas hæreditates, videlicet in Prucios portionem suam ecclesiæ S. Salvatoris de Pernis, S. Julianum de Carantonia, S. Petrum de Grandal, integram S. Mariam de Castro in Bisancos, S. Jacobum de Francia, S. Stephanum de Erens, S. Eugeniam de Tra-

(86) Perperam aliqui codices XIV pro XIII habent. Pulgar. tom. II, pag. 150, edidit 1118, quod nullatenus ferendum; totus enim narrationis contextus, de anno est 1113, qui in hujus capitis fine æra MCLI signatur.

sancos. S. Saturninum illam ecclesiam in Abbati, illam ecclesiam in Nendos, S. Mariam de Oiarios in saltu illam ecclesiam. S. Tyrsum in Selaya, in Nemancos S. Stephanum de Lires. S. Mariam de Mauri. S. quoque Mariam de Ozia in Nemancos. S. Mariæ de Mour medietatem ad præsens, post mortem vero ejus hæreditatem quæ ibi est. Præterea Amaranti, et Nimiam, et quidquid habet inter Uliam et Tamarim, vel quantum ibidem deinceps adeptus fuerit in his hæreditatibus, et curtem in patrono, præter casas in Compostella, B. Jacobo contulit.

CAPUT XCV.

Ad removendas oppressiones populorum.

Circa id fere temporis prædictus Gallæciæ patronus, pietatis oculo oppressiones atque angustias pauperum, plebem calumniis et injuriis afflictam, provinciam B. Jacobi gravius assiduæ rapacitatis inquietatione pessundatam, misericorditer respiciens, paternæ pietatis sollicitudinem adhibuit, injustasque populorum oppressiones relevare summopere studuit. Quippe post obitum nobilissimi imperatoris A. ingruente tantarum guerrarum tumultu milites majoribus solidatis, amplioribus possessionibus beari oportuit; quod oppressionis et inopiæ causa populis erat. Pecunia enim imbecillioribus minusque potentibus quoquomodo substracta, nobilibus cæterisque bellorum exercitiis insudantibus, larga manu erogabatur. Porro res exigit bellorum tempore milites, qui hostium inquietationi resistant et sua fortiter defendant, munerum largitate a patriæ tutoribus plenius remunerari. Verum prædictus episcopus oppressionis tribulationem, inopiæ calamitatem in subditis misericordiali compunctione intuens, illasque paterna pietate compatiens, tantorum malorum causas removere sollicite curavit. Ad relevandum namque et refocillandum totius honoris B. Jacobi populum, publicis privatisque calumniis atque rapinis usquequaque afflictum cum omnium canonicorum apostolicæ Ecclesiæ consilio decreta, quæ in honore B. Jacobi firmissime observarentur, constituit, et in his, ut æquum et justum, remota ambage, custodiretur, stabilivit; quæ ut firmiora forent, neve aliquo impulsu labefierent, omnes optimates qui principatu in honore B. Jacobi pollebant, sive illius dominio subjacebant, quatenus ea sollicitius observarent, juramento astrinxit; cæteros quoque ejusdem juramenti non immunes prætermisit. Deinde, ne interlabente temporum curriculo delerentur, scripta breviter nobis legenda, et observanda contradidit.

CAPUT XCVI.

Incipiunt decreta Didaci Ecclesiæ B. Jacobi II episcopi ad protegendos pauperes.

« Divina disponente clementia ego DIDACUS II, Ecclesiæ B. Jacobi episc., cum ejusdem sedis canonicorum judicio, cæterorumque nobilium virorum consilio, prædecessorum statum relegendo, ad protegendum populum, ad exhibendam justitiæ normam in toto honore B. Jacobi, excepta Compostellana urbe, omnibusque burgis, quo advenæ aliique complures confluentes statuta nullatenus observare valerent, hujusmodi decreta constituo, et constituendo confirmo : »

1. *De Ecclesiis.* — « A capite igitur exordium sumentes, præcipimus ne quis ecclesiæ terminos irrumpat, aut violenter ingrediatur. Si quis vero intra ecclesiæ terminos quidpiam capere, aut sibi præsigillare existente justitia et exigente voluerit, pontificis vicarium, ut licentiam sibi dari prius expostulet.

2. *De domibus nobilium, et ignobilium, de pignoribus, et de perpetratis calumniis.* — In domibus nobilium, seu ubicunque eorum uxores aut filii inermes fuerint, vicariis et quibusque aliis pignerandi licentiam resecamus. In cæterorum quoque domibus id ipsum observare præcipimus, excepto si furti aut homicidii, aut violentæ mulieris violationis, quod vulgo raptum dicitur, aut quadragesimalis tributi causa exstiterit. Quod si extra domos rusticanas armenta, cæterave hujusmodi, quæ pro perpetrata calumnia capiantur, inventa minime fuerint, vicarius, admotis vicinis et legitimis testibus, domum præsigillet, vel inde pignus abstrahat. Quidquid ut prædictum est, pigneratum fuerit quousque VIII dies compleantur, integrum conservetur, et vicinis reservandum commendetur, et usque ad præfinitum terminum illæsum et ab omni usu liberum maneat; si fuerint omnia animalia exercendi operis studio adhibenda, totius laboris expertia serventur. Tandem si calumniæ perpetrator præfinito tempore ad examinandam justitiam venire neglexerit, nisi necessaria detentus causa fuerit, justitiæ examinatores pro calumniæ quantitate pignoris partem detineant: cætera dominis suis referantur. Si quis injuste vel absque domini sui petita licentia quempiam pignerare præsumpserit, duplum restituat, et sexaginta solidos pontifici persolvat. Verumtamen quisquis prius requisita justitia coram idoneis testibus cum vicario pigneravit, duplum minime restituat.

3. *De judicibus.* — Hæreditatum et ecclesiarum causæ non nisi ab optimatibus, et apostolicæ sedis judicibus diffiniantur. Calumniæ fidejussoriæ judicia, more antecessorum nostrorum posthabitis in honore B. Jacobi aliis judicibus, apostolicæ sedis judicibus referantur.

4. *De calumniis pauperum.* — Pauperes et imbecilles misericorditer calumnias compleant, ut beneficiis suis penitus non priventur.

5. *De proditoribus et latronibus.* — Proditores et latrones nemo protegere, nemo defendere præsumat. Sane eorum protectores damna vel calumnias quæ illi sustinere meruerant, sustineant.

6. *De furibus.* — Fur, postquam tertio furti reus convictus comprehensusve fuerit, principibus terræ atque justitiæ examinatoribus tradatur. Qui, dictante justitia, pro meritis ultionem in eum exerceant, sibique dati gladii causam animadvertant; noverint enim quia : « Qui percutit malos in eo quod mali sunt, minister Dei est ; » et alibi : « Punire malos non est effusio sanguinis. »

7. *De characteribus.* — Characteres coram totius Ecclesiæ conventu, sive publico concilio, fieri jubemus aliter facta valere inhibemus.

8. *De fossataria, et luctuosa.* — His qui servilis conditionis jugum sustinent, vel qui quadragesimalia tributa persolvunt, reditus solitos qui fossataria et luctuosa nuncupantur, relaxamus, si patrum parentumve suorum hæreditates incolunt.

9. *De die Dominica.* — In Dominica die ruricolas ad civitatem negotiatum ire prohibemus.

10. *De placitis, et cæteris scriptis.* — Placita et cætera hujuscemodi scripta ab authenticis clericis sicut a judicibus, vel ab archidiacono, sive ab ipsius loci archipresbytero fiant. Sin autem, cassa habeantur.

11. *De causis pauperum.* — Si quis potentum judicii causam tractare adversus pauperem, vel definire habuerit, similem personam introducat, quæ per se causam suam definiat, ne forte cujuspiam majestate pauperis justitia suffocetur.

12. *De Quadragesima.* — Diebus Quadragesimæ characteres fieri, calumniarum causas definiri, judicia exerceri, fossatariam dari, nisi magna expeditionis necessitas ingruerit, nostris quidem non extraneis, qui pro dominorum suorum velle tractabuntur, excepta furti, rausi, homicidii, quadragesimalis tributi causa, removemus.

13. *Ut calumniarum causæ in Kalendis discutiantur.* — Die Kalendarum archipresbyteri, presbyteri, milites, rustici, in Kalendarum antecessorum more conveniant: tunc si quid querelæ vel injuriæ obortum fuerit, ab archipresbytero, cæterisque discretis viris, veraciter perquiratur et emendetur; quod si definire nequiverit, sequenti die super illius negotii causa vera indagine facta pontifici, atque apostolicæ sedis primatibus referatur et determinetur.

14. *De causis agendis in* VI *feria.* — Uniuscujusque hebdomadæ sexta feria pontificalis palatii janius reseratis, quidquid querelæ, quidquid injuriæ fuerit, in præsentia pontificis, judicum et canonicorum intimetur et diffiniatur.

15. *De lupis exagitandis.* — In unoquoque Sabbato (excepto Paschæ et Pentecostes) presbyteri, milites, rustici, cujusque negotii immunes, lupos exagitantes persequantur, et eis præcipitia, quod vulgus *fogios* vocant, præparent. Quæque etiam ecclesia VII ferreas cannas persolvat. Ad hoc negotium quisquis ire distulerit, si sit sacerdos, nisi infirmorum visitatione detineatur, vel miles, V solidos, rusticus vero ovem vel solidum persolvat.

16. *De vicariis.* — Milites et quicunque principatu præeminent, villicationibus suis tales vicarios statuant, qui, si quid contra decretorum justitiam egerint, calumniarum causas unde compleant habeant. Sin autem, eorum domini perpetrati damni et justitiæ calumnias sustineant.

17. *De latronibus.* — Quicunque latronem comprehenderit, cum villico terræ tradat, et quæcunque villicus ab eo abstraxerit, horum tertiam partem habeat, sic et de proditoribus.

18. *Ne quis res mortuorum diripiat aut inquietet.* — Quoties quis naturæ jura persolverit, illius hæreditates, cæteraque beneficia, usque ad X dies, integra, nullique inquietatione labefacta, qualiter ille dimiserit, consistant. Finitis autem X diebus, possessionibus cæterisque beneficiis sub eodem jure, sub quo mortis spiculo occiderit, qualiterve dimiserit, existentibus, si qua calumniarum schismata super his fuerint, ab apostolicæ sedis judicibus, cæterisque disertis viris diffiniantur. Cæterum ne quis hæredipeta, ne quis sicophanta usurpative accedat justitiæ argumentis plenius indagetur.

19. *Ne in Dominica sajones licentiam habeant pignorandi.* — Ab hora nona Sabbati, usque in feria secunda hora prima, nullus sajo habeat licentiam pignorandi, nisi homicidas, latrones, scilicet violatores virginum, per vim raptores et proditores: et si aliquis de extranea patria justitiam postulaverit, infra supradictum tempus justitiam sumat.

20. *Ne conventus alternantium fiat in ecclesia.* — Sajonum concilium vel militum conventus in ecclesia, sive terminis ejus fieri prohibemus.

21. *Ne clerici fiant laicorum villici vel pædagogi.* — Clerici neque laicorum villici efficiantur, neque filiorum illorum nutritores, neque a laica persona dehonestentur, vel eorum bona capiantur. Qui aliter egerit, canonicam institutionem componat, et excommunicatus a conventu fidelium sequestretur.

22. *De rebus captivatorum.* — Bona eorum qui capiuntur a Mauris, usque ad annum plena intemerata et integra conserventur, ut si forte fortuitu captum potuerint redimere, redimant; sin autem, completo anno juxta arbitrium propinquorum eorum bona distribuantur.

23. *De mercatoribus et peregrinis.* — Mercatores, romarii et peregrini non pignerentur; et qui aliter egerit, duplet quæ tulerit, et sit excommunicatus, et solidos LX persolvat domino illius honoris.

24. *De clericis.* — Clerici fossatariam non dent. Abbates et clericos venientes ad synodum, vel votum aut tertias afferentes, pignerari vetamus.

25. *De mensuris.* — Omnes alias tls (87) nisi ad mensuram illius petræ quæ stat in campo Compostellæ, tam in hac civitate, quam extra vendere vel emere prohibemus, et qui aliter egerit excommunicatus LX solidos solvat, donec resipiscat.

CAPUT XCVII.

De concilio Palentiæ, et de capellano reginæ in Lucensem episcopum electo.

In prædicto Palentiæ concilio (88) Toletanus archiep. et S.R.E. legatus una cum plerisque Hispaniarum episcopis, abbatibus, pro modo et tempore

(87) *Talegas* lege, mensuræ scilicet species, quæ alterius a nostri *fanega* dictæ, quarta est apud Gallæcos pars.

(88) Anno 1113, ut initio cap. 92 prænotavimus.

justitiæ examinationem salubrius edisserendo, rapinas, incendia, cædes, cæteras que Hispaniæ calamitates de die in diem crebrius ingruere doluit. Communicatis autem omnium consiliis, ineffabilem Dei misericordiam omnes humillima devotione, quatenus tot tantisque malis remedia maturius impendere dignaretur, expostulavere. Demum Ecclesiarum subversiones, divina etiam et humana audacius temerata ingemiscentes, consulere, relevare, tantisque calamitatibus, Deo opitulante, finem imponere, sollicite curarunt. Lucensi quoque Ecclesiæ, de cujus inquietatione sermo in publicum ventilatus est, paternæ consolationis auxilium non distulere; illa namque jamdum tutore privata, et pene pastore viduata, maximis procellis, ut puta bellorum tempore, impellebatur. Petrus quippe, ejusdem Ecclesiæ episcopus, totus supernæ beatitudini inhians, et ab hujus mundi cura immunis, tanti culminis sollicitudinem ferre recusabat. Lucensis Ecclesiæ honorem protegere, animarum curam gerere, multis diversisque negotiis insudare, sicut necessarium erat, nequibat. Præterea illum ægrimonia vexabat, nec amplius ad id officii satis esse poterat. Eapropter prædicta Ecclesia, patrocinio viduata, procellarum impulsu valde inquietabatur, et maxime comitis R. dominio subjugata, opprimebatur. Quapropter generali collegio sancitum est quod, quoniam prædictus Lucensis Ecclesiæ episcopus regiminis curam ferre penitus renuebat, nec pontificis ministerium implere ullatenus poterat, ne Ecclesia fundo tenus exstirparetur, alium qui et Ecclesiam a morsibus hiantium protegeret, et curam animarum gereret, canonice in episcopum promoveri. Igitur Lucensis Ecclesiæ clerici, archiepiscopum adeuntes, quatenus, matris suæ desolationi consulens, eorum petitioni condescendat misericorditer exposcunt. Ipse quoque præfatus summæ religionis vir, ut jam tanto labori desisteret, aliusque, qui, quod ipse nullo modo implere poterat, et Ecclesiam protegeret, et pastoris officium teneret, in episcopum eligeretur, summopere precibus impetrare laboravit. A supradictis itaque Lucensis Ecclesiæ cæterisque venerabilibus personis Petrus reginæ U. capellanus designatur præsul, et summo affectu exposcitur. Deinde ad Lucensem urbem canonice ad episcopatum promovendus mittitur. Ipse equidem archiepiscopus super illius electione atque consecratione D. Compostellano episcopo, A. Tudensi, D. Auriensi, M. Minduniensi, has litteras direxit.

CAPUT XCVIII.

De scrutinio et consecratione Lucensis electi.

« BERNARDUS Dei gratia Toletanæ sedis archiepiscopus, et S. R. E. legatus, dilectis in Christo fratribus atque coepiscopis, domino D. Compostellano, domino M. Minduniensi, domino A. Tudensi, domino D. Auriensi, cœlestis regni aditum.

« Vestræ fraternitati notum fieri volumus, Lucensis Ecclesiæ clerum et populum dominum Petrum capellanum reginæ, sicut accepimus, sibi in A pastorem elegisse, sed, utrum electio canonica fuerit quia ignoramus, vobis charitative præcipimus atque præcipiendo rogamus quatenus rem diligentius perquiratis; quod si electionem canonicam inveneritis, quia Bracarensis, quamdiu S. R. E. inobediens, sicut nostis, atque rebellis exstiterit, ab episcopali suspensus officio, neminem consecrare potest; aut cum domino Compostellano vice nostra fungente benedicere studete, aut nobis cum vestris litteris ipsum procul dubio consecrandum dirigite. Mauritio autem, dum in hac malitia perseveraverit, nullus episcopus, nullus Bracarensis provinciæ abbas, sed nec clericus, aut laicus, ut dignum est, obedientiam exhibeat. Valete. »

Visis autem his litteris de ejus electione promptissima B indagine consulitur, et, quoniam canonice fuerat facta, consecratio non differtur. Fungente igitur Didaco B. Jacobi episcopo vice archiepiscopi Lucensis Ecclesiæ electus in ecclesia B. Jacobi, VII. K. Maii præsentibus D. Auriensi, M. Mindun episcopis in episcopum consecratur, et Lucensi Ecclesiæ pastor destinatur.

Item supradictus archiepiscopus Didaco Ecclesiæ B. Jacobi episcopo has litteras direxit.

CAPUT XCIX.

Ad insinuandam amicitiam inter Toletanum archiepiscopum et episcopum Compostellanum de excommunicatione M. Bracarensis archiepiscopi.

« BERNARDUS Dei gratia Toletanæ sedis archiepiscopus, et S. R. E. legatus, dilecto in Christo fratri coepiscopo C domino D. Compostellano, supernis civibus feliciter copulari.

Magno mentis affectu, multo animi desiderio, vestram, si fieri posset, optarem videre amicitiam, de communi utilitate hujus regni maxime perturbati vobiscum locuturus. Sed quoniam tanta est perturbatio, quod mutuo visu præsentialiter fraudamur, jungat charitas et epistola quos separat corporis absentia. Noverit igitur dilectio vestra M. Bracarensem, quoniam de invasione Legionensis Ecclesiæ satisfacere noluit, et exinde a nobis ab utroque officio suspensus, episcopale et sacerdotale officium imprudenter celebrare præsumpsit, subjectas a domino papa accepisse litteras: *Inter querelas alias quæ de te ad sedem apostolicam delatæ sunt Legionensis Ecclesiæ invasio et contritio nos gravius* D *contristavit: super qua et nostris litteris monitus, et a vicario nostro B. Toletano ad concilium evocatus, et venire et satisfacere contempsisti. Ad hæc pro hujusmodi nequitia et inobedientia per eum tam a sacerdotali, quam episcopali officio interdictus eadem officia celebrare pertinaciter præsumpsisti. Nos igitur auctore Deo tantum nequitiæ et superbiæ facinus ulciscentes, et eadem tibi officia et Bracarensis Ecclesiæ obedientiam interdicimus, donec resipiscens obedias et plenius satisfacias. Datum Laterani,* XIV *K. Maii, indictione* VII *(anno 1114)*

« Precamur igitur amicitiam vestram quatenus omnibus suffraganeis Bracarensis Ecclesiæ epi

scopis has ostendatis litteras, et ne prædicto M. secundum jussionem domini papæ obedientiam exhibeant admoneatis. Has quoque alias Portogalensium infantis e vestri gratia pro nostro amore destinate. Valete. »

CAPUT C.

De Ecclesiis et hæreditatibus ab eodem Ecclesiæ B. Jacobi episc. acquisitis.

Eodem quoque tempore prædictus apostolicæ Ecclesiæ episcopus, circa dignitatem augmentationemque suæ Ecclesiæ usquequaque indefessa sollicitudine anhelans, ecclesias fabricavit, hæreditates et possessiones lucrifecit, ædificia et municipia construxit. Has scilicet hæreditates Ecclesiæ suæ acquisivit, monasterium S. Pelagii de Circitello cum familia sua et villis suis, videlicet Villamajore Maurentani, Castro fracto, Salamiri, Cesari, Angerice, Quintanas, Villar. Rubi. Salimes cum ecclesia S. Marthæ, et in castella Molnes, Ango; in Deza, villas Trauca, Occa, Ordiale; in Siaonia, alias villas, cum omnibus testationibus et adjunctionibus prædicti monasterii ubicunque inveniri poterint. Item, filia comitis Petri Froylaz, nomine Euxemena, ecclesiæ B. Jacobi octavam partem S. Mariæ de Transmonte contulit cum familia sua, omnibusque adjunctionibus suis. Octavam quoque partem de S. Pelagio de Lenes cum familia sua, omnibusque adjunctionibus suis, ejusdem quoque comitis P. frater, nomine Rudericus Froylazi, quoddam rus quod est secus Avegundi, villam scilicet B. Jacobi, ejusdem apostoli Ecclesiæ tribuit. Præterea idem episcopus quasdam ecclesias ædificavit, ecclesiam S. Jacobi de Patrono, ecclesiam de Pilonio, ecclesiam S. Salvatoris de Cherua in Pistomarcis. Castrum quoque Honesti turribus munivit, muro circumdedit, ponte cæterisque decoravit, et quam plura ædificia in honore B. Jacobi construxit. Item Rabinatus Muniz dedit Ecclesiæ B. Jacobi Villam Aquilon, Vilar, Rial cum familia, et adjunctionibus suis. Comes quoque Petrus cum comitissa uxore sua domina M. ibidem contulit in Ventosa medietatem unius ecclesiæ, scilicet S. Christophori, et in terra de Faro tertiam partem alterius ecclesiæ S. Mariæ de Aoso. Item in Coronato dedit Suarius Froylaz villam, nomine Bausendi, et alias duas villas ibidem.

Eodem fere tempore regina domina U. venerabilis mem. regis Adefonsi filia, quosdam B. Jacobi Ecclesiæ clericos, Didacum scilicet Ludanensem(89), et ejus fratres Pelagium, et Petrum, et totam eorum progeniem cum tota sua hæreditate esse capite censos asserebat, et eos sibi servili conditione debere servire multis assertionibus comprobare volebat; et quia illi B. Jacobi canonici erant, episcopus D., de eorum dedecore et detrimento non modicum contristatus, dominam reginam summis et indefessis precibus interpellavit ut illiusmodi calumniam divino et B. Jacobi amore omnino postponeret, et supradictos clericos et eorum progeniem quietos esse, et libertatis jure uti in Dei obsequium et suorum peccatorum remissionem permitteret. Cujus petioni regina condescendere non solum illos de suo genio inquietare domini episcopi intercessione cessavit, verum omnes eos inter suos familiares et speciales amicos ex illo tempore habere disposuit. Duobus autem supradictorum fratrum Pelagio et Petro mortuis, tertio autem vivente, scilicet Didaco, sed insano, qui suum patruum diabolo stimulante dum esset insanus interfecit, Nuno Budanensis cum suo fratre Froyla, et avunculo suo Didaco Dulcitii, et aliis parentibus, Budanense monasterium in terra de Coronato stabilitum, quod sua propria hæreditas erat, B. Jacobi Ecclesiæ incartaverunt, et testamentum in ostensionem et confirmationem suæ incartationis a seipsis factum propriis manibus roboraverunt, et roboratum domino episcopo in thesauro B. Jacobi tenendum et habendum, læta manu et jucundo animo tradiderunt. Hanc autem incartationem eo tenore et eo pacto fecerunt, ut, quandiu illi viverent, supradictum monasterium ad usum vitæ haberent, et B. Jacobi Ecclesiæ subditi et obedientes essent. Hoc quoque additum est, ut si qui ex eorum progenie clerici esse, et sæculariter continere vellent, prædictum monasterium eodem tenore possiderent. Hoc testamento facto et ab illis accepto, omnia fere chartaria quæ illi de supradicto monasterio habebant, dominus episcopus, nulla mala arte, et nullo malo ingenio acquisivit, et in B. Jacobi thesauro ad testimonium supradictæ conditionis reposuit.

Petrus quoque Vimaraz cum uxore sua dedit inter ambos pontes sextam partem ecclesiæ de Tabladella B. Jacobi Ecclesiæ. Dedit etiam villam de Tabladella cum servitiali. Præter hoc idem supradictus Ep. ecclesiam S. Thomæ Apostoli de Ojames restauravit, renovavit, et consecravit. Idem Ovecus Gallæciæ comes, et uxor sua Eila dedere B. Jacobo in ripa Pisorgi portionem suam de villa Bovadella; et de villa Pisata, et omnes servos suos a servitutis jugo absolutos tuitioni B. Jacobi commendarunt. Comes quoque Petrus cum uxore sua comitissa M. medietatem filiorum ecclesiæ S. Tyrsi de Avegundo cum charactere suo prædicto dedere apostolo, quam ecclesiam jam dudum ibidem contulerant. Item M. Gelmirides fratres prædicti pontificis suas portiones quinque ecclesiarum, scilicet S. Petri de Orvego, S. Michaelis de Castanella, S. Jacobi de Ripa de Sar, S. Antonini de Castro, B. Jacobo contulit, hac conditione, ut annuatim in anniversario suo, scilicet in festivitate S. Mariæ Magdalenæ, de illis canonici splendide procurentur. Item Arias Petrides dedit Villam Viridem. Item Visclavara Froylaz, soror comitis Petri, dedit B. Jabobo medietatem S. Petri de Grendes in Nemitos.

Comes Munio, et uxor sua comitissa Lupa contulere B. Jacobo portionem suam ecclesiæ S. Eulaliæ de Aria, in Salceta, unnm servitialem cum sua hæ-

(89) *Budanensem*, ex sequentibus, leges.

reditate ; in Amunio,alium servitialem cum sua hæreditate; in Decia,villam de Vellegio cum sua creatione ; in Aviancos,S. Martinum de Olarios sicut U. regina dederat eis. Item Raunemirus Muninz,dedit prædicto apostolo totam suam portionem S.Martini de Severana cum adjunctionibus suis, scilicet S. Joanne de Bojon, cum villis et hæreditatibus, id est, villa de Forno, villa de Cerquitu cum omnibus aliis hæreditatibus; item pro parte S.Martini de Severana medietatem S. Mariæ de Coleirsi, medietatem S. Petri de Sena, medietatem S. Eulaliæ in ripa Umiæ, medietatem Sanctæ Leocritiæ de Sicana, medietatem S. Martini de Meix, portionem suam monasterii de Calogo cum suis adjunctionibus, id est villa Callario, et item Callerii, et 3 et Callarius; item portionem suam de Deiru, et de villa Usa,ei de villa de Curbellion,et de villa de Unio,et de villa de Portas, et de villa de Loix,et de S.Maria da Vesomanio. Item Marinu Fredenandiz dedit B. Jacobo portionem suam Ecclesiæ S. Salvatoris de Sobradello. Item Petrus Arias dedit B. Jacobo portionem suam, de Villa nova. Item Gundesindus Cidiz dedit B.Jacobo in Taberiolos quartam partem Ecclesiæ S.Joannis de Santellas cum adjunctionibus, et creatione sua. Munio quoque Didaz contulit B.Jacobo partem suam S. Mariæ de Carredecello cum adjunctionibus, et cum quodam rure. Item regina Urraca dedit B. Jacobo medietatem monasterii de Ledesma cum adjunctionibus, et creatione sua, et medietatem monasterii S.Stephani de Caneda similiter cum adjunctionibus, et creatione sua. Item regina dedit B. Jacobo scripturæ testamento Caldas de cuntes, et quamdam hæreditatem in sautu de Lide, et aliam in Veja.

Amicitia inter archiepiscopum et comitem P.

« Ego comes dominus P.Froylaz cum his inferius denotatis juro vobis, domino Didaco II episcopo, per Deum Patrem omnipotentem, et per omnes sanctos ejus et virtutes cœli, ut salva fidelitate infantis domini A. vel alterius domini quem communi consilio susceperimus,sim vester fidelis amicus absque fraude et malo ingenio, et custodiam et defendam vitam vestram et membra,et honorem quem nunc habetis vel habituri estis, modis omnibus deprimendo dedecus vestrum, in omnibus et per omnia et similiter honorem exaltando, contra omnes homines secundum meum posse et ingenium et arbitrium ; et similiter juro ut parentes vestros, quos mihi commendaveritis,et ipsi se mihi conjunxerint, adjuvem et amparem, sicut aliquos de meis bonis hominibus : homines vero et honores B. Jacobi, qui sunt in mea terra,defendam et amparem, ad vestrum proficuum et utilitatem, ita quod per me nullum impedimentum aut damnum habeatis in eis, et si ego aliquam injuriam fecero ibi, aut mei homines.corrigam per me,aut per judicium et laudamentum de nostris amicis et hominibus ex toto velle meo et posse ; et si forte fortuitu perdideritis honorem vestrum,medietatem mei honoris tribuam vobis, et defendam et amparem vos,et canonicos vestros,qui vestri amici fuerint et mei,sicut memetipsum. De sublimando autem infante domino A. et de suis honoribus dandis et conferendis, secundum jussum et vestrum consilium faciamus,dum eum in potestate nostra habuerimus,et si de hoc juramento mentitus fuero,sim ego perjurus,et isti qui mecum jurant, si se perjurare voluerint, stent cum suis præstaminibus et honoribus, exceptis castris, vobiscum, et adjuvent vos sine arte et male ingenio ei de istis qui sunt in hoc pacto, sicut discusserint et judicaverint de omnibus negotiis inter nos factis. itr faciam ; et hoc juramentum sit solutum, si nos solverimus.

« Qui jurant cum domino P. comite ad illum episcopum hi sunt:uxor ejus comitissa domina.Major. Veremudus Petriz filius ejus,Fernandus Petriz filius ejus. Arias Nuniz, Arias Exemeniz, Froyla Petriz. Arias Sesmondiz,Sarracenus Muniz. Froyla Afonso. Joannes Gutierrez. »

CAPUT CI.

De concilio apud Legionem celebrando.

Non post multum temporis Bernardus Toletanæ sedis archiep. et S. R. E. leg. prædicto pontifici has subsequentes litteras direxit,et ut ad concilium quod Legione XV K. Novembris celebraturus erat, veniret, ei mandavit.

« BERNARDUS Dei gratia Toletanæ sedis archiep.et S. R. E. leg. dilecto fratri,et coepiscopo domino D. Compostellano, sempiternam beatitudinem.

« Noverit dilectio vestra me cum rege (90) et regina de communi pace locutum fuisse;sed quoniam inter eos nullam concordiam,rege renuente, facere potuimus, concilium Legione, XV Kal. Novembris (*die* 18 *Oct.*) celebrare decrevimus, cui dilectionem vestram interesse volumus, atque præcipimus. Valde enim in eo nobis necessarius eritis, nec ulla occasione optamus ut præsentiam vestram prædictæ synodo subtrahatis.Valete.Abbates vero atque præpositos vestræ diœcesis vobiscum adducere mandamus. »

De statu S. Ecclesiæ, et de rigore justitiæ quem prædictus ecclesiæ B. Jacobi episcopus cum inferius nominatis episcopis stabilivit.

« Nos divina dispensatione Ecclesiæ Dei ministri, Didacus Compostellanæ sedis,A. Tudinensis,Munio Vallibriensis, Petrus Lucensis, Didacus Auriensis, Hugo Portugalensis,nutu domini Bernardi Toletanæ sedis archiep. et S. R. E. leg., XV K. Decemb. (*die* 17 *Nov.*) Compostellanæ convenimus, et cum abbatibus monasteriorum Gallæciæ, cæterisque religiosis prælatis concilium celebravimus, Domino annuente. In quo equidem concilio comites,et cæteros terræ optimates, qui ad concilium Legionense ire non potuerunt, commonere fecimus ut decreta quæ in eodem concilio sancita fuerant, inviolabili observatione custodirent, I. Ut in Ecclesiis Dei et earum rebus et ministris nullus laicus violentiam

(90) Aragonensi scilicet.

aliquam facere præsumat et hæreditates et testamenta eidem ecclesiis integre restituantur, quæ injuste ab eis ablata sunt. 2. Ut nullus laicus aliquam habeat potestatem intra sacrarium ecclesiæ, quod vulgariter passales, vel dextros appellamus. 3. Quod nullus laicus decimas ecclesiarum, vel primitias, seu oblationes vivorum vel mortuorum nec accipere neque tangere audeat, et quod nullus ordinatus, a manu laica Ecclesiam suscipiat. 4. Ut negotiatores, et peregrini, et laboratores in pace sint, et securi per terras eant; ut nemo in eos vel eorum res manus mittat. 5. Ut legitimum conjugium nullo modo violetur, et qui in consanguinitate vel parentela conjuncti sunt, omnino separentur, aut communione priventur. 6. Ut proditores et manifesti perjuri, et eorum testimonia a nullo suscipiantur, quia infames sunt. 7. Ut nulla persona ecclesiam vendat, vel comparet, seu alicui laico incartet, quia Simoniacum est. 8. Ut nullus clericus mulierem in domo sua habeat, præter eas quas canones consentiunt. 9. Ut monachi, vel clerici qui reliquerunt habitum, communione priventur, donec resipiscant. 10. Ut monachi sub manu abbatis vivant, et proprietatem non habeant, et publica officia ut parochiani presbyteri non faciant. Qui vero hæc decreta secundum dispositionem episcoporum suorum observare et complere studuerint, gratiam Dei omnipotentis habere mereantur; illi autem qui neglexerint, tam in Campis et in Castella, quam in Portugali et in Gallæcia, necnon in Extremitatibus, et Aragonia, anathemati subjacebunt, et in eorum terra vel dominatione officium divinum nullatenus celebrabitur, præter pœnitentiam et baptisterium. Confraternitatem etiam inter nos fecimus, ut alius alium diligat, et alius alii, si necesse fuerit, pro posse suo subveniat, et mutuam charitatem invicem habeamus; et quando aliquis nostrum obibit, ejus animæ alii unanimiter succurrant eleemosynis, orationibus, sacrificiis, quatenus ad æternam beatitudinem pervenire possit. Ad hanc autem confraternitatem confirmandam statuimus ut unoquoque anno mediante Quadragesima Compostellæ conveniamus, et corrigamus malefacta quæ ad audientiam nostram venerint. » Item hæc ad Romanum pontificem eodem Compostellano episcopo ad Ecclesiæ suæ exaltationem sollicite desudanti (91) directa sunt.

Responsio ad petitionem episcopi.

« Paschalis episcopus, » etc.

« Etsi procul a vobis positi, » etc. *Vide in Paschali, ad an.* 1118, *Patrolog. t.* CLXIII, *sub num.* 393.

Hæc quoque a Joanne Gaietano, et cardinali et cancellario, ei directa sunt, qui postea Gelasius papa.

« Charissimo fratri et amico dulcissimo D. Compostellano episcopo fr. Joannes, Dei gratia diaconus, salutem in Domino. Benignitati vestræ gratias agimus, quia quod ab aliis nuntiis vestris minus factum fuerat, per alios adimplestis. De negotio quod significasti mihi, diutius cum domino papa tractare non potui, quia, me in Urbe commorante, ipse longe discesserat; pridie tamen ante B. Joannis vigiliam rediit: pro tempore tamen egi quod potui: sed hoc tempore in dissensione tanta, nec ipsi nec nobis videtur idoneum hujusmodi mutationem deliberare. Illud enim parum quod Christiani tenent de provincia Emeritæ, Toletanus episcopus possidet, quem hoc tempore in tanta compressione perturbare, peccatum est. Cæterum si quid nostræ industriæ est, nobis negotiis vestris paratum semper fuisse: Vos ergo nostri memores sitis. Custodiat vos qui custodit Israel. Amen. »

CAPUT CII.

De machinatione reginæ in episcopum et de reconciliatione eorum.

Interea regina U. in Gallæciam repedavit, et Compostellam pervenit. Porro prædictus S. Jaboli episcopus, quoniam eam susurronibus atque detractoribus facile acquiescere, et quoniam ejus animum ad regendum in pace et justitia Hispaniæ regnum femineum et inermem noverat, et quoniam filii ejus regis Ildefonsi domino Gallæciæ regnum debere subjici, si justitia, prout decebat, polleret, sciebat, animum suum ab ejusdem reginæ favore, aliquatenus removerat. Regina autem inimicorum episcopi consilio, si locus aut tempus exigeret, illum capere satagebat. Interim alterutrum verba protendebantur, regina muscipulam machinante, et episcopo sagacius sibi cavente. Cumque regina cassata intentione prius in Salniensi pago et circumquaque moraretur, quo loco, vel quo modo, vel quibus coadjutoribus episcopum capere posset pertractavit. Optabat namque, sed non præsumebat; pertractabat, sed verebatur. Denique stabilivit ut episcopus qui tunc Iriæ aderat, sibi a partibus illis revertenti occurreret, et sic insperato caperetur; non enim Compostellæ, aut ubi a suis vallaretur, in eum manus injicere auderet. Comes namque P. Froylaz, præcordialis amicus supradicti episcopi, audita proditione ab ipsa equidem regina et consiliariis suis, vehementer expavit; per nuntium suum clam et sub magna fide diem, horamque pontifici, et quomodo facere debuerat, fideliter, et ut sibi melius caveret, et fideliter protegeret, patefecit.

Audita nefandæ proditionis fraude episcopus Compostellam remeat, prius tamen villicis suis injungens, ut reginam apud patronum honorifice procurent. Post hæc proceres suos, canonicos, cives, in unum convocat, quidquid revelatum fuerit sibi, qualiterve in se machinetur agere regina, palam edisserit. Omnes mirantur, tamque pravi consilii causas unanimiter exsecrant. Inito denique consilio, episcopus armata manu equitum atque peditum

(91) Compostellanus episcopus de transferenda in Ecclesiam suam Emeritensi metropoli serio et avidissimi cogitabat. De hoc illi præcipue cura; ad hæc responsio pontificis, esto nihil de petitione exprimat.

circumvallatur, ne quid in eum temerarie hostes A audeant, neve quod machinati fuerant ad effectum perducant. Regina, ut comperit consilii sui fraudem cassatam, nec ulterius posse proficere, consilium abdicat, neque se unicam talia excogitasse obnixius astruit. Culpam lacrymis utcunque obumbrat, et episcopum, utpote patronum suum, tanquam se ipsam diligere, honorare, et protegere velle, jurejurando affirmat: scriptum est enim: «Cor stultorum dissimile erit (*Prov.* xv, 7).» Nihilominus tamen episcopus reginam accurate suscepit, eique obsequium regii honoris impendit; nimirum armis circumseptus hostibus suis formidandus erat. Convenere autem Compostellam Gallæciæ comites, cæterique optimatum, inter reginam et episcopum dissidium moleste ferentes, et omnes hujusmodi B consilii complices, nefarios proditores vocant, et pacem inter eos restitui summopere elaborant. Tandem regina episcopum et proceres suos ad fœderis unionem revocat, eique cum xx optimis baronum, Gallæciæ, Castellæ, et Campaniæ, hujusmodi pactum et juramentum facit.

Juramentum reginæ.

« Ego regina domina U. juro vobis domino D. episc. per Deum Patrem omnipotentem, et per omnes sanctos ejus, ut de isto die in antea sim vestra fidelis amica, de vestro corpore et vestro honore quem habetis vel habituri estis, sine mala arte et malo ingenio, ad meum posse, et non perdatis honorem vestrum per me, vel per meum consilium vel ingenium; et consilia quæ mihi dixeritis et celare mandaveritis, non discooperiam in loco C unde vobis male contingat, et ut adjuvem vos defendere et amparare honorem vestrum ad directum contra omnes homines; et si aliquis homo dixerit mihi male de vobis, non habeam inde curam, vel affrontem vobis: et si aliquod malum fuerit affrontatum de me ad vos, corrigam me per judicium M. Vallibriensis episcopi, et domini A. et P. Muniz, et A. et P. Anaiaz, et si isti minus fuerunt, ponamus alios qui nobis complaceant, et si hoc juramentum perjuravero, sitis vos absoluti et vestri juratores, et ego perjura si me emendare noluero, usque ad x dies si fuerimus in Gallæcia, et si inde foris fuerimus, usque ad tres menses postquam advocata fuero in regno meo; adjicimus autem in hoc juramento, ut si ego perjura fuero, omnes juratores D mei sint ex parte vestra. »

« Nos juratores de parte reginæ dominæ U. juramus vobis domino D. episcopo ut sicut superius scriptum est, sic regina domina Urraca exsequatur. Si autem regina renuerit jussionem, præscriptorum faciemus judicium. Nos hoc in concilio testemur semel, vel bis, competenti loco et tempore, in regno ejus, sin autem, simul perjuri juxta concessionem ejus. Comes dominus M. Adefonsus Ruderiquiz, Fredenandus Joannes, Joannes Didaci, et quos absolverit episcopus sint absoluti ab hoc juramento. »

(92) De hoc iterum lib. II, cap. 21.

CAPUT CIII.

De navibus episcopi, et de præda per eos in Saracenos facta.

Iisdem temporibus Hispalenses, Sallenses, Castellenses, Salvienses, Lisbonenses, cæterique Saraceni ab Hispalis usque ad Colimbriam continia maris incolentes, naves construere consueverant, et navigio armata manu venientes, maritima a Colimbria usque ad Pyrenæos, videlicet Portugaliam, Morracios, Saliniensium fines, Pistomarchos, Gentinos, Nemarcos, Sonariam, Salagiam, Bregantinos, Nemitos, Prucios, Bisancos, Trasancos, Vivarium, Duvios, Naviam, cæterosque maritimos Asturum fines, terramque S. Julianæ depopulando vastabant. Præcipue littora maris, quæ propius provinciæ B. Jacobi adjacent, circumquaque pessundabant. Ad insulas namque quæ prope sunt, scilicet Flamiam, Aonios, Salvaram, Arouçam, Creviam, Montemque Lauros, cursus destinantes, ibi sedem suam figebant, ibique se ipsos navesque suas ab itineris labore reficiebant. Hinc crebros assultus in Christianos modo clanculo, modo aperta fronte faciebant. Quid multis morer? Ecclesias funditus destruebant, altaria suffodiebant (quod dici nefas est). Palatia quoque nobilium virorum, villas, tuguria incendebant, arbores succidebant, armenta etiam interficiebant, et quantum de eis necesse habebant, in navi reponebant, viros, mulieres, juvenes, pueros, alios captivabant, alios morti tradebant (92). Quid referam? Fredenandum Ariam, Menendum Didacidem, nobilissimos viros, et valde potentes ab illis captivatos, et pro se redimendis ex captivos Christianos, tamen ex servili conditione, captivitati eorum dedisse. Præterea complures nobilium, alios captivitati, alios neci dedere; quippe in littore maris ipsi Saraceni tentoria sua figebant. Igitur Oceani littoris agricolæ a medio veris usque ad medium autumni littora deserebant, aut in speluncis cum omni domo sua latitabant.

Tot tantisque gentilium persecutionibus prædictus ecclesiæ B. Jacobi episcopus cum optimatibus Gallæciæ medicinæ manum sæpius porrigere curaverat. Verum enim vero Gallæciani nec naves construere, exceptis sarcinariis, nec veliferis hiremibus pelagi alta secare in consuetudine habebant. Quamobrem episcopus tot tantisque malis se nullatenus finem imponere posse rebatur. Porro, ut prædictum est, decreta quibus plebs a potentioribus inconcussa maneret, quibusque dictante justitia unusquisque sua haberet, dederat. Pacem quoque, quantum sua intererat, obnixius patriæ administrabat: quid autem consilii, quid patrocinii protenderet, ubi nec consilium, nec patrocinium prodesse valebat? Sola Dei ineffabilis misericordia, sola ipsius inæstimabilis sapientia operi suo consulere poterat.

Prædictus itaque episcopus incircumscripta Dei providentia fultus, et Christianorum captivitate compunctus nuntios suos Pisam atque Genuam

direxit. Ibi namque optimi navium artifices nautæque peritissimi, qui Palinuro Æneæ naturæ non cederent, habebantur; quos præscripti nuntii plurimorum munerum pollicitis pavere, et ut naves constructum in Gallæciam proficiscantur commovere; nec mora, artifices navium a Genua civitate Compostellam ad episcopum veniunt, et ut duas biremes ei construant, cum eo determinato prius pretio paciscuntur. Quantum autem gaudium, quantumve tripudium maritimorum incolæ, imo omnes Gallæciani, habuerint, ex rei utilitate perpendi valet, quippe pro liberatione atque protectione patriæ gaudebant. Quomodo enim Saraceni in navium multitudine venientes a præda et a captivitate Gallæciæ inhiberi possent, nisi versa vice navali exercitio? Magno itaque admodum sumptu, factis duabus biremibus, quas vulgus Galleas (93) vocat, Irienses accito sibi altero Palinuro, earumdem scilicet navium artifice, nomine Eugerio, præcepto et admonitione episcopi Sarracenis vices redditum eunt. Quid plura? Ducenti viri mari belloque prompti, cursu velifero Ismaelitarum terram invadunt. Pro acceptis itaque olim damnis atque contumeliis æquipollentia et amplius Ismaelitis rependunt; incendunt domos et segetes in areis (erat enim tempus triturationis [94]), arbores, vineas succidunt, nec parcit gladius eorum a majori usque ad minorem; templa quoque eorum comburere ac diruere, et in eis fœda relatu facere non erubescunt. Naves eorum oneriferas aut veliferas, captivos Christianos desferre assuetas, capiunt, destruunt, comburunt. Tandem satiato gladio, navibusque suis auro, argento, spoliis oneratis, concinentes laudem Deo et B. Jacobo ad propria cum gaudio revertuntur. Papæ! quanta Chrisiianæ fidei cultoribus lætitia, videre Sarracenos vinctis manibus post terga suis propriis navibus captivos adduci. Horum omnium Irienses episcopo quartam dedere portionem, additis aliis, quæ ex navium suarum proprietate ei debebantur. Dedere etiam B. Jacobo captivos qui ad ædificandam ejus ecclesiam lapides et cætera comportarent. Utinam Ismaelitarum infidelitas taliter sæpius retundatur! Utinam bona fidelibus, mala infidelibus sæpius eveniant!

CAPUT CIV.

Juramentum comitum M. et R. prædicto episcopo.

Circa id fere temporis comes M. et comes R. prædicto B. Jacobi episcopo hujuscemodi jusjurandum fecerunt: « Ego comes M. Pelagides de Monteroso, et comes R. Velaz de Sarria juramus vobis domino D. II, S. Jacobi episcopo, per Deum Patrem omnipotentem, et per omnes sanctos ejus, ut simus vestris fideles homines et amici vestri, absque mala arte et malo ingenio, et contra omnes homines

A adjuvemus vos ad defendendum corpus et honorem vestrum, quem nunc habetis vel habituri estis; terram videlicet quæ dicitur Monterosos, et castellum S. Georgii, ista quæ nominamus, et omnia quæ nunc habetis, et omnia quæ habituri estis, juvemus vos acquirere et defendere, secundum posse et ingenium nostrum, modis omnibus dum vixerimus. Insuper dabimus vobis reginam dominam U. ut juret vobis, et nos iterum cum ea, et cum aliis quos volueritis, ut sit vestra fidelis amica, et nunquam per ipsam perdatis honorem vestrum, sed juvet vos contra omnes homines ad salvandum vobis corpus et honorem vestrum, dum vixerit, et si ipsa voluerit in vos insurgere, vel aliter quam juraverit, vobis facere, quocunque modo possemus ad recipiendum

B amorem ejus sive recuperandum salvo toto honore vestro vos juvaremus; quod si hoc cum honoribus vestris facere vobis non possemus, ipsos honores vestros pro vobis relinquamus, et vobiscum nos teneamus, donec amorem reginæ et honorem vestrum vobis recuperemus. »

Juramentum reginæ U. eidem episcopo.

« Ego regina domina Urraca juro vobis domino D. ecclesiæ S. Jacobi episcopo per Deum Patrem omnipotentem et per omnes sanctos ejus, quod ab hac die sim vobis fidelis amica et domina, sine arte et malo ingenio, et defendam et adjuvem vos et honorem vestrum contra omnes homines, et dedecus vestrum disturbem omnibus modis, et in diebus meis non perdatis honorem, nec per me, nec per

C meum consilium vel ingenium: et si aliquod malum sciero de vobis vel de honore vestro, monstrem vobis in tempore convenienti ad profectum vestrum. Et hoc juramentum semper sit firmum, quandiu vos attenderitis juramentum quod mihi fecerunt vestri homines pro vobis; et si in vos erravero, corrigam me per judicium istorum qui in hoc pacto sunt. »

Hæc sunt nomina juratorum: Comes Froyla Didacides. Comes R. Velaz. Comes Munio Pelagides. Vermez Nuniz filius comitis Nunionis.

Hæc juramenta præcedentia et subsequentia temporibus guerræ supradicti episcopi molimine cum consilio canonicorum suorum, ne B. Jacobi Ecclesia quoquo modo labefieret, vel ne suis privaretur, et ut etiam honores quos ejusdem Ecclesiæ prædeces-

D sores injuste amiserant, recuperare posset, post obitum regis bonæ memoriæ domini A. in octavo anno ejus mortis facta fuere in æra M. CLIII (95).

Juramentum M. Vallibriensi episcopi.

Præter hoc idem Ecclesiæ B. Jacobi episcopus a M. Vallibriensi episcopo (96), qui prius B. Jacobi thesaurarius fuerat, hoc juramentum suscepit: « Ego M. Vallibriensis episcopus juro vobis, domino

(93) Hodie Galeras.

(94) Circa mensem Julii.

(95) Æra et annus a morte regis non concordant; rex namque supra, cap. 47, mortuus dicitur III Kal. Jul. æra MCXLVII, a qua ad MCLIII, non octo, sed sex, vel septem incepti, anni fluxerunt. Forte in originali erat *in* VII. *anno*, et negligens quidam addidit VIII quod alter Latine exprimere volens *octavo* posuit.

(96) Hodie *Minduniensis*.

D. H. B. Jacobi episcopo, quod ab hac die deinceps sim vobis fidelis amicus sine arte et malo ingenio, et exaltem honorem vestrum, et deprimam malum vestrum et honorem altaris quem mihi datis juste et canonice in vita mea, nullo modo quæram ab alio, vobis vivente, et serviam vobis fideliter, in quibus advocatus fuero in vita vestra, sic Deus me adjuvet, et hæc sancta Evangelia. »

CAPUT CV.

Quod Portugalensis episcopus cum legatione Romam missus est.

Licet prædictus episcopus cum canonicorum suorum consilio tot et tantis anhelaret ad sublimationem Ecclesiæ, non prætermisit tamen quin nuntios suos Romam delegaret, videlicet Hugonem Portugalensem episcopum, qui prius Ecclesiæ B. Jacobi archidiaconus fuerat : et L. clericum suum : qui hujusmodi litteras a domino papa attulere.

De libertate adepta dum guerra fuerit.

« Paschalis episcopus, etc.

« Perturbationem regni vestri, » etc. *Vide in Paschali* II, *Patrol. t.* CXIII. *sub num.* 435.

CAPUT CVI.

De concilio generali Romæ celebrando (97).

« Paschalis episcopus, » etc.

« Ab Ecclesiæ Patribus, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 432.

CAPUT CVII.

De discordia et reconciliatione episcopi et reginæ.

Inter prædictum episcopum et reginam U. discordiæ circa id temporis fomes cœpit pullulare. Porro Gallæciani præcipue habent præ manibus susurrum, et principum auribus instillare modo vera, modo falsa : quorum crebris instillationibus cœpit alienari, et episcopus a regina, et regina ab episcopo. Regina itaque ut sibi reconciliaret episcopum, maturat adire Gallæciam ; per episcopum enim noverat se vel habere vel amittere regnum Gallæciæ ; quippe caput et speculum Gallæciæ est episcopus et Ecclesia B. Jacobi, et hujus regni spes in eo sita est. Postquam regina per duces suos, per comites, per vicecomites, per marchiones reconciliavit sibi prædictum episcopum, gaudens bona fortuna sui adventus, episcopo anhelante ad augmentandum honorem B. Jacobi contulit ei Termas decreto, quæ tunc erat regii juris, et dona sua roboravit scripto privilegio, quod in Catalogo Ecclesiæ B. Jacobi scriptum reservatur usque in hodiernum diem. Præterea regina venit Limiam, ut obtunderet superbiam Menendi Nuniz, qui rebellis ei Limiam depopulabatur. Quo peracto reversa est Lupariam.

De machinatione reginæ in episcopum, et de reconciliatione eorum.

Interea loci quidam mali complices, æmuli, atque maledici, amatores discordiæ, potius quam pacis, non cessant instillare reginæ quod capiat episcopum et auferat ei potentiam et honorem. Animus mulie- A ris infirmus est, et instabilis, et cito exorbitat, ut scriptum est : « Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier (*Eccli.* XLII, 14). » Reginæ animus jam vacillat, jam præparatur ad nefas perpetrandum : captionem multis modis præparat episcopo, ut eum capiat, disponit laqueos. Sed quoniam manum mittere in tantum virum neque audebat, nec poterat, nisi adhibito sibi auxilio potentiorum Gallæciæ, mittit legatos suos ad comitem P. Froylaz, et precatur ut porrigat auxilii manum tanto facinori. Pollicetur ei partem honoris B. Jacobi, scilicet pretium criminis. Ipse quidem tanti facinoris ausum facere non præsumit. Verum enim vero comes ille vir timens Deum, et tantum nefas abhorrens, se in Christum domini manum mittere omnino abdicat, et B nefandæ proditionis se fieri complicem admodum formidat ; ille siquidem, comes erat magnæ potentiæ, et erat nutritius filii dominæ reginæ Urracæ, et compater prædicti episcopi, et erat ei vinctus fœdere summæ dilectionis, eique suorum peccatorum confessionem faciebat. Quapropter per Joannem Vistruariz rivem B. Jacobi revelat, episcopo omnia machinamenta nefandæ proditionis, et ut sibi caveat a laqueo iniquitatis ei consulit. Parabatur namque captio episcopi futura Iriæ vel Compostellæ.

Exhorruit episcopus ad vocem tantæ nequitiæ, et vix potuit fidem adhibere auditis. Ab Iria revertitur Compostellam, ut nefandi propositi laqueos detegat canonicis atque civibus ; convocat utrinque proceres suos, profert in publicum nefandum mulieris consilium ; vallatur episcopus manibus equitum C atque peditum, ut laquei mulieris decidant in vacuum. Regina Iriam venit, et licet hoc totum malum machinamentum ipse episcopus sciret, ipse tamen ut prudens et sapiens, ei servire præcipiebat : « Minus enim feriunt jacula quæ prævidentur : » si enim episcopus dolos non præscisset, facile in laqueum decidisset. Regina autem, ut comperit machinamenta suæ fraudis episcopo patuisse, nec ad effectum quod voluerat jam posse perducere, pœnitet eam incœpti : mallet non acquievisse susurronibus, detestatur complices tantæ nequitiæ, quam maxime tunc potest, exstirpat famam tanti facinoris. Asserit palam jurejurando se talia nec molitam fuisse nec voluisse ; nititur adhiberi sibi fidem lacrymis, et tantum nefas detestatur et odit ; tandem Compos- D tellam revertitur. Episcopus autem, licet illius colloquium evitaret, tamen ei honorifice servire præcipiebat, et, armis vallatus, per biduum atque per triduum evitat colloquium illius. Demum summis precibus emollitus ad colloquium reginæ venit in chorum Ecclesiæ B. Jacobi pluribus astantibus ; major tamen pars armatorum erat episcopi præ timore, quia eam valde formidabat. Regina vero commemorans beneficia quæ pater suus rex domini A. et ipsa fecerat Ecclesiæ B. Jacobi et ipsi episcopo, deprecatur obnixius episcopum dicens : « Revo-

(97) Anno 1115 indictum concilium quod Romæ mense Martio proxime sequentis anni est celebratum.

rendo Pater, cujus patrocinio vertitur Gallæciæ regnum, quem solum post obitum patris mei regis A. habeo patronum, supplicando precor sanctitatem tuam ne inducas animum credere verbis nugigerulorum, neve susurronibus præbeas assensum. Ego enim mallem privari regno meo, quam in te, domine, patronum meum manum mittere. Quis enim tam sceleratus, tamque perditus, qui episcopum S. Jacobi vel in minimo dedecore afficere, vel (quod absit!) infamiam nefandæ proditionis incurrere, et exemplum tantæ nequitiæ posteris relinquere? Nempe si me talia molitam fuisse vel voluisse opinaris, centum proceres quos elegeris in regno meo vel amplius tibi jurare faciam hæc falso in me ficta inventa fuisse. Revertamur, obsecro, charissime Pater, revertamur ad pristinum fœdus, et ne inter nos possit seminari causa discordiæ; sint procul a nobis argumenta falsarum suspicionum, et detractorum officium cum suo livore apud nos pereat; quem enim patronum habeam in Gallæcia, quem consultorem, si episcopus B. Jacobi in me exerceat inimicitias? Hunc enim oportet pro me præesse Gallæciæ, et justitiæ jura tueri; si quid discordiæ inter duces aut principes Gallæciæ ortum fuerit, hic revocabit eos ad pacem, hunc amplector, hunc veneror præ omnibus episcopis regni mei. »

Ad hæc episcopus: « Nobilissimus, inquit, Pater tuus rex A. Ecclesiam B. Jacobi, et ejus episcopum summo amore amplexus est, et quot et quanta beneficia ei contulerit, in propatulo satis habetur. Tu autem si detractoribus adhibeas animum, et proborum consilio non acquiescas, regnum tuum dissipabitur, quisquam sibi consulet, et stultorum via præibit. Ego impetum inimicorum meorum timendo, armata manu incedo, non tibi rebellando, sed dentes inimicorum meorum contremendo. « Post hæc episcopus revertitur ad palatia sua non modica armatorum manu stipatus; deinde missis utrinque legatis bis et ter agitur de pace, et ut episcopus reginæ non sit infestus laboratur. Regina fecit episcopo pactum non modici fœderis, videlicet ut, remoto scrupulo totius suspicionis, habeat episcopum patronum et quasi dominum, utpote virum tantæ reverentiæ et tantæ prudentiæ. Pollicetur etiam ei primatum Gallæciæ; additur huic pacto reginam non adhibituram fore assensum detractoribus, maledicis cæterisque episcopi inimicis; hoc pactum se non violaturam, et pro posse adimpleturam regina juravit episcopo, sicut resonat in subsequenti. Præterea ut pactum illud firmius et indissolubilius haberetur, pepegit regina prædicto episcopo xx de potentioribus Gallæciæ, Legionis, et Campaniæ, et Castellæ, quos elegerit episcopus, eadem juraturos, et hac conditione solerter ab episcopo interposita si regina, priusquam egrederetur a Gallæcia, x præelectos Gallæciæ non daret ad jusjurandum, et totidem præelectos Legionis, Campaniæ et Castellæ usque ad præfinitum terminum, prædictum pactum dissolveretur, et regina perjurii rea haberetur. Peracto juramento pacis, et fœdere stabilito inter episcopum et reginam, regina revertitur Lucum, ubi quidam de canonicis nostris ob hoc illuc euntes recepere juramenta quorumdam principum, quia ipsa, ut promiserat, non adimpleverat. Postea regina transpyrænante prædictus episcopus, non immemor pacti sui, misit canonicos et milites suos ad reginam, qui reciperent juramentum præelectorum principum Legionis, Campaniæ atque Castellæ; sed maledicta terra ubi puer regnat, et mulier principatum tenet: regnum non precibus ac blanditiis, sed legibus et imperio regendum est: quem enim ultramontanorum principum regina non oravit, et precando non advocavit, ut pactum illud juramento firmaret? Cæterum mollia mollibus, aspera asperis conveniunt. Postquam episcopus bis et ter missis legatis ad reginam prætaxatos juratores usque ad determinatum tempus nec post habuit, fœdera præfati pacti dissolvi, nec ulterius ab eo observari, per nuntios patefecit reginæ; sed quot quantasque blanditias, quot quantaque pollicita regina reddiderit episcopo, nullatenus valet quispiam edisserere, nisi cui patent mulierum figmenta; pollicetur ei multa, per multos et diversos homines.

CAPUT CVIII.

De discordia reginæ et regis filii sui.

Eodem tempore et statu inter reginam et filium suum regem A. magna discordia pullabat; quem puerum commorantem in Extremitate comes P. Froylaz, et non modica pars procerum Hispaniæ sequebatur; quod reginæ valde molestum erat: timebat enim ne sic ascendendo totius regni sceptrum adipisceretur, ea nolente; nulla siquidem fides regni sociis.

De pacis fœdere inter episcopum et regem.

Qui puer postquam novit pactum quod regina fecerat cum prædicto episcopo esse solutum, mittit ad episcopum in hæc verba nuntios. « Reverendissime Pater et domine, minime credo latere sanctitatem tuam ad mei patris mortem, comitis scilicet Raimundi, nobilissimum regem A. avum meum olim, cum adhuc infans essem, proceres totius Gallæciæ Legionem convocasse et jussisse eos facere mihi hominium et juramentum, et accepto juramento ab unoquoque illorum, dedisse mihi dominium totius Gallæciæ. Cæterum hanc conditionem rex dominus A. avus meus interposuit, si regina mater mea toro viduitatis contenta maneret, totius Gallæciæ regnum in manibus vestris et patrui mei Viennensis archiepiscopi (98) ejus dominio subjugaretur. Si vero maritale fœdus iniret, rediret ad me regnum Gallæciæ; hoc ipsa mater mea et omnes Gallæciæ proceres sanxerunt jurejurando. Gaudeo et te, sanctissime Pater, interfuisse. Patet lippis et tonsoribus (HOR. *sat.* I, VII. 3) matrem meam maritali toro gavisam fuisse. Nunc igitur merito requiro jura regni mei. Si quis forte

(98) Hic postea papa *Calistus* fuit.

A Gallaciæ procerum Gallæciam mihi nititur auferre, perjurii reatum procul dubio incurrit, et Deus judex justus et fortis inter me et eum judicet. Tu autem quem ego præ omnibus hujusmodi hominibus amplector et veneror, utpote dominum meum, patronum meum; qui me fonte baptismatis regenerasti, et post non longum tempus in ecclesia S. Jacobi in regem unxisti, in quo fiduciæ meæ anchora sita est, ad regnum meum adipiscendum, impendere digneris auxilium (99). »

His auditis episcopus hinc misericordia compunctus, illinc justitia cogente, potiorem partem affectat eligere. Considerat namque instabilem mulieris fidem, molle imperium, et regnum jam fere perditum, veritatem et justitiam jam procul abiise. Hinc pertrutinat teneris pueri annos; puerum B paucorum auxilio fultum, sua non aliena requirere; homines Gallæciæ versipelles, et fortunæ comites. Si autem ille cujus erat justitiam tueri, justitiam auferre puero violenter aggrederetur, satis justa et digna proclamatio super eo oriretur. Consultis itaque senioribus suis, puero pollicetur auxilium, ne regnum quod suum jure erat, amittat. Proclamat clerus et populus episcopum juste et misericorditer agere, et ad puerum debere redire regnum suum. Profertur in publicum, hic mos est populis; semper venturus amatur. Quanto desiderio desideratur pueri adventus? Favet ei clerus et populus, et benedicitur ab omnibus, detestantur reginam, depopulatricem regni, pacis et justitiæ inimicam. Sed quid referam mores quamplurimorum Gallæciæ? C Sunt hi fortunæ comites, extolluntur in prosperis, franguntur in adversis, levis aura quovis eos impellit; habent pro summa libertate alternare dominos, et dominis suis esse rebelles; pecuniam, non justitiam sequuntur, et unumquemque sua tantum habere nefas est; auribus potentiorum aliquid novi instillare, detrahere, et corrodere dominos et amicos suos eis est in promptu, ars adulandi satis nota est eis; perjurium et proditio diliguntur ab eis. Sed hæc velim dixisse pace proborum Gallæciæ. (100) Cæterum si hujuscemodi mores referre insistam, prius me dies quam copia deseret.

CAPUT CIX.

De discordia episcopi et reginæ, et de reconciliatione eorum.

D Interea prædictus puer cum comite P. Froylaz pædagogo suo ab Extremitate revertitur in Gallæciam, et a prædicto episcopo apud Iriam honorifice suscipitur. Deinde cum summo tripudio, cum summa jucunditate ventum est ab eo Compostellam. Regi puero ingredienti civitatem occurrit universus populus civitatis, cum summa lætitia, et eum salutantes, ex consuetudine Gallæciæ, ipsius adventui congratulantur, utpote domini sui; omnes equidem viri, causa exhibendi honorem regi, egressi sunt obviam armati. Tunc cursus alipedum equorum, phalanges armatorum peditum, choreas psallentum mulierum videre satis jucundum erat. Interim episcopus præcessit ad ecclesiam cum canonicis qui secum aderant, et venienti regi præparat processionem. Quid plura? Rex venerabiliter cum processione suscipitur, et ab omnibus honoratur.

Regina ut novit filium suum venisse in Gallæciam, et ab episcopo S. Jacobi cæterisque comprovincialibus baronibus in regem honorifice Compostellæ susceptum, admodum molestatur, et, sibi ipsi diffidens, Gallæciæ regnum omnino amisisse timet. Post hæc properanter proficiscitur in Gallæciam ascitis secum optimatibus quos habere potuit; invenit consules R. et M. pene jam in arcto positos, se et sua jam perditum iri a rege sperantes. Condunato itaque exercitu cis Triacastellam, et regina venit Mellidium cum prædictis consulibus et cum proceribus suis, et quibusdam qui jam parvulum regem dimiserant, et adhæserant reginæ, quæ est consuetudo Gallæciæ. Deinde mittit nuntios suos, non imperitos, ad prædictum episcopum B. Jacobi in hæc verba: « Reverende Pater, quanquam nequitia et imperitia mea exigat, me privari regno Gallæciæ, et illud ad alium transferri, parcendum est tamen sexui. Reminiscatur paternitas tua nobilissimi regis A. patris mei, qui te ab ipsa educavit adolescentia, et tibi tot tantaque beneficia contulit. Ego quoque, si bene memor es, postquam regno divitiisque pollui, honori B. Jacobi et tibi non ingrata exstiti; placeat sanctitati tuæ non auferre mihi regnum meum. Si pactum quod fuit inter me et te me non adimplevisse, et me tibi inimicam fuisse causaris, prout ipse jusseris satisfaciam; ne per te caream regno meo. Ad hoc tribuam Ecclesiæ B. Jacobi et tibi honorem Lupariæ cum ipso castello, honorem Ferrariæ cum ipso castello et Montana, ut habeam te mihi reconciliatum. His preces etiam cum lacrymis addidit. Cæterum episcopus, nec precibus, nec promissis, nec lacrymis labefactus, pro posse suo se nullatenus a justitia exhorbitare affirmat. Vocat Gallæciæ proceres perjuros quicunque regi puero Gallæciæ regnum juraverint, si non adjuvent eum ad acquirendum et retinendum idem regnum.

Verum enimvero, ut superius dixi, Gallæciani, comites fortunæ, noctu veniunt ad reginam, et, qui modo fuerant regis pueri, pollicentur reginæ auxilium suum. Cives etiam Compostellæ, quos prædictus episcopus, qui noverat eos hujuscemodi esse, sibi juramento allexerat, furtim adeunt reginam, salutant eam ex communi conventu cleri et populi, vocant eam dominam suam, pollicentur auxilium se ei daturos, et urbem Compostellæ; neque tamen, ut verum fatear, hoc consilio omnium Compostellanorum fiebat. Quidam de civibus, quibus proditionis lepra naturaliter insita erat, machinabantur talia. Interea cives Compostellæ adeunt episcopum, complures fraudulento consilio, quidam forsitan bono animo, supplicant ei et deprecantur

(99) Supra, c. 66.

(100) Vide dicta in prænotatis num. 12.

eum obnixius ut regem puerum et comitissimam M. A uxorem comitis Petri pædagogi regis compellat exire cum equitatu suo Compostella. Si hoc fecerit, jurejurando asserunt unanimiter adjuturos se episcopum adversus omnes, utpote dominum suum. Porro rex puer cum prædicta comitissa munierat turres et palatia episcopi et opus B. Jacobi non modica turba militum, et aliis quæ necessaria erant; quod Compostellani nimium formidabant, et ideo quædam clam machinabantur. Comes quoque Petrus erat extra civitatem cum exercitu magno ut bellum iniret cum regina. At ubi comperit deesse sibi auxilium Compostellæ, et videt non paucos milites convolasse ad reginam, cessit; prædictus vero episcopus, canonicorum et Compostellanorum precibus acquiescens, vix apud regem puerum potuit obtinere ut cum equitatu suo egrederetur a civitate. B Egresso ita rege a civitate cum comitissa et equitibus suis, et episcopo ibidem remanente cum quibusdam militibus et cum familia sua, Compostellani citius mittunt ad reginam, inscio episcopo, ut maturet ire Compostellam. Veniunt tamen ad episcopum quidam de Compostellanis, et hortantur eum ut cum regina ineat fœdera pacis. Alii moliuntur ut, regina ingressa civitatem, episcopus, tanquam infestus ei et rebellis, expellatur, degradetur, et privetur honore B. Jacobi. His molimentis intererant quidam de civibus quos etiam episcopus habebat sibi familiares. Sed, ut ait Boetius: « Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. »

Interea regina cum magno exercitu equitum atque C peditum, ignorante episcopo, venit Compostellam, et quidam Compostellani exeunt ei obviam, orantes et deprecantes ut absque mora ingrediatur civitatem; quod ubi patefactum est episcopo, exercitus equitum atque peditum reginæ circumquaque apparuit. Comperit fidem proditorum, videt neque adesse sibi auxilium, neque prodesse consilium. Quid faciat? Videt cives, exceptis paucis, esse sibi infestos, et, quos credebat sui adjutores et secum unanimes, animadvertit summopere sibi esse adversos; fortis tamen in adversis jubet muniri turres et opus B. Jacobi, ut saltem illic possit resistere hostibus. Tandem regina ingressa Compostellam, omnia quæcunque fuerant episcopi, ubicunque inveniri potuerunt extra turres et extra ecclesiam, in præ- D dam abeunt. Episcopus habetur rebellis, omnesque qui ei auxiliantur; minantur regina ei atque cives, minatur ei exercitus; dicitur de crastino in crastinum se ire expugnatum et perditum eum et omnes qui cum eo erant. Siquidem, ut verum fatear ego, qui cum eo eram, et timui, et mallem esse Belvaci, eo tamen non absente. Quid diu? Amicos ei inimicos, familiares infestissimos, Gallæciæ populum adversum videbam. Interea tamen comes M. et Fredenandus Joannis, et quidam procerum, reginæ rogatu ibant ad episcopum, ut saltem modo cum regina pacem haberet, et cum ea non modicæ pacis fœdera iniret. Illi nunc bella, et captionem minantur episcopo, nunc preces et promissa referunt. Intestini vero inimici summopere nituntur ne regina ineat pacem cum episcopo, et ut episcopus honore suo privetur. O quam perniciosa res simulata amicitia! Quam lethale vultus intestina inimicitia! Melius caventur jacula de longinquo, quam de propinquo.

Tandem episcopus coactus vi, acquiescens consilio procerum, et amicorum suorum, ut videt rem suam in arcto positam, et complures amicorum cæterorumque retro abiisse, refert nuntiis reginæ ea quæ pacis sunt, et amplius non differt fœdera pacis. Cæterum quidam non modicus scrupulus disturbat omnia. Fredenandus namque Petrides, filius comitis P. Froylaz pædagogi regis, auxilio prædicti episcopi obsederat castrum Lupariæ quod erat proprium reginæ. Erat ille Fredenandus municeps prædicti episcopi, dederatque ei episcopus in præstimonium Dubriam, Ventosam, et Viniones, et medium insulæ de Laonia. Postquam itaque pullulaverat discordia inter episcopum et reginam, Fredenandus Petrides, fultus episcopi potentia, invaserat et circumquaque depopulatus fuerat Saliniensem terram. Præterea fere per tres menses obsederat castrum Lupariæ, et sæpius expugnaverat. Denique nisi regina maturasset venire in Gallæciam, castrum illud jam coactum erat ad deditionem, quod regina molestius ferebat; nullo itaque modo volebat sibi reconciliari episcopum, nisi episcopus reintegraret ei quæ Fredenandus in Saliniensi terra destruxerat et rapuerat, eapropter differebatur placitum inter eos.

CAPUT CX.

De Petro priore, nepote episcopi, et de Gundesindo fratre ejus, et de conspiratione Compostellæ.

Tandem consilio consulum et principum fœdera pacis inter eos sancita sunt, restituta est forma præteritæ pacis. Interim quidam civium cæteris potentiores, quibus, ut superius dixi, erat sinistra mens in episcopum, nec tamen quod prius moliti fuerant potuerant perduxisse ad effectum, postquam vident molimenta sua collapsa esse, ad aliud animos inducunt. Commoventes enim populum, et conspirantes adversus episcopum, quosdam contribules episcopi videlicet P. nepotem ejus, canonicum, et priorem Ecclesiæ nostræ, et Gundesindum fratrem ejus ejiciunt ab urbe, consentiente regina. Dicebant namque consilio et instillatione eorum episcopum recessisse a regina, et sic in Gallæcia discordiam exortam fuisse. Ad hæc per G., qui fuerat villicus urbis, multa mala accidisse civitati. Quibus ejectis ad diminuendam potentiam episcopi, instinctu illorum quos dixi intestinos episcopi inimicos, faciunt quamdam conspirationem (101), quam vocant germanitatem. Ad hanc conspirationem confirmandam et corroborandam jungunt se omnes juramento, videlicet ut sibi invicem auxilientur adversus omnes homines, et sibi unanimiter caveant

(101) Anno integro duravit conspiratio, ut ex cap. 113 discimus, 2.

et se tueantur, et si quis ab aliquo potente vel ab alio qui sit extra conspirationem illam damnum vel injuriam sustinuerit, alii complices opitulentur ei pro posse suo. Adjiciunt quoque multa alia quæ mihi longum est referre. Omnia autem molientes ad damnum episcopi, et ad confringendum potentiam ejus, illius conspirationis reginam dominam U. et abbatissam fecere. Verum illa postea pro meritis illos tractavit et dignam retributionem suis complicibus contulit, sicut in sequenti refertur.

CAPUT CXI.

Quod regina in Suberoso obsessa fuit.

Eo tempore regina recessit Compostella, et adiit Toroniam (102), ibi enim erat Gumesi Nuniz, qui favebat regi puero, et rebellabat reginæ, potens situ et munimine castellorum et multitudine equitum atque peditum; ubi cum regina vellet obsidere sibi rebelles, obsessa est ab eis. Comes P. pædagogus regis et infantissa Therasia soror reginæ, domina totius Portugaliæ, cum exercitu magno obsedere reginam in castro Suberoso. Sed regina ascito exercitu suo evasit, et reversa est Compostellam. Redeunti occurrunt ei quidam de civibus Compostellæ, dicentes prædictum episcopum, inimicum et infestum reginæ, et pactum quod fuerat inter eos fregisse, et cætera quæ obessent episcopo. Hæc autem omnia ficta et inventa erant ab intestinis episcopi inimicis, ut quod prius effecisse non potuerant, saltem nunc efficerent. At regina ubi rediit Compostellam, et vidit quæ sibi relata fuerant, falsa et inventitia, et illos habuit nugigerulos, et amplius illis quasi proditoribus acquiescere noluit. Tandem apud Compostellam parum commorans, Legionem reversa est.

De conspirationibus Compostellæ.

Interea prædicti conspiratores adjuncto sibi clero et populo, quasi pro tuitione justitiæ alios opprimunt, alios exaltant, renovant leges et plebiscita, assumunt sibi dominium totius urbis, palatia destruunt, quibusdam etiam mortem minantur; episcopus vero contentus sola umbra nominis, et pro tempore cedens, quamquam non laudet opera et consilia eorum, non tamen vituperat; sufficit ei vocari dominus et de quibusdam se consuli ab his conspiratoribus, extra namque civitatem tantum dominium solitum habebat. Cæterum in civitate neque res, neque tempus exigebat exercere dominium. In tantum convaluerat proditorum conspiratio! Quorum opera et consilia, si explicare velim, prius me tempus quam copia desereret.

De bello facto in portu de Macenaria.

Eodem tempore comes P. pædagogus regis cum filiis suis Veremudo et Fredenando, et coadjutoribus suis, inquietabat Compostellam, et crebros assultus in homines et in pecora faciebat; nunc prospere ei accidebat, nunc dabat terga sagittis, sicut sunt vices bellorum; qualiter autem acciderit ei in portu de Machanaria, et quantum virorum, equorum, armorum amiserit, A longum est referri. Prædictus enim episcopus, qui in tempore pacis ecclesiasticis negotiis operam dabat, ut vidit civitatem suam et quæ circa sunt inquietari et deprædari, duxit operæ pretium honorem B. Jacobi armis tueri. O quam difficile est ab intimis et ab exteris hostibus sibi cavere! Oportebat episcopum assidue refrenare externorum hostium audaciam, et providere a foveis familiarium; hos autem volo silentio transire, manibus quorum consilia et negotia episcopi pertractabantur, et a quibus episcopus prodebatur. Quippe episcopus prælegorat sibi quosdam de civitate, quos ipse ab ipsis cunabulis enutrierat, reliquosque complices præcordiales suisque consiliis intimos. At hi quidquid ab eo haurire poterant, omnibus effluebat. Erant enim pleni B rimarum [non.] et domino suo pedicam præparabant. Veris quoque falsa adjiciebant, et, ut clerum et populum in odium episcopi commoverent, episcopum infinito odio habere clerum et populum aiebant. Proh nefas! Quos episcopus ab ipsis cunabulis educaverat, quos beneficiis et honoribus ditaverat, quos paterno amore dilexerat, quos præcordialissimos sibi fecerat, hi eum ire perditum summopere desiderant. Episcopus tamen, quia noverat mores quorumdam Gallacianorum jurejurando illos sibi astrinxerat. Sed scriptum est: « Qui nocet, noceat adhuc, et qui sordescit sordescat, et sanctus sanctificetur » (*Apoc.* XXII). Quid autem his immorer? Exitus acta probat. Interim prætaxati proditores crebro legationes mittunt reginæ, dicentes episcopum subdolum, reginæ infestum, inimicis reginæ C adhærere, et ejus amicos opprimere. Cæterum episcopus, licet non modicam horum partem præsciret, circa omnes benevolus, omnibus affabilis, lapsorum consolator, pauperum pro posse adjutor, intra se dicebat: « Sustinebo iram Dei quam merui, donec justificet causam meam. »

De fuga comitis P. et de gestis conspiratorum.

Circa id tempus prædictus comes P. adibat cum equitatu suo quoddam castellum suum, videlicet S. Joannem de Pena Cornaria, transiens per confinia terræ B. Jacobi; quod ut compertum est episcopo, convocato exercitu suo, comitem insequitur, et eum in fugam per montes Deciæ coegit. Episcopus nimirum exteros hostes percutiebat duplici gladio, spirituali scilicet et materiali, et ad tuitionem patriæ D suæ totus anhelabat, fortis equidem in adversis. Ut enim de cætero sileam, adversarii et deprædatores civitatis et provinciæ S. Jacobi quotidie in ecclesia ejusdem apostoli spirituali gladio percutiebantur, quod eorum animos admodum enervabat. Sic et sic episcopus super hostibus triumphans, et suos protegere, et adversarios expugnare nitebatur; verumtamen proditoribus Compostellæ suspectus habebatur. Cum enim episcopus tanto affectu diligeret regem puerum, et inter episcopum et comitem Petrum fuissent tantæ amicitiæ, vix credebatur episcopum ex animo adversari regi et comiti. Ob hoc episco-

(102) Al. *Toroniam.*

pus non exercendo odium in eos, sed suos protegendo, et partem reginæ tuendo, acriter hostes opprimebat; nec tamen hoc ei in laudem surgebat a proditoribus; quippe quidquid prudentiæ in eo erat, quidquid boni ab eo fiebat, ab eis clam more populi depravabatur. Eo tempore nimirum pars episcopi in Compostellana urbe a proditionis complicibus in tantum inferiorabatur, quod neque præcipere, neque disponere suum erat. Quidam ex familiaribus et proditoribus episcopi quaque die clerum et populum in conventum absente episcopo vocabant, leges et judicia pertractabant, et debilitabant pro posse partem episcopi, dicentes se pro libertate anhelare; hos alliciebant sibi juramento, alios muneribus, alios minis. Præterea jus episcopi ipsi vel minuebant, vel sibi retinebant. Heu miseri! juramenti quod bis vel ter episcopo pro fidelitate et homagio fecerant, penitus immemores erant! Sed si quis parti episcopi forte favebat, aut latere, aut ori suo silentium imponere eum oportebat; quippe proditorum argumentis, eorumdem pollicitis cleri et populi multitudo fere tota ab episcopo divisa erat. Episcopus autem in palatio suo quasi in latebris, statutis eorum nec contradicere, nec petitioni eorum, si quid a se peterent, obviare audebat. Panem suum cum silentio comedebat; quod mensis ejus apponebatur, prius emebatur in foro a famulis suis. Vix aliquis ei obsequi, vix aliquis eum comitari; experto credendum est, vidi, et testimonium perhibeo, vasa episcopi et vestes pro cibis oppignerari sæpius; nihil juris, nihil famulatus fere erat ei in civitate. Omnia possidebant, omnibus imperabant complices proditionis.

Quadam die clero et populo vocato in conventum quidam ex proditoribus suis habuit sermonem more suo ad populum, et ita omnes commovit in episcopum, quod episcopi palatia pene obruta sunt funditus, quorum palatiorum pars jam destructa fuerat. Argumentis illorum complicum prædictus ipse pessimus exigebat honorem atque ecclesiæ dignitatem ab episcopo manu populi, quod episcopus omnino abdicabat; injustum enim erat ut qui violentia populi nolente episcopo fieret, decoraretur in Ecclesia Dei. Verum enimvero, ut comperit episcopus, si ipse non faceret honoratum, vel palatia sua cæmento tenus destrui, vel in se ipsum forsitan graviora committi, tunc episcopus a populo civitatis nimis coactus vocat prudentiores et excellentiores Ecclesiæ personas, et accepto ab eis consilio, cessit pro tempore. Dedit itaque Ecclesiæ dignitatem, non ei, sed illis mediatoribus, hac conditione ut ab eis quando vellet reciperet. Fit ipse non honoratus, sed inhonoratus; turris equidem modica facile labitur, quæ super arenam fundata est. Proh nefanda Gallæciæ proditio! quos episcopus præcordialissimos habebat, qui una cibum cum eo capiebant, hi in ejus eradicamentum corde toto anhelabant.

CAPUT CXII.

Quando regina dedit caput B. Jacobi episcopo.

Eo tempore episcopus videns Gallæciam hinc proditorum morbida peste maculari, illinc discordiæ tempestate destrui, statuit reginam adire. Tunc temporis opinio erat in vulgo, episcopum non ausum aditu reginam, nec etiam Compostella ausum discedere. Igitur episcopus arrepto itinere reginam adiit apud Campaniam, a qua, contra quorumdam opinionem, diligenter et honorifice susceptus est. Sermo erat in populo Gallæciæ eumdem episcopum capi et incarcerari a regina, si regina eum capere possit, quod tunc longe aliter accidit; ab eadem enim regina et honorifice susceptus est, et deinceps pro verissimo patrono apud eam habitus est; quippe in eo totius regni Gallæciæ anchora sita erat; quod reginam minime latebat. Regina ut didicit ab episcopo statum totius Gallæciæ, et filii sui assiduos bellorum tumultus, accepto a principibus suis consilio, comperit omne regnum in se ipsum divisum desolatum. Petrus prior Ecclesiæ B. Jacobi nepos que prædicti episcopi, a Compostellana urbe a proditoribus expulsis, a regina causa episcopi diligentissime collectus est. Postquam Legionem ventum est, regina prædictum episcopum pretiosissimo munere decoravit, videlicet capite B. Jacobi apostolici, de quo rei seriem altius ordiamur.

De inventione capitis B Jacobi.

Mauricius itaque Collibriensis episcopus, qui postea Bracarensis archiep., nunc (103) autem papa Guilbertus, dudum adiit Hierosolimam, ibique diutius commoratus est, fabricans equidem quamdam Ecclesiam prope Hierosolymam, in qua dum moraretur, senex quidam huic loco affinis, cœpit præsentiam ejus frequentare, quem M. de diversis percunctabatur; erat enim indigena illius loci. Tandem sciscitatus est ab eo cur ecclesiola illa in qua senex morabatur, tantæ reverentiæ apud indigenas haberetur. Responsum est a sene sacerdote, sicut acceperat ab antecessoribus suis, in illa ecclesia esse caput B. Jacobi Apostoli; quod ut audivit M. episcopus, cœpit senem sæpius ad se vocare, verbis allicere, muneribus amicum et familiarem sibi reddere, et idem attentius perscrutari, sicut est calliditas hominum. Cœpit etiam idem episcopus ecclesiolam illam frequentare et venerari, et sæpius vigiliis interesse. Verum ubi videt machinamenta sua non proficere (erant enim ibi assidue custodes), ad aliud animum intendit; convocat clericos suos quos noverat esse fideliores, et ad hujuscemodi promptiores, et quid intendat aperit eis. Accepto itaque ab eis consilio, duo ex illis ex industria cœperunt languere, et febricitari, et cum lucernis et cereis sæpius frequentare ecclesiam illam, et ibidem pernoctare. Quadam denique nocte tempestiva, cæteris absentibus, clauso Ecclesiæ ostio aggrediuntur altare ligonibus, quos secum furtim attulerant, et fodientes in altum sub

(103) To *nunc* innuit auctorem, id scribere ab anno 1118 ad 1121 in quo Burdinus captus, ut infra cap. 41, legimus. Ille autem non Guilbertus sed *Gregorius* a suis appellabatur.

altari sicut audierant, inveniunt vas quoddam eburneum, et intus aliud argenteum plenum reliquiis. Quod accipientes discedunt cum episcopo noctu, et adeunt civitatem sanctam Hierosolymam fugientes; quos cum vidisset summo diluculo in via prætereuntes quidam eremita, vocavit eos ad se, et ait illis: « Scio equidem, fratres, charissimi, quid feratis, et quam pretiosum thesaurum furati fueritis; ite, gratia Dei comitetur vos. Oportet enim ut ubi est hujus apostoli corpus, ibi sit et caput ejus (104).» Quod M. episcopus audiens intellexit famulo Dei fuisse revelatum a Spiritu sancto hoc quod fecerat. Timuit tamen ne hujus rei rumor circumquaque citius spargeretur, et quam citius potuit transfretavit. Tandem veniens in Hispaniam collocavit venerabiliter reliquias illas Carrione apud S. Zoylum. Vidit enim Hispaniam assiduo discordiæ tumultu perturbatam, et timuit ne quo casu tanto thesauro spoliaretur. Postea peracto non modici temporis curriculo regina U. Carrione suscepta est, et rex Arragonensis expulsus est, quæ ut novit caput B. Jacobi, quod M. episcopus Hierosolymis attulerat, in ecclesia S. Zoyli esse, imperat illud cum cæteris reliquiis ab hinc abstrahi, et asportavit Legionem, collocans in ecclesia S. Isidori. Tantum igitur thesaurum, scilicet caput B. Jacobi, et frustrum dominici sepulcri, et quoddam os S. Stephani, cæterasque reliquias cum vase argenteo contulit prædicto B. Jacobi episcopo.

Quod episcopus caput B. Jacobi datum sibi a regina attulit Compostellam.

Inter cætera etiam negotia summis precibus efflagitavit prudentiam episcopi ut filium suum parvulum regem sibi reconciliare elaboraret; quod episcopo haud displicuit. Sciebat enim in Hispania pacem non haberi, quandiu discordia foret inter reginam et filium suum. Misit quoque regina legatos suos Compostellanis, tam clero quam populo, et præcepit eis ut episcopum suum venerarentur et diligerent, nec auferrent ei jura vel potestatem suæ civitatis. Præcepit etiam ut ejusdem episcopi nepotem P. priorem Ecclesiæ B. Jacobi in honorem pristinum reciperent. Tandem episcopus repatriat in Gallæciam, afferens secum pretiosum thesaurum. Postquam venit ad burgum quod dicitur Ferriarios, præmisit nuntios suos Compostellam, qui et adventum suum ei notificarent, et pretiosa reginæ munera quæ secum episcopus afferebat indicarent; quod proditionis prædictæ complicibus summopere displicuit. Existimaverunt enim episcopum a regina nec colligi nec diligi, nec tam pretioso munere decorari, imo deteriora suspicabantur, quod præter spem eorum accidit. Postquam episcopus venit ad montem Gaudii, scilicet ad Humiliatorium, clerus et populus totius civitatis occurrunt ei obviam, cum summa jucunditate venerantes pretiosum thesaurum. Ipse etiam episcopus nudis pedibus psallendo

A cum canonicis ingreditur Compostellam. O quantum tripudium cleri et populi! Ego ipse rodiens cum episcopo præ nimio gaudio prorupi in lacrymas. Quidam tamen, quia ad laudem et honorem episcopi erat, moleste ferebant. Prior Ecclesiæ una cum episcopo et turbis gaudentibus ingreditur civitatem; a promontorio montis Gaudii usque in ecclesiam B. Jacobi processio et præcedit et sequitur. Tandem episcopus ingrediens apostolicam ecclesiam, accipiens illum pretiosum thesaurum, in manibus obtulit super altare B. Jacobi, et celebrata missa pro more, peractisque solemniter gaudiis et laudibus Dei (erat enim dies Dominica), rediit ad palatia sua. Alia vero die, convocato clero et populo, relatum est in publicum quod regina mandabat eis, et cætera quæ

B ad rem pertinebant; attamen prædicti complices non minus in episcopi exstirpationem anhelabant.

CAPUT CXIII.

De concordia reginæ et filii ejus.

Non post multum temporis prædictus episcopus vocavit regem puerum filium reginæ, et comitem P. pædagogum ejus ad colloquium, et cum eis pertractavit de reconciliatione matris et filii, determinans qualiter inter matrem et filium vera reconciliatio fieret, et quantum regni quisque sibi haberet, et quæ reconciliationis veræ pignora inter eos forent. Quibus pertractatis et diffinitis episcopus, Compostella egrediens, iter aggreditur ad reginam cum nuntiis regis pueri, scilicet Fredenando Petride, comite Guterre, et cæteris qui partem regis

C tuebantur, et quid cum filio ejus de eorum reconciliatione et vera pace inter eos tractaverit, reginæ enucleat. Quibus auditis regina prænimium gavisa est, et episcopo summas grates reddidit. Quippe per alium inter reginam et filium suum non poterat fieri reconciliatio, et, nisi fieret, Hispaniæ et Gallæciæ regnum perderetur. O quam infinito odio boni malis habentur! O quantæ peritiæ vir, qui tantam talemque pacem poterat reformare! Episcopus multis odio habetur, quia ad pacem nititur, quia Hispaniæ regno jam fere perdito pacem reddere elaborat. Igitur regina convocat apud S. Facundum affines episcopos super hoc negotio, videlicet Legionensem, Astoricensem, Ovetensem, Mindunensem, Granatensem qui aderat, comites quoque P. Gundisalvi, Munionem Pelagidem, comitem

D Suarium, cæterosque principes, quos longum est referre; à quibus accepto consilio reconciliationis fœdus inter puerum et matrem ejus determinatur. Mittitur consul Castellæ P. Gundisalvides cum episcopo B. Jacobi et cum cæteris legatis ad regem puerum, qui determinati pacti sint testes, et tanti fœderis fidejussores. Ut perventum est in Gallæciam, prædictus episcopus S. Jacobi adit regem puerum cum prædictis legatis ad ripam Tamaris, et refert ei verba suæ matris; refert quoque ei

(104) Caput a Mauritio Conimbricensi episcopo allatum, non illius est apostoli, cujus corpus Compostellæ est tumulatum, sed Jacobi Alphæi Hierosolymorum antistitis. Vide tomo præc. in hujus præsulis Vita, num. 80.

quanto affectu diligat eum mater sua, quod totum regnum suum ei attribuat, et quæ reconciliationis fœdera cum eo velit inire, utpote mater cum filio, et quod testes et juratores huic fœderi velit adhibere. Creditur ei, utpote tanto patrono, qui ad pacem semper nititur, cæterisque legatis; fiunt reconciliationis fœdera, et hujus concordiæ pactum jurejurando sancitur; hinc et illinc dantur juratores, triginta ex hac parte, et triginta ex alia, qui meliores inventi sunt in Gallæcia vel in Campania. Hi jurant inter reginam et filium suum usque ad tres annos fidelitatis et amicitiæ et alterni auxilii fœdus firmissimum. Determinatur etiam quantum regni regina sibi, et puer sibi proprie habeat, et ut invicem, pro posse, prout cuique necesse fuerit, opitulentur. Stabilito denique pacis fœdere et jurejurando sancito, legati ad reginam redeunt, et quid cum filio ejus egerint ei referunt. Gaudet Hispania reconciliatione matris et filii, et paci futuræ congratulatur; spe pacis episcopi, præsules, consules, principes, milites, cives, rustici exsultant, et quod ab obitu regis A. amiserunt, se modo recuperare credunt. Desiderant omnes regem A., licet puerum, et in loco avi et patris sui eum regnare peroptant, ut vestigia pacis et justitiæ nobilissimi regis A. et comitis Raymundi imitetur, exsecrant regem Arragonensem et se fore ei infestos, si hunc A. regem habeant, pollicentur.

2. Transacta itaque non modica parte veris (105) regina causa filii sui in Gallæciam venit, nisi enim ipsa interfuisset, nullatenus prædictæ reconciliationis fœdera consummarentur, nec Gallæcianos in expeditionem nisi cum filio suo suo duceret posset. Ingressa igitur regina Compostellam, proditoribus terror incutitur: quippe per totum annum episcopi damnum, qui ad pacem nitebatur, moliti fuerant; jura et potestatem civitatis ei abstulerant; nec reginæ præceptis pro posse obedierant; principibus etiam et militibus Gallæciæ non minimas injurias intulerant, et quasi reges exstiterant, exstirpaverant, destruxerant, renovaverant, exaltaverant, ut est consuetudo servorum et rusticorum, postquam datur eis potestas regnandi; quæ omnia quia impune et sine licencia fecerant, ne impune ferrent, metuebant. Postquam autem viderunt reginam et filium suum reconciliatos, et prædictum episcopum summo honori et amori apud eos haberi, molestius ferunt, et sibi ipsis diffidunt. Ineunt consilium quid acturi vel quid machinaturi sint, si regina vel episcopus velint eis obesse, si ab eis malefactorum injurias, et tot tantorumque calumnias velint requirere, non est eis spes vel fiducia nisi in proditione sua: discurrunt, consulunt, renovant parietes et muros, reginæ et filio suo, qui jam cum ea erat, generant suspicionem rebellandi. Heu miseri! majora viribus moliuntur, et ab alto decident. Episcopus tunc et regina, necnon filius ejus cum totius Gallæciæ principibus, sustinent eos, et, quasi ignoraverint molimenta tantæ proditionis, dissimulant.

CAPUT CXIV.

De congressu conspiratorum in episcopum et in reginam, et de incensa ecclesia, et de cæteris.

Interea regina adit Lupariam et inde rediens suscepta est ab episcopo apud Iriam; postea revertitur Compostellam adjuncto sibi magno exercitu militum: cum episcopo namque et cum filio suo, et cum optimatibus Gallæciæ acceperat regina consilium qualiter posset ulcisci injurias proditorum Compostellæ, qualiter etiam posset superbiam eorum domare. Ea de re coadunaverat non modicas armatorum phalanges, pars quarum cum ea et cum episcopo, sicut dispositum erat, Compostellam ingrederetur, pars extra civitatem cum filio ejus remaneret, quod Compostellani animadvertentes timuerunt valde. Erant enim culpæ conscii, et regnum suum jam labefactari videbant, se et sua in arcto positos tandem conspiciunt, et quod talia egerint pœnitet eos sero. Quid plura? Perditissimi Judæ socii, confugiunt in ecclesiam S. Jacobi, alii in alias ecclesias, alii latent in latebris suis, quidam, qui erat unus de principibus proditionis, accepit monachalem habitum ficte, ut a periculo mortis in ecclesia S. Martini ab abbate cæterisque monachis liberaretur, et sic evasit monachus ab ira reginæ, cæteris vero remanentibus in ecclesia S. Jacobi, regina vocavit ad se episcopum, et ait illi: « Reverende Pater, placeat sanctitati tuæ inhonestissimos proditores ab ecclesia abstrahi, et digna eorum meritis eis recompensari; tantus fetor proditionis removeatur ab ecclesia, et immundum sterquilinium ab ea projiciatur. » Ad hæc episcopus: « Regina, inquit, non licet aliquem, postquam ad ecclesiam confugerit, licet fur, licet perjurus, licet proditor, licet flagitiosus, ab ecclesia extrahi. Cæterum omnis substantia eorum quæ extra ecclesiam est in prædam abeat, et a nostris capiatur. » Si ergo, ait regina, habent ecclesiam auxilium, et securi sunt in ea, cur arma sibi retinent in ecclesia, cum per ecclesiam tuti et muniti habeantur? Quare cæteris armis armantur et muniuntur? Non decet ut qui satis tuti in ecclesia habentur, aliam sibi tuitionem nisi ecclesiam adhibeant. Jubeo talia inhiberi, et aut arma sua deponant, et securi prout decet in ecclesia habeantur, aut illis armatis totidem nostri armati vel plures in ecclesia eum illis maneant, ne quid insane facere audeant.

Placuit reginæ consilium episcopo, cæterisque astantibus, et ne arma in ecclesia capiantur interdicitur; quod ut compertum est proditoribus illis, infremuere, et insequentes nuntios episcopi et reginæ per ecclesiam, qui eis dixerant ut arma in ecclesia deponerent, movent bella; fugiunt legati ad altiora

(105) Cum anno integro, ut hic statim dicitur, tyrannica duraverit Compostellanorum dominatio, et in præcedenti 1116 orta fuerit, merito sequens detestanda perduellio anno 1117 copulatur. Illa etiam quæ post eam narrantur, ad annum pertinent 1118, ut in sequentibus apparebit.

ecclesiæ ; vociferantur flagitiosi proditores voces bellorum, clamor adit aures universorum, rebellatur animus proditorum, et quod diu moliti fuerant, aperiunt. Strepit tota civitas, curritur ad arma, et ad bella properatur ; fama, qua nullum malum est velocius (VIRG. *Æneid.* IV, 173), refert milites episcopi et reginæ invasisse Compostellanos. Interfuere aliquot, tam canonici quam cives, extra hanc nefandam insaniam, qui propinquorum vesanorum tantam audaciam voluere sedare ; sed quid pauci contra tot millia ? Currunt complices proditionis ad prælia, et ascitis sibi notis et amicis, volunt episcopum et reginam ire perditum, qui se perdere voluerint. Episcopus et regina in palatiis episcopi postquam audiere civitatis clamores et strepitus, et qualiter socii Iscariotis incitaverint civitatem in se, timuere ; quippe vident proditorum audaciam pullulare, et bella audacius moveri, ecclesiamque B. Jacobi, et palatia episcopi armatorum manibus obsideri, et acrius expugnari. Quid consilii capiant contra tam nefandos ausus ignorant ; expugnatur apostolica ecclesia crebris assultibus, volant saxa, sagittæ, tela super altare et nefanda prælia a proditoribus aguntur. Quid non audeant flagitiosæ manus? Perditissimi expugnatores imponunt ignem ecclesiæ B. Jacobi, et eam utrinque incendunt : non modica enim pars ecclesiæ erat cooperta myricis et tabulis. Proh nefas ! Tam veneranda tamque digna apostoli ecclesia comburitur, tamque pretioso patrono nullus honor impenditur. Proh dolor ! Apostolicæ ecclesiæ flamma surgit in altum, et circumquaque præbet horrendum spectaculum. Omnes qui astant, tam viri quam mulieres timentes Deum flent et ejulantur, et tanti facinoris actores exsecrantur. O quantus erat luctus peregrinorum, qui de diversis regionibus ad apostolicum corpus venerant !

Postquam episcopus et regina videre ecclesiæ incendia, et prædictos complices cum tanta multitudine promptos ad omne nefas, non ausi confidere in palatiis episcopi, confugiunt ad turrim signorum una cum comitatu suo. Compostellani vero ascendentes ad altiora apostolicæ ecclesiæ, et ingredientes palatia episcopi currunt, rapiunt, præcipitant; vestes, vasa aurea et argentea, cæteraque quæ fuerant tam episcopi quam reginæ capiuntur, diripiuntur, et nefandis hostibus prædæ habentur : ascendunt Compostellani ecclesiam B. Jacobi, ascendunt turrim palatii episcopi, et ad expugnandum turrim signorum, in qua erat episcopus cum contribulibus et cum militibus suis, et regina cum suis, se præparant ; pars eorum super ecclesiam, pars in turribus, pars humi circumdensata, turrim illam invadunt, projiciunt saxa et sagittas episcopo et reginæ, eorumque sociis mortem minantur. Sed hi qui in turri erant cum episcopo et regina non segnius pro loco et multitudinis imparitate se protegebant, et bellorum vices referebant, hic bellum diutius moratum est. Deniquc Compostellani, videntes A tantæ multitudini tam paucos resistere et bellorum vices suas alternare, insimul concurrunt ad ignem et connexis clypeis super capita ignem submittunt per fenestram quæ erat in inferiori parte turris. Adhibito igne, adhibent etiam igni fomenta. Quid longius morer ? Ignis intra turrim incenditur, et eos qui in turre erant aggreditur.

Postquam videt episcopus nec sibi nec reginæ parci, et suam in necem tantam multitudinem anhelare, alloquitur et reginam et eos qui intus erant : « Fratres charissimi, jam circumvallamur impia manu flagitiosorum, jam in arcto positi nullum habemus refugium. Solus Deus, qui est refugium oppressorum, solatium mœstorum, ipse est refugium et solatium nostrum. Ponamus in Deo spem nostram B et fiduciam nostram, qui potest nos eripere de manibus impiorum, et de tanto periculo liberare nos : ipse enim liberavit Danielem de lacu leonum ; ipse liberavit tres pueros Sidrach, Misac, et Abdenago de camino ignis ardentis. Convertamur ad Dominum toto corde, et ipse convertetur ad nos. Ait enim ; « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I, III).» Pœniteat nos iniquitatum et peccatorum nostrorum. Confiteamur alterutrum peccata nostra et oremus pro invicem ut salvemur ; invocemus misericordiam Dei ut peccata nostra nobis dimittat, et misericordiam suam præstare nobis dignetur, qui vivit in sæcula sæculorum. Ad hæc regina et omnes qui aderant, prorumpunt in lacrymas, et episcopo faciunt confessionem.

C Tunc regina conversa ad episcopum inquit; «Egredere Pater, egredere ab hoc incendio, ut ego tecum egredi audeam. Parcent enim tibi ut patrono suo, episcopo suo domino suo. » Tunc episcopus ; « Non est hoc, inquit, sanum consilium ; me etenim et contribules meos infestos habent, et ad necem nostram præcipue anhelant. » Clamabant autem foris : « Regina si vult, egrediatur ; illi soli egrediendi licentiam et vivendi facultatem concedimus : cæteri armis et incendio pereant. » Quo audito, incendio intus jam convalescente, et regina coacta ab episcopo, accepta fide securitatis ab eis egressa est a turre ; quam ut vidit cætera turba egredientem, concursum in eam faciunt, capiunt eam et prosternunt humi in volutabrum, rapiunt eam more luporum, et vestes ejus D dilaniant, a papillis siquidem deorsum nudato corpore, et coram omnibus, diu humi jacuit inhoneste. Multi quoque lapidibus eam voluerunt obruere, inter quos anus quædam Compostellana percussit eam graviter in maxillam lapide.

Interea episcopo intus orante, et igne altius insurgente, venit ad eum abbas S. Martini afferens secum quemdam crucifixum, quem dedit ei. Quo accepto episcopus fecit confessionem suam, et quasi ad martyrium proditurus a turre egreditur, et abjecto pallio suo, et accepta a quodam capa vilissima (mira res !) posito ante faciem suam crucifixo per acies pugnantium, per cuneos inimicissimorum, per arma flagitiosissimorum proditorum ter mille et amplius, ab uno

solo agnitus præterit. Tunc ad locum ubi jacebat regina in volutabro turbis impetentium proculcata, pervenit, et respiciens eam tam turpiter denudatam et provolutam, nimis dolore compunctus præteriit, et transiens per ecclesiam B. Jacobi pervenit ad ecclesiam S. Mariæ cum quodam canonico, scilicet Michaele Gundisalvide, qui in adversis ei postea societatem adhibuit : deinde accepit corpus et sanguinem Domini et ibidem securius requievit.

Interim adveniunt illuc quidam canonici, egressus ejus edocti, et quasi exploraturi ; et utrum a periculo ignis et armatorum episcopus evasisset, an in turre periturus remansisset inquirunt ; verum episcopus, aliorum proditionem expertus, ut ab hinc removeantur, prædictum Michaelem, et alios qui se juxta altare quasi tuebantur exorat ; qui cum non potuissent inde evelli nisi prius patefacta ejus salute, et evasione episcopi, juramento asserunt se nemini quidpiam de salute episcopi propalaturos, et sic, et quid vel qualiter episcopo acciderit propalatum est eis, et abiere. Tandem regina dilaniata crines, nudata corpore, provoluta luto, evasit et pervenit ad eamdem ecclesiam in qua episcopus latebat, nesciens tamen quidquam de episcopo.

Hi autem qui in turre remanserant postquam vident vires ignis celsitudinem turris exsuperasse, quidam ex alto se præcipitant, et sic evasere ; alii prorumpunt in medias acies armatorum. Petrus ecclesiæ B. Jacobi prior (de quo mentionem superius fecimus, nepos episcopi) prosiliens in medios armatos agilitate sua evasit ; sic et complures. Gundesindus Gelmirides, fratre episcopi, prosiliens in medium, lanceis atque gladiis perfossus est ; Rudericus Oduarides marjordomus episcopi, Rademirus ejus dapifer, Didacus Strabo villicus urbis ibidem interempti sunt. Alii vulnerati, exspoliati, semineces evasere. Reginæ in ecclesia S. Mariæ residenti clam jussione episcopi per quemdam legatum nuntiatum est episcopum ab incendio evasisse, et in eadem ecclesia latere ; quod ut novit, licet suum dedecus et pœnam defleret, propter evasionem tamen episcopi non modicum lætata est. Sed timuit ne pateret persecutoribus, et sic lætitiæ causam dissimulavit.

Post hæc conveniunt Compostellani ad reginam in ecclesia B. Mariæ, et quasi saluti ejus congratulantes eam comitantur, et ad ejus tuitionem replent armis ecclesiam quorum manipulos regina hinc prose pertimescens, hinc ne quid de præsentia episcopi eis patefieret, sic alloquitur : « Ite, inquit, nequissimi ite flagitiosissimi, ite perditissimi ad turrim in qua episcopus vester armis et igne perit. Abstrahite eum, quam citius potestis, a periculo, ne exemplum tantæ nequitiæ et infamiæ posteris habeamini. Ite, inquam rebelles et increduli, et tantum nefas prohibete ne fiat. » Hoc autem aiebat ut eos removeret ne quid de episcopo præsentirent. Ad hanc vocem discedunt turbæ quæ convenerant, et ad turrim usque perveniunt ; repellunt armitenentes adhuc turrim expugnantes et igni irritamenta ministrantes, aquam uno ore poscunt et intus projiciunt, ignem, quantum possunt, exstinguunt, et episcopum liberare nituntur flent super episcopo pars canonicorum, viduæ et pupilli, pauperes et non modica pars civium ; ignis autem in tantum excreverat in turre, quod, si episcopus adhuc ibi fuisset, in favillam verteretur ; turris nimirum, trabes et tabulata combusta sunt ; signa mille et quingentis libris æris composita, combusta sunt et corruerunt.

Postquam regina supradicta ratione removit populi incursus ab ecclesia S. Mariæ, discessit et ipsa fugiens ad ecclesiam S. Martini, ut ibi securior esset. Episcopus autem furtim atque latenter egrediens ab Ecclesia S. Mariæ propter frequentiam et incursus populi, comitatus a prædicto Michaele et duobus Francigenis, transcendens per parietes et per tegulata, ingressus est in domum cujusdam, nomine Maurini, per fenestram, et illi cum eo. In hujus domus angulo latuit episcopus cum prædictis sociis coopertus pannis et hujusmodi aliis rebus. Eo ibi latente ecce quatuor armata a parte proditorum requirentes eum, aiunt : « Quisnam latet hic ? Quid hic agitur ? Vidistis illum quem quærimus, scilicet episcopum ? » Hoc audito latuit episcopus et Machael inter pannorum vestiumque multitudinem ; nisi enim latuissent illico ab illis armis perfoderetur episcopus. Assurgunt autem illis venientibus duo Francigenæ, dicentes se a tumultibus bellorum rediisse, et tanto labore fessos ibi requiescere. Adest quoque matrona ejusdem domus, quæ noverat ibi latere episcopum, et vociferando increpans eos quasi invasores et exploratores suæ domus coegit abire ; cum quibus etiam abiere duo prædicti Francigenæ ut citius eos removerent, et suum episcopum tegerent. Quanta omnipotentis Dei ineffabilis pietas, quæ episcopum a prædicto periculo liberavit, et eumdem ab ipsis manibus horum nequissimorum eripuit ! Illis remotis adest Gundisalvus gener prædictæ matronæ, inquiens : « Abhinc, Pater et domine, quam citius fuge, latita. Ecce enim nefanda manus proditorum, cæterorum sanguine imbuta, tuum adhuc sitiens, ubique te requirit : vidi eos huc cum gladiis et fustibus properare ; abi cito, nec ulterius moræ indulgeas: potens est Deus liberare te a manibus impiorum, a faucibus biantium. » His dictis surgit episcopus, et dirupto tabulato proximæ domus ab eodem Gundisalvo, item alio, deinde tertio pervenit in domum Froylæ Rodesindiz, quæ erat in media civitate ; cœpit autem domina domus vociferari ab invasoribus domum suam destrui et intrari. Responsum est a Michaele quemdam notum et amicum viri ejus, nomine Froylam Menindiz, reginæ villicum, intestinam seditionem tumutusque bellorum evasisse, et ad hanc domum confugere. Non post multum temporis advenit dominus domus, scilicet Froyla Rodesindiz qui ut novit ibi esse episcopum currit ad eum dicens cum lacrymis : « Deo gratias. Pater charissime, qui a tanto te periculo liberavit et incolumen huc venire fecit. Verumtamen incursus hostium timendus est, ne huc illucque discursantes

te inventum perimant, qui sunt proni in omne nefas. Veni ergo mecum.» Et duxit eum cum Michaele in quodam penu obscurissimum inferius; ibique diutius prorumpunt in lacrymas.

Interea prædicti Francigenæ præparant quatuor equos velocissimos episcopo, ut inclinato solo transiens in alteram parietem vici, et inde per agros S. Martini super eos ipse et Michael cæterique ascendant et sic aufugiant. Cæterum longe aliter accidit. His enim apparatis adest P. abbas S. Pelagii cum quodam monacho suo Pelagio Didacide, itemque P. prior canonicorum, ejusdem episcopi nepos, dicentes: « Nos missi a clero et populo totius civitatis venimus ad te. Pœnitet eos male egisse in te, et te utpote dominum suum, episcopum suum, diligunt, tibi equidem satisfacturi; præstolantur te, tum clerici quam laici, mille aut quingenti in claustro S. Pelagii pro omnibus aliis juramentum dilectionis atque fidelitatis tibi facturi, et præsentiam tuam exposcunt. Egredere ergo ab his latebris, et veni te reconciliatum eis; nunquam eos magis tibi subditos habuisti quam hodie, si nobis acquiescas.» Hoc autem totum adinvenerant proditores, ut hos nuntios fallendo saltem sic possent episcopum invenire, et inventum perdere. Cumque episcopus ab his nuntiis egredi cogeretur, satisque ab eis objurgaretur, præcognita fraude et argumento proditorum, ait nuntiis: « Ite ad mille vel ad quingentos illos quos dicitis, et renuntiate eis me sanum et incolumen esse, locum in quo ego sum nemini dicatis. Si ita est ut fertis, centum ex illis tantum pro omnibus aliis faciant vobis juramentum quod dicitis. Ego autem in crastinum veniam ad eos.» O quanta viri prudentia, quæ quid vel qualiter illi nequam disposuissent Dei gratia prævidit! Tunc abeuntes prædicti nuntii neminem qui quæ promissa fuerant sanciret, inveniunt. Hic denique patuit eis fraudis atque proditionis figmentum: si episcopus eis acquievisset, ex improviso eorum consilio in manus inimicorum incidisset, et ab eis forsitan in manus inimicorum incidisset, et ab eis forsitan interfectus esset. Prædictus prior, agnita fraude atque proditione eorum, miratus expavit; remansit ibi tutus in ecclesia.

Abbas autem cum prædicto monacho revertitur ad episcopum referens ei fraudem et mendacium proditorum, et quod episcopus prudenter eorum molimenta præsensisset. Tunc facto jam crepusculo abbas et prædictus monachus adducunt episcopum cum Michaele latenter ad ecclesiam suam, scilicet ad ecclesiam S. Pelagii, et ducunt eum in thesaurum ejusdem ecclesiæ, cæteris monachis nescientibus-excepto thesaurario. Post hæc alloquitur abbas episcopum dicens: « Confortare, Pater, et esto robustus, accipe cibum ut refocilleris, (erat enim episcopus adhuc jejunus).» Ad hæc episcopus: « Non decet, inquit, solvi jejunium, cum in crastino moriturus digladier manibus inimicorum. Solius Dei pietas et misericordia quæ me hodie de tot tantisque periculis liberavit, in crastinum quoque faciet, si voluerit.» Summis tamen precibus abbatis condescen- A dens prælibavit parum panis et vini, et sic requievit. Luce clarius constat ea nocte episcopum non dedisse membra nimio torpori, sed psalmis atque orationibus adhibuisse sibi solatium. Monachis autem surgentibus ad Matutinas, surrexit et ipse; per fenestram quæ erat in eodem thesauro, audivit matutinale officium monachorum.

Tandem clarescente die, quæ erat dies Dominica, omnes proditionis complices conveniunt in canonicam, ascito clero et populo partim minis, partim muneribus. Æstimabant suæ nequitiæ conspirationem habere effectum, et quasi reges imperium exercebant in omnibus. Præest illis quidam vir impius et valde nequissimus, qui toto tempore proditionis Compostellæ moratus fuerat, et ut princeps proditorum B complicum quamplures ad conspirationem incitaverat; spe dominium ecclesiæ S. Jacobi amplexabatur, et ad hoc toto corde anhelabat. Jam enim inde ministri totum honorem B. Jacobi inter se partiti fuerant, et quid vel quantum quisque sibi haberet disposuerant. Postquam igitur convenere in canonicam, prædictus iniquus multis hortatus est eos verbis ut germanitas inter eos habeatur et firma permaneat, ut sint unanimes, ut civitatem suam muro valloque muniant, et hostes, si qui adhuc inter eos remanserunt expellant accipiunt etiam consilium ut reconcilient sibi reginam, et satisfacientes ei de externo opprobrio et incommodo illato firmissimæ pacis cum ea ineant fœdera. Mittunt ad reginam in ecclesiam S. Martini eorum metu latentem, qui hæc cum ea diffiniant, prius C tamen facta mentione episcopi utrum evasisset, aut ubi lateret, vel quid de eo clero et populo placeret. Surrexit in medio quidam dilectus et nutritus ab episcopo, in quo ipse episcopus multum confidebat, et ad universos verba hujusmodi ostendit et declarat: « Usque modo, fratres, habuimus super nos dominum et episcopum, quem amodo nec nobis dominari nec episcopari dignum est. Ille enim et Ecclesiæ vestræ dignitatem diminuit, et vos dominii sui jugo graviter oppressit. Porro ne quis vestrum eum dominum vel episcopum exposcat, fateor coram Deo et B. Jacobo, et coram vobis illum amodo nec dominum meum, nec episcopum meum fore: etenim probare præsto sum juste ei talia accidisse, et toto honore quem habuit debere carere.» Hunc quidam pessimum prædictus D episcopus a puero educaverat in palatio suo, et fecerat eum honoratum in ecclesia S. Jacobi, tandem adultum miserat in Franciam ad discendum grammaticam, data ei non modica pecunia. Postea revertentem fecerat eum sibi familiarissimum et præcordialissimum, et, quasi dominum suæ domus amplectens eum paterno amore, dederat quoque ei non modicas pecunias. Cumque ab eo nullum fere obsequium recepisset, dederat ei bonum præstimonium scilicet Asnoios, medium de Sacrantes, Ceiam, medium S. Christinæ de Noia, et multa alia. Proh perditissima fides Gallæciæ! Episcopus prædictum pessimum paterno amore educaverat, dilexerat, et honoribus et beneficiis ampliaverat, et ipse tamen

quasi horum omnium oblitus, et malum pro bono reddens, ad episcopi destructionem atque necem anhelabat. Qui postquam prædictæ proclamationis finem fecit, pars, tam cleri quam populi, eodem imbuta veneno, laudavit verba ejus, et haud aliter fore censuit. Illi qui non erant participes illius proditionis nec in episcopum nec in reginam conspiraverant, et quibus hujusmodi consilia odio habebantur, licet tantum nefas displiceret eis, licet de episcopo et de cæteris aliis aliter sentirent, non tamen contradicere vel etiam mutire audebant; si enim inter tot Judæ complices aliud præter eorum voluntatem vel dicere vel facere præsumerent, confestim obruerentur domus eorum, substantia eorum abiret in prædam, et ipsi forsitan aggere lapidum obruerentur. «Tempus etenim est, ut ait Salomon, loquendi, et tempus tacendi (*Eccle.* III, 7).

Tunc ipsi nequissimi proditores, consilio accepto cum complicibus suis et omnino male imbuti, perditissimos legatos in hac conspiratione et proditione, ad reginam dominam U. callide et ingeniose mittunt, et sic eam alloquuntur: «Confitemur equidem, o regina, nos tibi dedecus et opprobrium iræ impetu fecisse, et in ecclesiam B. Jacobi, et in te non audenda ausos fuisse; hujus rei admodum pœnitet nos ideoque pro nobis et pro aliis sociis nostris tibi satisfacturi venimus. Parcas itaque nobis et omnia tua reddemus tibi; volumus etiam ut nobiscum pacem habeas, et reconciliationis firmissimæ inter nos juramenta habeantur. » Quo audito regina, quæ more agnæ inter lupos adventum eorum expaverat, recte et ingeniose exhilarata est, et benignissime eis ficte respondit dicens: « Perplacet mihi quod dicitis, et si quid in me peccastis, quantum mea refert, vobis condonetur. Placet mihi inter me et vos fieri fœdera pacis, et præteritorum malorum non meminisse. » Tunc adjecerunt nuntii dicentes : « Facile de cætero pax et concordia inter nos fiet, sed unum excipimus: videlicet D. episcopum habere nolumus, et illi omnino infesti sumus, qui nos hactenus oppressit, et dignitatem Ecclesiæ nostræ et civitatis nostræ ad nihilum redegit. Ideo omnes eum odio habemus, et eum super nos regnare nolumus. » Tunc Regina: « Quid ad me, inquit, de episcopo vestro ? pro velle vestro dijudicate eum; quodcumque vobis super hoc placuerit, placebit et mihi ; quemcunque vos proposueritis, proponam et ego: in nullo enim a vobis amodo discrepo. » Hoc autem aiebat ut vel sic manus eorum evaderet. Quod audientes nuntii reversi sunt ad complices suos, referentes eis quæ audierant a regina, et multa alia ; congaudent nefandæ conspirationis complices, et fraudis suæ molimenta ab ipsa regina non refelli congratulantur. Verum hoc gaudium vertetur in tristitiam.

Quidam iniquus qui prius acceperat monachalem habitum, ut audivit complices suos regnare, episcopum abjici, reginam eis reconciliari, deposito monachali habitu, egressus est a monasterio factus apostata, utque fuerat socius conspirationis, voluit esse particeps regni : quod præter spem ei accidit. Quidam cardinalium atque canonicorum Ecclesiæ B. Jacobi, postquam audierunt reginam reconciliari Compostellanis, et ab eisdem relatum fuisse reginæ quod omnes haberent odio episcopum, nec eum dignum esse amplius episcopatu, adeunt reginam parati nec propter mortem verum reticere, nec parti proditorum relicto episcopo favere. Aiunt igitur ei ita: « Regina, licet hujus conspirationis quam novisti complices retulissent tibi malum de episcopo nostro, et licet dixissent eum minime dignum esse episcopatu, non tamen credendum est eis ; volunt regnare, sed per proditionem; volunt imperare sed per violentiam. Parati sumus omnibus eum accusantibus respondere et partem ejus tueri. Quid enim egit quare degradetur? Quid foris fecit quare ab honore privetur ? Si quis eum accusat, præsto sumus ei, licet eo absente, respondere; cum omnia in eum mentiantur, non est eis temere acquiescendum. His dictis regina congratulata est, et quia fideles existebant episcopo suo non modicas grates reddidit eis. Revera nihil causæ conspiratores habebant quare episcopum ab honore privarent, nisi solam pro tempore violentiam.

CAPUT CXV.

Qualiter regina evasit a Compostella.

Interea episcopus, latens in ecclesia S. Pelagii, audierat pacem inter reginam et Compostellanos fieri; hoc audito mittit ad reginam quemdam monachum Pelagium Didacidem qui omnia sciscitetur ab ea, et qualiter et qua conditione fierent; quem monachum clam regina sciscitata de episcopo ubi esset, talibus verbis allocuta est : « Abi hinc citius fidelis confessor, et refer episcopo ex parte mea, ut quam citius potuerit faciat pacem cum Compostellanis si potest, et egrediatur a civitate. Quod si hoc modo non potest egredi; saltem furtim sub noctis silentio egredi et evadere manus impiorum festinet. Ego enim, quam citius potuero, egrediar Compostella ; et mala pro malis reddam proditoribus, prout ipsi meruerunt ; et ut vadere possim manus eorum, quasi fœdera pacis et reconciliationis cum eis ineo, datura modo eis juratores ad id confirmandum, quos perjurii reos faciam, alio modo nimirum nequeo evadere vel exire a civitate. » His auditis revertitur monachus ad episcopum, et refert ei singula. Quibus auditis gavisus est episcopus. Eadem die, scilicet Dominica, Compostellani adhuc pleni œstro vesaniæ conveniunt ad reginam in ecclesia S. Martini post prandium, exigentes ab ea sanciri fœdus et pacem inter se et reginam juramentis. Postulant sibi dari juratores ex parte reginæ et fœdus suum scribi; ipsi equidem jam statuerunt in civitate villicum suum, tamen cum consilio reginæ, ut eis ad tempus faveret, ut ipse nihilominus secundum consilium proditorum omnia ordinaret et disponeret ; alium priorem, alium præpositum canonicæ, alium dominum altaris, et sic de ceteris designaverant.

Regina autem tale fertur eis dedisse responsum: «Quid ulterius moramur in hac discordia? Accipite

a me juramentum pacis et reconciliationis inter me A et vos firmandæ et tenendæ; jurent vobis ex parte mea Fredenandus et Veremudus filii comitis Petri, et Fredenandus Joannides, deinde dabo vobis quos præcipue vultis interesse huic juramento, filium meum et comitem Petrum qui sunt extra civitatem, non ausi huc ingredi propter hos discordiæ tumultus, cæterosque consules et principes Gallæciæ; » filius namque reginæ cum pædagogo suo comite Petro, cæterisque optimatibus Gallæciæ, cum magno equitatu erat prope civitatem prospiciens si forte regina evaderet; audito autem inter reginam et Compostellanos quasi pacem fieri, attentius ibidem morabantur præstolantes eam. Tum Fredenandus et Veremudus, aliusque Fredenandus qui ab ecclesia cum regina confugerant, scilicet prætaxati juratores, juravere Compostellanis sic fore inter reginam et Compostellanos de pace et reconciliatione quemadmodum determinatum erat. Verum ad hoc jurant, ut regina evadat, et ipsi perjurii habeantur; sic enim jam in colloquio secreto fore cum regina statuerant. Compostellani alacres, et pro sua opinione voti sui compotes, accipiunt juramentum, dantque reginæ, et suis licentiam egrediendi civitatem, et ad hoc ut filium suum et comitem P. cæterosque faciat eis jurare, et pactum illud sancire. O stulta audacia proditorum! O cæca vesania conspiratorum! Tantum tumque abborrendum nefas putant fore inultum, et quod male fecerunt se impune laturos esse opinantur, quod est regem esse. Egreditur regina a civitate, evadit laqueos proditorum, columba unguibus accipitris, agna ore luporum aufugit. Comitatur eam usque ad saltum quidam stultus et insanus, et cum eo quidam Compostellani complices sui. Verum enimvero remota regina a civitate postquam audierunt et noverunt reginam non reversuram Compostellam, nec habituram pacem cum Compostellanis, citius reversi sunt. Regina adiit filium suum, suosque proceres, et jam secura retulit eis quæ sibi acciderant. Jubet etiam renuntiari ex parte sua Compostellanis diffidationem, ut sibi caveant et se muniant, et ad bella se præparent; ait enim tantum nefas, quod fecerant, non remansurum impune. Quo audito Compostellani quasi semianimes fiunt et nimio terrore arrepti se in arcto positos conspiciunt, nihil fiduciæ, nihil consilii habent; ultionem sui facinoris vident pullulare, et sibimet diffidunt. Confugiunt tamen ad ecclesiam, et pretiosiora quæ habent illuc asportant.

CAPUT CXVI.

Qualiter episcopus evasit a manibus proditorum.

Eadem die, scilicet Dominica, sole inclinato prædictus episcopus residens thesauro S. Pelagii, cogitat quid agat, qualiter evadat, qua parte egrediatur. Ecce autem turba multa proditorum celeri cursu veniunt in claustrum S. Pelagii, omnes equidem armati et requirentes episcopum. Quo non invento ibi, egrediuntur ecclesiam proni ad sacrilegium; inquirunt episcopum in angelo ecclesiæ, post altaria, et etiam sub velaminibus altariorum, interempturi ipsum, si eum invenirent. Tunc monachus thesaurarius, qui cum episcopo erat, conversus ad episcopum: « Vides, inquit, Pater, proditores tuos discurrentes armata manu? » Ad hæc episcopus: « Quid inquit? » Respondit monachus: « Ecce requirunt te in ecclesia, extra ecclesiam, sitientes sanguinem tuum: modo huc aderunt: consule tibi ne te hic inventum trucident: cerne quanta turba ingreditur, et quam velociter. » Tunc episcopus conversus ad Michaelem; « Fugiamus, inquit, Michael! egrediamur hinc citius, induere hoc pallio, et ego hac capa vilissima: inter hos discurrentes discurramus, inter properantes properemus, inter ingredientes et egredientes egrediamur: solus Deus si vult, potens B est liberare nos. »

Egreditur itaque episcopus cum prædicto Michaele, positus inter mortem et vitam, et inter frequentes requirentium se turbas transiens pervenit in claustrum ejusdem monasterii, deinde in aliud claustrum, et circumseptus utrobique transiliit per murum juxta ecclesiam S. Jacobi, ubi est altare S. Petri, et sic pervenit cum prædicto Michael in dormitorium nostrorum canonicorum per tegulata, et requievit ibi parum. Post hæc aperto ostio dormitorii egressus est in quintanam Palatii quæ est ante refectorium; erat autem lucidissimus splendor lunæ præbens sufficiens luminare omnibus concurrentibus ad ecclesiam B. Jacobi, et sua illuc asportantibus. Erat enim tota civitas perterrita formidans reginæ militum C assultus, et tanti facinoris conscientia noctu et die ad ecclesiam confluebant. Verumtamen episcopus, quasi unus ex illis, transiens per medium eorum pervenit ad domum Petri Gundesindidez canonici et card. ecclesiæ B. Jacobi, tot tantisque procellis nec ab episcopi sui favore, nec a tramite justitiæ recedentis. Tunc pusalvit Michael ostium, pone latente episcopo propter claros lunæ radios et propter frequentes discursus hominum. Aperto ostio episcopus ingressus est cameram prædicti cardinalis, latens ibi quousque abirent quidam canonicorum, quos cardinalis vocaverat ad cœnam, quosque episcopus habebat suspectos. Quibus remotis, episcopus cum prædicto cardinali et Michaele transiit per domum ipsius cardinalis in alteram partem vici. Tunc cardinalis ait episcopo: « Pater, sanum est tibi consilium ut in- D duaris arma, et per medios vigiles qui hic et circum vallum excubant, quasi unus ex illis transeas. » Ad hæc episcopus: « Absit inquit, ut alia induar arma præter arma Christi, quæ mecum habeo! Armis enim Christi protectus hesternum incendium evasi, alia non minus formidanda pericula, eisdem armis munitus, et Deo adjuvante et protegente transibo per medios hostes. Veruntamen adhibe mihi alios duos armatos, cum quibus tot manus vigilum prætercam quasi unus ex illis; age: non est longius moræ indulgendum. Præsto sunt enim hostes nostri qui nos insequuntur, et sanguinem nostrum sitiunt. » Haud mora cardinalis obedivit consilio ejus, et circummu-

nit episcopum duobus armatis, unius quoque lanceæ A Michaele armato, sic progrediuntur. Quos cum vidissent prætereuntes inter vicum Fagarium et vallem Miliorum, excubæ qui hinc et illinc excubant, exclamantes aiunt : « Quinam estis ? quo itis ? quid quæritis ? » Tunc unus ex sociis episcopi monitus ab episcopo quid responderet ait : « Imus extra civitatem excubitum, et provisum ne hostes furtive aggrediantur civitatem; tempus enim est vobis vigilandi et excubandi : tempus est huc et illuc discurrendi, vos autem inertes quid hic moramini ? quid hic datis membra quieti ? surgite, discurrite, excubate attentius. » Inter hæc verba prætereunt et transiliunt vallum. Quod autem et quanta mala passus fuerit in hac nocte episcopus et per quæ loca pedes transierit, longus mihi labor est referre, et B proprium opus inquirit.

Tandem prædictus episcopus pervenit ad fontem quercus qui est in via Patroni, fessus labore itineris, et comitatus Michaele cæterisque compluribus, de quibus præmisit duos ad quemdam villicum suum, qui prope morabatur, ut ad se veniret, et adduceret secum equitaturas. Eas igitur adductas ascendit episcopus cum asseclis suis, et non modica militum turba jam munitus venit Iriam, et quasi a captivitate fugiens, quasi a mortuis resurgens, ab amicis suis receptus est. Prædictus autem cardinalis per cujus domum transierat episcopus, et qui eum liberaverat, interim capitur a proditoribus, et omnia ejus ab eisdem possidentur, alia die ducunt eum in publicum ut vel episcopum reddat, vel ipse mortis pœnam patiatur. Sed Deus omnipotens, justus et fortis Judex, C liberavit eum a manibus impiorum. Interea episcopus apud Iriam patefacta reginæ evasione sua, percutit omnes Compostellæ commorantes gladio anathematis, et eos a liminibus S. ecclesiæ suspendit; quod Compostellanos medullitus sauciavit, et eos omnino enervavit. Convocat etiam episcopus omnes provinciæ B. Jacobi, tam milites quam pedites, et ad obsidionem Compostellanorum summis precibus reginæ condescendens maturat. Regina quoque mittit legatos suos circumquaque, et omnes, tam consules et principes quam milites et pedites, præcepit venire ad obsidionem et destructionem Compostellæ. Reginæ filius A. obsidet Compostellam a parte montis petrosi non modico exercitu tam militum quam peditum, adjuncto sibi pædagogo suo comite P. et filiis ejus D Fredenando, Veremudo, Ruderico levirisque suis comite Guterio et Gumiesse Nuniz, cæterisque optimatibus ; a parte vero Iriæ obsidet episcopus magna exercitu militum, et infinito numero peditum ; a parte Montis Sacri obsidet comes A. cum exercitu Limianorum, adjunctis sibi Castellanis (106), Decianis, et aliis compluribus A. parte monasterii S. Petri obsidet comes Munio cum omni exercitu suo ; a parte Penellarum obsidet comes Rudericus cum nimio exercitu.

Ad lucem frangitur supercilium Compostellanorum, hinc multitudine obsidentium et crebris assultibus, illinc anathematis gladio ; licet enim nefanda turba conspiratorum daret animos cæteris Compostellanis, ut non reciperent anathema episcopi, nec haberent eum pro episcopo, alii tamen tam canonici quam cives, saniori accepto consilio justitiam observantes, obediunt ei, utpote episcopo suo, et ejus excommunicationem suscipiunt. Discurrunt huc et illuc Iscariotides, et muniunt civitatem vallo, sepibus, aggere lapidum, et ligneis propugnaculis, animant atque hortantur populum ; sed incassum. Postquam enim non modica pars Compostellanorum expers nefandæ proditionis videt civitatem circumquaque obsessam, arbores truncari, segetes colligi, capita, pedes, aut manus amputari, mortuorum corpora non humari ; videt etiam reginæ exercitus quotidie augmentari, suos autem decrescere, ducit operæ pretium aliud consilium accipere : magna pars nimirum Compostellanorum quaque nocte aufugiebat metuens civitatem penitus destrui, et Compostellanis digna pro meritis reddi. Jam proditores odio habentur a cæteris, jam eorum consilium flocci penditur, jam maledicitur eis qui tantæ nequitiæ fuerunt auctores, quippe in episcopum et in reginam fecerunt conspirationem; quippe nullius fulti patrocinio vident civitatem facile capi, si expugnetur, et exercitus undique expugnare eam avidos. Quis enim non irrueret avide in proditores ? Quis non exstirparet ipsos nefandos in Episcopum suum conspirantes ? Quis non destrueret regnum et sacerdotium destruere volentes ? Quis non combureret apostolicæ Ecclesiæ violatores et combustores ? Tota Gallæcia habet infestos tanti facinoris auctores, tota Gallæcia sitit sanguinem eorum.

Tandem spreto consilio proditorum, spreta conspirationis insania, quidam canonicorum cum quibusdam civibus, qui prædicta proditione nec participaverant, nec destruere potuerant, egrediuntur ad episcopum, spe supplicandi, et poscendi misericordiam, et aiunt ei : « Reverendissime Pater, venimus ad fontem misericordiæ tuæ, supplicamus tuæ sollicitæ pietati, aperiatur nobis gremium tuæ pietatis. Porrige nobis auxilii manum ; tota civitas, exceptis proditoribus, supplicat tibi secetur et auferatur pars morbida, ut cæteri vivere possint. Parce, Pater, Pater, parce filiis tuis, et quod solitus es fovere gremio pietatis et misericordiæ, noli hostili gladio percutere; miserere nostri et esto brachium nostrum, ad te enim confugimus, utpote ad Patrem nostrum, ad episcopum nostrum. » Quorum precibus cum condescendisset, episcopus, et more paterno misertus fuisset filiorum suorum adiit reginam et filium ejus, referens ei Compostellanorum supplicationem et confugium ad misericordiam. Quod cum audisset regina : « Absit, inquit, ut parcatur proditoribus, qui tot tantaque nefanda commiserunt ! stat mecum hæc sententia, scilicet omnes Compostellæ proditores et facinorosos igne aut gladio delere ; sicut enim ipsi non pepercerunt ecclesiæ B. Jacobi, nec tibi, nec

(106) Ex territorio scilicet Castellæ, Auriensis diœcesis.

mihi, sic nec eis parcendum est. Animadvertatur, A obsecro,in eos,prout meruere, et pereant de libro vitæ. Tu quoque, Pater, in eorum delementum debes anhelare.Tua enim interest tantum nefas abominari et delere.» Episcopus ut videt reginæ animum ad suæ injuriæ ultionem pronum nulliusque precibus flecti, convocat regem puerum, comitem P. pædagogum ejus,comitem Rudericum, comitem Muniomem, et cæteros Gallæciæ prudentiores, rogans eos ut reginæ animum precibus emolliant, quatenus apostolicæ civitatis misereatur,et proditiosos delendo, cæteris parcat.

Tunc illi adeunt reginam et summis et infinitis precibus eam ad misericordiam flectere nituntur. Flet regina, quandoquidem videt se conspiratorum nefas pro velle suo non posse ulcisci,nec proditores B eorumque propaginem funditus exstirpare.Tandem regina precibus episcopi cæterorumque vix condescendens, quasi coacta reconciliationis fœdera cum Compostellanis consentit fieri. Paciscuntur itaque jurejurando Compostellani in primis se germanitatem suam,scilicet conspirationem,omnino destruere et ejus chirographum ut destruatur dant episcopo; pasciscuntur et dare mille et centum marchas argenti,et reddi omnia quæcunque episcopo vel suis, et reginæ et suis abstulerant ; proditores autem,tam canonicos quam cives, proscribi, videlicet exsules fieri, hæreditatibus, ædificiis, cæterisque beneficiis privari. Itaque,tam de canonicis quam de civibus, numero C proscripti et exsules facti sunt. Quibus expulsis et proscriptis,cæteri qui remanserant,tam canonici quam cives, veniunt ad episcopum et ad C reginam in alterium pullorum (107), jam depositis armis, jam Compostellanis solutis ab anathemate, jam sancito fœdere pacis, et militibus episcopi ecclesiam et turres habentibus, jam pro argento et pro cæteris datis obsidibus, scilicet quinquaginta filiis meliorum Compostellæ. Veniunt, inquam, et jurant episcopo et reginæ fidelitatem et obsequium, nec se colligere prescriptos nisi jussu episcopi et reginæ.Condonatur itaque eis pœna participii et consensus conspirationis et facinoris, et assequuntur misericordiam ab episcopo et regina, et ab omnibus Gallæciæ principibus.Ingreditur episcopus Compostellam,et magno gaudio suscipitur; potitur apice sui honoris, et expulso odio conspiratorum sedet in solio suo; jubet ecclesiam B.Jacobi quæ combusta fuerat D reædificari,signa quæ liquefacta fuerant fieri,et palatia sua renovari.Datur argentum a Compostellanis, et quæ ablata fuerant redduntur episcopo et reginæ.

CAPUT CXVII.

Quod episcopus ivit in expeditionem usque Segobiam, ut recuperaret honorem B. Jacobi in Portugalia.

Non post multum temporis, regina discedente in expeditionem contra regem Arragonensem, proficiscitur cum ea episcopus,coadunato suo exercitu, et omnes consules et omnes principes Gallæciæ.Secutus autem est eam rex illius suus cum pædagogo suo, habens in comitatu suo Adefonsum comitem Limiensem,comitem Guterium,Fredenandum,Veremudum filios comitis Petri, Gumiz Nuniz, et quam plures baronum Gallæciæ cum multo milite. Tandem perventum est in Campaniam,et coadunatis Legionensibus, Campestribus, Castellanis, Asturicensibus, itur in Extremitatem. Prædictus autem episcopus remansit Palentiæ, dato exercitu suo reginæ, quia patiebatur in tibia sua,et quia noluit interesse prædis et rapinis pauperum.Accepto tamen consilio cum clericis qui secum aderant, ivit Segobiam, certa de causa ; nam idem episcopus fecerat olim Mauricium, Bracarensem episcopum,canonicum ecclesiæ B.Jacobi,et dederat ei præstimonium medietatem honoris B. Jacobi, qui est Bracaræ et in confinio. Quo Mauricio violentia regis Teutonicorum in papam electo, alter in locum ejus Bracaræ electus est videlicet Pelagius Menindiz, quidam idiota, qui eumdem honorem B. Jacobi violenter detinebat, Archiepiscopus autem Toletanus determinaverat diem in qua prædictus electus Bracarensis veniret Segobiam, ut ibi ab ipso archiepiscopo consecraretur. Ad hanc consecrationem venit prædictus ecclesiæ B. Jacobi episcopus ut coram archiepiscopo cæterisque pontificibus prædictum honorem B. Jacobi recuperare posset ; sed cum ab archiepiscopo differretur,et ante consecrationem Bracarensi electi judicium super honore illo non fieret,orta seditione in eadem civitate Segobiana contra reginam ejusque exercitum, dilatatum est hoc negotium. Statutum est ab archiepiscopo et a cæteris episcopis qui intererant, videlicet Salmanticensi, Osmensi, Portugalensi, inter episcopum B. Jacobi et Bracarensem haberi judicium super hoc Tudæ Kal. venturi Septembris. Sunt etiam statuti judices Auriensis et Lucensis episcopi, et quamvis omnes hujus negotii definiendi causa statuti die Tudam convenissent, totum tamen negotium remansit indefinitum (108), Revertente igitur episcopo nostro Segobia,et Compostellam veniente, cum canonicis suis consilium habuit quo modo ecclesiam B. Jacobi Deo juvante sublimare valeret : ad id namque ex quo fuerat episcopus attentus anhelaverat, videlicet ut apostolica Ecclesia archiepiscopatum vel aliud majus haberet ; sed tanta tamque ardua res non nisi per difficilia, et in tempore et in loco suo acquiri valet. Quomodo ergo ecclesia B. Jacobi per prædictum episcopum, gratia Dei adjutrice, archiepiscopatum adepta fuerit, non supervacaneum, imo quam maxime utile dictaminis nostri stylo modernis atque posteris notificare habeo ; quod alius liber,qui sequitur, evidentissime declarat.Hæc omnia propriis oculis inspexi,et ad utilitatem Ecclesiæ nostræ proprio stylo, Deo juvante, dictavi ; et quod propriis oculis non vidi,ab ipso pontifice et a multis idoneis viris, sapienter et fideliter didici.

(107) Hic, ut supra, cap, 15, num. 5, *auterium* legere oportet.
(108) Vide libro seq., cap. 6.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Quomodo Compostellana Ecclesia per Didacum prædictum episcopum II facta fuerit metropolis. Secundi libri series.

INCIPIT PROLOGUS.

Humanas laudes oblivionis nube obtegere operæ pretium neutiquam arbitramur. Posteris enim quibus est animus virtuti adhærere quædam sunt rudimenta virtutis. Nempe cum posterior dies discipulus sit prioris, quanto magis priorum bene gesta doctrinam adhibent modernis ! Qua in re propter obtrectatorum dentes, qui bonorum gloriam corrodere non pertimescunt, antecessorum laudes elucidare non refugio. Nolo enim longa temporum intercapedine inglorium fieri, quod bene gestum lucem desiderat, stylumque memoriæ expetit. Tuæ igitur sanctatis hortatui obsequentes, reverendissime Pater Didace,Sancti Jacobi Antistes,præcedentis libri seriem ex parte contexere studuimus. Ejusdem A namque libri præcedentia Munio Mindoniensis, et Hugo Portugalensis episcopi, viri scilicet prudentes ac reverendi scripserant. Stylo quorum ingenii mei scintillam adhibendo, quid qualiterve in prædicta ecclesia, ut puta bonus agricola in vinea, laboraveritis,et quomodo ante episcopatum et in episcopatu eam rexeritis,scribendo patefecimus.Deinceps qualiter eadem apostolica Ecclesia, Deo juvante, et vestra solertia laborante, facta fuerit metropolis,et qualiter eamdem in cæteris sublimando, contra sævissimas ingruentium persecutionum impugnationes protexeritis, dicere aggrediemur. Vobis autem diu et feliciter vivere,et Ecclesiæ vestræ diu feliciter præesse,mihi quoque de vobis laudem scribere,omnium bonorum tributor tribuat !

INCIPIT LIBER SECUNDUS REGISTRI DIDACI ECCLESIÆ B. JACOBI EPISCOPI II.

CAPUT PRIMUM.

Quicunque igitur fere usque ad tempus prædicti episcopi in ecclesia B. Jacobi cathedræ pontificali præfuerant,non tantum episcopi,sed quasi principes fuerant, præter Dalmachium, bonæ memoriæ Cluniacensem monachum, et paucos alios. Ex quo namque corpus B.Jacobi ibidem revelatum magnis nnumerisque claruit miraculis,Hispaniarum reges Ecclesiam B. Jacobi præ cæteris ob amorem tanti apostoli honorabilem fecere,et regi juris potestatem prædicto apostolo circumquaque concessere: quippe ut quæ tanti apostoli præsentia cæteris apud Hispanos præcellebat Ecclesiis,Ecclesia eamdem prædiorum, hæreditatum, et cæterorum quæ fuerant regii juris præcelleret et potestate. Tanto igitur honoris culmine pontifices in Ecclesia B.Jacobi præditi præ cæteris episcopis Hispaniæ regiam potentiam a regibus habebant.Cum rex Hispanorum ad exstirpandam perfidorum Ismaelitarum gentem cum exercitu suo irrueret, episcopus Ecclesiæ S. Jacobi,cum toto sui regni exercitu,nullatenus se absentabat. Demum,ut verum plenius enucleemus,pontifices Ecclesiæ B.Jacobi soliti fuerant militaribus armis protecti ad bella incedere,et Saracenorum audaciam durius retundere. Unde apud Gallæcos inolevit hoc proverbium : B « Episcopus S. Jacobi baculus et balista. » Nec mirum cum tunc temporis tota fere Hispania rudis et illitterata esset. Nullus equidem Hispanorum episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ servitii aut obedientiæ quidquam tunc reddebat. Hispania Toletanam,non Romanam legem recipiebat sed postquam A.rex bonæ memoriæ Romanam legem Romanasque consuetudines Hispanis contradidit,ex tunc utcunque obliterata quadam nebula inscientiæ sanctæ Ecclesiæ vires in Hispanis pullulare cœperunt. Quid enim memorem rudes et imperitos anteriores Ecclesiæ B. Jacobi fuisse prælatos ? Tempore siquidem Toletanæ legis quidam cardinalis atque legatus S. R. Ecclesiæ venit in Hispaniam ut videret quid scientiæ, quid religionis, quidve consuetudinis ecclesiasticæ ibi haberetur. Cumque venisset in Gal- C læciam, nuntios suos, ut dicebat, ad episcopum loci illius Compostellam præmisit. Episcopus autem Compostellanus accersito uno de thesaurariis Ecclesiæ B. Jacobi : « Ecce, inquit, adest cardinalis Romanæ Ecclesiæ,vade,et quantum obsequii impendit tibi Romæ, tantumdem impendas ei Compostellæ : quantum famulata est tibi Romana Ecclesia, tantumdem famuletur ei Compostellana Ecclesia.Quod dictum nullo sale conditum, imo magno supercilii

pondere suffarcinatum Romana Ecclesia usque in A hodiernum diem habet præ oculis,et rememoratum, sæpius Ecclesiæ B. Jacobi obfuit et obest. Cæterum eadem Ecclesia jugum de cervice sua citius, Domino juvante,excutiet; quanquam aliqua parte in tempore domini Dalmachii Compostellani episcopi jam excusserit, qui in concilio Alverniæ apud Clarum Montem libertatem Ecclesiæ B. Jacobi adeptus est ab Urbano papa præsentia et consensu trecentorum episcoporum. Qui Dalmachius, a Cluniacensi conventu assumptus,duobus tantum annis præfuit episcopus Ecclesiæ B. Jacobi, et mortuus est. Post hunc successit in episcopum eidem Ecclesiæ Didacus secundus, de quo quædam ad memoriam revocare duximus non incongruum.

CAPUT II.

De ingenio et moribus Didaci II episcopi.

Igitur Gallæcia oriundus fuit, natus probis secundum sæculum parentibus; pater ejus, nomine Gelmirius, miles ac præpotens fuit temporibus Didaci Pelagides, Compostellani episcopi. A quo episcopo habuit et rexit castellum,nomine Honestum, et honorem ei circumquaque adjacentem, Iriam,et ei adjacentia, Amæam, Pistomarchos. Quem episcopum prædictus rex Alfonsus expulit ab ecclesia B. Jacobi,et diu tenuit captum in compedibus, imposito ei nomine proditoris. Quidam enim ejus inimici invidiæ zelo dixerunt quod Gallæciæ regnum prodere regi Anglorum et Nortmannorum et auferre regi Hispanorum satageret. Quod circumquaque vulgatum utrum verum fuerit,an non, non est modo nostræ materiæ. Hujus Didaci episcopi tempore Didacus ille, de quo agimus, bonus adolescens fuit, eruditus litteris in Ecclesia B. Jacobi, et adultus in curia hujus episcopi; sed postquam ut prælibavimus episcopus ille privatus fuit honore suo, et Dalmachius succedens ei in episcopum persolvit jura naturæ, A. rex bonæ memoriæ, et comes Raymundus gener ipsius regis, qui tunc Gallæciam et Portugalensem terram et honores possidebat et regebat, videntes hunc adolescentem perspicacem, bonis moribus adornatum,veloci ingenio præditum, cum consilio canonicorum præfecerunt eum Ecclesiæ et honori B. Jacobi præpositum. Cui præfuit et dominatus est quinque (109) annis, sic ut de gradu in gradum, de bono in melius, de virtute in virtutem ascenderet.Dumque postea clerus et populus Ecclesiæ B.Jacobi eligeret sibi episcopum, consilio ejusdem regis A. et comitis Raymundi atque Gallæciæ principum prædictus Didacus electus est in episcopum.Prius tamen quam a laicali manu acceperat Ecclesiam et honorem Ecclesiæ B. Jacobi, reddidit B. Toletano archiepiscopo et Romanæ Ecclesiæ legato, coram episcopis Gallæciæ qui interfuerunt electioni ejus, videlicet D. Auriensi, P. Luciensi, A. Tudensi. G. Minduniensi, et principibus Gallæciæ, clero, atque populo Compostellæ. Quæ autem et quanta in episcopatu suo fecerit, licet paginæ nostræ series superius partim retulerit, nihilominus tamen quædam nunc memorare supervacaneum non putamus.

CAPUT III.

Quomodo idem episcopus aspiraverit ad adipiscendum archiepiscopatum.

Fuit namque in ecclesiasticis et in sæcularibus negotiis vir perspicassimi ingenii, et quoniam Ecclesia B. Jacobi rudis et indisciplinata erat temporibus illis,applicuit animum ut consuetudines Ecclesiarum Franciæ ibi plantaret. Quod nimium laboriosum fuit ei. Ut bonus tamen agricola spinas et tribulos exstirpando, filices atque urticas evellendo, utilia plantarum semina collocat: constituit canoni- B cos prætaxato numero, scilicet septuaginta duos, qui non ingrederentur chorum B. Jacobi nisi in superpelliciis, et in cappie; cum prius non rasis barbis, cappis dissutis et variatis,rostatis pedibus, et hujusmodi ad modum equitum clericos Ecclesia B. Jacobi haberet (110). Convenientibus quoque eis in unum, scilicet in refectorium, alii esuriebant, et alii splendide epulabantur,et ut quisque abundabat divitiis, ampliora et pretiosiora fercula sumebat. Sed prædictus episcopus omnibus canonicis æqualem portionem dari constituit, et sic consuetum schisma ab eis removit. Prius septem aut duodecim hebdomadarii erant qui præerant altari B. Jacobi, et ad eos quasi ad dominos omnia oblata ad clericos pertinentia confluebant; ipse vero episcopus unicuique canonico suam septimanam in altari distribuit. Quid C in his moror? Factorum ejus copia nostrum exsuperat stylum. Cæterum cum multis atque diversis modis sublimaret, Deo juvante, Ecclesiam B. Jacobi, ex quo fuit episcopus ad quid præcipue anhelaverit, quid totis viribus animi exoptaverit, silentio minime committo.

Consideravit quod ubicunque terrarum alicujus apostoli corpus requiesceret, ibi aut papatus, aut patriarchatus, aut ad minus archiepiscopatus erat, excepta Ecclesia B. Jacobi. Quod quasi opprobriosum atque injuriosum ei videbatur, præsertim quoniam B. Jacobus consanguineus Domini fuerat unus de familiaribus ac præcordialioribus discipulis Domini. Assumpto enim Petro et Jacobo et Joanne, Dominus noster, ut pote specialioribus ac præcor- D dialioribus amicis suis, transfiguratus est coram eis in monte Thabor. Cumque etiam mater filiorum Zebedæi petivisset a Domino ut duo filii sui, scilicet Jacobus et Joannes, unus sederet ad dexteram ejus et alius ad sinistram in regno suo, orta est contentio inter ejus discipulos, quis eorum videretur esse major (*Luc.* XXII, 24), præcipue aut Petrus, aut Jacobus, aut Joannes. Verum enimvero qui prius fuerant episcopi in Ecclesia B. Jacobi, excepto fere Dalmachio bonæ memoriæ, qui per articulum temporis ibi vixit, non ad adipiscendum archiepiscoravit inceptum.

(109) Quatuor tantum dicuntur lib. I, cap. 7 et infra cap. 91, *quadriennium*. Quintum forte nume-

(110) Lib. I, c. 20.

patum, nec ad cæteras Ecclesiæ dignitates adipiscendas anhelaverant, sed in armis et in militia versabantur. Proinde hunc prædictum episcopum amplius et attentius laborare oportuit, quatenus Ecclesia B. Jacobi debito claresceret honore. Hic igitur compunctus intentione olim Romam petierat, et papam Paschalem obnixius precibus compulerat, ut inferret archiepiscopatum Ecclesiæ B. Jacobi; sed quoniam tunc id impetrare non potuit, vix et cum magno sudore pallium impetravit (sicut superius in hoc Registro scriptum est), quod erat jam signum et desponsio futuræ rei. Ait denique ei papa Paschalis: « Digna quidem, charissime frater, intentio tua; magna exaudienda est petitio tua, si tempus ac locum nobis Dominus dederit. Dignum namque est ut Ecclesia B. Jacobi archiepiscopatu aut etiam majori dignitate decoretur. »

Verumtamen unum quid ad hoc impetrandum admodum impediebat, videlicet Romani resistentes huic petitioni aiebant: hactenus Compostellana Ecclesia superba et arrogans nobis exstitit, hactenus Romanam Ecclesiam non ut dominam, sed quasi sibi comparem respexit, et invita famulata est ei. Iste tamen episcopus qnoniam tantam humilitatem, tantumque obsequium nobis exhibet, cum humilitas vincat omnia, humilitate et obsequio suo si perseveraverit, in posterum nostro consensu voti sui compos esse poterit. Verebatur siquidem Romana Ecclesia ne Compostellana Ecclesia, tanto subnixa apostolo, adeptis juribus ecclesiasticæ dignitatis, assumeret sibi apicem et privilegium honoris in occidentalibus Ecclesiis, et sicut Romana præerat Ecclesia et dominabatur cæteris Ecclesiis propter apostolum, sic et Compostellana Ecclesia præesset et dominaretur occidentalibus Ecclesiis propter apostolum suum. Quod Romana Ecclesia et tunc nimium verebatur, et usque hodie veretur et præcavet in futurum. Sed prædictus episcopus cum canonicis suis quot quibusque modis illius odii et invidiæ stimulos, quando Romæ interfuit, removerit, quot quibusque modis per nuntios suos postea Romanam curiam visitaverit, quantaque humilitate, quantumque obsequium domino papæ atque Romanæ Ecclesiæ cardinalibus impenderit, exitus rei patefaciet. Adeptus est igitur cardinalias in Ecclesia B. Jacobi et cæteras ecclesiasticas dignitates.

Verum ad archiepiscopatum animus ejus semper anhelabat. Defuncto postea prædicto Paschali papa (111), et Joanne Gaietano, S. R. E. cardinali et cancellario, ad papatum promoto (112), qui et Gelasius dictus est, prædictus episcopus propositum suum nihilominus oblitteravit. Cumque tunc temporis duo de canonicis Ecclesiæ nostræ Hierosolymam adirent, scilicet Petrus Didacides et Petrus Anaiades, alter cardinalis et alter thesaurarius, injunxit eis episcopus ut cum papa Gelasio de adipiscendo archiepiscopatu tractarent. Ipse namque Gelasius cum fuisset Romanæ Ecclesiæ cardinalis et cancellarius, multoties cum prædecessore suo id negotii tractaverat, et quid cuique Ecclesiæ Hispaniarum congrueret, callebat; ad quem cum prædicti canonici venissent, et cum eo super hoc colloquium haberent, arripuit sermonis initium, dicens: « Scio, fratres, scio quid quæritis, videlicet Bracarensem Ecclesiam archiepiscopatu vultis spoliare, et B. Jacobi Ecclesiam sublimare. Ego quidem cum prædecessore meo sæpius idem tractavi. Si quando vel quo modo juste fieri posset, nunc tempus advenit; peperit enim Bracarensis Ecclesia flagitiosum scandalum in Romanam Ecclesiam, scilicet Mauritium, qui incestavit torum matris suæ S. R. Ecclesiæ, et, sacrilego Teutonicorum imperatori consentiens, statutus est ab eo in Ecclesia idolum ad interitum et ad confusionem suam (113); quem omnia catholica abominatur atque detestatur Ecclesia. Cæterum vos non causa hujus legationis, sed peregrinationis vestræ huc venistis. Ite ad sepulcrum Domini quo ire proposuistis; et quidem si nuntios suos ad nos episcopus vester super hoc miserit, plenarie et pro velle suo ei respondebimus. Verumtamen quid mecum locuti fueritis, quidve animi me circa id negotii habere comperti estis, domino vestro renuntiate. Ego quoque litteras meas ei mittere minime recuso. In hæc itaque verba Gelasius prædicto episcopo misit litteras suas.

Litteræ papæ.

« Gelasius episcopus, » etc.

« Licet gravioribus negotiis constituti, » etc. *Vide in Gelasio II, Patrologiæ t.* CXIII, *sub num.* 11.

CAPUT IV.

Quod prior et cardinalis, missi ad papam, capti fuerunt in via.

Visis igitur hujusmodi papæ Gelasii litteris prædictus episcopus quanto gaudio gavisus fuerit, quamque ad percipiendum suæ spei effectum amplius anhelaverit, liquido patebit. Gavisus est namque quod Joannes Gaietanus qui et Gelasius, prius Romanæ Ecclesiæ cardinalis et cancellarius, et Romanarum consuetudinum peritissimus, juste et canonice promotus fuerat in Romanum pontificem Qui Gelasius fere totius orbis Ecclesias earumque pastores noverat, et quid cuique congrueret bene sciebat, præcipue Hispaniarum Ecclesias eorumque rectores in promptuario sui pectoris habebat. Inter quas Ecclesiam B Jacobi apostoli, utpote dignissimam et excellentissimam aliarum, diligebat et venerebatur, et eam ampliori dignitate, prout dignum et justum foret, sublimare volebat, tum propter præsentiam et amorem tanti apostoli, tum aliis de causis. Ejus quoque pastorem prædictum episcopum quodam amoris privilegio amplectebatur, et ejus petitioni

(111) 1118, die 21 Jan.
(112) die 25 Jan.
(113) A die 9 Martii anni Domini 1118, Mauricius (Burdinus etiam vocatus) in sedem apostolicam fuit intrusus.

citius volebat condescendere. Denique prædictus episcopus arcessitis majoribus et prudentioribus Ecclesiæ suæ canonicis, et prædictis papæ Gelasii litteris in publicum relatis, super hoc negotii, ad quod anhelabat, cum eis consilium habuit, et ait : « Nostis, fratres, quanto tempore et quanto labore desudaverim ad sublimandam Ecclesiam B. Jacobi. Nostis etiam ad quid præcipue jam diu anhelaverim, videlicet ut Ecclesia B. Jacobi in archiepiscopalem sublimaretur dignitatem ; verum hoc desiderium meum tam magnum atque tam dignum, cum Deus voluerit, effectu neutiquam carebit. Jam, fratres, tempus est petendi et accipiendi, quærendi et inveniendi, pulsandi et aperiendi. Ego quidem libentissime præsentiam Gelasii papæ, qui et Ecclesiæ nostræ et noster amicus est, adirem ; et credo Ecclesiæ nostræ archiepiscopatum ab eo impetrarem, sed iter mihi utrinque obtrusum est. Hinc enim nostrum mare Oceanum piratæ Ismaelitarum non minus quam cum viginti navibus obsident : illinc propter guerras et regni Hispaniæ perturbationes, per terram minime patet nobis aditus. Ad hæc A. rex Aragonensis Ecclesiæ nostræ et nobis inimicatur, et per regnum suum transeundi licentiam interdicit. Quapropter accipiendum est nobis consilium, quos ex canonicis nostris ad Gelasium papam latenter et sub specie peregrinorum mittere destinemus.

Accepto itaque consilio, Petrus, prior Ecclesiæ nostræ, nepos episcopi, et alter Petrus, cardinalis S. Felicis (114), legationis officium accipiunt. Interdicitur eis ne suum iter quoquo modo aliis patefaciant, sed caute et clam ad viam se præparent ; et quoniam tanta tamque ardua res absque magna impensa et absque largissimæ benedictionis fructu fieri nequibat, concilio episcopi et canonicorum suorum confringitur aurea tabula quæ fuerat prioris atque minoris altaris. Id autem sedulo tunc cavebant ne resciretur ; verebatur enim episcopus et canonici, ne illi, tam canonici quam cives, qui erant exsules a Compostellana urbe propter supradictam seditionem et in partibus Campaniæ atque Castellæ morabantur, talia præscirent, et ut Ecclesiæ B. Jacobi ejusque episcopo obessent, atque iter legatorum impedirent, prædonibus regis Aragonensis rem, prout gerebatur, patefacerent. Multi enim sunt qui gaudent obesse aliis, licet non sibi prosint, ut aliorum suffocent utilitatem. Quod præcipue faciunt Gallæciani. Denique prætaxati nuntii paratis quæ tanto itineri necessaria erant, datisque sibi ad ferendum ab episcopo et ab iis canonicorum qui interfuerant, centum et viginti unciis de aurea tabula, iter suum aggrediuntur. Fertur ad ora vulgi illos U reginam adire, quæ eo tempore Hispaniæ regnum tenebat ; cujus consensu atque consilio hæc fiebant. Cæterum

A « nihil opertum quod non reveletur, neque occultum quod non sciatur (*Matth.* x, 26) ; » aliquis enim illius consilii per omnia particeps, rem ut gesta fuerat et ut gerebatur, supradictis exsulibus prænuntiavit. At illi continuo notum faciunt hominibus regis Aragonensis, qui tenebant castellum nomine Castrum Soricis, per quod prædicti nuntii transituri erant. Est enim in medio publicæ viæ. Quid plura ? Postquam nuntii, scilicet uterque Petrus, alter Ecclesiæ nostræ prior, et alter cardinalis, venerunt Castrum Soricis, licet sub specie peregrinorum iter agerent, statim Aragonenses prædones in eos manus injecerunt ; auferuntur eis centum et viginti unciæ auri ; auferuntur eis equitaturæ, vestes, argentum, monetæ, et quæcunque necessaria itineri præparaB verant. Prior, quoniam potentior et famosior erat, utpote nepos episcopi S. Jacobi, compedibus ustringitur ; cardinalis autem, quoniam sacerdos erat, et minus potens, per triduum aut per quatriduum retentus, permissus est abire : qui veniens Cæsaraugustam ad regem Aragonensem, prioris, suamque captionem ei nuntiavit, et quid amisissent. Eo tempore rex ille Aragonensis Cæsaraugustam cum exercitu Francorum obsederat. Host hæc autem cœpit eam, Saracenis coactis fame ad deditionem (115). Denique cum neque sua, neque aliorum intercessione, ut prior solveretur apud regem impetrare posset, Alpes transiit, et papam Gelasium quem Magalone appulisse audierat, adiit, suos suique complicis casus referens. Cur autem papa ille Gelasius Romam deseruerit, et ad Galliarum partes naC vigio transmeaverit, causa hæc est :

CAPUT V.

Quare papa Gelasius Roma aufugit.

Postquam Joannes Gaietanus qui et Gelasius, a clero et populo Romano in Romanum pontificem electus et consecratus fuit, Henricus Teutonicorum rex et Romanorum imperator, quem papa Paschalis, quia in se manum mittere ausus fuerat, et Romanæ Ecclesiæ multa adversa intulerat, excommunicavit, ut audivit Paschalem jura naturæ persolvisse, celeri cursu Romam venit. Regalia namque et ecclesiastica sibi mancipari et manu teneri, donec pro consilio et velle suo pontifex ibi fieret, satagebat. Ut vero audivit Joannem cardinalem et cancellarium Romanæ Ecclesiæ jam papam esse, Gelasium nomine, D moleste tulit ; nihilominus tamen ad Urbem properat. Quod ut nuntiatum est papæ Gelasio, et Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, videlicet Teutonicorum tyrannum ex improviso tamque celeriter Romam advolare, timor irruit in eos. Porro illius tyrannidem atque impiam persecutionem noverant, et ne quid mali in Romanam Ecclesiam moliri auderet verebantur ; prædictus tamen Teutonicorum tyrannus audita electione et consecratione Gelasii papæ,

(114) Ambrosius de Morales, *cardinalis S. Jacobi felicis legationis*, etc. Deest *Jacobi* in codicibus ; ubi tam hic, quam infra, cap. 7, *cardinalis S. Felicis* Petrus dicitur : nec ibi adest *legationis* vox, quæ hic occasionem præbuit correctioni. Vide tom. præc. in Vita D. Gelmirez, n. 94.

(115) Capta Cæsaraugusta 18 Dec. 1118.

sub specie pacis et amicitiæ nuntios suos misit ad eum, simulans ejus canonicam electionem atque consecrationem sibi perplacere. Cæterum aliud machinabatur; parabat namque ei laqueos, ut manus in eum mitteret, quatenus eum vel a papatu expelleret, aut captum injustæ pactionis fœdera secum inire cogeret. Quod postquam compertum est Gelasio papæ, relicto prædicto tyranno Romæ, navim cum quadam parte cardinalium cæterorumque Romanorum ingreditur, et per Tiberim ac alto pelago committit, adimplens quod ait Dominus in Evangelio: « Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* x,23).» Deinde applicuit cis Rhodanum Magalone. Cumque appulisset, inito consilio cum cardinalibus et cum provincialibus episcopis, ac Alverniæ apud Clarum Montem celebraturum concilium Kalendis Martii diffinivit. Misit itaque nuntios suos in Aquitaniam, in Franciam, in Northmanniam, in Flandriam; in Angliam, et circumquaque, de cardinalibus autem suis unum, nomine Deusdedit, misit in Hispaniam, qui Hispaniæ episcopos ad prædictum concilium invitaret.

CAPUT VI.

Quod D. Auriensem episcopum, et Giraldum ad papam G. mittere voluit.

Postquam prioris atque cardinalis supradicta captio prædicto episcopo S. Jacobi relata fuit, propemodum indoluit, tum propter nuntiorum infectam legationem, tum propter tantæ pecuniæ amissionem. Ipse quidem episcopus eo tempore Tudem adierat, habiturus judicii examinationem cum Pelagio, Bracarensi episcopo, super media parte Cornelianæ, et cæteri honoris qui est Jacobi in Portugalia circa Bracaram, præsentibus ibi judicibus episcopis Didaco Auriensi, P. Lucensi, A. Tudensi, ex Jussu B. Toletani archiepiscopi et Romanæ Ecclesiæ legati. Illi namque medietatem quæ sua erat, prædictus episcopus S. Jacobi Mauricio Bracarensi archiepiscopo, qui eodem tempore a prædicto Teutonicorum tyranno erectus in idolum incestabat torum matris suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dederat in præstimonium (116). Quam medietatem successor ejus Pelagius violentia fultus retinebat. Qui causa hujus examinationis veniens, noluit tamen inere judicium, nec etiam transmeare Mineum, sed veniens usque ad ripam Minei ait: « Qui tenet nunc, teneat: ego enim neque Tudem transmeabo, neque eorum episcoporum judicium inibo.» Inde reversus Bracaram, violenta manu invasit aliam prædicti medietatem honoris, quæ erat canonicorum S. Jacobi.

Post hæc episcopus noster, inde rediens, cum episcopo Auriensi, atque Tudensi, et cum quibusdam canonicorum Ecclesiæ nostræ consilium habuit, quatenus, licet prior nepos suus et Petrus cardinalis, tot tantisque amissis capti et detenti fuissent, ab incepto minime desisteret. Stabilitur itaque ut D. Auriensis episcopus, et ego Girardus Ecclesiæ B. Jacobi canonicus, qui prioribus negotiis interfui, et hujus paginæ seriem contexui, papam Gelasium causa archiepiscopalem suscipiendi dignitatem adiremus. Nesciebamus tamen adhuc quod papa Gelasius Teutonicorum tyrannum fugiens cis Rhodanum, videlicet Magalone, applicuisset. Dantur nobis centum prædicti auri unciæ, et cum hac benedictione iter ad dominum papam aggredimur. Cæterum magna nobis cautela ne hæc res sciretur cavendum erat. Verum enimvero quidam canonicorum nostrorum specie tenus præcordiales et amici episcopi, si quid inde comperirent, prædictis exsulibus effluerct; unde Boetius: « Nulla pestis, inquit, efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. » Qui etiam itinere nostro comperto, ut nobis quoque sicut prioribus nuntiis fecerant, pedicam præpararent, litteras suas ad Castrum Soricis, ad Villam Francam, Najaram, Gronium, Stellam, ad Pontem Reginæ, Pampilioniam, Jacam, transmiserunt, in hæc verba: « Quicunque aditus regni regis Aragonensis tenetis; quicunque utilitatem vestri regis quæritis, ecce Didacus Auriensis episcopus, Girardus Didascalus (117) episcopi S. Jacobi eum infinita pecunia papam Gelasium adeunt. Cavete ne quoquo modo per regnum Aragoniæ transeunt. Bene quidem actum est quod priores nuntii in Castro Soricis capti sunt, et multo melius et utilius vobis erit si isti capti fuerint, qui etiam ad damnum regis Aragonensis transalpinare moliuntur. »

His atque aliis Aragonenses prædones animati, quam accurate quamque sedulo viarum aditus excubabant, credi difficile est. Nos autem adhuc modica itineris parte profligata cum venissemus ad Sanctum Facundum, audito atque comperto tam obstinate nocte dieque parari nobis insidias, decrevimus potius ab incepto pedem retrahere, quam nos atque nostra in fauces hiantium hostium iri perditum. Moliebamur tamen per devia sub paupertino habitu transire, et, quia papam Gelasium Magalone applicuisse jam audieramus, pro amore B. Jacobi iter tam arduum tamque laboriosum aggredi minime repudiabamus. Sed communicato eum regina Urraca consilio nostro, ne hoc fieret omnino prohibuit. Nos vero propemodum moleste ferebamus, si tantum negotium nobis commissum ita penitus infectum remaneret. Tandem accepto consilio accersitur a regina B. prior Carrionensis, et negotii nostri series ei aperitur. Quid plura? Precibus reginæ et nostris vix impetravimus ut papam Gelasium prædictus prior vice nostra adiret, et cur ab incepto destitissemus ei patefaceret; negotium etiam Ecclesiæ nostræ, scilicet de archiepiscopatu, quantum posset, ad effectum promoveret. Libere enim per regnum regis Aragonensis, quasi Cluniacum adeundo, transire poterat. Cœnobium namque S. Zoyli, cui præerat, erat in potestate regis Aragonensis. Prius tamen quam iter illud aggrederetur, oportuit

(116) Vide supra lib. I, cap. 81, num. 3; et cap. 117 de concertatione inter Compostellanum et Bracarensem.

(117) Vide infra cap. 56, num. 3.

ut Petrum priorem Ecclesiæ S. Jacobi, nostrique episcopi nepotem, qui adhuc in Castro Soricis captus tenebatur, a captione illa liberare eniteretur, nimirum illi atque monachis suis Castrum Soricis, ubi erat spelunca latronum, imo tabernaculum dæmoniorum, impune adire et de prioris liberatione agere licebat. Quem cum a vinculis illis, datis pro eo sexaginta marcis argenti, abstraxisset, litteras quas ferebamus, et quinquaginta uncias auri, et mulam meam prædicto priori Carrionensi Palentiæ dedimus, et sic ad papam Gelasium iter aggressus est. Nos autem ad propria reversi sumus.

CAPUT VII.

De adventu Romani cardinalis Deusdedit in Gallæciam.

Eodem tempore prædictus cardinalis, scilicet Deusdedit, quem, ut prædiximus, ad invitandos Hispaniarum episcopos ad concilium Alverniæ papa Gelasius miserat, Ecclesiæ B. Jacobi appropinquabat, et cum eo Petrus Didacides cardinalis S. Felicis, qui de captione Castri Soricis olim evaserat, et papam Gelasium adierat relatis ei viæ suæ infortuniis. Qui cardinalis Deusdedit a prædicto episcopo S. Jacobi honorifice cum processione in Ecclesia ejusdem apostoli susceptus est, et accurate procuratus. Denique idem cardinalis litteras quas papa Gelasius mittebat singulariter episcopo S. Jacobi ei ostendit, quæ sunt hujusmodi :

« Gelasius episcopus, » etc.

« Veteris charitatis dilectionem, » etc. *Vide in Gelasio II, Patrologiæ t.* CLXIII, *sub num.* 21.

CAPUT VIII.

De apparatu ejusdem ad concilium, de cardinali facto canonico, et de morte papæ Gelasii.

Visis his litteris, et pro earum intellectu accepto consilio episcopus noster, cum Romano cardinali et cum quibusdam canonicorum suorum ad concilium, quod papa Gelasius Alverniæ apud Clarum Montem se celebraturum K. Martii disposuerat, proficisci proponit; quippe ipse episcopus ad adipiscendum Ecclesiæ B. Jacobi archiepiscopatum obnixius anhelabat, et ideo asperum vel laboriosum quid aggredi minime recusabat. Æstimabat enim, si prædicto concilio interesse valeret, papam Gelasium petitioni suæ satisfacturum; proco neque guerrarum et discordiæ in Hispania tumultus, neque regis Aragonensis odium, eum ab itinere revocabat. Præmisit tamen litteras suas ad episcopum Jaccensem, et ad priorem Najarensem, ut sibi apud regem Aragonensem licentiam transeudi per regnum suum impetrarent. Ipse episcopus interea quæ tantæ viæ necessaria erant præparat, et canonicos suos prudentiores, qui secum ituri essent, ad laborem itineris invitat. Interim cardinalem Deusdedit, utpote cardinalem Romanæ Ecclesiæ atque nuntium Gelasii papæ, quem episcopus causa tanti negotii impræsentiarum adire disponebat, canonicum Ecclesiæ B. Jacobi una cum episcopo nostro facimus, eique hebdomadam suam ad altare ceu alii canonico concedimus, quod Ecclesiæ nostræ atque episcopo nostro admodum fore profuturum animadvertimus. Hoc est enim vulgare proverbium : « Qui me diligit, et meos. » Hi sunt canonici qui cum episcopo ad concilium Alverniæ vestibus atque divitiis pollentes, cæterisque quæ tanto itineri tantoque negotio necessaria erant abundantes, viæ destinantur : videlicet D. Auriensis episcopus, canonicus noster, Petrus Gundesindides cardinalis et primiclerus, P. Cresconides archidiaconus, B. thesaurarius, et frater ejus P. Stephanides, M. frater D. Auriensis episcopi, et ego Girardus. Nobiscum quoque qui non erant canonici, scilicet magister Raucelinus, Robertus Salernitanus medicus, et cæteri clerici cum sua turba militum atque clientum.

Postquam episcopus noster una nobiscum venit ad S. Facundum, Deusdedit Romanus cardinalis, qui ibi eum præstolaturus erat, jam præcesserat. Audierat namque quod rex Aragonensis per regnum suum transeundi licentiam episcopo S. Jacobi nequaquam concedebat, quod ut cardinalis impetrare valeret, citius maturaverat. Verum præter spem ei accidit, nam neque prætaxatam licentiam adeptus est, et sibimetipsi etiam timuit. Exploratores enim regis Aragonensis, ut ipse cardinalis mihi postea retulit, ejus supellectilia atque sarcinas invaserunt, dicentes : « Innotuit nobis episcopum S. Jacobi velle transalpinare, et infinitam pecuniam aliam secum delaturum, aliam huic cardinali ad transferendum jam commisisse. Quidquid igitur pecuniæ episcopi S. Jacobi vobiscum defertis (sic enim præcipit rex noster), ne vestra amittatis, nobis atribuite. » Cumque cardinalis assereret se nullam nisi suam deferre pecuniam, vix exploratoribus verbis ejus acquiescentibus per regnum Aragonensis tyranni calle citato præteriit. Jam tunc fama, malum quo non aliud velocius ullum mobilitate viget (VIRG. *Æneid.* IV, 173), circumquaque volitabat papam Gelasium jura naturæ persolvisse (118). Quod et cardinali metum penitus incussit, et episcopum nostrum ab itinere Alverniensis consilii revocavit.

Attamen quoniam usque ad Campaniam idem episcopus jam venerat, reginam U. adire eidem episcopo visum est congruum. Illa quidem tunc temporis Burgis erat, et a S. Facundo usque Burgis via satis periculosa, et prædonum manibus plena habebatur; per aliquantum itaque temporis commoratus apud S. Facundum, assumpta manu comprovincialium militum venit usque Palentiam, ibidem ferme per mensem moratus, conductu Palentini episcopi atque militum reginæ Burgis pervenit, et a regina honorifice susceptus est. Eodem tempore Guterrus Fredenandides comitem Petrum Gundisalvidem (119) ceperat, et in castello Masselliæ eum captum tenebat. Comes iste P., ut rumor aiebat, firmissima amoris catena U. reginæ obsequi solitus erat, et ab ea Castellam, et non modicam partem Campaniæ tenebat. Ob hoc ejus captio mœrorem

(118) Obiit 29 Jan. 1119.

(119) *De Lara.*

atque tristitiam regione generaverat. De cætero cum diutius Burgis moraremur, ecce B. prior Carrionensis, quem, ut supra dixi, ad papam Gelasium vice nostro misimus, advenit, referens dissolutionem papæ Gelasii. Retulit etiam nobis quomodo Guido Viennensis archiepiscopus, frater comitis Raymundi, electus et consecratus fuisset in Romanum pontificem.

CAPUT IX.

Electio et consecratio Calixti papæ.

Defuncto enim papa Gelasio, et ejus corpore in Cluniacum delato, comprovinciales episcopi ad exhibendum obsequium ejus exsequiis illo convenerunt. Cumque Romanæ Ecclesiæ cardinales qui aderant, una cum episcopis Romanæ curiæ Ostiensi, et Portuensi, et cum compluribus Romani populi, quem sibi in Romanum pontificem eligerent plenius pertractarent, advenit prædictus Viennensis Ecclesiæ archiepiscopus, et hunc aut Pontium Cluniacensem abbatem, filium Merguliensis comitissæ, in Romanum pontificem eligi papa Gelasius adhuc vivens, jam tamen in confinio mortis positus, clero ac populo Romano prædixerat. Iste quidem archiepiscopus, regio ortus genere, prudentia, humilitate, castitate, cæterumque morum honestate erat perspicuus; adversum quoque Teutonicorum imperatorem consanguineum suum, tempore papæ Paschalis atque Gelasii, ad tuenda S. Ecclesiæ jura immobilis permanserat. Papæ etiam Paschali dudum quoniam prædicto Teutonicorum tyranno assentabatur, cumque utpote sacrilegii reum non excommunicaverat, cum Galliarum episcopis in faciem restitit, et nisi, prout justitia dictabat, anathematis gladio imperatorem tandem percussisset, in eumdem papam Paschalem ipse archiepiscopus et Romanæ Ecclesiæ legatus, adhibitis sibi Galliarum episcopis, exerto justitiæ gladio gravius insurgeret; proinde cardinalibus episcopis atque aliis visum est hunc Viennensem archiepiscopum idoneum Romanæ Ecclesiæ præesse, et eam a tot tantisque procellis confluentibus Deo auctore tueri, atque custoditis justitiæ terminis, illum nec adversis frangi, nec prosperis extolli. Verum enimvero quoniam innumero equitatu, principum Burgundiæ scilicet, contribulum suorum, circumvallatus erat, necesse fuit ut equitatu suo ignorante in Romanum pontificem eligeretur. Cardinales itaque Romanæ Ecclesiæ, episcopi, cæterique Romani qui aderant, eum a comitatu suo semoventes, paucisque alloquentes, licet renitentem, licet indignum se vociferantem, unanimiter in papam eligunt (120). Quod cum contribulibus atque militibus suis qui cum illo Cluniacum venerant, compertum fuisset, armata manu impetu facto irruunt, fractis januis ad locum ubi hæc semotim agebantur veniunt, et eum violentia abstrahunt, pluviale, stollam, et cæteras Romani pontificis vestes quibus indutus erat frustatim dissecant, dicentes: « Proh pudor! Ut quid Romani pastorem et dominum nostrum nobis auferre et non solum Viennensem Ec-

A clesiam, verum etiam totam Burgundiam atque Franciam tanto patrono privare moliuntur? Eligant sibi alium quem velint in Romanum pontificem, nos nostrum pontificem eis non damus; alioquin si sciant, caveant sibi. » Equidem, ut verum fatear, in ea die pene Cluniaci claustra Romano sanguine maduere. Tandem transacta turba, sedatisque archiepiscopo suo vindicato Allobrogibus, cardinales et cæteri qui paulo ante aciem gladii fugientes latitaverant, ad ecclesiam B. Petri conveniunt, et quid super his acturi sunt consulunt. Post hæc, accepto consilio, omnes illius nefandæ violentiæ actores, nisi satisfaciant, a liminibus S. Ecclesiæ removent. Quod cum audissent Allobroges, jam defervescente ira, jam violentiæ reos se agnoscentes, tanquam in-
B viti et coacti ad satisfactionem eadem die redeunt. Reddunt quod abstulerant, laudant quod prius omnimodo abdicaverant; Romani cum gaudio recipiunt pontificem suum, et cum in papam consecrant, vocantes nomen ejus Calixtum. Postea Portuensis episcopus cum quibusdam Romam mittitur, ut papæ Gelasii obitum nuntiet, et catholicis Romanæ Ecclesiæ fratribus Calixti papæ electionem atque consecrationem notificet. Quod ut innotuit clero et populo Romano, admodum eis perplacuit, laudantes atque confirmantes quod fratres sui tam utiliter Romanæ Ecclesiæ providerant, et tam idoneum pastorem sibi præelegerant. Postquam hæc atque hujusmodi prædictus prior Carrionensis nobis enucleavit (ipse namque dissolutioni papæ Gelasii, et electioni papæ Calixti interfuerat), prædictus episco-
C pus S. Jacobi, quanquam, ut prædiximus, ad sublimationem Ecclesiæ suæ satis anhelaret, multo magis, audita electione atque consecratione Calixti papæ, ad id aspiravit. Quippe inter prædictum Viennæ archiepiscopum et hunc Ecclesiæ S. Jacobi episcopum magnæ dilectionis connexio a præteritis fuerat, tum quia olim ambo simul Romam adierant, et invicem B. Petri apostoli dogma adimpleverant: « Unusquisque, sicut accepit, gratiam in alterutrum illam administrantes (*I Petr.* IV, 10), » tum quia frater suus comes Raymundus, quem nimium dilexerat, in ecclesia B. Jacobi sepultus est; tum quia nepotem suum filium comitis Raymundi regem A. in ecclesia B. Jacobi prædictus episcopus baptizaverat, et in regem unxerat. His atque aliis de causis papa
D Calixtus Ecclesiam B. Jacobi apostoli ejusdemque loci episcopum paterno dilectionis affectu amplectebatur, et si locus aut tempus concederet, eam sublimare intendebat. Eodem tempore nobis adhuc Burgis morantibus Allobrox quidam vir potens, nomine Robertus, cognomine Franciscus, levir papæ Calixti, causa orationis Ecclesiam B. Jacobi adibat, per quem papa Calixtus prædicto Compostellanæ Ecclesiæ episcopo hujusmodi litteras misit (*an.* 1119):

« Calixtus episcopus, » etc.

« Hunc virum nobilem, » etc. *Vide in Calixto II, Patrologiæ t.* CLXIII, *sub num.* 2.

(120) Die 1 Febr. 1119.

CAPUT X.

Quod ad papam Calixtum Girardus missus est.

Visis papæ Calixti litteris prædictus S. Jacobi episcopus quanto gaudio gavisus fuerit, quantoque desiderio ad salutandum papam Calixtum per nuntium suum anhelaverit, sequentia indicant. Accepto namque consilio cum regina episcopus, quem ex suis clericis qui cum eo erant mitteret, tractavit. Verum quoniam tam difficile, tamque periculosum erat per regnum regis Aragonensis, imo per medium Scyllæ atque Charybdis transire, quem illo iturum episcopus et regina destinaverant, ut illuc ire vellet aut auderet apud eum multis precibus vix impetrare valuere. Denique episcopo nostro reverso cum regina Palentiam, et dehinc ad S. Facundum, ut ego Girardus, de quo prius prædestinatum fuerat, ad papam Calixtum proficiscerer, penitus sancitum est. Et quidem ego præcipue amore B. Jacobi, et nostri episcopi hortamine tam periculosum quid et tam arduum audaciter aggressus sum. Commisimus autem pecuniam huic negotio necessariam, scilicet arcam auream novem marcharum, centum morabitinos, CCXI solidos Pictavienses, sexaginta solidos Mediolanensis monetæ, XX solidos de Tolosanis, et cætera, Bernardo Carrionensis Ecclesiæ sacristæ ad transalpinandum. Ego autem commissus equitaturis meis prædicto leviro papæ Calixti, qui jam a S. Jacobo redibat a S. Facundo rediens Palentiam, et cum regina ad rem pertinentia locutus, per devia viam aggredior paupertino latens habitu, assumpta via cum duobus peregrinis laboris atque consilii complicibus. Post hæc venimus ad S. Dominicum, et abhinc per ardua montium, per concava vallium, præter præruptas rupes Caratiæ iter agentes, et per valles Angulanæ transeuntes Citragonium publicæ viæ reddimur. Deinde die latitando, et nocte transcurrendo evasimus, et per portus sidereos transalpinavimus. Quantum vero corporis mei laborem, quantamque animi mei anxietatem in hac Charybdis evasione passus fuerim cum recordor, vivit Dominus et vivit anima mea, intra memetipsum totus contremisco, et congemiscens exhorresco. Absit ut stylo percurram ea quæ mens mea pro laboris quantitate et anxietate ad memoriam vix audet revocare! Tandem veniens Morlanum, Bernardum prædictum sacristam cum Stephano Cluniacensi camerario ibidem diutius præstolatus sum. Ipsi enim licet Cluniacenses monachi, per regnum Aragonensis tyranni transire metuebant. Tanta inhumanitas in Aragonensibus prædonibus versabatur! Cum prædicti monachi moræ nimis indulgerent, arrepto itinere Calixtum papam cum episcopo Magalonensi, quem apud Montem Pesulanum inveni, adeo. Ille quidem ab Alvernia, ubi cum Willelmo duce Aquitaniæ colloquium habuerat, per montana quæ sunt inter Podium et Nemausum, remeabat. Quem cum ex parte episcopi S. Jacobi et reginæ U. et nepotis sui regis Ildefonsi salutassem, uniuscujusque esse ipsi audire sitienti diligenter expli- A cui. De nepote autem suo, quoniam hunc propemodum diligebat, qualiter se haberet, an adhuc cepisset Alcala, quod olim obsederat et jam ceperat, ei propensius præscrutanti sufficienter responsum est. Inter cætera Ecclesiæ B. Jacobi et ejus episcopi frequentius memoria habita est. Quid plura? Quantum potui de sublimatione Ecclesiæ nostræ et episcopi nostri cum papa Calixto sæpius pertractavi, Romani etiam cardinales, scilicet Boso et Deusdedit, prout poterant, mihi opitulabantur. Diligebant enim Ecclesiam B Jacobi et ejus pastorem cum ovibus suis: cæterum petitioni nostræ valde oberat quod papa Calixtus erat adhuc quasi novitius, et, licet diversis de causis Ecclesiam B. Jacobi sublimare et decorare cuperet, absente tamen propria persona episcopi B nostri, absentibus comprovincialibus episcopis, archiepiscopatum de loco ad locum transferre non præsumebat. Protelavit tamen petitioni nostræ responsionem usque ad concilium, quod K. Julii Tolosæ celebraturus erat. Iterum obviabat petitioni nostræ, quod inter papam Calixtum et Pontium Cluniacensem abbatem, in quo negotii Ecclesiæ nostræ summa partim sita erat, non nimis firma amicitia habebatur. Ideo papa petitionibus prædicti abbatis in pluribus neutiquam condescendebat. Interea monachus quidam, Hispanus natione, Burgundio nomine, missus a Bernardo Toletano archiepiscopo et S. R. E. legato, venit ad dominum papam, qui litteras a rege Ildefonso, nepote domini papæ, se habere aiebat. Porro Toletanus archiepiscopus litteras illas; C sub persona pueri regis A. fieri jusserat, et in his multa in Ecclesiam S. Jacobi, multa in ejus episcopum conquerebatur; simulata namque ratione rex puer papæ patruo suo conquerebatur, dicens se puerum, patre atque tutore carentem, per episcopum S. Jacobi Hispaniæ regnum amittere, et eum, in quibuscunque poterat, sibi adversari; nisi igitur dominus papa, utpote patruus suus, utpote patronus et protutor suus, ei auxilii manum misericorditer porrigeret, citius a regni culmine per episcopum S. Jacobi decideret, adjiciens etiam cætera quæ silentio præterire utilius credo. Visis his litteris quanto mœrore usque in quartum diem papa secum fuerit, quantas lacrymas nepotis sui pietate compunctus effuderit, modo referre non est hujus negotii. Hæ autem litteræ nulli nisi præcordialissimis D papæ ostendebantur. Quas cum quadam die abbas Cluniacensis ad videndum forte sibi retinuisset, ostendit etiam eas et mihi. In quibus quid animi erga Ecclesiam B. Jacobi, et erga ejus episcopum Toletanus archiepiscopus haberet satis comperi, et earum quoque intellectum consociis meis et coadjutoribus, scilicet P. Anayade, A. Didacide, qui Hierosolymis redeuntes apud S. Ægidium in curia domini papæ me invenerunt, enarravi.

CAPUT XI.

Responsio Calixti papæ de archiepiscopatu.

Celebrato denique Tolosæ concilio (*die 6 Junii* 1119), nobisque cum abbate Cluniacensi et cum

episcopo Lascurrensi insistentibus ut quidnam animi dominus papa circa petitionis nostræ intentionem haberet, nobis enuclearet, ab eo tandem audivimus : « Romana Ecclesia, filii in Christo charissimi, multis distractionibus fatigata, multisque adversitatibus olim concussa est. Cui auctore Deo in adversis me, licet indignum, præesse et ejus oppressionibus subvenire propemodum tripudio. Meminerit autem prudentia vestra episcopum S. Jacobi, dominum vestrum, ex parte nostra rogare et admonere ut facultatibus suis quibus Deo gratias et B. Jacobo satis abundat, Romanam Ecclesiam adjuvare procuret. Rogamus et eum ut nepotem nostrum regem Ildefonsum, sicut ab ejus rudimentis incœpit, viriliter atque constanter adjuvet, et regnum Gallæciæ, quod avus suus rex Aldefonsus apud Legionensem civitatem, me et domino vestro præsente, ei attribuit, saltim deinceps ei vindicet. Quod si libera fronte eum adjuverit, et nos libera fronte petitionibus ejus condescendemus. Sed, ut nobis relatum est, quantum potest adversatur illi. Quod si ita est, et nobis et amicis nostris in eum odium generatur. Olim siquidem Ecclesiam B. Jacobi et prædictum ejus episcopum paterno dilectionis affectu amplexatus sum. Igitur ut pristinus amor inter nos amplius vires habeat, prædicto nepoti nostro, utpote pater et protutor ejus, auxilii vires præbeat. Petitioni autem ejus, scilicet ut archiepiscopatum Bracarensis Ecclesiæ B. Jacobo conferamus, impræsentiarum nullatenus condescendere possumus ; absente enim ejus persona, absentibus comprovincialibus episcopis, tanta res nequaquam fieri potest. Cæterum si Tolosano concilio interfuisset, huic ejus petitioni satisfecissemus. Itaque si Ecclesiam B. Jacobi sublimari desiderat, admonete eum ut ad nos venire festinet ; proinde, ut desiderium ejus perfectius compleatur, concilio, quod in festivitate B. Lucæ evangelistæ Remis celebrare deliberavimus, interesse maturet. »

Hæc atque alia postquam papa Calixtus nobis aperuit, ne eo insalutato reverteremur, viginti uncias auri ei attribuimus, arcam vero auream cum prædictis morabitinis, et cætera, Cluniacensi abbati ad reservandum commendavimus. Post hæc reversi sumus acceptis a papa Calixto hujusmodi litteris :

CAPUT XII.

Invitatio episcopi ad concilium Remense.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Ante susceptum, » etc. *Vide in Calixto II, Patrologiæ* t. CLXIII, *sub num.* 19.

De apparatu episcopi ad Remense concilium.

Postquam episcopus, una cum canonicis Ecclesiæ B. Jacobi, has papæ Calixti litteras vidit, cum quibusdam canonicorum suorum ad eum ire destinavit, nimirum ad sublimationem Ecclesiæ suæ propensius anhelabat. Sed quoniam per medias acies Hispaniæ prædonum, per municipia tyrannorum, per Aragonensis regis regnum transire non erat ei opportunum, quanquam dominus papa per Lascurrensem episcopum et per alios nuntios, Aragonensi tyranno imperasset prædicto S. Jacobi episcopo, per regnum suum transeundi licentiam dare, navigio in Galliam proficisci visum est sibi congruum. Duas itaque naves, quas vulgus galeas vocat, viæ fecit præparari. Præparantur naves, præparamur et nos ad capessendam viam. Tantum autem negotium inconsulta regina fieri non decebat. Mittuntur ergo ad eam duo canonici nostri, scilicet P. Gundesindides cardinalis, et P. Judex, qui iter episcopi ad papam ei dicerent, et quibus honorem Ecclesiæ B. Jacobi et ejus castella episcopus commendet, eidem consilium suum communicent. Quidam canonici nostri ne episcopus hoc iter aggrederetur dissuadebant. Regina quoque postquam itineris audivit apparatus, considerans totam fere Gallæciam per absentiam episcopi S. Jacobi desolari, et absente tali pacis tutore atque patrono Gallæciam truculentæ rabiei morsibus dilaniari, prædictum episcopum prædictum iter aggredi penitus dissuasit atque prohibuit. Quidam etiam instillaverant reginæ quod prædictus episcopus Galliarum partes idcirco adire volebat, quatenus Hispaniæ regnum regi A. filio reginæ adductis secum ejusdem regis contribulibus liberum conferre moliretur ; quod regina propemodum metuebat. Hæc dissuasio atque prohibitio episcopo et compluribus Ecclesiæ nostræ canonicis valde molesta fuit. Præterea xx naves Saracenorum quæ captivatum et trucidatum Christianos venerant, tunc temporis provinciæ B. Jacobi applicaverant. Qui a flumine Dorio usque ad Uliam, et ab Ulia usque ad Asturias, et ultra usquequaque Oceani maris littora depopulantes, Christianos hos interficiebant, alios captivabant, maris confinia circumquaque, utpote domini maris, pro suis habebant. Tandem episcopus noster, dissuasu reginæ at quorumdam nostrorum canonicorum, metuendo etiam ne in manus Ismaelitarum incideret, ab itinere quod se facturum in Galliam prædestinaverat, pedem retraxit.

Verumenimvero vocationem Calixti papæ ad Remense concilium, et ejus promissa spernere, aut irrita fieri, nullatenus oportebat. Quispiam autem canonicorum Ecclesiæ B. Jacobi, quem fama quanticunque nominis celebrem fecisset, per fauces hiantium, per medium Hispaniæ Charybdis transire nullo modo præsumebat. Forte tunc temporis Hugo Portugalensis episcopus, qui Ecclesiæ B. Jacobi olim fuerat archidiaconus, Compostellam venerat, et cum episcopo nostro Ecclesiæ nostræ negotia assidue tractabat. Hic cum Calixti papæ prædictas litteras vidisset, et episcopi nostri intentionem Remense concilium adeundi cassatam comperisset, quadam animi audacia excitatus, et ad sublimationem Ecclesiæ B. Jacobi anhelans, per medias classes prædonum ad papam se iturum spondet intrepidus. Prius tamen quoniam Bracarensis Ecclesiæ archiepiscopatus, absente persona episcopi nostri qui petebat, absentibus comprovincialibus episcopis qui concederent, nullatenus acquiri poterat ; quatenus

Emeritanæ Ecclesiæ metropolim, aut aliam ecclesiasticam dignitatem, ad sublimationem Ecclesiæ B. Jacobi adipisci anhelaret, cum prædicto Ecclesiæ nostræ episcopo et cum quibusdam canonicorum consultum atque sancitatum est. Qualiter itaque prædictus Portugalensis episcopus per regnum Aragonensis tyranni paupertino latens habitu transierit, et quid deinceps egerit, sequens pagina, Deo juvante, indicabit.

CAPUT XIII.

Quod Portugalensis episcopus ad papam Calixtum missus est.

Prædictus itaque Portugalensis episcopus tantum laborem, tantamque corporis sui abjectionem minime refutans, pannosis atque vilissimis indumentis indutus, iter ad papam Calixtum aggreditur. Habebat autem socium itineris atque negotii A. Petridem, Ecclesiæ B. Jacobi canonicum, quem prædictus Compostellanus episcopus illi adhibuerat. Cæterum Portugalensis episcopus, utpote vir cauti et sciti consilii, præire atque citius accelerare cum duobus clientibus suis audacter præsumpsit; nunc eques, nunc pedes, per civitates et per municipia prætueribat, nunc cæcus, nunc claudus, nunc facie quasi paralysi detorta, nunc aliis modis, prout sibi operæ pretium videbatur, alternatus, inimicorum suorum intuitus fallebat. Videbant eum tam amici quam inimici ejus, et non agnoscebant, reputantes eum pauperem et mendicum et opprobriosum. O felicem hominem, quem B. Jacobus apostolus sic protegebat, ut ab inimicis suis videretur, et ab eis non agnosceretur! per medios hostes et per nefandissimos prædones transibat, et nullus ei quidquam oberat. Prædictus autem A. cum venisset Burgis, captus atque ibidem renatus [*f*. retentus] est, ablatis quæ secum ferebat. Porro Portugalensis episcopus jam perendie (121) præterierat bona fortuna, cum ipsi latenter præpararentur insidiæ. Etenim ut compertum est illum Burgis jam præteriisse, his qui ad ejus captionem anhelabant valde molestum fuit.

Post hæc idem episcopus veniens Gronium (122) inter alios latitans peregrinos apud quemdam Burgensem hospitatus est: qui attentius intuens eum, quippe in archidiaconio et in episcopio illum noverat, et ei sæpius famulatus fuerat, vocavit eum in partem remotiorem, et ait illi: « Quis enim es latitans sub veste pannosa? Nunquid tu es H. Portugalensis episcopus? » Cumque se episcopum esse abdicaret, et alium se esse simularet, ait illi burgensis: « Agnosco te, Pater episcope, non enim facies dissimulata, nec vestis pauperrima potest te mihi alium facere. Olim quidem novi atque dilexi te, utpote tam probum tamque honestum episcopum, modo quoque dilectionis tuæ mancipio ne timeas. Confitere mihi causam tui itineris. Cur enim paupertino lateas habitu? Videlicet ut quasi mendicus pertranseas mihi liquido patet, metuis metuenda, et non immerito alium te simulas; noster enim rex Aragonensis interdixit omnibus Ecclesiæ B. Jacobi clericis transitum per regnum suum, et interminatus est janitoribus suis ne quis illorum hac transierit. Tu vero B. Jacobi apostoli confisus suffragiis, accepto a me consilio, prospere, Deo juvante, pertransibis. » Cumque hæc et alia prædictus burgensis Portugalensi episcopo narrasset, videns episcopus se deprehensum, et paupertatis atque peregrinationis suæ illi patuisse figmentum, respondit: « Ego quidem H. Portugalensis episcopus, olim, si bene memineris, tuus intimus et præcordialis fui amicus; verum quoniam probatio dilectionis est exhibitio operis, quod hactenus dilectio mea tibi parcius profuit, amodo vita comite abundantius supplebit, et quoniam te in commissis fidelissimum dudum expertus sum, itineris mei secreta bona fide tibi aperire non hæsitabo. Adeo, Deo juvante, papam Calixtum, missus a Compostellano episcopo causa ecclesiam B. Jacobi sublimandi, videlicet ut Bracharensis, vel Emeritana metropolis in Ecclesiam B. Jacobi transferatur. Præterea papæ Calixto supplicabo pro sede mea Portugalensi Ecclesia, cui Bracarensis et Colimbriensis episcopi propriæ diœceseos parochias auferunt, ut dictante justitia de parochiis injuste sibi ablatis reintegretur. De cætero vivit Dominus et vivit anima mea, quoniam neque a regina U. neque a filio suo rege A. neque ab infantissa Portugaliæ missus proficiscor in Franciam aut Burgundiam; hoc enim pertimescit rex vester Aragonensis, et hac de causa interdixit clericis B. Jacobi transitum per regnum suum. Veretur namque ne exercitus Francorum in regnum suum veniat, et vindicet sibi regni principatum. »

Hæc autem atque hujusmodi episcopo atque burgensi invicem clanculo referentibus, episcopus magna animi perspicacitate suffragatus marcam argenti quam secum habebat, dat amico atque hospiti suo, accipiens ab eo fidam ne cui quidquam de via sua aut de negotio suo propalet. Deinde accepto ab eodem consilio, lætus et tamen adhuc pavidus discedit, ac veluti columba manibus accipitris labefacta, rapidissimo sed tamen timidissimo volatu secat aera, sic episcopus per regnum Aragonensis tyranni, imo per medium Charybdis, gressu festino transcurrit. Postquam autem venit Morlanum, sicut qui naufragium evadit, per biduum sese ibi refocillavit. Verum illa refocillatio pene fuit illi disturbatio; cum enim jam abiisset, ecce in crastino Aragonenses persecutores qui audierant Portugalensem episcopum absque licentia regis Aragonensis per regnum ejus transire, requirebant eum ut caperent. Sed qui liberavit Danielem de lacu leonum, et tres pueros de camino ignis, ipse eripuit Portugalensem episcopum de manibus Aragonensium persecutorum. Postea Portugalensis episcopus venit usque ad Cluniacum, et invenit ibi papam Calixtum; tradidit ei

(121) *Perendie* hic non *post cras*, sed præterita jam die significat.

(122) Supra etiam *Gronium* legimus cap. 6, inter *Najeram* et *Stellam*, ibi hodie *Logrono*.

litteras prædicti Compostellani episcopi, et quæ A necessaria fuere ut adderentur, palam ac secreto insuper addidit. Prædicto etiam Cluniacensi abbati litteras et intersignia quæ necessaria erant contulit. Sane necesse erat ut abbas Cluniacensis Hugonem Portugalensem episcopum sciret esse nuntium episcopi S. Jacobi, ut pecuniam, quam sibi reservandam co . mi-eramus, ei attribueret. Quod ita factum est.

CAPUT XIV.

De schismate et reconciliatione Calixti papæ et Cluniacensis abbatis.

Inter Calixtum papam et P. (123) Cluniacensem abbatem olim quasi simulata dilectionis species lucrat. Electo namque et consecrato Guidone Viennensi archiepiscopo, et Cluniaci in papam Calixtum B cæteris tum Romanis quam Allobrogibus, quam Aquitanis clericis ac laicis, qui interfuerant, electionem et consecrationem ejus approbantibus, prædictus abbas Cluniacensis electionem aut consecrationem ejus nec laudare, nec reprobare voluit; sed ait: « Præcurrant nuntii Romam, qui fratribus nostris in Christo dissolutionem papæ Gelasii notificent; notum quoque faciant illis quid de confratre nostro Viennensi archiepiscopo a Romanis cardinalibus, ab episcopis, a clericis, etiam a laicis Cluniaci factum fuerit. Quod si clerus et populus Romanus illius electionem atque consecrationem laudaverint, post illos nostra interest laudare, et eorum ditioni obedire. » Hanc Cluniacensis abbatis sententiam plures Galliarum episcopi collaudabant. C Postquam itaque clerus ac populus Romanus Calixti papæ electionem atque consecrationem conlaudaverunt, et Mauritium, scilicet Teutonici tyranni idolum exsecrati sunt, abbas Cluniacensis et cæteri episcopi aut abbates Galliarum Calixtum papam, utpote ad apostolici culminis dignitatem juste promotum, venerati sunt. Ea propter tamen papa Calixtus prædictum Cluniacensem abbatem usque ad id temporis neutiquam sibi præcordialissimum habuerat, neque ejus petitionibus quandoque assensum præbuerat. Quid enim memorem controversiam super Merguliensi Ecclesia inter Cluniacensem abbatem et episcopum Magalonensem, et Calixtum papam Magalonensis episcopi parti propensius faventem? Quidve memorem cœmeterium metropolitani Auxensi Ecclesiæ S. Mariæ a papa D Calixto concessum, et privilegiorum auctoritate in posterum sancitum, quod antiquitus fuerat S. Aurentii Cluniacensis monasterii? Ut in his, et sic in pluribus aliis.

Postquam autem Calixtus papa secundo anno sui papatus venit Cluniacum, honorificentissime ab ipso abbate et a Cluniacensi conventu susceptus est; et Nativitatem Domini solemniter, usque ad Epiphaniam Domini ibi commorans, celebravit. Die vero Epiphaniæ domini Calixtus papa venit in capitulum, præsente abbate, cum tanta tamque gloriosa caterva monachorum. Tunc magna charitatis gratia compunctus prostravit se humi cum lacrymis coram abbate et Cluniacensi conventu: prostraverunt namque se abbas et monachi misericorditer papæ supplicantes ut surgeret; denique erexit se papa, erexit se quoque abbas cum monachis. Tunc papa, manu silentium indicens, ait: « Fratres, atque filii in Christo charissimi: « Ecce « quam bonum et quam jucundum habitare fratres « in unum (*Psal.* xxxii). » Bonum est atque salutiferum in una charitatis gratia nos cohabitare; bonum est nos utpote diversa membra uni capiti, scilicet Christo, subservire, et uno corde et una anima unum corpus esse in Christo; sicut enim ait B. Jacobus apostolus: « Ubi fuerit zelus et contentio, ibi « inconstantia, et omne opus pravum (*Jac.* iii, 16). » — « Simus autem, » sicut ait B. Petrus apostolus, « non vacui, nec sine fructu in Domini nostri Jesu « Christi cognitione. Sed habeamus patientiam, in « patientia vero pietatem, in pietate autem amorem « fraternitatis, in amore vero fraternitatis charita- « tem (*II Petr.* i, 8). » Et B. Joannes apostolus: « Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit « Dominum, diligat et fratrem suum (*I Joan.* iv, 2). » Hæc propterea, fratres, dixerim, quoniam circa vos per aliquantum temporis dilectionis gratiam ad plenum non exhibui, nec in quibusdam, prout oportuit, vobis satisfeci. Demum expertus indefessæ charitatis obsequia a vobis S. Romanæ Ecclesiæ ex summa dilectione plenius impendi, et omnibus Christi fidelibus charitatis viscera a vobis exhiberi, tripudio charitatis vestræ me participem fieri, desidero me confratrem et commilitonem vestrum haberi. Video enim quia charitatis vestræ excellentia totum fere mundum subjugavit. Si quid minus diligendo vos usquemodo circa partem vestram deliqui, pœnitet modo. Abbatem Cluniacensem præcordialissimum meum, monachos Cluniacenses, familiarissimos meos, fore propemodum volo; majora negotia Romanæ Ecclesiæ quæ his in partibus definienda fuerint, consilio vestro præcipue definiantur, persona mea arbitrio et consilio vostro suppeditetur. » Hæc atque alia hujusmodi coram abbate et coram Cluniacensi conventu Calixtus papa referens, in manu abbatis totiusque conventus sese potuit, et orationum atque beneficiorum Cluniacensis conventus confratrem et participem se fieri expostulavit. Recipitur Calixtus papa in consortium et in participium orationum et beneficiorum Cluniacensis monasterii. Fit igitur inter Calixtum papam et P. Cluniacensem abbatem, atque Cluniacensem conventum tanta dilectionis unitio, tanta charitatis connexio, ut eis fieret cor unum et anima una. Enimvero, ut verum fatear, omnes Galliarum ecclesias sanctitate ac charitate Cluniacense præcellit atque supereminet monasterium. Eapropter Calixto papæ operæ pretium erat Cluniacense monasterium esse sibi præcordialissimum, utpote cameram et assedam

(123) Pontius vocatur supra cap. 9.

suam, nempe ad confundendum matris Romanæ Ecclesiæ incestatorem, scilicet Burdinum Teutonici tyranni idolum, ad refrenandam ejusdem tyranni tyrannidem, abbas Cluniacensis cum Cluniacensis monasterii conventu Romanæ Ecclesiæ utilis et necessarius erat, necdon ad confirmandum S. Ecclesiæ statutum, et ad exstirpandum pestiferæ hæreseos simulacrum. »

CAPUT XV.

De impetratione archiepiscopatus.

Hoc dilectionis charitatisque mutuæ fœdus inter Calixtum papam et P. Cluniacensem abbatem ut vidit Portugalensis episcopus, magno gaudio gavisus est. Quippe in abbate Cluniacensi spes atque anchora negotii sui sita erat, cujus petitioni, imo et consilio Calixtum papam modo facile satisfacturum animadvertebat. Venit ergo ad prædictum abbatem, et ait illi : « Nunc, nunc, reverendissime Pater, tempus est Ecclesiam B. Jacobi sublimandi, dum papa Calixtus in manibus vestris est. Pulsentur aures illius precibus ; dum tempus habemus, maturemus. Beatus namque Jacobus impetravit pro nobis. » Nimirum priusquam inter papam et abbatem fieret tanta dilectionis connexio, Portugalensis episcopus de archiepiscopatu Compostellanæ Ecclesiæ conferendo mutire vix præsumeret. Quippe antequam in curiam papæ venisset, Romani, tam cardinales quam cæteri, adventum prædicti Compostellani episcopi nimio præstolabantur desiderio, utpote magna et innumera ab eo munera accepturi. Postquam autem venit Portugalensis, referens episcopum S. Jacobi ad Calixtum papam impræsentiarum nullatenus venire posse, tum quoniam Aragonensis tyrannus per regnum suum transeundi minime ei licentiam concedebat, tum quia xx naves piratarum Ismaelitarum mare Oceanum tenebant obsessum, Romani prætaxata spe cassari moleste tulerunt. Aiebant enim : Compostellanus episcopus divitiarum atque honoris culmine pollens Romanam flocci pendit curiam. Cum enim tantum quid, videlicet archiepiscopatum, in Ecclesiam suam transferri expostulet a domino papa, et invitatus ut ejus petitioni satisfaceret, Remensi, concilio interesse noluit ; præterea nec puppe per undas, nec pede per terras ad papam se posse venire delegavit ; quinimo per Portugalensem episcopum nuntium suum Bracarensem archiepiscopatum, absente persona sua, absentibus comprovincialibus episcopis, absque regio consensu in Compostellanam transferri efflagitat Ecclesiam, quod vix magna humilitate, magnoque impetrare valeret obsequio. Ipse quoque Calixtus papa a pristini gradu amoris, quem circa episcopum S. Jacobi habuerat, aliquantisper declinabat.

Verumenimvero dilectionis fœdus inter eum et Cluniacensem abbatem factum, causam nostram secundavit, et Ecclesiæ nostræ utilitatis fructum generavit. Etenim abbas Cluniacensis audita Portugalensis episcopi ratione Calixtum papam adiit, et ait illi : « Precor atque supplico, sanctissime Pater, majestati tuæ ut Ecclesiam B. Jacobi apostoli sublimare, ejusque episcopi amicissimi tui justo digneris condescendere desiderio. Quod prædecessores tui, scilicet Paschalis atque Gelasius, implessent, nisi tempus vel locus defuisset, ipse, Deo auctore, adimpleto. Ipse B. Jacobus petit tibi metropolim suæ Ecclesiæ. Quod si nec precibus, nec consilio meo acquiescere digneris, saltem B. Jacobi acquiesce petitioni. Ad hæc uniuscujusque apostoli Ecclesia ubicunque terrarum ecclesiastica pollet atque gloriatur dignitate. Sola B. Jacobi Ecclesia, in Occidentali latens plaga, episcopio tantum contenta est. Cæteris etiam comprovinciales sedes hæreditatis suæ fundo sitas, et ob hoc tantum sibi subditas, hæreditario jure, non aliqua ecclesiastica præcellit dignitate. Quod si Bracarensis Ecclesiæ metropolim in Compostellanam transferre Ecclesiam, vel archiepiscopatum, quem dudum tempore Teodemiri regis Gothorum Lucensis habuit Ecclesia, prædictæ B. Jacobi Ecclesiæ conferre non sedet in conspectu tuo, saltem Emeritensis Ecclesiæ metropolim, quæ Saracenorum feritate depopulata christianæ fidei cultum amisit, Compostellanæ Ecclesiæ B. Jacobi in posterum donare, et apostolicam Ecclesiam archiepiscopatus dignitate sublimare digneris. »

Postquam his atque aliis abbas animum papæ emollivit, adhibito sibi Portugalensi episcopo ad cardinales convertitur, iis pollicitans, alios deprecans blanditiis, ut omnes unanimiter pro sublimatione Ecclesiæ B. Jacobi Calixto papæ supplicent. Intererant curiæ papæ quidam Allobroges, viri potentes atque nobiles, contribules papæ, scilicet dux Burgundiæ Guido de Albione, et cæteri quamplures Ecclesiæ B. Jacobi confratres, qui B. Jacobum olim adierant, et seipsos ipsi apostolo subjugaverant. Propterea Ecclesiam B. Jacobi usquequaque diligebant, et ejus episcopum. Hi postquam de metropoli ad sublimationem Ecclesiæ B. Jacobi adipiscenda audiere, omnes cum abbate Cluniacensi, cum episcopo Portugalensi ante pedes papæ proni corruerunt, misericorditer papam interpellantes ut Ecclesiam B. Jacobi Emeritensi dignetur archiepiscopatu decorare. Adjiciunt quoque a pedibus ipsius papæ se non evulsum iri, donec suæ petitioni condescendat. Quis tam ferreus qui abbatis Cluniacensis, episcopi Portugalensis, tantorumque Burgundiæ principum humi prostratorum, tam dignis precibus non acquiesceret? Ipsi quoque cardinales, obnixius domino papæ supplicantes orant ut Emeritana metropolis in Compostellanam transferretur Ecclesiam. Tunc papa aperiens os suum dixit : « Surgite, filii in Christo charissimi, surgite ; magnum quidem est quod petitis, sed dignum est ut impetretis. Compostellana Ecclesia metropolitana Emeritensis Ecclesiæ Deo auctore decorabitur dignitate. » Quo audito surgit abbas Cluniacensis, surgit episcopus Portugalensis surrexere et alii Burgundiæ principes, osculato pede papæ gaudentes, atque gratias agentes. Quotquot etiam erant in curia illa, audito

quod Calixtus papa Ecclesiam B. Jacobi in archiepiscopatum sublimaret, propemodum gavisi sunt.

CAPUT XVI.

De aliis nuntiis et benedictione missa domino papæ.

Interea prædictus Ecclesiæ B. Jacobi episcopus P. Falconidem, et A. Petridem ejusdem Ecclesiæ canonicos misit ad Calixtum papam, ut una cum Portugalensi episcopo Ecclesiæ suæ tractarent negotia; moleste namque ferebat Portugalensem episcopum quasi solum transalpinasse: prædictus A. qui olim Burgis captus fuerat, a captione jam evaserat. Qui duo sub specie latentes peregrinorum per Aragonensis regis regnum nimia hiemis ingruente intemperie transeuntes, ad curiam papæ usque perveniunt, et inveniunt Portugalensem episcopum lætum et hilarem, et voti sui fere jam compotem. Cum enim papa Emeritanam metropolim Compostellanæ Ecclesiæ jam concessisset, adhuc Portugalensis anhelabat quatenus prædictus Ecclesiæ B. Jacobi episcopus legatione super Emeritensem et Bracarensem provincias fungeretur. Ad supradictam metropolim, et ad legationem adipiscendum prædicti nuntii cum Portugalensi episcopo pro posse suo laboraverunt. Quibus impetratis, hi duo, videlicet P. et A., ad Ecclesiam B. Jacobi quam citius remittuntur, nuntiantes Calixtum papam Emeritensem metropolim in Compostellanam Ecclesiam transtulisse, et episcopo S. Jacobi legationem vice sua super Emeritensem et Bracarensem provincias commisisse. Quod ut Compostellano episcopo Compostellanæque Ecclesiæ canonicis innotuit, quanto gaudio tripudiaverint, stylus meus pernarrare non sufficit. Hoc autem non nisi majoribus atque valentioribus canonicis notum fiebat. Quibus etiam ostensæ sunt litteræ Cluniacensis abbatis et Portugalensis episcopi, in quibus episcopum S. Jacobi vocabant « archiepiscopum, et S. Romanæ Ecclesiæ legatum; nempe Portugalensis episcopus in curia papæ remanserat, et benedictionem ab Ecclesia B. Jacobi papæ et cardinalibus mittendam præstolabatur. Et quidem prædictam arcam auream cum centum morabitinis, et L solidos Pictaviensibus, et alios C. morabitinos, quos secum tulerat in dativum jam habebat; ad complementum autem benedictionis CCLX marcas argenti addi oportebat. Eapropter inito consilio ab episcopo S. Jacobi et a supradictis ejus canonicis, visum est eis ea de thesauro S. Jacobi accipi. Paucis itaque admodum hujus consilii complicibus mensa rotunda argentea, quæ vulgo *intremissa* vocabatur, quæ fuerat Almostani regis Saracenorum, continens XL marcas argenti, crux aurea, et casula aurea, quæ rex Ordonius dederat B. Jacobo, necnon corona aurea ad complendum prædictæ benedictionis dativum confringuntur ut transmittantur. Hæc omnia quoniam ad complendas CCLX marcas argenti non sufficiebant, ipse episcopus de proprio XL addidit marcas argenti. Quomodo autem tot et tanta mitterentur, subtilissimo egebat ingenio. Tunc temporis navis quædam Nortmannorum institorum quæ A vento exagitata barbarorum oceano Agarenorum oberraverat, castello Honesto applicuerat, et in Northmanniam repedare properabat, per hos institores prædictus S. Jacobi episcopus supradictam pecuniam se missurum simulavit, videlicet sapienti usus consilio; gens namque Gallæciana hujusmodi consiliorum secreta scire inhiat, et eorum perpauci sunt qui commissa sibi fideliter retineant. Idcirco sciti fuit consilii, ut aliud eis specie tenus ostenderetur, et aliud fieret. Recedentibus denique Northmannigenis fama sæpius ficti significatrix asseruit episcopum prætaxatam pecuniam navigio transmisisse in Northmanniam, et a Northmannia Cluniacum sicque quorumdam concanonicorum nostrorum delusa est dolosa intentio, qui si rescivissent rem prout B gesta fuit, utpote pleni rimarum (HOR.), citius effluxeret. Tandem compluribus Gallæcianis accepta cruce Hierosolymam adeuntibus, prædictus episcopus vir perspicacissimi ingenii, prædictam pecuniam duobus articulosis atque admodum versipellibus, scilicet P. fratri arcario, et P. Joannide qui postea factus est noster canonicus, ad deferendum commisit. Illi autem consilio et admonitione ipsius episcopi, sub specie pœnitentiæ, alii X auri uncias, alii VIII, alii VII, alii V, et sic de cæteris sub fide distribuerunt. Quot cuique uncias auri ad deferendum commendaverunt; a tot cum pœnitentiæ annis solverunt. Papæ subtilissimi atque perspicacissimi ingenii dispositio! Sic per Aragonensis tyranni regnum indemnes transierunt, et usque ad Montem Pessulanum C prædictam pecuniam detulerunt. Quam ibidem monachi Cluniacenses accipientes, sicut stabilitum fuerat, Cluniacum asportarunt. Ubi cum prædictus uterque P. abbatem Cluniacensem, episcopum Portugalensem, Stephanum de Bisontio Calixti papæ camerarium invenisset, prædictam benedictionem eidem Stephano camerario vice papæ tribuerunt. Post hæc cum episcopus Portugalensis reverti vellet in Hispaniam, sed per Aragonensis tyranni regnum repedare non auderet (quippe pluribus in locis paratæ erant insidiæ), privilegia Emeritanæ metropoleos in Compostellanam Ecclesiam translatæ, atque legationis episcopo S. Jacobi commendatæ, translata per hos prædictæ benedictionis latores ad Ecclesiam nostram transmisit, quæ sunt hujusmodi.

D *Privilegium de archiepiscopatu Emeritensis provinciæ.*

« Calixtus episcopus, » etc.

« Omnipotentis dispositione, » etc. *Vide in Calixto II, Patrologiæ t.* CLXIII, *sub num.* 79.

CAPUT XVII.

De suffraganeis episcopis.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Commissi nobis, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 82.

CAPUT XVIII.

De legatione Bracarensis et Emeritanæ provinciæ.

« Calixtus episcopus, » etc,

« Antiqua sedis apostolicæ,» etc. *Vide ubi supra, sub num.* 80.

Speciales litteræ Calixti papæ ad Compostellanum archiepiscopum (*anno* 1120 *Febr.* 27).

« Calixtus episcopus, » etc.

« Et personam tuam, » etc. *Vide ubi supra sub num.* 81.

CAPUT XIX.

Quod ab hac die vocatus est archiepiscopus.

Hæc privilegia translata maximo cum gaudio Compostellæ VIII Kal. August. suscepta, in ipsa solemnitate passionis B. Jacobi coram omni clero et populo in ejusdem apostoli Ecclesia excelsa voce lecta sunt. Ab hac die prædictus Ecclesiæ B. Jacobi episcopus habitus atque vocatus est Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopus, et S. R. E. legatus : Nempe nativitatis Dominicæ anno 1104, ex quo a papa Paschali pallium Romæ adeptus fuerat, quot quibusque modis potuit ad adipiscendum Ecclesiæ B. Jacobi archiepiscopatum aspiraverat. Sæpius namque Romanam curiam per amicos et per nuntios suos visitando, excellentissimum Romano pontifici atque cardinalibus universæque Romanæ curiæ exhibuerat obsequium, sicut superius partim scriptum est. Quid enim memorem quot et quanta de thesauro B. Jacobi, et complura de suo, ut hoc tam sanctum et tam justum desiderium suum effectui manciparet, impendit ? Quidve memorem tot et tam asperos labores atque timores canonicorum suorum, quos ipse frequentius ad Romanam mittebat curiam, ut hoc nancisci valeret ? Quorum quidem non modicam partem ego quoque Girardus expertus sum. Denique prædictus Ecclesiæ B. Jacobi archiepiscopus et S. R. E. legatus tantam Romanæ Ecclesiæ exhibuit humilitatem, quatenus, licet præ cæteris Hispaniarum Ecclesiis honore et divitiis sua polleret Ecclesia, omnes tamen humilitate et obsequio circa Romanam Ecclesiam transcendit. Quapropter, testante Scriptura quæ ait : « Humilitas vincit omnia ; » et alio in loco : « Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV, 11), » apostolica B. Jacobi Ecclesia per humilitatem exaltata est. Nimirum Omnipotens, cujus nutu disponuntur omnia, ita disponi voluit, ut qui hanc plantaverat vineam, ipse de fructibus ejus comederet, et in ejus gloria delectaretur, utpote prædictus archiepiscopus olim hanc vineam plantaverat, et sæpius magno cum labore excoluerat, et in ejus tempore B. Jacobi Ecclesia hujus vineæ fructu gloriosa in metropolitanam sublimata est dignitatem. Ipse quoque archiepiscopus ad majoris culmen dignitatis, S. R. E. legatus super Emeritensem et Bracarensem provincias. O utinam divina pietas tam prompto tamque utili agricolæ vivendi spatium longius concedat, quatenus Deo auctore Ecclesia B. Jacobi, consilio atque labore ejusdem agricolæ, ipsius quoque temporibus in majorem sublimetur dignitatem ! O utinam quod adhuc intendit et desiderat vita sibi comite Compostellana adipiscatur Ecclesia ! Amen.

CAPUT XX.

De reditu Portugalensis episcopi, et de data cruce.

Circa id temporis prædictus Portugalensis episcopus, repedare volens in Hispaniam cum B. (124) cardinali atque legato Rom. Ecclesiæ a papa Calixto ad Hyboros misso, usque ad Olorensem civitatem reversus est, ubi correptus febribus aliquandiu morabatur. Denique sanitati restitutus cum per Alpes ad Hispaniam reditum faceret, præsensit pluribus in locis præparatam esse sibi pedicam. Quippe cum eo ibant exploratores ob hoc a rege Aragonense et ab episcopo Jaccensi missi, qui illius adventum vel Jaccæ vel Stellæ, vel alias prænuntiarent, ut caperetur. Prædictus autem cardinalis animabat eum ut secum veniret in Hispaniam. Sed Pampilonensis, atque Lascurrensis episcopi, quibus Aragonensis regis tyrannis admodum nota erat, Portugalensi episcopo dissuadebant, ne in manus inimicorum suorum præscius incideret. Enimvero nec Romani cardinalis præsentia, cæterorumve episcoporum, nec pontificalis ejus dignitas liberarent eum ne caperetur; supra modum enim rex Aragonensis Ecclesiæ B. Jacobi clericos habebat odio. Sapienti itaque usus consilio Portugalensis episcopus confestim iter suum reciprocat, rediens ad civitatem Auxum, et ab Auxo ad Labordensem civitatem. Tunc depositis pontificalibus vestibus, cum duobus vernulis, adhibito sibi quodam indigena, qui et barbaram linguam Blascorum (125), et viam per invia noverat, Alpes ingreditur : inde per Ispuciam, et per Navarram, et per Viscayam, et per Asturiam præter mare quod extremis Hispaniæ rupibus alliditur, nunc eques, nunc pedes præterit. In illis montium remotis atque inviis locis, homines truces, ignotæ linguæ, ad quodlibet nefas prompti habitant, nec immerito locis asperrimis atque inamœnis homines efferi atque effrenes habentur; quippe hæc semita invia per rupes, per dumeta, per loca deserta viam ostendebat. Præterea mare ibi quædam brachia sua ad disterminandum provincias porrexerat, et iter illac egentibus chaos magnum firmatum est. Verum enimvero Portugalensis episcopus nec locorum asperitatem, nec incolarum atrocitatem, nec brachiorum Oceani circumquaque porrectorum tumentem sævitiam pertimescens, beati quippe apostoli Jacobi confisus suffragiis, per devia montium, vallium, atque marium, Carrionem usque pervenit. Sicque publicæ viæ redditus, præduce Dei gratia, incolumis Compostellam usque remeavit, ubi a prædicto Compostellanæ sedis archiepiscopo, et S. R. E. legato et ab ejusdem Ecclesiæ canonicis honorifice cum processione susceptus

(124) Boso vocabatur.

(125) *Vasconum* lego, nam etsi *Blascon* in Gallia sit, non ad rem, cum insula extra viam, nec peculiari, uti vascones, lingua gaudeat, sed Gallis vernacula.

est. Deinde super altare B. Jacobi bullata supradicta privilegia archiepiscopatus et legationis obtulit, nempe papa Calixtus prædicto Portugalensi episcopo vices suas commiserat, videlicet ut ipse Portugalensis episcopus, vice domini papæ Emeritensis metropoleos et legationis super Emeritensem et Bracarensem provincias privilegiis super altare B. Jacobi oblatis, Compostellanæ sedis archiepiscopum cum cruce investiret. Quod ita factum est, nempe hoc unum nos latebat, crucem ad deferendum ante se a papa Calixto prædicto Compostellanæ sedis archiepiscopo et S. R. E. legato fuisse concessam. Sed tunc nobis innotuit.

Præterea Portugalensis coram archiepiscopo ejusque canonicis qualiter in adeptione archiepiscopatus atque legationis per annum se habuerat, quot et quanta passus fuerat, enarravit. Dixit etiam quantum adhuc addi oportebat, ut quæ minus fuerant complerentur, scilicet prædicta arca aurea novem marcarum, cum daretur, a Portugalensi episcopo et ab abbate Cluniacensi papæ Calixto credita et recepta est, quasi tota aurea, verum pars interior erat argentea. Quo comperto ad complementum xx auri uncias Portugalensis dare pepigerat. Præterea quarta pars auri, quod receperat Stephanus de Bisontio camerarius papæ, scilicet ducentas uncias, falsa esse comperta fuerat. Eapropter L uncias auri dari oportebat, necnon dispensam itineris atque laboris quam dispenderat Portugalensis episcopus, scilicet xxx auri uncias. Hæc omnia videlicet C auri uncias prædictum Compostellanæ sedis archiepiscopum et S. R. E. legatum ad complementum dare oportebat, et dedit. Præterea idem archiepiscopus Portugalensem episcopum, utpote pro tanto labore, largius remuneravit. Ei namque atque vernulis suis contulit indumenta; ipsi etiam annulum pontificalem, præstimonia, et cætera retribuit; nimirum ex quo prædictus archiepiscopus a papa Paschali pallium adeptus fuerat, multa aurea et argentea et cætera pretiosa ut Compostellana B. Jacobi Ecclesia archiepiscopatum haberet, distribuerat, nempe Romano pontifici, Romanis cardinalibus, cæterisque in Romana curia, necnon canonicis, atque amicis suis, ad hæc iterum laborantibus, sæpius magna atque innumera distribuendo ad quod diu anhelaverat effectui mancipaverat; plurima quoque ut adepta possidere et cætera adhuc adipiscenda valeat adipisci, prædictus archiepiscopus et S. R. E. legatus frequenter distribuit. Utinam vita diutius comite, per Dei misericordiam, utpote fidelis dispensator, in opus simile plurima dispenset atque distribuat, quatenus ejus temporibus Compostellana B. Jacobi Ecclesia ad majorem sublimetur dignitatem!

CAPUT XXI.

De navibus Saracenorum captis ab Iriensibus.

A temporibus A. regis bonæ memoriæ, Saraceni ab Hispali, ab Almaria, Olisbona, et a cæteris locis mari finitimis navigio in Gallæciam venire consueverant, ecclesias destruere ac comburere, et quæcunque inde abstrahere, homines alios trucidare, alios vinctos ducere, mulieres, parvulos captivare, cætera, quæ sibi necessaria erant, in prædam ferre, vineas, arbores succidere, domos incendere, castella etiam, sicut in Sancta Maria de Lanceata, et in Sancto Pelagio de Luto accidit, crebris assultibus invadere atque irrumpere erat eis pro manibus. Hac de causa a medio Aprilis usque ad medium Novembris littora Gallæciæ maris deserta et depopulata erant. Tantum Saracenorum audacia hæc frequentabat! Quapropter prædictus B. Jacobi archiepiscopus et S. R. E. legatus dolore paterno compunctus, quoniam in partibus Gallæciæ homines nauticæ artis periti non habebantur, Arelatum, Genuam, et Pisam nuntios suos miserat, qui ad se peritissimos navium artifices illinc venire facerent. Quid plura? Genuensis, nomine Augerius, peritissimus navium artifex duas naves, quæ vulgo galeæ dicuntur, in Iria composuit; in quarum compositione archiepiscopus multam pecuniam multasque dispensas expendit. Eodem igitur anno quo factæ fuerunt, Irienses jussu et admonitione archiepiscopi cum navita suo prædicto Augerio armati naves ingrediuntur, terram Saracenorum adeunt, et versa vice trucidant, captivant, incendunt, succidunt. Denique quibusdam Saracenorum navibus captis, destructis atque succensis, alias secum adducentes, aurum, argentum, captivos, vestes abundantius deferentes, ad propria revertuntur. Ex tunc Ismaelitæ B. Jacobi provinciam nisi in multitudine navium invadere non audebant. Quodam denique tempore Saraceni Hispalenses et Olisbonenses in viginti navibus provinciam B. Jacobi invadunt, et multitudine sua vallati circumquaque depopulantur; paucos tamen homines captivavere, alii enim ad montana confugerant. Tandem cæteris ad propria redeuntibus, quatuor naves remanserant; hic, in insulis scilicet Ouras, Salvara, Flamia (126), moræ indulgebant. Quod cum comperisset prædictus Compostellanæ sedis archiepiscopus S. R. E. legatus, propere Iriam adiit, Irienses convocat, jubet atque suadet eos ut instructis navibus archiepiscopi atque suis Saracenos perditum erant. Milites etiam suos hortatur ut una cum Iriensibus in Saracenos vires suas experiantur. Tunc Irienses instructis navibus alto se committunt, et circumquaque per insulas Ismaelitarum naves requirunt. Quas ut invenerunt, eis castellum S. Pelagii de Luto, quippe applicuerant littori, et necessaria sibi in naves comportabant, et crebrescente jam crepusculo ne noctu aufugerent, aditus maris excubantes possiderunt. Mane autem facto Irienses, unanimiter accensi et præparati ad bella, facto agmine Saracenorum naves invadunt. Quos cum vidissent eminus Saraceni perpeti cursu ad se venientes, tonsis incumbunt, ad arma concurrunt, nec segnius ad bella

(126) Libro I, cap. 103, *Aonios* dicitur; et apud Plinium *Aunius*, vulgo de *Ons*. Salvara hodie *Salvora* ad ostium fluminis Ullæ; cap. 109, n. 5, additur *Laonia*, quæ forte hic *Flamia*.

A parantur. Cæterum Irienses, utpote aggressores, audacius irruunt in Agarenos, vasto impetu ferreis rostris navium naves gentilium feriunt, sauciunt, dissipant, et eodem congressu in eorum naves insiliunt; hos trucidant, alios in altum projiciunt, aliis utpote captivis miserentur: Ismaelitæ autem alii bellare, alii remigare, alii natando fugere tentabant. Interea quædam navis Saracenorum velocior cæteris, ab ipsis navibus Iriensium elabitur, et sic aufugit; aliæ vero tres a Christianis retentæ sunt. Interempti sunt ibidem XVI Saraceni, captivati centum minus duobus, præter arma et spolia, Christiani etiam qui a Saracenis captivi deferebantur, soluti sunt. Tandem Irienses cum tribus captis navibus, cum captivis Ismaelitis, et cum spoliorum multitudine ad propria cum gaudio reversi sunt. Horum omnium B quintam partem prædicto archiepiscopo et S. R. E. legato, utpote domino suo, cum his quæ ei ex navium suarum proprietate debebantur dederunt. Utinam alii atque alii Saraceni sæpius tali omine captivatum Christianos veniant, ut quod Christianis facere consueverant, amodo in Agarenos convertatur!

CAPUT XXII.

De cauto inter Ullam et Tamarim.

Eodem tempore regina U. venit in Gallæciam, ut quasdam discordiæ faces, jam non modicum accensas, exstingueret. Quod patrocinio atque consilio prædicti Compostellanæ sedis archiepiscopi et S. R. E. legati partim effectui mancipavit. Interea cum regina Compostellanæ indulgeret moræ, archiepiscopus ad sublimationem et augmentationem Ecclesiæ C B. Jacobi, tam in sæcularibus quam in ecclesiasticis propensius anhelans, cum regina consilium habuit, ut cautum inter Ullam et Tamarim prædictæ Ecclesiæ conferret. Quippe Compostellana Ecclesia circumquaque potestatem et imperium habebat, sed cautum inter Ullam (127) et Tamarim nondum habuerat. Quod ut fieret magnum et difficile ad impetrandum erat. Igitur ut Compostellana B. Jacobi Ecclesia cautum inter Ullam et Tamarim in posterum habeat, prædictus Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopus et S. R. E. legatus dedit reginæ U. de thesauro S. Jacobi mensam argenteam sexaginta marcarum, et X marcas argenti de suo. Dedit autem regina hujusmodi cautum Ecclesiæ B. Jacobi inter Ullam et Tamarim scriptis firmis atque indissolubilibus, videlicet si quis aliunde veniens inter Ullam D et Tamarim absque Sajone Compostellani archiepiscopi pigneraret, ut prædam inde abstraheret, vel alio modo cautum infringeret, pariet VI millia solidos Compostellanæ sedis archiepiscopo, ejusque canonicis. Quod si aliquis de iis qui inter Ullam et Tamarim morantur absque Sajone Compostellani archiepiscopi inter Ullam et Tamarim pigneraret, vel alio modo prædictum cautum infringeret, persolveret quingentos solidos prædicto archiepiscopo ejusque canonicis, quod in aeric testamenti a regina U. super hoc dati firmius atque plenius scriptum reperies.

(127) Al. *Uliam*.

Dedit præterea eadem regina Ecclesiæ B. Jacobi, scilicet archiepiscopo ejusque canonicis, terram de Dormiana per terminos suos cum hominibus et cum charactere suo, sicut in scriptis horum resonat. Medietatem quoque insulæ Laoniæ, quam prædecessor bonæ memoriæ Didacus episcopus amiserat et aliam medietatem ejusdem insulæ, qua Ecclesia B. Jacobi in his guerrarum temporibus caruerat, utramque medietatem insulæ Laoniæ prædicta regina Ecclesiæ B. Jacobi, scilicet archiepiscopo ejusque canonicis, scripto firmo atque indissolubili contradidit. Horum omnium scripta atque testamenta in Catalogo B. Jacobi reservata habentur. Ut hæc, sic et alia consilio atque prudentia prædicti archiepiscopi et S. R. E. legati B. Jacobi Ecclesia citius adipiscatur.

CAPUT XXIII.

De ædificatione Honesti.

Quanquam prædictus archiepiscopus S. R. E. legatus ad ædificationem et ad sublimationem Ecclesiæ suæ totus anhelaret, ut supra prætaxavimus, sæcularia tamen, prout decebat, proinde pertractabat, videlicet ut ecclesiastica tota animi intentione disponeret, et quantum sua intererat, curam adhiberet. Abolevit sæcularibus quoque, quantum potuit, pravas atque abolendas consuetudines; ex præcepto namque regis Hispaniæ rustici a Triacastella usque ad Oceanum mare conveniebant ad ædificandos muros castelli, nomine Honesti, qui, sine calcis linimento constructi, ex minutis lapidibus trabibus interpositis, ruinam assidue minabantur. Verebantur nimirum Hispani ne Anglici vel Northmannigenæ, sive aliæ barbaræ gentes ex hac parte navigio Gallæciam aggrederentur. Quippe Honestum quasi quædam clavis atque sigillum est Gallæciæ; quod si exteræ gentes hunc locum sibi præriperent, munitione ibidem composita, Gallæciam invadere atque depopulari præ manibus haberent. Quod Hispaniæ rex veritus dederat edictum ut agricolæ a ripa fluvii, nomine Isi, usque ad mare, bis in anno ex consuetudine Honesti muros facile casuros atque ruinosos reædificatum tempore stabilito convenirent. Quod reædificatoribus bis laboriosum atque difficile nimium et plusquam nimium erat. Cresconius tamen bonæ memoriæ Ecclesiæ B. Jacobi episcopus idem castellum turribus excelsis atque muro firmissimo partim munierat successor quoque ejus Didacus episcopus ejusdem castelli partem ædificaverat. Nihilominus tamen prædicti coloni certis temporibus reædificatum muros et turres confluere cogebantur; unde prædictus archiepiscopus et S. R. E. legatus admodum compatiens, participato consilio cum Adefonso catholico rege Hispaniæ, et cum genero ejus comite Raymundo, totius Gallæciæ domino, necnon cum canonicis B. Jacobi et cum principibus Gallæciæ, prædictum castellum firmissimo muro clausit et turribus excelsis munivit, sicut res indicat usque in hodiernum diem. O quam misericorditer! o quam gloriose egit, qui Gallæciæ colonos tanto labori obnoxios libera-

vit, atque regii edicti consuetudinarium opus oblitteravit!

CAPUT XXIV.

Quod Saraceni voluerunt aggredi Honestum et de compositione majoris turris.

Quodam denique tempore Saracenorum multitudo navigio Gallæciam aggreditur, et debellato, capto atque destructo castello S. Mariæ de Lanzada, ad debellandum et capiendum Honestum animos intendunt. Quippe tanta erat eorum audax multitudo! Quod ut innotuit prædicto archiepiscopo, in ipsa solemnitate passionis B. Jacobi, dum Matutinas psallerent, cursu percito velocissimum equum ascendens, tribus tantum comitatus militibus, Honestum adiit, ut, priusquam Saraceni castellum invasissent aut obsedissent, castellum ingredi posset; cæteri milites [et] Compostellæ cives eum post secuti sunt. Quod Ismaelitarum audaciam hebetavit. Sequenti tamen nocte eorum princeps, qui lingua sua Alcaida dicitur, Liburnum conscendens cum xx peritissimis atque expertissimis viris, venit exploratum situm loci, munitiones castelli, bellatorum multitudinem, ut si quæ minus firma comperiret, proximo diluculo cum exercitu suo debellare castellum acceleraret. Sed ut satis circumquaque exploravit, et eo archiepiscopum cum bellatorum multitudine adventasse præsensit, reversus est, et sic a proposito destitit, non ausus prædictum castellum aggredi. Eapropter archiepiscopus ab hac die secum excogitans pertractavit ut prædictum castellum firmius muniret. Verebatur enim ne aut Saraceni aut aliæ gentes ex insperato prædictum castellum ingrederentur, et circumcirca B. Jacobi provinciam impie edomarent. Accepto itaque consilio cum canonicis suis et cum Gallæciæ principibus, turrim aliarum excellentissimam atque firmissimam in medio castelli composuit; in cujus compositione maximos equidem sumptus fecit; nimirum fecit eam supereminentem cæteris, utpote caput et dominam totius castelli; sicut enim aquila cæteras aves præcellit atque dominatur, sic turris illa cæteras turres castelli illius præcellit eisque dominatur. Scitum sane consilium: cæteras turres totumque castellum turris illa, si necesse fuerit, tuebitur, nec Saracenorum aliarumve gentium incursus formidabit; et si quandoque S. Jacobi archiepiscopus vel ejus canonici ad prædictum castellum venerint, sive, quod absit! inimicorum suorum impetum ab urbe sua declinaverint, in turre illa commorantes, utpote domini, utpote fundi possessores, toti castello præerunt et dominabuntur; versatilis equidem est rota fortunæ: nunc blanditur, nunc aspera minatur. Ideo quisque quod sua refert, operari satagat.

CAPUT XXV.

Quod construxit nova palatia.

Prædictus archiepiscopus Ecclesiam B. Jacobi et in ecclesiasticis et in sæcularibus valde sublimavit, augmentavit atque ditavit; magnæ equidem prudentiæ magnæque perspicacitatis vir ad ecclesiastica peritus, et ad sæcularia satis providus, sicut usque in hodiernum diem patet. Præterea quoniam palatia sua, in quibus Compostellæ morabatur, minus idonea erant (quippe illo confluebant reges, consules cæterique primates, undecunque ad Compostellanensem venissent urbem), decebat ut palatia idonea, imo regalia haberet, utpote S. Jacobi archiepiscopus et S. R. E. legatus. Fecit itaque palatia secus ecclesiam B. Jacobi, ampla atque excelsa, idonea itaque atque regalia, qui turbam principum atque populorum, ut decet, capere sufficiant. In ejusdem quoque palatii pilari fecit fieri puteum magnæ profunditatis miro artificio, ut res indicat; sic namque consuetudo est ut in regalibus palatiis aquam ad hauriendum præsto habeant pluribus usibus profuturam. Et quia ab his palatiis procul erat chorus ecclesiæ B. Jacobi, et laboriosum valde erat illi assidue descendendo et ascendendo ire ac redire; composuit capellam suam sursum super porticum ante quam fit moneta in fronte ecclesiæ B. Jacobi dextra egredientibus ab eadem apostolica ecclesia. Deinde consecravit eamdem capellam in commemorationem B. Pauli apostoli, B. Gregorii, B. Benedicti, et B. Antonini; prius namque antea quam fieret præsens B. Jacobi ecclesia, altaria S. Benedicti, et S. Antonini fuerant in turribus quas ad munitionem apostolicæ ecclesiæ fecerat Cresconius episcopus ante veterem B. Jacobi ecclesiolam. Has turres prædictus archiepiscopus destruxerat, construendo hanc insignem apostolicam ecclesiam; ob hoc ipse B. Benedicto, et B. Antonino honoris vices recompensavit, ut quia eorum altaria destruxerat, eorum commemoratio in prædicta capella haberetur, quod ita factum est.

CAPUT XXVI.

De concilio Compostellæ celebrato.

Transacto aliquanto tempore prædictus Compostellanæ sedis archiepiscopus et S. R. E. legatus v Idus proximi Januarii, concilium Compostellæ ex præcepto domini papæ Calixti celebrare stabilivit (*anno* 1121). Episcopos itaque et abbates cum principibus, super quos S. R. E. legatione fungebatur, litteris suis ad concilium vocavit, videlicet P. Lucensem, M. Minduniensem, P. Astoricensem, D. Auriensem, A. Tudensem, P. Bracarensem, G. Collibriensem, G. electum Salamanticensem, P. electum Avilensensem, et eorum abbates. Ex quibus quidam cum prædicto concilio non interessent, nec pro se nuntios mitterent, sententiam in eodem concilio super eos promulgando, pontificale atque sacerdotale officium eis interdixit, donec ei satisfacerent.

CAPUT XXVII.

De litteris domini papæ.

Eodem tempore papa Calixtus ex dilectionis affectu prædicto archiepiscopo et S. R. E. legato has subscriptas misit litteras:

« Calixtus episcopus, » etc.

« Speciali fraternitati, » etc. *Vide in Paschali II, sub num.* 144.

CAPUT XXVIII.

De litteris patriarchæ.

Has quoque litteras misit eidem archiepiscopo Veramnndus patriarcha Hierusalem.

De oppressione civitatis Hierusalem.

« NERAMUNDUS, Dei gratia patriarcha Hierusalem et G. prior gloriosissimi sepulcri, et conventus canonicorum ejusdem loci DIDACO Dei nutu S. Jacobi archiepiscopo.et S. R. E. legato,et venerabili ejusdem sedis canonicorum collegio, cum omnibus sibi subjectis abbatibus clero, baronibus, et populo,videre bona Domini in terra viventium.

« Vestræ bonitatis et prudentiæ fama sæpe ad nostras aures pervenit; sed, nuper adveniente fratre nostro R. et eadem nobis referente et his majora, ardentius vestræ sanctitatis amor in cordibus nostris inolevit. Et quia nuntios suscepistis,et eos honeste tractastis, beneficia exhibuistis, in nostri loco ob amorem Dei et gloriosi sepulcri reverentiam verbo et actu,ut pius Pater,apud cæteros profuistis, cernui supplicamus innumeras gratias Deo et vobis referimus, et ut eadem faciatis humiliter vestris affusi genibus postulamus. Sed quia vobis hæc recompensare nequimus, pro vobis ut pro statu Ecclesiæ vestræ assidue orare decrevimus, et eadem a vobis accipere obsecramus. Orationibus namque vestris et armis temporalibus muniri,eleemosynis vestris cæterorumque fidelium sanctis exhortationibus vestris esurientes relici exoramus; neque hoc sine magno mœrore scripsimus : nostris enim exigentibus peccatis solito crebrius diversis plagis,Deo permittente, affligimur. Cœlum namque quadriennium est, atque more solito non dedit nec terra nostra fructum suum. Si quid terra, etsi parum produxit, locusta, et bruchus, cujus non erat numerus,spicas cum stipulis consumpsit.Quid referamus hostiles incursus? Undique Saracenis vallamur.Ab oriente namque est Babylon, ab occidente Ascalon,in littore maris Assur,Damascus a septentrione. Quid perfida regna et cætera innumerabilia sine intermissione nos impugnantia narremus? Quotidie invadimur, quotidie trucidamur, captivamur; privati capitibus, feris et avibus tradimur; ut oves vendimur. Quid multa? Pro nomine Jesu, antequam civitatem sanctam Hierusalem, et crucem Dominicam,et sanctissimum Christi sepulcrum deseramus, mori parati sumus. Quare quid in tanto discrimine positis necessarium sit, compuncti misericordia perpendite. Clarissime archiepiscope, vestris prostrati genibus, effusis lacrymis, heu quantis! vos efflagitamus, nobis subvenite. O gloriosissime athleta Dei! moveant vos preces nostræ, moveat vos lamentabilis clamor monachorum, canonicorum, moveant vos lacrymæ viduarum et orphanorum.Audite gemitus compeditorum; perveniat ad vos lamentabilis planctus pauperum, per plateas Hierusalem jacentium; descendat ad intima cordis incomparabilis labor militum, heu, paucorum! Quid passiones dicemus peditum? Inclusi sunt A in turribus, et in muris Hierusalem, et in terræ cavernis, quotidie pro vobis orantes et vestrum auxilium exspectantes, quasi columbæ ad fenestras suas, soli Domino vacantes. Quibus potestis respicite oculis super omnia sacrosancta loca Dominicæ passionis, resurrectionis, et cætera. Vestras excitent mentes! Venerabilis Pater,cur in Hierosolymis pro nomine Jesu dubitatur mori, ubi Dei Filius pro nobis non dubitavit exspui, crucifigi? Ad hoc Deus suum negotium, credimus, vos reservavit explendum. Ergo, dilectissime frater, cum clero et populo vobis commisso laborate ut in exercitum Christi veniatis nobisque celerrime succurratis; aut si ipsi venire non potestis, transmittite quos valetis. Deo teste, neque hoc sine magno mœrore scripsimus. B Nemo enim a muris Hierusalem aut a cæteris locis audet exire,nisi cum armata manu militum aut peditum, spatio unius milliarii et eo minus. Quibus cogimur dividere quæ solebamus comedere. Certe usque ad portas Hierusalem Saraceni venire vix trepidant: quare si venire differtis,timemus,plangetis planctu magno super mortuos Hierusalem,heu, sero! quia non fuit qui adjuvaret; nec immunes nostræ mortis eritis, quia advocati succurrere noluistis.Nil vero jam nobis restat nisi mortem subire, aut,si licuerit,fugiendo mare transire (quod absit!). Quid agendum sit, attendite.Si enim clamorem nostrum non audissetis,aut nuntios vel chartas nostras non vidissetis,forsitan aliquam excusationem haberetis; sed amodo qualem? Venite,venite.Quicunque C in nostrum auxilium venerint,omnium peccatorum, unde pœnitentiam acceperint, vincula auxilio Dei relaxamus, et imponimus super humeros Agni qui tollit peccata mundi. Quanta benedictione qui venientes, aut venire volentes adjuvant,aut eis sanum consilium veniendi dant, aut eorum causas in pace custodiunt, sunt replendi, perpendite; quanto vero gladio anathematis disturbatores aut causarum eorum raptores sunt feriendi,ut justus judex,animadvertite. Valete. »

CAPUT XXIX.

De discordia et reconciliatione archiepiscopi et reginæ.

Eo tempore regina U. venit in Gallæciam, ut quorumdam principum rebellionem obtunderet, et Gallæciam œstro discordiæ accensam sedaret. Cepit D itaque comitem M. et compedibus coercuit, donec, per manum prædicti Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopi, castella ei reddidit, et pecunias exsolvit immensas. Post hæc regina Compostellæ diutius moræ indulgente discordiæ scintilla cœpit pullulare inter archiepiscopum et reginam. Aiebant enim quod regina doloso machinaretur captionem vel necem archiepiscopo, si posset. Hujus rumoris causa archiepiscopus armata militum ac civium manu circumvallabatur. Hujus doli argumenta quidam de familia reginæ, cum forte aulæ secretiora, utpote intestinus adisset, audierat, et ea cuidam præcordiali suo de familia archiepiscopi serio nar-

raverat. Cum autem fama super hoc crebresceret, quæsitum est a quibus tanti mali incendium exortum fuisset. Tunc prosiluit in medium ille de familia archiepiscopi, miles videlicet, et quid, vel a quo, vel qualiter audisset patefecit; quippe malebat prodere consilium quam dominum. At ille qui regii doli argumenta prius propalaverat, videns pœnam merito sibi adhibitam, si accusatori suo assensum præberet, et tanti facinoris auctorem se profiteretur, cœpit attentius detestari et jurare se nunquam talia protulisse. Quid plura? Non imperante archiepiscopo, sed neque prohibente, duellum inter eos judicio reginæ commissum et potito denique archiepiscopali milite victoriæ triumpho, et reginæ milite (cassatis archiepiscopi precibus) juste excæcato, quod antea de proditione sub velamine referebatur, remota suspicione revelatum palam habetur. Regina tamen quibuscunque modis poterat se talia nec molitam fuisse nec voluisse asserebat. Tunc ut nebulam quæ inter se et archiepiscopum erat funditus removeret, precibus supplicare cœpit archiepiscopum, adhibitis sibi adjutoribus Henrico abbate S. Joannis de Angliaco, et Stephano Cluniacensi camerario, magnæ scientiæ atque auctoritatis viris. Per hos regina pacis confœderationem inter se et archiepiscopum reformari anhelavit. Sciebat enim quod, nisi per archiepiscopum, Gallæciæ regnum nullatenus habere poterat. Propterea, tam pro se quam per dictos coadjutores, quam per alios, satagebat quatenus archiepiscopi patrocinio nequaquam careret. Horum atque aliorum supplicationibus interpositis, archiepiscopus reginæ precibus condescendit. In præsentia itaque ac testimonio abbatis Angliacensis, atque camerarii Cluniacensis, qui tunc temporis Compostellæ aderant, regina concordiæ fœdus cum archiepiscopo stabiliendo sanxit, et se ei fidelem et amicam coram prædictis testibus fore spopondit; et addidit quoque prædicto archiepiscopo totius Gallæciæ dominium. Omnes principes suos ei hominium facere jussit, et ita factum est. Profecto ex præcepto reginæ Arias Petrides, princeps Lupariæ, Fredenandus Joannis, Veremudus Suarizi, Joannes Didacides, cæterique principes Gallæciæ, fecerunt hominium prædicto archiepiscopo et S. R. E. legato, et se et sua ejus dominio fideliter supposuerunt, hunc dominum, hunc patronum, hunc regem, hunc principem, salva fidelitate reginæ cujus nutu hæc fiebant, sibi proponentes. Addiderunt et quod si regina injuriam vel violentiam in archiepiscopum facere præsumeret, omnes, prout eis præcepisset archiepiscopus, rebelles reginæ adversarentur, et fidele hominium archiepiscopo exhibentes fideliter obsequerentur. Quod ita fore ab eis jurejurando sancitum est. Precibus quoque reginæ hujus fœderis conditioni additum est quod si regina horum rea quolibet dolo haberetur, abbas Angliacensis, et camerarius Cluniacensis, utpote tantæ reverentiæ tantæque scientiæ personæ, domino papæ, abbati Cluniacensi, episcopis, regibus, atque principibus terræ tanti fœderis seriem tantæque proditionis abhorrendum facinus proclamarent, ut universos reginæ, utpote tanti fœderis violatrici, infestos facerent. Ipsius quoque reginæ compulsi precibus idem fœdus sanciendo fidei osculum dederunt archiepiscopo, paciscentes, si regina hujus fœderis rea foret, quibuscunque modis possent, tot quam pro seipsis tantum nefas ulcisci anhelarent, et archiepiscopo auxilium pro posse suo præberent.

CAPUT XXX.

De destructione castelli Ranetæ, et alterius in ripa Issi.

Ex hoc autem fœdere inter archiepiscopum et reginam, fidelitatis atque amicitiæ gratia adeo convaluit, quod Gallæciæ regnum a rebellium tyrannorum rabie archiepiscopus eripuit. Castella quoque, quæ Ecclesiæ B. Jacobi inutilia et reginæ infesta erant, fundo tenus diruit. In Taberolo namque Federnandus, Petri consulis filius, castellum, nomine Ranctam, composuerat; cumque B. Jacobi ecclesiæ in quibusdam adversaretur, ab archiepiscopo dirutum est. Præterea comes M. qui per manum archiepiscopi reginæ evaserat vincula, regni ambitione accensus, quod reginæ captione coactus dederat, pronus ad omne nefas adipisci nitebatur; Castellam (128) itaque, atque Deciam, montem Rosum, Lemavos, horumque affinia, guerræ stimulis inquietabat; quorum quidem non modicam partem violenter adeptus est. Composuit quoque castellum in ripa Issi, quod honori B. Jacobi et publicæ viæ iter agentibus, quasi latro in silva, insidiabatur, utpote prædonum atque latronum domicilium. Cum autem inter reginam et filium ejus regem A. pacis atque dilectionis fœdus archiepiscopi instinctu restauraretur, causa comitis M. exstirpandi rebellionem, mater cum filio Gallæciam adiit. Deinde deprecatorias archiepiscopo litteras direxerunt, quatenus ad edomandam prætaxati tyranni sævitiam, auxilii manum porrigeret. Archiepiscopus itaque collecta Compostellæ civium multitudine, adscitis Gallæciæ principibus qui ejus dominio suberant, cum innumero militum atque peditum, castellum in ripa Issi obsessum atque destructum properat: quod effectu nequaquam caruit. Eadem namque die qua obsessum est, Compostellani crebro assultu expugnantes, nec vulneribus armorum lapidumve cedunt, nec obsessorum audaciæ parcunt; instant, irruunt, et sanguinem obsessorum sitibundi requirunt. Tandem, sauciatis atque peremptis intus quam pluribus, Compostellani uno impetu portas et muros castelli irrumpunt, et castellum ingrediuntur; hostes capiunt, eorum spolia diripiunt, et castellum funditus destruunt. Hujus rei eventum archiepiscopus cæteris Gallæciæ principibus dedit in exemplum, ne castella prope honorem ecclesiæ B. Jacobi

(128) Territorium scilicet in Auriensi diœcesi ita nominatum

ædificare præsumant, neve cui obsequi debent, rebelles existant (129).

CAPUT XXXI.

De posterioribus juramentis factis contra priora.

Quoniam regina prædictum Compostellanæ sedis archiepiscopum et S. R. E. legatum posteriora prioribus contraria toties sibi facere coegerat juramenta, duxit operæ pretium a papa Calixto hujusmodi litteras habere, quæ etiam priora sancirent, et posteriora, utpote violenter extorta juramenta irrita haberi facerent.

De confirmatione prioris juramenti et cassatione cæterorum.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Egregiæ memoriæ Ildefonsus rex, » etc. *Vide in Calixto, Patrologiæ tom.* CLXIII, *sub num.* 84.

CAPUT XXXII.

Consilium B. Romani cardinalis.

« Bosso, S. R. E. cardinalis, apostolicæ sedis servus et legatus, D. Compostellano A., salutem.

« Visis dilectionis tuæ litteris, et auditis Portugalensis episcopi verbis, sicut nobis retulit peroptamus ; sed summopere tibi cavendum est ne inconsulte incipias, quia undique tibi parantur insidiæ. Quocirca nostro potissimum utere consilio, sicut venerabilis frater noster Portugalensis episcopus ex nostra parte sibi significabit. Crucem vero quam ut nobis fieri faceres, tibi per eum mandavimus, te ut diligenter et cito fiat, multipliciter rogamus. Ut autem concordiam et pacem cum regina facias consilium damus, salvo tamen ordine tuo atque honore. Quod vero tibi mandavimus ut legatos ad concilium mitteres, ideo facimus ut consilium, quod per Portugalensem tibi dirigimus, per eos intimaremus. Vale. »

CAPUT XXXIII.

De amicitia D. (130) *Romani cardinalis.*

« DIDACO, S. Jacobi Dei gratia revendissimo archiepiscopo, cunctis vitiis inimico, D. S. Laurentii in Damaso card., salutem puramque amicitiam.

« Quantum vestræ dignitati, dilectissime domine, fidelis in omnibus exstiterim, et proficuo vestro diligentissime studuerim, quamvis corporali sejungar absentia, et devote studebo, dum vixero, incognitum non esse vobis existimo, ex quo in sancto contubernio vestro me fratrem annumerare dignati fuistis. Nunc autem quia quodam spatio terrarum dividimur ad invicem, et facies vestras diu desideratas videre nequimus, de sospitate vestra aliquid intimare litteris remissis non dedignemini, et negotia vestra, quibus consilia vel auxilia subministrare potero, canonico vestro mittere non pigritemini, quoniam operam libentissime dabo. Præterea quemadmodum frater fratres et canonicus canonicos, sicut amicus amicos, suppliciter exoro ut illud quod vobis commisi, pro solita vestra benignitate A erga me, faciatis per hujus chartulam delatorem, et pro dilectione nostra sibi faciatis honorem. Petrum cardinalem et Robertum Salernitanum saluta. »

CAPUT XXXIV.

De amicitia P. Clun. abbatis.

« Reverendissimo totisque visceribus amplectendo Patri domino D., S. Jacobi archiepiscopo et S. R. E. legato, frater P., fratrum Cluniacensium servus indignus, devotissimæ voluntatis obsequium, et fideles orationes.

« Vestra fidelis devotio et sincera dilectio quam erga nos habetis, multum nos vobis efficit debitores ; referunt namque nobis fratres nostri a vobis venientes, quoniam nos semper in corde et in ore vestro sumus. Qua de re rogamus ut B omnipotens Deus, qui cordi vestro hanc inspiravit voluntatem, precibus et meritis beatæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et B. Jacobi, ante cujus sacratissimum corpus præsidetis, facultatem vos videndi nobis concedat, et, antea quam de hac vita exeamus, nos ore ad os loqui permittat. Itaque, tam nos quam cuncta congregatio nostra, in orationibus et eleemosynis et in cæteris beneficiis vestri memores semper sumus, et vobis omnipotens Deus, auctor pacis et amator, pacem et prosperitatem concedat suppliciter rogamus. Scire autem volumus quoniam loco charissimi fratris nostri domini Dalmacii, de cujus desolatione multum dolemus, præsentium latorem domnum Hugonem, quem plurimum diligimus, ad vos direximus, per C quem etiam, quoniam præcordialissimus noster est, omnem opinionem placitæ voluntatis vestræ nobis mandare poteritis. Christus Jesus pontifex summus pontificium vestrum in pace gubernare et sublimare dignetur. Valete. »

De amicitia G. ducis Aquitaniæ, et de cæteris.

« G. (131), Dei gratia dux Aquitanorum, JACOBITANO archiepiscopo, gloria et honore coronari.

« Prudentiam vestram nolo lateat quia regina nihil omnium quæ coram vobis, et, ut scitis, se facturam mihi promisit, exsecuta est ; quare repatriare festinavi. In reditu autem ad vos venire et vobis loqui non ausus fui, tum ipsius reginæ, tum regis Aragonensis metu ; quod ægre passus sum. Nunc autem pervigilem vestri curam, quem multum diligo, quod D re ipsa experiri poteritis, qui omnes quos Hiberia continet vestri ordinis dignitate et potentia præcellitis, rogo ut Dei primum et mei gratia, et quia justum est, reginæ filium sustentetis et defendatis, et ne exhæredetur faciatis. Relatum est enim mihi quia rex et regina pacificati sunt et, ut eum perdant, confœderati. Nunc igitur æternam gloriam vobis in orphano illi opitulando acquirite, et de hoc ipso cum Petro Gallæciensi comite et omnibus prædicti pueri amicis loquimini ; et si communicato nostri et eorum consilio eum defendere volueritis, laudo ut in

(129) Hic nescio qua exscriptorum oscitantia intrusum pactum Mauritii Bracarensis positum lib. I, cap. 81, num. 3, pag. 145.

(130) Deusdedit, de quo supra, cap. 8.

(131) Guillielmus VIII, Aquitaniæ dux.

manu vestra et custodia remaneat. Si autem evidentia vestra viderit eum nec refugium nec auxilium illud habere posse quomodo securus sit et in honore, amicitiam vestram supplex deprecor, ut eum mihi navigio mittere satagatis. Ego enim, si vixero, ut avi sui hæres sit faciam. Quare de duobus istis, scilicet, utrum eum manu tenebitis et protegetis, donec veniam, an, audito illorum quos dixi consilio, videns non bonum eum apud vos esse, mihi mittendum disponetis, scripto mihi citissime resignate. Vigeat dignitas et probitas vestra. »

Item de amicitia B. Romani cardinalis.

« Bosso, S. R. E. cardinalis et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri et amico suo charissimo D. S. Jacobi archiepiscopo, salutem.

« Familiarissimam nobis amicitiam vestram, Romanæ Ecclesiæ, nobis, satis utilem et honestam esse comperimus. Idcirco eam intima charitate et celebri memoria retinemus. De liberalitate vestra, charitate et reverentia a vobis B. Petro et nobis exhibita, per nuntium nostrum fidelia præconia domino papæ mandavimus. Quod valde gratanter dominus papa suscipiens, sicut clericus vester Laurentius, qui curiæ intererat, vobis referre poterit, coram omni curia sua abunde gratias retulit, et circa vos et circa Ecclesiam vestram totius benevolentiæ benignitatem se exhibiturum promisit. De laboris nostri et exercitus Dei processu, sed et de concilio quod apud Tolosam in Dominica Sexagesimæ (132), Deo annuente, celebrare disponimus, venerabilis frater noster Magalonensis episcopus has vobis litteras deferens, sicut familiaris noster nobis familiariter referet; pro quo rogamus ut reverentiam et obsequii gratiam illi nostra charitate exhibere curetis, per quem etiam cum redierit, omnem voluntatem vestram, et quidquid solertiæ vestræ ex nobis placuerit, per litteras vestras nobis intimari rogamus. »

Litteræ quas misit Flandrensis comitissa archiepiscopo pro nepotibus suis.

« Archiepiscopo S. Jacobi speciali domino suo, C. Flandrensium comitissa, salutem cum dilectionis obsequio.

« Prosperitate si fruimini, vobiscum gaudeo; adversitatem vero si quam patimini, vobis condoleo. Ait enim Apostolus: Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus (*Rom.* XII, 15). » Multimodas, dilecte domine, grates nobilitati vestræ confero in hoc quod filios (133) fratris nostri comitis R. ut relatum est mihi, admodum, ut exigit adolescentia eorum, et ut competit notabilitati vestræ, benigne et misericorditer educatis. Nunc exoro bonitatem vestram, quatenus quidquid circa pueritiam eorum existit, si placet vobis, per scriptum nobis notificetis.

CAPUT XXXV.

Consecratio M. Spinarensis electi in abbatem.

Eodem tempore Martinus, S. Andreæ Spinarensis monasterii electus, quod in Astoricensi situm est diœcesi, ad Compostellanam venit Ecclesiam, ut a prædicto archiepiscopo et S. R. E. legato consecraretur in abbatem. Nempe Astoricensis episcopus in prædictum inimicitias exercebat electum; ob hoc ejus electionem cassari, et eum ecclesiastica astruebat prælatione indignum. Sed electus ad Compostellanam convolavit Ecclesiam. Tunc archiepiscopus, ne quasi injuriam videretur inferre Astoricensi episcopo, misit ad eum litteras suas, quibus Spinarensis electi adventum, adventusque causam significavit. Denique addidit si Astoricensis episcopus, aut alius, sive clericus, sive laicus, prædictum haberet impetere Spinarensem electum, determinato tempore archiepiscopi adiret præsentiam, ibique utrorumque causa justissime examinaretur. Sed cum ad electi impetitionem neque episcopus, neque alter accessisset missis tamen ab episcopo ne consecraretur litteris, quia nemo per litteras accusat, a prædicto archiepiscopo et S. R. E. legato supradictus electus consecratus est in abbatem.

CAPUT XXXVI.

De adventu reginæ in Gallæciam.

Idem archiepiscopus, per eadem tempora, reginam tam per litteras quam per nuntios sollicitavit ut in Gallæciam rediret. Conflaverant enim quidam principes, discordiæ potius quam pacis amatores, rebellionem in reginam et in ejus fautores. Construxerant quoque municipia, et prout vires eis suppeditabant, concordiam vertebant in discordiam. Cæterum archiepiscopus usquequaque illis oppositus effrenem illorum audaciam tutudit, et pacem, quanto magis potuit reformavit. At ubi regina cum filio suo (tunc temporis enim pacis fœdere connectebantur) venit in Gallæciam archiepiscopus cum exercitu suo et cum Compostellanis castellum quod comes Munio in ripa Issi construxerat, obsedit et destruxit; nec non cætera castella quæ tyrannica ejusdem comitis vel aliorum tenebat rebellio, capta, et quædam destructa sunt. Tandem regina venit Compostellam cum filio suo et cum Gallæciæ principibus.

CAPUT XXXVII.

De adventu B. cardinalis Compostellam, et de consecratione Abilensis electi.

Quo tempore Bosso S. R. E. cardinalis et legatus, B. Jacobi limina visitavit et ab archiepiscopo, prout decet, honorifice susceptus est, et cum eo G. Lascurrensis episcopus. Huc quoque cæteri confluxerunt episcopi, videlicet P. Bracarensis, A Tudensis, D. Auriensis, P. Lucensis, M. Minduniensis, H. Portugalensis, P. Segoviensis, S. Abilensis electus, ut a prædicto Compostellanæ sedis archiepiscopo, utpote suffraganeus ejus, consecraretur in episcopum; de

(132) Dies omnino diversus ab altero concilii Tolosani vulgati; annus præcipue. Innuit ergo Bosso cardinalis Tolosanum concilium aliud post annum 1119, de quo solum apud AA. mentio.

(133) Alfonsum scilicet et Sanciam, Raymundi comitis et Urracæ filios.

cujus electione,quoniam illum sorte fuisse electum aiebant,cum diutius tractaret, et coram tot idoneis sanctæ Ecclesiæ columnis diffiniret, adhibito prædicti S. R. E. cardinalis et legati assensu, supradictus electus a Compostellano archiepiscopo et cæteris episcopis consecratus est in episcopum. Qui cum consecraretur, hanc promisit obedientiam Compostellanæ Ecclesiæ ejusque archiepiscopo: « Ego Sancius, Abilensis Ecclesiæ ordinandus episcopus, subjectionem,et reverentiam et obedientiam,a sanctis Patribus constitutam, secundum præcepta canonum Ecclesiæ Compostellanæ rectoribusque ejus in præsentia domini archiepiscopi D. perpetuo me exhibiturum promitto,et supra sanctum altare propria manu firmo. »

CAPUT XXXVIII.

De concilio apud Sanctum Facundum celebrando.

Post ejus consecrationem Romanus cardinalis et legatus, Compostellanus archiepiscopus et legatus cum cæteris episcopis, regina et filius ejus rex A. cum Gallæciæ principibus de statu sanctæ Ecclesiæ et Hispaniæ regni admodum pertractaverunt; ad cujus rei dispositionem sanctius confirmandam, eumdem cardinalem apud S. Facundum, octavo Kal. proximi Septembris,concilium celebraturum statutum est. Ad quod concilium omnes episcopi et abbates a Burgis usque ad Oceanum vocati sunt. Sed cur S. Jacobi archiepiscopus, cæteri complures, ab hoc consilio se absentaverit, sequentia indicabunt.

CAPUT XXXIX.

De fœdere archiepiscopi et reginæ.

Inter prædictum Compostellanæ sedis archiepiscopum S.R.E. legatum et reginam U. quanta concordiæ fœdera sæpius jurejurando sancita fuerint, paucis sæpius perstrinximus: timore namque et suspicione ne muliebris animus ad solita arma, scilicet ad fraudem,convolaret,archiepiscopus titillans inter se et reginam fœdera pacis iterum atque iterum juramentis renovaverat, et renovata confirmaverat. Hoc modo omnes fere Gallæciæ,Campaniæ et Castellæ principes illexerat,et eos jurerando sibi obligaverat,si regina prædictum archiepiscopum vel caperet vel ab honore expellere tentaret,omnes qui jurejurando ne hoc fieret sanxerant,unanimiter archiepiscopo opitularentur,et reginæ adversarentur. Verum quis in Gallæcia veri et sancti amator? Quis justitia cæterarumque virtutum ibi sectator? Ibidem fere omnes comites fortunæ virtutum contraria sectantur,pauci admodum qui fideles habeantur; non est qui sectetur bonum, non est usque ad unum. Quorum perfidiam expavescens archiepiscopus, et quantum suæ possibilitatis erat præcavens in futurum,En. Angliacensem abbatem ipsius reginæ contribulem et S.Cluniacensem camerarium acceperat hujus fœderis testes, et fide data confirmatores (134). Quidam quoque Cluniacensis monachus, Girardus nomine, nuper inter archiepiscopum et reginam sanxerat fœderum connexiones, adeo quod archie-

A piscopum reddiderat de timido fortem, de suspecto constantem. Quid non audet muliebris vecordia? Quid non præsumit serpentis versutia? Quid non aggreditur sceleratissima vipera? Quid audeant,quid præsumant, quid aggrediantur muliebria figmenta, Evæ protoparentis nostræ satis indicant exempla. Ruit in vetitum audacissima mens muliebris; sacrosancta violat, fasque nefasque confundit.

CAPUT XL.

Quando archiepiscopus precibus reginæ ivit in Portugaliam.

Cum itaque prædicta regina ad contundendas sororis suæ reginæ Portugaliæ vires, Tudem ire disposuisset, supradictum archiepiscopum, utpote dominum et patronum suum, utpote fidelissimum B adjutorem et protectorem suum, blandissimis aggreditur precibus, ut secum illo ire non recuset, ascito sibi exercitu suo et Compostellanis. Difficile quidem erat Compostellanos contra legis et plebisscita sua Tudem usque in expeditionem compellere. Sed tamen condescenderunt archiepiscopi precibus ac muneribus,et cum eo omnes usque Tudem venerunt. Hoc autem archiepiscopus attentius laboravit fieri, ut et reginæ fidele et utile exhiberet obsequium,et debellatis ejus hostibus pacem reformaret Gallæciæ. Nempe Portugalensis regina Tudem et circumquaque olim invaserat,sibique ea mancipaverat. Quæ ut novit adventum Compostellani archiepiscopi et reginæ,ejusque exercitus,extemplo coadunato exercitu suo castrametata est in altera ripa Minei. Hinc exercitus archiepiscopi et reginæ con-C sidebat,illinc Portugalensium. Tunc archiepiscopus: « Si Portugalensium, inquit, exercitum invadendi nobis detur copia, victoria est in manibus nostris. Cæterum Mineus utrumque disterminat exercitum, et hostibus nostris est tanquam murus. Quare Compostellani et Irienses navigio tentent fluvium superare, et insulam quæ Portugalensibus habetur propior (erat enim in medio fluminis insula) præoccupare festinent: alii navibus, alii natando superent fluvium.» Hoc consilium profecto placuit reginæ et principibus ejus; nec mora, Compostellani et Irienses cum electissimis militum naves conscendunt. Portugalensium,quæ per Mineum discurrebant, invadunt carinas,et prædictam insulam audaci occupant congressu. Quod ut vident Portugalenses admirati D effrenem Compostellanorum audaciam, castra deserunt et in fugam versi sunt. Tunc exercitus archiepiscopi et reginæ fluvium transmeant,et Portugaliæ fines ingrediuntur, seseque ad prædam accingunt. Quid plura? incendunt,rapiunt, et terram hostium hostiliter invadunt. Tandem archiepiscopus ut cum Compostellanis ad urbem suam redeat reginam compellat. « Postquam,inquit, nostrorum superavimus acies inimicorum, ac superatas dispersimus, postquam Portugaliæ fines præter spem ingressi sumus, res ipsa exigit ut cum Compostellanis ad propria prevertar; mea namque non interest rædis atque

(134) Supra c. 29.

incendiis interesse. Oportet ut ecclesiasticis [rebus] operam adhibeam. Ad hæc regina : « Sanctissime, inquit, atque reverendissime Pater et domine, tuum consilium atque auxilium ad tantam nos promovit palmam victoriæ, quod et nostra recuperavimus, et quæ inimicorum fuerant possidemus : sola tui præsentia perterrefacit, et enervat nostrorum potentiam inimicorum. Quod si ad propria revertens te absentaveris, profecto nobis timendum est. Etenim inimici nostri vires resument, et victoriæ nostræ finis erit inglorius. Compostellani (non est enim civium diutius in castris morari) redeant ad propria ; tui consilii et auxilii præsens nos dextera protegat et tueatur. » His atque aliis reginæ precibus condescendit archiepiscopus, et reversis Compostellanis remansit in Portugalia cum militibus suis ; ad quem B. S. R. E. cardinalis et legatus eo tempore hujusmodi direxit litteras :

CAPUT XLI.

Invitatio ad concilium.

« Bosso, S. R.E. cardinalis et legatus, venerabili fratri et amico charissimo D. Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopo, salutem.

« Dilectionis vestræ litteris gratanter acceptis de prospero regis et reginæ eventu omnipotenti Domino gratias agimus : de industria vestri quoque, jure, consilio et auxilio circa eosdem ad honoris vestri augmentum noster accenditur animus. Præterea memoriæ non excidat quod de disponendis negotiis ecclesiasticis, et emendandis tot in partibus Hispaniæ enormitatibus ad B. Jacobi et vestrum specialiter consilium accedentes, concilii locum et diem statuimus. Ad quod, sicut præsentialiter ore ad os, ita quoque præsentiam vestram litteris præsentibus auctoritate apostolica invitantes, rogamus et in fidelitate Romanæ Ecclesiæ exhortamur ut ab eodem concilio nulla unquam occasio vos retentet, scientes quod si vos non adesse contigerit, et concilium per vestri absentiam [cassum] remanserit, vobis tantum Ecclesiæ detrimentum procul dubio ascribetur, et in futurum vobis hoc obesse timemus. Burdinum, a domino papa captum (135) et Romam, sicut meruit, deportatum, ab his qui se vidisse testantur audivimus. »

CAPUT XLII.

De captione archiepiscopi in reditu a Portugalia.

Post hæc non modica parte Portugalia vindicata, archiepiscopus et regina obsederunt ipsam Portugaliæ reginam in castro, nomine Laniosio, et castra usque ad Dorium protenderunt. Illis quoque diebus idem archiepiscopus recuperavit in Portugalia honorem B. Jacobi, scilicet Bracaram, medietatem Cornelianæ, et cætera, et recuperata distribuit villicis suis. Archiepiscopo Compostellano in Portugalia morante in castris fama mali præsaga futuri murmurabat reginam U. machinari captionem archiepiscopo. Quod cum plurium instillatione audisset archiepiscopus, utpote tantum tamque abominabile nefas, credere abhorruit. Ipsa quoque Portugalliæ regina ei per nuntios suos indicavit captionem et modum captionis, inquiens : « Caveat sibi archiepiscopus ; etenim nisi caverit, soror mea procul dubio capiet eum. Quia intimi qui hujus consilio interfuerunt facinoris, ipsi mihi ejus enucleaverunt modum captionis. Quapropter ad quodlibet eorum, ne capiatur, confugiat castellorum. Sin autem in navibus meis ad suam repedet civitatem ; alioquin ex quo Mineum transmeabit, mancipabitur captioni. » Hæc et his similia cum audisset archiepiscopus, noluit animum ad hæc credenda inducere, neque obsequio reginæ se absentare ; sed ait : « Regina, ut a me hanc suspicionis removeret nebulam, multis pacis ac dilectionis fœderibus jurejurando confœderata est. Præterea inter me et se tot tantosque hujus fœderis adhibuit testes et compactores, quod insani est animi talia credere. Sane ubi sanxi cum ea fœdus concordiæ, obnixe et fideliter ei famulatus sum, et famulabor. Quare ergo in tantum prorumpet facinus ? Quare opus Judæ Iscariothidis incurreret ? Quare Deum et homines sibi infestos redderet ? Quod si habet pro constanti in me manus injicere, et, tanquam secunda Jezabel, persequi utriusque terrarum Ecclesiæ membra, en melius est me sine culpa incidere in manu ejus, quam fœdera, quæ cum ea stabilivi, videar transgredi ; potens est enim Deus me liberare de manibus ejus. » Tandem archiepiscopo et regina cum exercitu suo a Portugalia revertentibus, ventum est Limiam, et per Cellamnovam ad Castellam, quæ est in ripa Minei. Tunc regina, utpote doli artifex, magistra sceleris, præcepit diluculo milites archiepiscopi Mineum transmeare ; ipsa vero cum rege filio suo et cum archiepiscopo post remansit ; hoc autem machinabant ne, cum manus injiceret in archiepiscopum, milites tanto facineri possent contraire.

Itaque ut Mineum transmeavit exercitus, et in altera fluminis ripa tentoria posita sunt, statim prædicta Jezabel in Compostellanæ sedis archiepiscopum et S. R. E. legatum manus injecit. Proh nefas ! Nil veretur, nil erubescit mens pestifero illita veneno, nil abominabile refugit. Primo archiepiscopus ne tantum aggrederetur nefas, nec sic a fide et veritate exorbitaret, cœpit eam admonere. Cæterum « In malevolam animam non intrabit sapientia (*Psal.* I, 4) ; » et : « Qui nocet noceat adhuc, et qui sordescit sordescat adhuc (*Apoc.* XXII, 11). » Audita archiepiscopi nefandissima captione, mox archiepiscopus Bracarensis et episcopus Auriensis qui cum eo erant, perterrefacti fugam iniere. Hujus sceleratissimæ proditionis habuit regina complices et coadjutores comitem Rodericum, qui perendie Hierosolymis redierat, Fredenandum Joannidem, Joannem Didacidem, Joannem Ramiridem, Odoarium Ordonidem, Ariam Petridem, et cæteros, qui omnes ab archiepiscopo tenebant præstimonia dato juramento se fore amicos ejus et fideles ; fecerant insuper archi-

(135) Mens. April., anno 1121.

episcopo hominium hoc modo: Si regina in eum injicere manus, vel expellere ex honore præsumeret, omnes unanimiter, cum quibuscunque possent archiepiscopum, utpote dominum et patronum suum, adjuvarent infestis reginæ. Quantum in clericos, et in milites, atque in famulos archiepiscopi prædam hac dehonestationem fecerint proditores, ex ipsius capitis quilibet potest concipere læsione. Capti sunt cum archiepiscopo tres fratres ejus Munio Gelmirides, Petrus, et item Petrus, et alii complures. Captus est etiam cum eo Veremundus Suarides.

Deinde ducitur archiepiscopus ad castellum Joannis Didacides, nomine Orzilionem, et adhinc sub tutela ejusdem Joannis, remotis jam a se clericis et militibus suis, exceptis duobus aut tribus, transfertur ad castellum nomine Ciram: hoc siquidem prædictus Veremundus licentia archiepiscopi et B. Jacobi canonicorum in terra ejusdem apostoli construxerat: sed nunc captione coactus reginæ contulerat. Postquam rumor tanti sceleris Compostellam pervolavit, et in festivitate S. Mariæ Magdalenæ cum missarum celebrarentur solemnia universorum animos concussit. Quantus mœror, quanta mœstitia in ecclesia B. Jacobi fuerit, meus utique stylus non sufficit enarrare. Confestim tota civitas convolat ad ecclesiam, flent, ejulant tantam in Dominum et in archiepiscopum suum fraudem intentam, reginam apostatricem, pacis et fidei violatricem et totius Hispaniæ perturbatricem appellant. Quidam, nisi absolvat archiepiscopum, propemodum ei minantur. Coadunatis denique clero et populo in unum consulitur, et ad reginam ex communi consensu quatuor ex canonicis et totidem ex civibus delegantur, sciscitaturi quare archiepiscopum ceperit, vel super ejus libertatem quid animi habeat. Sed cor ejus, tanquam cor Pharaonis, induratum est. Sitit pecuniam, sitit et anhelat cruenta ejus rabies perdere B. Jacobi honorem. Sed Deus protegit sperantes in se. Postquam clero et populo Compostellæ renuntiatum est quid animi haberet regina circa archiepiscopum, statim canonici conveniunt in canonicam; astringunt se juramento ad liberationem archiepiscopi omnimode se elaboraturos et tam hæreditates quam facultates, si necesse sit, pro eo daturos. Quod etiam laicos ad idem valde animavit. Quis lacrymas totius civitatis enumeret? Quis gemitus et obsecrationes quotidie in ecclesia pro archiepiscopo dicere sufficiat? Quis clerum ad populum in mœrore etiam et angustia fuisse nesciat? Omnia plena lacrymis, omnia desolata, omnia pastore viduata videres.

Postquam regina nocte Compostellam ingressa est altera die in qua erat solemnitas B. Jacobi, omnes canonici, deposito vultu et habitu solemni, nigris induti sunt cappis, et tristitiam repræsentantes lugubriter se habuerunt; quod valde fuit molestum reginæ ejusque complicibus. Siquidem tantus cleri ac populi tumultus in apostolica sæpe fiebat ecclesia, quod tanti sceleris auctores pœnam in caput suum reversuram vererentur. Deinde canonici ac cives ingenti supplicatione et obsecratione adeunt reginam, ut quid de archiepiscopo sit responsura respondeat. Ipsa quidem jam adepta erat castella B. Jacobi scilicet Honestum, et S. Mariam de Lanzada a Munione Gelmiride fratre archiepiscopi, quem cum archiepiscopo cœperat. Tunc Jezabel clero ac populo quasi satisfaciens respondit: « Ecce, inquit, cum archiepiscopo placet fœdus inire, et ejus liberationem diffinire, videlicet aut de omnibus, de quibus eum in causam vocavero, archiepiscopus mihi affatim respondeat et satisfaciat, aut suæ captionis calumnia suo et canonicorum juramento sepulta misericordiæ meæ attendat examinationem. Horum unum eligat; alioquin in tempore captioni mancipetur. Hoc autem dolose aiebat, ut interim ad castellum S. Mariæ de Oteres (135) eum transferri faceret, et honorem B. Jacobi fundo tenus pessundaret; canonicos etiam et cives alios vinculis mancipandos, alios omnibus exspoliandos facultatibus, alios ab ecclesia expellendos satagebat. Hujus bipartitæ rationis relatores canonici cum civibus mittuntur ad archiepiscopum, quibus vetuit regina ne de cæteris cum archiepiscopo haberent colloquium, neve amplius quam prædictam bimembrem rationem cum eo loquendi eis daret licentiam. Insuper misit cum eis speculatorem, scilicet Fredenandum Petridem clericorum suum, qui et eorum interesset colloquio, et ne amplius minusve cum archiepiscopo miscerent colloquia perviderct. Ut autem archiepiscopus impiissimam reginæ examinationem audivit: « Opus, inquit, in his nobis est consilio. — « Porro, inquiunt ei, nec consilium nec colloquium amplius habendi vobis conceditur licentia. » Tunc archiepiscopus: « Omnipotens, inquit, qui contritos et contribulatos respicit, consilium et auxilium nobis administrabit. Hæc autem quæ mihi retulistis mala sunt, id est ut aut captioni mancipatus honore et rebus meis exspoliatus contra leges et contra canones cum regina ineam judicium; aut tanti sceleris quod in me perpetratum est, proclamatione juramento sopita reginæ adimadversionem, quasi misericordiam, indeterminate et sine replicatione suscipiam; quæ quidem misericordia impietas, imo scelus potius vocanda est. Qualem enim misericordiam circa sanctam Ecclesiam ejusque membra habeat, ne longe petantur exempla, hujus rei effectus in me perhibet testimonium. Horum igitur neutrum mihi utile est; non est enim sanæ mentis aut tanti sceleris in sanctam Ecclesiam perpetrati calumniam juramento contra canones sopire, aut manifestam Jezabel impietatem pro misericordia habere. » Dum hæc agerentur B. S. R. E. cardinalis et legatus misit has litteras archiepiscopo.

Consolatoriæ litteræ ad archiepiscopum in captione.

« B. S. R. E. cardinalis et legatus, venerabili fratri et amico, in Christo charissimo, D. Compostel-

(135) *De Autares*, ut lib. I, cap. 90, num. 3, prænotavimus.

lanæ Ecclesiæ archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, A salutem et liberationem.

« Captionis vestræ fama primum non credita, sed postmodum certa relatione audita, vehementi mœrore tristes existimus, nec minus de tam subita et inhonesta doli perpetratione miramur. Nos quidem super tanta B. Petri et Romanæ Ecclesiæ in persona vestra facta injuria, ecclesiasticæ ultionis justitiam exercere, statim ut audivimus, condigna animadversione voluimus; sed quibusdam amicis vestris et qui de hoc infortunio dolent non modice, quique de vestra liberatione spem habentes laborant, suadentibus, usque ad concilium hanc vindictam distulimus. De cætero in eo qui dixit: « Confidite, ego vici mundum (*Joan.* XVI, 33), » confidenter confidite; est enim et erit Ecclesiæ et vestra oratio ad Deum pro B vobis. Per latorem præsentium, vel per quemlibet vestrum, quid nos agere super hac causa velitis, cito scribite. »

De solutione archiepiscopi.

Interea reginæ filius rex A. proditiosæ archiepiscopi captioni, utpote qui eum baptizaverat et in regem unxerat, admodum condolens quomodo absolveret tractabat, tanto quidem sceleri interfuerat, sed nec prohibere potuit. Ipsi quoque parabantur vincula, sed peracta archiepiscopi captione. Cum comite itaque P. nutritore suo, et cum comite M. et quibusdam aliis Gallæciæ principibus colloquio habito, Compostella egressus est, eorumque castra, quæ in ripa Tamaræ fixa erant, adiit: quippe interse sicut prævidérant, si, rex a matre sua rebellio- C nis causa sejungeretur, volente, nolente regina, protinus absolveretur archiepiscopus; quod haud aliter fuisse indicat rei exitus. Postquam enim in Compostellana urbe nuntiatum est filium a matre discordiæ causa discessisse comitumque tentoria adiisse, statim maternæ tyrannidis ausus contritus et confusus est. Jezabel tanti sceleris rea cum complicibus suis ad B. Jacobi ecclesiam confugit. Sic rota fortunæ volvitur; animati exanimantur, exanimati animantur. Pars reginæ confunditur et trepidat; regis et archiepiscopi pars extollitur et exsultat. Quantus tumultus, quantus discursus, quantusve animus persequi homines reginæ, spoliare, capere, omnibus fuerit, etiam qui viderit vix enarrare sufficit. Concurrunt omnes in ecclesiam ad reginam, contumeliæ verba in eam jacientes, et nisi absolvat archiepisco- D pum majora ei minantes, omnes uno ore, una voce absolvi citius archiepiscopum unanimiter proclamant. Quid plura? Regina prorumpit in lacrymas; hinc metu, hinc proditionis suæ cassatione: jurat se coactam tantum nefas perpetrasse, et totius facinoris culpam in complices suos transfert. Exclamat archiepiscopum absolvi; et sceleratissimæ captionis auctores vinculis debere mancipari. Dum hæc ita se haberent, ecce Joannes Didacides, in cujus tutela archiepiscopus captus tenebatur. Hic, adductis secum quibusdam archiepiscopi contribulibus captis, venerat ad urbem, ut cum regina haberet colloquium, quomodo in proxima nocte archiepiscopus ad castellum S. Mariæ de Oteres (quod est in valle Carceris) captus duceretur. Sed aliter Omnipotentis pietas prædestinat fieri; aliter humani impietas generis fore opinatur. Igitur clerus et populus, Joannem circumvallantes, et quasi captum ducentes, quantocius reginæ intonant, ut, remota ambage, velit, nolit, archiepiscopum jubeat absolvi, alioquin ipsa cum Joanne periculo succumbat. Tunc regina coacta et nolens jussit absolvi archiepiscopum. Joanne itaque populi multitudine circumvento, et ne aufugiat juramento astricto, itur properanter illum absolutum.

Ergo regina cum complicibus suis nolente et coacta, absolutus est archiepiscopus. Quo ingrediente Compostellam, licet non diutius quam per octo dies captioni mancipatus fuisset, quantum tamen gaudium, quanta lætitia in universis fuerit, Maronis facundia referendo succumberet. Si quid est universi sexus et ætatis, veniunt ei obviam, et fusis præ gaudio lacrymis, patronum et archiepiscopum suum videre et alloqui sitiunt: quem paulo ante dolebant ablatum, jamjam restituto congaudent. Gaudet tota civitas, et quasi superata Charybdis naufragio tripudiat. Universus quoque clerus solemniter præparati cum summo processionis honore honorificentissime eum susceperunt. Ipse denique completa oratione ante apostolicum altare osculatisque fratribus, reginam intra altaris ambitum latebras habentem adiit, et ait illi: « Scio quidem, regina, quia pessimorum coacta consiliis, nefas hoc agressa fuisti; hoc me latet quam in hoc scelere causam habueris. Pius autem et misericors Dominus, apud quem nihil est impossibile, me ab hac liberavit captione; cujus exemplum imitando (ait enim: « Di- « mitte et dimittetur vobis [*Luc.* VI, 37] ») quantum mea interest, quod in me egisti, si pœniteas, tibi dimitto et condono. Det quoque tibi Deus animum ut castella B. Jacobi, quæ violenter et injuste a nostris extorsisti, nobis reddas, et nobiscum pacem habeas. » His ita peractis, postquam alter alterque dies processit, archiepiscopus cœpit reginam frequentius appellare, ut pacem secum iniret, et castella B. Jacobi redderet. Verum regina vehementer sitiebat pecuniam, et B. Jacobi castella retinere ardebat; hæc causa quare inter eos præcipue pullulaverit discordia, et maxima Gallæciæ pars guerrarum pessundata fuerit aculeis. Tamen archiepiscopus sæpius reginam interpellavit de pace et de concordia. Illa, ut est indomitus mulieris animus, nunc mille tam clericos quam laicos dari sibi requirebat juratores, nunc totius civitatis et suburbii clerum ac populum: nec hoc nec illud, quoniam immensæ non debatur ei copia pecuniæ, effectum habebat. Postquam archiepiscopus reginæ animadvertit animum, nec castella reddere, nec sine immensa pecunia posse eam sedari intellexit, protinus cum rege puero filio ejus pacem stabilivit, et ad recuperandum B. Jacobi honorem quanto magis potuit aspiravit. Præterea adscivit sibi plures Gallæciæ

principes, scilicet Petrum Froylaz, et Munionem, et Guterrem, et Gumez consules, Ariam Petridem, Lupariæ dominum, qui juramentum et hominium pro regina archiepiscopo fecerat et ob hoc et adhærebat, Veremundum Suarez et cæteros, insuper reginam Portugaliæ T. et comitem Fredenandum; hos et alios habuit archiepiscopus coadjutores ad recuperandum et ad tuendum B. Jacobi honorem. Interea S. R. E. papa Calixtus eidem archiepiscopo has direxit litteras:

CAPUT XLIII

De episcopis suspensis quia non interfuerant concilio, et de Bracarensi archiepiscopo a legatione subtracto.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Dignitatem et honorem, » etc. *Vide in Calixto II, Patrologiæ t.* CLXIII, *sub num.* 137.

CAPUT XLIV.

Familiares litteræ D. Romani cardinal. ad archiepiscopum.

« DIDACO, Dei gratia Compostellano archiepiscopo et S. R. E. legato, D. [DEUS DEDIT.] S. R. E. cardinalis, salutem et prosperitatem.

« Sciatis quod viso vestro nuntio ad modum gavisi sumus, et pro Ecclesia B. Jacobi, sicut decebat, cum sociis et amicis nostris multum laboravimus; de cætero vobis mando, sicut vester confrater, et per omnia vobis fidelissimus, quatenus amodo domino nostro C. et curiæ ita serviatis, ut et quæ obtinetis obtineatis, et quæ nondum habetis habeatis. Me autem pro Ecclesia B. Jacobi incessanter et fideliter laborare, ne dubitetis. De rebus meæ hebdomadæ, quam in potestate vestra dimisimus, rogo ut per primos romarios qui ad nos venerint, mihi mittatis. Petrum autem vestrum canonicum pro vobis et pro Ecclesia sua multum desudavisse in curia, ne dubitetis. Ob quam causam ut eum amodo chariorem habeatis rogamus. Valete. Per eum mihi vii aureos ad sedandam curiam, quam nimis iratam invenerat, accommodasse ne dubitetis. »

De amicitia P. Clun. abbatis.

« Reverendissimo Patri et in Christi charitate nobis conjuncto, domino. D. S. Jacobi archiepiscopo et S. R. E. legato, Fr. P. [Pontius]. Clun. fratrum servus indignus, devotissimæ voluntatis obsequium et fideles orationes.

« Charitas, quæ in corde vestro specialiter ardet, nequaquam erga nos et omnem congregationem nostram novit tepescere, vel frigescere, sed quodam nos semper præcipuæ dilectionis privilegio conatur diligere. Quamvis enim multarum tribulationum anxiemini, curis et sævissimis fatigemini guerris et cum innumerabilium curarum anxietatibus gloriosa mens vestra pulsetur, et reddatur anxia, ita tamen nos benignissimi ac devotissime pio amore specialiter amplectitur, utpote quæ in solidissima petra, quæ Christus est, firmiter est fundata, ut vos Pater charissime, præcordialiter ac singularem gaudeamus

A habere charum atque fidelem. Unde gloriosissimam celsitudinis vestræ humiliter ac sincere imploramus excellentiam, quatenus domum Dei et B. Petri apostolorum principis, cujus ministerium Deo auctore suscepimus, sicut jam amare cœpistis, diligenti instantia ametis, ac pietatis studio amando sustentetis, ut per ejusdem patroni intercessionem et meritum fructum æternæ mercedis possitis adipisci perpetuum. Et hoc quoque non ambigat veneranda nobilitas vestra nos omnino esse præcordialem ac singularem amicum vestrum, et in Christi charitate dilectionis vestræ conglutinatum atque complexum, et in orationibus atque in cæteris beneficiis nostris semper vestri memores sumus, et licet corpore a vobis absentes spiritu tamen sumus præsentes. Desideramus etiam, et, si Deus concesserit, omnino
B rogamus ut domum Cluniacensem quandoque per vos visitare dignemini, quoniam volumus vos videre et amplecti; optamus ut pariter nos videamus, qui pariter nos amamus, et tota congregatio nostra vestra sit, cujus vos totum esse beneficiis et devotione eximia ostenditis. »

Item prædictus card. ad archiepiscopum.

« D. Compostellano Dei gratia venerabili archiepiscopo, D. tituli Laurentii et Damasi S. R. E. cardinalis, indissolubile amoris vinculum.

« Quanta dilectione, quantaque diligentia missi negotii vestri, charissime, laboravimus, novitii nuntii satis narrare serio possunt. Mandamus itaque vobis ut, si quando negotia quælibet instant vobis, uti fratribus nostris mittere non pigritemini, quo-
C niam vestris semper imperatis sumus obedire parati, et sollicite curam de negotiis vestris quasi de propriis nostris quotidie gerimus. Vestram igitur benignitatem suppliciter exoramus, ut quod apud vos est de Hebdomada nostra, per hujus chartulæ delatorem, sive per alium fidelem nuntium mittere curetis, et ut hunc honorifice tractetis valde flagitamus. Præterea magnitudini vestræ, ut nostros dilectissimos fratres ex parte nostra salutetis, oppido supplicamus. »

Familiares litteræ Calixti papæ ad archiepiscopum,

« Calixtus episcopus, » etc.

« Miles iste, » etc. *Vide in Paschali II, Patrol.* t. CLXIII, *sub num.* 140.

CAPUT XLV.

D *De capitulis concilii apud Sanctum Facundum celebrati.*

« B. S. R. E. cardinalis et legatus, venerabili fratri et amico charissimo D., Compostellano archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, salutem.

« Litteris nostris per Portugalensem episcopum dilectioni vestræ directis, latore præsentium Romano milite a domino papa ad Sanctum Jacobum orationis gratia veniente, præsentes iterum litteras fraternitati vestræ transmittimus, ut per eum et vestram et pueri regis voluntatem, et esse domino papæ per nos referenda scribatis. Concilii nostri (136) apud S. Facundum capitula quæ per Portugalensem vobis

(136) Concilii, indicti, pro die 25 Augusti hujus anni 1121, ex c. 38.

transmisimus, ita per ditionis vestræ partes teneri et observari præcipite, quemadmodum in concilio sunt a nobis apostolica sanctione firmata. »

CAPUT XLVI.

De P. Bracarensi archiepiscopo facto canonico in Ecclesia B. Jacobi.

Circa id temporis P. [Pelagius] Bracarensis archiepiscopus venit Compostellam, hunc a Compostellani archiepiscopi legatione pro re ad tempus subtractum, prænotatum est [C. 43]. Missis namque clericis suis ad papam Calixtum, relatisque quodam versipelli argumento inter Compostellanum archiepiscopum et Bracarensem inimicitiis, pro re ad tempus ab ejus legatione, ut superius patet, Bracarensis subtractus est. Præcepit quoque papa eidem Bracarensi per litteras suas ut honorem B. Jacobi in Portugalia, quem prædecessor ejus M. Bracarensis archiepiscopus ab eodem Compostellano archiepiscopo habuerat in præstimonium, et quem iste violenter retinebat, redintegraret. Eapropter Bracarensis archiepiscopus cum Compostellano archiepiscopo et S. R. E. legato fœdus stabilivit dilectionis, et factus canonicus Ecclesiæ B. Jacobi medietatem prædicti honoris ab eodem Compostellano archiepiscopo recepit in præstimonium, quatenus aliam medietatem pro posse suo tueretur, sicut in hoc scripto resonat :

« Ego P. Bracarensis Ecclesiæ archiepiscopus, persona videlicet mea, non Ecclesia, sicuti confrater et concanonicus vester, suscipio a vobis, domino D. Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopo et S. R. E. legato, et ab Ecclesia vestra in præstimonio, medietatem de ecclesia Sancti Victoris, quæ dicitur Bracara, et medietatem S. Fructuosi, cum villa Moontelios, et medietatem de villa Corneliana cum omnibus appendiciis eorum, tali tenore ut in vita mea teneam hæc omnia prædicta, et ad obitum meum Ecclesia vestra suscipiat ea, et quiete possideat a successoribus meis; aliam vero medietatem de his omnibus quam vos tenetis ad præsens, adjuvare, defendere et amparare ad utilitatem vestræ Ecclesiæ. Ego P., Dei gratia Bracarensis Ecclesiæ archiepiscopus, propria manu confirmo. Hugo Portugalensis episc. O. Petrus prior Bracarensis Ecclesiæ O. Nunus Bracarensis Ecclesiæ diaconus et canonicus scripsit et confirmavit. Aliam scripturam habetis consimilem. »

CAPUT XLVII.

D. G. Salmanticensi episcopo.

« G. [Geraldus] quoque Salmanticensis Ecclesiæ electus, a papa Calixto Romæ in episcopum consecratus, prædicto Compostellanæ archiepiscopo et S. R. E. legato, hanc obedientiæ sanxit subjectionem.

« Ego G. Salmanticensis Ecclesiæ episcopus subjectionem et reverentiam et obedientiam a sanctis Patribus constitutam secundum præcepta canonum, Ecclesiæ Compostellanæ rectoribusque ejus in præsentia domini archiepiscopi D. perpetuo me exhibi- A turum promitto, et supra sanctum altare propria manu firmo. »

CAPUT XLVIII.

Ad cardinalem B. de solutione archiepiscopi.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Sæpe tibi scripsisse, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 152.

Ad Toletanum archiepiscopum de eodem.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Egregiæ memoriæ, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 153.

Ad episcopos Hispaniæ de eodem.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Quoties nova, » etc.

Vide ubi supra, sub num. 154.

B *Ad reginam de eodem.*

« Calixtus episcopus, » etc.

« Nisi gravissimam, » etc.

Vide ubi supra, sub num. 155.

Ad regem de eodem.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Omnipotenti Deo, » etc.

Vide ubi supra, sub num. 156.

CAPUT XLIX.

De reconciliatione archiepiscopi, et reginæ, et regis pueri.

Has quidem litteras miserat papa Calixtus Bosoni, Romano cardinali et legato, Bernardo Toletano archiepiscopo et legato, cæterisque per Hispaniam episcopis, nec non reginæ tanti sceleris auctori, et C regi filio suo ad deliberationem et restitutionem prædicti Compostellani archiepiscopi et S. R. E. legati. Idem namque archiepiscopus jam nefandæ mancipatus captioni, direxerat nuntios ad nepotem suum, P. beati Jacobi Ecclesiæ decanum, qui in Francia philosophicam disciplinam addiscebat, et indicaverat ei captionem, modum et causam suæ captionis. Qui assumptis secum quibusdam canonicis, qui secum studium frequentabant, venit Cluniacum : post hæc consilio atque auxilio abbatis Cluniacensis, conventusque, necnon principum Franciæ atque Burgundiæ, qui summa dilectione Compostellanum amplectebantur archiepiscopum, adiit papam Calixtum, ostendens ei ejusmodi piaculum quod Urraca Hispaniæ regina fecisset in Compostellanæ sedis archiepiscopum et S. R. E. D legatum. Suo itaque et consociorum suorum instinctu, et quoniam inter papam Calixtum, ante papatum et in papatu, et inter Compostellanum archiepiscopum ante archiepiscopatum et in archiepiscopatu, indissolubilis fructificabat charitas dilectionis; præterea, quoniam justitiæ exigebat ratio, papa prædictas per Hispaniam delegaverat litteras. Quibus visis, regina tanti sceleris auctor, satisfacere ac reconciliari archiepiscopo satagebat, blanditiis atque pollicitis, ut est argumentum mulieris, eum convertere elaborabat ; sed postquam nec precibus nec pollicitis potuit eum immutari, protinus convertitur ad arma, congregat exercitum, venit ad castellum Ciram, et

abhinc Taberolos, quasi Saliniensem invasura pagum, dehinc celerrimo procinctu conscendens Montem Sacrum consedit ibi cum exercitu suo. Cum ea erat comes R., comes M., Menendus Nunizi, et complures Gallæciæ principes cum phalangibus suis. Quod ut novit archiepiscopus confestim coadunato exercitu militum ac peditum et Compostellanorum ad radicem montis consedit ejusdem. Rex quoque puer reginæ filius, comes Petrus, Varemundus Petrides, Arias Petrides, et plures Gallæciæ principes cum immensa militum atque peditum multitudine in duplum majori quam reginæ. Stabat utrinque exercitus; illi montis cacumina quæ occupaverant possidendo; isti ut eos ab ejusdem montis vertice dejicerent bellando. Quod quidem erat difficillimum atque periculosissimum. Cæterum regi et archiepiscopo eorumque exercitui bellorum stimulos subministrabat, quod regina in ejusdem montis crepidine castellum machinabatur ædificare.

Primum itaque armatæ utrinque phalanges bellorum inter se habuere congressus, et noctis intercedente crepusculo utrobique quibusdam prostratis ab incepto destiterunt. In crastinum tamen bellum indicitur, et uterque ad bella animatur exercitus. Tunc archiepiscopus, ut vidit inter matrem et filium bellum futurum, et plurimum utrinque populum periturum, paterna compunctus est pietate: intendit animum ad pacis fœdera, et qualiter utrorumque dirimantur acies pertractat. Rogat regem puerum pro pace rogat ut matri suæ reconcilietur. Mittit quoque nuntios ad reginam, et ne se et suos eat perditum consulit. Ostendit ei maxima præ manibus, nisi resipiscat, discrimina, et terrendo eam nimis, ad pacis conatur inclinare reconciliationem. Sed cor ejus obduratum erat et impœnitens. Deinde archiepiscopus convocat potentes atque peritos utriusque exercitus; ac inito cum eis consilio, omnimodis eos hortatur ad pacem. Quid plura? Ex utraque parte ducentos astringit juramento, qui pro posse nitantur ad pacis reformationem, et bellum quod erat præ manibus exterminent. Magna archiepiscopi prudentia, tantorumque virorum utrinque stragem divertere et discordiam in contraria commutare. Hi ducenti consilio et auxilio archiepiscopi statuunt x judices, qui jurejurando inter regem et archiepiscopum et inter reginam justitiæ causas certius examinent, et examinatas dictante justitia dividant. Sancitum est etiam quod quisquis, sive rex, sive regina, judicium eorum subire nollent, nec quod ipsi judicarent adimplevere, justitiæ transgressor haberetur. Idcirco omni subterfugienti justitiam adversentur; justitiam vero sectanti sicuti Domino suffragentur. Quod sic fore jurejurando stabilitum est. In primis itaque prædicti judices dijudicantes, præcipiunt ut regina castella B. Jacobi, scilicet Honestum, et S. Mariam de Lanzata, quæ violenter retinebat, archiepiscopo sine protelatione restituat. Addunt insuper quod regina dominum archiepiscopum et honorem B. Jacobi, quem pro-

A pter archiepiscopi captionem amiserat, recuperet. Verum enimvero, quoniam archiepiscopus fidei et veritatis justitiam in regina non omnino habebat, ne a judicii sententia pedem retraheret, juramentum atque firmitatis scriptum habetur inter archiepiscopum et reginam quasi veritatis anchora. Hoc est autem scriptum et conventio inter archiepiscopum et reginam.

Juramentum reginæ.

« Æra MCLIX. Ego regina domina Urraca do fidem meam vobis, domino Didaco archiepiscopo et S. R. E. legato, per Deum Patrem omnipotentem, et per omnes sanctos ejus, quod sim vobis fidelis domina et amica, sicut bonus rex suo bono archiepiscopo in tota vita mea, augmentando vestram
B utilitatem, et destruendo vestrum malum, et defendam vitam vestram et membra et honorem, quem habetis vel habituri estis, pro posse meo, contra omnes homines et supra omnes homines sine arte et malo ingenio; et neque per me, neque per meum consilium sitis captus, nec de vestro honore expulsus, et nunquam faciam placitum cum aliquo homine ad detrimentum vestrum, et civitatis B. Jacobi in tota vita mea, et si aliquod malum fuerit mihi dictum de vobis vel non habeam inde curam, vel vos ad rationem ponam, et accipiam inde judicium quod dederint mihi isti qui sunt in hoc placito vestri et nostri homines, et recepta emendatione in tempore et loco convenienti stem in omni vita mea in prædicto placito, et nunquam veniatis in expeditionem no-
C stram, neque in curiam meam, nisi quando volueritis, et dem vobis prædicto archiepiscopo domino, D. castra vestra, feria VI, in octavis istius Natalis Domini, videlicet Honestum, et S. Mariam de Lanzada, et quod in hoc pacto mihi absolveritis, sit absolutum. »

« Nos sexaginta barones et milites reginæ Dominæ U. juramus vobis archiepiscopo domino Didaco per Deum Patrem omnipotentem et per omnes sanctos ejus, si regina domina Urraca vobis quod superius dictum est non adimpleverit, nos stemus vobiscum sine mala arte et malo ingenio. »

De castellorum redditione.

Sicut regina in hoc scripto pepigerat, ex parte adimplevit; Castellum namque Honesti in prætaxata
D VI, feria prædicto archiepiscopo et S. R. E. legato reddidit. Verum enimvero castellum S. Mariæ de Lanzada in sequenti die reddidit.

CAPUT L.

De miraculis quæ acta sunt in captione archiepiscopi præsentibus Saracenis, et de quodam eorum sanitati restituto.

Hoc autem quod in prædicti Compostellani archiepiscopi et S. R. E. legati prædicta captione acciderit, ad memoriam revocare non incommodum arbitror. Saracenorum rex, Ali nomine, qui et citra mare et trans mare Hiberiæ sceptrum habet in Agarenos, miserat Ismaelitas nuntios viros discretos atque illustres ad reginam Urracam ejusque filium

legationis gratia. Qui cum iter carperent ad occidentem, audito quod regina cum filio suo in Gallæciæ moraretur finibus, vident peregrinos Christicolas quamplures ad B. Jacobum orationis causa euntes et redeuntes, et admirantes sciscitantur centurionem, Petrum nomine, quem Christianum præducem et manutentorem inter Christianos habebant, qui et eorum linguæ satis peritus erat : « Quisnam, inquiunt, iste est quem Christianorum multitudo tanta frequentat devotione? Quis iste tantus et talis, quem innumeri Christicolæ Transpyrenæi et citra repetunt orationis gratia? tanta est euntium ad eum et redeuntium multitudo, ut vix pateat nobis liber callis ad occidentem. » Respondetur illis hunc esse B. Jacobum Domini et Salvatoris nostri apostolum, Joannis apostoli et evangelistæ fratrem, et utrumque Zebedæi filium, cujus corpus in Gallæciæ finibus habetur humatum, quem Gallia, Anglia, Latium, Alemannia, omnesque Christicolarum provinciæ, et præcipue Hispania veneratur, utpote patronum et protutorem suum. Discit insuper stirps Ismaelitica, quod idem Jacobus Hierosolymis sub Herode passus, et Gallæciam fuerat advectus.

Cum autem ventum fuisset Compostellam, qui prius super auditis mirabantur, apostolicam conspicientes basilicam! magno percutiuntur stupore. « Papæ, inquiunt, quam nobile, quamque gloriosum Jacobi vestri præcellit ædificium! Infra et citra nostrum mare non vidimus huic comparandum. Per Mahomet, magna ei gloria collata est, si tantum pollet in superis, quam præclarum eum habetis in terris! Quid igitur patrocinii, quid auxilii colentibus se et venerantibus impartitur? » Ad hæc centurio lingua Ismaelitica : « Tantam, inquit, a Domino nostro Jesu Christo meritis et intercessionibus suis consequitur gratiam, quod per Dei misericordiam cæcis visum, claudis gressum, leprosis aliisque diversorum morborum generibus compeditis salutem largitur. Subvenit atque opitulatur omnibus se devote deposcentibus, et Transpyrenæum et citra innumeris miraculis pollet. Hos enim compeditos et carceri mancipatos liberavit, alios diuturno languore detentos sanavit; illis in difficillimis opem præstitit; ubique terrarum omnipotens Deus meritis et intercessionibus B. Jacobi miracula sua ostendit. Ob hoc corpus ejus tanta frequentat multitudo, ob hoc innumeri opem ejus indubitanter exposcunt. « Ad hæc stupent atque mirantur Ismaelitæ, et nihil aiunt, suum, scilicet Mahomet, nil tale posse fatentur. Centurio quidem, utpote vir eloquentissimus atque prudentissimus, gentilium assidue confundebat incredulitatem, et Christianorum fidem laudibus et veritatis assertione extollebat, verissimis atque evidentissimis argumentis astruebat gentiles ignorantiæ nube cæcatos varioque delusos errore. Contra hoc Ismaelitæ nullatenus præsumebant repugnare, cum et præ oculis veritatis haberent indicia, et tanta B. Jacobi obstupescerent gloria.

Interea loci prædictus archiepiscopus a regina capitur, B. Jacobi Ecclesia sedet in tristitia. Clerus ac populus nimia afficitur molestia, turbantur pacifica, et tanto facinore apostolica mœret provincia, tristibus commutantur læta, adversis obnubilantur prospera. Tunc Ismaelitæ, qui prius contra veritatis argumenta vix mutire audebant, audito quod apostolicæ sedis archiepiscopus, et S. R. E. legatus a regina captus sit proditione, insultantes aiunt : « Apostoli Jacobi archiepiscopus Romanusque legatus, apostolicæ Ecclesiæ pastor et protector, captus tenetur a femina. Magnum atque abhorrendum piaculum Apostolus igitur Jacobus qui, ut fatemini, cæci visum, claudis gressum restituit, si potens est, absolvat eum a muliebribus vinculis; si potens est compeditos solvere, infirmos sanitati restituere, omnibusque se deposcentibus, prout astruebatis, opem ferre, subveniat ministro suo, qui subvenit Transpyrenæis. Qui subvenit universis, subveniat, si potest, suo pontifici, quem tanta Christicolarum frequentat atque precatur multitudo, potentiæ suæ vires in suo ostendat episcopo, si potens est. Liberet eum, reddat atque restituat Ecclesiæ suæ, ut præesse, protegere, pacificare, sicut heri et perendie, valeat Ecclesiam et provinciam suam. Liberet eum ne Ecclesia sua mœrore tabescat, et tabescendo in eclipsim decidat. » Quid multis immoror? Argumentosa gentilium eloquentia versa vice Christicolas impugnabat, et nisi apostolus impræsentarium suffragaretur, quasi ptisanas desuper pilo feriente, Christi fidem contundebant. Centurio tamen B. Jacobi patrocinia devote poscentibus nullatenus deesse fiducialiter affirmabat. « Quid, inquit, verbo fari, quidve de Dei prædestinatione nobis prodest discutere? Altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei multa fieri permittit, ut in his virtutis suæ gloriam meritis et intercessionibus sanctorum suorum ostendat; impios in sanctos Dei sævire, et nequitiæ suæ argumenta effectum permittit habere, ut impius in impietate sua pereat, et justus per Dei gratiam justitiæ suæ fructum percipiat, unde Psalmographus : « Vidi, inquit, impium superexaltatum et elevatum, et pertransii et ecce non erat (*Psal.* XXXVI, 35). » Item : « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem (*ibid.* 25). »

His atque aliis cum fidelium oratio protenderetur assidue, transactis octo diebus archiepiscopus, ut supra perstrinximus (*cap.* 42), a reginæ captione liberatur. Cui a captione redeunti occurrunt obviam clerus et populus Compostellæ, et remota mœstitiæ nube gaudium et exsultatio exoritur. Gaudet Compostellana Ecclesia pastore soluto, et tota civitas magno tripudiat gaudio. Ad hæc Ismaelitæ : « Quidnam hoc est, inquiunt, cur universorum animos tanta percurrit lætitia? Cuive tanta processionis gloria præparatur? » Audiunt a centurione : « Beatus Jacobus apostolus archiepiscopum suum a mulieris liberavit vinculis, et eum sanum et incolumem suæ restituit Ecclesiæ. » His auditis, Ismaelitæ obstupefacti supramodum admirantur. « Vere, aiunt, Jacobus apo-

stolus eum liberavit,et a persequentibus eum tutavit; vere divina virtus diabolica cessavit argumenta, et serpentis annihilavit versutias. Stulte Christicolarum rationes antea expugnabamus; stulte in apostolum Jacobum convicia jaciebamus. Merito habetur atque collaudatur a Christianis patronus et protector, quibus suffragari non desinit, utpote pius atque tempestivus auxiliator. Jam Christicolarum atque gentilium (137), licet fide dissentiant, ratio tamen concordat, et ab utrisque laus B. Jacobo persolvitur multimoda. Fiunt tam gentiles quam Christiani admiratores atque laudatores tanti miraculi, et nullus illorum per B. Jacobum factum fuisse ambigit.

Post hæc eisdem Ismaelitis Compostellæ diutius moræ indulgentibus, in cujusdam eorum cervice apostema exortum contumuit, quod insanabile atque mortiferum penitus videbatur; hujusmodi enim solet vitæ aditus præcludere. Eamdem autem domum, in qua et ipsi hospitabantur, quædam frequentabat vidua quæ cereis et oblationibus apostolica quotidie visitabat limina, et orationibus insistens sæpius ibidem pernoctabat. Quod Ismaelitæ conspicientes sciscitantur quo et quare vidua illa tanta sollicitudine deferret supradicta? Responsum est eis. « Quod B. Jacobi apostoli clementiam pro remedio animæ suæ, et parentum suorum, cæterorumque fidelium, his atque aliis exoraret. Forsitan et gentilium perfidia hujusmodi improperare atque deridere auderet hostias, nisi evidentissimum apostolicæ virtutis miraculum in prædicta archiepiscopi et legati deliberatione vidissent. Jam vero nec miraculo derogare, nec apostoli gloriam minuere præsumebant. » At ille in cujus cervice apostema extumescebat: « Obsecro, inquit, intercede pro me ad apostolum vestrum, cujus patrocinia petentibus præsto esse videmus. Precare ut et mihi dignetur esse propitius, quandoquidem potens est per Dei misericordiam. Fer quoque ad ejus altare pro me hunc cereum (et dedit) et supplica ei ut ab hujus apostematis tubertate me reddat incolumem. » Ad hoc vidua præ gaudio subridens, ait: « Gratias ago Deo et B. Jacobo, qui vobis suæ virtutis patefecit mirabilia, et veritatis lumen; non tamen adhuc ad plenum vobis ostendit. » Et accipiens cereum cum eodem cereo illius apostema tetigit, facto desuper signo crucis; deinde abiit ad ecclesiam, et more solito obtulit oblationes, orationem fecit. Expleta oratione cereum quem acceperat ab Ismaelita obtulit, orationibus orationem addidit, supplicans B. Jacobo ut prædictum Ismaelitam incolumitati restituat, eumque per Dei misericordiam ab apostematis peste mortifera liberum reddat. Vix peracta oratione apostematis conglutinatio exinanitur, Ismaelita incolumitati restituitur. Remanet tamen cicatrix, signum videlicet exinanitæ pestis. Magna et ineffabilis Dei misericordia quæ per crucis signum, quod gentibus secundum Apostolum est stultitia (*I Cor.* I, 23), salutis remedia ipsis etiam gentibus conferre non refutat. Magna quoque B. A Jacobi apostoli clementia, qui pro quibuscunque opem sibi deposcentibus Dominum suum exorare eisque salutis gratia subvenire non destitit.

Postquam Ismaelita præsensit B. Jacobi patrocinia et mortiferi apostematis pestem exinanitam, ipsi et complices sui præ nimietate gaudii obstupefacti lætantur, tantique miraculi virtutem admirantur. Ostendunt centurioni cæterisque Christicolis quid qualiterve acciderit, et apostoli virtutem medicinæ suffragium prævenisse conclamant. Quid plura? Collaudatur atque magnificatur a fidelibus et ab infidelibus B. Jacobus apostolus, utpote patrocinator clementissimus; profitentur omnes in publico apostoli Jacobi per Dei gratiam mirificam potentiam, et dignis efferunt eum præconiis. Demum Ismaelitæ B inquiunt, sicut fama nobis retulerat: Magnam hujus apostoli clementiam in archiepiscopi vestri solutione, et in sodalis nostri apostemate mirificam quoque virtutem vidimus, et testimonium perhibemus, merito a Christianis Transpyrenæis et citra orationis gratia requiritur; merito tanta devotione a Christicolarum multitudine exoratur; merito patronus et protector a Christianis appellatur et habetur. Mirabamur quæ est peregrinorum euntium atque redeuntium frequentia, mirabamur tantam in terris huic apostolo collatam gloriam; mirabamur non miranda, obstupebamus non stupenda. Non est igitur operæ pretium tanti apostoli Jacobi silentio claudere miracula. Fient profecto ista palam per universam nationis nostræ provinciam, et hujus apostoli in gente nostra narrabuntur patrocinia. Gloriam illius atque virtu- C tem longe lateque vulgabimus, præcones erimus veritatis et eorum quæ vidimus veridici relatores: efferemus, prout dignum est apostolum Jacobum; referemus ejus magnalia, evangelistæ facti in Dei omnipotentis magnificentia, et in apostoli sui clementia. O quanta Dei pietas, qui per apostolum suum etiam infidelibus miracula potentiæ suæ exhibet! O quanta Dei benignitas, qui misericordiam suam fidelibus et infidelibus tempore necessitatis non dedignatur largiri, de qua scriptum est: « Speciosa misericordia Dei tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis! (*Eccli.* XXXV, 26.) » Quam misericordiam nos quoque præsto habere in omnibus et ubique mereamur, ipso propitio qui est fons misericordiæ!

D

CAPUT LI.

De castello Pharo recuperato.

Interea archiepiscopus, licet immanium præpedine ditineretur negotiorum, utpote tantarum tempore tribulationum, ad nanciscendum B. Jacobi castellum, Pharum nomine, intendit animum. Nempe admodum utile animadvertens recuperatis jam aliis et hoc recuperari, quod regina dolose machinando olim extorserat ab eo, et odii fomite quod exercuerat in archiepiscopum, commendavit cuipiam suorum principum. Qui tamen decurio, præcipiente regina, juramentum atque homagium fecerat archiepiscopo, scilicet

(137) Supple *mentes*, vel quid simile.

idem castellum se pro parte et obsequio B. Jacobi fideliter retenturum. Non multo temporis intervallo Veremundus Petri consulis filius ceperat eumdem dominum et possessorem castelli proditione; quem compedibus vinctum dura captionis coercuerat pœna, ut castellum ab eo extorqueret hac injuria. Cum autem ille castelli protelaret deditionem, trabe pectori ejus superposita, ni citius castellum sibi reddatur, oculorum effossionem Veremundus ei profecto minatur, sicque proditione voti sui compote Petrides prædictum adeptus est castellum. Quo agnito archiepiscopus modo multa polliceri Veremundo cœpit, modo multa minari, ut sic B. Jacobi ab eo habeat castellum. At vero Veremundus nec pollicitis archiepiscopi, nec minis accommodat animum, nec spiritualem, nec materialem ejus metuit gladium. Quippe tantum taleque municipium retinere utilius opinatur. Tandem archiepiscopus, ut videt Veremundum a proditiosa castelli usurpatione nullatenus desistere, coadunato exercitu ad castelli tendit obsessionem. Quod ut circumquaque innotuit, Fredenandus ejusdem V. frater, et Munio consul, levir ipsius, ambo videlicet municipes archiepiscopi et fideles, adeunt archiepiscopum, ineunt cum eo colloquium de Veremundi reconciliatione, et de castelli redditione. Hinc enim cogebat eos sanguinis propinquitas, hinc archiepiscopi obsequialis fidelitas atque utilitas; multis quidem atque diversis inter archiepiscopum et Veremundum disputant colloquiis, ut et ille reddat castellum, et archiepiscopum habeat sibi retributorem et amicum. Quod tyrannica Veremundi audacia penitus renuit. Ob hoc archiepiscopus multo magis in iram exasperatus, nisi Castellum sibi reddatur citius absque dilatione, obsessionem minatur, et parat usque ad deditionem. Quid plura? Veremundus invitus atque coactus reddidit castellum archiepiscopo, et ipse dedit hoc ad custodiendum cuidam Ecclesiæ B. Jacobi archidiacono, cui nomen Petrus, patronymicum autem Crescolides. Veremundum siquidem jam sibi reconciliatum Fredenando fratre ejus et Munione consule ejusdem leviro, causam illius cum archiepiscopo pertractantibus et pro eo interpellantibus, sedavit dativis aliisque præstimoniis.

Deinde archiepiscopus, consilio habito cum canonicis, dederat idem castellum Fredenando, ejusdem Veremundi fratri. Hic archiepiscopo, utpote ejus militiæ princeps, obsequebatur, et ab eo plurima habebat præstimonia. Juravit tamen idem Fredenandus, et hominium fecit archiepiscopo, videlicet castellum hoc se pro B. Jacobi jure et obsequio habiturum, et archiepiscopo vel canonicis, postquam postularent, absque controversia redditurum. Denique idem Fredenandus, cum adiret Portugaliam, commendavit idem castellum comiti M. leviro suo, accepto ab eo (138) quod postquam præciperet reddi, illud absque aliqua contradictione archiepiscopo vel ejus canonicis redderet. Post hoc temporis intervallum processerat, et ad recuperandum castellum archiepiscopus propensius anhelans, tam per litteras quam per nuntios prædictum Fredenandum jam consulem in Portugalia sollicitavit de castelli redditione. Qui jurisjurandi et hominii quod archiepiscopo fecerat, non immemor, comiti M. jusserat reddere castellum archiepiscopo. Verum ille castello privari, utpote tali municipio, molestius tulit. Demum archiepiscopus intonat comiti M. qui ab eo plurima et largiora præstimonia habebat, aut castellum reddat sibi remota protelatione, aut archiepiscopum habeat inimicum, ablata sibi B. Jacobi præstimoniorum ubertate, quod immanissimi causa efficiens damni ei fieret. Propterea comes M., nolens, imo invitus atque coactus, reddit castellum archiepiscopo. Archiepiscopus vero commendavit hoc cuidam proceri suo; sicque actum est ut et ea castella quæ in captione amiserat, et cætera post deliberationem suam prædictus acquireret opitulante B. Jacobo archiepiscopus, quæ usque in hodiernum diem præsidio atque cautela ejusdem archiepiscopi sunt juris et proprietatis beati Jacobi.

CAPUT LII.

De concilio Compostellæ celebrato.

Eodem tempore prædictus archiepiscopus et legatus, licet ingruentibus undique persecutionum tumultibus, Bracarensis et Emeritanæ provinciarum episcopos et abbates vocavit ad concilium, utpote ad Dei anhelans servitium, et ad corroborandum sanctæ Ecclesiæ statum. Huic itaque concilio interfuere D. Auriensis episcopus, A. Tudensis Episcopus, G. Colimbriensis episcopus, H. Portugalensis episcopus, M. Minduniensis episcopus, S. Abilensis episcopus, et eorum abbates. Salmanticensis episcopus expulsus erat a sede sua et profugus. Rex namque Aragonensis expulerat eum, et in ejus Ecclesia idololatras et Ecclesiæ sanctæ inthronizaverat incestatores. Qui Salmanticensis cum prædicto diutius Compostellæ moratus archiepiscopo ejusdem licentia perendie cum regina discesserat: acceperat quoque dona ab archiepiscopo, et capellam ad celebrandum pontificale officium. Lucensis autem episcopus, qui eodem tempore obsequebatur reginæ in urbe sua commoranti, misit ad consilium abbates et clericos suæ diœceseos, qui ejus excusarent absentiam. Interfuerunt omnes abbates et clerici Astoricenses privati pastore; nuper enim pastor eorum persolverat jura naturæ. Bracarensis archiepiscopus quoniam circa id temporis in Numantiæ morabatur finibus, nec huic poterat concilio interesse, direxit huc abbates et clericos suæ metropoleos; et ibidem de Ecclesiæ suæ finibus cum Portugalensi satis disceptavit episcopo. Celebratum est autem hoc concilium Compostellæ consilio regis et reginæ, mediante Quadragesima in æra I. C. L. X. VIII. Idus Martii, a prædicto Compostellanæ sedis archiepiscopo et legato. Tanta cleri ac populi principumque Gallæciæ convenit multitudo,

(138) Deest *fide*, vel *securitate*.

quod vix in apostolica, licet magnæ sit quantitatis, continerctur ecclesia. In eodem equidem concilio propensius pertractatum est de statu sanctæ Ecclesiæ, propter persecutionum tumultus per nimium tunc vacillante, et de pacis stabilitate.

CAPUT LIII.

Quod Dominus liberavit eum de manibus Saracenorum, dum adhuc esset in juventute.

Magna omnipotentis Dei pietas, magna Domini qui « novit eos qui sunt ejus (*II Tim.* II, 19) » misericordia, qui Compostellanum archiepiscopum et legatum a manibus Jezabel, ut prænotatum est, B. Jacobo apostolo patrocinante, liberavit. Nempe potentiæ Dei dextera quamplures et difficillimos idem archiepiscopus evasit angustiarum laqueos, ut supra partim diximus. Eadem quoque et cætera sub uno ad memoriam revocare operæ pretium arbitror; nolo, inquam, stylus meus inertiæ arguatur. Cum igitur idem archiepiscopus « ante episcopatum » post primam videlicet honoris B. Jacobi præposituram (139) in procinctu cum comite R. et cum optimatibus Gallæciæ ad exstirpandam tenderet perfidiam gentilium, Saraceni, collectis undique viribus, Christicolarum castra prope Olisbonam circumdantes, immensa obsederunt bellatorum multitudine. Tanta confluxerat incredulæ gentis multitudo, tanta convenerant barbarorum agmina ad Christianorum perniciem impetum facturi. Denique cum Christianorum alios cæderent, alios vinculis manciparent ipse licet inermis, protegente eum Omnipotentis dextera, a telorum grandine, a tanta sanguinis effusione, imo ab ipsis Saracenorum manibus, liber et incolumis evasit. Illud enim Davidicum habuit in corde et in ore : « Dominus eripuit me de medio inimicorum meorum (*Psal.* XVII, 18). » Et illud Salomonis in Canticis canticorum de divina protectione et ineffabili gratia Domini : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* II, 6, VIII, 3. »

Quando aliis ruentibus de opere B. Jacobi in sede sua remansit incolumis.

Transacto quoque non modico temporis intervallo, videlicet cum jam episcoparet (140), quadam die consederat in fabrica ecclesiæ B. Jacobi super crates in sublimi cum copiosa populi multitudine; dumque ibi plurimorum, utpote in præsentia episcopi B. Jacobi, diffinirentur causæ, inter cætera ipse episcopus militem quemdam reatu furti arguebat (hujus namque noxæ participes præcipue semper habuit exosos; et a Gallæcis tale aucupium penitus resecare visus est). Prædicto itaque milite ab episcopo ducto in causam, et de furti commissione appellato subito crates nimio pondere corruunt in imum, corruit et ipsa multitudo populi, alios semineces, alios fractis cruribus, vel tibiis sive brachiis, utpote tanto præcipitio collisos videt. Episcopus autem cum uno tantum socio super quamdam partem trabium quasi in aere pendens, divina eum protegente gratia incolumis remansit : alii omnes collisi ruerunt. Ipse uno tantum comite in sede sua resedit. Post hæc appositis scalis atque testibus episcopus cum suo sodali ad ima incolumis deducitur, cunctisque admirantibus in tanto periculo stetit illæsus. Miles quem superius in causa pro furto ab episcopo ductum meminimus, collisus graviter, fracto crure atque tibia, adducitur ad episcopum. Quem cum vidisset episcopus pessima collisione flagellatum. « Divina, inquit, ultione actum est. Ego quidem pro furti calumnia in te animadvertere volebam ; Deus autem justus judex in te exercuit suam sententiam. Absit ut post divinam in te ultionem, humani examinis flagello feriaris! Scriptum est enim : « Non judicabitur bis in idipsum (*Juxta*. LXX, « *Nahum*, I, 9.) » Cessa igitur, frater, ab hac nequitia. » Et ille ait : « Qui te suæ correptionis virga percussit, consoletur te, utpote piissimus Pater, baculo paternæ sustentationis. Gratias uterque agamus Deo de ineffabili consilii sui magnificentia; me piissimi Patris clementia in tanto periculo conservavit illæsum; te læsit ut ab incepta nequitia resipiscas in posterum. Maxima Dei pietas, maxima ejus patientia qui neminem vult perire, sed omnes homines vult salvos fieri! »

Quando apud Iriam ruente palatio incolumis evasit.

Item quadam die (141) idem episcopus apud Iriam in excelso residebat solio, causasque publicas dictante justitia examinabat, maxima quidem hominum illuc convenerat multitudo, utpute ad tanti viri præsentiam, alii ut de acceptis injuriis justam reciperent satisfactionem, alii advocati ut satisfacerent cæteri ut legum et plebisscitorum diffinitiones et justitiæ perciperent exercitationes Miles quoque quidam præpotens intererat, quem episcopus propter incestam consanguinitatis copulam gladio percusserat anathematis, et a liminibus ecclesiæ sequestraverat. Hunc episcopus intendens a tanti incesti revocare facinore, evangelizabat ei verba vitæ et disciplinæ ; hinc terrebat eum gehennæ incendiis, ei nisi resipiscat perpetuis cruciatibus mancipandum astruebat ; hinc si resipiscat, æternæ vitæ beatitudinem et in cœlesti gloria felicem pollicebatur mansionem. Dum hæc aguntur, et miles de consanguinitatis copula à præsule arguitur, subito corruit solium tecti, atque parietum, solutis compagibus : ruunt omnes in præcipitium, trabium, tegularum, lapidumve pondere obruti; colliduntur tantæ ruinæ congerie, alii fractis cruribus vel brachiis, alii toto corpore colliso semineces. Fit confluxus populorum ad tantæ ruinæ sonitum ; curritur utrinque ad pontificalis palatii præcipitium ; alii parentes, alii amicos, alii natos flendo et ejulando sub lapidum aggere, sub fragmentorum congerie requirunt, inventos etiam semineces abstrahunt : pars autem illa solii in qua episcopus solus in scamno suo residebat, firma stetit atque illæsa, nec corruentis palatii strage aliquatenus labefacta. Ex consuetudine equidem habetur episcopum S. Ja-

(139) Circa ann. 1095.
(140) Post ann. 1100.

(141) Circa ann. 1107.

cubi præ nimia honoris excellentia, nisi alius interesset episcopus, aut rex, aut alia excellens persona, solum in sedili suo sedere. Prædictus episcopus ea die missam de Resurrectione Domini celebraverat. Hunc ergo in tanto periculo sibi habuit propitium, cui laudes et orationes persolverat, sacrosanctum offerendo sacrificium. Divina namque protectus gratia corruente undique palatio, cæterisque prostratis, solus in sede sua illæsus atque incolumis permansit, ac tantum solii salva parte in qua ipse residebat. Scriptum quippe est: « Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate (*Psal.* CXLIV, 18). » Et: « Custodit Dominus omnes diligentes se (*ibid.*, 20). » Miles, quem supra meminimus, postquam de ruinæ congerie graviter collisus evasit, mox episcopi prostratus pedibus, abrenuntiat illicitæ consanguinitatis copulæ, et in quo prius incorrigibilis fuerat, jam gerens pœnitudinem orat atque precatur dari sibi pœnitentiam. Ad quem Episcopus: « Nosti, inquit, fili charissime, quanta circa cordis tui duritiam usquemodo fuerit misericordia Domini; ipse enim « peccatorem non vult perire, sed magis ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11), » ipse quoque « quem « diligit castigat, flagellat, omnem filium quem recipit « (*Hebr.* XII, 6). » Ut ergo, fili, super te peccatore pœnitentiam agente « majus gaudium sit in cœlo « quam super nonaginta novem justis, qui non indi« gent pœnitentia (*Luc.* XV, 7), » accipe pœnitentiam et convertere ad Dominum Deum tuum, et ipse convertetur ad te. Ipse equidem castigavit te, quia te diligit; flagellavit, quia ut filium recipit. Hæc sunt flagella paternæ pietatis; hæc sunt verbera divinæ correctionis; noli spectare flagella iracundiæ, ne thesaurizes tibi iram in die iræ. » Quid plura? Miles, accepta ab episcopo pœnitentia, ab illicita consanguinitatis copula revocatur. Hæc dies bina nobis præbuit trophæa; bina contulit Ecclesiæ gaudia et de episcopi in tanto periculo incolumitate, et de militis ab illicita copula pœnitudine.

Qualiter evasit a captione Ariæ Petrizi.

Idem quoque episcopus, post aliquantum temporis, Gallæcia discordiæ facibus accensa, quantum ad reformationem pacis anhelaverit, luce clarius patet. Cum enim post mortem regis bonæ memoriæ domini Alfonsi (142), quidam nequitiæ complices Gallæciam guerris tumultuari sitientes, obsedissent in castello Minei regem puerum, comitis Raymundi et reginæ Urracæ filium, et comitissam comitis P. nutritii regis uxorem, pluresque Gallæciæ optimates, sicut in priori libro dictum est (*a cap.* 49.) episcopus et eos absolvere, et pacis jucunditatem revocare intendebat. Porro necessarium ducens (143) inimicitiarum aculeos, conspirationum molimenta, proditionum incentiva, resecare. Verum enimvero cum prædictis obsessis abominabilis Ariæ Petride ejusque complicum proditione episcopus captione mancipatus est. Quo capto reges, pincipes, duces, marchiones honoris sui primatum usurpare nitebantur; plures, tam proditionis auctores quam cæteri, ad vindicandum sibi B. Jacobi honorem animabantur, sed qualiter immensa Dei clementia ejusque ineffabilis misericordia a perjurorum proditorum manibus eum liberavit, nostrum quidem est mirari, divinæ autem providentiæ est talia operari. Ipse qui ait: « Confidite, ego vici mundum (*Joan.* XVI, 33), » eripuit eum de manibus inimicorum suorum, et super inimicos suos excelsum fecit eum. Superius quidem hæc breviter scripta sunt; sed et cum cæteris hic annotari arbitror opportunum, ut viso a quantis eum Dominus eripuit periculis, cæteri amplius confidant de misericordia Domini.

Qualiter evasit a bello de Angos.

Denique soluto episcopo, cæterisque demum solutis, unctoque ab eo prædicto puero Compostellæ in regem, et sic Gallæcis pace confœderatis (*Anno* 1111); idem episcopus cum rege puero et cum Gallæcorum principibus properat in procinctum, nempe a non modica citra pontem Gronii parte regni regem expellere Aragonensem, quam violenter atque fraudulenter usurpaverat, justum et sanctum fore arbitrabatur; justitiæ enim est unicuique attribuere quod suum est. Cæterum postquam ad fontem de Angos, prope scilicet Legionensem civitatem, ventum est, adest eis obviam Aragonensis cum copiosa militum atque peditum multitudine; bello utrinque conserto prostratisque utrinque quampluribus Gallæcorum, alii interempti, alii capti, alii in fugam versi sunt. Belliger Aragonensis priusquam phalanges suæ bellum conseruissent, decem audacioribus atque fortioribus sui procinctus id negotii injunxerat, ut circumspicerent et explorarent qua parte belli consisteret episcopus B. Jacobi. Insuper addidit atque indixit ut persequerentur eum donec caperent. Si enim Compostellanæ Ecclesiæ episcopus caperetur, sperabat Aragonensis Gallæciam facile se invasurum, statimque juri suo vindicaturum. Quidni? Episcopus Gallæciæ tutor, protector atque patrocinator erat; cæteris ad discordiæ tumultus ruentibus, bellaque et seditiones concitantibus, ipse reconciliator, ipse pacis justitiæ atque veritatis amator constanter permanebat. Gallæciæ regnum, licet ex parte divisum, consolabatur atque consolidabat. Idcirco his qui omnia turbari, omnia pessumdari sitiunt, odio habebatur; cæteris qui his contraria sectantur, ut pater et dominus diligebatur. Potito Aragonensi tyranno victoriæ palma, licet quibus rex injunxerat episcopum circumquaque sollicitius requirerent, et in ejus captionem animosius ruerent, ille tamen, qui non deserit sperantes in se (*Psal.* XXXIII, 23), qui diligit diligentes se (*Prov.* VIII, 17), præsto ei affluit; nimirum a persecutoribus tutavit eum, a faucibus hiantium, a dentibus leonum eripuit eum, per medias hostium acies, per medias bellatorum phalanges, per ipsos sequentium gladios,

(142) Anno 1110.

(143) *Ducebat* legendum, vel aliquid deesse fatendum est.

protegente eum divina potentia incolumis evasit. Ei igitur a quo omne bonum procedit episcopus tantum ascribens patrocinium, aiebat: «Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos (*Psal.* CXVII, 7.)» Recollectis tandem his qui a bello evaserant, pluribus tamen amissis, sicut in primo libro patet (c. 75), ad propria reversus est.

Qualiter evasit de incendio turris, et de medio inimicorum suorum.

Lapso præterea non modico tempore, clerici atque cives Compostellæ in ipsum conspiraverunt et conjuraverunt episcopum: sæpius eum expellere ab episcopatu moliti sunt; sæpius cum regina molimenta proditionis in eum machinati sunt; sæpius reges et principes in eum surrexerunt, sed Dominus erat ei adjutor, nec timebat quid sibi faceret homo (*Psal.* LV, 5). Cum autem conspirationis et conjurationis seditionarii, complices iniquitatis suæ, casses penitus cassari doluissent, facto impetu insurrexerunt in episcopum, et in reginam, lapides, tela, ignem in eos jacientes, mortemque omnimodis comminantes. Sed qualiter fortis dextera justi Judicis, cui omnia possibilia sunt, eripuerit eum ab obsidione et incendio turris, qualiter per medios hostium circumstantium cuneos eum deduxerit, qualiter ab ipsis insecutorum sanguinem ejus sitientium pugionibus, eum liberaverit, qualiter de medio inimicorum suorum per medium etiam excubiarum eum extraxerit, qualiter deinde super inimicos suos excelsum eum fecerit, humani capacitas ingenii non sufficit intelligere, nedum ad plenum describere. Verumtamen quantum ingenii mei situla capere sufficit, historiæ series in priori libro (c. 114) indicat. Verba Domini sunt hæc: « Si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti; Transfer te, et transferet se (*Matth.* XVII, 19).» Cum enim justus ex fide vivat (*Hebr.* X, 38), habens quidem omnia et abundans, non est dubium quin vivat in eo qui dixit: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6).» Ipse viam servorum suorum in pacem dirigit, ipse veritatem sectantes tueturatque custodit, ipse vita viventes a dextris et a sinistris protegit. Episcopus hanc viam tenuit, hanc veritatem dilexit, hanc vitam desideravit. Ab eo igitur quem dilexit dilectus est, ab eo protectus est, ab eo super inimicos suos excelsus factus est.

Regina quoque in eumdem et in episcopatu est in archiepiscopatu plurima machinata fuerat; ipsa nimirum ecclesias ubique per regnum suum auro, argento, et quibusque pretiosis exspoliaverat; civitates, oppida, castella, villas, ut res usque in hodiernum diem ostendit, pessundarat, pacem et justitiam, earumque collegas effugaverat. Cum ejus indefessa voracitas regnum pessundedisset liberum restabat ecclesia B. Jacobi, et ejus honores in quibus prædicta Jezabel deprædare ardebat. Idcirco inter eam et hujus Ecclesiæ pastorem sæpius pacis dirumpebantur fœdera; ipsa enim assidue ad rapinam et ad excidium anhelabat. Archiepiscopus lupinam rabiem ab ovili suo arcere, beluinos dentes ad Ecclesiæ suæ corpore amovere, velut strenuus pastor, viriliter elaborabat. Sed cum muliebris animi molimenta sæpius cassarentur, nec vi, nec dolo rabiem suam fera crinis satiare quivisset, ad majora nequitiæ argumenta intendit animum. Scriptum est enim: « Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum (*Sap.* IV, 12). » Demum tanto dilectionis fœdere regina confœderavit sibi archiepiscopum, tot tantisque juramentis obligavit se illi, quod omnia fraudis emolimenta crederentur abesse, sese etiam archiepiscopo admodum exhibuit obnoxiam. Archiepiscopus, credens omnem iniquitatis filicem ab ea funditus eradicatam, credebat se illi. Nempe verum est illud poeticum:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

(HORAT. *Epist.* lib. I, epist. I, 60.)

Obsequebatur ei propensius, optitulabatur attentius, et in Gallæcia et etiam in Portugaliæ finibus. Quod superius in hoc libro (c. 40) stylo meo dilucidatum est. Quid multis immoror? dum redirent a Portugalia regina tot fœderibus, totque juramentis spretis, nec dominium nec homines verita, nefandissima proditione cepit archiepiscopum et inclusit in municipiis suis. Post hæc ad rapinam et excidium canonicorum atque civium imo totius honoris B. Jacobi, jam voti sui compos animatur; nil sibi obfuturum esse capto capite, sed omnia in manibus suis fore opinatur; polluitur animus ejus sacrilegio sceleratissimæ voluntatis spoliandi Deum et homines; ait enim B. Augustinus: « Perfecta voluntas faciendi reputabitur pro opere facti. » Item: « Voluisti, sed non potuisti, sic adnotat Deus quasi feceris quod voluisti. » Perjuriis facinora conglutinat, sacrilegiis sacrilegia accumulat. Sed qui tres pueros de camino ignis ardentis liberavit, quique B. Petrum de carcere Herodis eripuit, ipse archiepiscopum ab exsecrabili captione reginæ abstraxit. Miro equidem et ineffabili modo, illa nolente, illa renitente, liberatus est. Mirantibus quoque et his qui interfuere, et absentibus qui audire modum solutionis illius ex improviso et inopinato, voluit sic fieri divina providentia, ut octavo die a captionis carcere liberaretur. Noluit quod summæ tantum fuerat potentiæ, humanæ ascribi audaciæ. Miratus est et ipse archiepiscopus (sicut ab ore ejus sæpius audivimus) Dei virtutem tam efficaciter tamque celeriter sibi fuisse propitiam, non suis meritis, sed divinæ ascribens miserationi. Pius et misericors Dominus, qui eum de tot tantisque liberavit angustiis, noluit servum suum deserere in vinculis mulieris Babyloniæ, noluit apostoli sui Ecclesiam tali præsule privari, noluit eam leonum atque luporum dentibus dilaniari, noluit sacra et non sacra a perditissimis perditum iri. Mira et ineffabilis Dei dispensatio, qui servos suos ab impiis patitur premi et affligi, ut ostendat in eis brachium supernæ virtutis, relaxat frena iniquorum, ut

augeatur fidelibus sui retributio meritorum. Crescente enim persecutionis pugna, crescit et victoriæ palma. Unde scriptum est : « Non coronabitur nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Et in alio loco : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ (*Apoc.* II, 7). » Forte et efficax fuit brachium Domini in solutione archiepiscopi, maximum equidem et abhorrendum piaculum in Christum Domini talia fieri ; abominabilius et exsecrabilius fuerat hoc facinus, efficacius et admirabilius fuit in eo miraculum mirifici omnipotentatus. Idcirco cum hoc excellentiori atque admirabiliori patrocinio in nefandiori atque exsecrabiliori piaculo, cætera quæ prædicta sunt ad memoriam revocare volui. Omnes itaque qui de misericordia Domini confidunt, audiant et intelligant efficacem superni patrocinatus circa archiepiscopum magnificentiam, et glorificent Patrem qui est in cœlo et in terra.

CAPUT LIV.

De conductu aquarum quæ profluunt ante porticum ecclesiæ B. Jacobi.

Inter cætera prædicti archiepiscopi et legati opera, quoddam nobile et præclarum opus oblivione non debet obnubilari ; exigit enim ipsius operis admiranda utilitas ut quanto per se jucundatur non inglorium, tanto per me laudibus efferatur ad plenum. Quæ digna sunt laude dignum est præconando memoriæ commendare. Cum igitur archiepiscopus indefessa sollicitudine pervigil comperisset B. Jacobi peregrinos pernimiam sustinere aquarum inopiam, paterna pietate compunctus indoluit. Noverat illud Apostoli; « Si compatimur, et congregnabimus (*II Tim.* II, 12). » Compatiebatur peregrinis qui ad apostolicam venientes ecclesiam, die ac nocte aquam ad hauriendum, seu aliis usibus necessariam requirebant, nec inveniebant; sæpius necessitas compellebat eos aquam emere ab hospitibus, seu ab aliis dato pretio, et quod ad victus emptionem reservabant, in aquæ usus partim consumebatur. Hi vero quibus pecuniæ deerat marsupium, sæpissime tolerabant acerrimam aquarum penuriam. Nimirum tanta ad B. Jacobi ecclesiam confluit peregrinorum multitudo ! Diu archiepiscopus adhibere remedium excogitavit, sed arduum, imo difficillimum erat. Tandem hortatu et admonitu, jussu et ostensu ejus Bernaldus, Ecclesiæ B. Jacobi thesaurarius, cœpit aquæductus componere ; per milliarium igitur fere extra suburbium Compostellæ aquæductus utque meatus subterranei componuntur. Magno labore, maximo pecuniarum erogatu, aquarum cursus et ad ecclesiam dirigitur, et cavato atque composito alveo adducitur. Postquam autem ventum est prope ecclesiam S. Martini, secus videlicet domum Petri Anaiade, ab hinc ligneæ canales ferro et plumbo consolidatæ suscipiunt aquarum torrentem, et partem ejiciunt ante porticum apostolicæ ecclesiæ, partem in claustrum S. Martini, monachorum usibus pro futuram. In eodem quoque monasterio tanta sustinebatur aquarum penuria, quod etiam ad abluendum manus, nisi aliunde efferretur, aquam non haberent; harum autem aquarum tanta manat abundantia, quod et monasterio S. Martini sufficit, et ante B. Jacobi ecclesiam torrente impetu profluit, eripiens ligneas canales ejicitur in cavatum lapidem miræ magnitudinis, quem per archiepiscopum olim ad hunc usum jusserat fieri; ad hunc quidem usum sed in alio loco, videlicet in claustro canonicorum B. Jacobi. Indefessæ namque sedulitatis in agro Domini operarius claustrum apostolicis canonicis præclarum et elegans scilicet opus, ædificare toto animi nisu desiderabat, et per subterraneos meatus aquam adducere in claustrum ad opus canonicorum, sicut ante porticum ecclesiæ B. Jacobi usque in hodiernum diem adducitur et profluit; sed guerrarum tumultibus præpeditus, quoniam id operis differebatur (quod tamen tempore suo construere ardenter affectabat) aquarum receptui exposuit lapidem illum, utilem et necessarium, pluribusque profuturum. Recipit igitur lapis ille aquas per subterraneos meatus adductas, et quotquot habent necesse indeficienter propinat. Tantarum aquarum affluentiæ admodum congratulantur peregrini ; vocant eas aquas B. Jacobi, quasi sanctificatas, et saluberrimas et ad humanos usus divinitus præparatas. Quantam autem utilitatem, quantamque admirabilis spectaculi hæc aqua præbeat excellentiam, nisi qui viderit quisquam nequit satis mirari. Quæ ut frigidior et limpidior emanet, fecit ejus alveum archiepiscopus cooperiri, lapidibus, et desuper humo usque ad ortum fontis, quo derivatur. Frigida itaque atque limpidissima emanans, profuit peregrinorum haustui, cæterorumve usui utilissima. Habemus ex Evangelio : « Duo in lecto unus sumetur, et alius relinquetur: duo molentes unus sumetur, et alius relinquetur: duo in agro, unus sumetur et alius relinquetur (*Matth.* XXIV, 41). » in agro scilicet in ministerio sanctæ Ecclesiæ tanquam in agro Domini operatur, qui tantam sollicitudinis curam Ecclesiæ cui præest exhibet, tanta agrum sibi commissum sollicitudine excolit, ut decet, videlicet excolenda excolendo, exstirpanda exstirpando, renovanda renovando, ædificanda ædificando. Talis profecto operarius, utpute fidelis servus et prudens, adveniente nocte, hoc est sæculi adversitate, permanens in fidei constantia et bonorum operum exercitio, ad vitam assumitur æternam, dum alii decidunt et relinquuntur ad pœnam. Prædictus archiepiscopus et in ecclesiasticis et in sæcularibus, quantum sua interest et quantum nostræ capacitatis est, tantam et sollicitudinem ut agro Domini viriliter exculto, peractoque, tandem hujus vitæ feliciter curriculo, cum his qui assumuntur, ad æternam assumatur et ipse vitam.

CAPUT LV.

De ædificatione ecclesiarum et palatiorum.

Construxit quoque idem archiepiscopus ecclesiam S. Pelagii, de ante altaria secus ecclesiam B. Jacobi destructa vetustissima et ignobili ecclesiola, quæ prius sibi fuerat. Item in Compostella funditus reno-

vavit ecclesiam S. Michaelis, ecclesiam S. Felicis, ecclesiam S. Benedicti. Super porticum etiam ecclesiæ S. Jacobi, per quam itur in Villare Milvorum, ædificavit altare in honore beati Benedicti, beato quoque Paulo, quoniam raro in Ecclesiis Hispaniæ ejus memoria habebatur, et B. Antonino, et B. Nicolao. Super porticum, quæ ducit ad torrentem aquæ secus monetam, altare construxerat; beato quidem Benedicto et B. Antonino honoris vices recompensare satagebat, quorum altaria in quadam turri secus vetustam B. Jacobi ecclesiolam fuerant, quod in præcedentibus apertius scriptum est (c. 25). Vetustissimam quoque ecclesiolam S. Thomæ de Ouria, quæ penitus ruinam minabatur, destruxit, et aliam ibidem novam ædificavit in castello Honesto præter cætera ab eo ibi constructa, quæ supra notavimus, ædificavit optima palatia; ecclesiam autem quam ipse in eodem castello fecerat, quoniam humilis et parva erat, et pedibus super muros castelli euntium conculcabatur, dirui jussit. Deinde aliam ecclesiam majorem, excelsam et eminentem, ibidem ædificavit. Utile et congruum arbitratus talem ecclesiam, talia palatia in Honesto ædificari, in quibus B. Jacobi archiepiscopus honorabiliter cum clericis et militibus suis, ut decet eum, aliquoties commoraretur. In tempore quidem guerrarum Honestum est quasi thesaurus et camera Compostellani archiepiscopi et canonicorum ejus. Decebat itaque excelsa et insignia habitacula ibi fieri, ut et Deus digne ac venerabiliter in habitaculo suo adoraretur, et in cæteris ædificiis B. Jacobi ministri venerabiliter pausarent. Apud Iriam quoque ampla et magna palatia ab antecessore suo bonæ memoriæ domino Didaco episcopo ædificata habebantur; in his solebat et ipse archiepiscopus ante archiepiscopatum hospitari. Sed, ingruente guerrarum tumultu, crebrescente per Gallæciam proditionis muscipula, revocavit ad memoriam olim quemdam episcopum B. Jacobi, nomine Gudesteum, dolo et proditione a principibus Gallæciæ ibi fuisse interemptum; nimirum ad vacandum et serviendum Deo liberius quadragesimale observabat Iriæ jejunium, a militibus et a familia sua segregatus. Intempestæ igitur noctis silentio sceleratissima proditorum manus irruens in dormitorium præter Ecclesiæ parietes, ubi cum canonicis dabat membra quieti, proh nefas! episcopum digladiaverunt. His ad memoriam revocatis archiepiscopus guerrarum temporibus duxit operæ pretium Patronum commeare, ubi erat populosa domorum multitudo. Sæpius enim cum in prædictis hospitaretur palatiis, milites ac familia ejus ad propinquas Patroni, commeabant domos, et dominum suum cum paucis clericorum et cum cubiculariis quasi in solitudine relinquebant. Experto credendum est. Multoties cum eo ibi fui, et quod scribendo perhibeo vidi, et sæpissime hostium incursus ex improviso formidavi. Ea propter archiepiscopus, sano potitus con-

(144) Lib. I, cap. 2.

A silio Patronum commeavit, ibique suam commutavit mansionem, et quoniam non decebat in minus idoneis eum habitare ædificiis, construxit idonea palatia secus ecclesiam Patroni, quam et ipse quodam presbytero bonæ memoriæ Pelagio dispensatore fecerat (144). In his palatiis archiepiscopus tanquam cohabitantium multitudine vallatus, suisque militibus stipatus, usque in hodiernum diem, per Dei misericordiam, comite salute, sæpius habitat. Sic habitet, sic ædificet, sic valeat Deo donante diutius!

CAPUT LVI.

De convenientia archipresbyteratuum Salagiæ, Bisancos, Trasancos, Levacences, et Arros, inter archiepiscopum et Mindun. episcopum.

Inter prædictum archiepiscopum, Compostellanæ Ecclesiæ canonicos, et inter Mindunienseni episco-
B pum, et Mindoniensis Ecclesiæ clericos, super quibusdam archipresbyteratibus, videlicet Bisancos, Trasancos, Salagia, Lavacencos, quæstio temporibus scilicet bonæ memoriæ regis Adefonsi sæpius fuerat ventilata. Compostellana namque Ecclesia astruebat hos archipresbyteratus ad suam pertinere diœcesim, et Minduniensis ad suam. Qua in re noster archiepiscopus, ut adipisceretur quod suæ Ecclesiæ esse astruebatur, frequenter clericos suos Romam delegando non modicas expenderat pecunias, sæpius in præsentia papæ Paschalis id negotium prolatum atque ventilatum fuerat, sæpius ipse papa litteras suas hujus rei causa ad Compostellanam et ad Minduniensem direxerat Ecclesias, necnon ad comprovinciales episcopos, sicut in primo libro (c. 34) plenius
C scriptum est. In multis quoque conciliis, per Hispaniam celebratis in præsentia Romanorum cardinalium et legatorum, super hoc multoties conventum est, sed non discussum. Denique ex sententia Romani pontificis apud Astoricam ad hoc diffiniendum Compostellanos et Mindunienses convenire clericos sancitum est. Hujus rei judicio Burgensi episcopo prædestinato judice, sed Minduniensibus deficientibus, et a se Compostellana Ecclesia violentiam pati causantibus, hæc quæstio remanserat indiscussa. Verumtamen Compostellanæ Ecclesiæ canonici Mindunienses judicio superatos, et prædictos archipresbyteratus dictante justitia se vindicasse astruebant. Hujus rei diffinito ingruente per Hispaniam guerrarum tumultu multis temporibus sopita remanserat nunc Compostellana nunc Minduniensis hos ar-
D chipresbyteratus vindicabat Ecclesia, sed sæpius Compostellana, utpote columna justitiæ et ecclesiastica atque sæculari potentia magis suffulta. Ipse quoque clerus ac populus, qui in hac diœceseos parte habebatur, quodam inobedientiæ evagabatur supercilio, quoniam geminam gloriabatur se habere matrem. Tandem M. Munio Compostellanæ Ecclesiæ thesaurario Minduniensi Ecclesiæ episcopo, lapsoque non modici temporis curriculo, inter nostrum archiepiscopum eumdemque episcopum prædicti negotii cœpit agitari quæstio. Sed archiepiscopus, videns id negotii olim indiscussum, diutius protelari, atque utrique ecclesiæ

animarum damnum magis magisque multiplicari, paternam habuit in his dispensationem; accersito namque M. Minduniensi episcopo inconcussam imponere huic rei stabilivit diffinitionem. Ex beneplacito itaque utriusque, videlicet Compostellani archiepiscopi et legati ejusque canonicorum, et Minduniensis episcopi ejusque canonicorum, statutum est atque conventum, ut Compostellana Ecclesia quiete et inconcusse habeat imposterum hos duos archipresbyteratus Salagiam et Bisancos; Minduniensis vero, sive Vallibriensis Ecclesia, quiete et inconcusse habeat imposterum hos duos archipresbyteratus Trasancos et Lavacencos, et Arros. Quod, ne quandoque vel quoquomodo inquietetur aut concutiatur, firmissima utrinque scripturæ auctoritate corroboratur hoc modo :

Convenientia inter archiepiscopum et Minduniensem episcopum.

« Nos inferius scripti, videntes domnum Didacum Compostellanæ sedis archiepiscopum et legatum, et domnum Munionem Vallibriensem episcopum, dissidentes et inter se altercantes super quibusdam archipresbyteratibus, scilicet Salagia, Bisancos, et Trasancos usque ad Lavacencos et Arros, de quibus sæpius ventilata fuerat querimonia inter domnum Didacum præfatum archiepiscopum et domnum Gundisalvum Minduniensem episcopum, antecessorem prædicti episcopi domni Munionis, temporibus regis Adelfonsi bonæ memoriæ, in generalibus videlicet conciliis, necnon et in præsentia domini papæ Paschalis, diuturnæ fratrum fatigationi et dissensioni compatiendo, finem tanto negotio imponere operæ pretium duximus. Ab ipsis siquidem et a suis canonicis rogati et invitati, in unum convenientes hoc negotium fraternæ dilectionis affectu discutiendum eorum consensu suscepimus; nostri enim officii est schismatis seminarium destruere et charitatis plantarium studiosa sollicitudine inter discordantes fundare. Perspectis igitur utriusque Ecclesiæ rationibus, hujusmodi convenientiam inter eos firma in perpetuum stabilitate facimus, ut imposterum Ecclesia B. Jacobi duos archipresbyteratus, videlicet Salagiam et Bisancos, perpetuo jure habeat et absque ulla repetitione possideat, et Vallibriensis vel Minduniensis imposterum archipresbyteratus, videlicet Trasancos, Levacencos et Arros perpetuo jure habeat, et absque ulla repetitione possideat. Adjicimus etiam in hac convenientia, ut de honore B. Jacobi Vallibriensis vel Minduniensis Ecclesia omnia illa vota quæ sunt in toto episcopatu Vallibriensi vel Minduniensi in perpetuum habeat, et quiete et libere ævo perenni possideat, præter candelam quæ fit c librarum, per libram xxv solidorum, quam annuatim ecclesiæ B. Jacobi exsolvat. Similiter adjicimus quod Vallibriensis Ecclesia in omni Compostellano archiepiscopatu tributa Ecclesiarum quæ tertias dicimus, nullatenus exigat, et e converso Compostellana Ecclesia in omni episcopatu Vallibriensi tributa Ecclesiarum, quæ tertias dicimus, nullatenus exigat. Hanc itaque diffinitionis convenientiam et litteris nostris confirmamus, et propriis sigillis munimus, ut abhinc et deinceps prætaxata querela inter Compostellanam et Vallibriensem Ecclesias perpetuo silentio sopiatur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ diffinitionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem hoc observantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Facta diffinitionis convenientia sub æra MCLIX et quot v Kalendarum Septembris. Qualis est ista talis habetur in thesauro Vallibriensis Ecclesiæ. » »

« Ego Munio Vallibriensis Ecclesiæ indignus vicarius hoc scriptum propria manu confirmo. Ego Petrus archidiaconus Vallibriensis Ecclesiæ conf. Ego Arias Sisnandizi, qui tunc temporis Vallibriensis Ecclesiæ archidiaconus eram in Salagia, conf. Petrus prior conf. Veremundus archidiaconus qualiscunque presbyter, cognominatus Adefonsus, conf. Ego Alderetus conf. Ego Petrus confirmo. Pelagius conf. Martinus conf. Petrus presbyter conf. Froyla presbyter conf. Petrus presbyter primiclerus conf. Didacus Oduarizi conf. Julianus archidiaconus c. Guido archidiaconus c. Petrus Joannis c. Petrus abba c. »

Pactum M. Vallibriensis episcopi.

« Ego Munio Vallibriensis episcopus promitto vobis in fide Christi et in rei veritate, domno Didaco Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopo et S. R. E. legato, ut ab hac hora in antea sim vester fidelis amicus, defendendo vitam vestram, et membra, et honorem quem habetis vel habituri estis, deprimendo malum vestrum in omnibus et per omnia sine arte, et malo ingenio secundum posse meum; si vero (quod absit!) vobis exsilium aliqua vi vel violentia, aut expulsio honoris evenerit, vel corporaliter vobiscum eam quo ieritis, vel juxta consilium vestrum me disponam; et hoc attendam vobis viventi, dum vixero, adjuvante divina gratia, sic Deus me adjuvet et hæc sancta evangelia. Quidquid vero de hoc pacto fide Christi stabilito absolveritis, absolutum sit. Consilia, quæ mihi dixeritis, non discooperiam ad damnum vestrum.

« Ego M. indignus episcopus hoc scriptum propria manu confirmo. Petrus Vallibriensis archidiaconus conf. Arias Sisnandici Vallibriensis Ecclesiæ et archidiaconus conf. Qui interfuerunt de canonicis B. Jacobi Arias Gundisalvides similiter conf. Petrus Gundesindi similiter conf. Petrus Eliæ archidiac. conf. Petrus Cresconides archidiac. conf. Petrus Anaiades conf. Petrus Astruarides c. Arias Munio-

nidesc. Giraldus magister c. (145). Bernaldus Bernaldici conf. Alefonsus similiter conf. Petrus Stephanici conf. Petrus Fulco conf. Petrus Pelagides conf. Pelagius Muniz conf. »

CAPUT LVII.

Notitia vestimentorum, librorum, aliorumque ornamentorum ecclesiæ quæ fecit archiepiscopus.

Ea quoque quæ ipse archiepiscopus ad interiores Ecclesiæ suæ usus atque ornatus, scilicet vestimenta, cæteraque ornamenta, emit, lucrifecit, acquisivit, vel fieri fecit, hujus operis serie commemorare non est incommodum; quæ enim per se, vel per auctorem, lucis memoriale merentur, oblivione sepelire argumentum est culpæ. Multa equidem in adhibenda Ecclesiæ suæ cura, prout res atque utilitas expostulavit, archiepiscopus expendit; plura vero, atque majora, sicut rei veritas testatur, acquisivit. Pensandum est quibus temporibus, quotque, quibusque persecutionibus Ecclesiam suam B. Jacobo suffragante patrocinii parma protexerat, quot et quanta ad expugnanda persecutionum argumenta expenderit, quot et quanta acquisierit. Hæc ergo, quæ sequens patefacit series, prædictus archiepiscopus et S. R. E. legatus vestimenta atque ornamenta Ecclesiæ lucrifecit, emit, vel fieri fecit, videlicet quatuor citharas Græco exercitio compositas, quatuor cappas pontificales, et alias cappas XII serico textu pretiosas; duo paria vestimentorum pontificalium cum omnibus quæ ad ea pertinent; tria vero dedit, unum Hugoni Portugalensi episcopo qui fuerat olim Ecclesiæ B. Jacobi archidiaconus, aliud dedit Munioni Mindoniensi episcopo, ejusdem apostoli Ecclesiæ olim thesaurario, tertium G. Salmanticensi episcopo suo suffraganeo; præterea duas dalmaticas, unam planetam nigram de purpura textus evangeliorum, duos argenteos, alium aureum, quam jam destructam ipse archiepiscopus restauravit, missale argenteum, epistolarium argenteum, syon argenteum, balteum aureum, capsas II argenteas, in una quarum perhibetur esse caput B. Jacobi, aliam capsam eburneam, aliam metallinam deauratam miro artificio cum vitro sculptam: aliam capsam auream satis pretiosam, quam emit archiepiscopus ter mille solidis, et postea contulit domino papæ Calixto, lignum Domini argenteum quod dedit ei regina U. regis Adef. filia; crucem auream quam ipse dedit Bosoni Romano card. et leg., et postea in Taurina civitate episcopo: calices tres argenteos, et unum aureum quod pro utilitate quoque Ecclesiæ suæ dedit domino papæ, thuribulum aureum quod pro utilitate quoque Ecclesiæ suæ impendit, aliud thuribulum aureum quod postea in loco prioris domino papæ restituit. Tres urceolos argenteolos, unum antiphonarium, unum officiarum, et unum missale, tres breviales, unum quadragesimale, duos benedictionales, librum pastoralem, librum De Vita episcoporum, canones, alium librum ex diversis sententiis, alium librum De fide S. Trinitatis, et de aliis sententiis, alium librum majorem per totius anni circulum.

CAPUT LVIII.

Has subsequentes litteras misit papa Calixtus eidem archiep. pro deliberatione P. [Pelagii] Bracarensis archiep. quem T. [Tarasia] Portugalensis regina vinculis mancipatum captum tenebat.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Pervenit ad nos, » etc.

Vide in Calixto II, Patrologiæ t. CLXIII, *sub num.* 188.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Frater iste, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 138,

CAPUT LIX.

Qualiter regina [Urraca] insidiabatur archiepiscopo.

Multa inter archiepiscopum et S. R. E. leg. Didacum et inter reginam U. reconciliationis statuta fuerant, multa, ut in priori et in hoc consequenti libro scriptum est, pacis fœdera præcesserant. Equidem postquam regina tam detestandum facinus, (proh nefas!), videlicet mittere manum in Christum Domini, quorumdam flagitiosorum instinctu ausa fuerat inter eos quasi amicitiæ habebatur imago, et suspicionis utrinque nebula volitabat. Archiepiscopus tantum expertus piaculum, licet prædicto ipse et regina confœderarentur pacto, nec reginæ tamen se usquequaque credebat, nec ejus multimodis rationibus spem fidei adhibebat; regia jura, debitumque obsequium, nequaquam ei subtrahebat, secundum Evangelium: « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII, 21). » Cæterum regina, utpute tam exsecrabilis noxæ conscia, hujus reatus nitebatur omnimodis abolere chirographum. Nunc verbis dulcifluis, nunc immensis archiepiscopum alliciebat promissis, Gallæciæ regnum ejus ditioni subjiciens, consules ac principes ejus imperio subjugans; licet enim cum filio suo rege A. pacis fœdera jam inisset, licet eum cum omni potentatu suo sibi obnoxium, utpote filium suum, haberet, archiepiscopi tamen prudentiam admodum sibi necessariam animadvertebat, nec sine ejus auxilio Gallæciam suo posse penitus frenare imperio videbat. Præterea comitem P. Froylaz ejusque filios, vinculis mancipaverat, et egebat præcipue consilio et auxilio archiepiscopi ad vindicandum honores illorum compeditorum, et castellum Lupariæ, in quo Arias Petriz rebellabat; neque hoc castellum obsidere, nec ad deditionem cogere, nec cæteros Gallæciæ conspiratores pessundare, nisi per archiep. poterat; quippe cujus prudentia, cujus potentia altius eminebat. Si reginæ adversari inciperet, tota fere Hiberia rebellione quateretur. Hac igitur causa regina compulsa ad occidentales Gallæciæ revertitur partes; prius tamen iterum atque iterum nuntios, scilicet episcopos, consules, principes, cives, direxit ad archiep.

(145) Hic ipse auctor est qui hæc scripsit. Latine hic *magister* dictus, Græce verp *didascalus*, supra c. 6

in hæc verba: « Didici, reverende Pater, quorumdam relatione, et quibusdam conjecturis, animum tuum pro facinore quod pessimorum persuasionibus in te præsumpsi, a me alienatum, et prudentiæ tuæ excellentiam de fide mea diffidere. Qua de re venio ad paternitatis tuæ gremium satisfactura, et, prout jusseris, noxam illius piaculi abolitura, te patrem, te patronum super omnes Hesperiæ pontifices ac prudentes mihi præpono, tuum consilium, tuumque auxilium usquequaque mihi necessarium video, nec nisi te amico et coadjutore Gallæcos proditionis ac rebellionis face partim succensos, edomare possim. Hæc atque alia iterum, iterumque muneribus adornavit promissis, et tandem legatorum prudentia cooperante, archiepiscopi animum aliquatenus lenivit. Quid plura? Consulitur, stabilitur quo fœderis pacto timoris atque suspicionis nebula ab archiep. removeatur, vel quomodo præteriti facinoris calumnia sepeliatur, aut de simili reginæ molimento deinceps cavere ac pertimescere archiepiscopum opus non haberetur. Inter archiepiscopum itaque et reginam eorumque homines tantum ac tale fœderis sancitur pactum, quod nec archiepiscopum reginæ insidias vel machinamenta imposterum oporteat pertimescere, nec regina de archiepiscopi auxilio desperare; neque, si velit tergiversari, ut est animus mulieris, pedicam archiepiscopo valeat intendere; omnes enim episcopos regni sui regina dat archiepiscopo in fidei astrictionem, hac videlicet conditione, si regina violari, aut machinari deinceps in archiepiscopum tentaret aliud quam in subsequenti scripto resonat, vel si ejus personam, vel honorem illius invadere præsumeret, prædicti episcopi in ipsam reginam ejusque regnum anathematis promulgarent sententiam, divinum penitus interdicendo circumquaque officium, excepto baptismo et pœnitentia, donec resipiscat, et archiepiscopo satisfaciat. Omnes quoque consules ac principes regni sui regina in hoc pactum jurejurando astrinxit hoc modo, si ipsa aliter quam in sequenti scripto patet, in archiepiscopum facere præsumeret, omnes cum castellis, et municipiis, et honoribus suis reginæ adversentur, et pro archiepiscopo ad rebellionem commoveantur donec regina satisfaciat archiepiscopo sanciendo hujus fœderis pactum, definitum atque statutum est episcoporum litteras, uniuscujusque sigillo munitas, ad dominum papam ipsius fœderis seriem continentes deferri, et scripto atque sigillo ejus muniri; sententiam quoque ejus addendam, quod quisquis prætaxati fœderis fidem transgressus foret, apostolica, donec satisfaceret, multaretur sententia. Qui vero ut habet fœderis series custodiret et adimpleret, perenni benedictione donaretur. Hoc est pactum fœderis inter archiepiscopum et reginam.

Forma securitatis quam præstitit regina archiepiscopo.

« Æra ICLXI quot VI Kalendas Aprilis. Ego Regina U. promitto et affirmo vobis archiep. S. Jacobi D. Didaco per Deum Patrem omnipotentem et per omnes sanctos ejus, ut ab hac die sim vobis fidelis domina et amica, sicut bonus rex suo bono archiepiscopo, in tota vita mea in adjuvando vestrum prode, et deretrando vestrum malum, et defendam vitam vestram, et membra, et honorem quem habetis vel habituri estis pro posse meo contra omnes homines et super omnes homines sine arte et malo ingenio, et neque per me neque per meum consilium sitis captus, vel mortuus, vel de vestro honore expulsus. et nunquam faciam pactum cum aliquo homine ad detrimentum vestrum, et si aliquod malum fuerit dictum mihi de vobis, vel non habeam inde curam, vel vos ad rationem ponam, et accipiam, inde judicium, quod dederint nobis illi qui sunt in hoc pacto, et voluerint concordiam inter me et vos de meis et vestris hominibus, recepta et emendatione in loco et tempore convenienti, tenebo vobis in prædicto placito, et hoc totum complebo sine arte et malo ingenio. Et si (quod absit!) ab aliquo lucritie captus, modis omnibus nitar et intromittam me ad absolutionem vestram, et vestri honorem, et rerum vestrarum recuperationem, et ad hanc fidelitatem confirmandam do vobis comitem domnum P. Gunsalvizi et inferius subscriptos, ut si ego non attendero hoc pactum, ipsi sint vobiscum cum honoribus suis, donec correxero: et si isti fuerint mortui vel expulsi, qui successerint dent vobis ad faciendum supradictum pactum.

« Nos archiepiscopi et episcopi infra scripti promittimus et affirmamus quod si regina (quod absit!) non attenderit supradictum pactum, simus cum archiepiscopo ad detrimentum et damnum reginæ, excommunicemus eam illico et ejus et terram et episcopatus nostrum præter baptismum et pœnitentias, donec corrigatur.

« Quæcunque hactenus fuerunt inter me et vos sint condonata et absoluta deinceps, et quidquid de hoc pacto absolveritis sit absolutum. » Consimile scriptum tenet regina. Episcopus Munio Valibriensis confirmo. Episcopus Alo Astoricensis confirmo. Joannes Ramirizi juro. Guterre Horca juro. Petrus Guterrizi juro. Joannes Didaci juro. Federnandus Joannes juro.

Cætera scripta atque placita quæ inter archiepiscopum et reginam usque ad hoc pactum præcesserant, irrita et cassa haberi diffinitum est. Hoc solum firmiter teneri: hoc solum fideliter custodiri sancitum est.

CAPUT LX.

Litteræ Calixti papæ missæ archiepiscopo super commissione legationis.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Perspectis Lucensis Ecclesiæ, » etc. *Vide in Calixto II, Patrologiæ t.* CLXIII, *sub num.* 205.

CAPUT LXI.

Quod acquisita per prælatum litterarum memoriæ sunt tradenda.

(146) Dominus ac Redemptor noster, volens iter

(146) Verba archiepiscopi.

nostræ operationis inoffenso pede dirigere, docet nos, ne qui ad exemplum bonæ actionis pastorali cura cæteros debemus instruere, aliquando bona quæ agimus occultantes lucernam sub modio convincamur abscondere: « Nemo, inquit, ascendit lucernam, et ponit eam sub modio (*Matth.* v, 15), » sicut enim lucerna, quæ sub modio est, nullum alium locum, præter eum in quo est, illuminat, sic et qui clam bene operatur, neminem præter seipsum exemplo sui ipsius informat. Iterum ne si opera bona nostra humanis præsentetur obtutibus, quasi lucernam supra candelabrum positam ventus elationis exstingueret, arrogantiam declinare docuit, cum subjunxit: « Cum omnia bona feceritis, dicite, servi inutiles sumus (*Luc.* xvii, 10). » Eo igitur calle quo docuit, et quomodo docuit, incedere cupientes, si quid dignum memoria in episcopatu vel archiepiscopatu nobis seu antecessoribus nostris contigerat, necnon etiam quantum unusquisque Ecclesiæ cui præsumus prodessemus, ne oblivionis fieret obsoletum fuligine, dignum duximus in hujus libri serie ad ædificationem sequentium compilare. Bene autem officium hujus libri cum etymologia sui concordat vocabuli, cum sine hac de causa Registrum quod retrogesta, vel res gestas contineat appelletur. Donet autem Dominus nobis, quibus vineam suam locavit agricolis, ne, sicut infructuosa ficulnea terram inutiliter occupantes, hujus districtæ animadversionis sententia feriamur: « Malos male perdet (*Matth.* xxi, 41), » etc., sed ut talentum duplicatum Domino fideliter apportantes ista voce Dominica consolemur: « Euge, serve bone (*Matth.* xxv, 21), » etc. Jam demum quod per nos nostra noviter acquisivit Ecclesia, sequens necesse est ut demonstrat scriptura.

Urraca siquidem Dei ordinatione Hispaniarum regina, omnes hæreditates quas sibi domina Tigria contulit, hæreditario jure possidenda Ecclesiæ nostræ contradidit, ut quia tantum ac talem hæreditabat apostolum, peccatorum suorum percepisset remedium. Hujus facti æmula Dei æmulatione prædicta Tigria dimidietatem aliam, quam sibi servaverat, huic similiter Ecclesiæ post mortem suam statuit relicturam.

Acquisitio quarumdam hæreditatum.

Hæc sunt nomina hæreditatum quas regina domina Urraca et Tigria Enxemeniz dant Ecclesiæ B. Jacobi, et vobis domino archiepiscopo D. Bastavales, Dayam, Neruimes, Cirquites, Dorma, Queygido, Gandera, S. Julianum, S. Eulaliam, S. Vicentium, monasterium de Villarino, quod est in ripa Minei cum hæreditatibus suis, in Salnes de monasterio de Supratelo portionem nostram, de S. Maria de Tralezio, de Sancta Maria de Cendam, de S. Mamete de Alamir, et alias hæreditates, similiter mando et dono vobis quas debeo habere pro aliis meis hæreditatibus, quas vendidit frater meus Petrus Enxemeniz sine meo consilio et voluntate in Salnes, Superata, Guldreganes, Truanes, pro quibus debeo ego Tigria Enzemenizi me prius integrare et postea dividere alias cum fratribus meis. De omnibus his præfatis hæreditatibus ego regina D. Urraca et D. Tigria damus et concedimus Ecclesiæ B. Jacobi et vobis archiepiscopo nostras portiones.

Marina Rabinadiz dedit B. Jacobo et domno archiepiscopo et ejus canonicis villam quamdam cum hominibus et hæreditatibus suis, quæ vocatur Savardes.

CAPUT LXII.

Juramentum reginæ quod præstitit archiepiscopo.

Postquam igitur venerabilem dominum D. jam tunc temporis Compostellanæ sedis primum archiep. nec non et S. R. E. leg. regina domina. U. (proh nefas!) fecerat sub custodia detineri, Compostellana manus de suo pastore liberando sollicita unanimiter nitebatur ut eum, quem illa male ceperat, vellet nollet, dimitteret; cujus insidias cum sibi multo ante intendi cognosceret, noluit tamen ab ejus servitio aliquatenus declinare, sed ejus jussis obtemperans, suo cum exercitu in Portugalenses hostes sequitur profecturam et sperantem quod quia illum in terra sua capere non poterat, in Portugalia, ubi, tot vires sibi non suppeterent, licentius posset. Eo igitur, ut diximus, per Dei misericordiam ab ejus manibus liberato, quoniam indignum fuerat ut carcelari manciparetur custodiæ, cui Deus contulerat potestatem ligandi solvendique in cœlo et in terra, restabat inter eum et reginam pacem conciliari quæ etiam super eo solvendo querebatur se vim coactionis a suis hominibus pertulisse. Sopita demum inter eos omni hac in perpetuum querela, et ne fide media foret amplius super his conquestura, vulnus tamen tacitæ simultatis in abdito sui conservabat pectoris. Sed quis non credit quod tunc mala femina lædit, quando flens jurat, nec enim perjuria curat. Cum enim aliquanto post adveniens, Gallæciam visitaret, quosdam qui per archiepiscopi liberationem sibi vim intulerant, regiæ majestati causabatur obnoxios, utpote qui temerario ausu conspirationis in eam non solum ab hæreditatibus proscribi, verum etiam plecti debuissent sententia capitali. Tunc quia justum erat ut de quacunque impeterentur causa, ad hanc illis ejus auxilium non deesset, pro illis a regina violenter impetitis justæ defensionis scutum opposuit, ut si quæ in eos intentarentur, sicut intentabantur, adversitatis spicula illa unus pro omnibus paratus exciperet. Tandem itaque exsilium, proscriptionem hæreditatum, et si quæ sint similia quæ regia animadversio ad vindictam fieri postulat, ccc marcis et eo amplius de suo redimens, ad amorem suum suorumque reginam studuit revocare. Deo autem gratias quia adeo illum intra gremium suæ dilectionis ex tunc et modo regina confoveat, ut cui libentius consiliorum suorum committat arcana, quippe in quo potius confidat, non habeat. Etenim gratiam in oculis regum invenire non nisi donum Dei est. Post confectam interea inter eos pacem et juri-jurandi robore stabilitam, Arias Petrizi dux castelli Lupariæ, quoniam regina

socerum ejus comitem dominum. P. cum filiis et uxore in vinculis conjecerat, in rebellionem conversus est; ad cujus castelli obsidionem dum regina milites suos circumquaque diffunderet, quia non se facile præbebat assultui, comminus a facie ejus castellum aliud statuit obfirmare.

Circa quod opus dum argumentosa existeret, quidam de militibus archiepiscopi illam adeunt collocutum, sperantes eam erga illum priorem animum non mutasse, credentesque se parti ejus feminam invenire, virum firmissimum repererunt : « En, inquiunt, regina, nisi tuæ displiceat majestati, archiepiscopum illum D. semper tuæ voluntati contrarium, captum dabimus, vel occisum. » Quos torvo vultu regina respiciens, non solum sacrilegii scelus exsecratur auditum, sed accitis qui stabant testibus unum eorum, videlicet Petrum Garcionem, qui prolocutor exstiterat, quæ soli sibi dixerat, coram illis, ut professio reum faceret, iterare compellit. Qui convictus ex ore proprio rem abominabilem protulisse, captus, et catenatus, atque in carcerem retrusus, in foveam incidit quam prætendit : cæteris, quia id constanter negaverant, satisfactioni militiæ reservatis. Inquisitus autem ab eadem regina quo ordine id inordinatum fieri statuisset, insinuat : « Cum, inquit, de castello suo Honesto regrediens paucis, ut assolet, comitatus, Iriam tetendisset, communi deliberaveramus assensu, ut potius morti quam capturæ eum manciparemus. Si autem eo in loco, in quo sperabamus, nec hoc nec illud contingeret, strenuitati meæ injunctum iri hujus rei caput esse deposco. Etenim circa noctis medium ipso et ejus cubiculariis resolutis in somnum, armata manu furtim per loca quæ bene noveram, cameram introgressus, voluntatis meæ procul dubio compos existerem. » Postquam ergo tam detestandum facinus et quonam modo fieri debuisset [*f.* retulisset], regina considerat : « Tunc es, inquit, quem nudiustertius majorem domui suæ præfecerat, quem præ cæteris diligebat, cui etiam intima consilia sua credere consueverat ? Vere « inimici hominis domestici ejus (*Matth.* VII, 6), » quia « qui edebat panem ejus ampliavit adversus eum supplantationem (*Psal.* XL, 10). » Quamvis autem regina, qui et quales adversus mortem archiepiscopi conspirassent, primo per Bernaldum Ecclesiæ nostræ thesaurarium, et Fernandum Petrizi ejusdem reginæ cancellarium ei notificare satageret, et ut sibi de eis præcaveret, iterum per comitem dom. R. pietate solita commoneret, beneficium tamen quod unicuique eorum archiepiscopus præstiterat, de eis talia credere non sinebat. Quosdam enim ab ipsis rudimentis infantiæ paterna dilectione usque ad provectum militiæ alendos susceperat ; quosdam adultos ætate armaverat, et quæ militare officium exigit, equos, arma contulerat, quibusdam se ipsum et curiam suam eorum arbitrio disponenda commiserat ; et quoniam bona pro malis perfectorum est reddere, nec adhuc nos humana fragilitas ad perfectionis culmen permittit ascendere; a tramite tamen non declinavit justitiæ qui mala pro malis voluit compensare. Dicit enim Augustinus : « Reddet Deus mala pro malis, quoniam justus est ; bona pro malis, quoniam bonus est ; bona pro bonis, quoniam bonus et justus est ; mala pro bonis non, quia injustus non est. » Temporalem igitur vindictam in eos, quantum licuit, exsecutus, eorum domos et hæreditates depopulando diruit, destruxitque funditus, et quoniam hæreditatem destruxisse non satisfaceret ultioni, complices et conspiratores tanti sceleris quos apprehendere potuit, in carcerem retrudi fecit, elapsos vero per fugam, usquequo satisfacerent, anathematis vinculo colligavit.

Ecce dum breviloquus esse studui, causas et eorum nomina prætermisisse me memini, sed hoc peccatum facile veniam meretur, quod peccatum non esse verissima ratione colligitur. Si vero peccatum esse constiterit, ecce stylus præ manibus est, et lingua cum animo dictantis paret obsequio, ut sine deformitate tractatus apponi possint quæ apposita non sunt ; quamvis enim neuter eorum suo proprio designetur vocabulo, non minus tamen enormitas sceleris apud aures vulgi eorum infamiam sineret promulgari. O utinam nec tantum scelus aggredi unquam voluissent, nec de se nobis tam lugubrem materiam præstitissent ! Quantum enim inceptio pravæ voluntatis differre habeat a perfectione operis, ex verbis possumus colligere Augustini qui dicit : « Voluntas perfecta reputabitur pro opere facti (147). » Si iterum qui, secundum Joannem, fratrem suum odit ad mortem, homicidii reatu constringitur (*I Joan.* III, 15), quanto magis isti, voluntatem suam jam ad effectum, quantum in eis est, perducere cupientes, duplicis reatus macula offuscantur, qui et de Patre patricidium, et de Domino reatum proditionis incurrunt. Velim utique, si possim, tantum dolorem ad memoriam nolle reducere, qui me et cæteros qui recte sapiunt, cogit in gemitus et lacrymas prorumpere. Quis enim non profusis lacrymis sicco oculo transeat ; cujus recolentis verba singultus non intercidat, in quo solo salus consistit patriæ, per quem status roboratur Ecclesiæ, ausu sacrilego necem sui Domini quempiam pertentare ? Quorum intentio hunc rei exitum prætendebat, ut quia non erat alter qui se murum pro domo poneret Israel (*Ezech.* XIII, 5), eo sublato pastore, Dominicum gregem acephalum invenirent, et tunc domos continuare et hæreditates suas propagare liberius possent. O vere Judæ similes ! qui si ad effectum perduxissent quod volebant, in nullo prorsus peccatum esset dissimile, nisi quod ille Deo, hi mortem homini machinabantur. Cupio autem uniuscujusque causam qua id ausus fuerit explicare, qui plerumque interrogati se accusant, dum se cupiunt excusare, et sic eo magis viliores appareant, quanto pro tam vili causa in tam excellentem virum necem fuerint demoliti. Ponamus vero quod juste conspirationis

(147) S. August. Append. serm. 147, 7, Patrol. t. XXXIX.

eos causa exstimulaverit, quod tamen non esset eorum justæ defensionis occasio, quoniam ibi jus suum perdit, justitiæ ubi contra defensorem justitiæ manum suam inconsulte quærit extendere; legimus enim quod pereuntes arcam Domini casuram voluerunt erigere, sed quia inconsulte manum suam apposuere bobus calcitrantibus periere (*II Reg.* VI, 6). Si autem mortis sententiæ deputati sunt, qui cadentem satagebant erigere, quali sunt digni supplicio qui arcam Domini firmiter stantem ad ruinam voluerunt impingere ? Ecce dum præscrutandæ veritatis gratia sententiarum pelagus evitare percupio, figenda est anchora ne viribus eloquentiæ meæ, cum voluero, ad portum enatare non possim.

Cum igitur Petrus Garcio, ut diximus, ab archiepiscopo haberetur inter charos charissimus, qui et tanto postea majori fuit odio dignus, quanto ultra speratum inter inimicos de amicissimo factus est inimicus, terram quæ vocatur Cordarium de manu archiepiscopi suscepit in præstimonium; quam potestatem dum in tyrannidem convertisset et de substantiis pauperum hydropisim avaritiæ suæ explere nullatenus potuisset, videns quod nihil profecisset admonitionibus, eo usque pati voluit archiepiscopus, quandiu ejus imperium non esset oppressio pauperum ; nec mora sublato honore cœpit inhumanius insanire et furere, atque complices et coadjutores factionis indesinenter inquirere. Convinctus ergo tanti facinoris prius a regina captus est ; deinde domino archiepiscopo procerum Gallæciæ consilio et justitiæ regulo exigente, ab ipsa regina redditus in ergastulo carceris, Honesti nomine, condigna cum et socios pœnitentia subsequente ab archiepiscopo missus est. Ad ultimum post diuturnam carceris macerationem duo millia solidorum domino archiepiscopo in suam redemptionem contulit; et sic cum archiepiscopus tali juramento sibi reconciliavit : « Juro ego Petrus Garcio, cum XII juratoribus, in primis per omnipotentem Deum, et cætera per quæ vulgaris usus fidem exigit juramenti, quod terram reginæ dominæ U., sive homines, dicto vel facto nullatenus impugnem, neque terram præsentis archiepiscopi domini D., in cujus potestate sum, neque terram Fernandi Joannis, sive fratris sui Petri Mariscot, vel eorum homines, tam terram populatam quam depopulatam, et ab isto Natali Domini quod est sub æra ICLXII (148) usque ad aliud Natale, anno videlicet completo, non requiram nec habeam dominium alicujus qui in vestram terram guerram moveat. Finito vero hoc anno, si dominum habuero, qui contra omnes vos vel contra quemlibet vestrum guerram faciat, et cum eo me guerra illa invenerit, taliter cum domino meo contra vos veniam, ut salva fide domini, quantumcunque potuero honorem et utilitatem vestram, sicut dominorum, sine fraude et malo ingenio prætendam. Præterea do Ariam Petrizi ad fidem, ut si de prædicto pacto perjurus exstitero, ipse non recipiat me in terram suam, sed disturbans me, adjuvet vos, ego autem, deinceps sim perjurus, et omnes qui mecum jurant, et insuper persolvam tria millia solidorum unde fidejussores jam dedi. »

CAPUT LXIII.

De confirmatione legationis.

Licet archiepiscopus D. inter tot tribulationum turbines positus vexaretur, et sæcularium negotiorum difficultatibus undique circumveniretur, de proficuo tamen et exaltatione suæ Ecclesiæ plurimum sollicitus, legatos suos P. Fulconis, et P. Heliæ, alterum ecclesiæ B. Jacobi capellanum, alterum vero archidiaconum, Romam cum sua benedictione, quadringentis scilicet aureis et cum suis et ex parte regis et reginæ supplicatoriis litteris, necessariis itineris sibi traditis, destinavit, et per eos legationis suæ, quam Toletanus perturbaverat, confirmationem rege et regina supplicante, et sua familiaritate et obsequio subveniente, hujusmodi litteris a domino papa sibi missis impetravit.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Antiqua sedis apostolicæ, » etc. *Vide in Calixto II, Patrolog. t.* CLXIII, *sub num.* 238.

Per eos etiam legatos Dominus papa tale privilegium ipsi Compostellano direxit, per cujus auctoritatem ob B. apostoli Jacobi reverentiam, et ob sui nepotis Ildephonsi regis præcipuum amorem, et ipsius Compostellani specialem dilectionem, concedit et confirmat B. Jacobi ecclesiam metropolitanam Emeritanæ sedis dignitatem, prius sibi ad tempus concessam, quiete et absque calumnia obtinere et perpetuo possidere.

Ecce privilegium de confirmatione translationis metropolitanæ dignitatis quæ Emeritanæ sedis fuerat, in sede B. Jacobi translatæ.

« Calixtus episcopus servus serv. Dei, ven. fratri D. Compostellano archiep. ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cœlis et in terra (149). » etc.

CAPUT LXIV.

Celebratio concilii.

Compostellanus igitur, litteris domini papæ Calixti de legationis suæ confirmatione visis et acceptis, episcopos et abbates, per Emeritanam et Bracarensem provincias constitutos, ad concilium invitavit, quibus omnibus præter Bracarensem et Colimbriensem ad ejus invitationem Compostellam gratanter confluentibus, concilium ibidem domino rege Ildefonso cum principibus et fere omnibus terræ potestatibus præsentibus, mediante Quadragesima celebravit : in quo nimirum concilio ipse de proficuo, et honore S. Ecclesiæ juxta datam sibi a Domino facultatem fratribus venerabilibus Astoricensi, Valbriensi, Abilensi, Lucensi, Salmanticensi,

(148) LXI legendum (anno scil. 1123), ut præcedentia et subsequentia firmant.

(149) Intrusa hic bulla, sua mota loco. Eam sequenti capite cum modo impetrationis reperies.

Tudensi collaborantibus, prudenter et laudabiliter tractavit. Bracarensi vero et Colimbriensi, quia nec ad concilium venire, nec excusatorias personas mittere voluerunt, canonicas inducias intra quas in suam præsentiam satisfacturi de culpa venirent, communi supradictorum fratrum consilio et rogatu concessit; quod quia facere noluerunt, canonica eos sententia transactis ipsis induciis, multavit.

Et post equidem hujus concilii celebrationem proxima Pentecoste prælatus rex jam juvenis, novis armis ab altari B. Jacobi, Compostellano consulente, et ipsa arma benedicente, acceptis, Montani honoris quem Ecclesia Compostellana diu amiserat, medietatem ipsi Compostellano et suæ Ecclesiæ reddidit, facto etiam de hac medietate privilegio, propria manu roborato, et super altare B. Jacobi oblato, se aliam eidem Ecclesiæ medietatem suo honore et suo posse crescente, redditurum, in manu domini Compostellani et super altare B. Jacobi clero et populo vidente et audiente firmiter promisit. Compostellanus autem hoc dono a rege accepto, x argenti marcas non in pretium, sed ex sola charitate et dilectione, ipsi regi hilariter largitus est; ipsius quoque regis consiliariis, qui suam partem in hoc negotio juverant et sustentaverant, magnum pecuniæ pondus munifica manu erogavit. Contulit etiam ipsi regi xxx marcas argenti, et mille solidos cum tribus optimis sonipedibus, sed hoc fecit occulte propter reginam, quæ tunc temporis eidem regi filio suo penitus desidebat; metuebat enim ne ipsa regina hujusmodi largitiones suboleret, et inde sibi infesta et irata efficeretur.

Interea idem archiepiscopus, metropolitana Emeritanæ sedis dignitate sibi et suæ Ecclesiæ ad tempus collata, donec videlicet Emeritana sedes Christianorum potestati et dominio redderetur, exemplo boni et discreti pastoris cœpit secum tractare et sollicitus esse quomodo præfatam dignitatem suæ Ecclesiæ in perpetuum posset vindicare et retinere. Recondiderat enim in armariolo suæ mentis illud verbum Sapientis: « Melius esse omnino honorem non acquirere, quam acquisitum per desidiam et negligentiam amittere: » noverat etiam gravissimum et intolerabilem casum esse de prælatione in subditionem, de dominio in servitutem, de divite cultu in nuditatem. Et idcirco metuens ne sua Ecclesia supradicta dignitate privata et exuta de metropoli efficeretur suffraganea, legatos suos Petrum Fulconis cardinalem et Petrum Heliæ archidiaconum suum (150) cum sua benedictione, quadringentis scilicet aureis, omnibus necessariis totius itineris eis ambobus ad plenum collatis, Romam destinans, dominum papam per litteras suas supplici et humili voce rogavit, quatenus metropolitanam Emeritanæ sedis dignitatem, quam Compostellanæ Ecclesiæ, ut dictum est, ad tempus concesserat, eidem Ecclesiæ ob B. Jacobi reverentiam in perpetuum obtinendam atque possidendam concederet, et concessam auctoritatis suæ privilegio sanciret et confirmaret. Amicos quoque suos et familiares, quos tunc temporis Romæ habebat, litteris suis destinatis, obnoxius deprecatus est, quatenus sui fautores et adjutores in hoc negotio esse satagerent. Legati ergo post immensos itineris labores et multas anxietates Romam tandem pervenere et majorem quadringentorum aureorum partem primum domino papæ, ipsius pedes deosculantes, et cum ex parte domini archiepiscopi D. Didaci humiliter salutantes præsentaverunt; deinde minorem partem cardinalibus et Romanæ curiæ primoribus, prout melius noverant esse distribuendos, distribuerunt. Postremo qualem quantamque dilectionem Compostellanus archiepiscopus erga Dominum papam et Romanam Ecclesiam gereret, et quam devotus et quam paratus ad eorum servitium et voluntatem exsequendam et ad exhibendam Romanæ Ecclesiæ obedientiam esset, viva voce exposuerunt. Ad hæc litteras quas ex parte ipsius Compostellani ad dominum papam secum tulerant in curia recitandas dederunt. Litteris ergo recitatis et verbis legatorum auditis velle et petitio domini Compostellani universis innotuit. Erat autem illius velle et petitio, ut prælata dignitas in Compostellanam Ecclesiam perpetualiter transferretur, et translatam apostolicæ auctoritatis privilegio sanciretur et confirmaretur.

Dominus itaque papa consilio cum cardinalibus et cum Romanæ curiæ optimatibus inito dominum Compostellanum in suis petitionibus exaudiendum esse ob B. Jacobi reverentiam, et ob fidelitatem et dilectionem quam erga Romanam Ecclesiam gerebat, communi omnium astantium assensu decrevit. Vocatis itaque legatis quid consilii cum cardinalibus cepisset, talibus verbis seriatim eis aperuit: « Quantam dilectionem, et quam devotam voluntatem dominus vester Compostellanus archiepiscopus, noster specialis amicus, erga nos et Romanam Ecclesiam gerat, universis Romanæ curiæ personis satis manifestum est; nam licet sit localiter a nobis multum remotus, præsentem se tamen nobis et anixi charitate et frequenti benedictionum exhibitione exhibet, unde apud nos exaudiri, et petitionem suam, quamvis arduam, impetrare omnibus bonis Romanæ curiæ unanimiter volentibus et consulentibus, profecto meruit. Metropolitanam siquidem Emeritanæ sedis dignitatem, quam Compostellanæ Ecclesiæ ad tempus concesseramus, eidem Ecclesiæ ob Dei et B. Jacobi reverentiam et ejus amorem in perpetuum concedimus, et illam concessionem auctoritatis nostræ privilegio communi fratrum consilio stabiliter et firmiter sancimus et confirmamus. Illud autem privilegium ad dominum vestrum feretis dissigilatum, ea videlicet de causa, ut ipse et sui boni clerici privilegium illud legant, et diligenter inspiciant utrum aliquid sit in eo ad stabilitatem et firmitatem addendum vel excludendum et meliorandum. Quod si quid in eo corrigendum et meliorandum viderint,

(150) Vide cap. præced.

ad placitum suum corrigant, et emendent. Postea dominus vester correctum et emendatum nobis remittere studeat, et nos privilegium illud impresso nostræ auctoritatis sigillo sigillabimus, supra memoratam dignitatem in Compostellanam Ecclesiam apostolica auctoritate perpetualiter transferentes. »

His auditis legati domni Compostellani pedes domni papæ humiliter osculati sunt, immensas ejus majestati grates ex parte domni Compostellani referentes, et fidelem obedientiam cum reverentia ex parte Compostellanæ Ecclesiæ pro tanti beneficii collatione eidem pollicentes. Postea paucis diebus evolutis promissum privilegium de manu domni papæ accipientes, ad propria cum gaudio reversi sunt et privilegium dissigillatum domino suo læta manu præsentaverunt. Cumque dominus archiepiscopus super absentia sigilli non modicum miraretur, legati causam quare illud privilegium dissigillatum attulissent, his verbis ipsi exposuerunt : « Venerabilis Pater, domnus papa te et tuam Ecclesiam, sicut nos ex ipsius verbis plane perpendimus, internæ dilectionis brachiis amplectitur, et te inter familiarissimos amicos suos, et specialissimos filios ob benevolentiam et fidelem obedientiam quam sibi et S. R. E. studes exhibere, pro certo habet, et ut tibi pateat ipsius dilectionem per operis exhibitionem erga te veram esse et sinceram, istud privilegium destinavit tibi dissigillatum, ut si quid in eo addendum, vel removendum unde firmius et stabilius efficiatur videris, addi pro velle tuo vel removeri facias. Et postquam id ad libitum tuum correxeris, statim ei remittere studeas, et quale ei remiseris, tale tibi, ob Dei et B. Jacobi reverentiam, et ob tui præcipuam dilectionem, ab eo sigillabitur et confirmabitur. » Hoc audito Compostellanus non modico gaudio repletus clericos suos meliores et familiariores illico convocari jussit ; quibus ad ejus invitationem libenter confluentibus præcepit quatenus diligenter inspicerent utrum aliquid in eo privilegio addendum esse viderent, quo addito, vel excluso privilegium stabilius et firmius efficeretur. Illi autem illius præcepto obtemperantes, supradictum privilegium legerunt et relegerunt ; quæ in eo corrigenda et melioranda invenerunt, prout melius potuere, emendaverunt. Correcto aut emendato privilegio, quia dominus Compostellanus domini papæ dilectionem et benevolentiam, pro tanti beneficii et tantæ dignitatis collatione erga se et Ecclesiam suam magnam esse cognovit, illud Gregorianum memori mente recolens : « Probatio dilectionis exhibitio operis est (151), » trecentas auri uncias ipsi papæ et cæteris Romanis suis familiaribus ex charitate et benevolentia direxit, legatos quoque suos P. Fulconis cardinalem, qui privilegium attulerat dissigillatum, et Adefonsum Petridem B. Jacobi canonicum, Romam cum ipso privilegio remisit, benedictionem autem supradictam non ipsis legatis commisi deferendam, sed potius peregrinis notis et fidelibus, metuens ne si ipsi legati eam secum deferrent, incurso captionis in itinere periculo eam omnino amitterent, Aragonensis quippe rex domino Compostellano dominæ reginæ U. causa, quam manu tenebat, et cui amicabatur tunc temporis, mirabiliter inimicabatur, et quoscunque de Gallæcia aut Castellana patria in itinere deprehendere poterat, omnes præter Hierosolymitanos, male tractare et exspoliari faciebat ; sed unus peregrinorum XXVII uncias auri, quas in cappa sua deferebat consutas, cum ipsa cappa a latronibus in itinere exutus amisit ; quarum amissio maximo impedimento et maximæ disturbationi legatis domini Compostellani postea exstitit ; nam cum Romam pervenissent et supradictum privilegium a domino papa sigillatum esset et confirmatum, pecuniam illam quam a peregrinis salvam ne sperant, domino papæ et aliis quibus distribuenda erat distribuerunt. Sed unde XXVII uncias quæ in itinere amissæ fuerant restaurarent, non habuerunt, et quia ad dominum suum redire, nisi illis XXVII unciis restauratis, non audebant fere per unum mensem solliciti et anxii Romæ morati sunt. Dominus enim suus archiepiscopus per obedientiam eis injunxerat ut illis trecentas auri uncias domino papæ et aliis suis amicis integras impartirent.

Erant autem tunc temporis duo canonici B. Jacobi P. Astrarides, et Pelagius Joannides in partibus illis, qui in Apuliam et in Siciliam biennio jam transacto profecti fuerant, auxilium ad opus Ecclesiæ B. Jacobi a fidelibus petituri. Et illi equidem duo canonici finibus illarum provinciarum, quærendo quod dictum est perlustratis, in patriam suam reverti jam disposuerant, et revertentes Papiam usque jam pervenerant. Quod cum domini Compostellani supradicti legati supradicta de causa Romæ commorantes comperissent, inito consilio inter se statuerunt, ut altero eorum, Petro Fulconis scilicet cardinali, Romæ remanente, alter scilicet Adefonsus Petrides ad eos Papiam veniret XXVII uncias auri quæ sibi de trecentis unciis defecerant, mutuatorie vel aliquo alio modo ab eis extorturus. Qui cum ad præfatam civitatem pervenisset, quam cito suos concanonicos ibi invenit ; totam rem sicuti gesta erat, et quare venisset, eis seriatim narravit. Illi vero nihil de ejus verbis dubitantes constituerunt, ut alter sui cum ipso Adefonso Petride ad supradictum cardinalem Romam veniret, quidquid ipsi legati postulabant executurus, et cum Adefonsus Petrides Romam cum ipso suo concanonico reversus esset, ipse et Petrus Fulconis cardinalis XXVII uncias auri ab illo acceperunt, et eas domino papæ, et aliis quibus erant distribuenda, distribuerunt, et sic trecentæ unciæ auri quas dominus Compostellanus domino papæ ex charitate et benevolentia destinaverat, completæ sunt. Erant autem ducentæ earum de thesauro B. Jacobi, centum vero de facultate et proprietate domini Compostellani. Deinde privilegium de perpetua trans-

(151) S. Gregor. homil. in Evang. lib. II. hom. 30, Patrolog. tom. LXXVI.

latorem Emeritanæ dignitatis in Compostellanam Ecclesiam cum pallio ejusdem dignitatis de manu domini papæ accipientes, ad propria cum gaudio reversi sunt. Est autem exemplar illius privilegii infra subscriptum hoc modo.

Compostellana Ecclesia metropolis in perpetuum.

Calixtus episcopus, » etc.

« Potestatem ligandi, etc. *Vide in Calixto II, Patrolog. t.* CLXIII, *sub num.* 270.

CAPUT LXV.

Discordia inter Toletanum et Compostel. archiep.

Eo tempore quo supra memorati legati pro hoc privilegio insigillando et confirmando Romam profecti sunt, maxima dissensio inter dominum Compostellanum et dominum Toletanum exorta erat. Toletanus etenim totius Hispaniæ legationem diutine obtinuerat ; sed domnus papa Calixtus ipsius legationis partem Toletano substractam domino Compostellano, ob B. Jacobi reverentiam et ob fidelem obedientiam quam Romanæ Ecclesiæ assidue exhibuerat, tunc temporis contulerat, et vices suas in duabus provinciis, Bracarensi videlicet et Emeritana, exsequendas, ipsi Compostellano commiserat. Unde Toletanus, non modica ira accensus, et vehementi mœrore affectus, ita graves inimicitias in Compostellanum exercebat, ut et ipsius legationem, quibuscunque modis poterat, impugnando conturbaret, et Emeritanam dignitatem a domino papa illi jam concessam, violenter atque impudenter usurparet. Salmanticensem namque episcopum, cujus ordinatio et consecratio ad dominum Compostellanum canonica institutione pertinebat, quia ipsius suffraganeus erat, absque consilio et voluntate comprovincialium et contra sanctorum Patrum instituta atque sacrorum canonum decreta, consecravit et ordinavit. Episcopos quoque, et abbates, et personas ecclesiasticas domino Compostellano, ut legato et metropolitano, obedire volentes, neglecta justitiæ regula et inconsiderata ambitione interdicebat. Bracarensi etiam et Colimbriensi litteris suas direxit, in quibus utrumque, ne domino Compostellano aliquo modo obedirent, omnimodo prohibebat. Ipsi etiam Compostellano ne absque suo consilio concilium celebraret per hujusmodi litteras mandavit et interdixit.

CAPUT LXVI.

Incipiunt litteræ Toletani ad Compostellanum de interdictione concilii.

« Bernardus, Dei gratia Toletanæ sedis archiepiscopus et S. R. Eccles. legatus, dilecto in Christo fratri et coepiscopo Compost. Didaco, salutem.

« Vestræ dilectionis litteras nobis delegatas vidimus in quibus vos mediante Quadragesima Compostellæ concilium celebrare disposuisse, et consecratum nostrum, Salmantinum scilicet episcopum advocasse, nobis innotuistis. Miramur unde admodum super vestræ calliditatis sensum tam præsumptuose vos agere, præsertim cum vos ignarum non credimus litteras domini papæ Calixti archiepiscopis, per Hispanias constitutis, atque episcopis, abbatibus, et præpositis, clericali et ordini atque laicali generaliter destinatas vidisse, in quibus nec vestri, nec alterius personam excipit, ut mihi, tanquam Romanæ sedis legato et Romani pontificis vicario, obedientiam et reverentiam exhiberent, et vocati ad synodum, ut quæ emendanda essent nostri consilio emendarent, unanimiter accederent. Contra hujusmodi institutionis auctoritatem hactenus nullum a domino papa decretum huic auctoritati contrarium recepimus. Videtur etiam nobis vos contra sanctorum Patrum diffinitiones et venerandarum legum sanctiones agitare, et sacrorum canonum præcepta violenter cassare, quia quod vestrum non est, nec etiam ad vos pertinet, in nostræ legationis catalogo non jussus, non rogatus præsumitis usurpare. Unde ex parte B. Petri, apostolorum principis, vobis interdicimus, ut absque nostri consilio nostraque jussione præcedente generalem synodum nullo modo celebrare præsumatis. Episcopis denique et abbatibus Bracarensis Ecclesiæ ditioni subditis, nostræ societatis participare volentibus, ne vestræ intersint synodo omnino prohibemus.

« Quod vestris in scriptis vos et Ecclesiam vestram nos gravasse ac injuriasse de Salmantini episcopi consecratione nobis imponitis, nostra conscientia ut in aliquo vobis injuriam fecissemus nequaquam accusat. Quod enim fecimus, Romanorum pontificum auctoritate, domini scilicet U. et P. necnon Gelasii, et domini C. qui totius orbis christianitati modo præsidet, egimus ; qui inter cætera privilegio suo nobis misso et dato inseruit, sic affirmans : « Illarum etiam civitatum diœceses, quæ Saracenis « invadentibus metropolitanos proprios perdiderunt, vestræ ditioni eo tenore subjicimus, ut quoad « sine propriis exstiterint metropolitanis, tibi ut « proprio subjaceant et obediant. » Hac vero auctoritate fulti dictum episcopum, quia nostræ potestatis erat, nullam vobis nec Ecclesiæ vestræ injuriam facientes ad pontificii honorem sublimavimus. Constat nimirum vos multo majorem nobis injuriam intulisse, qui dum nostrum vos fingebatis amicum, nostræ Ecclesiæ dignitatem et honorem totis viribus clam et furtive imminuere, et insuper subripere, et, si possibile esset, auferre, operam dedistis. Insuper etiam Abilensem episcopum, juri Ecclesiæ nostræ deditum, contra fas et contra legem consecratis ; cujus electionem sortilegam, non canonice a clericis imo ab ineruditissimis laicis factam, refutavimus, et canonice cassavimus. Omnibus etiam patet quantam in hoc sustinuimus injuriam. Proinde vestræ suggerimus et suggerendo præcipimus strenuitati, ut de his omnibus nobis satisfacturus Dominica prima post Octavas Paschæ Legionem veniatis, et pro primate obedientiam quam sacri canones metropolitanis primatibus suis exhibere præcipiunt, nobis exhibeatis. Si autem statuto die ad nos venire contempseritis, procul dubio sciatis nos canonicam in vos extorquere sententiam.

His litteris, ampullosis et arrogantia atque garrulitati plenis, dominus Compostellanus a tramite veritatis non devians, justitiæ et rationis regulam sollicite observans, hujusmodi litteris humilibus et rationabilibus more probi et sapientis viri respondit·

Incipiunt litteræ Compostellani ad Toletanum de responsione interdictionis, et aliorum sibi ab illo objectorum.

« Fratri in Christo dilecto domino B. Dei gratia Toletanæ sedis archiepiscopo, et S. R. E. legato, D. divino nutu Compostellanæ sedis archiepiscopus, et ejusdem S. R. E. legatus, quæ agenda sunt subtilius inspicere, et inspecta sollicitius et firmius observare. Litteris vestræ prudentiæ diligenter inspectis, quanto inconstantiæ atque levitatis vento vestri sensus maturitas agitetur, evidentissime deprehendimus. Camerarius siquidem vester dominus P., Cluniacensis monachus, quasdam nobis ex vestra parte litteras, quas adhuc habemus, nuper detulit, in quibus continebatur quod quæcunque ex vestra parte nobis promitteret et astrueret pro certo haberemus. Ipse autem inter cætera quæ coram domina regina, et coram domino Munione Vallibriensi episcopo ex vestra parte nobis nuntiavit, et nobis promisit, duo præcipue, ipsis præsentibus affirmavit: vos, scilicet de Salmantini episcopi consecratione minus canonica, juste et canonice nobis velle satisfacere, et ipsum Salmantinum ad faciendam nobis debitam professionem, ut dictanti et deleganti, venturum esse. Cujus legationis dulcedine, et etiam domini. B. nepotis vestri, qui cum capellano domini papæ in nostram curiam venerat precibus, sed maxime vestri amore, persuasi, inducias ipsi consecrato de facta interdictione usque ad festum S. Stephani concessimus. Nunc autem alias longe ab illis litteris diversas et omnino contrarias a vestro nuntio suscepimus, in quibus manifeste apparet vos non solum male actorum necdum pœnitere, verum etiam ipsa malo acta importune velle defendere. Quod, quantum sit vestræ personæ et dictu et factu absurdum, et regulæ justitiæ omnino contrarium, etiam minus eruditis clarius luce manifestum est. Unde super vestra prudentia, quæ et nostram legationem spreto domini ac papæ edicto, turbare totis nisibus contendit, et nostræ dignitatis jura usurpare non desinit, non irrationabiliter demiramur, cum vos non solum de collata nobis archiepiscopatus dignitate, verum etiam de nostræ legationis confirmatione per domini papæ litteras dudum nobis delegatas sæpenumero certus factus sitis.

« Miramur etiam qua fronte de Abilensis episcopi consecratione, cujus nos redarguitis, mutire audeatis, cum et ipse nostræ ecclesiæ suffraganeus sit, et ipsius electio a novem episcopis et duobus archiepiscopis, necnon a Romano card. Bosone, qui Ecclesiæ Rom. legatus ad nos venerat, canonice discussa, canonica inventa sit, et ab omnibus canonice approbata. His præmissis pauca vobis de interdictione nostri concilii, non ampullose, neque irrationabiliter respondemus. Cum Romanorum pontificum domini Urracæ, domini P., domini C., privilegiis et auctoritatibus nos et Ecclesiam nostram ab omnium prælatorum ditionibus, solius domini papæ ditione excepta, absolutos et omnino liberos esse constet, nos neque ut primati, neque ut legato, neque ut archiepiscopo vobis obedituros esse procul dubio noveritis. Ad hæc vestræ memoriæ suggerimus quod ad colloquium inter nos et vos, domina regina mediatrice, apud Legionem determinato tempore constitutum, eramus ituri, et pacem atque pristinam amicitiam sapientium consilio vobiscum reformaturi; sed auditis litterarum vestrarum ampullis, et falsis imposturis nec vestrum colloquium adire, nec vobiscum ullam amicitiam reformare statuimus, nisi prius de Salmantini episcopi consecratione, et de cæteris injuriis, quæ patentes sunt, nobis satisfacere studueritis. Harum autem nugarum et imposturarum culpam non vobis, qui tantæ discretionis et tantæ perspicacitatis antehac esse solebatis, sed vestris consiliariis vestram gravitatem ad illicita per ambitionem impellentibus, merito imponimus. Postremo vestræ discretioni suggerimus, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate necnon ex parte domini Calixti papæ suggerendo præcipimus, ne nostram legationem, aut nostri archiepiscopatus dignitatem conturbare, aut usurpare amplius præsumat. »

Eodem fere tempore quod D. Compostellanus supradictas litteras ad Toletanum direxit, legatos suos Romam destinavit domino papæ C super ipso Toletano juste et rationabiliter conquesturus, quod suæ dignitatis terminos in Salmantini consecratione contra sacrorum canonum decreta usurpasset, et in subtractione Colimbriensis, et aliorum episcoporum, atque abbatum patenter et manifeste injuriasset. Cujus litteris et querimonia auditis dominus papa Calixtus litteras suas ad Salmanticensem quantocius remisit: in quibus ipsi Salmanticensi apostolica auctoritate mandando præcipiebat, et præcipiendo mandabat, quatenus Compostellanæ Ecclesiæ tanquam suæ metropoli, et Compostellano archiep., tanquam suffraganeus suo metropolitano, dilectionem et fidelem obedientiam, remota omni occasione, exhiberet. Litterarum autem ad ipsum Salmantinum a domino papa directarum exemplar infra subscriptum est.

CAPUT LXVII.

Incipiunt litteræ domini papæ Calixti ad Salmanticensem de obedientia domino Compostellano exhibenda.

« Calixtus episcopus, » etc.

« Quoniam in Hispaniarum partibus, etc. *Vide in Calixto II, Patrolog. t.* CLXIII, *sub. num.* 271.

Visis his litteris Salmaticensis Compostellam venit, et fidelitatem atque obedientiam cum reverentia domino archiepiscopo et B. Jacobi Ecclesiæ ejusque rectoribus canonice promovendis super altare B. Jacobi promisit, et propria manu his verbis

firmavit. « Ego M. Salamanticensis Ecclesiæ episc. subjectionem et obedientiam, cum reverentia a SS. Patribus constituta secundum præcepta canonum Ecclesiæ B. Jacobi ejusque rectoribus, in præsentia domini archiepiscopi D. perpetuo me exhibiturum promitto, et super sanctum altare propria manu firmo. »

Alias similiter litteras Colimbriensi duxit, in quibus itidem ei apostolica auctoritate præcipiebat, ut fidelem obedientiam domino Compostellano tanquam S. R. E. legato et suo metropolitano exhibere omnimodo satageret. Illarum quoque litterarum exemplar hoc modo subnotavimus.

Incipiunt litteræ domini papæ Calixti ad Colimbriensem de obedientia domino Compostellano ut legato et suo metropolitano exhibenda.

« Calixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri G. [*Gundisalvo*] Colimbriensi episcopo, salutem, » etc. (152).

CAPUT LXVIII.

Quod archiepiscopus laboravit multum in acquirenda metropolitana Emeritanæ sedis dignitate, et quomodo Compostellanos cives ad jurandum justitiam compulit.

Quantum autem dominus Compostellanus in supra memorata dignitate ad utilitatem et honorem suæ Ecclesiæ acquirenda laboravit, et quot et quanta de proprio et B. Jacobi thesauro erogaverit, aut in Romano itinere captis suis legatis irrecuperabiliter amiserit, si ego per singula explicare et ad memoriam reducere tentavero, si Maronica vel Tulliana facundia mihi inesset, minime ad id sufficere posset: multis enim difficultatibus circumveniebatur, quibus et in hoc et in aliis ecclesiasticis negotiis impediebatur. Regis quippe Aragonensis guerra eum ineffabiliter disturbabat, cujus metu ipsius legati nisi cum summo periculo et summo timore Romam adire non audebant. Dissensio quoque regis A. et reginæ U. in quorum servitio cum multa expendere oportebat; discordia etiam procerum Gallæciæ et devastatio ipsius terræ, quæ totius honoris B. Jacobi redditus fere annullaverant. Sed quamvis dominus Compostellanus tot et tantis difficultatibus esset circumventus, ecclesiastica tamen negotia propter sæcularia nec sæcularia propter ecclesiastica minime prætermittebat; sed utraque sicut sibi et suæ Ecclesiæ utilia fore noverat, discrete et sapienter tractare et disponere vigilanti cura satagebat. Videns itaque Compostellanam civitatem pravis et perversis moribus implicitam esse atque corruptam, et nisi aliquod ei remedium conferretur, funditus perituram, optimatibus cleri, atque populi illius civitatis in unum convocatis hujusmodi orationem in eorum præsentia habuit: « Ego D. licet indignus hujus sedis primum episcopus, deinde, sive Deo jubente sive permittente, ejusdem sedis multo sudore et multo labore effectus archiepiscopus, in regimine hujus honoris diutine laboravi, et multis quibus erat nocendum rationabiliter nocui, multis vero quibus erat subveniendum charitatis debito per usuras subveni indigentiæ illorum nobilitando et dictando, dignos etiam ignobilitando et deprimendo, justitiæ metam transgrediens erravi. Unde me in conspectu divinæ majestatis et in vestri omnium præsentia culpabilem esse confiteor. Nunc vero vellem, per Dei misericordiam, vitam et mores meos in melius corrigere et emendare, et justitiam integram atque inviolatam observare, et manutenere. Sed quia hoc per me solum sine vestro auxilio facere non possum, vestri omnium, tam cleri quam populi, universitatem obnixius deprecor, quatenus me in hoc negotio pro vestrarum animarum salute et æternæ vitæ retributione adjuvetis, et vos justitiam observaturos esse et manutenturos, sicuti ego vobis permitto, in manu mea promittatis, et de illa promissione jusjurandum mihi scribi faciatis. Idem autem volo ut vos justitiam juretis et juratam manuteneatis, quia video fidem, probitatem, et cæteras bonas artes a nostris civibus evanescere, et video fraudes, dolos, rapinam, violentiam et aliorum scelerum urticas increscere, quæ nullatenus exstirpari possunt absque falce justitiæ. » Audito hoc sermone Compostellani qui aderant, tam clerus quam populus, unanimiter responderunt se in hoc et in aliis negotiis quæ sibi utilia fore non dubitarent assensum ei præbituros et obedituros. Juraverunt igitur justitiam et de illo jurejurando hujusmodi scriptum fieri fecerunt.

De justitia in Compostellana civitate servanda.

« Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiep. et S. R. E. legatus, volens destruere et eradicare prorsus pravas consuetudines, quæ videbat fieri in Compostellana civitate, promittit coram omnibus in rei veritate et in fide Christi, ut justitiam tenens et observans Compostellæ, ab ea propter pecunias seu gratiam et odium in nullatenus declinet, et ut omnino hæc justitia observetur mandat, quod villicus civitatis jurejurando firmet quod justitiam teneat, et ab ea neque amore, nec odio, neque pecunia, neque rogatu alicujus personæ a justitia deviet. Et similiter in detruncando, et cæcando et in suspendendo, prout justitia exegerit, nullatenus deviet, sed æqua lance et justo judicio unicuique, prout justum fuerit, reddat, et hoc scriptum a domino nostro confirmatum, et alios bonos foros nostræ civitatis semper custodiat, et in robore teneat. Similiter mando et præcipio quod judices loci sancti jurejurando super altare firment quod justitiam teneant, et bonas consuetudines civitatis observent, et a justitia neque gratia, neque odio, neque pecunia devient, et in judiciis neque personas, neque vultum potentis considerent (*Levit.* XIX 15), sed inter divites et pauperes juste et viriliter deliberent. Si vero villicus civitatis, vel judices ab hac promissione veritatis deviaverint, advocati his et ter, digne satisfaciant; quod si renuerint, perjurium incurrant, et bonore careant, et quod contaminaverint dupliciter componant, et hoc

(152) Ut supra num. I.

judicium sit omnibus parochianis et decimariis Ecclesiæ B. Jacobi, id est intra milliaria civitatis, noto die sub æra ICLXIII (153), et quot XVIII K. Februarii. » — « Nos homines Compostellæ jurejurando firmamus quod manuteneamus et defendamus justitiam a domino nostro judicatam, et ab ejus villico et judicibus. Ita quod neque pecunia, neque parentela a supradicta justitia deviemus, et in judiciis adjuvando vel disturbando adinvicem offertiones nullatenus accipiamus. » Et similiter seniores canonicæ promittant hoc in rei veritate et in fide Christi, salvo suo ordine domini nostri et omnium canonicorum. « Si vero nos homines civitatis ab hac promissione deviaverimus, post binam et trinam admonitionem, emendemus. Sin autem perjurium incurrans, et quod contaminaverimus dupliciter componamus, et hujus promissionis consuetudo descendat ad omnes successores meos et vestros, ita quod in perpetuum teneatur. »

CAPUT LXIX.

De sacrilegio comitis P. in ecclesia Compostellana commisso et de satisfactione ejusdem.

Comes Petrus, iræ fervore accensus, comitem Adefonsum ante januam altaris B. Jacobi, diabolo instigante, percussit, et magnum dedecus Deo et ipsi apostolo nefario ausu intulit. Unde postea pœnitentia ductus, in præsentiam domini archiepiscopi cum sua uxore venit, et tantum dedecus quod Deo et B. Jacobo apostolo intulerat, et alia multa crimina, quæ diabolico instinctu perpetraverat, illi manifestans, pœnitentiam et consilium ad salutem suæ animæ eb eo petivit. Archiepiscopus vero ipsius animæ utilitati sagaciter providens, condignam ei pœnitentiam secundum sacrorum canonum decreta injunxit, et ut aliquem honorem Deo et B. Jacobo in remedium supradicti dedecoris, et aliorum peccatorum conferret, salubri admonitione suasit. Ipse autem comes et sua uxor, ipsius archiepiscopi consilio acquiescentes, monasterium de Corispindo cum tota sua creatione et tota villa, B. Jacobo et suæ ecclesiæ perpetuo possidendum contulerunt, et privilegium inde factum jussu et consilio domini archiepiscopi propria manu roboraverunt.

CAPUT LXXI.

Adventus Romani legati in Hispaniam.

Aliquanto temporis curriculo elapso, postquam venerabilis archiepiscopus plurimorum obsequiorum exhibitione et firmæ fidelitatis promissione a domino papa Calixto impetravit, quatenus metropolitanam Emeritanæ sedis dignitatem in Compostellanam Ecclesiam perpetuo transferret, et perpetuo translatam auctoritatis suæ privilegio confirmaret, quidam Romanæ Ecclesiæ cardinalis Deus dedit a latere ipsius papæ delegatus in partes Hispaniarum venit, Hispanæ regionis Ecclesias sollicite visitaturus, et earum saluti atque utilitati sagaciter provisurus. Cui venienti præfatus papa Burgensis Ecclesiæ legatos, qui tunc temporis Romæ aderant, commisit, et ei per obedientiam apostolica auctoritate præcepit, ut Burgensis Ecclesiæ suæ quæ pastoris fulcimento viduata in magno labore atque tribulatione diutine permanserat, utilitati provideret, et ipsius electum, cujus electio jam quinquennis erat, in episcopum consecrari satageret. Cardinalis itaque supradictus Hispanas partes ingrediens, ad Burgensem civitatem, Burgensis Ecclesiæ legatis comitantibus, venit, et ipsam Ecclesiam magnis persecutionibus atque tribulationibus laborantem, et fere desolatam invenit. Unde vehementi mœrore affectus, et exemplo boni patris pia compassione repletus, ipsius Ecclesiæ statum in melius mutare, et ejus electum ad Dei honorem et ipsius Ecclesiæ utilitatem in episcopum consecrari præcipere necessarium duxit. Sed quia ipsa consecratio Aragonensis regis metu, qui ipsum electum impugnabat, in partibus illis fieri non poterat, ipsi electo Compostellam ire, a domino Compostellano se præcipiente ordinandum, injunxit. Ipse enim cardinalis Compostellam iturus erat, et de ejus consecratione, et aliis multis negotiis ex præcepto domini papæ Calixti cum domino. Compostellano acturus: et Ecclesia quidem Burgensi, et aliis quæ suo itineri adjacebant, visitatis, tandem Compostellam perveniens a domino Compostellano benigne et honorifice susceptus est, et per octo dierum spatium ibi commorans a domino Compostellano egregie procuratus est. Cum ergo cardinalis et dominus Compostellanus in colloquium venissent, et de statu Hispanarum Ecclesiam diligenter egissent, ipse cardinalis Burgensis Ecclesiæ calamitati et miseriæ condolens domino archiepiscopo apostolica et sua auctoritate præcepit, et eum charitative rogavit, quatenus Burgensis Ecclesiæ electum in episcopum consecrare studeret, et causam quare hoc negotium illi potius quam alii a domino papa injungeretur insinuavit. Hoc et aliis negotiis Compostellæ deliberatis accepta a domino Compostellano benedictione, Compostella egressus, Bracaram et per partes Portugalenses in Campanas partes profectus est, et apud Vallem Oliti concilium convocatis fratribus divina præveniente gratia celebravit. Cui nimirum concilio Burgensis Ecclesiæ electus cum cæteris fratribus interfuit. Finito autem concilio ipse cardinalis comitante ipso electo Setpuliæ castrum adiit, ibique tales litteras Burgensi electo de sua consecratione ad Dominum Compostellanum tradidit.

Incipiunt litteræ cardinalis Romani Deusdedit ad dominum Compostellanum de consecratione Burgensis electi.

« DEUSDEDIT sanctæ R. E. presb. card. et Hispaniarum legatus, DIDACO, Dei gratia Compostellano archiep. et S. R. E. legato, salutem et puram amicitiam.

« In quando labore atque miseria Burgensis Ec-

(153) Æra MCLXII, anno scilicet 1124 (non 1125) abs dubio legendum; ex consequentibus enim patet vivere Calixtum papam, qui die 13 Decembris ejusdem anni obiit.

electum hactenus fuerit, vestram prudentiam latere non credimus. Quapropter fraterna dilectione per obedientiam, quam S. R. E. debetis præcipue vobis dirigimus, ut advocatis coepiscopis fratribus vestris dominum Simeonem, Burgensis electum Ecclesiæ, cum quibus epis. volueritis salva sanctæ Matris nostræ Rom. Eccl. reverentia, ad quam in omnibus Burgensis Ecclesia spectat, quacunque die post publicationem S. Mariæ ad vos venerit, in episcopum consecretis; fidelitatem vero, quemadmodum antiqua exigit consuetudo, suscipiatis. Valete. »

Visis hujusmodi litteris dominus archiepiscopus meliores et discretiores suæ Ecclesiæ personas in cameram suam convocari jussit, et ostensis eis litteris et mandato Romani card. quid sibi de illo mandato et de petitione Burgensis electi consulerent, ab eis inquisivit. Illi vero clerici sapientes et discreti, quia ipse archiepiscopus in proximo concilium erat celebraturus, et laudaverunt et consuluerunt, ut Burgensem electum usque ad concilium retineret, et episcopos ad ipsum concilium confluituros de mandato cardinalis et de ejus consecratione consuleret. Quorum consilio dominus archiepiscopus acquiescens ipsum electum usque ad celebrationem concilii Compostellæ retinuit et eum in multis necessitatibus munifica manu adjuvit. Postquam itaque statuta dies concilii impleta est venerabilibus fratribus Asturicensi, Minduniensi, Lucensi, Salmanticensi, Scemurensi, Portugalensi, Tudensi, convenientibus, Dominus archiepiscopus concilium in Dominica *Misericordia Domini* (157). Compostellæ celebravit, et hæc capitula in eo supradictis fratribus assentientibus et unanimiter collaudantibus sancivit, et confirmavit.

CAPUT LXXI.

Celebratio concilii.

Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiep. et S. R. E. legatus concilium in Dominica *Misericordia Domini*(154) convocatis fratribus Asturicensi, Lucensi, Vallibriensi, Tudensi, Portugalensi, Scemurensi, Salmanticensi, Burgensi, Compostellæ celebravit; et in eo de honore atque utilitate S. Matris Ecclesiæ, juxta datam sibi a Deo facultatem, supradictis fratribus cum suis abbatibus xxvii atque religiosis personis et bonis clericis, unanimiter collaborantibus tractavit. Et quoniam peccatis exigentibus regnum Hispaniæ adeo turbatum vidit, quod etiam Ecclesia Dei, destructa Christiana religione, periclitaretur, et fere jam ad defectum redacta esset, placuit ei ut universali synodo, pro Ecclesiæ statu, pro regni tranquillitate, hæc capitula subscribere, et subscripta confirmare. « Mandamus ergo et apostolica auctoritate constituimus, ut superna juvante clementia, pax Dei quæ apud Romanos et Francos et alias fideles nationes observatur, in toto Hispaniæ regno ab omnibus Christianis inviolabiliter teneatur, a primo videlicet die Adventus Domini usque ad octavas Epiphaniæ, a Quinquagesima usque ad octavas Paschæ, a Rogationibus usque ad octavas Pentecostes, in jejuniis Quatuor Temporum, in vigiliis, et festivitatibus B. Mariæ, et B. Joannis et apostolorum, et in festivitate Omnium Sanctorum, quæ celebratur Kal. Nov., ita ut nullus hominum, licet habeat cum alio homine homicidium, vel aliam quamlibet inimicitiam, præsumat eum occidere, vel capere, vel aliquo modo et nocere. Episcopi, presbyteri, abbates, monachi, et monachæ, et omnis ordo ecclesiasticus Ecclesiæ, et res ecclesiasticæ, et boves quorumcunque fuerint, omnibus diebus in pace permaneant. Peregrini, mercatores non capiantur, neque pignerentur, nisi propria culpa; dies et constituta tempora pacis sicuti determinata sunt, et per juramentum confirmentur. Qui vero hanc pacem per juramentum confirmare noluerit, excommunicetur, donec juret: et qui eam violare præsumpserit, episcopus cum toto episcopatu suo eat super eum ad destructionem ipsius et bonorum suorum, donec satisfaciat, et dominus ejus, cujus ipse fuerit, auferat ei præstimonium suum, et nullus alius deinceps eum colligere præsumat, donec de violatione pacis juste et canonice satisfaciat. Si autem aliquis de euntibus super eum, in hac obedientia mortuus fuerit, ita sit absolutus ab omnibus suis peccatis de quibus pœnitentiam jam accepit vel acceperit, ac si in Hierosolymitano itinere mortuus esset, nisi excommunicatus sit. Similiter si aliquis, armis abrenuntians pro obedientiæ et supradictæ pacis observatione, ab inimicis suis mortuus fuerit, supradictam remissionem habeat, et qui eum interfecerit homicidium dominis terræ duplicet, et pœnitentia ejus duplicetur, et nunquam in patria sua pœniteat, sed eat in exsilium; et qui eum ceperit, curtaverit, excæcaverit vel aliquod malum fecerit, quod prius parabat in duplo componat. Si vero aliquis in tali peccato absque pœnitentia mortuus fuerit, non sepeliatur, sed in domo sua putrescat, et non inde abstrahatur. Principes autem terrarum, milites, vel pedites in supradictis diebus arma sumere non præsumant, nisi contra paganos, aut patriæ invasores, aut supradictæ pacis violatores. Cætera capitula quæ in præterito concilio constituimus, iterum confirmamus. »

Confirmatio electi Burgensis.

In ipso quoque concilio omnes episcopos qui aderant super consecrationem Burgensis electi interrogavit, litteras domini cardinalis eis ostendens, et Burgensis Ecclesiæ labores atque tribulationes exponens; ipsi vero episcopi Burgensi Ecclesiæ, quæ tandiu viduata pastore permanserat condolentes, domino archiepiscopo unanimiter laudaverunt et consuluerunt, quatenus illius Ecclesiæ utilitati misericorditer provideret, et ejus electum in Dei obsequium et suæ animæ salutem in episcopum

(154) Dominica *Misericordia Domini* fuit 20 April, anno 1124, Dominica II post Pascha.

consecraret. Quorum petitioni ipse condescendens Burgensem electum, III die post finitum concilium, Asturicensi, Mindunensi, Portugalensi, episcopis coadjuvantibus in episcopum solemniter consecravit, eique obedientiam et fidelitatem sanctæ R. E. juxta quod antiqua consuetudo exigit, promittere et propria manu super sacrosanctum altare firmare fecit; deinde ipse consecratus accepta a domino archiep. licentia, ad propria cum gaudio remeavit.

CAPUT LXXII.

Acquisitio.

Interea ipse archiepiscopus de utilitate suæ Ecclesiæ sine intermissione sollicitus villam quæ dicitur Sinales, quæ est secus S. Christinam de Noya cum sua tota creatione et familia, non tamen totam, sed de tribus quartis medietatem, a domina Aurodona Didaci facto cum ea de medietate alius villæ, scilicet Lustris, commercio, quam medietatem in sua vita tantum teneret, ad opus suæ Ecclesiæ satis solerter acquisivit, ipsa autem mortua, illa medietas de supradicta villa Ecclesiæ beati Jacobi hæreditario jure reformaretur.

Acquisitio.

Quidam præpositus, nomine Didacus, presbyter ejusdem venerandi archiep. villicationem apud S. Mariam de Nevar tunc temporis tenebat, et cum ipse presbyter jam tædio villicationis tenendæ afficeretur, ad dominum archiepiscopum spontanea voluntate venit, et cum eo statuit, ut medietatem de omnibus rebus et hæreditatibus quas in ipsa villicatione acquisierat, domino archiepiscopo et B. Jacobi ecclesiæ in perpetuum possidendam concederet; aliam vero medietatem jure hæreditario possidendam sibi retineret. Acquisierat autem in supradicta villicatione ecclesiam S. Michaelis de Rozuan, quæ ipsi ecclesiæ S. Mariæ de Nevar adjacet, et alias hæreditates quæ in confinio et circuitu ipsius ecclesiæ sunt. Et ipse quidem archiep., solers et discretus, has acquisitiones stabiles et inconvulsas permanere volens, cartas mercatrices de ipsis acquisitionibus fieri, et eas ab illis qui hujusmodi pacta secum statuerant, roborari et firmari, et ipsas cartas in thesauro B. Jacobi reservari, fecit.

CAPUT LXXIII.

De concordia regis et Reginæ matris suæ.

Eo fere tempore Toletano archiepiscopo domno B. cum quo dominus Compostellanus acrem et diutinam conflictionem pro suæ Ecclesiæ exaltatione habuerat, defuncto, rex A. et regina domina U., ejus mater, qui ab invicem diutine dissenserant, eodem Compostellano cum suis amicis mediante et sedulo machinante, concordes et amici facti sunt; et facta equidem ipsa concordia hujusmodi litteras quorumdam æmulorum stimulatione et machinatione ad ipsum Compostellanum direxerunt.

Litteræ regis et reginæ ad dominum Compostellanum.

« A. et U., Dei gratia Hispaniæ rex et regina,

A charissimo domino D. Compostellano archiep. sanctæque R. E. legato, in Christo vivere.

« Noverit sanctitas vestra amicitiæ nexu nos indissolubili conjunctos esse. Honorem vero Toletanæ Ecclesiæ quem et longo diminuere seu annihilare perturbando studuistis tempore, ut deinceps nullatenus perturbetis dicimus et monemus, ne præfata suo Ecclesia intermissione careat (quod absit!) honore. Valete.

Responsio domini archiepiscopi ad supradictas litteras regis et reginæ.

« DIDACUS, Dei gratia Compostellanæ sedis archiep. et S. R. E. legatus, venerandæ dominæ suæ reginæ, dominæ U. et filio suo regi domino A., sic terrenum regnum regere, ut non amittatis æternum.

B « Litteris vestræ celsitudinis læta manu acceptis diligenter inspeximus. Sicut autem discordia, quæ inter vos peccatis nostris exigentibus hucusque emersit, fuit destructio pauperum et omnium Ecclesiarum, ita concordia quam inter vos noviter Dei præveniente gratia factam esse agnovimus, est firmamentum sanctæ pacis et fundamentum Christianæ religionis. Et quia hoc semper palam atque latenter optavimus, quod jam, Deo juvante, fieri novimus, inde Deo et B. Jacobo qui vestros ad hoc inspiravit animos, innumeras grates referimus. Unde nos etiam nimium lætria exultare et congratulari vestra non dignetur dubitare clementia. De diminutione autem Toletanæ Ecclesiæ, quam ne nos vellemus nobis per easdem litteras intimastis, Deus novit quia nec illius C nec alterius Ecclesiæ proprium honorem aliquando minui voluimus, nec volumus. Quod si nostri vel Ecclesiæ nostræ æmuli nos lacerando et dilaniando apud nobilitatem vestram de nobis aliquid ratiocinantur, non faciles aures vestras morsibus obtrectatorum nostri gratia commodare velitis. Sed, si aliquid sentiendo asserunt in vestram regulam discretionem, veniant, et nos secundum vestrum consilium eorum importunitatibus satisfaciemus. Mementote etiam quia inter cætera, quæ nobis regia vestra prudentia dixit, hoc se facturum spopondit, Ecclesiam scilicet nostram nunquam minuere, sed semper defendere, exaltare, et augmentare nostri semper suffulti auxilio et consilio. Si autem nos de Romanæ Ecclesiæ dignitatibus aliquid, Deo volente, habuimus, habemus, vel habituri sumus, vestri semper D suffulti auxilio et consilio fecimus et faciemus. Suario Froilati nostræ domus villicum vobis mittimus, ut quod in litteris non continetur, excellentiæ vestræ ore proprio referat; per ipsum autem cor vestrum et voluntatem nobis revelate, quia parati sumus omnia quæcunque nobis injunxeritis, pro posse nostro facere et adimplere. Omnipotens Deus amore et intercessione beatissimi Jacobi apostoli personam vestram et regnum conservet, et ad vitam faciat vos venire sempiternam! Amen.

CAPUT LXXIV.

Litteræ cardinalis missæ archiepiscopo.

Iisdem fere temporibus sanctæ R. E. card. Deus-

dedit hujusmodi litteras ad dominum archiepiscopum Roma direxit :

« Venerabili D. Compostellano archiepiscopo ac fideli S. R. Ecclesiæ legato D., tituli sanctorum Laurentii atque Damasi card. indignus, felicem sine prosperitatis inquisitionem.

« Summa dignitas vestra, charissime, deprehendere sciat nos divina propitiante clementia sanos et incolumes esse, et præsentiam nostram in servitio vestro, dum vixerimus, prospere adfuturam quam siquidem in proximo in vestra melioranda legatione, clementissime, ac in renovandis privilegiis vestris volumus ut cognoscatis pro quibus nempe has dirigimus litteras, ut festinos ad hæc curanda Romanæ curiæ per nos illico delegetis nuntios. Præterea, felicissime domine, pietatem indissolubilem vestram flagitamus, ut casublam de qua sæpissime vos rogavimus, per eosdem vel per alios fideliter nobis dirigatis nuntios, quatenus vos vestrosque amicos in obsequio vestro communiter, uti debemus, obligare possimus. Insuper, piissime Pater, flagitamus, ut cunctam Deo devotam congregationem ex nostra parte salutetis, et hunc chartulæ delatorem honorifice suscipiatis. Valete. »

Responsio domini archiepiscopi ad præfatum cardinalem supradictis litteris.

« Domino venerabili et Patri reverenti Dei gratia S. R. E. card. Deusdedit, D. Compostellanorum humilis minister, fideles orationes et devotum obsequium cum reverentia.

« Quod vestræ industriæ excellentia vivit, valet, et, divina propitiante gratia, prosperitate et incolumitate perfruatur, ultra quam credi potest, nostro cordi gaudio est, et vestræ equidem discretionis refert non dubitare nos et nostram Ecclesiam de nostris tanquam de vestris propriis successibus, mera veritate et remota omni simulatione, gaudere, et devotas divinæ omnipotentiæ gratias inde referre ; nos enim et nostra Ecclesia in vestræ sanctitatis benevolentia atque dilectione constanter permanemus, et divina auxiliante gratia ita permansuri sumus, ut nunquam ab ea, aliqua occasione intercedente, avelli possimus. Vestram itaque venerandam celsitudinem obnixius efflagitamus, ut nos et nostram Ecclesiam mutui amoris munere recompensare, et boni patris atque fidelis amici exemplo nos diligere et charos atque speciales filios habere, divino et B. Jacobi amore dignemini. Ad hæc vestræ memoriæ beatitudini suggerimus nostram devotionem vestræ hebdomadæ substantiolam per legatos quos nuper Romam misimus vestræ sanctitati fideliter direxisse ; quos ut benigne et ut honorifice suscipiatis, et nostras vices apud dominum papam sollicite agatis, vestram discretionem summopere deprecamur. De casubla autem, cujus mentionem nobis per vestras litteras fecistis, ad præsens fieri non potest quod postulatis, quia quando vestræ sanctitatis litteræ ad nos pervenerunt, legati nostri jam diu iter Romanum arripuerant. Vestri gratia estote memores nostri non immemorum vestri. Valeat paternitas vestra. »

CAPUT LXXV.

De fabricatione galeæ contra Saracenorum incursus.

Post archiepiscopatus adeptionem, idem archiepiscopus, Amorrhæorum guerram suæ terræ circa maritimas partes multum nocere annuatim videns, ad exaltationem Christianorum et depressionem Saracenorum solerti et valde utili consilio usus est ; biremem namque (quæ vulgariter galea vocatur) multo sumptu fieri fecit, factamque cuidam juveni, nomine Fuxoni Pisana civitate oriundo, probo et nauticæ artis peritissimo, tradidit, cum qua Amorrhæorum terram navigio inquietaret. Præfatus itaque juvenis accepta galea et facta fidelitate domino, archiepiscopo terram Saracenorum per mare inquietare cœpit, et inde multa spolia multasque prædas cum captivis divina gratia auxiliante adduxit ; et sic providentia et consilio domini archiepiscopi terra maritima quæ a Saracenis per singulos annos prius fuerat deprædata et devastata, penitus secura permansit, et Saraceni, qui ejus terræ prædones et devastatores annuatim exstiterant, Christianorum præda per Dei gratiam facti sunt. In tempore quoque sui episcopatus duas galeas eadem intentione fieri fecit. Sed Patroniensium, quibus ad custodiendum ab illo commissæ fuerunt, culpa et negligentia destructæ et annullatæ sunt. Ante tamen quam destructæ essent, Amorrhæis multa incommoda intulerunt ; Christianis vero plurima commoda contulerunt.

CAPUT LXXVI.

Tunc temporis Romanæ Ecclesiæ cardinalis D. has litteras ad Compostellanum direxit.

« Didaco reverentissimo ac gloriosissimo Compostellano archiep. necnon S. R. E. legato, Deusdedit S.R.E. tituli S. Laurentii cardinalis, desideratam in Christo visitationem.

« Hoc quod vestra admirabilis pietas ex me affectuose audire desiderat, primitus studeo significare. Sciat charitas vestra, charissime, me sanum incolumemque esse, et beatæ memoriæ Calixtum ex hac vita honeste procul dubio migrasse (155), quapropter divina pietas præclara non multum suam Ecclesiam, pastore viduatam, sinivit ; sed Honorium cito in eadem constituit præsulem, ad quem, veneraude amice, consulo vobis honestos citius destinare legatos, ut de bono in melius privilegia utique vestra per me nostrosque amicos renovare possitis. Præterea, clementissime Pater, magnitudinem vestram captamus sollicitare, ut casublam, diu a nobis desideratam, per eosdem legatos, vel per alios quos agnoveritis esse fideles, nobis protinus mittere studeatis quatenus nostram fidele servitium ad honorem vestrum, et B. apostoli Jacobi omniumque canonicorum communiter valeatis habere. »

(155) Die 13 Dec., anno 1124.

Compostellanus ad supradictas litteras taliter respondit.

« Domino venerabili et Patri reverenti, Dei gratia matris nostræ S. R. E. legato et cardinali D., DIDACUS, Compostellanorum humilis minister, desideratam præsentis et futuræ vitæ felicitatem.

« Nos et nostram Ecclesiam vestræ tanquam nostræ propriæ saluti et prosperitati mera veritate et absque omni simulatione congaudere, et vestræ adversitati atque tribulationi, si adessent (quod absit) eodem modo condolituros esse, vestra refert non dubitare, cum vestram discretionem minime lateat qualem quantamque erga se dilectionem nostra devotio gerat ; et nos equidem in vestra benevolentia atque amore fideliter persistentes ad vestrum servitium atque vestram voluntatem pro posse nostro exsequendam devote accincti clementiam vestram obnixius deprecamur, quatenus nos ad nostri obsequii raritatem vel parvitatem, sed potius ad puri et veri amoris impendium respiciatis, et nostras et nostræ Ecclesiæ vices in curia et apud domini papæ majestatem boni patris et patroni exemplo agere studeatis. De cætero vestræ memoriæ beatitudine suggerimus nostram mediocritatem vestræ celsitudinis litteras IIII Nonas Augusti recepisse, et eas læto et jucundo animo perlegisse. Nos autem legatos nostros cum benedictione nostra et vestræ hebdomadæ redditu, XV diebus post Pascha transactis, Romam miseramus, quia de morte domini et Patris nostri venerandæ memoriæ, papæ Calixti jam audieramus, et idcirco donec illis legatis redeuntibus alios miserimus, vestræ petitioni ad præsens consulere non valemus. Interim gratia vestri estote nostræ parvitatis memor, vestræ dignitatis nunquam immemores. Valeat paternitas vestra. »

CAPUT LXXVII.

De fabricatione companarum majorum et minorum.

Interea venerabilis archiepiscopus de utilitate et honore suæ Ecclesiæ plurimum sollicitus ornamenta quæ suæ Ecclesiæ necessaria et honesta esse perpendebat, acquirere vel emere vigilanti et indefessa cura satagebat. Suam igitur ecclesiam bonis et competentibus signis indigere aspiciens, quemdam magistrum, ultra Portensem significæ artis peritum, taliata et solidata retinuit ; et duo majora signa, duo vero minora ad decus et utilitatem suæ ecclesiæ fieri præcepit. O discretum et sapientem virum, qui nunquam sæcularibus negotiis emergentibus ecclesiastica neglexit, nec sæcularia ad se pertinentia ecclesiasticorum sollicitudine prætermisit !

CAPUT LXXVIII.

Celebratio concilii.

Item venerabilis archiepiscopus regnum Hispaniæ, ex discordia A. regis et matris ejus reginæ U. conturbari et devastari non modicum dolens, et utilitati atque honori sanctæ Ecclesiæ paterna sollicitudine providens, episcopis et abbatibus et aliis religiosis personis invitatis, comitibus quoque et A principibus convocatis, concilium in tertio anno (156) sui archiepiscopatus, XV K. Februarii, Compostellæ celebravit. In quo primum de ecclesiasticis negotiis, deinde de pace inter supradictum regem A. et suam matrem reginam, ut et inter cæteros principes invicem discordantes, provide et sagaciter tractavit. Postremo expeditionem super Mauros ad depressionem et confusionem paganismi, et ad exaltationem atque ædificationem Christianismi, in eo concilio viva voce prædicavit, laudavit, et commendavit, et omnibus in eam expeditionem accepta pœnitentia ituris plenariam omnium suorum peccatorum absolutionem auctoritate omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli atque Jacobi, omniumque B sanctorum concessit : cujusmodi etiam chartam de illa plenaria absolutione ad reges et comites cæterosque principes, ad milites quoque et pedites direxit, ut, visa plenaria absolutione, in supradictam expeditionem ad Dei obsequium et suorum peccatorum et remissionem libentius et devotius irent. Archiepiscopis quoque, atque abbatibus, cæterisque sanctæ Ecclesiæ præpositis, hanc chartam omni populo prædicare, laudare et exponere, et eos ad supradictam expeditionem omnibus modis animare præcepit.

« DIDACUS, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus et S. R. E. legatus, venerabilibus et dilectis in Christo fratribus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, universisque sanctæ Ecclesiæ præ- C positis, regibus quoque, comitibus cæterisque principibus, et omni populo Christiano, ita sobrie et juste et pie temporalibus uti, ut per Dei gratiam æterna mereantur adipisci.

« Fraternitatis vestræ charitas, dilectissimi, audit Apostolum clamantem, et nos ad somni devitationem sic vocantem : « Hora est jam nos de somno « surgere (*Rom.* XIII, 11), » cujus voci nos obedire æquum et saluberrimum est, tum quia quod in baptismate promisimus, male vivendo mentiti sumus, tum quia nostrum finem et diem districti judicii appropinquare videmus. Ecce, fratres charissimi, Dominus, ad januam stans clamat : « Si quis mihi « ostium aperuit, intrabo, et cum eo cœnabo, et ipse « mecum (*Apoc.* III, 20). » Non ergo nostri cordis D aures ad ejus voces obduremus, ne nobis ab eo terribiliter et rationabiliter dicatur : « Vocavi et re- « nuistis (*Prov.* I, 24), » pulsavi ad ostium vestrum, nec mihi aperuistis. Abjicientes itaque opera tenebrarum et importabile diaboli jugum, justitiæ operibus instudeamus, et arma lucis, juxta Apostoli monitionem, unanimiter induamur (*Ephes.* VI, 11), et quemadmodum milites Christi et fideles sanctæ Ecclesiæ filii iter Hierosolymitanum multo labore et multi sanguinis effusione aperuerunt, ita et nos Christi milites efficiamur, et ejus hostibus debellatis pessimis Saracenis, iter quod per Hispaniæ partes

(156) Quintus jam fluebat annus, a die 25 Jul. anni 1120, in quo cœpit appellari archiepiscopus, ut supra cap. 19 liquet.

brevius et multo minus laboriosum est, ad idem Domini sepulcrum, ipsius subveniente gratia aperiamus. Quisquis autem hujus militiæ particeps fieri voluerit omnium suorum peccatorum recordetur et ad veram confessionem et veram pœnitentiam venire festinet; et postea, acceptis armis, ad astra Christi in Dei obsequium et suorum peccatorum remissionem procedere non differat; quod si ita fecerit, nos et nostri fratres venerabiles coepiscopi, abbates, et aliæ religiosæ personæ, in concilio, quod, juxta domini papæ edictum, xv Kal. Februarii Deo auctore Compostellæ celebravimus, nobiscum residentes, eum ab omnibus suis peccatis, quæ a fonte baptismatis usque ad hodiernum diem diabolo instigante perpetravit, omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli atque Jacobi, omniumque sanctorum auctoritate absolvimus. Illis vero qui his Christi castris interesse noluerint vel non potuerint, per obedientiam præcipimus et interdicimus, ut nullum malum terris et honoribus sive aliis rebus eorum, quandiu in Dei servitio permanserint, temerario ausu inferre, neque eorum personas sive facultates capere aut inquietare ullo modo præsumant. Quod si nostrum edictum in hæc contempserint, auctoritate Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus S. et beatorum apostolorum Petri et Pauli, atque Jacobi omniumque sanctorum eos excommunicamus et anathematizamus, et a liminibus S. Ecclesiæ sequestramus, ita ut, si infirmi fuerint, non visitentur donec satisfaciant, et si mortui fuerint, non sepeliantur. Et si quis princeps vel Dominus solidatas aut alia beneficia eis contulerit, dator et acceptor anathema sit. Si quis autem vir aut femina, ad supradicta castra ire non potuerit, si secundum posse suum armatos milites vel pedites pro se miserit, accepta ut supradictum est pœnitentia, eamdem ei plenariam absolutionem in nomine Domini concedimus. Quicunque vero nostrum præceptum observantes, athletas Christi in exercitum Domini euntes vel inde redeuntes honoraverit, adjuverit, et manu tenuerit, in præsentis vitæ transcursu bonæ actionis fructum percipere, et in futuro æternæ beatitudinis præmia mereantur obtinere. Divina omnipotentia benedictionis suæ gratia vos visitet, et animos vestros ad eumdem in hunc Dei exercitum inflammet et inspiret, ipso præstante cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Quicunque S. Ecclesiæ prælati sunt, cum hanc chartam viderint, eam in Dei obsequium et suorum peccatorum remissionem regibus, comitibus, cæterisque principibus, militibusque et peditibus viva voce prædicare, laudare et exponere summa cum sollicitudine studeant. Hoc quoque nos et synodalis conventus universitas mandamus, ut quicunque in hanc expeditionem tantam et tam salubrem pro suæ animæ remedio et salute iverit, absque licentia et consilio pontificum et principum inde reverti non præsumat. »

CAPUT LXXIX.

Litteræ Domini papæ archiepiscopo destinatæ.

Post celebrationem concilii supradicti Honorius, Romanus papa venerandæ memoriæ papæ Calixti successor, hujusmodi litteras Domino Compostellano destinavit.

« Honorius episcopus, » etc.

Vestra siquidem, » etc. *Vide in Honorio* II, *Patrologiæ t.* CLXVI, *sub num.* 17.

CAPUT LXXX.

Quod invasit F. Joannides Compostellanos, et a rege vocatus ad curiam ejus ivit.

Decurso postea non longi temporis spatio, F. Joannides S. Pelagii de Luto dominus, tyrannica feritate et avaritiæ stimulis incitatus, Compostellanæ civitatis Burgenses nefanda proditione captioni mancipavit, et eos in carcere retrusos diversorum tormentorum illatione ad redemptionem inhumanitus et intolerabiliter cogere cœpit; quorum captionis quamdam causam fictitiam et falsam prætendebat, se videlicet a Compostellanis maximas injurias et multiplicia dedecora pertulisse, quæ aiebat se inulta relinquere non posse. Eorum autem captione comperta, dominus archiepiscopus in omnibus negotiis, tam sæcularibus quam ecclesiasticis peritissimus, et virorum illustrium celeberrimus, missis ad eum bis et ter et quater legatis discretis et sapientibus viris, cur talem injuriam et tantum dedecus B. Jacobo et sibi intulisset ab eo expostulavit, et per ipsos legatos ei mandavit, et obnixius rogavit, ut pro Dei et B. Jacobi amore hominium et fidelitatem quam sibi fecerat et jurejurando firmaverat, ad memoriam reduceret, et terminis justitiæ observatis, captos suos ibi immuniter et absque omni pretio solveret. Ille autem ad ejus mandata ferro et saxis surdior, nec Dominum, scelerum et impietatum ultorem timuit, nec reverentiam B. Jacobo aut ipsi archiepiscopo exhibuit, quia nec captos liberare, neque errata corrigere voluit. Unde Dominus archiepiscopus non modicum commotus, in primus ipsum et omnes sibi subditos, et totum ejus territorium omnipotentis Dei et omnium sanctorum auctoritate excommunicavit, et omnia divina, præter pœnitentiam et baptisma, per totam ejus terram officia interdixit. Deinde cum ipse diabolica fraude deceptus excommunicationem omnino contemneret, et ejus metu nihil facere vellet dominus archiepiscopus, rationis et justitiæ defensor et manutentor, immenso exercitu tam militum quam peditum congregato, honorem ejus terra et mari hostiliter invasit. Castrorum munimina acerrime oppugnavit, villas et hæreditates ipsius, et totum honorem ad eum pertinentem præda et incendio funditus devastavit. Præterea totum exercitum in terra ejus tandiu dietari et manere fecit, donec supradictus tyrannus, necessitate constrictus, pacem cum eo reformavit, et quos captos tenebat, absque ulla redemptione libere et solute abire permisit. Ad hoc vetus hominem et veterem amicitiam cum

Domino archiepiscopo firmavit, et se in ejus præsentia ad satisfactionem venturum esse Compostellam usque promisit.

Dum ipse archiepiscopus in tali expeditione pro tuitione justitiæ et sui decoris vindicatione laboraret, jam de morte dominæ reginæ Urracæ per nuntios et per famam certus erat, quæ vi Idus Martii debita naturæ in æra MCLXIII (*anno* 1126) in Campaniæ partibus persolverat. Ab illa tamen expeditione voti sui compos, et hostis triumphator, Compostellam reversus, de ipsius reginæ obitu certior factus est; ibi enim regales nuntios, Minduniensem scilicet episcopum et alios probos viros in sua curia reperit, mortem reginæ veram esse sibi nuntiantes, et se ex præcepto regis obnixe et humiliter deprecantes, quatenus maturato itinere Legionem proficisceretur, ut ipsum B regem ibi coronaret, et consilium de administratione et reconciliatione et dispositione regni ad honorem et utilitatem sanctæ Ecclesiæ ei conferret. Legionensis etenim civitas jam tum temporis regalis juris erat, quia eam consilio et auxilio civium et principum terræ acquisierat. Audito nuntio domini regis A., dominus archiepiscopus, quæ itineri necessaria noverat fore omnibus convenientibus et abundanter apparatis, iter Legionense feria VI, ante ramos Palmarum cum majoribus et honestioribus suæ Ecclesiæ personis ovanter aggressus. est. Compostella igitur taliter egressus, ad Lucensem civitatem in die Sabbati perveniens, a domino Petro Lucensi episcopo et ipsius civitatis clero atque populo in processione benigne et decenter susceptus est, ibique Dominicam C Palmarum solemniter celebravit. Postera die a Lucensi civitate egressus, cum ad Asturiensem civitatem, v feria Dominica cœna, pervenisset, ibi a domino Alone, ipsius civitatis episcopo, et clericali atque laicali multitudine, similiter cum processione accuratissime receptus est, et chrismate atque oleo consecrato, totum officium ad illum diem pertinens more ecclesiastico ipse complevit. Asturicensi quoque civitate, Minduniensi, Asturicensi, Lucensi episcopis comitantibus egrediens, in vigilia Dominicæ Resurrectionis Legionem tandem perveniens, a Domino D. ipsius civitatis episcopo, et ab Ovetensi, qui ibi tum temporis aderat, et a clero et populo, et totius terræ optimatibus cum insigni processione gratanter et honorifice susceptus est, ibique Paschalem solemnitatem cum gaudio celebravit. Altera D die vigilia et missa pro anima reginæ dominæ Urracæ, quæ ibi tumulata jacebat, celebrata, pontificalibus insignibus ornatus, ad sepulcrum ejus cum crucibus et thuribulis veniens, debitas obsequias pro remedio et salute ejus animæ ecclesiastico more peregit.

Rex vero qui cogente necessitate tum temporis Legione aberat, audito ejus adventu, legatos suos ad eum quantocius destinavit, summis et indefessis precibus eum deprecans, quatenus ad se usque Secmurensem civitatem ire dignaretur, neve itineris labore aut longitudine gravaretur. Legatione domini A regis audita, in die Dominicæ Resurrectionis, ipse archiepiscopus cum episcopis Minduniensi, Lucensi, Asturicensi, Ovetensi, Legione egressus, iter Secmurense cum innumero militari et clericili comitatu est aggressus, et ad ipsam civitatem ita appropinquans, a Domino rege et Toletano archiepiscopo, et ab omnibus episcopis, qui in curia regis aderant, clero quoque et populo civitatis obviam ei exeuntibus, cum magna et mirabili processione accuratissime et honorificentissime est susceptus, et in palatiis regalibus ipso rege jubente hospitatur; quippe ipse rex cum amoris privilegio, utpote suum patrinum, et patronum, et partem spiritualem, et, suum coronatorem ita diligebat ut suam honorificentiam ipsius honorificentiæ prorsus postponeret et universis suæ curiæ ministris illi magis quam sibi servire et placere præciperet; in tanta etiam gratia et in tanto honore eum habebat, ut nunquam ad suam curiam eum venire permitteret, sed potius ipse rex ad ejus curiam bis vel ter quotidie veniret; et quandiu in curia ejus moratus est, rex ei sua propria palatia in quibus hospitaretur ubique concedebat, et, ut supradictum est, causa reverentiæ exhibendæ, et negotiorum in ejus præsentia, et juxta ejus consilium et arbitrium, diffiniendorum, ad eum in suum hospitium semper veniebat. Toletanus quoque archiepiscopus, et episcopi Segoviensis, Palentinus, Salmanticensis. Abilensis et alii supradicti omnes ad ipsius curiam quotidie veniebant, tum quia sanctæ R. E. legatus erat, tum quia ipso apud regem pro eis intercedente suas petitiones a rege impetrabant.

CAPUT LXXXI.

Qualiter emit a regina U. castrum de Cira.

Hoc quoque cum supradictis ne veritatem taceamus, adnotare curavimus, quod Dominus Compostellanus litigium acerrimum et gravissimam discordiam cum regina domina U., post mortem ejus patris venerandæ memoriæ regis A., aliquando occulte, aliquando manifeste semper habuit. Regina. ei quorumdam ejus æmulorum stimulis et consiliis incitata, ad ejus depressionem et depositionem latenter anhelabat, et alium ei in honore substituere et subrogare causa extorquendæ pecuniæ non modicum æstuabat. Ille vero ab ipsius dolis et proditionibus discreti et sapientis viri more summopere sibi cavebat; et ne illa in se aliquo modo prævalere posset, amicorum et subditorum præsidia circum se jugiter habebat. Quamvis tamen ab illi indesinenter vexaretur et inquietaretur, vir summæ prudentiæ et mirabilis perspicacitatis, ad honorem suæ Ecclesiæ augmentandum et ampliandum pervigili et indefessa cura conabatur. Videns igitur quoddam castrum, nomine Ciram, cum suis appendiciis suæ Ecclesiæ utilissimum, et opportunissimum esse, utpote in medio honoris B. Jacobi situm et fundatum, inito cum amicis suis consilio, castrum illud in hæreditatem B. Jacobo CL. marcis argenti ab illa comparavit, et scriptum de venditione et de emptione

ipsius castri ab ea extorsit: quod scriptum ipsemet accepta supradicta pecunia propria manu confirmavit et roboravit. Postea litigio et discussione inter eos, ut prædictum est, diutius durante, regina castrum illud a domino archiepiscopo in feodum petivit, cujus petitioni ipse condescendens, municipium illud quod petebat illi concessit, ea videlicet conditione et eo pacto, ut cum ipse vel suus successor castrum suum recuperare vellet, ipsa regina domino Archiepiscopo, aut suo successori, quod suum erat, et quod emerat, quiete et absque ulla rebellione redderet.

Post multum vero temporis contigit dominum Compostellanum legatos suos Ariam Muniuz archidiaconum, et Ariam Gundisalvidem cardinalem in Campaniæ partes ad reginam destinasse. Qui, illuc pervenientes, eam admodum ægrotam et in puncto mortis positam invenerunt; ante etenim adventum legatorum jam suæ domui disposuerat, et recordans pacti, quod cum domino Compostellano de Scirensi castro pepigerat, illud castrum B. Jacobo et domino archiepiscopo, postposita omni occasione, reddi mandaverat. Quando etiam legatos vidit, suam mandationem ratam et inconvulsam esse volens, ipsos legatos præfatos castro et suis appendiciis coram omnibus investivit; per eos quoque legatos et per quemdam militem Joannis Didacide, qui tum temporis in curia ejus aderat, ipsi Joanni Didacide sub cujus jure et dominio prætaxatum castrum tenebatur, mandavit, ut ipse Joannis castrum domino archiepiscopo pacifice et absque ulla adversatione reddere non differret. Litteris igitur ab ipsa regina ad Joannem Didacidem super tali legatione acceptis, supradicti legati domini Compostellani ad dominum regem apud S. Facundum venerunt, et quod de Scirensi castro et honore regina mandaverat ipsi regi seriatim et veraciter narraverunt. Rex vero, legatorum verbis indubitanter credens, quod sua mater regina de illo castro mandaverat, libenti animo concessit et confirmavit. Nuntium etiam cum suis litteris ad Joannem Didacidem direxit, ei mandans et obnixius rogans, quatenus Scirense castrum, juxta dominæ reginæ edictum, domino Compostellano incunctanter reformaret. Ipsi quoque Compostellano per litteras mandavit, ut si Joannes Didaci de redditione castri sibi præsumeret adversari, congregato exercitu assaltum in eum faceret, et castrum ei violenter auferret. Joannes vero Didaces litteris et nuntio regis visis, nec edictum reginæ, nec regis mandatum complere voluit, sed castro contra jus retento, regis et reginæ voluntatem et dispositionem omnino contempsit. Unde cum dominus archiepiscopus vellet eum armata manu invadere, et eum in jus venire cogere, ipse Joannes hominium et fidelitatem domino archiepiscopo fecit, ei promittens et jurans se in præsentiam domini regis iturum, et si ipse rex præciperet, castrum domino archiepiscopo sine fraude redditurum. Recepto igitur hominio et fidelitate ab illo, archiepiscopus sibi placere respondit quod ipse in præsentiam regis iret, et se nunquam castrum velle habere, nisi rex juberet.

Eodem tempore quo dominus Compostellanus ad invitationem regis Legionem profectus est, ipsum regem coronaturus, et consilium de administratione regni et dispositione, ut supra dictum est, ei daturus, Joannes Didaces iter ejus præcedens, et in præsentiam regis, ipso Compostellano ignorante et absente, veniens, a rege, tam per se quam per amicos suos, impetraverat ut rex Scirense castrum in feodum sibi concederet, et hominium atque fidelitatem ipsi regi pro eo castro jam fecerat et juraverat. Unde dominus Compostellanus in præsentiam regis postea veniens magnum conflictum et acerrimum jurgium cum ipso rege et cum Joanne Didacide habuit; nam cum castrum, quod suum erat, et quod domina regina moriens B. Jacobo et sibi reddiderat, a rege peteret, rex ei respondit se castrum illud Joanni Didaci in feodum teste curia jam dedisse, nec se illi amplius posse auferre, quod hominium et fidelitatem pro illo castro ab ipso Joanne jam recepisset. Quo audito Compostellanus multas causas et multas rationes et publice et privatim regi ostendit, quibus B. Jacobum et se injuriatum et gravatum esse universis curiæ baronibus satis manifestum erat. Postea regem et per se et per amicos obnixius rogare et deprecari cœpit, quatenus divinam omnipotentiam, injuriarum vindicem, boni et justi regis exemplo timeret, et B. Jacobo reverentiam in suorum peccatorum remissionem exhiberet, neve ut e tramite veritatis et justitiæ pravorum consilio et suasione deviaret. Pulsabat bonus pastor ad ostium, ut suarum ovium pascua ampliarentur, et a lupina rapacitate non devorarentur; clamabat ad ostium, sed nequaquam exaudiebatur impediente consilio malevolorum et cupidorum. Rex etenim illi, ita clamanti et pulsanti, respondit se nunquam militem suum, Joannem scilicet, Didaci illo castro ablato exspoliaturum, neque se quod coram omnibus curiæ primoribus fecerat, inconstantis et levis viri more aliquatenus cassaturum. Cognita et visa regis pervicacia, et importunitate, Compostellanus vehementi mœrore affectus cœpit secum sollicite tractare et excogitare, qualiter cor ejus contra se induratum posset emollire et evincere, et a tanta pertinacia revocare. Asseclas igitur et proximos ejus pecunia corrupit, et majorino domus regis decem marcas, alii vero consiliario ejus et omnium negotiorum consultori et dispositori alias x, promisit, ut sibi in hoc negotio faverent, et se ad justitiam conquirendam adjuvarent. Quibus ita allectis et sibi adjunctis regem similiter pecunia aggressus est, et promissis ei L marcis argenti, supradictis fautoribus adjuvantibus et rogantibus, justitiam tantummodo de injuria sibi illata ab eo postulavit.

Rex vero, partim pecuniæ promissione mutatus, partim fautor domini Compostellani supradictorum consilio et precibus inflexus, taliter ipsi

Compostellano respondit : « Pater venerande, ego multum vellem B. Jacobum et vestram sanctitatem justitiam vestram habere ; sed militem meum multum timeo offendere ; timeo et vulgi et totius curiæ blasphemiam, si illud quod tam nuper institui, tam cito cassavero. Si tamen vestra discretio tale consilium mihi posset dare, quomodo vestram justitiam vobis possem restituere, et militem meum pacatum retinere, libentissime facerem divino et B. Jacobi amore. » His verbis regis dominus Compostellanus respondit :« Nos equidem divina omnipotentia, et B. Jacobo, de cujus meritis confidimus adjuvantibus, tale consilium vobis dabimus. » Hoc dicto consilium illud his verbis illi aperuit : « Omnes pontifices et principes, atque totius curiæ optimates in præsentiam vestram venire crastina die jubeto. Te et illis in unum convenientibus, ego querimoniam meam super vobis et Joanne Didaci coram universis faciam, et justitiam de injuria, a vobis et ab ipso mihi illata, exigam. Facta autem mea querela, et audita mea atque ejus ratione, ipsos pontifices, consules, et curiæ potestates seorsum abire jubete, ut ipsi nostras rationes diligenter discutiant, et discussas veraciter dijudicent. Sic nimirum justitiam meam vobis inculpato, potero ego habere, quia revera me in ablatione castri invenient gravatum fuisse.» Hujusmodi consilium regi placuit non modicum, et ideo postera die ab eo fuit ad effectum perductum. Cum ergo dominus Compostellanus rationem suam, et Joannes Didaci suam coram plenaria curia retulissent, pontifices, consules et principes qui aderant, rege jubente seorsum abierunt, et rationes utriusque discutientes dominum Compostellanum a castro suo injuste et irrationabiliter exutum fuisse invenerunt. Judicaverunt igitur unanimi sententia ut rex militem suum alio modo sedaret et suum castrum domino Compostellano omnimodo reformaret. Hoc judicium regi satis placuit, tum quia justum erat, tum quia se a milite suo jure calumniari non posse videbat. Militem itaque illum alio sibi honore in hæreditatem collato, et mille et quingentis solidis Jacensis monetæ impensis sedavit, et castrum suum domino Compostellano in perpetuum restituit. In eadem civitate quamdam villam, optimam et agriculturibus aptissimam, nomine Archilinos, a sorore regis infanta domina Geloira, rege confirmante et laudante, in hæreditatem B. Jacobo et suæ Ecclesiæ sua prudentia et sua sagacitate acquisivit. Compostellanus igitur recuperato suo castro cum suis appendiciis, et æmulis atque adversariis suis triumphatis, ad propria cum gaudio remeavit. Laudetur custos virtutem dans sapienti.

CAPUT LXXXII.

Permutatio castri de Faro pro terra Taberioli.

Eodem tempore, dominus Compostellanus cum in regali curia cum rege moraretur, ipse rex eum apud castrum, nomine Terram (157) obnixius deprecatus est, quatenus facto secum concambio castellum Fa- A rum cum suis appendiciis pro terra Taberioli cum suis antiquis terminis et honoribus ei attinentibus sibi conferret. Compostellanus autem inito cum majoribus suæ Ecclesiæ personis, quæ secum aderant, consilio, petitioni regis assensum præbuit, tum quia castrum supradictum, scilicet Farum, ab honore B. Jacobi nimium remotum erat, et nihil fere utilitatis ipsi Compostellano, excepto solo nomine, conferebat, imo pro eo custodiendo et vigilando plurima stipendiariis militibus unoquoque anno erogabat, tum quia terram Taberioli et ad eam pertinentia, utilia sibi et opportuna, utpote B. Jacobi honori adjacentia, et circa fluvium Ullæ sita sciebat, et quia terra illa cum suis antiquis terminis et suo charactere multo melior et multo major erat quam illa
B quæ ad castrum Farum pertinebat, et de hujusmodi equidem concambio scriptum a rege magno et rogatu habuit ipsius regi manu coram universis curialibus firmatum et roboratum.

Ecclesiam quoque quæ est in terra Gentinis, S. Anastasiam nomine, a Veremudo Petride ipse Compostellanus acquisivit, quia ille Veremudus, Petri comitis filius, illam ecclesiam B. Jacobo et ipsi Compostellano in remedium suæ animæ et retributionem vitæ æternæ in perpetuum concessit.

Duas etiam hæreditates in terra Salnensi a domina Majora Ariade sua cognata habuit, quas ipsa domina in sua morte B. Jacobo et suæ Ecclesiæ similiter pro salute et remedio suæ animæ perpetualiter tribuit. Supradictam vero ecclesiam et illas duas hæreditates cuidam suo cardinali, Petro Fulco-
C nis in feodum ipse Compostellanus munifica manu tradidit, quia ipse cardinalis in ejus servitio et in itinere Romano multum et fideliter laboraverat.

CAPUT LXXXIII.

Qualiter per nuntios visitavit curiam Romanam.

Longo temporis intervallo ante supradictum concambium decurso, dominus Compostellanus legatos suos Pelagium Astraride, et quemdam suum clericum, nomine Sesnandum, in curiam miserat, quorum alter in itinere ægrotans illuc pervenire nequaquam potuit ; alter vero postquam ad curiam pervenit, ibidem diutine ægrotaxit, et de negotio cujus causa missus fuerat nihil omnino impetravit. Totam etenim curiam tum temporis invenit contra Com-
D postellanum turbatam, quia ejus æmuli, Toletanus archiepiscopus et Colimbriensis episcopus, ibi tunc aderant, et multa fictitia atque falsa de Compostellano auribus domini papæ et per totam curiam instillaverant. Eorum igitur ægritudine et impedimento comperto, ipse Compostellanus alios nuntios Petrum Fulconis, cardinalem et capellanum, et Pelagium Didacidem, canonicum, illuc cum sua benedictione remisit, qui curiam adversum se similiter turbatam invenerunt ; sed tamen multo sudore et quorumdam domini Compostellani amicorum interventu, dominum papam et totam curiam sedaverunt. Et ipsis

(157) Hodie *Castro-Tierra*, in regno Legionensi ad occidentalem Exlæ fluminis ripam.

sodalis litteras hujusmodi ex parte domini papæ ad ipsum Compostellanum attulerunt.

« Honorius episcopus, » etc.

« Nuntios cum litteris, » etc. *Vide in Honorii II Patrolog. t.* CLXVI, *sub num.* 33.

Has alias litteras attulerunt alii legati ad ipsum Compostellanum a curia nihilo impetrato redeuntes.

« Honorius episcopus, » etc.

« Quamvis de persona tua, » etc. *Vide ubi supra sub num.* 34.

Istas vero direxit A. cardinalis S. R. E. et Cancellarius.

« Charissimo amico suo DIDACO, Dei gratia venerabili Compostellano archiepiscopo A., Ecclesiæ Romanæ diaconus cardinalis et cancellarius et L., frui pane salutis.

« Gratias vobis tanquam patri et amico referimus pro exeniis nobis a vestra paternitate collatis. Pro honore et servitio vestro laboravimus, et usque ad terminum quem postulastis juxta posse quod nobis Deus dederit laborare nullatenus desistemus. Valete. »

CAPUT LXXXIV.

Qualiter turrim Taberioli cepit.

Mortua regina domino Urraca, filio ejus Alfonso in regem sublimato, et jam militaribus armis instructo, multi Gallæciæ principes regales honores quos tenebant, eo auferente amittere metuentes, contra jus et fas ei rebellaverunt. Omnes tamen, excepto Aria Petride qui supradictæ reginæ proditor et rebellis fuerat, et ipsum regem in pueritia proditorie cœperat, Compostellano mediante et consulente ipsi reconciliati sunt, et ei hominium et fidelitatem fecerunt. Arias autem Petrides in castro Luparia, quod regale erat, cum toto honore ad id castrum pertinente, et in aliis castris, scilicet S. Joanne de Penna Cornaria et turre Taberioli, quam ipse proditor ibi construxerat, regi rebellare præsumpsit, neque ei hominium facere aut aliquid servitium exhibere dignatus est. Unde rex iratus quia majoribus negotiis emergentibus ad eum perdomandum in Gallæciam venire non poterat, dominum Compostellanum suum patrinum et fautorem fidelem, quem et ipsi toti Gallæciæ præfecerat, per litteras suas et per nuntios obnixius rogavit. Comiti quoque domino G. cui totum honorem præfati proditoris concesserat, per litteras suas mandavit et præcepit, ut in suum ipsum proditorem et nequaquam unanimiter, insurgerent, et ablatis ei honoribus quos tenebat, munimina, jam supra memorata, congregato toto suo posse, tandiu obsiderent, donec eum ad veram deditionem compellerent, et omnino destruerent, et exhæreditarent. Auditis mandatis regis, et visis ejus litteris cum nuntiis, dominus Compostellanus et supradictus comes inito consilio unanimiter statuerunt, ut Dominus Compostellanus turrem Taberioli magno exercitu tam peditum quam militum congregato, tandiu obsessam teneret, donec eam caperet, et captam omnino destrueret. Ipse vero comes castrum Lupariam, natura et arte munitum, et alia castra ita obsessa teneret, ut nec illuc alicui intrare, nec illinc exire, sive cibaria aut arma intromittere liceret. Compostellanus igitur universis suis militibus et peditibus convocatis. Compostellanis etiam civibus admonitis et præceptis, quatenus huic negotio interesse non differrent, turrim Taberioli, vallo atque fossa munitam, obsedit, eam ferro et flamma acerrime impugnavit; machinamentum etiam bellicum (quod a vulgo gatus vocatur) fieri fecit, quo ad turrim admoto ipsam turrim in circuitu subcavari, et inde lapides quadratos subduci jussit. Sic ipsam turrim magno labore et magna difficultate ad ultimum cepit, captamque omnino destruxit. Milites Ariæ Petrides qui intus erant rebellantes triginta numero et sex, omnes capti sunt. Arma militaria et triticum, et cætera quæ ibi continebantur, omnia militibus in prædam facta sunt. Sic Compostellanus capta turre, victor et compos voti cum gaudio et lætitia ad propria remeavit. In prædicta turre dominus Compostellanus duos milites ex suis clientulis, valde nobiles, morte amisit. Unde ipse dolens et tristis diu fuit.

Ante autem prædictæ turris destructionem duo castra, quorum unum, nomine Grallariam, comes M. in ripa Issi fluminis ad impugnationem et devastationem honoris B. Jacobi; alterum vero omnes F. comitis Petri filius in terra Taberioli apud Ranetam eadem de causa construxerat, funditus et radicitus destruxerat.

Decurso aliquantuli temporis intervallo, præfatus papa, scilicet Honorius, hujusmodi litteras ad dominum Compostellanum direxit, quarum allatores fuerunt Petrus Fulconis cardinalis et capellanus, et Petrus Gudesteides canonicus.

« Honorius episcopus, » etc.

« Nobilis et famosa, » etc: *Vide ubi supra, sub num* 50.

CAPUT LXXXV.

Qualiter in Portugaliam ivit cum imperatore, et de ejusdem imperatoris ingratitudine erga eum.

Anno integro et dimidio post mortem reginæ dominæ Urracæ transacto in æra I. C. L. XIII (*Anno* 1127), quot Idus Martii (158) rex A. illius reginæ filius, jam xx et unum annum habens, rege Aragonensium a castello vi expulso atque fugato, immensam cum sua amita Portugalensi regina, nomine T., discordiam habuit. Illa enim fastu superbiæ elata, terminos justitiæ egrediebatur, et nullum regi servitium de regno, quod ab illo tenere debebat, exhibere dignabatur; imo viris, armis, atque opibus potens, fines Gallæciæ armato exercitu invadebat, et civitates, atque castra Portugaliæ adjacentia, Tudam scilicet et alia, suo juri atque dominio violenter

(158) Æra et mensis tempus indicant quo Urraca R. obiit (ut ex cap. 80 constat num. 2) non vero quod a morte illius fluxerat. Vel æram 1165 oportet substituere.

subjugabat; municipia, etiam nova in ipsa terra ad inquietandam et ad devastandam patriam, et ad rebellandum regi ædificari faciebat. Unde rex A. et fere omnes Hispaniarum principes ejus parti faventes non modicum irati sunt. Rex vero ad partes Gallæciæ accessit, et principes totius terræ atque potestates in expeditionem super illam reginam evocavit. Compostellanum quoque qui majoris posse quam omnes Gallæciæ primores erat, obnixius interpellavit, quatenus sibi ad sui regni acquisitionem, et suorum hostium confutationem auxiliaretur. Cujus rogationi Compostellanus zelo justitiæ assensum præbens, universos milites et pedites, qui sui juris erant, in unum convocavit et Compostellanos cives partim vi, partim precibus ad eumdem secum in illam expeditionem coegit. Congregato igitur magno exercitu regem A. contra præfatam reginam euntem in Portugaliam comitatus est; ibique per sex hebdomadas villas devastando castra et civitates obsidendo et capiendo, cum toto suo posse in magno labore atque periculo moratus est. Nec tamen inde prius rediit, neque exercitum suum redire permisit, donec terra fere tota devastata fuit, et ipse concordiam inter regem et reginam suo consilio atque solertia reformavit.

Pacificata igitur tota terra, et concordia stabili atque firma inter illos reformata, dominus Compostellanus cum magno gaudio remeavit ad propria. Regem quippe summum sibi amicum et familiarem esse mera veritate et semota omni simulatione æstimabat, tum propter tanti servitii et multorum aliorum præcedentium exhibitionem, tum quia ejus patrinus erat, et eum in regem unxerat, eumque in militem ante altare B. Jacobi propriis manibus armaverat. Compostellanus ita secum æstimabat sed rex aliter in animo habebat; nam susurrones et detractores malevolentia atque invidia ducti in Compostellanum facta conspiratione unanimiter insurrexerunt, et eum mortalibus et falsis criminibus apud regem accusantes, ipsi regi consuluerunt, ut eum in primis caperet, captumque toto bonore et omni pecunia exspoliaret. Deinde totum illius bonorem in quinque partes divideret. Rex autem, eorum perfidiam et malevolentiam adversum dominum archiepiscopum plane perpendens, et eorum detractiones fictitias et falsas esse minime dubitans, consiliis illorum et suasionibus divino et B. Jacobi timore noluit ex toto assentire. Respondit enim se nunquam manus suas ad tantum facinus extensurum esse, nec animam suam patrini sui et patris spiritualis captione pollutum ire. Addidit etiam quod nunquam honorem ei in tota vita sua auferre, nisi tale quid adversum se committeret, propter quod juste et rationabiliter ab honore privari deberet. Quo audito susurrones illi et proditores, non modicum contristati, regi consuluerunt, ut immensum pecuniæ pondus ab eo saltem exigeret. Quorum consiliis et voluntatibus rex se assensurum promisit, non tam eorum instinctu, quam necessitate pecuniæ coactus; pecunia enim quæ sibi ad pacandos milites stipendiarios tunc temporis multum necessaria erat, admodum indigebat. O invidia! qualia et quanta facinora tu tractas et machinaris, nec lingua potest explicari nec mente cogitari. Invidia primo homini cladem mortis intulit, unde Apostolus: « Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Rom.* v, 12; *Sap* II, 24): » Invidia stimulante Judæi Regem suum, scilicet Christum, turpissima morte ausi sunt condemnare; invidia stimulante susurrones et detractores venenoso ore insurrexerunt in Compostellanum, nihil mali ab illis meritum. Quorum alii erant nobiles milites, extra civitatem morantes ipsius alumni, et ab ipso ditati et nobilitati; alii, cives Compostellani ipsi jurejurando astricti, quibus ipse multa contulerat beneficia; alii erant clerici, et Ecclesiæ canonici, quos ipse in curia sua ut filios spirituales enutriverat, et enutritos in tempore opportuno ad honores et dignitates promoverat. Per illos ergo proverbius Pigmaleonis in domino Compostellano completum est: « Sunt colla fracta multa propter bona facta. »

CAPUT LXXXVI.

Qualiter imperator pecuniam ab archiepiscopo violenter extorsit.

Interea rex A. Portugalensi pago prudentia et consilio domini Compostellani, ut dictum est, acquisito et pacificato, Compostellam citato calle adivit, quem ipse accurate et honorifice recepit; universis etenim totius civitatis clericis, abbatibus cum suis monachis in unum convocatis, et cappis sericis indutis pomposam et insignem ei processionem fecit, et magnam honorificentiam atque reverentiam ei exhibuit, et postea eum usque in tertium diem splendide et abundanter procuravit. Rex vero tertia die sui adventus in thesaurum B. Jacobi cum paucis veniens, hujusmodi orationem ad dominum Compostellanum privatim habuit: « Pater venerande, industria vestra, ut ego bene novi, et in actu jam sæpenumero probavi, me a principio mei regni non modicum dilexit, in mea benevolentia atque amore remota omni simulatione, constanter permansit. mihi servire et meis mandatis obedire statuit sollicite. Quos ego amavi amavit; et quos ego habui odio, et ipse habuit. Quid plura? pes mihi atque oculus exstitit, meæ utilitati paterno affectu in omnibus providit. Unde maximas grates vestræ magnificentiæ meritis refero, et clementiam vestram ut in his firmiter perseveret obnixius efflagito. Volo etiam et summopere deprecor, ut sicut me hucusque adjuvistis, et manutenuistis, ita modo adjuvetis, et de vestra pecunia mihi ad præsens conferatis, quia magnis necessitatibus et ponderosis negotiis sum circumventus, quæ nequaquam expedire valeo, nisi cum vestræ discretionis consilio et auxilio. »

Postquam rex finem loquendi fecit, dominus Compostellanus, quamvis eum fictitie locutum fuisse non dubitaret, et proditionem superius taxatam per amicos suos subolevisset, ei benevole respondit.

Ait enim quod in ejus amore atque benevolentia semper manere vellet, et quod nulla occasione se ab ejus fidelitate atque servitio aliquando averteret. Deinde trecentas et marcas argenti fratrum consilio promisit, quibus suas necessitates relevaret, et sua negotia expediret. Ad hujus muneris oblationem rex diutissimo siluit, et nullum verbum ei tunc respondere voluit, quia munus sibi oblatum pro minimo habuit. Interpositis tamen multis sermonibus, tandem respondit quod extra thesaurum exiret, ut concilium cum suis secretariis, qui nobis adversabantur, de oblatione illius muneris iniret. Tunc dominus Compostellanus, ipsius animum perpendens et regali dignitati reverentiam exhibens, cum taliter allocutus est : « Domine rex, si vestræ celsitudini placeat, ego seorsum discedam, et vos consilium cum secretariis vestris initote quid mihi debeatis respondere. » Rege autem respondente id sibi placere, ipse Compostellanus a thesauro discedens, chorum B. Jacobi intravit, ibique regale responsum cum quibusdam suæ Ecclesiæ personis, et aliis paucis viris, diu exspectavit. Tunc rex consilio cum adversariis et proditoribus domini Compostellani inito, ipsi Compostellano per eosdem adversarios mandavit, quod sexcentas argenti marcas sibi conferret, et se quos vellet de civitate capere permitteret. Tunc dominus archiepiscopus per eosdem nuntios regi mandavit ut eos sibi nominatim exprimeret quos capere vellet. Illi autem nominavit dominum Bernaldum B. Jacobi thesaurarium, et Petrum Stephanidem ejus germanum, et Gundisalvum Pelagiadem ipsius nepotem, amicos, scilicet, et familiarissimos domini archiepiscopi, quod ipse nullo modo capi permitteret nec consentiret.

Auditis eorum nominibus, archiepiscopus non modicum contristatus respondit quod nec illos nec aliquem alium de civitate, sive clericum sive laicum, nec vilissimum totius honoris B. Jacobi rusticum capi permitteret nec ei licentiam capiendi daret. Hoc audito rex indignatus, complicibus nefandæ proditionis instigantibus, illi mandavit quod mille marcas argenti sibi tribueret, vel totum B. Jacobi honorem dimitteret. Dixit tamen se aliquam partem ex illo honore illi relicturum esse ubi bene vivere posset, et se honorifice procuraret. Tunc ipse archiepiscopus omnes suæ Ecclesiæ personas et canonicos ad se convocavit. Quibus regis legationem et petitionem seriatim revelavit. Illis autem stupentibus et mirantibus super regalem petitionem, dominus archiepiscopus taliter locutus est : « Fratres charissimi, animadvertite quod rex occasionem quærit adversum nos, quia nos habemus malevolos et proditores in ejus palatio, quorum instinctu et consilio vult nobis incommodare, et hoc ab honore privare, et vos fratres, amodo providere Ecclesiæ vestræ consulite : pastorem vobis eligite, quia ego meipsum ab honore deponam priusquam talem pecuniam persolvam, quia nescio unde tantum pondus pecuniæ habere possem. Dignitatem tamen meam aut ordinem, neque pro rege, neque pro aliqua potestate dimittam, imo omnipotenti Deo in eis, quamdiu vixero, serviam. » Tunc omnes astantes, tam canonici quam alii, ad hæc verba archiepiscopi cœperunt flere et dicere : « Cur nos, Pater, vis deserere ! Cur nos vis desolatos relinquere ? Lupus enim rapax tuum gregem invadet, et sibi diripiet ; manus suæ crudelitatis in tuum ovile extendet, et illud prorsus ab omnibus suis facultatibus exuet. De duobus malis levius est eligendum ; malum est te tantam pecuniam regi promittere, sed pejus est te tuum honorem dimittere. Si enim honorem dimiseris, quoscunque hucusque nutrivisti et manutenuisti et ditasti, omnes modo adnihilabuntur, ecclesia tua destruetur. Oppone ergo te murum pro domo Israel, resiste lupo venienti, ne videaris mercenarius esse, et non pastor, labora pro ovili tuo, consolare Ecclesiam tuam, labora pro justitia, attende ipsam Veritatem in Evangelio sic prædicantem : « Beati qui « persecutionem patiuntur (*Matth.* v, 10), » etc. Attende prophetam, negligentibus pastoribus sic comminantem : « Væ vobis, pastores, qui pascitis « vosipsos, et non oves (*Ezech.* xxxiv, 2). » Accingere ergo gladio tuo, Pater, « viriliter age et con« fortetur cor tuum, et sustine Dominum (*Psal.* xxvi, 14), » In eo qui dixit : « Ego sum, confidite (*Marc.* vi, 50), » confidenter confide, quia nunquam te adhuc deseruit, et in nostris magnis necessitatibus jam multoties tibi subvenit. Pecuniam illam quæ a te expetitur promitte ; nos omnes ad eam reddendam, Deo annuente, tibi auxiliabimur, quia melius est ut partem aliquam de nostro tibi spontanea voluntate conferamus, quam ut totum per vim rege auferente amittamus. »

Illis universis hæc et his similia dicentibus, et suum dominum ad sui honoris retentionem animantibus ; adversarii ejus a rege missi in chorum venerunt, qui et dixerunt : « Domine archiepiscope, aut cito responsum regi date, aut ipse legatos suos ad civitatem capiendam, et sibi appropriandam modo mittet. » Hoc audito dominus archiepiscopus animum suum communi omnium consilo ut unanimi voluntatem mutavit, et mille marcas argenti regi promisit, eo tenore scilicet, et eo pacto, ut neminem de toto honore B. Jacobi nec de civitate caperet, nec ei in aliquo incommodaret. Tali pacto inter regem et archiepiscopum jam stabilito et firmato, adversarii ejus et proditores, tam clerici quam laici, sed præcipue clerici, eum in honore remanere videntes, et inde pernimium dolentes, regem in domo cujusdam Burgensis Compostellani adierunt, et eum ad cassandum præfatum pactum compellere voluerunt, dicentes : « Domine rex, tu es deceptus, et omnino delusus. » Archiepiscopus et sui consultores mira arte et mira calliditate te deceperunt ; tantillum enim pecuniæ quod promisit, uno tibi momento dare posset, et tria tanta si vellet. Nostro igitur consilio acquiesce, et pactum quod cum illo egisti festina cassare, et nos tibi pro honore quem ei di-

misisti, tria millia marcarum puri argenti conferimus, et in tuo servitio atque fidelitate deinde constanter permanebimus. Quod si ita facere volueris, maximum proficuum inde habebis, quia adepta tali et tanta pecunia, regnum tuum poteris acquirere et pacificare, milites tuos honeste parare, superbiam et contumaciam inimicorum tuorum edomare, et deprimere. » Illis hæc et similia dicentibus et regem ad cassationem pacti instigantibus, ipse rex respondit: « Sinite me modo et consilium cum aliquo meorum fidelium inibo, quid vobis super hac vestra suasione debeam respondere. » Ad hoc illi responderunt: « Cum quo vis tu consilium inire? Omnes principes et potestates tuæ curiæ magis favent ejus parti quam tuæ, magis elaborant ad eum de tuis manibus liberandum, quam ad tuum proficuum ab illo extorquendum; omnes quippe jam, aut data pecunia, aut promissa corrupit, et sibi ad suam utilitatem contra te alligavit, fac ergo sicuti nos tibi consulimus, et accipe pecuniam quam sibi promittimus. » Ad hoc rex respondit: « Quamvis quidquid vos dicitis verum esse mihi videatur, vestro tamen consilio non acquiescam, donec consilium ab aliquo meorum fidelium super hoc accipiam. »

Hoc dicto rex discedens quemdam comitem Hierosolymitanum probum et honestum virum, seorsum vocavit, cumque per fidem et per amicitiam quam sibi debebat et per hominium, quod sibi fecerat, rogavit et monuit, quatenus sanum sibi et rectum consilium super quodam negotio daret, neve a tramite veritatis aliqua occasione deviaret, et comite quidem promittente et jurante regi sic fore, taliter rex locutus est: « Ego jam pactum cum archiepiscopo propter mille marcas argenti feci, et totum honorem suum ei reliqui; sed sunt quidam ejus adversarii et malevoli qui ei inimicantur, ut ego bene novi, qui me ad cassationem illius pacti compellere volunt, et ob id tria millia marcarum argenti puri mihi promittunt, ut totum honorem B. Jacobi ei auferam, et sibi conferam. Ego autem illis respondi quod nunquam illud facerem donec consilium cum aliquo meo fideli inirem, et modo volo ut tu meæ utilitati provideas, et in animo tuo consideres utrum illud pactum cassare debeam, an ita, sicut jam cœpi et promisi, teneam. » Ad hæc comes ille respondit: « Domine mi rex, qui tale tibi consilium dat, te dedecorare et infamem esse desiderat; proditores illi istud tibi consulunt, non ut tuæ utilitati provideant, sed magis ut archiepiscopo incommodent, cui multum nocere vellent, si possent. Nescis tu quod qui archiepiscopum persequitur, dominum et B. Jacobum et ejus Ecclesiam persequitur? Ego matrem tuam reginam dominam Urracam vidi, eum persequentem et multis modis injuriantem, et etiam captioni prædicatoriæ mancipantem. Sed Deus et B. Jacobus eum de ejus manibus ipsa nolente extraxit, et de multis aliis periculis visibiliter liberavit. Postea pene totum regnum suum propter illud peccatum amisit, quia videlicet manus suas ad tantum nefas

A extendere præsumpsit. Deum ergo ante oculos mentis tuæ propone, reverentiam B. Jacobo exhibe, pactum quod cum archiepiscopo jam fecisti et firmasti, si potes, emenda in melius, et corrige, quia certe nimis grave est et intolerabile. Quod si emendare et alleviare nolueris, noli saltem deteriorare, quia timeo ne Deus tibi irascatur, et tantam injuriam in te ulciscatur. »

His auditis, rex consilium illius consulis sanum esse et sibi utile perpendens, et proditores contra archiepiscopum invidia atque malevolentia æstuare non dubitans, consilio consulis acquievit, et pactum quod cum archiepiscopo fecerat, juxta eorum instinctum cassare noluit. Imo illos proditores quasi iratus adiit, et eos ne talia sibi amplius suaderent, B comminando prohibuit, dicens: « Nolo juxta vestrum consilium facere, quia magis esset mihi ad dedecus et damnationem, quam ad salutem et honorem. Timeo Deum et B. Jacobum offendere, et infamiam et blasphemiam tam nobilitatis quam vulgi incurrere; quiescit ergo et nolite amplius tantum nefas mihi suadere. » Compostellanus igitur, comperto regis animo, prænominatam pecuniam, partim de propria facultate, partim de aliena, ipsi regi contulit, a canonicis etenim suæ Ecclesiæ partem pecuniæ habuit, quam illi sibi in auxilium, sicut promiserant, spontanea voluntate contulerunt; Burgenses quoque aliam partem ei tribuerunt, sed alii gratis, aliis mutuo. Ubi vero nec ejus facultas, nec canonicorum, nec Burgensium dona, aut mutuamina ad complendum millenarium marcarum numerum non suffecerunt, C ipse archiepiscopus communi consilio et assensu fratrum quod ipsius numeri completioni defuit, per honorem B. Jacobi, tam nobilibus quam ignobilibus petendo acquisivit, et sic regi integrum promissum, mille scilicet marcas argenti contulit. Hoc autem fecit, non quia suæ personæ captionem, aut sui honoris amissionem pertimesceret, sed quia metuebat ne ipse rex manus suæ crudelitatis ad novum et inusitatum facinus extenderet, et ecclesiam B. Jacobi invadere et dissipare præsumeret, et ejus honorem laicis potestatibus, sicut cum proditoribus jam disposuerat, distribueret.

CAPUT LXXXVII.

Qualiter archiepiscopus super præmisso excessu imperatorem ad satisfaciendum induxit.

D Ante tamen quam rex Compostellana civitate egrederetur, cum archiepiscopus in magna tribulatione et gravi angustia versaretur, quia præfatam pecuniam, quam rex proditorum instinctu absque dilatione postulabat, reddere non poterat, ipse archiepiscopus, regis impietatem et nequitiam in animo suo et corde volvens et considerans, plane animadvertit quod rex perpetuam suæ animæ damnationem incursurus esset, si in tali et in tanto peccato absque pœnitentia et satisfactione debita naturæ persolveret. Illud igitur Dominicum præceptum: « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* XIX, 19), » ante oculos mentis revocans, perituræ ejus animæ

condoluit, tum quia eum a se baptizatum semper dilexerat, et in regem unxerat et coronaverat, et postea adultum propriis manibus ante altare B. Jacobi in militem armaverat, tum quia regis Adefonsi nepos et comitis Raymundi atque reginæ dominæ Urracæ filius fuerat, qui multa beneficia ante suum obitum archiepiscopo contulerunt. His de causis et præcipue fraternæ charitate compulsus regem seorsum vocavit, et eum pœnitere et se in melius emendare his verbis obnixe monuit: « Peccatis in conspectu Domini magnum dedecus et magnum injuriam Deo et B Jacobo versutia diabolica decipiente intulisti. Ecclesiam beatissimi apostoli juxta pravorum consilia, absque ulla ratione violenter invasisti et expoliasti. Resipisce ergo et age pœnitentiam, quia nisi resipueris, et errata correxeris, perpetuum tuæ animæ detrimentum digno Dei judicio patieris. Nonne novisti tu quod sicut Deus est omnium bonorum retributor, ita est omnium injuriarum justus et destrictus ultor? » His auditis, rex timore percussus, quia id quod archiepiscopus dicebat verum esse et indubitabile sciebat, hujusmodi responsum dedit: « Domine archiepiscope, quomodo possum ego pœnitere? pecuniam istam non possum dimittere, quamvis me non dubitem eam a vobis injuste suscipere: si enim eam dimisero, unde meas necessitates relevem, unde stipendiarios meos sedare possim, non habeo. Quomodo ergo pœnitere possim, nec video, nec videre queo; a vobis enim et ab aliis ecclesiasticis personis audivi quod peccatum non relaxatur nisi ablatum restituatur. »

Ad hæc archiepiscopus: « Venite in capitulum in meam et fratrum præsentiam, et, Deo adjuvante, dabimus tibi consilium quid possis facere in tanti sceleris remedium. Postera die rex in capitulum cum paucis suæ curiæ optimatibus et familiaribus venit; in cujus et omnium fratrum præsentia ego et alii viri probi atque auctoritati archiepiscopum propriis auribus audivi taliter fuisse locutum: « Domine rex, ego te tui avi venerabilis memoriæ regis Adefonsi, et comitis Raymundi patris tui, et matris tuæ reginæ dominæ Urracæ amore semper dilexi, et adhuc diligo, et ideo rectum et sanum consilium tibi dare volo. Alii reges, tui antecessores, viri timorati et religiosi, istum locum et istam ecclesiam præ aliis omnibus Hispaniæ locis et ecclesiis divino et B. Jacobi amore dilexerunt, et honoraverunt, et exaltaverunt; istam ecclesiam publicis et privatis largitionibus munifice ditaverunt. Castra, honores, villas, et possessiones huic ecclesiæ in Dei obsequium et suorum peccatorum remissionem largiti sunt; aurea et argentea vasa, cruces pretiosas, cappas sericas, aulæa serica et deaurata, et cætera ornamenta quæ ad Dei honorem et S. Ecclesiæ ornationem pertinent, huic ecclesiæ pro salute et remedio suæ animæ contulerunt. Tu autem non solum eorum vestigia sequi et exempla imitari temerario ausu neglexisti, verum etiam eorum eleemosynas et beneficia huic Ecclesiæ nutrici tuæ, a qua et a me, licet indigno, et a fratribus multa beneficia habuisti, violenter abstulisti, nec Deum ante oculos mentis proposuisti, nec reverentiam B. Jacobo, cujus corpus venerandum in hac ecclesia tumulatur, exhibuisti. Considera ergo et perpende quantam inferni januam tuæ animæ patefeceris. Considera quantum erraveris, quantumque sceleris diabolico instinctu perpetraveris; si in tanto scelere impœnitens, nec satisfaciens, morte occupatus fueris, nequaquam Deum facie ad faciem videbis. In hac etiam præsenti vita corporis tui damnum divina ultione inferente patieris, nisi pœnitentia satisfacere Deo et B. Jacobo festinaveris. Meo igitur consilio acquiesce. Festina pœnitere, et pœnitendo Deum et B. Jacobum tibi reconciliare, et sicut ecclesiam B. Jacobi tantæ injuriæ illatione dedecorasti, ita eam honora et consolare alicujus muneris, aut beneficii collatione; honora eum de tuo corpore; corpus tuum in ea tumulandum tui patris exemplo nobis promitte, et concede. Si huic nostro consilio acquieveris, et ita facere volueris, nos et fratres tantum scelus tibi condonabimus, et pro te ad Deum et B. Jacobum unanimiter intercedemus. »

Tunc rex archiepiscopum vera loquentem, et justa petentem remota dubitatione intelligens, hoc modo breviter respondit: « Si ego scirem et securus essem quod vos et ista Ecclesia talem ac tantam mihi misericordiam, et talem honorificentiam mihi exhiberetis, qualem et quantam meo patri exhibuistis, ego assensum vestræ petitioni libentissime præberem, et meum corpus et meam animam in vestras manus commendarem. » Ad hæc archiepiscopus: « Quidquid honorificentiæ tuo patri quantum ad corpus, et quidquid beneficiorum et orationum pro ejus anima facimus, id totum tibi et pro salute tuæ animæ faciemus, et eo amplius, quia majora tibi beneficia sunt necessaria quam patri tuo; quamvis enim sis juvenis, et parum adhuc in hoc sæculo vixeris, majora peccata tua levitate incurristi, quam pater tuus, licet in hac vita diutius mansisset. Pater namque tuus (159), bonus homo fuit, et religiosus, et sapiens, et in omnibus actibus suis Deum timens, et ejus præcepta adimplens, et ideo pro certo habeo quod ipse in sinu Abrahæ requiescit in paradiso. Ipse enim sua peccata, et in sanitate, et infirmitate mihi confessus est, et ei pœnitentiam dedi; et sicut tu majora scelera fallente diabolo commisisti, ita majora beneficia sunt tibi magis necessaria, quam illi. Promittimus ergo tibi præter illud quod patri tuo facimus, tertiam partem missarum, quas clerici a me et a meis successoribus ordinandi celebraverint, et quod in generalibus synodis tuæ animæ mentionem faciemus, et pro ea orationem specialem ad Deum fundamus, et post obitum tuum missam in unaquaque hebdomada pro animæ tuæ remedio specialiter celebret r in ista ecclesia. »

Hoc audito rex præ gaudio ita respondit: « Quidquid vos dicitis et promittis bonum mihi et utile

(159) Raymundus comes.

videtur: unum quid tamen est super quo ego non modicum gauderem si illud a vobis impetrare possem. Vellem enim, si Domino et B. Jacobo et vobis placeret, istius Ecclesiæ canonicus fieri, et in omnibus ejus eleemosynis, Missis, et orationibus, et aliis beneficiis tanquam unus ex canonicis, et in vita, et in morte consors et particeps fieri. Si enim canonicus hujus Ecclesiæ factus fuero, meos æmulos et adversarios constantius et rationabilius contundere et deprimere potero, et ejus jura, Deo adjuvante, defendere. Tunc archiepiscopus et canonici, qui capitulo intererant, petitionem regis laudaverunt, et ei illam unanimi assensu tribuerunt. In illo igitur capitulo factus est rex Ecclesiæ B. Jacobi canonicus, et panem in canonica, et hebdomadam in altari, et cætera Ecclesiæ beneficia, sicuti quisque canonicorum habet, ei concesserunt. Rex autem, recepto canonicatu et Ecclesiæ beneficio, corpus et animam suam in manus archiepiscopi et canonicorum commendavit, et quod corpus suum ubicunque moreretur ad ecclesiam B. Jacobi tumulandum deferri faceret, in manus archiepiscopi et coram toto capitulo promisit.

Hoc facto quidam canonicorum non ab archiepiscopo, nec ab aliquo canonicorum præmonitus, in medio capituli surrexit, et dixit: « Domine rex, nostræ Ecclesiæ in capitulo beneficium recepisti, ecce quasi unus ex nobis factus es. Anniversarium tuum annuatim oportebit nos celebrare, si regulam justitiæ et sanctorum Patrum exempla sequi et observare voluerimus, tu quoque tui patris et matris et bonorum regum atque principum, qui corpora sua et animas suas personis ecclesiasticis et Ecclesiis commendaverunt, vestigia sequi et exempla imitari accurate debes; boni etenim reges et boni principes Ecclesiæ in qua sunt tumulandi, de suis facultatibus vel honoribus aliquid pro tui anniversarii celebratione promittunt et conferunt; et nos equidem volumus, et te deprecamur, ut ad tuæ animæ utilitatem et salutem, eorum vestigia sequaris, et aliquem honorem vel hæreditatem huic Ecclesiæ pro tuo anniversario celebrando pollicearis. » Ad hoc rex: « Sinite me modo: vestram petitionem justam esse et rationabilem et mihi utilem esse video. Ego consilium mecum et cum meis familiaribus inibo, et tractabo quid vobis et vestræ Ecclesiæ possim promittere et dare pro anniversario meo, et postea responsum vobis dabo. »

Qualiter imperator castrum S. Georgii Ecclesiæ Compostellanæ donavit.

Tunc archiepiscopus, et alii qui capitulo intererant, de aliis negotiis, et de aliis causis agere, et multos ac diversos sermones interserere, sicut solet fieri in tali conventu, cœperunt. Postquam autem rex illis ita loquentibus diutissime siluerat, a nemine conventus, a nemine interrogatus taliter locutus est: « Domine archiepiscope, jam providi et mihi consului et inveni quid vobis et vestræ Ecclesiæ pro meo anniversario annuatim celebrando possim dare· Castrum B. Georgii cum omnibus suis appendiciis vobis ob id promitto, et concedo quiete et absque omni calumnia in perpetuum tenendum atque possidendum, et comes Rudericus, qui illud castrum modo a me tenet, hominium et fidelitatem vobis de illo castro faciat, ut in morte mea illud vobis liberum et solutum omnimodo dimittat, et si Rudericus comes mortuus fuerit, vel castrum quoquomodo amiserit, et alius princeps a me acceperit, priusquam accipiat hominium et fidelitatem similiter vobis et vestræ Ecclesiæ faciat, ut illud castrum vobis absque ulla rebellione tradat. Et si comes Rudericus, aut alius diabolo suadente aliter fecerit (quod absit!) mihi ut sui domini proditores habeantur, et pro perjuris et proditoribus a cunctis teneantur, et ego vestram paternitatem obnixe rogo ut eos excommunicetis et maledicatis et a liminibus S. ecclesiæ tandiu sequestretis, donec præfatum castrum, sicut prætaxatum est, in vestras manus et in vestrum et vestræ Ecclesiæ jus omnimodo reddant. Quod si metu excommunicationis se corrigere et castrum reddere noluerint, vos et amici vestri congregato exercitu et posse vestro, eos invadite et persequimini, donec supradictum castrum cum suis pertinentiis vobis Ecclesiæque vestræ reddant. Ego autem notario meo testamentum vobis de illo castro facere præcipiam, et factum propriis manibus roborabo, et roboratum super B. Jacobi altare in vestris manibus offeram. » Altera vero die comes Rudericus, licet invitus, rege cogente, hominium atque fidelitatem de illo castro et suis appendiciis domino archiepiscopo fecit. Postea rex juxta suum promissum testamentum de supradicto castro ab ejus notario factum, et ipsius manibus roboratum, super altare B. Jacobi et in manibus archiepiscopi, coram canonicis, et multis aliis, obtulit; duo etiam scripta de corporis sui promissione et de canonicatu, et de beneficii ecclesiastici receptione, fieri fecit, quorum unum in thesauro B. Jacobi cum privilegio castri custodiendum tradit, aliud vero in repostaria sua secum deferri fecit.

Promissio medietatis terræ de Montanis.

Facta hujusmodi de castro promissione, rex in eodem capitulo coram universo conventu taliter locutus est: « Ego jam medietatem de terra Montanorum vobis et vestræ Ecclesiæ dedi, et testamentum de illa integra vobis feci, nunc autem aliam medietatem, sicut jam promisi, promitto, et illam vobis sicut aliam jam dedi, dabo quamcitius potuero, quia istam Ecclesiam cujus canonicatum et beneficium jam recepi et habeo, præ omnibus Hispaniæ Ecclesiis diligam et diligo, et eam contra suos adversarios et æmulos pro posse meo defendam et manutenebo. » Postquam archiepiscopus a rege talia audivit, benevolentiam regis erga se et suam Ecclesiam magnam esse perpendens, hujusmodi orationem habuit: « Domine rex, antequam Portugaliam cum nostro exercitu introissemus, super reginam Tarasiam ituri, ego et vos colloquium in terra Taberioli seorsum habuimus, in quo vestram personam et

vestram domum in meum jus et in meam potestatem prorsus concessitis, ut quos ego vellem inde abjicere abjicerentur, et quos vellem recipere, reciperentur: adversarios quoque meos et proditores exhonorastis, et eorum honores, Capellaniam, scilicet et Cancellariam, mihi aut cui vellem tradidistis et modo nisi vestræ majestati displiceret, vellem scire utrum ficte, an simulatorie, an mera veritate et remota omni simulatione feceritis. » Ad hæc verba archiepiscopi rex Adefonsus respondit: « Quoquo modo tunc fecerim, sive ficte, sive non ficte, quidquid vobis tunc concessi, modo gratanter concedo et confirmo. Regnum meum et domum meam pro velle vestro disponite, et honores vestrorum adversariorum, scilicet capellaniam et cancellariam habete, et cui volueritis tribuite. » Tunc archiepiscopus domino regi gratias de tanti muneris collatione coram omnibus retulit, et capellaniam in suam restituit; cancellariam vero domino Bernaldo B. Jacobi thesaurario et familiari suo contulit. Ego qui hæc scripsi, partim ea propriis oculis vidi, partim a domino Compostellano et ab aliis probis et honestis viris veridico relatu audivi, et sicut tunc temporis gesta sunt, ita meo stylo juxta modulum meæ possibilitatis seriatim descripta sunt; nihil enim ibi ex mea parte addidi, nihil de visis, sive de auditis scienter prætermisi. Ego quoque et multi alii eum magni doloris et angustiæ gravitate oppressum, et de pacto quod cum rege de tanta pecunia fecerat pœnitentem postea vidimus, quia eam, sicut promiserat, reddere non poterat; semper enim publicæ utilitati magis quam privatæ studuit providere. Unde a cunctis non modicum laudatus est, a successoribus sollicite imitandus.

CAPUT LXXXVIII.

Soror imperatoris sepulturam in Ecclesia Compostellana elegit.

Cum dominus archiepiscopus summis precibus a rege impetrasset, ut corpus suum B. Jacobi Ecclesiæ tumulandum, ut supradictum est, concederet, sororem ipsius regis infantam, nomine dominam Sanciam, quæ tum temporis ad illum venerat, honores ad se pertinentes acquisitura et receptura, adiit, eamque obnixius rogavit, ut corpus suum ad exemplum regis sui fratris B. Jacobi ecclesiæ sepeliendum concederet; cujus petitioni justam et rationabilem et sibi maxime utilem esse intellexit. Quoddam etiam monasterium Legionensi civitati adjacens opulentum, et magnos honores habens, S. scilicet Michaelem de Escalata pro tricenario et anniversario suo B. Jacobi Ecclesiæ perpetuo possidendum et tenendum promisit.

CAPUT LXXXIX.

Promissio T. reginæ Portugalensis de eligenda sepultura in ecclesia Compostellana.

Postquam archiepiscopus duo supradicta, alterum a rege, alterum ab infanta ejus sorore se impetrasse vidit, litteras suas ad Portugalensem reginam dominam T. regis materteram in hæc verba direxit: « Venerabilis regina, nobilitati tuæ præsentium destinatione innotescimus regem nostrum dominum Adefonsum, et infantam ejus sororem, nostro consilio suis animabus providentes corpora sua B. Jacobi ecclesiæ tumulanda concessisse, et partem de suis honoribus eidem ecclesiæ pro sua animarum salute et remedio promisisse; quapropter tuam prudentiam monendo rogamus, ut corpus tuum ad eorum exempla supradictæ ecclesiæ tumulandum promittas, et promissum concedas. » Visis his litteris regina præfata archiepiscopi petitionem justam et rationabilem et sibi maxime utilem esse non modicum gavisa est, et quod archiepiscopus per litteras ab ea petiit, gaudenti animo et læto vultu uno cardinalium B. Jacobi præsente et aliis multis personis illi concessit, et partem magnam de suo honore eidem ecclesiæ in morte sua se daturam coram omnibus promisit.

CAPUT XC.

De recuperatione monasterii S. Pelagii Cercedello.

Compostellanus suæ Ecclesiæ honorem augere summa intentione volens, gravem et diutinum conflictum cum Veremudo Suariz, et cum Adefonso Oduariz et eorum gentibus habuit, de quodam monasterio S. Pelagii de Cercedello. Veremudus enim et suæ gentes monasterium illud pro hæreditate habere et possidere volebant, ita ut Ecclesia B. Jacobi nihil juris sibi haberet. Archiepiscopus autem noluit illis consentire, quia sciebat illud monasterium ad Ecclesiam B. Jacobi non ex toto, sed partim pertinere. Venerunt ergo multoties in præsentiam proborum et discretorum virorum, tam clericorum quam laicorum, ut illud negotium diffinirent, et nunquam diffinire potuerunt. Ad ultimum tamen archiepiscopus, eos aliquam justitiam in monasterio habere sentiens, noluit eos omnino ob illo monasterio abalienare et gravare, utpote Deum timens, sed potius convenientiam et concordiam cum illis fecit, medietatem illius monasterii et ejus appendiciorum ipsis concedens, aliam vero medietatem Ecclesiæ B. Jacobi in hæreditatem retinens, et super hoc habentur scriptum in thesauro ab illis factum et roboratum, et ipsi ab eo habent aliud scriptum factum et roboratum.

CAPUT XCI.

Privilegium de bonis non occupandis decedente archiepiscopo.

Sicut ego qui hæc scripsi, a domino Compostellano non semel, sed sæpenumero audivi, quod Hispanorum regum consuetudo fuit, ut mortuo ecclesiæ B. Jacobi episcopo vicarios suos in Compostellana civitate et per totum ipsius apostoli honorem constituerent, et electione successuri episcopi ad libitum honorem triennium vel quadriennium potestative obtinerent. Ipse equidem Compostellanus, sicut ego ab eo accepi, Ecclesiam et totum honorem B. Jacobi quadriennium integrum ante suam electionem regi-

bus consentientibus et volentibus non tyrannice tamen, sed canonice tenuit et rexit; regales vero majorini neglecta justitiæ regula, fas et nefas confundentes, villas violenter deprædabantur, pauperes et egenos contra jus et fas opprimebant, nobiles et ignobiles pro velle suo tractabant, et suis facultatibus atque hæreditatibus exspoliabant. Quid plura? totam terram in suum jus et in suam potestatem redigebant, et reductam omnino confundebant. Compostellanus, hanc pravam et intolerabilem consuetudinem abolere et exstirpare volens, in tempore dominæ reginæ Urracæ per se et per suos amicos dando, pollicendo, serviendo et deprecando multum laboravit, ut privilegium de libertate Ecclesiæ et totius honoris B. Jacobi ab illa extorqueret. Illa vero ejus precibus condescendens, et multorum obsequiorum ab illo sibi impensorum reminiscens, cuidam cardinali B. Jacobi Ecclesiæ, nomine P. Didacide, illum pivilegium scribere jussit, ut scriptum confirmaret, et roboraret. Sed antequam scriptum esset, illa regina morte præventa est, et ita Compostellanus privilegium illud in ejus tempore habere non potuit. In tempore quoque A. regis reginæ filii, multa incommoda et multa damna pertulit, et immensam pecuniam expendit, ut præfatum privilegium ab eo extorqueret. Rex autem ejus intentionem bonam et justam esse perpendens, ejus petitioni multis de causis tandem condescendit. Compostellanus enim, incomputabilem pecuniam illi tribuens, taliter eum affatus est: «Ego te baptizavi, et patriuus tuus sum et fui; te in regem tempore opportuno unxi et coronavi; te in militem ante altare B. Jacobi propriis manibus armavi; tibi a pueritia tua usque ad exaltationem tuam fideliter servivi, et tua commoda meis semper præponebam, multorum inimicitias pro tuo servitio et fidelitate, quam erga te tenebam, multoties incurri. Horum omnium more discreti et sapientis viri deberes reminisci, et mihi aliquid horum omnium servitiorum aliquomodo recompensare, et si ego tibi nullum servitium fecissem, et tale quid a te peterem in Dei obsequium et tuorum peccatorum remissionem et pro salute tuorum parentum, istud a te impetrare debuissem.» Audita hujusmodi ratione Compostellani jam justa et tam rationabili, rex hujusmodi privilegium de libertate Ecclesiæ et totius honoris B. Jacobi illi fieri jussit et propria manu roboravit et confirmavit.

CAPUT XCII.

Tenor privilegii.

«Veneranda et gloriosa meorum prædecessorum catholicorum regnum venerabilis memoriæ Adefonsi mei avi, et aliorum liberalitate et devotione ecclesia B. Jacobi apostoli dignoscitur esse fundata atque ædificata, et multiplicium honorum collatione ditata et exaltata, et in jus atque potestatem episcoporum et cannonicorum absque ulla laicalis personæ participatione, vel dominio perpetualiter tradita. Sed quia temporibus quorumdam parentum et antecessorum meorum, ea quæ ad Dei et B. Jacobi honorem bene- A instituta et ordinata fuerant, propter guerras et pravas inolentes consuetudines destruebantur, et canonici ejusdem sancti loci, necnon et sui honoris pauperes maximum damnum et suarum rerum detrimentum patiebantur, et etiam, quod deterius erat, mortuo ejusdem sedis episcopo regis vicarius ab eo missus omnes Ecclesiæ possessiones invadebat, et immisericorditer destruebat. Idcirco ego Adefonsus, Dei gratia Hispaniarum imperator, una cum conjuge mea regina domina Berengaria, precibus domini Didaci præsentis archiepiscopi, et suorum canonicorum rogatu, prædictas pravas consuetudines prorsus destruere et exstirpare volens, et bona exempla et meorum prædecessorum instituta non irrationabiliter sequens, hujus privilegii firmitatem ad Dei et B B. Jacobi apostoli honorem propria voluntate (non aliqua necessitate cogente) in Dei obsequium, et animæ patris mei remedium, cujus corpus in eadem ecclesia honorifice jacet tumulatum, et pro meæ animæ salute, et meorum peccatorum remissione, cujus corpus in ecclesia ipsa, me promittente, constat tumulandum esse, et pro omnium parentum meorum refrigerio et absolutione, quos Deus in hoc delinquentes ab omnibus peccatis suis misericorditer absolvat, facere et firmare decrevi, ut cum præsens archiepiscopus, nomine Didacus, vel quislibet ejus successor debita naturæ persolverint, non ego aut aliquis alius meorum successorum, vel aliqua sæcularis persona ullum jus aut ullam potestatem in tota B. Jacobi ecclesia, vel in ejus Castellis et honoribus ad eam pertinentibus habeamus, nec ali- C quem habere permittamus, sed tota Ecclesia et omnis ejus honor in ejusdem Ecclesiæ canonicorum arbitrio et dispositione quiete et absque ulla invasione permaneat et consistat, donec digna et sancta atque religiosa ab ipsis canonicis archiepiscopi fiat electio. Quod si ego aut aliquis meorum successorum huic nostræ institutionis paginæ obviare vel contraire præsumpserit, omnipotentis Dei Patris, et Filii et Spiritus S. et B. Jacobi apostoli, atque omnium sanctorum auctoritate excommunicetur, anathematizetur, et a sacratissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione alienus efficiatur, et cum Datan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, in inferno sepeliatur, et cum Juda Domini sui proditore particeps efficiatur, donec resipue- D rit, et ad condignam satisfactionem redierit; omnibus autem hoc observantibus sit pax, salus et lætitia, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Hæc scriptura supradicto modo nostra auctoritate sancita et confirmata, per omnia sæcula sæculorum maneat inconvulsa. Facta hujus privilegii scriptura apud Secobiam in æra ICLXVI. Et qt. VIII. K. Junii.

Ego A. Dei gratia Hispaniæ imperator quod fieri mandavi proprio robore confirmo.

Comes Petrus de Lara confirmo.

Comes Rudericus de Asturias, Alferis regis conf.

Comes Bernardus conf.
Comes Suarius conf.
Rudericus Martiniz conf.
Petrus Lopez conf.
Rudericus Veremuiz majordomus regis conf.
Ramirus Frolaz conf.
Raimundus Toletanus archiepiscopus conf.
Petrus Segoviensis episcopus conf.
Bernaldus Segontinus conf.
Bertandus Oxomensis episcopus conf.
Sanctius Avilensis episcopus conf.
Petrus Didaci conf.
Petrus Braoliz conf.
Fredericus Fernandiz conf.
Gutierre Ermeildez conf.
Fernandus Petriz conf.
Bernardus Ecclesiæ B. Jacobi thesaurarius, et regis cancellarius conf.
Cidi testis, Velidi ts. Belidi testes.

CAPUT XCIII.

Iterum de monasterio de Zercedello.

Supradicto negotio de monasterio S Pelagii Circidiliensis inter archiepiscopum et Veremudum Suariz et alius milites definito, quidam abbas, nomine Veremudus cui illud monasterium pertinebat, acceptis chartariis suis præsentiam regalem adiit, et super Compostellano et præfatis militibus graviter conquestus est, se a suo loco et sua hæreditate injuste et irrationabiliter ejectum esse coram universis baronibus qui curiæ intererant viva voce affirmans. Rex vero quia jam eum senem et debilem et multis angustiis circumventum vidit, ejus miseriæ compassus, hujusmodi chartam ad dominum Compostellanum de eo abbate in suum monasterium restituendo direxit, ut videlicet in tota vita sua haberet, post mortem vero ejus, sicut jam fuerat diffinitum, ita permaneret.

« A., Dei gratia Hispaniæ imperator, venerabili domino Didaco, eadem gratia Compostellanæ sedis archiepiscopo, salutem multam.

« Sapiatis quia vidi istum abbatem Veremundum cum grande rancura de sua hæreditate, et monstravit mihi suas chartas et ad meos Barones, et vidimus quia magnum tortum habet, et modo sapiatis quia dedit mihi illam hæreditatem et tuo chartario ; et si Veremudo Suariz vel alius calumniat illam hæreditatem, veniat ad me et habeat judicium cum illo abbate et mecum ; nunc autem mitto eum ad vos ut recipiatis de eo toto chartario de illa hæreditate in mea vice, et mittite illum in suam hæreditatem, et vivat in ea per totam suam vitam, et facite integrare de quanto ei perdiderunt, et amparate et defendite eum de totis hominibus in meo loco ; et si vos nolueritis eum amparare, ego commendabo eum alteri qui eum bene amparet, et suos parentes, et totas suas hæreditates, et ista causa non fallat quia justitia est, si vos amatis. Valete. »

Postea ipse abbas sui facti et suæ querelæ pœnitens a rege, rediit et in præsentiam archiepiscopi veniens omnes chartas quas de illo monasterio habebat domino archiepiscopo contulit, cum obnixius rogans et deprecans quatenus præfatum monasterium sibi in vita sua concederet, et victum et vestitum et cætera necessaria ibi habere posset ; illo vero mortuo, id monasterium ad Ecclesiam B. Jacobi, sicut jam fuerat diffinitum rediret. Archiepiscopus autem, acceptis ab illo omnibus chartariis, dedit illi monasterium, ut in vita sua teneret et necessaria inde haberet ; post mortem vero ejus Ecclesiæ B. Jacobi solutum et liberum ab eo et ab omni parentela ejus recuperaret, et recuperatum quiete et absque omni calumnia possideret, et super tali promissione et convenientia scriptum fieri fecit, factumque propria manu roboravit, et roboratum domino archiepiscopo in testimonium et confirmationem talis pacti tenendum et habendum tradidit.

CAPUT XCIV.

Hoc privilegium fecit dominus archiepiscopus canonicis de suis anniversariis, et eorum redditibus.

Quoniam prælatorum est justitiæ jura nequequaque exercere, et ad honorem omnipotentis Dei et ad communem utilitatem confirmare, bona instituta conservare et augmentare, et horum contraria exstirpare et adnihilare, idcirco ego Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus et S.R.E. legatus, divina disponente clementia, propria voluntate et integra mea prudentia cum omni nostrorum canonicorum consilio et assensu rationabiliter decernimus, et firmitatis scriptura perenniter in hunc modum affirmamus, videlicet ut post uniuscujusque nostri canonici obitum, eorum facultates a nullo occupatæ violenter dissipentur, sed sicut ipsi supradicti canonici per suas mandationes ordinaverint, ita pro posse compleantur, et nullo violentur. De cætero quod ad anniversale eum annuatim devote celebrandum pro animæ meæ remedio canonice B. Jacobi attribui, vel Deo adjuvente attribuero, vel ipsi canonici, seu Burgenses vel quilibet alii pro suis anniversariis similiter attribuerunt, vel deinceps attribuerint, prout canonicorum conventus in capitulo ad communem utilitatem competenter disposuerit, vel alicui nostrorum canonicorum obtinere præceperit, remoto odio et amicitia, munere, et parentela cum consilio archiepiscopi et decani ita dispensetur et incommutabiliter obtineatur. Si forte reges, consules, terræ principes, seu milites magnos honores, veluti castella, prossessiones, et hujusmodi pro suis aniversariis Ecclesiæ B. Jacobi attribuerint, parato prius de ejusdem honoribus canonicis annuatim bono prandio, quod superfuerit per medium inter archiepiscopum et canonicos æque dividatur, eo pacto quod si quis sajo tam meus quam regius, quodlibet hoc Deo datum donum violare præsumpserit, si intrando diruperit, et illæsus evaserit, D solidos et vobis et nobis persolvat. Si vero ibi mortuus fuerit, nihil pro eo persolvatur. Si vapulaverit, omnia lucretur. Si deforis proterve et sine petitione justitiæ quidquam invaserit, LX soli-

dos nobis et votis exsolvat, et rapinam in duplum componat, et hoc post partem canonicæ firmum semper permaneat, et nulla impediente vel cogente persona ratum et inconvulsum persistat, quod si nos, seu successores nostri, vel quælibet persona hoc scriptum ad communem utilitatem factum violare tentaverit, sui honoris periculum incurrat, anathemati subjaceat, et ab omnipotentis Dei conspectu dimoveatur et cum Juda, Filii Dei proditore, in æternæ damnationis supplicio perenniter mortificetur et pro temeritatis ausu parti canonicæ B. Jacobi solidos xx mille persolvat, et quod in calumniam miserit, in duplo componat, et hoc scriptum perenniter in robore maneat. Amen. Facta charta in æra ICLXVI. » Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus, et S. R. E. legatus, anno XXVIII sui (160) pontificatus hoc scriptum proprio robore conf.

Ecclesiam quoque S. Mariæ de Argalo jam detritam, et ruinæ proximam, atque in loco non idoneo fundatam, in locum competentiorem et meliorem transtulit, et translatam a fundamentis ædificavit, et satis meliorem fecit.

Idem quoque archiepiscopus hanc scripturam firmitatis et chartulam donationis communi fratrum assensu et consilio B. Jacobi Hospitali fieri fecit de A quodam scilicet terreno quod jacet in palatii pomœrio, ad construendam ibi ecclesiam in pauperum et peregrinorum sepulturam.

« Ego Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus, una cum ejusdem Ecclesiæ canonicorum conventu, ad Dei et B. Jacobi apostoli atque omnium sanctorum honorem, fecimus textum firmitatis, et chartulam donationis, de quodam nostræ Ecclesiæ terreno, quod jacet in pomœrio palatii, quod spontanea voluntate per hanc scripturam firmitatis damus et concedimus Ecclesiæ B. Jacobi Hospitali ad construendam ecclesiam quamdam ad utilitatem et salvationem pauperum peregrinorum qui jacent jam ibi sepulti, et ad sepulturam aliorum qui adhuc ibi sunt tumulandi, ut ab hac præsenti die et deinceps præfati hospitalis pauperes, B tam præsentes quam futuri, prædictam ecclesiolam habeant et per cuncta tempora perenniter possideant. Quod si aliquis homo contra hoc nostrum factum venerit, pariat parti Hospitali solidos mille, et quod calumniaverit dupliciter componat, et hoc nostrum scriptum semper maneat firmum. Facta Scriptura die XIII K. Augusti, era ICLXVI. » Didacus præfatus archiepiscopus quod fieri jussit robore suo conf. anno sui pontificatus XXVIII.

(160) Nonnulli hic codices depravati, qui tamen ex sequenti scriptura (ubi æra MCLXV et annus pontif. XXVIII sibi constant) facile et firmiter corriguntur.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRILTI

INCIPIT.

PROLOGUS TERTII LIBRI ARCHIEPISCOPATUS DOMINI COMPOSTELLANI DICACI.

Quoniam virorum illustrium gesta et probitates ab interitu oblivionis nequaquam defenduntur, nisi per scripturam aut alio modo memoriæ commendentur, ideo dominus Compostellanus registrum fieri jussit, in quo omnia quæ bene gessit, aut per industriam suæ Ecclesiæ acquisivit, majori parte descripta continentur. Divisit registrum illud in tres libros, quorum primus Episcopatus liber, alii duo C archiepiscopatus non irrationabiliter intitulantur Illa enim gesta quæ ipse in tempore episcopatus, aut archiepiscopatus gessit, vel acquisivit, in illo registro, ut dictum est, descripta sunt. Placuit vero illi illos tres libros sic intitulari, ut si quis aliquid in eis quæsierit, ex ipsa intitulatione facilius invenire possit. »

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De consilio claustrorum et officinarum ædificandorum ab archiepiscopo cum fratribus inito.

Quadraginta et sex anni ab inchoatione novæ Ecclesiæ B. Jacobi transacti erant (161), et major ipsius ecclesiæ pars per Dei gratiam jam erat completa; illa tamen ecclesia nullum adhuc claustrum, nullam competentem officinam habebat, nec erat ædificiis ornata, aut decorata, sicut ultra Portuenses ecclesiæ, D quæ minoris honoris sunt, et pauciores redditus habent. Peregrini autem, tam ecclesiastici quam laici, ad beatissimi apostoli limina orandi causa confluentes, hospites suos et clericos interrogabant ubi claustra et officinæ ecclesiæ B. Jacobi essent. In circuitione totius Ecclesiæ vagabantur explorantes ubi claustra et officinæ haberentur, et quia nullum claustrum ibi videbant, nullam officinam condecentem inveniebant, prælatis et dispensatoribus Eccle-

(161) Ergo anno 1082, sub rege Alfonso VI inchoata a Didaco I Compostellano episcopo.

suæ palam detrahebant. Quæ res, postquam ad aures Compostellani pervenit, non modicum inde contristatus, universo fratrum conventu in capitulo convocato, hujusmodi orationem habuit: « Fratres, nostra ecclesia non nostris sed Dei gratia et nostri patroni beatissimi apostoli Jacobi meritis maximi et celeberrimi est nominis, et ultra portus et citra portus proditissima et nobilissima reputatur: nullum tamen claustrum, nullam bonam officinam adhuc habet; quælibet vero ultra portus pulchriora et valentiora ædificia habet quam nostra, sicut ego ante episcopatum et post, commodis nostræ Ecclesiæ exigentibus peregre profectus in multis et diversis locis propriis oculis vidi, et vos qui peregre profecti estis, quod ego dico verissimum esse, æque ut ego nostis; et certe tam sanctum locum, tam divitem et tam famosum carere ædificiis et officinis, et mihi et vobis maximum dedecus est. Quapropter vestræ fraternitatis dilectionem obnixius imploro, ut citius consilium unanimiter ineamus, quomodo claustra et officinas convenientes ad Dei et nostræ Ecclesiæ honorem ædificemus, quatenus misericordiam apud Deum bene operando citius consequamur, et ut neque a vicinis, neque ab extraneis justo ore vituperemur. Et ego quidem, si meo consilio acquiescere vultis, c marcus puri argenti ad illud opus incipiendum promitto, quarum triginta propria manu modo dabo, alias vero finito uno anno; et quibuscunque modis illi operi adjuvare potero, sive per me, sive per meos amicos, terminis justitiæ observatis, adjuvabo. In morte autem mea centum vaccas quas habeo, illi operi pro remedio meæ animæ in perpetuum dimittam, ut eas et earum fructus quiete et absque ulla calumnia habeat, et nunquam aliquo auferente amittat. Postquam Compostellanus hujusmodi orationem finivit, totus conventus fratrum ejus animum et intentionem uno ore laudavit. Et se ad illud opus incipiendum et peragendum libenti animo auxiliaturum esse promisit. Tunc archiepiscopus eorum responsioni vehementer congaudens, duos ex illis probatos et discretos, decanum scilicet domnum Petrum Heliæ, et cardinalem et primiclerum domnum Petrum Gundesindidem, elegit, quibus curam illius operis incipiendi et tenendi commisit. Illi autem prælato suo obedientiam hilariter exhibentes, supradictum opus incipiendum et disponendum coram omnibus susceperunt. Hoc statuto et confirmato omnes a capitulo lætis animis digressi sunt.

CAPUT II.

De Aria Petride.

Arias Petrides unus ex strenuis et industribus Gallæciæ militibus exstitit. Non fuit tamen magnæ nobilitatis, sed multum animosus et facundus, ita ut candida verteret in nigra, et nigra in candida. Fuit etiam dolosus et pessimus simulator, contra regem et reginam, et alios Gallæciæ principes semper proditorie egit, et in eorum rebellione permansit. Contingit autem filiam Petri comitis, nomine filiam, in uxorem duxisset, cujus mater comitissa domina Major, ipsius Ariæ socrus, cum persolutis naturæ debitis Compostellam delata esset honorifice tumulanda, supradictus Arias inter cæteros principes et milites, qui ejus sepulturæ interfuerunt, cum gentis pulsatus venit; quem cum archiepiscopus, qui ei sua nequitia exigente semper fuerat inimicus, vidisset, secretum vocatum taliter allocutus est, eum ad mutationem et correctionem suæ vitæ, more boni et providi pastoris, volens invitare: « Aria Petrides, pauca vitia sunt quæ peccatis tuis exigentibus et diabolo decipiente non incurreris, perjurus, falsus testis, cupidus, raptor, subdolus, simulator, sacrilegus, flagitiosus exstitisti, nimis voluptuose, et nimis sæculariter vixisti; quæ recta erant oculis mentis inspiciebas, et inspecta omnino negligebas. Timeo ego ergo ne, si talis ab hac vita discesseris, vitam æternam amittas, et perpetuam tuæ animæ damnationem incurras. Et ideo non modicum vellem ut tu, resipiscendo et Deo omnipotenti satisfaciendo, utilitati tuæ animæ provideres, et ipsum Deum tibi melioris vitæ conversatione reconciliares, quatenus et apud ipsum misericordiam in hoc tuæ vitæ consequaris, et vitam æternam habere merearis. ». Talia et consimilia ei suadendo, eum tandem ad pœnitentiam et ad compunctionem animavit, qui, juxta consilium domini archiepiscopi, castrum S. Joannem de Penna Cornaria cum suis appendiciis, et medietatem cujusdam monasterii, nomine Archos, in Salnensi pago stabiliti cum suis pertinentiis Ecclesiæ B. Jacobi in hæreditatem pro salute et remedio suæ animæ in sua morte reliquit; et corpus suum in cœmeterio ipsius Ecclesiæ tumulandum, et curam suæ animæ in vita et morte manu domini archiepiscopi et fratrum commendavit. Partem autem hæreditatum ipsius monasterii, scilicet sex hæreditates in præsenti domino archiepiscopo dedit, ut ipse archiepiscopus et sua Ecclesia jam jus in ipso monasterio, secundum justitiam, ipso Aria vivente, habere inciperet. Et de his omnibus tam de supradicto castro quam de monasterio privilegium fieri jussit: quod factum propria manu roboravit, et roboratum super altare B. Jacobi contulit: et postea in manu domini archiepiscopi custodiendum tradidit. Archiepiscopus autem privilegium illud accepit, et acceptum in thesauro B. Jacobi servandum reposuit.

CAPUT III.

De morte comitis Petri de Trava et relictis ab eo Ecclesiæ.

Petrus comes vir discretus et sapiens et magnæ potentiæ, et ejus uxor comitissa domina Major similiter sapiens et discreta, Minduniensis Ecclesiæ parochiani solebant esse; et suam confessionem illius loci episcopo facientes, pœnitentiam suam ab illo accipiebant, et illi more subditorum obedientes erant; eleemosynas quoque et sua beneficia præfatæ Ecclesiæ et ejus episcopo disponenda et distribuenda pro remedio suæ animæ conferebant. Illud

tamen contra sacrorum canonum auctoritatem et A Ss. Patrum institutionem faciebant, quia testantibus sacris canonibus nec episcopo, nec alicui presbytero alius episcopi, vel presbyteri parochianum nisi ex illius consensu recipere licet. Et quia Compostellanus supradictum comitem et suam uxorem plane errare, et matrem suam Compostellanam Ecclesiam ignoranter dereliquisse vidit, idcirco multa et diversa colloquia cum illis habuit, et tandiu illis prædicavit, donec eis Mindunienseem Ecclesiam et ejus episcopatum derelinquere, et Compostellanæ Ecclesiæ parochianos esse fecit. Salutiferi itaque domini Compostellani prædicatione et admonitione facti sunt filii Compostellanæ Ecclesiæ, et sua corpora cum suis animabus in manu ipsius Compostellani commendaverunt, ut ipse eis ad suam salutem B et ad suam utilitatem consuleret. Accidit autem ut comes supradictus ad mortem Compostellæ ægrotaret, mortem sibi imminentem videns, domino Compostellano et ipsius comitis uxore cum filiis suis præsentibus domui suæ disponeret. Illa autem dispositio et tota ejus mandatio, ejus uxore et suis filiis pariter auctorizantibus, in manu ipsius Compostellani dimissa est; et pars equidem illius mandationis in morte comitis completa est, alia vero pars usque ad mortem comitissæ complenda restitit. Accidit autem ipsa comitissa non post multum temporis debita naturæ persolvere, in cujus obitu tota comitis mandatio, sicuti ipse comes et ejus uxor comitissa et eorum filii concesserant et affirmaverant, prorsus completa est. Reliquerunt autem comes et comitissa C pro suarum animarum salute et remedio villas, hæreditates, ecclesias, monasteria, et multa alia in manu domini Compostellani, et Petri Gundisalviz cardinalis, pro ipsius velle et arbitrio disponenda et distribuenda. Sunt autem nomina earum villarum hæreditatum, ecclesiarum, et monasteriorum in eorum mandationibus, quas supradictus cardinalis tenet scripta et denotata. Et qui sufficienter et plenarie scire voluerit quæ et quanta supradictus comes et comitissa pro suarum animarum remedio in sua morte distribui commendaverunt, ad eorum mandationes recurrat, et ibi omnia inveniet; eorum autem mandationes huic libro adnotari nolumus, nimiam prolixitatem devitantes. Comes autem præfatus et comitissa omnia supra memoratæ Ecclesiæ D B. Jacobi in Dei obsequium et suorum peccatorum remissionem conferre volebant. Sed Compostellanus illud injustum esse et a ratione alienum videns, illis salubriter consuluit, ut ecclesias et alia, in Minduniensi episcopatu acquisita, Minduniensi episcopo et ejus Ecclesiæ pro suarum animarum salute dimitterent. Quæ vero in Lucensi episcopatu acquisierant, Lucensi Ecclesiæ; et quæ in Auriensi episcopio, Auriensi episcopo, similiter quæ in Tudensi parochia, Tudensi episcopo, et sic de cæteris.

CAPUT IV.

Recuperatio deperditorum in Asturiis.

Post venerabilis recordationis regis Adefonsi obitum, multæ tribulationes, et multæ discordiæ, per totius Hispaniæ regnum ita obortæ sunt, ut tota terra prorsus conturbaretur, et de optima et copiosissima in pessimam et flagitiosissimam converteretur. Unde contigit, ut Ecclesia B. Jacobi honorem quem in episcopatu Asturicensi habebat, per multos annos amitteret, et nihil fere proficui inde haberet. Postquam autem illa calamitas in tranquillitatem divina pietate conversa est, dominus Compostellanus ad illum honorem recuperandum multis modis enisus est quem denique multo labore recuperatum Joanni Cidiz qui moratur in burgo B. Jacobi nomine *Kaltabelos*, commisit tenendum, et habendum per conditionem hanc subscriptam.

« In æra MCLXVI et quot IV Nonas Novembris Ego Joannes Cidiz et uxor mea Maria constantiz, et filius meus Giraldus clericus, vobis domino Didaco Compostellanæ sedis archiepiscopo, et omnibus vestræ Ecclesiæ canonicis facimus pactum vel placitum per scriptum firmissimum, ut in domibus et curtis B. Jacobi morando vestræ Ecclesiæ hæreditates quæ in Asturicensi sunt episcopatu, quas nobis datis, laboremus, et ædificemus, et plantemus, et tam de vestris, quam de nostris duabus hæreditatibus Roboredo inferiori et Roboredo superiori, quos vobis et vestræ Ecclesiæ jure hæreditario perpetuo damus et concedimus, et etiam de omnibus aliis vestris hæreditatibus quas hodie habemus et in jure nostro sunt, de pane et vino et omnibus quæ ibi habuerimus, vel Deo donante, acquirere potuerimus, demus vobis tertiam partem, duabus nobis partibus reservatis, et de votis B. Jacobi habeatis vos duas partes, et nos tertiam, et teneamus prædictas hæreditates in omni vita nostra, quandiu vobis et vestræ Ecclesiæ dominis absque alio domino fideliter servientes obedientiam et reverentiam exhibuerimus. Si vero nobis defunctis noster filius ad hoc servitium idoneus fuerit, omnes hæreditates in vita sua teneat prædicta ratione servata. De aliis vero hæreditatibus, quas deinceps, Deo juvante, acquirere potuerimus, tam de fructu quam de hæreditate, vobis vestræ Ecclesiæ tertiam partem perenniter tribuamus, et nobis duas partes reservemus; quod si nos mentiosi fuerimus, et si hoc pactum excesserimus, pariamus parti vestræ.... et hoc scriptum semper sit firmum. Nos superius nominati, quod fieri jussimus, propriis manibus confirmamus. »

CAPUT V.

Missio nuntiorum ad papam.

Mortuo beatissimo papa Calixto II, dominus Compostellanus legatos suos ad ejus successorem, nomine Honorium, destinavit, qui infecto illo negotio, cujus causa ierant, regressi sunt; eos tamen benigne et honorifice suscepit, et per illos domino Compostellano mandavit, quod legatum de latere suo in Hispa-

nium dirigeret, qui ad ipsius Compostellani velle et consilium, et sæcularia et ecclesiastica negotia tractare disponeret. Compostellanus vero illum legatum ultra promissum tempus morari videns, alios legatos ad præfatum papam Honorium, et ad cancellarium suum amicum A. (Americum) direxit: qui hujusmodi litteras ad ipsum Compostellanum ex parte cancellarii detulerunt.

Litteræ cardinalis ad archiepiscopum.

« Charissimo amico Didaco Compostellano archiepiscopo, A., diaconus cardinalis et cancellarius, salutem.

« Sani, Deo gratias, et incolumes sumus; status autem domini papæ et S. R. E. in debita soliditate persistit, nec animus ejus adversus vos est mutatus. Speramus vero quoniam de latere suo in proximo ad partes vestras legatum est missurus, qui voluntatem ejus plenius vobis aperiet. »

CAPUT VI.

Hoc privilegium fecit Compostellanus fieri Hospitalis B. Jacobi procuratori in testimonium suæ promissionis, quæ promissio continetur in ipso privilegio subscripto.

« Nonnulli cives Compostellana civitate commorantes per populum susurraverunt me Didacum, Dei gratia Compostellanum archiepiscopum, accepta pecunia procuratorem in Hospitali B. Jacobi et ad libitum instituere, et ad libitum inde excludere; unde multi illud ratum esse opinantes, suas eleemosynas et beneficia ipsi Hospitali multoties subtrahebant. Ego autem eorum suspicionem prorsus a me amotam esse volens hoc scriptum fieri facio, in quo divinæ omnipotentiæ et B. Jacobo apostolo et omnibus sanctis promitto, me nunquam procuratorem in ipso Hospitali accepta pecunia positurum esse aut exclusurum, sed potius quamdam personam sapientem, et discretam quæ sit religiosa, et procurationi pauperum necessaria, fratrum, et quorumdam civium, Deum timentium atque amantium consilio, considerabo, et eligam, in cujus manu et potestate totam illam domum cum suis redditibus, quandiu vixero, tenendam et procurandam dimittam, et amodo instituo, et precor, ut mei successores qui B. Jacobi honorem post me recturi sunt et disposituri, mea vestigia in hoc sequi studeant, et nunquam procuratorem in supradicta domo accepta aut promissa pecunia promoveant, aut disponant, sed sicut supradictum est, personam idoneam et religiosam eligant, quam illi domui absque ulla offertione præponant. Si quam vera ecclesiastica sæcularisve persona, diabolica fraude decepta huic scripto et huic meæ institutioni contraire voluerit, sit maledicta et excommunicata, et a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri aliena efficiatur, et sententiam illam, a B. Petro Simoni mago injectam, qua dixit: « Pecunia tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20), » irremediabiliter incurrat, et cum Dathan et Abiron, quos terra culpis sua exigentibus vivos absorbuit, infernales pœnas sine fine sentiant, et etiam cum Juda, sui Domini et Magistri proditore, consortium habeant, nisi resipuerit, et errata cum digna satisfactione indifferenter correxerit. Omnes autem illi qui meam hanc institutionem observaverint et ita fecerint, illi accipiant « benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo (*Psal.* XXIII, 5), » et cum Abraham Isaac et Jacob fieri mereantur participes in cœlesti paradiso, et hic fructum bonæ actionis, Domino largiente, percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Istud scriptum et privilegium supramemoratæ institutionis Adefonso rege, venerabilis memoriæ ducis Raymundi et reginæ U. filio, in Legionensi civitate et apud Toletum regnante, a me Didaco Compostellanæ sedis I archiepiscopo factum est, in æra ICLXVI, et quot Kal. Decembris. Erat autem tunc temporis illius Hospitalis procurator domnus Petrus, a vulgo rex mancipium vocitatus. Didacus præfatus archiepiscopus, quod fieri jussit, proprio robore confirmat anno sui pontificatus XXVIII. »

CAPUT VII.

Profectio ad concilium.

Adefonsus, Hispaniarum rex, venerandæ memoriæ A. regis nepos, et illustris reginæ domnæ U. et egregii ducis Raymundi filius, totam fere Hispaniam post mortem sui avi, et suæ matris conturbatam esse videns, concilium in Palentina civitate prima hebdomada Quadragesimæ æra ICDXVII celebrare disposuit. Omnes igitur Hispaniæ episcopos, abbates, comites, et principes, et terrarum potestates, ad id concilium invitavit, ut, juxta eorum consilium et arbitrium, urticas scelerum, quæ post mortem sui avi prælati regis, et post obitum suæ matris prædictæ reginæ in Hispania exortæ fuerant, falce justitiæ exstirparet, et prava in directa converteret. Audita cujus invitatione Compostellanus quæ suo itineri necessaria erant citius apparavit, et illis apparatis iter quantocius arripuit. Cumque jam in ipso itinere esset, quorumdam relatu audivit concilium supradictum usque mediantem Quadragesimam esse dilatum. Domum itaque reversus, legatum suum ad regem direxit, ut certum celebrandi concilii diem ab eo inquireret. Nuntius autem diversis impedimentis in itinere detentus, diutine moratus est. Interea ipse Compostellanus alium nuntium a rege habuit, qui sibi ex parte ipsius regis annuntiavit, et obnixius rogavit, quatenus ad concilium remota omni occasione Palentiam properaret. Ipse vero audito nuntio regis necessaria itineri pro angustia temporis apparavit, quam melius et quam honestius potuit, et ipsis apparatis viam suam cum gaudio tenuit, et cum rex, et Toletanus archiepiscopus, et omnes episcopi, atque abbates, consules, principes, aliæ potestates, et totum concilium ipsius adventum cognoverunt, eum præstolari decreverunt; ipse autem maturato itinere incedens, Ostorgiæ (162).

(162) *Astoricæ* intellige.

Legione, et apud S. Facundum cum pomposa processione et magna honorificentia receptus est. Cum vero Palentiam appropinquasset, rex cum suis consulibus, principibus, universisque potestatibus, et multo militum comitatu, obviam ei exivit, et eum honorifice et accurate recepit. Interim Toletanus archiepiscopus et omnes episcopi, qui aderant, abbates, atque clerici, insignem processionem apparaverunt, et eum gaudenter et exsultanter susceperunt.

Cumque jam hospitatus esset, et rex ad suum hospitium ire vellet, Compostellanus ipsi dixit: « Domine rex, ad vestrum hospitium cum gaudio ite, et in pace quiescite; ego autem sumpto prandio illuc ibo seorsum vobiscum tractaturus et depositurus ea quæ in concilio sunt dicenda et sancienda.» Cui respondens ait: « Pater venerande, melius puto ego et honestius esse me ad vestrum hospitium ire, quam vos ad meum venire, quia vos modo venistis fatigatus ex itinere. » Hoc audito Compostellanus respondit: « Domine rex, voluntas vestra fiat. » Sumpto igitur prandio, rex ad ejus hospitium cum paucis venit, et cum pauca cum eo locutus esset, totius concilii jus in manu, et in potestate ejus commendavit, ut quidquid ipse tractaret et disponeret, sancitum et firmum maneret. Tunc ipse Toletanum et alios episcopos qui aderant ad suum hospitium invitavit, et consilium cum eis de futuris actibus concilii iniit. Postera die Compostellanus regi ad se venienti, consilium quod cum Toletano et episcopis de actibus concilii inierat, illi revelavit. Rex vero, eorum sanctionem laudans, et confirmans, cum Toletano et aliis episcopis rogavit eum, quatenus celebrata missa, sermonem in generali concilio faceret, et actus concilii omnibus propalaret. Ipse autem, juxta concilium regis et episcoporum, totum fecit, et actus concilii universis insinuavit, qui actus in hac pagina continentur subscripti.

Decreta pontificum.

« Quia in Ecclesia Dei et in pauperibus Christi multa mala fieri videmus, et regnum imperatoris nostri domini A. filii comitis Raymundi et reginæ domnæ U. a quibusdam pravis hominibus distrahi, et minui, et diversis modis corrumpi dolemus, idcirco ego Raymundus Toletanæ sedis archiepiscopus et primas, ac S. R. E. legatus, una cum pontificibus, quorum inferius nomina scripta esse videntur, et imperatore nostro A. præsente atque favente, firmam unitatis stabilitatem inter nos facere salubre duximus. In qua siquidem indissolubili vinculo charitatis statuimus, ut deinceps, et virtute concordiæ uniti et circa salutem fidelium, prout decet, laboremus, et supradicti imperatoris nostri ejusque regni provida circumspectione, auctore Deo, invigilemus.

« Pro statu igitur S. Ecclesiæ, et totius regni salute concilium celebrantes Palentiæ, inter cætera hæc sequentia unanimiter statuimus, ut nullus proditorem publicum, et latronem, raptorem, perjurum et excommunicatum secum habeat vel apud se retineat. Præcipimus etiam ut nemo Ecclesiam infra octoginta quatuor passus jure hæreditario possideat, neque ullam potestatem ibidem exerceat, sine vicario sui episcopi. Oblationes excommunicatorum, et decimæ non suscipiantur. Principes terrarum sine justo judicio non exspolient populum, qui sub eis est. Ecclesiæ non dentur laicis pro præstimonio, vel villicatione. Concubinæ clericorum manifestæ ejiciantur. Ecclesiæ et hæreditates, et familiæ, quæ fuerunt sedium, et monasteriorum, ubicunque fuerint, eis restituantur. Monachi vagi ad propria monasteria redduci compellantur, nec episcopi eos retineant sine licentia suorum abbatum. Nullus excommunicatus alterius recipiatur. Adulteros et incestuosos, omnino separari jubemus. Ut clerici per manus laicorum Ecclesias nec suscipiant, nec possideant, neque vicarii episcoporum consentiant. Ut episcopi, dissidentes ad concordiam pro debito sui officii compellant. Clericos, monachos, viatores, mercatores peregrinos sancta limina petentes, et mulieres, si quis invaserit, monasterio, vel exsilio, deputetur. Portaticum nemo suscipiat, nisi in illis locis in quibus accipi solebat temporibus regis domini A., et eodem modo bovos nemo rapiat, vel pignoret, vel furetur, sed stent in pace in toto regno. Regi omnes sine dolo et pravo ingenio, seu consilio, fideliter obediant: quod qui non fecerit, excommunicetur. Clericis nemo expeditionem, seu armorum gestationem, vel aliquid quod contra canones sit, exigere præsumat. Laici tertias Ecclesiarum, seu quascunque oblationes, nulla occasione possideant, sed in dispositione episcoporum cuncta quæ Ecclesiarum fuerint habeantur. Hic. Qui falsam monetam fecerint, excommunicentur, et a rege effosionem oculorum patiantur. »

Celebrato autem concilio, et *Te Deum laudamus* juxta synodalem morem, cantato, Compostellanus consilio fratrum a rege petiit quatenus ea quæ ad suum et suorum successorum jus in Emeritana civitate pertinebant, ad Dei et B. Jacobi honorem sibi conferret. Rex autem ejus petitioni justæ et rationabili libenti animo condescendit, et hoc privilegium et de illo donativo promissionem fieri fecit, sicuti in subsequenti scriptura continetur.

« Quia ex deliberatione S. R. E., prout decet, supernæ dispositionis dispensatorio ordine, patrum meus beatæ recordationis papa Calixtus, meritis et reverentia beatissimi Jacobi apostoli, dignitatem archiepiscopatus Emeritensis Ecclesiæ in Compostellanam Ecclesiam habendam perpetuo transmutavit, idcirco ego Adefonsus, Dei gratia, Hispaniæ imperator una cum conjuge mea regina domna Berengaria, archiepiscoporum, episcoporum, ac principum terræ consilio qui Palentino concilio interfuerunt, ad Dei et beatissimi Jacobi apostoli patroni nostri honorem et debitam sublimationem, salubre duxi hanc seriem testamenti facere de civitate Emeretensi, nunc temporis a Saracenis possessa, quam Dei opitulante potentia in proximum nos credimus habituros, devicta

et expulsa Saracenorum infideli spurcitia, in qua siquidem serie omnia præfatæ civitatis quæ ad regale jus pertinent, vobis domino Didaco Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopo, et vestræ Ecclesiæ, vestrisque successoribus, cum omnibus suis antiquis terris et debitis castris cæterisque appendiciis jure hæreditario perenniter possidenda pro remedio animæ meæ, avorum parentumque meorum do, et devota mente confirmo: et sicut avi et proavi mei magnificis donis, videlicet castris, et aliis diversis pensionibus S. Jacobi ecclesiam amplificare et augmentare ad salutem animarum suarum summopere studuerunt, ita confidens de Dei misericordia prædictum locum apostoli sublimare et exaltare eos imitando cupio, et promitto. Si quis vero contra hoc factum meum venire tentaverit, a sacratissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione alienus existat, et cum Juda sui Domini et Magistri proditore consortium habeat; omnibus autem hoc observantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Facta serie testamenti æra MCLXVII, qt. VIII Kal. Aprilis. Ego Adefonsus prælatus imperator una cum conjuge mea, quod fieri mandavi proprio robore conf.

His peractis Compostellanus regi valefacere, et repatriare statim voluit; sed rex eum non modicum rogavit, quatenus se usque Carrionem comitaretur; ille vero ejus voluntatem jocundo animo exsequens, Carrionem cum eo adiit, ubi cum magna et insigne processione a clero et populo receptus est; inde cum gaudio et lætitia ad propria remeavit, et in Sabbato Palmarum sedem suam cum comitibus suis itineris exsultanter et honorifice intravit.

CAPUT VIII.

Acquisitio calicis aurei.

Beati Jacobi Ecclesiæ thesaurarius, nomine B. Hierosolymam ire in Dei obsequium et suorum excessuum remissionem disposuit; cumque præparatis sibi necessariis ipsum iter aggressurus esset, Compostellanus suam ecclesiam multa detrimenta per ejus absentiam incursuram esse videns, et ipsius ecclesiæ opus ejus magisterio multum indigere non dubitans, eum ab illo itinere revocare, et revocatum retinere omnino decrevit; illi namque consuluit, ut quidquid sancto sepulcro et aliis sacris locis Hierosolymæ adjacentibus propria manu erat collaturus, totum illud per fideles nuntios illuc destinaret, et de impensa, quam in via erat facturus, quoddam ornamentum honorabile et pretiosum ad Dei et B. Jacobi honorem et servitium emeret, et emptum in ipsius Ecclesiæ thesauro reponeret, eo videlicet pacto ut nunquam inde aliqua occasione abstraheretur, nec venderetur, nec daretur; et cum archiepiscopus fratrum consilio in tali negotio laboraret, contigit dominum regem A, quemdam calicem aureum honorabilem et pretiosum, in quo septingenti morabitini continebantur, quem ipse rex a Toletano

A archiepiscopo imminente sibi necessitate acquisierat, per quemdam suum ministrum, nomine Albertinum, Compostellam misisse vendendum. Hoc autem ideo fecit quia nullum locum in tota Hispania, ubi melius venderetur, esse noverat. Quem calicem postquam Compostellanus tam bonum et pretiosum esse vidit, prælato thesaurario consuluit, ut illum calicem ad Dei et B. Jacobi honorem, et in sui itineris redemptionem, emeret, et matrem suam ipsius apostoli ecclesiam decoraret. Thesaurarius autem, domini Compostellani consilium salubre et utile esse videns, illi non dissensit, sed ejus præcepto hilari animo obtemperans, calicem supradictum, centum puri argenti marchis emit, et Ecclesiam suam, juxta Domini Compostellani et fratrum con-
B silium, inde decoravit. Quo facto, eum in plenario conventu ab omnibus peccatis absolvit, sicut illi qui in itinere Hierozolymitano laborantes absolvi solent, et totum ecclesiæ B. Jacobi opus illi in suorum peccatorum remissionem, tractandum et disponendum et anteriorandum commisit. O virum providum et venerabilem! Nec in prosperitate, nec in adversitate, honoris et exaltationis suæ Ecclesiæ unquam oblitus est, sed mera veritate, et semota omni simulatione, et per se et per amicos suos ad ejus tuitionem et honorificentiam semper conatus est.

CAPUT IX.

Acquisitio aquæmanilis.

Cum supradictus thesaurarius, in curia regali ante Hierosolymitani itineris dispositionem, domini Compostellani consilio moraretur, et apud Toletum
C esset, quoddam aquæmanile de crystallo, pretiosum et optime laboratum, in Toletana ecclesia vidit, et quia noverat Toletanam illud aquæmanile multum diligere, non est ausus illud ab illo petere, metuens se suæ petitionis repulsam passurum esse. Idcirco auribus regis secreto instillavit, ut illud a Toletano peteret, et sibi pro munere conferret. Rex autem ejus petitioni libenti animo condescendens, aquæmanile a Toletano petivit, et habuit, et habitum thesaurario, qui tunc temporis ipsius regis cancellarius per domini Compostellani manum erat, gaudenter contulit. Thesaurarius vero matrem suam B. Jacobi ecclesiam supradicti aquæmanilis, et alius minoris, ejusdem tamen generis collatione in Dei obsequium et suæ animæ remedium decoravit. Com-
D postellanus quoque quemdam ejusdem generis calicem, pretiosum et laboratum optime cujus opus materiam superabat, eadem fere tempore sicut multa alia ornamenta, prius contulerat, suæ ecclesiæ contulit.

CAPUT X.

Detractio D. Compostellano per multos facta.

Defuncto venerandæ recordationis papa Calixto, Honorius in honorem, curia exigente, ei successit. Apud quem æmuli et detractores, invidia atque malivolentia ducti dominum Compostellanum graviter accusaverunt, eum in suis indumentis et oblationibus peregrinorum recipiendis apostolico more uti impru-

denter astruentes. Unde ipse apostolicus ira commotus, et in Compostellanum aliquantulum est conturbatus. Sed cognita rei veritate, quam ipse apostolicus per vicinos episcopos, Compostellanæ sedis adjacentes, et per peregrinos exploravit, proprium etiam legatum ipsius rei exquirendæ causa a Romana civitate (Compostellano ignorante) Compostellam direxit, et æmulorum detractionem, episcoporum et ipsius legati testimonio, omnimodo falsam esse probavit. Unde ejus animus sedatus est, et ab indignatione contra Compostellanum habita revocatus. Cum autem ipse Compostellanus suorum adversariorum figmenta et detractiones multorum relatione cognovisset, et se apud dominum papam ab eis graviter accusatum esse subolevisset, legatos suos canonicos et cardinales Petrum Fulconis, et Martinum Petridem, partim ut invidorum detractioni obviarent, partim ut totius Hispaniæ legationem a domino papa sibi postularent, misit. Qui legati, in curiam venientes, benedictionem quam secum tulerant, ccc scilicet almorabitinos juxta præceptum domini Compostellani sapienter diviserunt; ducentos etenim et viginti morabitinos domino papæ contulerunt; octoginta vero in sedanda curia erogaverunt, et præter equidem supradictam apostolici benedictionem, et curiæ sedationem, decem et quatuor marcas argenti, et decem aureos, partim in procurationem præfatorum legatorum, partim in rebus ad eorum iter pertinentibus erogavit. Cumque sui itineris causam exposuissent, et imposturam detractorum omnino falsam esse multis modis ostendissent, dominus papa benevole respondit multum sibi perplacere dominum Compostellanum Hispaniæ legationem habere, sed id ad præsentiarum fieri non posse: ait enim quod ipsa legatio cuidam cardinali Romano in curia concessa fuerat, et ipse cardinalis iter suum in Hispaniam jam diu arripuerat. Promisit tamen quod in ejus cardinalis reversione, super domini Compostellani postulatione, consilium haberet, et inde hujusmodi litteras per supradictos nuntios ipsi Compostellano destinavit.

« Honorius episcopus, » etc.

« Super eo quod nos, » etc. *Vide in Honorio II, Patrologiæ t.* CLXVI, *sub num.* 97.

Alias etiam litteras direxit regi A. qui ipsam legationem per scriptum suum ipsi Compostellano postulaverat, quarum exemplar tale fuit.

Litteræ papæ ad regem.

« Honorius episcopus, » etc.

« Quanto affectu, etc. *Vide ubi supra, sub num.* 98.

Bracarensi quoque archiepiscopo P. [Pelagio] per alias litteras mandavit quatenus ad *misericordias Domini* (163) in curia esset, de usurpata consecratione Colimbriensis electi respondere paratus. Supradicti etenim legati domini Compostellani super eo coram universa curia graviter conquesti fuerant, qui ipsum Colimbriensem, Compostellanæ Ecclesiæ suffraganeum, neglecta sacrorum canonum regula, et contempto S. R. E. privilegio consecrare præsumpserat.

Et istæ sunt litteræ domini papæ ad Bracarensem.

« Honorius episcopus, » etc.

« Placuit Romano pontifici, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 96.

CAPUT XI.

Constructio monasterii de Canogio.

Ex quo dominus Compostellanus ad pontificii culmen, divina disponente gratia, intronizatus fuit, locum sanctimonialibus aptum et competentem, per totum B. Jacobi honorem et per Gallæciam, more discreti et sapientis pastoris studiose quæsivit. Hoc autem ideo faciebat, quia nec in toto ejus pontificio nec etiam in tota Gallæcia aliquod monasterium, ubi sanctæ et religiosæ sanctimoniales habitarent, tum temporis habebatur, et quia meliorem et talem locum qui sibi placeret alias invenire non potuit, ecclesiam S. Mariæ de Canogio, quæ erat parvula et vetustate fere annullata, funditus destruxit, et majorem atque meliorem ecclesiam de proprio ibidem reædificavit (164), in qua sanctimoniales boni testimonii feminas Deo servituras, collatis eis, tam ad victum quam ad vestitum, omnibus necessariis, in tempore sui archiepiscopatus collocavit. Ideo autem illum locum illis sanctimonialibus aptum esse providit, tum quia civitati proximus erat, et sub tutela B. Jacobi apostoli positus, tum quia ipsas sanctimoniales beneficiis atque eleemosynis civium in urbe commorantium adjuvandas et sustentandas esse arbitratus est. Illæ autem sanctimoniales supradictum monasterium in æra ICLXVII Compostellano jubente in mense Septembris ad Dei et B. Jacobi honorem introierunt.

CAPUT XII.

Extorsio pecuniæ facta per regem.

Postquam A. Hispaniarum rex nepos venerandæ memoriæ regis A. (cum quo Compostellanus stabilem habuerat pacem et fidelem amicitiam) matre sua reginæ domna U. defuncta regnum Hispaniæ obtinuit nunquam Compostellanam ecclesiam suæ matris exemplo impugnare et inquietare destitit: cumque post ipsius ecclesiæ exspoliationem, quæ superius (165) plenarie descripta est, a Castellanis partibus in Gallæciam negotiis emergentibus venisset, Compostellanum ita gravi ægritudine laborantem invenit ut nullus eum ab ea ægritudine æstimaret amplius esse convaliturum. Cupiditatis tamen stimulis agitatus, et necessariorum indigentia coactus, pecuniam per suos internuntios Albertinum Legionensem, suum secretarium, et suum majorinum Rudericum Veremudidem, ab illo occulte postulavit. Cumque

(163) Eadem quæ supra *Ego sum pastor bonus* scilicet Dominica II post Pascha.

(164) Vide lib. I, c. 21

(165) Lib. II, c. 86.

archiepiscopus animum ejus ab illa postulatione consumptis multis precibus revocare non posset, nec se aliter nisi pecunia ei collata evasurum esse sentiret, septuaginta marcas puri argenti ei contulit, et postea tale pactum cum eo ad ultimum coram præfatis viris stabilivit, ut centum marcas annuatim ei conferret, ut nec se aut suam ecclesiam impugnaret, aut inquietaret, nec aliquid amplius a se postularet; et cum finitis omnibus guerris suum regnum sedatum et quietum haberet, omnem illam pecuniam, quam tali conditione ab illo annuatim acciperet, ipsi Compostellano, si viveret, vel suo successori, et ecclesiæ B. Jacobi in pecunia vel honore usque ad brevissimum quadrantem restauraret. Cumque tale pactum inter regem et archiepiscopum secrete firmatum esset, ipse archiepiscopus præfatum virum Albertinum, suum fidelem amicum in manu ipsius regis statim posuit, qui ei de illis centum marcis annuatim responderet, et debitor esset. Ideo autem Compostellanus tale pactum cum rege fecit, quia melius et honestius esse putavit centum marcas argenti annuatim persolvere, quam dedecus et exspoliationem suæ ecclesiæ assidue sustinere.

CAPUT XIII.

Qualiter rex archiepiscopum voluit privare moneta, et privilegio ei concesso ad opus ecclesiæ S. Jacobi.

Circa idem tempus prædictus rex A. quorumdam pravorum consiliariorum instinctu compulsus, moneta Compostellanæ civitatis, quam suus avus rex Adefonsus, sanctæ Ecclesiæ exaltator et patronus, ad opus Ecclesiæ B. Jacobi ædificandum et peragendum, pro sua et suorum parentum animabus in perpetuum concesserat, et privilegium de illa concessione B. Jacobi ecclesiæ fecerat, et factum propria manu roboraverat, et roboratum in manu domini Compostellani super sacrosanctum altare B. Jacobi, ex sua parte offerendum, apud Segoviensem civitatem submissis poplitibus tradiderat (166), ei violenter auferre voluit. Sed dominus Compostellanus ejus pravam voluntatem videns, et lupo venienti non ut mercenarius, sed ut bonus pastor viriliter resistens, supradictum privilegium quod in thesauro B. Jacobi repositum servabat, illi coram cunctis astantibus ostendit, et in ejus præsentia in B. Jacobi ecclesia recitari fecit. Ille vero viso et audito privilegio a pravo proposito destitit, et sic moneta sub jure domini Compostellani in adjutorium operis ecclesiæ B. Jacobi totaliter remansit. et privilegium a suo avo rege A. datum et sancitum, confirmavit, et propria manu roboravit. Sic contentio de moneta Compostellanæ civitatis inter regem et archiepiscopum habita omnino sopita est.

CAPUT XIV.

Creatio Honorii in papam, et missio legati in Hispaniam, et celebratio concilii.

Defuncto venerandæ memoriæ papa Calixto, A Honorius, miræ industriæ et magnæ probitatis vir, Romanæ sedis episcopatum curia eligente obtinuit, et illo Humbertum, venerabilem virum cardinalem, et presbyterum, a suo latere in partes Hispaniæ destinavit, ut fratribus in unum convocatis concilium ibi celebraret, et quæ bene statuta erant, communi eorum consilio et adminiculo confirmaret; prava vero in melius mutando corrigeret. Hic cardinalis Compostellam veniens a domino Compostellano benevole et accurate est receptus, et diligenter atque honorifice pertractatus; ibique VIII dies est commoratus. Unde discedens Portugaliam adiit, et flexo itinere, Carrionem, ubi cum rege, qui per V hebdomadas Compostellæ apud dominum archiepiscopum moratus fuerat, cum ipso archiepiscopo conci- B lium celebrare prius statuerat, tandem pervenit; et rex equidem et ipse cardinalis primum per se proprio ore, et postea per suas litteras et nuntios, dominum Compostellanum ad illud concilium invitaverunt, et eum ut ipsi concilio interesse studeret, magnopere deprecati sunt. Hoc autem ideo faciebant, quia concilium ipso Compostellano absente parum valiturum esse procul dubio noverant. Sed Compostellanus gravi ægritudine tum temporis laborabat, unde clerus et populus vehementer dolebat, sed licet ponderosa infirmitate detineretur, quæ eum a calumnia concilii satis excusare poterat, concilio tamen non tam propter invitationem regis et cardinalis, quam propter S. Ecclesiæ honorem et utilitatem interesse decrevit. Paratis itaque quæ sibi esse necessaria in itinere noverat, iter cum opti- C matibus sui cleri, cardinalibus et archidiaconibus, et aliis multis honestis personis, gaudenter arripuit. Cumque magna multitudine cleri comitante Legionem appropinquaret, rex Adefonsus de ejus adventu per viatores certificatus, cum consulibus et potestatibus et magno militum comitatu obviam ei exivit, eumque cum magno gaudio et magna honorificentia recepit. Interim Legionensis episcopus et sui clerici se apparaverunt, et archiepiscopum cum insigni et pomposa processione receperunt. Finita vero processione, rex eum ad suum palatium proprio ore invitavit, et ipso die splendide et abundanter procuravit. Sumpto autem prandio, rex et ipse Compostellanus quodam conclave ambo soli ingressi sunt, et colloquium de multis rebus ibi habuerunt. D In quo colloquio rex dominum Compostellanum obnixius deprecatus est, quatenus sibi consilium et auxilium ad suum regnum acquirendum et obtinendum conferret, et cum archiepiscopis, episcopis et terræ potestatibus de statu ipsius regni in concilio ageret, et quia se suam uxorem non legitime, utpote propinquam suam (167) habere sciebat, dominum archiepiscopum obnixius deprecatus est, ut si ipsius rei mentio in concilio fieret, se et per se et per suos amicos adjuvaret et manuteneret. Com-

(166) Lib. I, c. 29.

(167) Nulla de hac necessitudine apud alios ejus ævi mentio, nec si præsulibus nota, tam alto eam silentio ferent, uti illicitum matris connubium, eis refragantibus solutum ostendit.

postellanus autem aupita ejus postulatione et prece sic fore pollicitus est.

Altera die abbas S. Facundi et monachi illius loci cum clericis qui ibi aderunt, magnam illi processionem fecerunt, et ejus adventui non modicum congavisi sunt. Sequenti die Burgo S. Facundi egressus, tandem Carrionem pervenit, ubi ab episcopis qui ad concilium confluxerant, ut a clericis et priore S. Zoyli cum monachis illius monasterii facta magna processione honorifice et exsultanter est receptus, ibique quandiu concilium duravit hospitatus. Postea die rex Adefonsus et ipse Compostellananus cum Romano cardinali et legato, et cum Tarraconensi archiepiscopo, quamdam secretam domum, ingressi sunt, ubi quid in concilio essent stabilituri et sanciturі studiose providerunt et pertractaverunt. Quibus prævisis et pertractatis, fratribus in unum convenientibus concilium in monasterio S. Zoilli II Nonas Februarii (168) celebraverunt, in quo multa ad honorem et utilitatem S. Ecclesiæ et Hispani regni pernitentia stabilierunt et confirmaverunt. Sunt autem depositi in eo concilio tres episcopi, Legionensis, Salmanticensis, Ovetensis, et abbas Simonensis. Legionensi est subrogatus dominus Arias cardinalis Ecclesiæ B. Jacobi, et canonicus, consulente et laudante domino Compostellano, in cujus manu et potestate totum concilium regis et Romani cardinalis concessione positum erat. Salmanticensi autem Adefonsus Petrides ejusdem Ecclesiæ canonicus, eodem Compostellano cum rege et Romano cardinali machinante, fuit substitutus. Rex autem Adefonsus et cardinalis Romanus tantam honorificentiam domino Compostellano exhibuerunt, quod totum concilium in manu et potestate ejus posuerunt, ut quid vellet disponere et sancire, sanciret et confirmaret, quod vellet rationabiliter cassare et irritum facere, omnino faceret.

Celebrato itaque concilio, antequam Compostellanus a rege discederet, suæ Ecclesiæ honori et utilitati secundum boni pastoris consuetudinem sagaciter providens, ab ipso rege postulavit, quatenus duas villas quæ Ecclesiæ B. Jacobi juris erant, Kakavellos, et Lendicos, ita sibi cantaret, ut nec Sagio, nec aliquis alius homo in eas intrare præsumeret, violentiam aut injuriam incolis ipsarum villarum illaturus. Postulavit etiam ab eodem rege, ut quamdam hæreditatem apud Talaberam, quæ civitas Toleto adjacet, pro salute et remedio suæ animæ sibi conferret, unde tantum olei quod B. Jacobi ecclesiæ illuminationi per hiemale tempus abundaret, haberi posset: in tempore etenim hiemis pauci peregrini B. Jacobi apostoli limina visitant, itineris difficultatem et hiemis asperitatem pertimescentes; et cera, quam afferunt, ecclesiæ illuminationi sufficere non potest. Rex vero, illius petitiones justas et rationabiles esse intelligens, supradictas villas pro voluntate ipsius Compostellani firmiter cantavit, et hæreditatem oleariam apud supradictam civitatem ecclesiæ B. Jacobi in perpetuum obtinendam concessit. Tunc dominus Compostellanus duos canonicos, P. Stephanidem, et F. Petridem, in manu Regis posuit, qui promissam hæreditatem de manu regis reciperent, et receptam alicui homini illius civitatis, qui oleum ad ecclesiam B. Jacobi annuatim deferri faceret, obtinendam et custodiendam locarent. His et multis aliis quæ hic scripta non sunt a rege impetratis, ad propria cum gaudio remeavit, quem clerus et populus suæ sedis cum ineffabili exsultatione et facta insigni processione recepit.

CAPUT XV.

Depositio quorumdam episcoporum et creatione episc. Salmant.

In Carrionensi concilio, a Romanæ sedis legato card. et presbytero domino Humberto, archiepiscopis, episcopis atque abbatibus Hispaniæ in unum convocatis, Adefonso etiam Hispaniarum rege et multis comitibus, aliisque potestatibus præsentibus, solemniter tres episcopi (ut jam superius diximus) juste et rationabiliter fuerunt depositi, Ovetensis, Legionensis, et Salmanticensis, qui B. Jacobi Ecclesiæ suffraganeus erat, et ne Salmanticensis Ecclesia viduata et inconsulta et absque patrono diu permaneret, rex Adefonsus et dominus Compostellanus consilium inierunt, ut ipsius viduitati paterno affectu subvenirent, et pastorem ei ad suam gubernationem et ad suam salutem deputarent. Adefonsum igitur Petridem B. Jacobi apostoli canonicum, probum et honesti testimonii virum, regis et domini Compostellani assensu, et toto synodali conventu laudante et consulente, in episcopum elegerunt, cujus electione Salmanticenses clerici non modicum congavisi sunt. Cumque domius Compostellanus, finito concilio et facta illa electione, cum regis licentia et amicitia ad propria honorifice et exsultanter remeasset, ipse rex suas litteras per suos nuntios ad eum incunctater destinavit cum obnixius rogans ei summopere deprecans, quatenus præfatum electum in episcopum consecraret. Compostellanus vero audita regali petitione, et agnita ejus voluntate, quia Salmanticensis electi, utpote suffraganei sui, consecratio ad eum spectabat, episcopos Mindoniensem, Lucensem, Abilensem, Portugalensem, Tudensem, et abbates totius provinciæ per litteras suas invitavit; ad cujus invitationem eorum universitas læto et hilari animo Compostella convenit. In primis igitur electum illum episcopis et abbatibus, innumera cleri atque populi multitudine præsentibus, in Dominica qua legitur *Ego sum pastor bonus*, consecravit, et in sua consecratione metropoli suæ ecclesiæ B. Jacobi apostoli, et domino Compostellano fidelitatem et devotam obedientiam, præsentibus supradictis episcopis, sicut ecclesiasticus mos exigit, promisit,

(168) Die IV Febr. æra MCLXVIII, anno 1130. celebratum concilium Carrionense, ut ex originali scriptura constat apud Colmenares in Historia Segoviensi, pag. 116.

A et super altare B. Jacobi apostoli coram omnibus propria manu juravit. Peracta ejus consecratione, postera die concilium incœpit, quod trium dierum spatio duravit: in quo nimirum concilio omnia Carrionensis concilii acta, viva voce prædicavit, sanxit et confirmavit. Ex parte etiam sua multa, ad honorem et utilitatem sanctæ Ecclesiæ pertinentia, addidit et instituit, quæ omnia universitas synodalis conventus, utpote utilia et honesta, unanimiter laudavit, et auctorizavit. Finito vero concilio episcopi et abbates et clerici qui aderant, *Te Deum laudamus* lætis animis ecclesiastico more cantaverunt, et postea unusquisque accepta a domino Compostellano benedictione, et licentia, ad propria exsultantes et hilariter reversi sunt.

B

CAPUT XVI.

Captio archidiaconi per R. comitem et animadversio archiep. in eumdem quousque satisfaceret.

Quidam B. Jacobi apostoli Ecclesiæ archidiaconus, nomine A. Munincides, archidiaconatum suum in terris S. Georgii, Travæ et Ferrariæ ad castra pertinentibus, sub comite Ruderico Petri comitis filio tenebat, et quia clero et populo illarum terrarum, qui erant idiotæ et fere indisciplinati, veritatem austere prædicabat, et eos ut vir bonus et discretus sacræ Scripturæ præceptis instruere et illuminare volebat, multi ex illis terris, tam milites, quam rustici diabolico instinctu stimulati in eum insurgentes captioni mancipaverunt, et cum dehonestantes et verberantes, et a suis equitaturis et vestimentis cum suis sequacibus privantes, in carcerem immisericorditer retruserunt; quod dominus Compostellanus audiens, inde nimis contristatus, inito capitulo cum suis canonicis, et accepto consilio ab illis, omnes crucifixo totius ecclesiæ in terram deponi præcepit; canonicos pullatos, et vehementi dolore affectos, et sedibus suis descendere et divinum officium sub silentio in choro celebrare fecit, terras illas super nominatis castris appendentes in quibus ipsi malefactores habitabant in tanti sceleris ultionem excommunicavit, et anathematizavit. Comes autem, excommunicationem, et ipsius Compostellani inimicitiam valde metuens, archidiaconum captum statim solvi, et de omnibus rebus quas amiserat reintegrari præcepit, deinde Composteilam venit, se de tanto scelere purgaturus, et justitiam erga Compostellanum, et prædictum archidiaconum plenariam exsecuturus. Cumque in colloquium venissent, multis litigiis et contentionibus de dedecore ecclesiæ illato, et de injuria archidiaconi inter se diu habitis, comes juxta judicium et concilium virorum illustrium qui aderant, se archidiaconi captionem nec scisse, nec consuluisse, nec præcepisse super textum Evangeliorum in choro B. Jacobi coram clero et populo propria manu cum aliis XI nobilibus, Garsia Petride, Petro Gutierride, Petro Diaco, Pelagio Curvo, Salvatore Nunicide. Aria Munincide, Petro Munincide, Martino Sauciade, Joanne Gutierride, Nunu Pelagide, Saraceno Municide, juravit.

A Promisit etiam et similiter juravit quod rusticos illos qui præfatæ captioni interfuerant, et archidiaconum dehonestaverant, cum omnibus suis possessionibus et hæreditatem in manum domini Compostellani traderet, ut justitiam talem qualem sibi placeret de eis acciperet. De militibus autem, qui erant nobiles et potentes, promisit et juravit, quod eis præstimonia sua, quæ a se tenebant, omnino auferret, et eos a se tandiu excluderet, donec plenariam justitiam erga dominum Compostellanum et suam ecclesiam exsequeretur. Hoc facto comes et dominus Compostellanus invicem reconciliati sunt, et facti boni amici, et dominus equidem Compostellanus tam asperam de comite et illis malefactoribus justitiam accipere voluit, ut ipse, et sua Ecclesia, et sui canonici inde honorati essent, et ut alii perterriti suas manus ad B tantum scelus deinceps extendere non auderent.

CAPUT XVII.

Ordinatio de statu terræ facta per archiepiscopum, et barones Gallæciæ.

Supradictus comes scilicet Rudericus Petrides, et alius comes Sarriensis, nomine Rudericus Velaz, a captione Ruderici comitis Asturicensis, Hispaniarum rege domino abstrahente et solvente, egressi. Garsias quoque Petridès, præfati comitis frater, hi tres cum suis baronibus et aliis potestatibus in præsentia domini Compostellani, rege jubente, Compostellæ convenerunt. Quorum adventu audito et cognito F. Joannides pro se et socero suo comite Gomicio, et multi alii terrarum principes ibidem congregati sunt. Quos omnes cum dominus Compostellanus
C in sua præsentia congregatos vidisset, omnes Gallæciæ terras crudeli tyrannide oppressas et aggravatas esse videns, et urticas scelerum falce justitiæ exstirpare volens, prædicavit eis, et consuluit, et multis modis admonuit, ut bene statuta per suas terras confirmarent, et prava in melius corrigerent illi vero omnes ejus consilio et admonitioni acquiescentes, in manu illius promiserunt et juraverunt quod juxta ejus consilium facerent, et quæ injuste et violenter facta fuerant. in melius emendarent; et dominus equidem Compostellanus coram eis promisit quod per totam terram suam similiter faceret. et super his promissionibus et juramentis tale decretum communi assensu et unanimi voluntate fecerant, cujus exemplar inferius subscriptum est.

D Archiepiscopus domus Didacus, et comes Rudericus Petrides, Rudericus Velaz, comes Garsias Petrides, F. Joannides, cum suis baronibus et potestatibus in curia B. Jacobi apostoli constituerunt, ut pignerationes et prædas quæ per terras suas juste vel injuste factæ fuerant per suos vicarios et rectores, ab illo die in quo decretum tale ab illis factum fuit, usque ad decem dies, emendarent, et reintegrari facerent. et de illis pignerationibus quæ ab illo die in antea factæ essent, directum per suos sagiones facerent, et acciperent; et qui directum ab illis sagionibus peterent, et ipsi sagiones ad directum eos applicare non vellent, illi sagiones totam illam ca-

lumniam de suo proprio componerent et reformarent. A Statuerunt etiam, ut qui ab illo die sine sagione pignerarent, pignerationem totam duplicarent, et LX solidos parerent; et qui sagionem petierit, si censu et hæreditate ita investitus fuerit, ut suum directum habere possit, sagio ad pignerandum ei detur. Si vero instabilis et censu omnino vacuus fuerit, fidiatorem tribuat; et si fidiatorem habere nequiverit, illa pignera in vicaritate usque ad novem dies ponantur, ita ut unusquisque directum suum plenarie consequatur. Addiderunt etiam, ut mercatores per terras suas non pignerarentur, nisi debitores aut fidiatores esse probarentur, et qui aliter faceret, illa pignera duplaret et LX solidos pareret. Ad hæc unanimiter sanxerunt ut, si quis latronem cognitum et convictum in casa alicujus hominis cum suo furto testatus fuerit, aut directum de eo faciat, aut de illa calumnia calumnianti respondeat; et si villanus fuerit, vicinos suos ad eum capiendum festinanter convocet: et si villanum illum habuerint suspectum, ipse villanus se de illa suspicione, juxta proborum virorum judicium, purget, et si aliquis militis filius, alterius militis casam cum furto vel rapina intraverit, dominus domus furtum illud et rapinam suo jure teneat, aut fidiatorem pro illis ab ipso recipiat, ut injuriatus plenariam justitiam habere queat. Hoc facto militis filium dimittat abire liberum, et si illum in alio loco contestati fuerint, ipse filius militis de tota illa calumnia respondeat, et in terra de Pistomarcis et de Novi, et de Amaea ex parte archiep. D. Saniz, O. Martiniz, P. Didacidi canonicus, fuerunt rectores et judices constituti. In terra vero de Montanis, et de Dubria, et de Lajos A. Alvitiz. G Froiaz O. Gutierrez, fuerunt constituti rectores et justitiæ judices. In terra autem de Coronato, P. Froiaz, O Muniz, et cardinalis dominus P. Gund. Et super Vereda U. Suariz, O Vimarazi, P. Pelaiz de Sindili. In civitate B. Jacobi decanus dominus. P. Anajaz, judices P. et P. G, A Palaez, Ad. Arias. Ambo comites supradicti, et eorum barones et aliæ potestates, quæ aderant, in manus domini Compostellani promittentes juraverunt, quod rectores et judices per omnes suas terras similiter constituant qui ad exemplum ipsius archiepiscopi justitiam judicarent et observarent.

CAPUT XVIII.

Coertio prædonum quorumdam.

Cum prænominati comites cum suis baronibus, et Garsias Petrides, et Fernandus Joannides, et aliæ potestates justitiam in manu domini Compostellani promittendo jurassent, et jurando promisissent, Garsias Petrides, frater comitis Ruderici Petride, nondum tribus diebus post juramentum peractis, perjurii reatum incurrit, quia quod coram universis juravit, observare omnino neglexit. Mercatores enim Anglicos et Lotarienses, qui ad portum B. Jacobi apostoli cum suis mercibus vendendis navigio venerant, in via quæ Patrono viatores Compostellam ducit, armata multitudine invasit, eosque a jumentis et a mercibus quas Compostellam apportabant vendendas, omnino exspoliavit; quod cum domino Compostellano nuntiatum fuisset, non modicum contristatus est. Cor tamen virile habens, et vindictam de tanta injuria a domino et B. Jacobo apostolo non desperans, majorinum suæ curiæ, suam neptem pro conjuge habentem, Pelagium Corvum nomine, et universos civitatis burgenses, et suæ curiæ milites ipsa hora armari præcepit, ut raptorem illum cum suis sequacibus festinanter insequerentur, ut tantum dedecus excussa præda in eum ulciscerentur. Majorinus autem prædictus et alii omnes, tam burgenses quam milites, ejus præceptis sine mora obedientes, unanimiter armati sunt, et illi jam montes cum tota rapina ingredientes occurrerunt, et cum eo acriter et viriliter oppugnantes, domino Deo, et B. Jacobo apostolo, cui ipse raptor tale dedecus intule- B rat, adjuvantibus, victoriam adepti sunt. Totam igitur prædam quam ducebat, quæ fere pretium erat XXII millium marcarum, in fugam verso, abstulerunt; viginti quoque equitaturas, tam mulos et mulas quam equos, et clypeos, et enses, et alia multa spolia quæ solent acquiri in tali victoria ceperunt, pars militiæ ejus graviter vulnerata a bello discessit; alia pars captivata, et Compostellam adducta. Sic præfatus majorinus et Compostellani adepta tanta victoria, cum magna exsultatione et gaudio redierunt ad propria, et unicuique institorum quæ sua erant, domino Compostellano jubente, reddita et confirmata sunt. Ipse autem Compostellanus tali victoria vehementer congavisus est, tum quia miseris institoribus, qui sua amiserant, multum condo- C lebat, tum propter justitiam quæ nuperrime jurata fuerat, et tam cito violata erat.

CAPUT XIX.

Acquisitio castri de Faro.

Circa idem tempus, quo supra descriptum bellum gestum est, comes Rudericus, Petri Froilæ comitis et domnæ majoræ comitissæ filius, castrum quod Faro nuncupatur, B. Jacobi apostoli ecclesiæ in Dei obsequium et suorum excessum remissionem, domini Compostellani exhortatione, monitione, et prædicatione, cum totis suis appendiciis contulit, eo tamen tenore et conditione, ut castrum illud in sua vita quasi pro feodo ab ipso archiepiscopo obtineret, in morte autem sua ipsum castrum liberum et solutum ipsius apostoli ecclesiæ perpetuo possi- D dendum et habendum relinqueret. Addidit etiam, ut si legitimum filium habere non posset, aliud castrum, quod Spelunca nuncupatur, eidem Ecclesiæ et ejus archiepiscopo similiter possidendum et habendum conferret, et de hujusmodi donativo privilegium fieri jussit, quod roboris firmitudine munitum et confirmatum, in altare B. Jacobi apostoli, præsente domino Compostellano, et aliis multis ex canonicali conventu, in testimonium suæ donationis propria manu obtulit. Vicarium quoque suum qui illud castrum tum temporis sub suo jure tenebat, hominium et fidelitatem nobis pro ipso castro facere compulit.

CAPUT XX.

Visitatio monasterii S. Pelagii de Antealtaria.

Inter cætera honesta atque laudabilia, quæ dominus Compostellanus in tempore sui archiepiscopatus provide et sagaciter constituit, constitutaque confirmavit, unum quid fecit unde meus animus cum divinæ omnipotentiæ ineffabiliter placere non ambigit. Monasterium etenim S. Pelagii de Antealtaria mortuum Deo, et vivens mundo, a turpi et enormi vita quam ducebat, ad honestam et regularem vitam suæ solertiæ acumine et ingenii sedulitate convertit. Quidam enim abbas, P. nomine, in illo monasterio erat, qui dum esset juvenis sub monachali habitu et B. Benedicti Regula satis probus et industrius fuit, atque per bonam continentiam, quæ ei inesse videbatur, ad abbatiæ dignitatem conventu volente et consulente promotus fuit. Adepto autem abbatiæ honore ita nequam et incontinens effectus est, ut nullus supra. Fuit enim avarus bonis, meretricibus largus, ingluviosus, et adeo luxuriosus, ut filios et filias in monachali habitu, et abbatiale dignitate generaret. Substantiam monasterii, unde conventus honeste vivere et sustentari debebat, glutonibus pro vana laude, et concubinis suis pro earum attractatione dispergebat (169). Cujus nequitia cum domino Compostellano nonnulllorum relatu esset comperta, ejus animæ damnationi et perditioni non modicum condolens, cum publice, et privatim, et per se, et per alios, et in generali capitulo usque septies castigavit, et monuit, ut vitam suam tam fœdam et tam infamem in melius mutaret et emendaret. Ille autem quod dominus Compostellanus exigebat, verbo semper promittebat, et nunquam ad effectum ducebat. Unde Compostellanus eum omnino incorrigibilem et intractabilem esse videns, et inde vehementer dolens, generale capitulum in illo monasterio tenuit, in quo nimirum capitulo cum præfatus abbas a legitimis et idoneis testibus publice esset accusatus, et septuaginta concubinas habuisse convictus, dominus Compostellanus cum a dignitate abbatiæ et ordine ipso, seipsum damnante et indignum judicante, privavit. et præstimonium ei in honore ipsius abbatiæ ad necessaria vitæ tribui præcepit. Quo facto alium monachum juvenem probum, et honestum, et boni testimonii virum, R. nomine, universo conventu laudante, et volente eligi præcepit, et electum jurare coegit, ut ordinem monasticum, et B. Benedicti Regulam pro modulo suæ possibilitatis observaret, et monachis sibi subditis, prout melius posset, observare faceret. Deinde ipsos monachos ipsi electo fidelitatem et obedientiam in sua manu jurare compulit, et quod nunquam peculiaria haberent, aut irregulares pileos in suis capitibus solito more deferrent; sed tales quales regulares monachos decent. Deinceps ipsum electum in abbatem ante altare B. Jacobi apostoli consecravit, et consecrato fidelitatem et obedientiam, prout ordo rationis exigit, sibimet jurare super altare B. Jacobi apostoli fecit. Sic dominus Compostellanus pravas præfati monasterii consuetudines, et damnabiles enormitates exstirpavit, et regularitatem atque morum honestatem in eodem seminavit. Didacus ergo vir probitatis maximæ, tanta talia que fecit, quæ nullus fecerat ante (170).

CAPUT XXI.

Schisma Anacleti II.

Defuncto bonæ recordationis papa Honorio (171), duæ electiones in Romana Ecclesia factæ sunt. Una catholica et canonica, alia violenta et schismatica; et quia dominus Compostellanus prorsus ignorabat quis electorum esset catholicus et canonice electus, nuntios suos, P. Fulconis capellanum et cardinalem, et M. Petridem cardinalem, ad curiam direxit de prælatis electionibus qualis esset catholica inquisituros. Et illi equidem nuntii domino papæ Innocentio visitato et salutato, cujus bona et justa fuerat electio, ad propria revertentes præsentia scripta ad dominum Compostellanum attulerunt, et cum ex parte ipsius papæ benigne salutaverunt. Istud autem totum fecit dominus Compostellanus, quia volebat scire quis electorum esset catholicus, ut ejus parti faveret, et debitam ei obedientiam exhiberet.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Charissimus frater noster, etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1143.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Prædecessor noster. » etc. *Vide ubi supra.*

CAPUT XXII.

Confirmatio regalis privilegii facta per papam ne bona (vacante Ecclesia) occupentur.

« Innocentius episcopus, etc.

« Sancta mater Ecclesia, » etc. *Vide ubi supra.*

« Innocentius episcopus, » etc.

« Pro subjectione, » etc. *Vide ubi supra.*

Privilegium de confirmatione votorum.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Reges, principes et alii Dei fideles, » etc. *Vide ubi supra.*

CAPUT XXIII.

Intrusio Anacleti in papam.

Post obitum beatæ memoriæ papæ Honorii, maxima dissensio de substitutione alius papæ in Romana civitate exorta est. Cum enim major et melior pars cleri atque populi in unum convenissent, et quemdam Sancti Angeli diaconum cardinalem, honestum et probati testimonii virum, et bonum clericum, nomine Gregorium, communi assensu et unanimi voluntate in papam elegissent, quidam schismaticus presbyter et cardinalis, Petri Leonis filius, Portuensem episcopum solum et alios schismaticos, tam clericos quam laicos, per potentiam et nobilitatem suam, et paternæ pecuniæ abundantiam, sibi ascivit, et associavit: quorum favore et benevolentia data et promissa pecunia acquisitis, se ab eis in

(169) Vide tomo præcedenti, pag. 24.

(170) Hoc uncis inclusa. Desunt in altero exemplari; in altero aliter: *Sit laus ergo viro probitatis*, etc.

(171) Die 14 Febr., anno 1130.

A papam eligi fecit. Quod idolum formatum præfatum electum a civitate ejecit, et in sede apostolica quasi papa remansit, quia plane noverat domini Compostellani favorem et benevolentiam ad retinendum papatum fore sibi necessarium, et per se et per ejus consilium et potentiam alios Hispaniarum episcopos ad sui favorem acquisiturum, hujusmodi litteras deprecatorias ad eum per proprios nuntios, non rogatus, neque aliqua legatione præmonitus, destinavit. Compostellanus autem, eum schismaticum et non canonice electum sciens, litteras ejus omnino vilipendit, nec visis ipsis litteris a tramite veritatis deviare voluit.

Et ecce litteras quas domino Compostellano supradicta de causa direxit.

« ANACLETUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri D. Compostellano archiepiscopo, **B** salutem et apostolicam benedictionem.

« Communem matrem sanctam Romanam Ecclesiam præcipuis semper studiis adjuvisti et prædecessoribus nostris in supremis semper necessitatibus subvenire attentius procurasti. Unde dominus et nutritor noster sanctæ recordationis papa Paschalis, et alii post eum Romani pontifices, fraternitatem tuam præ cæteris dilexerunt, et præclaris gratiarum actionibus adornarunt. Nos igitur et meritorum tuorum memores et veteris amicitiæ, quam cum genitore meo bonæ memoriæ Petro Leonis specialiter habuisti, attentius recordantes, post apostolorum Petri et Pauli Ecclesiam personam tuam et commissam tibi B. Jacobi apostoli ecclesiam principalius diligere, et præstante Domino cupimus honorare. **C** Tua itaque strenua sollicitudo more solito et nunc ad B. Petri servitium accingatur, et in præterita dilectione ac fidei constantia perseverans Romanam Ecclesiam amplius pro nobis diligere studeat, et propensius adjuvare. Porro ad fraternitatem tuam litteras misimus, actionem ordinis nostri et perpetrati a falsis fratribus scandali continentes. Rogamus ergo, ut coram omnibus qui in partibus tuis sunt publice legi facias, et ad partes alias dirigas transcribendas. Nuntios præterea tuæ fraternitatis usque ad nos derigere nullatenus differas.

« Datum Romæ apud S. Petrum IV Idus April. »

Has alias litteras de suæ electionis actione eidem Compostellano direxit, ut per Hispanias destinaret eas legendas.

D « Universus Romanæ urbis clerus et populus, Compostellano archiepiscopo DIDACO, et omnibus fidelibus ad quoscunque litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino et spiritum fidei et intellectus.

« De obitu bonæ memoriæ papæ Honorii, licet ad vos fama referente pervenerit, ne tamen aliquo mentiente fallamini et ne pro certis dubia recipere cogamini, seu quæ post ejus obitum in Urbe contigerint, sicut vidimus et audivimus dilectioni vestræ litteris duximus intimandum. Ægrotante siquidem Laterani jam dicto papa, cum de ejus morte magis quam de salute sperare possumus, quorumdam consilio ad monasterium S. Gregorii delatus est. Cumque se in mortem ex tunc infirmitas tendere videretur, communi cardinalium et episcoporum consilio statutum est ut quia Urbs multis erat odiis et inimicitiis scissa, et clericorum omnium Romanorum corda plurimi erant amaritudine conturbata, de substituendo, si ille deficeret, Romano deberemus pontifice cogitare. Quod quidam consilium approbantes, astruebant, juxta sententiam canonum, vivente Romano pontifice, et eo de more non sepulto, non deberi de succedentis electione tractare; cui sententiæ licet fratrum pars necessitatem temporis, urbis odia, partium studia, Ecclesiæ discrimina prætendentes resultarent dicentes oportere pro necessitate et tempore canones temperari, tamen post hæc et alia sub districto anathemate stabilitum est ab omnibus, ut insepulto papa nulla de personæ alicujus electione mentio penitus haberetur. Sane die altera cum rumores multi et diversæ hominum opiniones in Urbe enormiter ebullirent, cucurrit populus, æstimans papam vel jam mortuum, vel tunc mori. Convenimus nos in secretario monasterii ejusdem, et tractare cœpimus quid super his agere deberemus. Visum demum fratribus omnibus est, ut personæ octo eligerentur quæ de electione tractarent, et sequentis deberent pontificis personam eligere, ita tamen quod si inter se de persona concorditer convenire non possent, aliqui de fratribus adhiberentur qui eos deberent in personam, præstante Domino, concordare. De loco quoque in quo fieri deberet electio, est diutius disceptum. Post multa itaque inter nos condictum est ut, convocatis fratribus omnibus ad Sanctum Adrianum deberemus cum electoribus convenire, si munitiones, quæ juxta ipsam ecclesiam sunt, in potestatem cardinalium redderentur. Missi sunt tunc duo de cardinalibus, qui prædictas munitiones reciperent; sed cum eas jam præ manibus haberent, a quibusdam episcopis qui, dextro imo utroque genu claudicantes in partem aliam tendebant, inhibitum est; quod utique fratres nostri malæ mentis esse indicium attendentes, pars major et sanior ad prædictum monasterium non sunt amplius ausi redire.

« Obeunte itaque papa IV (172) feria post datos Cineres circa solis occasum, ostia omnia clausa sunt, et nullus cardinalium est ad eum intrare permissus. Mane facto in prædicto secretario quatuor episcopi, quibus nulla vel minima est in electione potestas, et cardinales rarissimi, convenerunt, ibique iterum sub anathemate statutum est, ut nisi papa honorifice sepulto et fratribus cæteris maxime illis qui ad hoc electi erant, undique convocatis, nullus sermo de electione fieret, et cum papam adhuc vivere prædicarent, subito per laicorum manus mortuus miserabiliter defertur; non deponitur feretrum, nec ulla ei obsequia fiunt, sed recto gradu,

(172) *Variant codices in feria; alter* IV, *alter* V, *cum tamen* VI *fuerit, scilicet dies* XIV *Februarii anni* 1130, *biduo ante Dominicam* I *Quadragesimæ.*

sicut vilissima bestia in claustrum trahitur, et in vilissimum sepulcrum immergitur. Sicque non cooperto corpore, contempto ipsorum eorumdem juramento et anathemate, Aymerici quondam cancellarii dolis et astutiis debriati, cum nimia festinantia, sicut inter se condixerant, fraudulenter convenerunt, non convocatis neque interrogatis fratribus, contradicente cardinali S. Susannæ P. Pisano, qui tunc aderat, seorsum sicut scriptum est colligentes se ad altare, aliud in tenebris et maledictionis titulum eligere volentes, diaconum S. Angeli sibi in simulacrum et in idolum zeli novum temerario fabricaverunt, et quia nimirum a sæculo non est auditum, et omnibus est horribile, quorumdam laicorum paucitas subito de sepulcro abstrahentium mortuum papam ante plasmatum idolum a sæpe nominato monasterio S. Gregorii diffugiens, Lateranum deduxit, ita ut in basilicam Salvatoris mortuus et vivus simul intrarent; ibique corpore pontificis non sepulto, imo in vilis tumuli angustia sine cooperimento et obsequio male deposito, fabricatum idolum ad palatia miserrima festinatione deduxit, ibique spiritus erroris tandiu latuit, donec Leo Frajapane cum filio ejus Ottone et fratre Cencio, facta fidelitate, ad unitatem et obedientiam Romanæ Ecclesiæ ad servitium domini papæ Anacleti rediit.

« Deo autem gratias qui infestos illos (173), qui ex tunc in Urbe apparere ausi non sunt, sed infra trans Tiberim miserrime latitant. Cæterum, exceptis quinque suum papam habere volentibus, priores cardinales cum reliquis cardinalibus, ad quos cum clero Romani pontificis spectat electio, diacones cum subdiaconibus et cunctis Ecclesia Romanæ ordinibus, archipresbyteri, abbates, cum omni Romanæ urbis clero et populo, qui apud S. Marcum convenerant, obitum papæ exspectantes, ut eum, sicuti mos est, antiquam juxta Romani ordinis normam, honorifice sepelirent, audito quia papa Honorius jam esset mortuus et sepultus, deliberato consilio expetente populo, cum honoratorum consensu pari et communi voto dominum Petrum, filius Petri Leonis, cardinalem presbyterum tituli S. Calixti, in papam Anacletum, præstante Domino unanimiter concorditer ac feliciter elegerunt, et ad B. Petri apostoli basilicam in hymnis et laudibus, sicut consuetudo Ecclesiæ est, per viam Sacram deduxerunt, atque in sacratissimam ejus cathedram imponentes, secunda Dominica XL, venerabilis senex P. Portuensis episcopus et plures diversarum regionum episcopi eum in Romanum pontificem ad altare B. Petri celeberrime consecrarunt. Unde, secundum antiquam Romani ordinis normam, coronata est civitas, lætitia fuit in clero, exsultatio in populo, miseris et oppressis dulce solamen. Hunc itaque papam canonice electum, regulariter substitutum, Ecclesia Romana cognoscit, alium nescit, alium prorsus reprobat et abdicat. Ad hæc, universitati vestræ notum esse volumus quia Dominus noster papa Anacletus cum fratribus nostris P. Portuensi episcopo, et aliis vicinarum civitatum episcopis, necnon cardinalibus, et universo clero Romano in unum sæpius convenientes, illos quosdam fratres qui auditum a nobis in Romana Ecclesia scandalum commiserunt per honestas laicorum et clericorum nobilium personas ad matris Ecclesiæ gremium et fraternitatis unitatem quartum vocavit; verum illi, in cordis sui perfidia obstinato animo perdurantes, non solum nostra et Ecclesiæ monita contempserunt, sed ad schisma jam et ad erroris defensionem, quod hæreticum est, processerunt. Proinde nos cum donato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium cum omnibus palatii ordinibus, abbatum, presbyterorum, et priorum qui Romæ sunt, cum archipresbyteris et cuncto clero, conventu plenario laudantibus, universis in eosdem schismaticos excommunicationis sententiam Spiritus S. judicio promulgavimus. Monemus igitur vos et tanquam B. Petri filios et fideles exhortamur, ut eos tanquam schismaticos et excommunicatos omnimodis devitantes, quod a nobis et ab Ecclesia factum est ratum habere ac, præstante Domino, unanimiter servare curetis. »

CAPUT XXIV (173*).

Portugalensis infans, Enrici comitis filius, nomine A., acquisita Portugalensi patria, et Fernando Petride, Petri comitis filio qui relicta sua legitima uxore, cum matre ipsius infantis regina Tarasia tunc temporis adulterabatur (174) et toti illi terræ principabatur, vi ablata, magnam dissensionem et magnam guerram cum rege A. Raymundi comitis, et dominæ reginæ U. filio habuit. Ipse etenim infans vitio superbiæ elatus regis dominationi subjici noluit, sed adepto honore contra eum arroganter intumuit. Cumque rex, in campanis et Castellanis partibus diversis negotiis detentus, utpote contra Aragonensem regem, et comitem Larensem P. Gundisalvidem, qui cum matre ipsius regis adulterine concubuerat, et ex ipsa regina adulterinos filios et filias genuerat, pugnaturus in Gallæciam venire nequiret, ut eum expugnaret domino Compostellano, consulibus, principibus, et cæteris terræ potestatibus per nuntios suos mandavit, ut ei obviam irent, et eum quibuscunque modis possent impugnarent. Comites ergo et principes et aliæ potestates, regali edicto obtemperantes, congregatis suis exercitibus contra eum profecti sunt, nec tamen contra eum quorumdam fraudulentia prohibente pugnaverunt. Compostellanus vero, gravi infirmitate tum temporis laborans, in illam expeditionem ire non potuit. Majorino igitur suo et universis militibus suis præcepit, ut cum militibus et aliis principibus in auxilium regis irent. Compostellanos quoque cives et ex sua parte et ex parte regis rogavit, et rogando præcepit, ut in illam expepiti imponimus et adjicimus.

(173) *Confudit*, vel quid simile supplendum.

(173*) Absque titulo in codicibus, sed distinctionis gratia, et ob argumenti differentiam, numerum capiti imponimus et adjicimus.

(174) Vide tomo præc. in Vita D. Didaci Gelmirez, n. 222.

ditionem proficiscerentur; illi autem rebelles exstiterunt, nec ejus, nec regis mandato obedire voluerunt. Unde rex non modicum in eos commotus est, et valde iratus. Reversus autem ab illa expeditione rex nuntios suos pro domino Compostellano et pro comitibus et cæteris terræ potestatibus direxit et eos ad se ad Legionensem civitatem convocavit, ut de statu regni et terrarum pacificatione cum eis ageret.

Compostellanus igitur, visis nuntiis regis, quæ suo itineri necessaria esse cognoverat, incunctanter apparavit, et illis apparatis viam suam cum majoribus suæ Ecclesiæ personis arripuit. Cumque Legionem appropinquasset, rex de ejus adventu certificatus, cum magno potestatum comitatu obviam ei exivit, et eum gaudenter et honorifice recepit. Dominus vero Arias, Legionensis episcopus, qui canonicus et cardinalis Ecclesiæ B. Jacobi fuerat, magnam ei honorificentiam exhibuit, et, convocato clero atque populo, eum cum magna processione suscepit. Facta autem processione palatia sua ei evacuavit, et habitanda quandiu ibi cum rege moraretur, illi tradidit. Postera die dominus Compostellanus summo mane surrexit, et palatium regis cum magno clericorum et militum comitatu adivit. Cumque in præsentia regis venisset, rex aliquantulum commotus ait illi: « Pater venerande, ego debeo ad vos ire, et vestrum palatium visitare, et vos venitis ad me, nunquam amplius ad palatium meum veniatis, quandiu hic moratus fueritis; ego enim ad vestrum palatium quotidie ibo, vestro alloquio et vestro consilio secrete usurus, et ipso velle vestro omnia dispositurus. Ego enim vestram personam debeo honorare et amare, quia meus pater spiritualis estis, et me in fonte baptismatis regenerastis, in regem unxistis, armis militaribus decorastis, et multiplicia beneficia vestra sponte in vestra Ecclesia mihi contulistis. Dominus Compostellanus, audita regali voluntate, ad palatium regis nunquam ibat, sed rex cum comitibus et potestatibus ad palatium ejus quotidie veniebat. Ibi rex cum domino Compostellano et cum comitibus et aliis potestatibus de suis negotiis et de pacificatione terrarum publice egit, et universis qui aderant firmiter præcepit, ut unusquisque justitiam in suo honore teneret et exerceret, neve pauperes aut Ecclesias aliquo modo opprimeret aut injuriaret; quod si illud facere præsumeret, nec sui juris esset, nec in honore suo permaneret, sed sicut proditor ipsum honorem irrecuperabiliter amitteret. Hoc autem edictum exiit a rege, domino Compostellano seorsum laudante et consulente. Compostellani quoque burgenses qui cum archiepiscopo iverant, iracundiam regis, quam propter negligentiam præfatæ expeditionis incurrerant, consilio et rogatu ipsius archiepiscopi promissis trecentis marcis puri argenti, sedaverunt: quarum centum dominus Compostellanus eorum civium amore, burgenses vero ducentas se daturos esse promiserunt. His ita dispositis et confirmatis archiepiscopus cum gaudio et lætitia, et regis amicitia remeavit ad propria, quem gaudenter et honorifice sua suscepit Ecclesia.

Interea quidam miles, nomine M. Petrides, qui quoddam castrum in terra B. Jacobi ædificaverat, quemdam civem Compostellanum captioni mancipavit, et illo in castro captum tenuit. Unde Compostellani non modicum indignati ad id castrum diruendum ire disposuerunt. Compostellanus vero audita sui civis captione, vehementer iratus fuit, et majorino suo et universis suis militibus et Compostellanis civibus præcipit, ut assultum in illud castrum facerent, et pugnando omnino destruerent, et captum civem liberarent. Illi autem, illius præcepto obedientes, et castrum obsidentes, tandiu expugnaverunt, donec illud bellando ceperunt. Quod cum cepissent, lapidem super lapidem in eo non reliquerunt. Unde tota terra lætata fuit, et gratiarum actiones de ejus destructione divinæ omnipotentiæ retulit; ex illo enim castro multa detrimenta et multa mala terræ adjacenti quotidie inferebantur, et pauperes, in circuitu commorantes, intolerabiliter opprimebantur.

CAPUT XXV.

Juxta humani deliberationem arbitrii visum est illis qui veritatem mendacio fulciri nolunt, Innocentium Romanum pontificem, post obitum papæ Honorii, canonica electione subrogatum fuisse; alium vero antipapam, P. Leonis filium, ambitionis et invidiæ stimulis agitatum, per violentiam suorum qui plures et ditiores in urbe manebant, justitiæ normam penitus negligentem, non honoris, sed pestilentiæ cathedram arripuisse. Quo facto dominus Innocentius, malignantium furori resistere non valens, universa fere comitante curia Genuam navigio venit, ibique primum Compostellani archiepiscopi nuntii benedictionem spontaneam, scilicet XL marcas puri argenti deferentes, ei cum gaudio occurrerunt. Quos honorifice susceptos, eorum petitionibus benignam aurem accomodans, jucunde remisit. Post aliquantum vero temporis favente sibi Ludovico, Francorum rege, et universis archiepiscopis et episcopis, Franciæ servitio ejus obedientiæ devotis, contigit eum Galliarum partes intrasse; ubi secundo dominus Compostellanus pro negotiis Ecclesiæ suæ legatos ad eum destinare curavit. Decurso autem cujusdam spatii curriculo, nuntiis ad propria redire volentibus dominus Innocentius Compostellano, tanquam speciali filio et familiari apostolicæ sedis amico, statum suum et totius curiæ præsentibus litteris intimare voluit. Bracarensem etiam archiepiscopum super cujus injuria dominus Compostellanus conquestus fuerit, litteris suis responsurum vocavit.

Has litteras misit dominus Innocentius Compostellano archiepiscopo.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Prædecessores nostri, » etc. *Vide in Innocentio II, ad annum* 1143.

Bracarensi archiepiscopo.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Pro excessu et contemptu, » etc. *Vide ubi supra.*

CAPUT XXVI.

Circa idem vero tempus S. Hierosolymitanus patriarcha, totusque Dominici sepulcri conventus, P. fratrum Cluniacensium abbas, et sancta ejusdem loci congregatio, Compostellano archiepiscopo pro beneficiis sibi jucundo et charitativo animo sæpe collatis gratias referentes, præsentia scripta delegaverunt.

« S. [STEPHANUS] Dei gratia Hierosolymorum patriarcha, totusque Dominici sepulchri canonicorum conventus, DIDACO ejusdem gratia archiepiscopo de S. Jacobo, fratri et amico suo, salutem cum fideli orationum munere.

« Paternitati vestræ emeritas laudes et gratias exsolvimus de subventione et beneficio vestro nobis charitative sæpius collato, sed et nunc pietatem vestram efflagitamus, quatenus hujus præsentium latori, Aymerico fratri et concanonico nostro, viscera clementiæ vestræ aperiatis, cumque cum suis, quandiu circa vos fuerit, honorifice suscipiatis. Illud enim procul dubio sciatis quia quod a vobis huic fieri exigimus, vobis, et vestris, si opus fuerit, rependemus. Item rogamus, ut ei ecclesiam de Nogueres quæ in vestra diœcesi est, cum omnibus appendiciis suis, necnon eleemosynas, quæ in affinitate vestra nobis largiuntur, ei salva reverentia vestra subdi faciatis, atque cum majoribus vestris, tam clericis quam laicis, commendetis. Valete, pro nobis, qui pro vobis oramus, orate. »

Cluniencenses.

« Reverendissimo et dilectissimo nostro domino DIDACO, Compostellano archiepiscopo, frater P. [PETRUS VEN.] Cluniacensis abbas, salutem et spiritualem dilectionem, non prout debemus, sed prout possumus.

« Iterum ac sæpius vestram reverentiam salutantes gratias agimus tantæ dulcedini, tam ferventissimæ, tam perseverantissimæ dilectioni, qua nos nostraque fovetis, sustentatis, et cor nostrum totius congregationis nostræ magis quotidie, vestri amoris desiderio inflammatis. Itaque vestri per omnia memores nos esse sciatis, rogantes ut et vos nostri et fratrum nostrorum memor semper sitis in Domino, et solitam rebus nostris quæ circa vos sunt benignitatem impendere non desistatis.

CAPUT XXVII.

His vero quæ supra taxata sunt peractis, dominus papa Innocentius Lotharium Romanorum regem, ejusque optimates de pace Ecclesiæ et salute regni allocuturus Leodium ire non distulit. Celebrato itaque solemniter ibidem colloquio, pertractatis et illis quæ ad utilitatem Ecclesiæ et honorem Dei spectare cognovit, lætanter in Galliam reversus est. Habito deinde cum fratribus suis cardinalibus episcopis communi consilio pro unitate Ecclesiæ servanda et schismate resecando, generale concilium Remis celebrandum iudixit. Quapropter quemdam Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, G. nomine, qui archiepiscopos, episcopos et abbates ad tanti conventus celebrationem vocaret, de latere suo in Hispaniam transmittere curavit; per quem domino Compostellano tanquam catholico et prudenti viro præsentia scripta iterum mandavit. Quia vero indecens erat Romanæ Ecclesiæ legatum a tanti nominis viro immunem discedere, dominus Compostellanus decem pariter argenti marcas ipsi abeunti pro expensis charitative contulit: necessitates autem multiplices domini papæ considerans, ejusque angustiis opportune subvenire desiderans, per supradictum legatum xx marcarum solamen illi liberaliter exhibuit.

Hæ sunt litteræ domini papæ ad Compostellanum

« Innocentius episcopus, » etc.

« Pro unitate Ecclesiæ, » etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1133.

De cancellario.

« Charissimo Patri et amico DIDACO Compostellano archiepiscopo A. sanctæ R. E. diac. card. et cancell., salutem et dilectionem.

« Personam vestram, sicut a retro temporibus pure dileximus, sincera charitate diligimus, et ad honorem Compostellanæ Ecclesiæ et vestrum libenti animo intendimus. Hujus itaque charitatis fiducia inducti, charissimum nostrum G. sanctæ R. E. subdiaconum, quem dominus papa pro B. Petri servitio duxit ad partes Hispaniæ delegandum, vestræ benignitati attentius commendamus; ipsi namque vestram benevolentiam exhibendo multorum qui sunt in curia servitium habere poteritis. »

De cardinali Humberto litteræ.

« Charissimo et in Christo plurimum dilecto fratri DIDACO Compostellano HUMB. sanctæ R. E. presbi. card., salutem et dilectionem.

« Ad exhortandam fraternitatem tuam tanto securiores, quanto tuam personam arctioris charitatis brachiis amplexamur. Charissimum itaque nepotem nostrum, præsentium latorem, G, sanctæ. R. E. subdiaconum, quem dominus papa, de sua honestate confisus, tanquam familiarem ad partes Hispaniæ de latere suo transmittit, dilectioni vestræ attentius commendamus, rogantes, et eo qui est inter nos charitatis amore firmiter obsecrantes, ut eum benigne tractetis, et honoretis, et quantum nos diligatis, in ipso ut præsumendo loquar efficaciter ostendatis. Quidquid enim honoris et benevolentiæ erga eum exhibueritis, tanquam si nobis faciatis gratum habebimus, et ipse vobis et Ecclesiæ vestræ quoniam ibi charus habetur, bene poterit, largiente Domino, deservire. »

CAPUT XXVIII.

De navi structa.

Post obitum bonæ memoriæ regis A., domino Didaco archiepiscopo Compostellanæ sedis cathedram obtinente, sicut in præcedenti volumine scripsimus, violenta Saracenorum manus Gallæciæ fines piratico navigio invadere cœpit, et Christianiæ religionis sta-

tum non mediocriter labefactare annuatim consuevit. Tantæ igitur afflictioni prædictus Pater misericorditer condolens, peritos artifices non parvo pretio conduxit, et duas miræ velocitatis naves nimio laboris exercitio et magno pecuniæ detrimento apparare non distulit; quibus diligenter instructis, Christianorum humilitas, viribus animisque receptis, illos frequentes hostium impetus viriliter depulit, eosque sæpius impugnando feliciter expugnavit. Post longum vero temporis spatium, tum hostium inopia, tum lignorum corruptione, navibus dissolutis, hostilis furor acrius insurgens, et pejora pejoribus addens, Christianum populum B. Jacobi servitio devotum navali bello inquietare non distulit; partes namque maritimas furtivis incursibus aggrediens, viros ac feminas, universa illorum substantia direpta, partim occisioni tradebat, partim captivitati mancipabat: feminas quoque, tam virgines quam nuptas, libidine stimulante turpiter maculabat. Unde præfati viri prudentia, tantam inimicorum rabiem avertere cupiens, juvenem quemdam qui in construendis navibus cæteris excellentior tum temporis habebatur, aliosque diversarum regionum artifices largo munere donatos adhibuit; qui navem egregiam subtili artificio compactam, excellenti pulchritudine præditam, ventis et fluctibus aptam cum nimia diligentia perficere studuerunt. In cujus perfectissimo apparatu dominus Compostellanus LX marcas argenti purissimi pro dilectione proximorum expendere non recusavit. Multa tamen et præcipua navis instrumenta gratis acquirere non cessavit. Navis itaque, strenuis instructa bellatoribus, hostes fugavit, spolia diripuit, eorumque regnum usque ad Atlanticum mare confidenter invasit. Innumera vero Saracenorum multitudine captivata, pretiosis divitiis et auro purissimo, mille scilicet septingentis morabitinis, cæteraque magni pretii supellectile navis onerata, incolumis ad portum per gratiam apostoli cum triumpho rediit. Cum autem ad partitionis regulamentum ventum est, domno archiepiscopo pro decima parte, quam secundum divisionem habiturus erat, tredecim marcæ argenti collatæ sunt, quædam et non parvi ponderis munera quæ tantæ honestatis virum decebant, propter personæ suæ honorificentiam de communi oblata charitative recepit.

CAPUT XXIX.

Hæ sunt litteræ Bracarensis archiepiscopi.

« Venerabili domino DIDACO Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopo, P. Dei gratia Bracarensis Ecclesiæ minister, salutem in Christo et dilectionis affectum.

« Quanto intimæ dilectionis affectu vos diligimus, et commodum vestrum, vestrorumque amicorum, augmentari optamus, non litteris vobis explicare valemus. Cæterum si locus idoneus, vel tempus congruum nobis daretur, quod verbo tenus asserimus, semotis ambagibus in obsequio vestro comprobaturre. Quoniam vero Bracarensis archiepiscopatus vota vestro clerico domno P. Ferdinandi, vestroque A canonico, commisistis, nos satis ducimus esse jucundum, et summopere laudamus. Hoc prætermisso, quærimus utrum vota de terra Ferdinandi Menendiz, quæ olim in beneficium a vobis suscepimus, suprataxato P. cum cæteris votis commendetis, an vos habere velitis. Quod inde vobis visum fuerit, vestris litteris nobis remandate; quippe vota illa [de] terra Ferdinandi Menendici nunquam habuit Portugalensis episcopus. Vale. »

Transacto interim parvi temporis spatio præfata navis piratica, quæ vulgo galea dicitur, quam dominus archiepiscopus diligenti studio et magno pretio construi et apparari fecit, strenuis armata juvenibus, ad partes Saracenorum expugnandas remenso æquora properavit; captivata vere hostium multitudine, immenso auri pondere capto, B sericis idumentis cæterisque non parvi pretii spoliis violenter arreptis, cum triumpho et gaudio ad solitum Iriæ portum incolumis rediit. Facta autem juste et regulariter divisione, dominus archiepiscopus XXV marcas argenti, et unum Maurum, magno pretio redimendum, pro parte sua juxta æquitatis regulam habuit,

CAPUT XXX.

Per provincias.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Inspectis fraternitatis vestræ, » etc. *Vide in Innocentio II, ad an. 1143.*

Litteræ per provincias.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Dilectionem vestram, etc. *Vide ubi supra.*

C CAPUT XXXI.

Didacus Dei gratia Compostell. sedis archiepisc. ivit ad regem, et apud eum hoc privilegiam impetravit.

« Regiam condecet majestatem ecclesias Dei defendere, muneribus ditare, beneficiis ampliare, personarum dignitates relevare. Quapropter ego Adefonsus, Dei gratia Hispaniæ imperator, meorum antecessorum consuetudinem non irrationabiliter secutus, una cum conjuge mea regina domina Berengaria, vobis domino Didaco Ecclesiæ B. Jacobi archiepiscopo, omnibusque dominis et senioribus ejusdem Ecclesiæ canonicis, tam præsentibus quam subsequentibus, ob reverentiam gloriosissimi Jacobi apostoli, et pro remedio animæ meæ, et parentum D meorum, facio textum scripturæ firmitatis, scilicet ut personarum vestrarum reverentiam nemo temerarie impetendo præsumat, domos etiam vestras quibus assidue moramini, nullus violare vel aliquid inde diripere audeat; anniversaria quoque canonicæ vestræ et communes honores, singulorumque præstimonia, nullus invadere vel aliquid inde auferre tentet; licet habeat adversus archiepiscopum causam injuriæ, sive etiam a quolibet civium, vel militum, vel a qualibet alia persona, maximam toleret injuriam, prædictos tamen canonicorum redditus nullatenus invadere vel spoliare audeat. Si vero quisque aliquid horum supradictorum infringere tenta-

verit, secundum quod commiserit, canonico correptus judicio, injuriato Ecclesiæque quingentos solidos persolvat. Cæteras omnium canonicorum hæreditates vel possessiones ab omni subditione sagionum excipio; res et facultates eorumdem nemo rapere præsumat, licet sit debitor aut fidejussor, nisi prius semel et bis publice advocatus ad justitiam venire contempserit, alioquin quod rapuerit, vel ante advocationem publicam pigneraverit, pro simplici duplum componat, et insuper injuriato LX solidos persolvat. Testamenta etiam prædecessorum et parentum meorum, et mandationes consulum, militum, seu quarumlibet personarum, quas ex proprio, vel ex meis regalibus in statu suo Ecclesiæ B. Jacobi contulerunt, vel contulerint, per omnia confirmo. Facta serie testamenti apud Palentiam die Kal. April, æra I. C. LXXI. Ego Adefonsus Dei gratia Hispaniæ imperator una cum consensu archiepiscopi domini Didaci ejusdem Ecclesiæ, cæterorumque Hispaniæ præsulum, et omnium consulum atque principum proprio robore confirmo. Didacus ejusdem Ecclesiæ archiepiscopus proprio robore confirmo. M. Auriensis episcopus confirmo. P. Palentinus episcopus confirmo. A. Legionensis episcopus confirmo. P. Lucensis episcopus confirmo. »

CAPUT XXXII.

Quando archiepiscopus fuit ad curiam regis domini A.

Contigit dominum Didacum Compostellanæ sedis archiepiscopum regis Adefonsi curiam adire, quatenus cum illo Ecclesiæ suæ negotia pertractaret; dumque apud eum Carrione moraretur, inter eumdem archiepiscopum et Bernardum regis cancellarium, præfatæ sedis canonicum, et thesaurarium, discordia hujusmodi emersit: asserebat namque Bernardus se honorem illum, cancellarium scilicet, per se ipsum et regem dominum A. non per archiepiscopum adeptum fuisse; archiepiscopus autem e converso dicebat se a rege duplici honore, capellaniæ scilicet et cancellariæ, liberaliter donatum esse; Bernardum vero prædictæ Ecclesiæ canonicum et thesaurarium dignitatem illam de manu sua præcipue et principaliter tenere. Deinde dominus Bernardus in præsentia fratrum suorum, cæterorumque qui aderant concanonicorum, a domino suo archiepiscopo benigne et amicabiliter conventus ab illa injuria desistere noluit. Tandem habito in præsentia regis consilio, præsentibus Hispaniæ comitibus et baronibus, audientibus etiam canonicis et civibus, collatis utrinque rationibus dominus Bernardus, juste et rationabiliter convictus, ab injusto proposito destitit, et dominum suum archiepiscopum rege præsente et annuente, cæterisque justæ parti faventibus de honoris illius jure investivit. Postmodum archiepiscopus, communicato fratrum suorum consilio, domino Bernardo clerico, et canonico suo secundum voluntatis suæ beneplacitum dignitatem illam, cancellariam scilicet, ad tempus commisit, et sic controversia illa finem habuit. Postea rex, præsentibus suis baronibus, astantibus etiam qui in

A comitatu archiepiscopi erant canonicis et civibus, utrumque honorem, capellaniam scilicet et cancellariam, sicut jam domino archiepiscopo concesserat verbi sui auctoritate, iterum concessit et confirmavit sub æra I. C. LXXI et qt. Idus Martii anno sui pontificatus XXXIII.

CAPUT XXXIII.

Hoc decretum est datum.

Hoc est decretum quod canonici S. Jacobi apostoli, et judices atque cives Compostellæ, per auctoritatem et confirmationem regis domini Adefonsi, et archiepiscopi domini Didaci, deletis omnibus malis foris, et reductis bonis semper conservandis, teneri statuunt, id est de vino Castellano bono in civitate allato, non minus VIII quartis detur pro marca; de B alio vino bono per barcas allato, non minus XII quartis hic detur pro marca, et ille qui emerit, de unaquaque marcata unam quartam lucretur; cæteras quoque sine aliqua admistione vendat fideliter per mensuram a concilio eis institutam de vino de nostra terra, qui voluerit emere, det pro in carrega magna solidos IV et nobis sine aliqua admistione vendat IV pro duobus solidis, et sibi lucretur mediam quartam. Rusticus vel civis qui duxerit illam siceram sine aliqua admistione, vendat per se, et det IV canadas plenas per illam canadam ferradam Fredenandi Velasci, vel per similes, et de sicera bona de cuba de ista civitate det tres canadas pro nummo, et nemo præsumat tabernam facere de illa sicera in cubas vel in cantaras: magulanes et antiquitariæ intus et extra omnino projiciantur, et non compa- C retur piscatum, nec carnem, nec mariscum, neque pulpos, neque locustas, neque lampredas, neque ysces, neque poma, neque fructum, ad hoc ut lucretur et vendat, sed tantum ut comedat, et ipse qui duxerit, communiter vendat per se; et mercatores hujus villæ qui iverint ad illas marinas et fozes pro quolibet piscato non vendant ad illum magulanem, nisi ipse per se vendat publice tam civibus quam advenis. Similiter et ipsi qui abierint per illas terras per vaccas et porcos, et pro diversis carnibus, non vendant ad alios magulanes nisi civibus, aut carnizariis, et ipsi carnizarii emant per concilium, et tractent per diem in foro, et vendant sine malo ingenio per pesum juridicum, a concilio eis institutum secundum veterem consuetudinem, præter D boves, quos non concedimus tractare, præter veteres, et aratro inutiles.

Adjicimus etiam quod caballos, et equas et boves et vaccas nemo audeat emere de sajonibus vel latronibus, vel raptoribus, vel de incognito homine absque fidejussore. Caseos et manteiga vendant per pesum secundum antiquam consuetudinem. Dicimus etiam de piscibus, ut non minus V magnos vesugos, vel mugiles vendant pro nummo, et de minimis X temam grandem pro nummo; locusta pro nummo; pulpum grandem non amplius duobus denariis, mediocrem bonam amplius nummo; pexotas recentes vel falsas non minus tres pro nummo; ostreas

magnas non minus L, sardinas non minus X, congrium de VIII palmis non amplius VII denariis; mediocres bonos non amplius tribus nummis; lampredas non amplius tribus nummis; ircim maximum non amplius decem nummis; cordarium bonum cum pelle alba non amplius sex denariis; elfolatum bonum pro tribus nummis, gallinam, maraticam, perdicem pro singulis nummis; leporem bonum pro duobus nummis; de ovis non minus XXX pro nummo; cabritum bonum cum pelle non amplius tribus nummis; anserem bonam non amplius IV nummis; carnarium optimum non amplius VIII nummis. Panadariæ vero quæ habuerint domos vel proprietatem ad complendum suum officium, comparent per illam taliam veridicam, et sine fraude faciant bonum panem, salgatum et limpidum, de nummo uno vel mealia per pesum a concilio eis datum; et completos suos foros non amplius lucretur quatuor nummis. Albergarii, monetarii et cambiatores, et cives non habeant marcas falsas, et libras falsas, et pesas; et albergarii non habeant panificas in domibus suis vel extra. Ceram vero, pigmentam, cuminos, et incensum, vendant per libras veridicas; fabri ferraduras cabalares et mulares optimas non amplius vendant duobus nummis pro parelio uno; mediocres vero tribus minutis, sacurem bonam non amplius VIII nummis, ligonem bonum non amplius IV, aradorium optimum non amplius tribus, mediocrem duobus; falcem rozadoriam optimam non amplius tribus, mediocrem duobus, falcem sectoriam pro nummo; saxium faucinum pro singulas et medaculas.

De calceamentis socos optimos cabrunos sine fraude non amplius VIII nummis; osas bonas non amplius duobus solidis. Zapatones mulierum optimos XII nummis non amplius. Zapatones bonos bobinos pro ad barraganes non amplius V nummos, cæteros alios IV et tres secundum suum valorem, per optimas suffurtas pro tribus nummis, non amplius; reliquas pro nummo vel tribus obolis, vel duobus nummis secundum suum valorem. Zapatones cabrinos liadizos optimos non amplius XII nummis. Jubemus etiam, et pariter confirmamus, ut corios de bobus et de vaccas, et pelles de cabrones, et de capris nulli nostri mercatores vendant ad illas barcas. Sajones, latrones, et mali non recipiantur in causis discutiendis; accusator et defensor cum singulis vel duobus amicis tantum ad complendum judicium vel faciendam fidejussoriam ante judices, vel vicarium civitatis accedat, ne fratrem suum in negotio circumveniat. Judices vero, si res exegerit, advocent sibi in auxilium de clericis vel laicis, quos sibi viderint utiles ad tenendam vel acquirendam justitiam. Albergarei non excedant terminum Minci in omni supradicta venditione, vel comparatione. Nullus faciat forciam vel fraudem venditori, forciam dico injuriatum; sed tam emptor quam venditor qui contra supradictum decretum egerit ambo quinque solidos persolvant, et venditores rei habeantur digni veribus, et careant officio. Dicimus et confirmamus ut hujus rei publice reum nulla casa vel cautu teneatur. Omne consilium elegit idoneos viros, tres ad ponendum mensuram vini, scilicet Pelagium Astrarici cum Pelagio albo, Aloytum Candanatici, et Stephanum Pelaizi, et ad æstimandum panem, Froilam Rodesindii, Michaelem Martinizi, Ariam Guntadici, et ducant illam æstimationem panis, et ponemus illum pesum; similiter et de illa carne, Pelagium Astrarici, Fernandum Justilaci, Joannem Arias, Pelagium Viliulfici, et secundum æstimationem ponemus illum pesum et illam petram de carne de porco, et de vacca; et cum necessitas fuerit augendi vel minuendi, neque augeatur neque minuatur, nisi consensu, et præcepto atque arbitrio canonicorum, judicum, et civium atque rectoris civitatis. Sub æra MCLXXI. quot Nonas Maii.

CAPUT XXXIV.

Defuncto bonæ memoriæ Abilensis Ecclesiæ episcopo domno Sancio, populus civitatis has litteras domino archiepiscopo misit.

« DIDACO, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopo, omne Abilense concilium, tam clericorum quam laicorum, salutem et devotam subjectionem.

« Abilensis Ecclesia filia vestra, pontifice suo viduata, et propter hoc in mœstitiam dejecta, vestræ exspectat consolationem paternitatis, vestræque implorat auxilium auctoritatis; nam sepulto præsule nostro domino S., omnes unanimiter archidiaconum nostrum domnum Eneconem, qui aliquanto vitæ suæ ævo in nostra innocenter militavit Ecclesia, ad episcopatum vobis confirmante elegimus, regisque et principum assensum quæsivimus, qui omnes concesserunt, nosque ad vestrum patrocinium miserunt. Igitur omni cum humilitate oramus ut vester adsit assensus et confirmatio, et eum quem nos nobis necessarium cognovimus, sine dilatione consecretis, et nobis assensum, confirmationem et tempus consecrandi renuntietis; mœstitia nostræ desolationis vestræ moveat viscera pietatis, ut cum nobis quantocius consecretis, nec tot oves vestro jussui subditas, diu sine pastore esse sinatis; nam et Veteris Testamenti pagina testatur, ut si de panibus propositionis aliquis auferretur, citissime alius reponeretur (*Exod.* XXV, *Num.* IV). Valete, et si nostram diligitis salutem, quod nos certissime credimus, cum sine mora consecrate. »

Has etiam litteras misit Abilensis Ecclesiæ electus Compostellano archiepiscopo.

« DIDACO, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopo, E. Abilensis Ecclesiæ in episcopum ejus annuente auctoritate electus, fidele servitium et debitæ subjectionis obsequium.

« Postquam pastorem nostrum, dominum Sancium, Deus ab hoc sæculo vocare dignatus est, conventu facto omnis clerus me ad episcopatum elegit, populus petivit, rex annuit. Tamen si vestri commendat auctoritas judicii, et quoniam unus est Deus, unum baptisma, una Ecclesia, et quia omnes una-

nimes esse, et unitatem in electione mei servare cognovi, electioni eorum, si vestræ adsit consensus sanctitatis, consentivi. Igitur vestræ paternitatis peto consilium, auctoritatis vestræ oro subsidium, quatenus mihi præfinitum tempus rescribatis, in quo ad Compostellanam ecclesiam matrem meam veniam, et ibi vestræ commendatus judicio sapientiæ, episcopalem dignitatem ordinis a Deo vobis mediante recipiam. Valete, et quid vestræ placeat sanctitati mihi rescribite. »

Responsio domini archiepiscopi clericis et laicis Abilensis Ecclesiæ filiis.

« Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus, tam clericis quam laicis Abilensis Ecclesiæ filiis, salutem, auxilium, et in Christo protectionem.

« Perspectis vestræ benevolentiæ litteris, quibus Ecclesiam Dei, matrem videlicet vestram, orbatam proprio fore pontifice conspectui nostro repræsentare minime neglexistis, quantum doloris et mœstitiæ nostræ pietatis viscera pulsaverit, vobis explicare nequimus ; sicut enim filii et confratris nostri tanti pontificis vita non minimum nostræ paternitatis ac dilectionis ardorem in personam suam habebat et retinebat, sic ejus mors sine nimia nostri cordis compassione a nobis tolerari non valet. Quamplurimum namque laborem, imo maximas ac diversas calamitates pro Ecclesia sua constanter exceperit, et ad quantum tandem statum eam viriliter sublimaverit, ferme omnibus est compertum ac divulgatum ; sed quoniam nostri subsidii auctoritatem humiliter exposcitis, nostrique etiam solaminis pietate diligenter refici desideratis, vobis petentibus quod justum et rectum visum fuit, non rationabiliter denegare valemus, juxta illud evangelicum : *Petite et accipietis* (*Joan.* xvi), etc. Nec dignum ducimus oves, nostræ ditioni a Deo concessas, sine ducis regimine diu permanere ; nos vero cum ad nos a legato vestro perventum est, per nostri archiepiscopatus confinia operi, quod nostro ordini congruit, ad laudem et Dei honorem indesinenter desudabamus. Quapropter quia ad tantam rem sic subito peragendam, per nostra non tunc temporis expedita habebatur, summa cum benevolentia vobis præcipimus, quatenus ad B. Jacobi festum quod viii Kalend. August. præcipue celebratur, cum authenticis vestræ Ecclesiæ clericorum, ac laicorum personis, ecclesiæ ac præsentiæ nostræ, prout decet, præsentetur. Nec hoc vobis molestiam inferendo proponimus, sed ad vestræ Ecclesiæ decus, et ipsi et nobis idoneum, interim tempus præparare congrue protelamus. Omnipotens Deus intercessione B. Jacobi et meritis vos custodiat, et ab omnibus adversitatibus muniat et defendat ! Amen. »

Responsio ad electum.

« Didacus, Dei gratia Compostellanæ sedis archiepiscopus, filio suo dilecto E. Abilensis Ecclesiæ electo, salutem et paternam in Domino dilectionem.

« Quoniam germanum vestrum Abilensis Ecclesiæ pastorem, et filium nostrum, in vita summe dileximus, ejus obitum non minima cum tristitia toleramus, unde quod persona vestra vita et moribus maxime decoratur, a nobis eam duplici dilectione teneri minime hæsitetis ; illiusque præcordialis affectus quem ei, dum vixit, exhibuimus, vos exsortem fieri non optamus. Itaque de electione vestræ personæ, si ita est ut litteræ ad nostram præsentiam destinatæ sonant, et litterarum lator asserit, non modicum congaudemus. Vos igitur tanquam specialem nostræ Ecclesiæ filium exhortamur, et in Domino monemus, quatenus ad B. Jacobi festivitatem quæ viii Kal. Augusti summa cum reverentia colitur, cum quadam vestrorum canonicorum ac bonorum civium parte ad matrem vestram Compostellanam ecclesiam, et nostræ personæ conspectum, nullatenus venire differatis, nos autem inter agendum fratres et coepiscopos nostros finitimos, prout facultas tulerit, convocabimus, ut eis convocatis et fraterno interveniente amore consultis, et præfato die et tempore, Deo aunuente, consecratio vestra, si fieri debet, juste et canonice fiat. »

Has litteras misit rex Adefonsus per eumdem electum domino archiepiscopo.

« Adefonsus, Dei gratia Hispaniæ imperator, venerabili Patri domino Didaco Compostellanæ Ecclesiæ archiepiscopo, in Christo vivere. Sancium Abilensem episcopum mortuum esse, et in ejus episcopio fratrem ejus, nomine Enecomem, a clero et populo electum, mihique repræsentatum, dilectioni vestræ notifico, quem vestræ scrutinio discretionis confirmatum justitiæ causa et mei amore, multum enim in præsenti subditis suis eum utilem et necessarium causa regendi eos esse cognovimus, consecrare non differatis. Valete. »

Hic est titulus electionis domini Eneconis, Abilensis Ecclesiæ archidiaconi, ad episcopatus dignitatem promoti. Cum a præsule Segoviensi domino P. et magno clericorum laicorumque collegio Sancius episcopus honorifice fuisset tumulatus, iste absque contradictione, parili consensu omnium qui præsentes aderant, est electus. Nam omnes clerici de ipsa civitate, et multi alii ex provincialibus qui ad pastoris sui sepulturam convenerant, seorsum coadunati, studiose diligenterque cœperunt adinvicem scrutari et inquirere, si in eorum conventu reperiri posset qui idoneus foret in antecessoris defuncti locum succedere. Sed post multas et diversas opiniones tandem gratia Dei omnipotentis concedente, omnes unanimiter super prædicto Enecone facti sunt concordes : idcirco quia digne et laudabiliter archidiaconatus officio fungebatur, et vitæ religiosæ morumque sublimitate præ cæteris præpollere videbatur, dignum existimarunt ut bonus frater, imitans laudabilem vitam boni fratris, illi quoque pontificalis successor existeret dignitatis. Hæc electio a clericis primitus facta, valde complacuit omni populo qui erat congregatus in ecclesia ; et nemo exstitit in tota concione plebis, qui contradiceret et contrairet constitutioni

electionis, sed omnes illum velle, illum desiderare fieri sibi pastorem et episcopum uno corde, una voce pariter conclamaverunt; et cum clericis *Te Deum laudamus* canentibus, summa devotione manibus ad cœlum extensis, Dei omnipotentiam et misericordiam congaudentes glorificaverunt.

De consecratione ejus.

Post obitum bonæ memoriæ Sancii Abilensis episcopi, clerus et populus, habito diligenter consilio, Eneconem defuncti viri fratrem archidiaconatus officio in eadem Ecclesia fungentem, regis assensu et comprovincialium episcoporum consilio ad ejusdem Ecclesiæ regimen unanimiter elegerunt, ipsumque concordi voce et pari consensu ab omnibus electum domino Didaco Compostellanæ sedis archiepiscopo, ad cujus metropolim pertinere dignoscebatur, sicut decebat, consecrandum præsentaverunt. Metropolitanus vero illius electionem diligenter exquirens, eamque legitimo præsentium testimonio et communi absentium scripto dignam et canonicam esse decernens, regis etiam assensum litteris cognoscens, episcopos fratres suos, et canonicos, Munionem scilicet Vallibriensem, P. Lucensem, M. Auriensem, P. Tudensem ad ipsius electi consecrationem invitavit; ipsi vero pro B. Jacobi reverentia, et archiepiscopi honorificentia ad præcipuam ejusdem apostoli festivitatem, quæ VIII Kalend. Augusti celebratur, libenter convenire nullatenus distulerunt. His itaque fratribus Compostellæ congregatis dominus archiepiscopus, habito cum eis sancto et religioso colloquio, in ipso festivitatis die præfatum electum, juxta canonum instituta, solemniter et honeste consecravit. Consecratus autem debitæ subjectionis obedientiam tanquam suffraganeus metropolitano subditus prælato, sicut debuit promittere, non recusavit, et seipsum in prædictorum episcoporum præsentia, omniumque qui consecrationi intererant subscripto fidelitatis juramento firmiter astrinxit.

Hoc est juramentum.

« Ego Ennecus sanctæ Abilensis Ecclesiæ nunc ordinandus episcopus subjectionem et reverentiam et obedientiam, a SS. Patribus constitutam, secundum præcepta canonum Ecclesiæ B. Jacobi, rectoribusque ejus in præsentia domini Didaci archiescopi perpetuo me exhibiturum promitto, et super sanctum altare propria manu confirmo. »

CAPUT XXXV.

Omnis clerus Salmanticensis Ecclesiæ has litteras misit domino archiepiscopo.

« Domino venerabili, omniumque Patri charissimo Compostellanæ sedis archiepiscopo DIDACO, omnis clerus Salmanticensis Ecclesiæ, obedientiam cum fideli servitio.

« Ecce nos tui famuli, tuæque magnificæ pietatis, reverende Pater, obedire mandatis parati, sub importabili anxietate positi, discretionem tuæ dignitatis supplici corde, humili voce rogamus, ut nobis miserearis, nos in quiete vivere patiaris. Modo au-

A tem, pie Pater, tuæ dulcedini de primo Munionis adventu, quando de Egitania venit, volumus denuntiare. Tali eum pacto recepimus, ut intra paucos dies aliqui clericorum cum propriis marsupiis atque cum eo usque in tui præsentiam veniremus, idcirco ut de ejus electione quid laudares videremus; quod sibi placuit. Ipse vero nobis nescientibus clam recessit, quando huc venit; sed discedens a tua sanctitate, se coram nobis et laicis litteras tuas et benedictionem dixit adipisci; nobis, ut verum tuæ paternitati dicamus, displicuit quod aliquem nostrum non ut cum eo pepigimus advocavit, atque sociorum quidam, ut rectum, domine, disposuimus, non peregisti dixerunt; sed nostrum sine aliquibus non Romam petas. Ipse autem nobis incognitis cum solo

B quodam armigero recessit. Quando vero reiteravit, nos honorem ac dignitatem parabolis portare certificavit, seque liberum, nulliusque imperio submissum nisi tantum apostolico, non veris verbis demonstravit; nec mora multos Ecclesiarum beneficiis barones muniri præcepit, quo scelere auribus nostris intonato, cum non esse concessum Salmantinæ sedi legaliter putavimus; quadam vero die ad eum venimus, privilegium ac dignitatem Ecclesiæ quæsivimus. Quo audito commotus ira, magis ac magis clericos et ecclesias in propatulo sub laicorum manibus misit. Hæc scias non causa invidiæ, non inflatione superbiæ, non aliquo odio hæc de eo dixisse, sed tantum detrimentum S. Dei Ecclesiæ pati non posse. Ne igitur, bone Pater, nos velut gregem pastore carentem relinquas, sed nostri potius miserearis;

C et accipe consilium etiam ab infimis, quid de nostræ Ecclesiæ angustiis agas: nam quidquid tuæ dilectio bonitatis jusserit, in rei veritate fideles ac certos, ut proprios filios, noverit. Valete. »

CAPUT XXXVI.

De restauratione canonicæ in melius, quoniam diminuta erat.

Omnibus discretionis oculo eventus rerum intuentibus certis ac manifestis patet indiciis, quam sollicito et diligenti animo domnus Didacus Compostellanæ sedis primus archiepiscopus Ecclesiam sublimare suam, et ad gradus altioris dignitatem extollere studuit. Si enim recto comparationis modo præteritis instantia conferre velimus, prudentiam ipsius et facta laudare etiam invidentes, nullatenus desiste-

D mus. Sed quoniam longum et difficile est omnia ipsius benefacta narrare, de pluribus saltem unum posterorum memoriæ tradere non recusemus. Paulo altius itaque inchoantes Cresconium episcopum, prædecessorem suum, virum famosum et nobilitate præclarum, qui tempore regis Fredenandi strenuus in militia floruit, ad memoriam revocemus. Cujus tempore, licet Compostellana Ecclesia divitiis polleret, honoribus abundaret, soli tamen septem canonici in ea servientes, nullius ordinis regulam, nec saltem habitum observantes, nec etiam tonsuram coronæ habentes, nec barbam deponere volentes, minus canonice degebat; et ut etiam propinquius in

medium proferamus exemplum, domnus Didacus, Pelaez episcopus, qui tempore piæ memoriæ regis A. multum claruit, et postea ejusdem honoris dignitate privatus exstitit, XXIV canonicos, ecclesiastici officii penitus ignaros, in Ecclesia ipsa constituit. Postea vero domnus Didacus ejusdem sedis primus archiepiscopus LXXII (175) canonicos, litterarum studiis eruditos, ecclesiastici officii peritos, vita et moribus ornatos, Ecclesiæ servitio in perpetuum mancipavit, communesque redditus unde victum et vestitum sufficienter et honorifice haberent, in eorum potestate et providentia permisit. Quibus ita statutis et firmiter ordinatis universus canonicorum conventus omnibus sibi necessariis suppetentibus in pace et securitate diu permansit. Decurso vero diuturni temporis spatio prædictum communis commodi statutum, partim cæterorum iniqua tolerantia, ab illo optimo et jucundo statu paulatim deflectere cœpit, et communis victus diminutus et fere ad nihilum redactus fuit. Quo cognito pius et benignus pastor, qui saluti omnium in temporabilibus et spiritualibus consulere et providere debet, celebrato cum fratribus ex more conventu, tanti seminarium scandali de medio tollere diligenter curavit; habitaque prius cum decano et aliis majoribus utili et honesta deliberatione, præter panem, et anniversaria, et alia quæ frequenter canonicis charitatis studio conferri solent, ad quotidianum coquinea paratum XII marcas singulis mensibus dari constituit, et se etiam in melius provecturum secundum tempus confidenter promisit, et sic restituto ex parte communis rei detrimento murmur et scandalum quod quotidie fraternam offendebat concordiam, penitus cessavit: æra M. C. LXXII.

De claustro consummando.

In ipso etiam festivitatis die in quo dominus archiepiscopus Abilensem episcopum, ut prædiximus, consecravit, et statum canonicæ in melius commutavit, consulta præsentium episcoporum diligentia de claustro inchoando et consummando, concordem et unanimem cum fratribus suis deliberationem habuit. Ipsum namque opus jam diu quorumdam fratrum providentiæ suscipiendum injunxerat; sed aliis causis impedientibus, neglectum et intermissum fuerat. Tunc autem propensiori cura et ampliori diligentia eidem operi intendere quærens, duobus fratribus, archidiacono scilicet P. Cresconizi, et cardinali domino P. Gundesindiz, quorum consilio et sollicitudine fieret, universi conventus auctoritate injunxit, et ut tale consultum operis exhibitione firmaret, dominus archiepiscopus ad ipsius claustri fabricam, C marcas se daturum, secundum diffinita temporis apatia, charitatis studio promisit; de quibus pollicitis, ne tanti operis differretur incœptum, XXX marcas simul dare in præsenti non distulit.

De restauratione ecclesiæ et canonicæ patroni.

Notum omnibus et manifestum remoto ambiguitatis scrupulo constat Compostellanam sedem, ante apostolici corporis inventionem, apud Iriam antiquis fundatam et constitutam fuisse; sed postquam gloriosissimum B. Jacobi corpus temporibus Teodomiri episcopi, divina præmonstrante gratia, inventum fuit, prædicta sedes, quæ tunc temporis Iriensis appellabatur, regis privilegio, et episcoporum consilio, totiusque populi assensu apud Compostellam, ubi pretiosa reperta fuerat drachma, non immerito translata est. Facta autem ex communi consulto sedis mutatione, ipsa Iriensis Ecclesia, tanti honoris dignitate privata usque ad successionem domni Didaci, primi archiepiscopi, et a religionis cultu penitus deflexit, et in temporalibus multum diminuta fuit. In tantam namque paupertatis augustiam locus ipse deciderat, quod pauci clerici, ibidem commorantes, clericalis officii penitus expertes, quadragesimali solummodo et Dominici adventus tempore vix pauperem victum communiter habere poterant; domnus vero archiepiscopus, ipsius Ecclesiæ destitutioni compatiens, quoniam in summo honoris culmine prius claruerat, eam ex parte restituere conatus est, ibique XII clericos, cum priore suo, et officii sui exercitio competenter instructos ecclesiastico cultui celebrando deputavit, eisque redditus communes cibis et indumento sufficientes pio charitatis studio dedit. Hoc itaque diligenter consummato, quoniam bonum in melius semper proficere debet, aliud virtutis opus aggredi non destitit. Ecclesiolam namque pauperrimam et parvam, in littore Saris fundatam, ubi gloriosum apostoli corpus in egressu navis depositum fuerat, pro tanti hospitis veneratione cum summa diligentia restituendam esse decrevit; et quoniam bene inœpta jucundo exitu peragi solent, ipsius Ecclesiæ corpus cum tribus capitibus consulta benignitatis suæ industria fundari non distulit. Tria namque altaria ibi ædificanda et honorifice celebranda, medium ad honorem gloriosissimi Jacobi apostoli, cujus corpus ibidem hospitio receptum fuerat, reliqua vero duo angularia, unum B. Mariæ matri suæ, alterum fratri suo beato Joanni apostolo evangelistæ sanctæ devotionis affectu instituit. Quibus diligenter institutis ecclesiam ipsam candelabris optimis, palliis, cæterisque ecclesiastico cultui competentibus ornamentis, honorare et decorare pio charitatis amore studuit; et quoniam duplex bonum simplici prævalere solet, dominus archiepiscopus utriusque ecclesiæ redditus, Iriensis scilicet, quam prius restituerat, et istius quam postea ædificandam decreverat, recta divisionis regula distribuens, unicuique ipsarum XII canonicos ad honorem Dei servituros addixit, et sic utramque ecclesiam, et in temporalibus et spiritualibus congrue restitutam, soli religionis cultui deinceps vacare studuit.

CAPUT XXXVII.

De discordia inter archiepiscop. et comitem Ferdin.

Transacto itaque parvi temporis spatio, inter dominum archiepiscopum et comitem Ferdinandum

(175) Vide cap. 20 lib. I.

fœdus amicitiæ firmatum invicem observantes, A gravis et inexorabilis discordia emersit. Contigit namque quemdam archiepiscopi militem ipsius comitis curiam adire, quem comes quarumdam criminationum arguens, sine conscientia archiepiscopi cœpit, captum in vinculis posuit. Quo audito, dominus archiepiscopus pro tanto dedecore ira commotus duos ipsius comitis milites captos in custodia teneri jussit. His itaque peractis præfatus consul furoris impetu ductus quemdam archidiaconum P. Cresconiadem, cujus providentiæ ipsius comitis terræ regimen commissum erat, violenter invasit, eumque captum in vinculis posuit, et in quodam castro suo firmissimo tenuit. Postquam vero tam exsecrabile facinus archiepiscopo et Ecclesiæ suæ innotuit, juxta canonum regulam, prædictum comitem quatenus de tanta injuria satisfaceret semel et iterum et tertio vocavit; sed quoniam toties vocatus satisfacere contempsit, dominus archiepiscopus cum universo Ecclesiæ conventu publicam excommunicationis sententiam in illum protulit. Quo facto comes pœnitentia ductus tandem resipuit et habito cum archiepiscopo colloquio, archidiaconum quem captum tenebat, reddidit. Postea vero in præsentia archiepiscopi et omnium canonicorum satisfacturus ad matrem suam Ecclesiam quam offenderat humiliter venit, primum pro compositione sacrilegii obsides secundum morem patriæ dedit, deinde pro humilitatis exhibitione seipsum in potestate archiepiscopi et omnium canonicorum, quasi captum humiliter obtulit. Tunc vero ad ampliorem satisfactionem dominus archiepiscopus cum universo conventu comitem ipsum dominio et potestati archidiaconi tradidit; ipse etiam consul, ne amplius tale quid committeret, coram omnibus jurejurando firmavit. Restabat etiam inter eos quoddam indiscussum negotium de hominibus creationis, quos prædictus comes inter Uliam et Tamarim requirebat; unde non tantum inter eos, sed inter eorum prædecessores, odiosa contentio sæpissime fuerat: illa etiam causa, ut aiunt, præcipua exstitit, quare episcopus dominus Gudesteus quorumdam violentorum manu apud Iriam peremptus fuit. Multi etiam nobiles, propter eamdem causam truncati, sive ferro perempti damnum corporis et pecuniæ detrimentum passi sunt, et ne tanti odii seminarium amplius pullularet, dominus archiepiscopus contentionem illam penitus diffinire volens canonicorum consilio et regis assensu villam quamdam, quæ Lubre vocatur, prædicto comiti tali tenore concessit, ut nec ipse, nec aliquis de ipsius cognatione, vel ejus hæres creationem illam, sive ejus jus, sive etiam hæreditatem præter villam Savardes cum hominibus in honore B. Jacobi ulterius exigeret. Hoc autem concambium legitimo scripto et robore regio in perpetuum firmatum est (176).

CAPUT XXXVIII.

Pontificis et antipapæ epistolæ.

Tunc temporis vero dum illa supradicta gererentur, schisma quod in Ecclesia Dei jam diu pullulaverat, nullatenus deflexerat, sed de malo in pejus incrementum susceperat. Petrus namque Leonis, Rogerii ducis favore, partim superba sui generis potestate, primæ sedis cathedram obtinens, multimoda verborum compositione causæ suæ justitiam arguere conabatur. Alter vero Innocentius, ab Urbe violenter expulsus. Pisis habitans, adversarii partem attenuare, et suam verisimiliter approbare non desistebat. Uterque autem partem suam tueri contendens, domino Didaco Compostellano archiepiscopo, qui tunc temporis B pro repellenda Saracenorum rabie apud castrum Honestum cum magno exercitu militum, et infinito numero peditum manebat, hujusmodi litteras diversis nuntiis, quorum alter de altero ignorabat, eodem die simul delegaverunt.

« Innocentius episcopus, etc.

« De prudentia et honestate tua, » etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1143.

« Anacletus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Didaco B. Jacobi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Propter nimiam charitatis dilectionem, qua personam tuam diligimus et ab ea vicissim diligi nihilominus credimus, sedis apostolicæ litteras tibi jam frequentius destinavimus, fiduciam de te talem habentes, quod et tuis nos sæpius epistolis et nun- C tiis visitare deberes. Verum, tu frater in Christo charissime, nescimus quo torpore detentus nulla a te aliquando suscipere rescripta meruimus. Proinde nos, licet in his plurimum admirantes aliquantulum doleamus, non tamen desistimus quin et iterato te nostris litteris visitemus, et de his quæ penes nos acta sunt vel aguntur, certiorem reddamus. Siquidem post discessum Lotharii, quem, sicut jam te credimus accepisse, divina nobis virtute cooperante non sine multa strage suorum ignominiose satis ac turpiter redire coegimus, hæresiarcha G. (177), quem intra perjurorum nostrorum domos in primo factionis suæ nido intrusit, clero in eum et populo reclamante quoniam in Urbe manere non potuit, navigio Pisas de nocte confugit, ibi vivens utcunque miserrime D latitat; nos per Dei gratiam cum fratribus et filiis nostris episcopis, presbyteris ac diaconibus cardinalibus, clero Urbis universo et populo, qui nobis, sicut ab initio fecit, individua charitate cohæret, sani et prosperi sumus, solemnitates paschales antiqua prædecessorum nostrorum consuetudine, in Lateranensi palatio, cum omnibus civitatis nostræ patritiis cum aliis anni festivitatibus quiete ac pacifice, honorifice ac devote peregimus; basilicas S. Joannis et S. Pauli apostoli cum quibusdam munitiunculis aliis quas in adventu Lotharii inimici nostri

(176) Exstat infra hac de re scriptura, cap. 40.

(177) Gregorius ante vocabatur Innocentius.

invaserant, et de quibus multum gloriabantur nuper recepimus, et in potestate nostra tenemus: illos perjuros nostros Leofraiapane et unum fratrem ejusdem (qui tertius promptiose ad omne flagitium audacissimus, cum viris bellicosis fere numero sexaginta sub ruina cujusdam ecclesiæ campanarii, quod de nocte suffoderant, obrutus est et exstinctus) fidelium nostrorum præcipue charissimi filii nostri R. Siciliæ regis auxilio de medio Ecclesiæ per Dei gratiam funditus exstirpare disponimus; nam ita eos inclusos viriliter obsidemus, qui aut se de proximo nostris manibus reddet, aut, sicut jam diximus, radicitus interibunt. In his igitur omnibus, dilectissime frater, largitori bonorum omnium Domino nobiscum pariter grates dignas exsolvens, et inimicorum mendacia pro data tibi sapientia respuens, Deum omnipotentem exores, ut imperfectum nostrum videant oculi nostri, et statum tuum et bonam quam erga nos voluntatem et animum geris, tuis ad nos missis, et per latorem præsentium frequentes epistolis, et per alios nuntios dirigas, ne, juxta dictum Apostoli, magis diligere quam diligi videamur. Datum Laterani x Kal. Maii. »

CAPUT XXXIX.

De captione Bernaldi et decani et de solutione eorum.

Notum et quampluribus manifestum est domnum Didacum Compostellanæ sedis archiepiscopum, Bernaldum et Petrum Heliæ a puero magna cum diligentia nutrivisse et erudivisse, et eos tantæ dilectionis gratia amplecti, quod altero, scilicet Bernaldo, adjunctis multis utilibus et honestis Ecclesiæ B. Jacobi beneficiis et honoribus, thesaurario constituto, alterum vero, Petrum scilicet Heliæ, et archidiaconum, prædictæ Ecclesiæ ex insperato ordinavit decanum; sed, ut paucis multa restringantur, talem erga eos exhibuit dilectionis affectum, quod quidquid facturus vel dicturus esset, eorum specialiter consilio et arbitrio committere festinabat. Bernaldo etiam quem præ aliis mirabiliter diligebat, cancellariam, consilium, familiaritatem, pariter et amorem regis domini A., comitum quoque et ejus principum contulit honorifice ut haberet, spiritualis veluti confidens spirituali pater in filio; prædicto etenim archiepiscopo tanta ab omnipotenti Deo erat collata potestas, quod et capellaniam et cancellariam regis sibi possidendam obtinebat, et de omni curiæ clericatu pro velle suo ordinabat. Qui cum in tanto dignitatis et honoris culmine se esse conspicerent, flatu superbiæ tumescentes, quibusdam machinationibus decanus in urbe, Bernaldus in regis curia, ambo consanguinei, omnibus quibuscunque poterant modis quædam contraria et inconvenientia de eo latenter machinati sunt, jam contra eum elationis colla crebro erigentes.

Ut autem archiepiscopo tam exsecrabile machinamenti facinus paulatim pullulando conjecturali manifestatione innotuit, graviter toleravit, eorum potius stultis et inanibus condolens opinionibus. Quibus cognitis, et sæpissime animo revolutis, quotidie spe-

A cidebat, considerans eos tam honestissimi nutrimenti et accepti beneficii memoria ad emendationem, et correctionem leviter revocari. Sed quia diabolica versutia homini ad suadendum blandiri non desinit, eorum (proh dolor!) frequentius ac manifestius excrevit superbia. His itaque gestis, contigit archiepiscopum ad regem cum eo de quibusdam, quæ sibi emerserant, tractaturum Carrionem ivisse, ibique Bernaldo consulendo præcepisse ut cancellariam, quam ei pro fidelitate et servitio tenendam dederat, sibi sine dilatione præberet, et ad Ecclesiam B. Jacobi, quæ eum nutriverat et honoraverat regressus, omnipotenti Deo et præfato apostolo cum cæteris personis fideliter servire studeret; hoc enim modo et cordis ejus abscondita et fidelitatis debita jam
B penitus patefieri cupiebat. Bernaldus vero, malæ opinionis conscius et tantæ fraudis ut erat commentor, hoc audiens tristissime tulit, et ab eo inducias ad accipiendum consilium quid inde facturus esset, postulavit; jam aperte demonstrans quod postea rei eventus experimento veritatis comprobavit. Interea trium dierum induciis habitis notos et amicos suos summopere rogitavit, ut eorum consilio et auxilio a rege impetraret, quod et cancellariam et omne quod sibi dederat archiepiscopus contra ejus velle possideret, soli Deo et regi gratiarum actiones relaturus: interventibus quorum rex aliquantulum assensum impertiens ad archiepiscopum duos legatos, Albertinum scilicet et Fernandum Joannidem, cum ex parte sua rogaturos continuo direxit, quatenus Bernaldo cancellariam non auferret, et eum quo melius
C amore dilexerat, deinde diligeret. Archiepiscopus vero, providæ ut erat scientiæ, subdolas Bernaldi machinationes aperte ac manifeste jam comperiens, eis hujusmodi dedisse perhibetur responsum, quod si regiæ placeret dignitati cancellariam quam Bernaldo tenendam commiserat reciperet, et de ea quod competens et honestum videretur juxta consilium et velle suum postea ordinaret. Rex vero videns archiepiscopum constantiæ ac rationis tramitem persequentem, se ad eum ire ad claustrum S. Zoyli ipso die promisit, Bernaldum ad satisfactionem et ad ejus amorem et servitium ducturum. Constituto igitur die rex comitibus ac principibus suis gloriose comitatus ad archiepiscopum sicut prædixerat venit, et eum benigne ac reverenter ad ratio-
D nem posuit, utpote cognoscere diligenter affectans, unde quod inter eumdem archiepiscopum et Bernaldum discordiæ seminarium esse videbatur, evenerat; ipse enim ordine consideratis quæ ab ipsa pueritia erga Bernaldum archiepiscopus exhibuerat, et quæ pro ejus amore sustulerat, non modicum mirabatur unde inter eos hujuscemodi dissensio tam inopine subrepserat.

Cui archiepiscopus, ipsum rei ordinem quo prædicta dissensio oriretur seriatim aperire volens, quædam sibi de Bernaldo non auribus præcipienda, nedum credenda, esse dicta monstravit. Quæ cum dulciter et sine scandalizatione experiri et eum ab

errrore ad viam salutis et emendationis reducere vellet, nullum tam utilem et sine offensa experientiæ et emendationis modum eligere arbitratus est, quod data in ejus manu cancellaria, ad Ecclesiam suam reversus Deo ejusque glorioso apostolo devota mente famularetur. Enimvero cum rex archiepiscopum tam juste ac rationabiliter locutum fuisse cognovit, Bernaldum seorsum duxit, et eum, ut rex postea confessus est, talibus fertur verbis convenisse: « Quanto dilectionis vinculo archiepiscopus te amplexus fuerit, quanto dudum amore educaverit, et quæ etiam erga te exhibuerit, et quæ pro te hucusque toleraverit, nullus Hispaniarum angulus ignorat. Quapropter justum et consequens est te ei semper humiliter obedire, et ab ejus servitio et fidelitate nunquam occasione aliqua velle animum removere. Eia, igitur ad prædictorum memoriam animum revocans, redi ad integrum et ad servitium et voluntatem ejus exsequendam, humilem et obedientem, ubicunque potueris, te præsenta; ego enim quod tanto et tam honesto viro liberaliter contuli, sine causa auferre, et te contra eum nullo modo valeo manutenere. » Bernaldus, undique se rationabiliter esse victum et quod pectore versabat multo aliter quam putaverat evenire cognoscens, cum rege ad concilium unde exierat, non modicum tristis reversus est, et dominum suum Compostellanum archiepiscopum in præsentia regis, ejusque comitum et baronum quindecim quoque Ecclesiæ B. Jacobi canonicorum, qui ibi aderant, illius honoris cancellariæ scilicet jure protinus investivit. Deinde archiepiscopus, sic juste et honorabiliter investitus, communicato fratrum suorum consilio, eidem Bernaldo prærogativam illam, cancellariam videlicet, ad tempus commisit, et sic controversiæ illius varietati pro velle suo finem imposuit.

De eodem.

Ita igitur de inimicis victoria et regis gratia habita, dominus Didacus, Compostellanus archiepiscopus, ad propria honestissime reversus est, Bernaldo et multis aliis suæ Ecclesiæ personis pulchre et alacriter secum redeuntibus. Rex interim sicut jam consilio suorum baronum disposuerat, cum magno et innumerabili comitatu principum, militum quoque, et peditum exercitu, super Saracenos in expeditionem iter suum imperialiter direxit. Qui deinde per singula reminiscens quæ Bernaldus contra dominum suum egisset, quibusdam ejusdem Bernaldi inimicis suggerentibus, pro justo et sibi nimis utili Bernaldum esse capiendum partim quia contra dominum suum graviter erraverat et superbierat, ut sui erroris et superbiæ pretium cognosceret, partim ut eum ab omni quod videbatur habere totaliter exspoliaret, quod ad effectum ductum iri quantocius optans, archiepiscopo quemdam suum principem et potestatem Fernandum Joannidem statim præmisit, ut Bernaldum sine dilatione capi, et omnem ejus pecuniam sibi præsentari faceret, prius tamen pro parte Ecclesiæ Honesti castello, et omnibus B. Jacobi honoribus, quos ipse habebat, cum sua integritate in manu domini archiepiscopi deditis. Huic etiam addidit quod, si quod inde archiepiscopo contrarium vel incommodum unquam accideret, ipse sufferret, et hujus rei quam fieri mandabat actor et concessor semper existeret, timens ne hac occasione inventa quod fieri jusserat, archiepiscopus facere negligeret. Quod cum archiepiscopo ostensum fuisset, moleste tulit, et illud se esse facturum omnino negavit. Rex autem videns quod fieri præceperat in nullo completum fuisse, tres nuntios singulis vicibus succedenter ad archiepiscopum misit, id ipsum quod prior dixerat et affirmaverat jam acrius et magis efficaciter dicentes et affirmantes. Quod licet audivisset et de eorum relatione jussum et velle regis sibi patenter innotuisset, tamen nihilominus quod pro priori misso fecerat Bernaldo, fecisse ostensus est. Non post longum denique temporis, rex videns quod fieri mandaverat nequaquam factum fuisse, nimia commotus ira, ad archiepiscopum iterum legatum, non longe post quos miserat, quintum remisit, jam non solummodo præcipiens, sed ei terribiliter quod subsequitur minans, hoc scilicet, quod nisi Bernaldum eo modo quo per nuntios suos quinquies ei jam insinuaverat, captum in custodia poneret, omnem ejusdem Bernaldi pecuniam usque ad novissimum quadrantem ex suo ipse persolveret, et aliud forsitan pejus incurrere non dubitaret. Ut autem archiepiscopus sibi et suæ Ecclesiæ magnum et sine remedio periculum et detrimentum cognovit imminere, nisi regiam protinus exsequeretur voluntatem, tristis tandem et nimis invitus Bernaldum et cum eo decanum ejus consanguineum capi, et eos captos honorifice et reverenter fecit custodiri. Notandum tamen decanum non alia de causa captum fuisse, licet latenter et in quibusdam manifeste multoties contra dominum suum egisset, nisi quod eo tempore civitas, quæ aliquantulum turbata erat, ejus consilio et machinatione magis turbaretur, et contra dominum archiepiscopum impetuose commoveretur. Postquam enim contra se nullum civium impetum de eorum captione ortum fuisse comperit, decanum protinus solvit, et eum honore et omnibus suis rebus integre et laudabiliter investivit.

Item de eodem.

Interea non multis evolutis diebus, dominum Guidonem Romanæ sedis cardinalem et legatum accidit Compostellam venisse, et archiepiscopum cum magna indignatione ad rationem posuisse, utpote scire volens cur tam iniquum et tam periculosum genus culpæ fieri permiserat, præsertim cum forma et exemplum aliis esse debuerat. Cui archiepiscopus hujus culpæ sicut erat expers, libera respondens fronte, id facti cujus a cardinali arguebatur, non suo, sed regis consilio et instinctu, sicut supradictum est, factum fuisse, et a nullo nisi ab eo emendari posse in præsentia cardinalis coram omnibus affirmavit. Denique utriusque partis sermonibus inter se

collatis ad regem se iturum promisit, et cum eo pro posse laborare ut Bernaldus a captione solveretur. Quod cum regi dixisset, et eum ut Bernaldum solvi mandaret multis precibus rogavisset, rex multum iratus jussit Bernaldum in manu Munionis Vallibriensis episcopi illico tradi, et fideliter custodiri affirmans nec per archiepiscopum, nec per cardinalem, nec per aliquem alium nisi per se ipsum unquam solutum iri; ipse enim turpe et inhonestum putabat rogatu et precibus alterius illum esse solvendum, nisi sola sui gratia qui eum capi jusserat. Ubi autem jussum et velle regis ita sicut ipse præceperat factum fuit, non longe post a præfato cardinali Legione concilium celebratum est, et in eo judicatum quatenus dominus archiepiscopus Bernaldum omnibus quæ in captione amiserat investiret, et sic investitum pro canonico et clerico suo juste et canonice in ecclesia sua judicaret. Quod cum simul ac velut judicatum et laudatum fuerat, archiepiscopus ad plenum complevisset, licet omnem Bernaldi pecuniam, quæ ei ablata fuerat, rex callide et ingeniose habuisset, tamen sicut pius et misericors Pater Bernaldum sibi reconciliavit, et omnibus illis quibus secundum præceptum cardinalis et ejus concilii investiri debuit, eum fideliter ac irreprehensibiliter integravit. Hujus denique rei sic fine habito, omnis controversiæ varietas omnisque discordia, atque contentio quæ inter eos fuerat, ut supradictum est, ita sedata atque sopita est, ut etiam ipse Bernaldus nullum post Deum patrem ac dominum sibi cognosceret et affirmaret, nisi dominum Didacum Compostellanum archiepiscopum, utpote ad memoriam reducens omnia quæ sibi a pueritia archiepiscopus exhibuerat beneficia.

CAPUT XL.

Charta contramutationis.

« Ego Fernandus comes, filius comitis domini Petri Froylazi, et dominæ Urracæ Froylazi (178), et omnis vox mea, vobis domino Didaco Compostellanæ sedis archiepiscopo, et clericis et canonicis ejusdem ecclesiæ facio scripturam commutationis et textum firmitatis et cambiationis de mea portione ecclesiæ S. Mariæ de Transmonte, etiam et de alia portione S. Pelagii de Lenes, unde jam habetis aliam portionem de sorore mea Enxemena Petrizi, quam pro remedio animæ suæ B. Jacobo apostolo dedit, quam siquiuem prædictam nostram octavam cum omuibus adjunctionibus earum ubicunque invenire potueritis per omnes suos antiquos terminos, et cum omni creatione in Transmonte, et in Amæa, et in Valeyron, et in terra de Nogia, et in Navaria, et in Pistomarchos, et de Sto. Jacobo usque ad mare, quam habeo de successione matris meæ dominæ Urracæ, et de avo meo comite domino Froyla Arias, et de atavo meo Arias Tedonzi, et divisi cum fratribus meis Veremudo Petrici, et comitissa domna Lupa, et cum sobrino meo Sancio Sanchizi, qui acceperunt suas portiones, et divisiones in aliis terris, et ego solus accepi totam istam; et modo coram omni concilio præsentibus illis concambio vobiscum et contramuto ab omni integritate pro villa vestra propria et hæreditate vocata S. Eolalia de Lubre, et S. Tyrso, et S. Marina, et S. Petro de Cerzales cum omnibus adjunctionibus et appendiciis suis, præter L. homines villanos utriusque sexus quos mibi retineo ad populandum illam meam villam Savardes. Ab hac præsenti die et deinceps habeatis, possideatis et omne velle vestrum de his omnibus quæ vobis do faciatis vos et omnes successores vestri in perpetuum. Si quis autem, quod fieri minime credo, contra hanc scripturam commutationis et textum concamblationis ad irrumpendum venerit, vel venero, quisquis fuerit, pariat vel pariam vobis, archiepiscopo domno Didaco et clericis ac canonicis ejusdem Ecclesiæ, vel voci vestræ eamdem hæreditatem et creationem duplatam vel triplatam, et sit excommunicatus, et maledictus, et exsolvat vobis vel voci vestræ X auri talenta, et hoc meum factum semper sit firmum. Facta chartula commutationis III Nonas Octobris æra I. C. LXXII. Ego Fernandus comes, quod sponte do et contramuto et concambio, proprio robore confirmo. Comes domnus Munio Pelaizi confirmo. Comitissa domna Lupa Petrici conf. Veremundus Petrici conf. Sancius Sanchizi conf. Urraca Petrici conf. Comitissa domna Geloyra Petrici conf. Ilduara Petrici conf. Abbas dominus Suarius de Cinis conf. Abbas dominus Martinus de Moyrame conf. Petrus Gutierrici confirmo. Joannes Gutierrici conf. Froyla Atanici conf. Sarracenus Munizi conf. Arias Munizi conf. Gunsalus Menindici conf. Rudericus abbas monasterii de Antealtaris conf. Petrus abbas monasterii S. Martini conf. Joannes abbas monasterii S. Petri de Foris conf. Petrus abbas de Monsontio conf. Veremundus Vallibriensis archidiaconus conf. Gunsalus prior de Nemenio conf. Aloitus abbas de Villar Romazi conf. »

Hoc est placitum super scripturas et colmelos S. Mariæ de Transmonte.

« Æra M. C. LXXII, et quot, XV Kal. Nov., ego comes Fernandus Petrici cum filiis et filiabus meis, et omnis vox mea vobis, domno Didaco, Dei gratia S. Jacobi archiepiscopo, et clericis ejusdem ecclesiæ vel voci vestræ, facio pactum et placitum firmissimum super scripturas et culmelos de S. Maria de Transmonte et de S. Pelagio de Lenes, etiam et de nostra creatione ibi in Transmonte, et in Amaea, et in Valeyron, et in S. Christina de Noya, et de Pistomarchos, et de S. Jacobo usque ad mare, quæ mihi evenerunt in divisione, partitioneque inter meos fratres et sorores, quos vobiscum contramutavi et concambiavi pro hæreditate et ecclesiis et creatione de Lubre præter L. villanos quos mihi reservo ad populandum meam villam de Savardes, unde damus vobis illas scripturas quas habemus, et desuper facio hoc placitum, ut si magis invenire

(178) Prima uxor comitis Petri de Trava.

potuero dem vobis fideliter, et si invenire non potuero, et in aliquo tempore inventæ fuerint, aut vobis dentur, aut invalidæ contra vos habeantur et sine robore consistant : quod si mentiosus fuero et placitum non complevero, pariam vobis vel voci vestræ quod in contentione misero duplatum, et desuper x talenta auri ; hoc scriptum semper sit firmum. Ego comes Fernandus et omnis vox mea hoc meum factum conf. Petrus Gutierrizi conf. Sancius Sanchizi conf. Comes Munius conf. Comitissa domna Lupa Petrici conf. Veremundus Petrici conf. Suarius abbas Ciniensis monasterii conf. »

De Petro Infantione.

Juxta idem igitur tempus domnus Compostellanus quamdam portionem Ecclesiæ S. Mariæ de Transmonte, videlicet de duabus partibus quartæ vi, integram ad Dei et suæ Ecclesiæ honorem a Petro Intanzone, tunc temporis ituro Jerosolymam, provide et sagaciter impetravit, et pro confirmanda testamenti donatione III marcas puri argenti ei in robore charitative et alacriter concessit, sub æra M. C. LXXII II. ql. VIII Kal. Decembris.

CAPUT XLI.

De morte Bernaldi.

Pacificato itaque Compostellano archiepiscopo cum Bernaldo, et finitis inter se universis culparum odiis, post omnia quæ Bernaldo fuerant, sicut paulo jam superius memoravimus, juri suo restituta et fideliter integra, statim ipse Campanias inauspicato intravit partes, et flatu superbiæ sicut prius tumens dominum Compostellanum omnibus modis occulte iterum adversabatur et impugnabat ; sed tamen omnia quæ Bernaldus de archiepiscopi odio ferebat, procul dubio omnes falsa et non vera esse æstimabant. Cumque celeri cursu Burgos venisset, adhuc erga archiepiscopum corde turbatus, in eadem civitate divino interveniente judicio (proh dolor !) mortis debitum persolvit.

CAPUT XLII.

Dominus Compostellanus tunc temporis misit nuntios suos Romam ; et has litteras domino Compostellano inde detulerunt.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Quia filius pius, » etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1143.

CAPUT XLIII.

Hæ sunt litteræ Salmanticensis electi ad dominum Compostellanum.

« Reverendissimo domino suo, Didaco Compostellano archiepiscopo, Berengarius archidiaconus et imperatoris cancellarius, salutem et obedientiam.

« Notum sit paternitati vestræ, me a Salmanticensi clero et populo honorabiliter susceptum, et juste canoniceque electum fuisse, præsente archiepiscopo Toletano cum duobus episcopis, Segoviensi scilicet ac Scemorensi, quos mecum imperator illuc miserat. Restat igitur ut die certo ad vos veniam ordinandus et consecrandus, aut si forte negotio aliquo exigente ad partes nostras appropinquavetis, litteris vestris mihi notificare curetis. Valete. »

Hæ sunt litteræ cleri et populi Salmanticensis Ecclesiæ ad Compostellanum destinatæ.

« Reverendissimo domino suo, Didaco Compostellano archiepiscopo, clerici Salmanticenses et populus, salutem. »

« Ne vestram lateat quod modo fecimus prudentiam, vobis notificare rectum esse duximus nos dominum Berengarium, archidiaconum et imperatoris cancellarium, elegisse juste et canonice, quem nobis imperator misit cum Toletano archiepiscopo et duobus episcopis, Segoviensi scilicet et Scemorensi. Istud autem idcirco fecimus, quoniam ille Petrus in electione sua minime confidere ausus defecit. Eum denique Ecclesiæ regendæ inutilem prorsus esse cognovimus ; in cujus quoque Berengarii justam electionem jam pridem omnes concordes fuimus, et Legionem ipsum imperatori, cardinali, Toletano archiepiscopo petivimus, quem concessum nobis illi tradiderunt. Sed quod comitis Petri Lupi timore tunc ausi non fuimus, modo miserante divina pietate perfecimus. Hunc igitur vestræ mittimus paternitati, quatenus ipsum benigne suscipiendo ordinetis et consecretis. Valete. »

Litteræ Toletani ad Compostellanum.

Reverendo, utinam propitio R., primas Hispaniarum, Toletanæ sedis archiepiscopus, cum coepiscopis P. Segoviensi et B. Zamorensi, domino Didaco Compostellano metropolitæ, salutem et dilectionem.

« Quid actum sit in vestra Salmanticensi Ecclesia sub testimonio et præsentia nostri, qualiter post suam tam longam miserabilem viduitatem, eam visitavit Oriens ex alto, rectum esse duximus vestræ dilectioni significari ; quippe cum vestræ specialis suffraganeæ tam necessario proventui specialius vos oporteat congratulari. Scitote itaque quia nulla interpretatione verborum satis vobis exprimere possumus in quanta calamitate, sub qua gemebunda oppressione invenimus illam vestram Ecclesiam, cum venissemus ad eam, delegati ab imperatore, qui, auditis tot et tantis incommoditatibus illius Ecclesiæ misit nos ad urbem cum electo Berengario, quem ibi Salmanticenses elegerant in urbe Legionensi per electos nuntios, scilicet per archidiaconem, per priorem et archiscolam, et cum consensu imperatoris, et cum assensu G. [Guidonis] Romani legati. Suscepto illo a me cujus archidiaconus erat, adduximus electum ad urbem. Susceperunt cum honorifice prædicti electores, et totum Salmanticense concilium cum hymno Ambrosiano perducentes eum ad altare, excepto quodam homine absolute simplici, tali, qualem modo vobis exponere non quærimus, et exceptis quibusdam perpaucis complicibus illius, qui cum sub umbra et imagine cujusdam pervasoriæ et sacrilegæ electionis incathedraverant, ut sub tali occasione bona et patrimonium ecclesiæ possiderent; sed, Deo gratias! prævaluit major et sanior numerus, ne dicamus pars, quia si affuissetis, quod nos maxime optaremus, totam civitatem integraliter concor-

dare videretis. Insuper quamvis cognovissemus illam laicalem et imaginariam electionem omnino umbram esse et falsitatem, tamen ut satisfaceremus intrusoribus laicis, et absolute simplici intruso præsentavimus ei judicium in vestra vel in Romana curia. Cumque ipse in priori conventu respondisset se ad audientiam egressurum, qui per annum et eo amplius se occultaverat, ad ultimum tamen penitus defecit. Quod cum vidissent clerus et cives, illo reprobato, susceperunt istum quem elegerant. Unde nos qui rem totum ex toto cognovimus, vestræ consulimus dilectioni, ut istum suscipiatis et, quæ nobis incumbit necessitas, ordinetis et consecretis. Valete. Sigillo Scemorensis signavimus has litteras, quia non habebamus ibi nostrum. »

Litteræ imperatoris ad archiepiscopum destinatæ.

« A., Dei gratia Hispaniarum imperator, venerabili Patri domino Didaco Compostellano archiepiscopo, sic occupatione detineri Marthæ, ut possit orationi vacare Mariæ.

« Audistis sæpissime Salmanticensis Ecclesiæ et diuturnam oppressionem et calamitosam proprii pastoris viduationem, quod non aliorum quam mea ac vestra certum est contigisse negligentia. Concilio enim Legionensi cleri Salmaticensis et populi elegantiores aliorum consensu domnum Berengarium archidiaconum, Ecclesiæ suæ rectorem, mihi cardinali, et Toletano archiepiscopo obnixe petiverunt : quem nos ipsis libenti animo concessimus. Quia vero plenariam res tunc efficaciam non habuit, impediente comite P. Lupo, tandem miserandum illius Ecclesiæ quam pater meus ædificaverat clamorem perferre amplius minime valens, prædictum Berengarium familiarem, ut nostis, et cancellarium meum Salmanticam misi, virum honestum ac discretum, cujus quoque reformandæ et regendæ Ecclesiæ, ut ex ipsius indole perpendi poterat, utilem. Eum igitur a Salmanticensibus juste et canonice electum vestræ mitto discretioni ordinandum et consecrandum. Vos autem quis et a quo mittatur considerando, ipsum benigne et honorabiliter suscipiatis, et honorabilius remittatis, quoniam eum in collegio vestro manere modicum gaudere non debetis. »

Hæc sunt nomina episcoporum subscripta qui in ejus consecratione in ecclesia B. Jacobi tunc temporis interfuerunt cum domino. Didaco archiepiscopo : G. Lucensis, P. Tudensis, Enuecone Abilensis, B. Cemorensis.

Hoc est juramentum quod ipse fecit super altare B. Jacobi.

« Ego Berengarius, sanctæ Salmanticensis Ecclesiæ ordinandus episcopus, subjectionem et reverentiam et obedientiam a SS. Patribus constitutam secundum præcepta canonum Ecclesiæ B. Jacobi rectoribusque ejus in præsentia domini archiepiscopi D. perpetuo me exhibiturum promitto et super sanctum altare propria manu confirmo.

CAPUT XLIV.

De tabula retro altaris facta.

Dominus Compostellanus, honorem suæ Ecclesiæ summa intentione augere et decorare, tam in prosperitate quam in adversitate, volens, quamdam retro altaris B. Jacobi tabulam, pretiosam et optime antiquitatibus laboratam, cujus opus materiam superabat, sicut alia ornamenta, prius eidem Ecclesiæ contulerat ; eodem tempore mirabiliter incœpit, et multo mirabilius consummavit.

CAPUT XLV.

Litteræ Roma destinatæ Compostellano archiepiscopo (179).

« Innocentius episcopus, etc.

« Noverit tua dilectio, etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1143.

Litteræ cardinalis Roma Compostellano arch. destinatæ.

« Go [Guido] sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis diaconus, apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri et amico Didaco Compostellano, salutem.

« Quam frequenter et quam devote P. Fulco Ecclesiæ B. Jacobi capellanus sicut bonus et utilis filius pro tuo servitio laboraverit, et nos aperte cognoscimus, et tu per exhibitionem operis potuisti plenius experiri. Quia igitur ratio postulat ut qui gratum alicui impendit obsequium, dignum ab eo percipiat beneficium, dilectionem tuam rogamus, quatenus eumdem P. quia (*cætera desiderantur*). »

CAPUT XLV.

De conspiratione facta.

Inter cætera incommoda, sive adversa, quæ in suis pastoribus Deo jugiter servientibus Compostellana pertulit Ecclesia, D. venerabilis memoriæ divina clementia archiepiscopus, moribus decoratus, necnon litteris ornatus, sustinuit plurima et maxime a xxx anno sui archiepiscopatus, et supra, quando omnia membra sua exhibebat Deo, justitiæ arma. Unde quidam philosophus : « Qui studiis improborum vivere conantur dissimiles, vix in mundo valent esse quieti et felices. » Hic itaque Ecclesiam suam adeo feliciter decoravit, et moribus instruxit, ut quanta luna stellis lucidior existit, tanto eam, præter Romanam universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis dominam et præter alias huic consimiles, in cunctis Dei gratia clarissime exaltavit necnon etiam canonicos, quos sine bona morigeratione et omni sale sapientiæ conditos inveuit, incultas eorum mentes imbre doctrinæ rigavit, et quosdam sibi acquiescentes doctrina et operatione conspicuos divina clementia reddidit. Hæc autem incommoda, sive adversa, prædicto archiepiscopo illata, idcirco memoriæ et litteris mandavit, ut quoniam perire fragili poterant memoria, vivaci conserventur littera, et successores sollicite sibi caveant, quia secundum Gregorium (180), » minus feriunt jacula quæ ante sunt prævisa. »

(179) Die 27 dec. 1135.

(180) S. Gregor. Hom. in Evang. l. II, hom. 35, Patrol. tom. LXXVI.

Non manet ambiguum, imo plerisque declaratum, eo quod quidam canonicorum simili zelo seducti patriarcharum contra fratrem suum, velut contra Christum, prædictum egregium archipræsulem dominum eorum et patrem spiritualem deponere, nulla exigente ratione, machinati sunt. Hi autem non de quibuslibet canonicorum fuerunt, verum hi præcipue quos Pater veneranda memoriæ pro filiis adoptaverat, et adeo honoribus ac dignitatibus provexerat, quod in prosperitate temporali nemo eis sui ordinis in Hispania æquipollebat. De his procul dubio credebatur quod nulla unquam adesset status humani mutabilitas, nulla temporis, licet prolixi, adesset diuturnitas, per quam memoria eorum ejus excideret benignitas; sed velut una ovis morbida contaminat gregem, sic pravi consiliis et nefandis minorum canonicorum fere corrumpunt societatem; et quoniam hæc quæ sub lingua dolose volvebant, satagere et perficere non poterant, allicientes blandis et fraudulentis verbis magnam partem civium, more sirenum, « adversus dominum et Christum » ritu judæorum et gentium « in unum convenerunt (*Psal.* II, 2), » ut quod ii majores consilio disposuerunt, cives effectu consummarent. Et sicut in Christi Jesu proditione sacerdotes et Judæi consilio præcesserunt, et post gentes consilium consummaverunt quia Pharisæi gladio linguæ dominum hora tertia crucifixerunt, et gentes opere hora VI, sic illi majores muneribus et consilio præcesserunt, et cives facto peregerunt, quod postea rei probavit exitus, sicut seriatim dicetur in sequentibus. Tunc pristina jura, et rectas institutiones subvertentes, legesque voluntarias urbi imponentes, quemdam civitatis villicum admonuerunt, ut quod suum erat, et justo judicio datum, non acciperet, nisi illi communi consilio decrevissent, et in unoquoque die Veneris ad ecclesiam, auctarium puldrorum (181) antiquitus vocitatam, armata manu euntes, cum diversis telorum generibus, reos innoxios censentes vivificabant, et colla innocentium premebant. Hoc autem ideo faciebant, quoniam sic juramento concatenati erant, ut non solum capitalem sententiam villicum subire fecissent, verum etiam dominum et Patrem reverendum, secundum conspirationem adversus eum factam, unanimiter lapidarent. Post hæc juramentum in platea palatii invitum et omnibus modis resistentem coegerunt, ut decreta sua et voluntarias eorum leges non frangeret, et in tempore suo manenda firmaret, data conditione ut si cives jura et omnia sibi pertinentia violenter retinerent, bina vel terna advocatione archiepiscopi in concilio facta, nisi se emendarent, perjurium et corporis damnum incurrerent, et omnia quæ eum decebant villicus ejus sine advocatione exigeret; et e converso, si summus pontifex juramentum scriptum non servaret, et quæ eorum essent retinere, vinculis perjurii non careret. Summus autem pontifex, juramentum omnimodo custodiens, a perjurio exstitit immunis; et illi perjurii sunt colligati vinculis, quoniam non pluribus decursis temporibus sua jura ac debita deinceps, sicut prius, retinuerunt, et sacramentum juramenti datum fregerunt, et sic in deterius, exigentibus meritis, juste inciderunt, sicut dicit Scriptura: « Qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII); » quos Pater clementissimus, ut decet bonum pastorem lucris animarum inhiantem, decies ac vigesies in concilio advocavit, atque ad rationem posuit, ut tanti juramenti memores essent, et sua ei, sicut juraverant non denegarent: ipsi autem non tantummodo sua retinuerunt, verum etiam juramentum frangentes difficillime peccaverunt. Quid plura? Archiepiscopali nomine signatus erat, sed honore alienus manebat.

His demum peractis celeriter ad imperatorem euntes occulte cum eo colloquium habuerunt et quod horrendum est cogitatione, nedum admirandum actione! immensa munera, scilicet tres mille marcas argenti, imperatori fraudulenter voverunt, ut pater illustrissimus et multorum indigentium baculus, honorem amitteret et perpetuo exsilio relegaretur. Quo audito imperator succensus plurimo auri argentique metallo, accersitis optimatibus et curiæ suæ comitibus, de ejus abjectione et honoris privatione qualiter et quo modo, et quibus auxiliis eum expellere posset, diu sollicite tractavit. Tunc comites et episcopi præsentes imperatori consuluerunt ut pro cardinale, scilicet Guidone nomine, legato Romanæ Ecclesiæ, quem jam bene noverat, et nondum biennio transacto (182) Hispaniam visitaverat, et cui non erat cordi in partes Hispaniæ præ decem annorum decursum venire, sine mora, et remota omni occasione, dirigeret. His perectis, cardinalis, apostolico suggerente, jussu imperatoris veniens, occidentalem Ecclesiam visitavit. Quem imperator in curia sua honeste suscepit et de honoris exspoliatione et fraudulenta archiepiscopi depositione convocatis curiæ suæ familiaribus sedule tractavit, et noctibus atque diebus longum consilium cum cardinali duxit. Tunc cardinalis, perpendens intra se hoc negotium fieri juste non posse, nisi apostolico præcipiente et faventibus majoribus Romanæ curiæ, dixit quod in tantam et tam honestam personam non auderet manum mittere, quoniam nullam causam depositionis dignam adhuc invenerat; et licet inveniret, papa ignorante, sibi commissum non erat. Hoc audiens imperator moleste sustulit, et cum cardinale consiliatus fuit, ut quemdam suum clericum facundum, Boso nomine nuncupatum, apostolico et suis notum Romam dirigeret, et circa consilium papæ super hoc negotio faceret. Quo audito imperator, licet eum piguit, sermoni ejus acquievit, et ut cardinalis dixerat sic fieri collaudavit. Interim imperator cardinali intimavit, ut donec Boso Roma rediret, universas Hispaniæ Ecclesias peragraret, et pastores, regimen animarum tenentes, ut interes-

(181) Vide col. 909, not. 40.
(182) Scilicet anno 1134, ut cap. 39, num. 5, patet.

A sent concilio admoneret. Cujus consilio cardinalis assensum præbuit, et pontificatus atque archiepiscopatus, necnon et abbatias circumire cœpit, et post Compostellam cum magna pompa et longo ordine famulorum intravit; ibique xv dierum spatio mansit, et archiepiscopus serenissimæ memoriæ dignus et innumeris epulis et regalibus ferculis eum humiliter et cum magna reverentia procuravit. Quidam autem canonici, spurcissimis cogitationiqus pleni, et edaci livore perculsi, adeo auribus cardinalis diu noctuque super archiepiscopo susurrabant, quod vix legatum Romanæ Ecclesiæ sumere cibum sinebant, et omnes amici archiepiscopi stupebant quid hæc tanta consilia tam diutina portendebant.

CAPUT XLVII.

De violata ecclesia.

B Interea abeunte cardinali, quidam laici consilio quorumdam canonicorum provocati, quos inter cæteros canonicos dignitatibus et honoribus, ut prædictum est, adornaverat, et ut filios charissimos reputabat, qui jam conspirationem diu meditatam adversus archiepiscopum fecerant, cum jam amplius pestiferum consilium a præfatis canonicis exortum celare non possent, quod non sine magna proditione abominabiliter consiliati fuerunt, abominabilibus operis eructaverunt, et posteris et successoribus nefandum exemplum reliquerunt, et in hæreditatem Dei, scilicet in ecclesiam B. Jacobi venerunt, et sicut dicit David, templum Dei violando polluerunt (*Psal.* LXXVIII, 1) et qui deberent esse C ecclesiæ excubatores atque defensores, facti sunt ejus destructores atque invasores. Quadam enim die dum præfatus Pater gravatus ægritudine et senio, finito prandio sub quarto Idus mensis Augusti in æra ICLXXIV (183), in lecto secundum morem quiesceret, Villielmus Siginides, hujus proditionis maximus incentor, existimans quod dormiendo liberius eum ignorantem cum aliis nefandis suffocare posset, nec in civitate esset qui factæ conjurationi resisteret, coadunata epulonum et glutonum et ebriorum immanitate, et magna civium parte, armata manu insimul cum omnibus aliis cum jaculis, fustibus, et gladiis, et innumeris telis venit per medium civitatis, et intravit in ecclesiam fulminando, et lingua et manu terrendo. Quidam autem ca-D nonicorum, ignorantes ad quid armata manu venirent, et ad quid faciendum anhelarent, perturbati tanto strepitu venientium, et impetu armatorum, quosdam eorum interrogaverunt, et respondentes dixerunt quoniam congregati fuerant ut curiam archiepiscopi violenter invaderent, et eum dormientem et suæ perniciei ignorantem lapidarent, et omnes sibi faventes in ore gladii perderent, et domos faventium funditus diruerent.

Tunc quidam, repente veniens, illum a somno excitavit, et corpus suum esse dilacerandum et gladiis secandum, ni evaderet, nuntiavit. At ille, animadvertens illos carnifices et sanguinem suum sitientes nunquam lassari, omnibus modis eis profuisse, non tantummodo nuntianti credere noluit, verum etiam verbis redarguit. Iterum alter anhelando venit, et sermonem priori similem narravit. Quo dicto celeriter rediens januam post se claudi præcepit. Hunc redeuntem prædictus Villielmus, magni doli commentor nequissimus, ultra portam invenit, et crinibus ejus manus turpiter injiciens, caput clerici ordinati gladio percussit, et vulneratus et percussus vix præ manibus sese cædentium ad altare B. Jacobi aufugere potuit. Tunc ad januam palatii cum securibus et asciis, et ensibus et omni genere armorum accedentes, adeo impellendo et portam tundendo percusserunt, quod sudores ad instar fluminis manare cœperunt, nec ingredi unquam potuerunt. Unde non aliter adversus venerandum Patrem fremebant et dentibus stridebant quam leones, qui, longam famem patientes, in cavernis clausi, et ferreis vinculis colligati, visis animalibus ululant, et carnibus animalium fauces replere desiderant. At ubi per inferiorem palatii portam ingredi non potuerunt, per ecclesiam B. Jacobi ascendentes, januas palatii superiores cum bipennis et ensibus fregerunt, et descendentes in domos soleratas, ita præpondere et armatorum multitudine tremendo sonuerunt solia, ut sonant fulgura et maxima cœli tonitrua. Tunc quidam canonicus, superna clementia allatus, vir et reverendus, archiepiscopum admonuit ut fugam iniret, vel ad altare B. Jacobi apostoli confugeret, alioquin a carnificibus et ebriosis in eodem die acerrimum genus subiret. Quo audito, velociter exsurgens et strepitus pedum superius ambulantium audiens, canonico prædicto et aliis similia nuntiantibus fidem adhibuit, et ut in lecto procumbebat, tantummodo ejusdem canonici cappa coopertus, et manibus duorum canonicorum fultus abire cœpit invitus.

Illi autem ignominiosi, membra et esca diaboli facti, archiepiscopum abeuntem et fugientem per plateam videntes, omnes in soliis desuper stantes, unanimiter projecerunt in eum lapides, et usque ad altaris B. Jacobi introitum insecuti sunt senem venerandum cum densitate lapidum et multitudine saxorum. Cum tanta siquidem crudelitate et feroci asperitate lapides et saxa post archipræsulem gloriosum a manibus sceleratorum volabant, quod lapides chori B. Jacobi collidentes et frangentes, in arenam redigebant, quorum nefandorum unus in scapulis religiosum Patrem percussit, ictu cujus a manibus canonicorum sese deferentium lacrymabiliter cecidit. Quam celeriter plangendo elevantes ad

(183) Codices æram habent MCLXXV, anno 1137. Sed quæ præcedunt et sequuntur æræ favent I. CLXXIV, anno 1136, concilium quippe eo anno a cardinali indictum (*cap. præc.*) in eodem celebratum. De illo autem statim sermo cap. 49. Idem constat ex consecratione episc. Cæsaraugustani in eodem concil. facta (anno 1136).

altare B. Jacobi venerandum, ubi corpus ejus est reconditum, gloriosum et mirificum ubique terrarum, archiepiscopum detulerunt, eumque sub cimborio altaris ponentes, januas altaris firmiter clauserunt, ibique obsessus et clausus formidabat. Attamen in Dei misericordia sagaciter confidebat, quia non immemor illud Augustini, in armariolo cordis recondcrat: « Quidquid justis irrogatur ab iniquis, non est pœna criminis, sed examen virtutis; nam bonus est liber, licet serviat; malus est servus, licet voluntatem suam quandoque perficiat (184). »

De rapina indumentorum.

Inter hæc agendo quidam proditorum in cameram archiepiscopi descenderunt, et indumenta sua, et canonicorum cum eo manentium rapuerunt, et cæteri ad lapidandum archiepiscopum sub altare B. Jacobi perrexerunt; hoc autem factum citius ita complentes et manibus plaudentes, cordeque lætantes, ad portam altaris pervenerunt: postquam autem cum omnibus armis ante januas ferreas altaris cuncti congregati fuerunt, et invenientes portas obseratas et trabibus firmiter clausis, nullatenus ad altare ingredi potuerunt, furentes et dentibus stridentes, super opus ejusdem ecclesiæ ascenderunt, ut quem inferius occidere non potuerunt, lapides superius emittendo, in mortem præcipitarent; qui cum sub altari obsessus maneret, quidam burgenses, concordiam simulantes, de proditione sua se dolere ostendentes, clementissimum Patrem præmissis honestis canonicis qui cum eo in morte erant, ut ad portam veniret rogaverunt, ut colloquium de pacis tranquillitate et tanti belli sedatione cum eis haberet. Tunc archiepiscopus, interventu et consensu bonorum de morte sua dolentium ad portam veniens, colloquium cum eis habuit, et eos blando et mellifluo sermone rogavit, ut impetus proditorum et iras eorum quolibet modo mitigarent, et pacis concordiam penitus extorquerent. Archiepiscopus vero dum eos humiliter alloqueretur, quidam nefandorum dolose voluerunt eum occidere cum pugionibus et telis inter ferrea ostia altaris. Hoc archiepiscopus prævidens, inde celeriter redivit, et sub altari occultari voluit. Quem videntes nefandi redeuntem, superius in opere stantes, post eum lapides emiserunt, et auriculam venerandi senis percusserunt. Hoc peracto, refugium ad altare petiit, et inter pannos altaris, necnon ejus aræ plangendo et flendo, et amaros singultus emittendo sese occultavit. Quo occultato imbres lapidum ex unaquaque parte super archiepiscopum et altare, et in circuitu ejecerunt, et partem cimborii venerandi apostoli et ejusdem aræ et indumenta altaris fregerunt. In tempore hiemis, euro flante et borea comitante, non densiores atque spissiores guttæ aquæ funduntur, quam super altare et summum pontificem et cimborium lapides fundebantur. Illi autem qui cum archiepiscopo erant non habentes ubi latitarent et jactus et præcipitia lapidum ubi

A vitarent, cæterum corpus ictibus et verberibus exponebant, tantummodo capita occultabant. Nunquam Pater piissimus in circuitu altaris requiem habere poterat; ubique mors lapidum et saxorum aderat. Si quanta et cuncta vellem detegere, quanta fecerunt adversus archiepiscopum Villielmus proditor nefandus et multitudo perversorum, Deus est mihi testis quod non esset major textus Psalmorum et Actuum apostolorum. Quid aliud dicam? Sola Dei clementia, cunctis propitia, cum per quosdam canonicos de proditione sua mœstificatos protexit, et a manibus inimicorum eripuit, et gloriosi apostoli intercessio, cujus Ecclesiam a principio vitæ suæ dilexit, et pluribus modis competenter decoravit.

CAPUT XLVIII.

B *De evasione ecclesiæ, quando archiepiscopus evasit ab ecclesia.*

Interea magna pars civium, necnon etiam canonicorum, qui non consenserant consilio et actibus profanorum, in ecclesiam intraverunt, et unanimiter cum conjugatis et viduis amarissime super persecutione egregii pastoris flebant, et Deum, flexis genibus, plorantes atque pectora duriter percutientes, rogabant, ut eorum mansuetus pastor, et orphanorum et viduarum mirificus consolator, a manibus adversus eum insurgentium eriperetur, et a tanto impetu illæsus conservaretur. Quibus consummatis, bello et impetui lapidum, in circuitu altaris B. Jacobi desuper volantium, semetipsos deposito pavore opposuerunt, et carnificibus ejus sanguinem sitientibus lamentantes dixerunt quoniam hæc impietas super C eos redundaret, et divina providentia in semine eorum ultionem tam corporalem quam spiritualem exerceret. Hoc enim dixerat Dominus per prophetam: « Vindicabo peccata parentum in filios usque in tertiam et quartam generationem (*Exod.* xx, 5). » Tunc coacti planctu et mœrore canonicorum et civium, de morte patris sui dolentium, et mulierum ab intimo corde longa suspiria trahentium, et inviti et defessi, cessaverunt a jactu lapidum: et de opere B. Jacobi descendentes, et singultus et clamores per diversas partes ecclesiæ ab universis audientes, ab ecclesia exierunt, et fatigati de persecutione venerandi senis de victoria magni belli in domos suas redierunt, dolentes quia semivivum, et non occisum et frustatim divisum reliquerant, sicut apud se D dolose disposuerant, lætantes et exsultantes quia nemine resistente victoriam obtinuerant, et pene desideria sua perficientes impune in præsenti peccaverant, quod maxime ira Dei a sanctis reputatur, sicut Augustinus testatur: « Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua nutritur pœnalis impunitas, et velut hostis roboratur mala voluntas (185). » Postquam autem carnifices dentibus stridentes a domo Dei recesserunt, subito prædicti cives et eorum religiosæ conjuges cum quadam parte canonicorum ferreas portas altaris aperuerunt, et archiepiscopum

(184) S. August. Sentent. append. pars. III, 53, pag. 1863, Patrol. tom. XLV.

(185) S. August. Sent. append. pars. III, 42, pag. 1862, Patrol. tom. XLV.

in curiam suam honorifice deferentes et Deum magnificantes collaudaverunt, qui suum custodem a morte conservaverat, et inter multitudinem lapidantium exspirare non permiserat.

CAPUT XLIX.

De concilio Burgis celebrato.

In qua siquidem curia modico tempore a persecutione requievit, quoniam tempus generalis concilii appropinquabat. Quo instante quodam collegio canonicorum comitatus et omnibus majoribus suæ Ecclesiæ personis assumptis, honestius cæteris Hispaniæ episcopis ad præfinitum concilium Burgis celebrandum, infirmus et a scelerosis in altare sanctissimi apostoli lapidatus tetendit, ut contumelias sibi turpissime factas imperatori notificaret, et legatus S. R. E. una cum cæteris episcopis hos criminosos excommunicaret. In primo autem die concilii quidam canonicorum exsurgens et manu silentium indicens, super Villielmo et cæteris carnificibus ecclesiæ S. apostoli lapidatoribus lacrymabiliter proclamationem fecit, qui archiepiscopum senem reverendum, baculum clericorum, et pauperum plurimorum sustentatorem, circa corpus et altare gloriosi apostoli lapidaverant, et quosdam canonicorum vulneraverant, et aram altaris pariter cum parte cimborii fregerant. Proclamatione autem facta, archiepiscopi, pontifices et abbates, et clerici, et omnes comites cum militibus in concilio præsentes, de tanto scelere illato tantæ personæ graviter condoluerunt, et sine mora velociter coram imperatorem exsurrexerunt, et una cum legato Romanæ Ecclesiæ non tantum Villielmum hujus nequitiæ principium, et turbam iniquorum, excommunicaverunt, verum etiam quicunque eos pravis rationibus muniendo defenderent, aut cibum cum eis caperent, seu consortium haberent, vel in consulendo, vel quolibet modo adjuvando, nisi ad satisfactionem peccatorum prodessent; insuper hoc edictum nullo modo frangendum inter se constituerunt, ut licet quandoque pœnitere vellent, nisi præveniente morte nunquam ad satisfactionem recipere præsumerent, sed ut dicebat audientiam Romanam cum litteris Compostellani archiepiscopi de tanto crimine postularent. Postquam autem prohibitionem elevatis manibus et cæteris *Amen* respondentibus fecerunt, Villielmum seductorem nequissimum et suos impellendo, et excommunicando, a concilio turpissime expulerunt, et imperatori alacriter præceperunt, ut quod suum erat nullatenus facere declinaret, scilicet ut vindictam corporalem daret, et non surda aure sermonem S. Augustini attenderet: « Quod non valent sacerdotes corrigere rigore sermonum, hoc perficiant potentes severitate ultionum. » Præfatus autem Villielmus diabolica versutia præditus, cum quadam parte sacrilegorum lateri suo ubique cohærentium in concilio affuit, et ut se excommunicatum et sibi faventem populum, et insimul cum omnibus aliis expulsum turpiter perspexit, non se fecisse pœnituit, sed expers factus, peccavit deterius, de A quibus Salomon: « Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit (*Prov.* XVIII, 3), » sic et ipse post excommunicationem cœpit ampliora promittere, et in proposito proditionis genere intentius inhærere.

In sequenti vero die omnes secundum morem concilio interfuerunt, et similem excommunicationem, necnon etiam asperiorem de Villelmo et cæteris fecerunt. In eodem autem die finito concilio, ecce quidam pontifex, et prior Cluniacensis, fulgore scientiæ satis imbutus, et moribus decoratus, et personæ honestæ advenerunt, et quasdam litteras a Cluniacensi abbate delegatus, archiepiscopo ignorante, Romano cardinali occulte dederunt, ut, propter Cluniacensis cœnobii pastorem et ejus congre- B gationem archiepiscopum Compostellanum, dudum ad consortium eorum et orationibus et benefactis receptum, honestissime tractaret, et amore et eorum dilectione inter cæteros magnam reverentiam cum humilitate exhiberet, alioquin proclamationem super eo papæ faceret, si benevolentiam et obsequium non solito more exhiberet; et deinde alias litteras similem materiam continentes, archipræsule penitus nesciente, imperatori præbuerunt. Postquam autem imperator et cardinalis litteras sibi directas toto corde anxiati, et furore magno commoti legerunt, prædictus Boso, qui a cardinali et ab imperatore dudum fuerat missus, cum litteris sigillo papæ impressis advenit, ut archiepiscopum sicut apostoli- C cum humiliter attenderet, et omnia in concilio secundum ejus consilium disponeret, et remota omni simulatione, consilio et auxilio adjuvaret. Quibus perlectis coram imperatore et cardinali vehementissime sunt indignati, et mente conturbati, quoniam eorum consilia pluribus diebus et noctibus dilatata inutiliter frustrabantur, et immensam pecuniam a proditoribus promissam nunquam consequerentur.

His peractis quosdam de suis familiaribus imperator archiepiscopo suo patrino direxit. Quibus directis, latenter cum eo colloquium ex parte ejusdem habuerunt, et innumerabilia convicia sibi et cardinali super eo esse relata a proditoribus dixerunt. Quo audito archiepiscopus surrexit, dicens quod nullo mediatore nisi facie ad faciem cum imperatore loqueretur. Cui venienti imperator as- D surgens honeste suscepit, et remotis omnibus quæcunque sibi de eo dicta fuerant, ordine nuntiavit, et quod sibi ter mille marcas argenti spoponderant, ut eum ab honore deponeret, et perpetuo exsilio relegaret, sed ipsemet facere recusaverat, quia multa beneficia illi impenderat, et in fonte baptismatis eum regeneraverat, et coram sanctissimi apostoli corpore armaverat, et ad ultimum suo dominio totam Hispaniam per eum suppeditaverat; sed quia maxima bella et exercitus quotidie imminebant, quæ sine copioso pecuniæ thesauro perficere non poterat, quia facultas placandi milites aberat, arciepiscopo ex dilectione supplicabat, ut in annuo

stipendio quolibet modo adjuvaret. Tunc archiepiscopus, ut hæreditates ab avis suis B. Jacobo concessas privilegiis litterarum confirmaret, ut non honorem, qui potius erat sarcina, amitteret, sed ut in tranquillitate et pace Hispaniam protegeret, quadringentas marcas argenti promisit. Post hæc jam securus et cum imperatore pacificatus, et unum cor et anima factus, ad hospitium suum est profectus.

De indulgentia ab archiepiscopo data.

In postero vero die suis canonicis comitatus et proditoribus post tergum sequentibus ad ultimum diem concilii advenit. Illos autem proditores archiepiscopum sequentes, episcopi cum clericis, comites cum militibus cum viderunt, his vocibus exclamare cœperunt : « Ecce lupi agnum sequentes, ecce Pharisæi Christum crucifigentes, et excommunicati Ecclesiæ hæretici proditores super patrem suum munera promittentes. » His auditis obstupefacti linguæ eorum faucibus adhærebant, et exsangues et ex omni parte irritantes ad consilium ibant, quos exclamantes, et undique proditores irritantes benignus Pater redarguebat, et ne eos oblatrarent humiliter exorabat, quoniam si peccaverant, emendari et corrigi poterant. Hi vero canonici proditores videntes se turpiter dedecoratos, et suis consiliis delusos, ad imperatorem et cardinalem, cum quibus nefandam proditionem tractaverant, finito concilio velociter cucurrerunt, ut pro eis apud archiepiscopum intercederent, et pacem cum eo firmarent. Tunc venerandus Pater, odium reservare nesciens, interventu cardinalis et imperatoris pepercit, et pacem cum eis firmavit, data conditione ut non amplius ei derogarent, nec jam talia et horribilia in eum facere excogitarent; quod si rursus tentarent, præteritorum non obliviscens, dignam proditionis sententiam amisso honore subirent.

De redditione Compostellani.

Post hæc cardinalis supplicando, et exorando seorsum allocutus est achiepiscopum, ut qui omnibus ad se venientibus necessitatem patientibus consueverat porrigere manum, sibi indigenti non denegaret auxilium, et de divitiarum largitate aliquid in eum extenderet, ut suffragio ejus honeste in Romanam curiam rediret. Tunc ad Romanæ Ecclesiæ decorem, et, ut semper magnificaret Compostellanam sedem, et quia nunquam cessavit a largitatis bonitate, de proprio trecentis aureis cardinalem adjuvit ex charitate; et sic adjutus, et filius ex dilectione et obsequio factus a partibus Hispaniæ recessit. His omnibus ita decursis, et hostibus prostratis, et qui calcaneum erexerant contritis, cum decore et honore et inimicorum conculcatione, nec non pompa et magnifica gloria archiepiscopus in sedem suam feliciter remeavit.

De consecratione.

Cum autem synodus celebraretur, canonici Saragocensis Ecclesiæ, qui fuerant orbati suo pastore, supplicantes cum electo coram cardinali Romanæ A Ecclesiæ astiterunt, ut electum quem inter se canonico elegerant, pontificalem ordinem subire concederet, et archiepiscopum Compostellanum adiret, et una cum cæteris archiepiscopis et pontificibus devote rogitaret, ut ad sacerdotalem ordinem electum promoveret. Tunc archiepiscopus, cardinalis et imperatoris precibus commotus, supplicationi archiepiscoporum et pontificum acquievit, et electum in concilio cum honore et reverentia in Burgensi sede honestissime præsentibus episcopis, necnon compluribus clericis sive potentibus et optimatibus, consecravit.

Contigit equidem ut, antequam generale concilium fieret, quidam Pisanus ad limina B. Jacobi veniens de peregrinatione rediret, et quæ propriis B oculis in altare B. Jacobi viderat, et auditu perceperat de altaris B. Jacobi persecutoribus, et sui pastoris lapidatoribus, et de conspiratione quorumdam civium facta adversus archiepiscopum, sive imperatore archiepiscopi depositionem meditante, auri argentique magnitudine, papæ per ordinem notificavit. Papa vero, convocatis cardinalibus et Romanæ curiæ majoribus non sine magna contritione cordis atque dolore palam cunctis eodem ordine declaravit. His ita dictis cardinales et cæteri majores ultra quam potest dici doluerunt, et flentes et suspiria trahentes exclamaverunt cum papa dicentes : Hactenus Romana Ecclesia innumeras adversitates et ærumnas pertulit, et nunc ad ultimum brachium dextrum amisit. Post hæc cardinalis C de Hispania remeans hæc eadem quæ dicta fuerant, papæ et omnibus Romanæ curiæ seriatim narravit. Tunc adversus imperatorem et eosdem proditores papa terribiliter insurgere voluit; sed quia tunc temporis Romana Ecclesia persecutionibus coacta erat in adversitate, ne scandalum majus oriretur Ecclesiæ, distulit facere, ut cum opportunum tempus immineret, terribilem ultionem excommunicationis exerceret : Veritas namque, ut dicit Scriptura, quandoque est occultanda, ut uberiora surgant semina; nam præpositus Damasci Paulum comprehendit, sed a fratribus per murum in sporta submissus evasit (*II Cor.* XI), et ut evangelista testatur: Videns Jesus Judæorum turbas adversus se pro veritate commotas, semetipsum abscondit, et a templo exivit (*Joan.* VIII). Sic et papa D in persecutione Romanæ Ecclesiæ recusavit juste sine fructu excommunicare, ut post in tranquillitate justius posset excommunicationem fructuosam facere.

Hæ sunt littere Domini papæ directæ ad archiepiscopum.

CAPUT L.

« Innocentius episcopus, » etc.

« Universa Romana curia, » etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1143.

Hæ sunt litteræ cancellarii et cardinalis ad archiepiscopum missæ :

« Charissimo Patri et amico DIDACO, Compostellano

archiepiscopo, capellanis (186), et archidiaconibus, et aliis S. Jacobi canonicis, A. Dei gratia S. R. E. Diaconus cardinalis et cancellarius, salutem et dilectionem.

« A tempore domini papæ Calixti, ex quo præstante Domino Romanæ Ecclesiæ militavi, quæ ad honorem Compostellanæ Ecclesiæ spectare cognovi, gratanter peregi. Sermo iste non est exprobrantis, sed charitatem mutuam renovantis; decet autem honestatem vestram, ut nostris postulationibus proportionabiliter respondere curetis. Per præsentes igitur apices unanimitatem vestram rogamus, quatenus Ariam latorem præsentium ad vos redeuntem, qui apud nos honeste conversatus esse cognoscitur, pro charitate nostra benigne recipiatis, et certum beneficium unde honeste possit vivere, eidem pro nostro amore donetis, ut de uno impenso beneficio duos, scilicet me et ipsum, obnoxios habeatis. »

Litteræ cardinalis G. ad archiepiscopum missæ.

« Charissimo fratri et amico DIDACO Compostellano archiepiscopo, cappellanis, et archidiaconibus, et cæteris canonicis S. Jacobi, GUIDO S. R. E. diaconus cardinalis, salutem et dilectionem.

Charitatem vestram nolumus ignorare, quoniam lator præsentium Aria pro eo quod in partibus Italiæ bene, est conversatus, tam ab amicis nostris, quam a nobis valde diligitur et charus habetur, de quo nimirum plurimum gratulamur, tum pro ipsius amicitia, tum etiam quia in vestra est enutritus Ecclesia. Ipsum igitur dilectioni vestræ attentius commendamus, rogantes quatenus eum de cætero habeatis inter vos chariorem, et ut in vestris negotiis, cum opportunitas exegerit, nostrum et amicorum nostrorum consilium et auxilium propensius sentiatis, pro nostræ intercessionis precibus et præcipue domini A. cancellarii, qui pro eo rogat, eidem certum beneficium in Compostellana Ecclesia concedatis. »

CAPUT LI.

De solutione concilii.

Post solutionem generalis concilii et reditum domini D. summi et incomparabilis archiepiscopi, circulus unius anni nondum transierat, et infans Portugalensis, qui conjurationem adversus imperatorem cum rege Garsia Aragonensi fecerat, postquam imperatorem ab eodem rege Garsia vexari audivit, ac ei magna negotia imminere cognovit, regno Portugalensi contentum esse non pertulit, sed parato suo exercitu terram imperatoris intravit, et bellica manu Tudensem civitatem violenter obtinuit, et quædam castra furtim per quemdam comitem accepit. Tunc quidam dux imperatoris fidelissimus, et omnis proditionis ignarus, videns terram imperatoris deprædatam, et castra proditione capta, et infantem regnum ejusdem imperatoris devastantem, et majora adhuc facere conantem, ad imperatorem celeriter iens quæcunque facta fuerant ordine nuntiavit. Quo audito imperator continuum iter diebus et noctibus agens a Zemorensi civitate in Tudensem cum parvo numero suorum militum tribus diebus introivit, et comitibus et regni sui principibus legatos destinavit, ut cum omni agmine equitum et peditum quam citius possent venire nullatenus differrent, quatenus in principio metendi, et temporis æstivi terram Portugalensem intrantes, totam penitus devastarent. Comites autem ut principes jussa imperatoris parvipendentes visis ejusdem nuntiis quam cito distulerunt ire, quin potius lætantur guerra imminente, quam pacis et tranquillitatis tempore. Prædicti autem legati Compostella redeuntes archiepiscopum et cum omni equitatu suo pergeret, sollicite admonuerunt, et expensam ad opus imperatoris exegerunt. Tunc Pater egregius, videlicet archiepiscopus, duo millia solidorum ad expensam imperatoris per eosdem nuntios delegavit, et principes et equites suos ad faciendum exercitum stipendiis placavit: in sequenti vero die quo se iterum disposuerat, quidam legati imperatoris ad archiepiscopum venientes, dixerunt imperatorem pacem cum infante firmasse, et magna dilectione et vinculo concordiæ ligatos esse omni tempore vitæ suæ, et in eodem die imperatorem Compostellam venturum fore. Quo audito senex venerandus saluti amicorum et inimicorum providus ab expeditione requievit, et pulsantibus signis et sonantibus cymbalis totius civitatis abbatibus et monachis, deinde sacerdotibus et canonicis, fulgentibus cunctis in aureis et purpure, sericisque vestimentis, imperatorem cum magna pompa et summo gaudio et animi exultatione venerabiliter Compostellæ recepit, et illum splendidis et delicatissimis cibis, magnoque stipendio, videlicet quinque marcis argenti in singulis diebus per duodecim dies, exceptis episcopis, comitibus, et principibus, copiosissime procuravit. Quantam namque benignitatem et totius cordis intimam dilectionem et amicitiam imperator patrino suo cœpit exhibere, tenuitas mei ingenii non valet exprimere; magna siquidem inter eos erat amicitia, de qua summus philosophus Cicero loquitur in suo libro: « Amicitia omnes humanas res excellit, dissociata congregat, congregata conservat, et conservata in melius augmentat.

CAPUT LII.

De promissione imperatoris ad archiepiscopum.

His peractis, quodam die dominico, residente archiepiscopo ex more in capitulo et cæteris canonicis et idoneis et honestis Ecclesiæ personis imperator, comitatus regni sui comitibus, necnon etiam principibus, subito adfuit, et clara voce spirituali patri suo, seni venerando, omniumque indigentium baculo, cunctis audientibus, promisit a nutu et consilio suo nullatenus declinare,

(186) Nominati ante archidiaconos *capellani* cardinales significant, qui proprie sunt apostoli capellani.

et per totam Gallæciam facere quidquid reverendus Pater sibi ipsi consuleret. Deinde hoc quod non est silentio tegendum, sed in sequentibus testimonium promissionis suæ in perpetuo manendum, remoto omni scrupulo adjunxit. In suis equidem temporibus hæc nefanda consuetudo et detestabilis inoleverat, quæ Ecclesiam gloriosissimi apostoli, et ubique terrarum reverendi, turpissime dedecoraverat, videlicet ut quodlibet tempus immineret, pecuniam imperatori annuatim archiepiscopus persolveret. Tunc imperator animadvertens Compostellanam Ecclesiam, sceptrum et caput sui imperii, tanto pondere nefariæ consuetudinis oppressisse, et quam decorare, exaltare reverentiusque inter cæteras Ecclesias Hispaniæ debuerant tractare, mirum in modum conculcavisse, et in præsentia comitum, potentumve principum imperii sui, audientibus cunctis hujus Ecclesiæ canonicis, divina gratia et B. apostoli reverentia commotus, et dilectione archiepiscopi compunctus, promisit deinceps consuetam pecuniam ab Ecclesia non extorquere, neque semen ejus aliquid ab ea exigere. Promissione autem facta capellum cujusdam comitis accipiens manuque patrini sui deosculata, capite flexo, illud in confirmationis signum archiepiscopo humiliter præbuit, et terram Montanorum, quam B. Jacobo abstulerat, se redditurum in proximo penitus concessit, et quod verbis promisit, exsecutione operis devote peregit ; et ut sibi divina clementia de tam nefanda consuetudine indulgeret, ducentos aureos spopondit se daturum per singulos annos, ut claustrum B. Jacobi fieret. Hoc audito, archiepiscopus Deum interius exsultans magnificavit, et ineffabili gaudio gaudere cœpit, tum quia Deus per suum senem et animarum pastorem Compostellanam Ecclesiam in eodem die maxime sublimaverat, tum quia imperator de tanto scelere Deo instigante recesserat.

CAPUT LIII.

De expulsione malefactorum.

His ita transactis imperator reminiscens tanti sacrilegii exsecrabilis dictu et auditu horribilis contra archiepiscopum commissi in altare gloriosissimi et reverendissimi apostoli, de carnificibus ultionem exercuit ; quosdam enim acceptis domibus, necnon hæreditatibus, cum semine eorum ire coegit in exsilium ; et quosdam turpiter captos, possessionibus et omnibus bonis exspoliatos reliquit, alios vero copia auri argentique affluentes ostiatim mendicare permisit ; et divites et locupletes, pauperes et inopes fecit, et diversis penuriis afflixit. Qui vero fugam inierant omnibus imperii sui baronibus injunxit ut qui prius ab eis invenirentur nullo pretio redempti omni genere mortis acerrimo punirentur, vel capti ad eum perducerentur. Post hæc imperator perpendens omnes cives a culpa sacrilegii non esse immunes, quoniam quidam carnifices facinus detestabile peregerant, cæteri autem iniquitati et consilio sa-

A crilegorum consenserant, et archiepiscopum lapidari permittentes, cum possent defendere, non liberaverant, et sic utrique rei erant, quoniam quidam lapidaverant, alii autem non defenderant, Paulo attestante, quoniam qui faciunt et iniquitati consentiunt, morte digni sunt (*Rom.* I, 32), voluit ut burgenses qui in sacrilegio actu et consensu erant consortes, etiam pœna fierent participes. Cum autem omnes ad rationem poneret, et nequeuntes semetipsos aliqua ratione defendere infinitam pecuniam ab eis extorquere vellet, illico archiepiscopus advenit, et imperatorem supplicibus votis rogavit ut eis indulgeret, et illius naturalis præcepti : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, » memor esset, et hominibus silvanis et montanis, et nulla ratione degentibus, et

B omni sensu privatis misericordiam et clementiam adhiberet. Quid dicam per singula quanta vir sanctus Pater venerandus pollet misericordia ? Illius semetipsum per omnia exhibebat discipulum, qui in cruce pro carnificibus his verbis exorabat Deum : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Tunc prædictus imperator intercessione et patrini sui sermone ad misericordiam flexus, civibus invitus pepercit ; et quos mendicare disposuerat, ab omni pecunia intactos reliquit. His omnibus ita decursis, et hostibus archiepiscopi contritis a planta pedis usque ad verticem capitis, imperator indissolubili vinculo dilectionis cum archiepiscopo unitus, et unum cor et una anima cum eo perenniter factus, Compostella feliciter recessit.

Quibus transactis imperator a Compostellana urbe

C recessit, et discedens coram comitibus et Hispaniæ principibus, et B. Jacobi canonicis cunctis assistentibus, necnon ejusdem Ecclesiæ cardinalibus, et cæteris, de quibus longum est numerare de singulis, reverendissime Patri Didaco Compostellano Ecclesiæ archiepiscopo firmissime promisit atque concessit, sicut prædicta series dictaminis resonavit, videlicet quod in totius vitæ suæ spatio aliqua adulatione a patrini sui dilectione nunquam removeretur, nec quoniam inimicorum piissimi Patris suggerente prædictum pactum frangeret. Sed fere biennio nondum peracto, postquam in partes Campanorum pervenit (187) omnia promissa, verbaque dulciflua oblivioni et ventis tradidit : quoniam profanos carnifices, et turbam iniquorum Antichristi membrorum, ad con-

D silium et osculum recepit, quos Romanæ Ecclesiæ legatus in synodo damnaverat, et omnis cœtus archiepiscoporum et sanctorum episcoporum, pariterque abbatum, et etiam omnium orthodoxorum repudiaverat, et vinculo anathematis ferierat, et idem imperator cum dedecore a consilio ejecerat, et insuper prædictus legatus, secundum canonum sententiam, edixerat ut quicunque non tantummodo osculum, sed etiam consortium et auxilium impertirent vel quilibet episcoporum vel archipræsulum ad pœnitentiam admittere præsumerent, sententiam excommunicationis admittentes et consortium ha-

(187) In autumno anni 1138.

bentes subirent. Sed, sicut ait Scriptura: « Facta majorum sunt exempla subditorum. » Et Apostolus: « Cum enim compatitur unum membrum, compatiuntur cætera membra (*I Cor*. XII, 26). » Quis tantæ audaciæ existeret, ut cruentos proditores abjiceret, cum idem imperator eos ad propriam curiam advocaret, et consilium et auxilium ad libitum eorum præberet, et susurronibus et detractoribus gloriosissimi archiepiscopi, senis venerandi, aures quotidie sine intermissione apponeret, qui eum lavacro sanctæ regenerationis effuderat, et cujus patrinus ad sacros fontes exstiterat, et coram altari gloriosissimi apostoli Jacobi insignibus armis decenter et viriliter armaverat, et diadema capiti imponens in regem unxerat? Quid amplius? Adeo gratuito corde et ultronea et spontanea voluntate inflammatus amore pecuniæ ardebat eorum susurrationem audire, veluti religiosus homo, cujus in cœlis secundum spiritum est conversatio, assolet insatiabiliter audire melliflua verba divinæ Scripturæ, quo nihil est ei charius sub sole. Ait namque Scriptura: « Omne caput languidum et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas (*Isa*. I, 5, 6). » Illi autem prætaxati proditores tam de laicis, quem de clericis aggregaverunt sibi quosdam qui habebantnr ubique archiepiscopi familiares, et una ad imperatorem sine mora pergentes, ut ab honore et dignitate eum privarent, et amicos et quoscumque ei consanguinitate conjunctos suppeditarent, infinita munera, scilicet duo marcarum millia promiserunf.

Quibus idem imperator plerumque auditis. non minus æstuans amore pecuniæ, quam Crassus dictator Romanus, cujus erat conditio quoscunque captos pro pecunia extorquere, et justitiam pro auro et argento venundare, quemdam vicarium suum Compostellam archiepiscopo velociter delegavit, ut altaris munera et arca B. Jacobi intacta conservarentur, et eo absente nullatenus aperiretur, de qua in ejusdem Ecclesiæ opus incessanter consumebatur, quod a nemine avorum suorum, nec scilicet Adefonsi regis venerandæ memoriæ, felicis et comitis Raymundi patris sui tempore unquam factum fuisse memoratur. Quod cum reverendissimo seni seorsum esset intimatum, exterius hilarem vultum simulavit, sed interius (et ab eo cognovimus) maxima caligo tristitiæ animum ejus occupavit, tum quia B. Jacobi opus magnificum deficeret, tum quia turba Romariorum et peregrinorum B. Jacobi limina petentium hac de causa minime convenire, et diversis eleemosynis et muneribus unde ipsemet cum canonicis, pariter cum egenis et viduis et pupillis affluenter degebat, et victum et vestitum ad commune commodum babebat, visitare denegarent.

His discursis, universis canonicis in capitulo congregatis, de imperatoris legatione facta ad conculcamentum et detrimentum suæ Ecclesiæ, non absque modico gemitu et animi dolore, seriatim eisdem notificavit, et ut sibi consulerent erga facultatem et possibilitatem suæ discretionis unicuique benignissime præcepit. Interim, dum hæc negotia consiliorum transirent, parvo temporis spatio decurso, quidam imperatoris legatus subito ad archiepiscopum intravit, qui imperatorem in proximo Compostellam advenire remoto omni scrupulo nuntiavit. Is discedens, alter appropinquans non dissimilia archiepiscopo narravit. Deinde tertius sine mora accelerans, omni ambage postposita eumdem imperatorem Compostellam fore venturum, cumque archiepiscopo super omnibus negotiis suis pariterque Ecclesiæ suæ se esse pertractaturum coram multis astantibus penitus cantavit. Pater autem, religiosus et clementia et mansuetudine providus, tam suis quam exteris benevolus, et cunctorum ordinum clericorum erga universos clypeus, et fortis baculus, imperatorem ut dominum et suum regem in omni obsequio paratus benignissime sustinere non differebat, et universa quæ sibi liberent honorifice cum summo gaudio et reverentia præparabat; prætaxatæ vero fraudis commentores, et erga patrem suum pro beneficiis ab ipsis ferecunabulis ab eodem sibi impensis quotidie ad aures imperatoris comitum, principum que ubique derogantes, et de archiepiscopo susurrantes, candida in nigra et nigra in alba mutantes, fraudulento et subdolo ingenio intra se dolum sub lingua et in lingua machinantes perpenderunt, quoniam archiepiscopo ab honore et dignitate sua remoto, veluti ipsi consilio disposuerant, et imperatorem paulo ante consuluerant, si alter in loco ejus succederet, ipse non tantummodo detrimentum incurreret, verum unusquisque eorum honores et dignitatem cum divitiis, ab ipso de Ecclesia collatis, velociter amitteret, et semen eorum de die in diem de perditis bonis lugeret, et maledictionem diligentes et benedictionem fugientes super eos veniret, Psalmista de Juda et similibus teste: « Et dilexit maledictionem, et veniet ei, et noluit benedictionem et elongabitur ab eo (*Psal*. CVIII, 8). »

Super his negotiis et nefandis consiliis, edictu, necdum etiam actu, quod deterius, fugiendis, ad imperatorem iterum pergentes, callide et fraudulenter suaserunt ut archiepiscopum reconciliando pacificaret, et concordiam et indissolubilem amicitiam cum eo perpetim habendam firmaret, dicentes archiepiscopum in omnibus et cum omnibus et præ omnibus carnem corruptibilem gestantibus eum sincere et absque simulatione, ut dominum et regem et imperatorem suum, fortiter diligeret et quæcunque in conspectu suo placita forent fideliter peragere: et licet eum violenter ab honore vellet privare, nequaquam id fieri posset, nulla exigente ratione; alioquin illum et totum regnum et imperium suum cum episcopis sibi suffraganeis vinculo anathematis et justæ excommunicationis acerrime feriret, et peregrinos et diversas et exteras gentes in remissionem peccatorum B. Jacobum visitantes penitus removeret, et neminem defunctum terra susciperet. Imperator autem ad commodum honoris et dignitatis suæ eos sibi consulere protinus intellexit, et consilio eorum acquiescens, fidem et operam adhibuit. Tunc

cupiditatis et avaritiæ facibus accensus et amore pecuniæ insatiabiliter inflammatus, eosdem et quemdam suum vicarium, familiarem archiepiscopo, suadendo destinavit, ut visceribus largitatis affluendo, sibi ad opus suorum militum et regni sui imperium acquirendum aliquid impertiret, et B. Jacobi arcam, jam diu intactam et a vicario subinterdictam, aperiret, et magistros et artifices in opere B. Jacobi jugiter insudantes, de muneribus et ecclesiæ eleemosynis de solidis, prout ratio exigebat, largiosime placaret, et de redditibus ecclesiæ et ejus honore, tam intra quam extra, suum velle ut prius juste disponebat, apud se potestatem ubique exerceret.

CAPUT LIV.

De consilio sibi dato.

Hac autem legatione audita, cardinales et Ecclesiæ majores et inferiores in capitulo advocavit, et quæcunque sibi missa fuerant, non sine dolore et cordis contritione per ordinem intimavit, et ut sibi consulerent unicuique pro ingenii sui facultate, et eorum ratione dulcissime commendavit. Hoc autem ipsi audientes et consilium interius sollicite investigantes, ei consuluerunt quatenus imperatorem et ejus honorem et suam metropolitanam civitatem asperrime excommunicaret, et Ecclesia sua tot persecutiones nulla justitia cogente ulterius quotidie ab eodem imperatore non toleraret; ipsi vero omnia sua relinquentes ubicunque ire vellet vel Romam vel in exsilium, ut justitiam super hoc negotio acquireret, ei unanimiter adhærerent, et in morte eum non dimittentes, animas suas cum eo insimul ponerent. Ipse autem, de duobus malis minus solerter et sapienter eligens, animadvertensque et in memoriam cum majoribus suæ Ecclesiæ diu assidue evolvens quoniam si regnum et Hispaniæ imperatorem gladio excommunicationis perculeret, Ecclesia inde detrimentum incurreret, et omnis turba fidelium B. Jacobum causa peregrinationis visitare recusaret, et quicunque defunctus inhumatus humi sine commendatione jaceret, et etiam deteriora in Hispania insurgerent, quæ vix cuncta enumerari possent, et viridia cum siccis, et sicca cum viridibus perirent, prædictum sprevit consilium. Tunc sui et suorum providus, et discretione et sapientia floridus, meditansque quod vulgus solitus est dicere, quod ira regis nuntia est mortis, sanius et consilium utilius elegit, videlicet ut imperatoris fauces, aurum et argentum assidue sitientes, immensa pecunia sedaret, et post hæc Ecclesia quodam tempore quiesceret; non immemor enim facta Redemptoris condebat armariolo pectoris: nam cum Judæi lapides tollerent et in Christum injicere vellent, semetipsum aspectui eorum subtraxit, et de Templo exivit, prævidens quod si ibi se mori permitteret, tanta messis fidelium, tam de Judæis quam de gentibus, uti postea prædicatione ejus, non assurgeret.

A

CAPUT LV.

De pecunia.

Dum autem hujuscemodi divortia cum suo capite pateretur Compostellana Ecclesia eosdem archiepiscopi adversarios, necnon alios suos familiares imperatori destinavit, et per eosdem magnitudinem pecuniæ de proprio et possessione suæ ecclesiæ, videlicet quingentas marcas argenti ad indigentiam explendam, et ad totius imperii sui pacem revocandam, quantocius dari promisit. Hoc siquidem tenore, ut de exaltatione et honore suæ Ecclesiæ pariterque dignitate suæ personæ, ubicunque sollicite tractaret, et quoscunque tam sibi adversarios quam Ecclesiæ suæ mente perspicaci et animo fideli B quolibet tempore perpenderet, hos pro posse et facultate sua subverteret, et sibimet et Ecclesiæ suæ gratia et auxilio sui comitante viriliter suppeditaret. Hanc præfatam promissionem per eosdem internuntios dum imperator solerter audiret, recolensque beneficia fere a primordio suo ab archiepiscopo et patrino suo sibi exhibita, et in opportuno tempore semper sibi collata, ultra quam dici potest hilaris effectus et animo et corpore quam maximo lætatus, indissolubile amoris vinculum erga seipsum et Ecclesiam et civitatem suam perpetim firmandum promisit; et licet temporum intervallo et locorum spatio corpore ab illo separaretur, tamen mentis dilectione nec adulatoribus, neque discordiæ seminatoribus, nunquam ab eo C segregaretur, et de regimine imperii sui, et de dispositione honoris sui consilio et provida discretione et sapientia fretus cum eo ulterius vigilanter meditaretur, et animus ejus amodo quiesceret, quoniam mens sua pro eo indesinenter vigilaret quod autem præfatis legatis sermone et verbis promisit, ut certius fieret, quodam internuntio suo has subsequentes litteras destinavit.

CAPUT LVI.

Has litteras imperator misit archiepiscopo.

« D. venerabili Compostellanæ sedis Dei gratia archiepiscopo, ADEFONSUS eadem gratia Hispaniarum imperator, salutem et perpetuam dilectionis copulam.

D « Quanto amore vos noster complectitur animus, nec penna scribere, nec voce dicere possumus; quoties enim vestræ prosperitatis vestræque incolumitatis nuntium audimus, nihil est quod nostris auribus possit accidere lætius; et quia tantæ dilectionis vinculo copulamur, vobis fideliter promittimus quoniam vos et possessiones vestras semper manutenebimus, et ab hostium incursione pro posse nostro defendemus, et malefactores vestros ad dignam satisfactionem ultionis tormento venire cogemus; non enim pro vestrarum devastatione possessionum, vestroque contrario, minus dolemus, quam si quis nostram propriam hæreditatem,

nostramque serenitatem devastaret et disturbaret A inimicus. Sit igitur animus vester quietus, et totius expers anxietatis, quoniam mens nostra sollicite vigilabit pro vobis. Ad colloquium quod in Palentia in festo S. Lucæ Evangelistæ futurum decrevimus, propter frigus hiemis imminens, et longi itineris gravem laborem, non veniatis, sed in villa vestra, quoniam ad vos in proximo venturi sumus, exspetes. Valete. »

Imperator misit has litteras canonicis et civibus.

« ADEFONSUS, gratia Dei totius Hispaniæ imperator, omni B. Jacobi canonicorum conventui, et omnibus ejusdem villæ burgensibus, et salutis et amoris et fidei augmentum.

« Has litteras dilectionibus vestris ut venerabilem archiepiscopum domnum Didacum me toto B affectu mentis, toto corde diligere non ignoretis, mittere curavi. Hujus rei gratia per imperialia jussa vobis præcipio ut erga eum tales vos habeatis, ne fidem et dilectionem, quæ a vobis illi debetur, violetis; et ut ei semper in omnibus et per omnia obedientes, ut convenit, maneatis; quisquis vero contra ejus justam voluntatem temerarie insurrexerit, tantæ ultionis pœnas, quantum si mihi fecerit, recipiet. Cavete igitur ne aliquid, quod ultione dignum sit, contra eum facere præsumatis. Valete. »

CAPUT LVII.

De concilio.

Quibus transactis negotiis, Lascurrensis episcopus Romanæ Ecclesiæ legatus, et a latere domini papæ Innocentii in Hispaniam missus, insperato Compostellam intravit, et archiepiscopos, necnon Hispaniæ episcopos, et abbates religiosos, et præcipue dominum Didacum Compostellanum archiepiscopum, caput Hispaniæ, et suorum episcoporum sibi suffraganțium principem, si aliqua præpeditione corporis sui præpeditus non esset, et ire sine detrimento posset, in Quadragesimæ Dominica qua *Lætare, Jerusalem*, (188) universa cantat Ecclesia, in urbem Romanam omni occasione postposita ad concilium strenuissime invitavit, hac videlicet conditione, ut, quoniam Romana Ecclesia, quæ diu fuerat turbata, ab ingratoque populo conculcata, divina clementia opitulante jam persistebat in pace et dilecta tranquillitate, venerandus papa, sanctæ Ecclesiæ pastores curam animarum a Deo tenentes sollicite advocabat, ut de statu sanctæ Dei Ecclesiæ et suæ utilitatis et totius Christianitatis relevatione, et Moabitarum oppressione cum eis, Deo propitiante et opitulante, unanimiter tractaret, et tenebras ignorantiæ opere et sermone illuminando, viam veritatis et sanctæ religionis demonstraret.

(188) Diem hinc certum disces concilii Lateranensis II, anno 1139 celebrati. Cum enim morte Anacleti anno 1138, Ecclesiæ illuxerit desiderata tranquillitas, concilium eo anno indictum pro se, quenti, in quo Dominica *Lætare*, id est quarta Quadragesimæ in die II, incidit Aprilis. Pascha XXIII ejusdem mensis.

ANNO DOMIMI MCXXXIV

SANCTUS NORBERTUS

PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS FUNDATOR, ARCHIEPISCOPUS MAGDEBURGENSIS

AD VITAM SANCTI NORBERTI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

AUCTORE DANIELE PAPEBROCHIO SOCIETATIS JESU

(*Acta sanctorum Bolland.*, Junii t. I, pag. 809)

§ I. *Synopsis Vitæ chronotactica, cultus sancitus a Gregorio XIII, a successoribus auctus.*

Si gloriosum sibi esse putaverint plures Asiæ populi, Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnæi, ascibere civibus suis Homerum, poetica laude clarum, suumque illum esse alii præ aliis non indecore contenderint, quanta gloriatio accedere debet Europæis, qui eminentiorem Homero, et sanctiore virtutum laude C illustrem Norbertum, suum sibi aut civem vindicant, uti Sanctenses; aut institutorem religiosissimi ordinis agnoscunt, uti Præmonstratenses; aut apostolum venerantur, uti Antwerpienses, aut archiepiscopum transmiserunt cœlo, uti Magdeburgenses; aut mortuum conservant religiose in cineribus, uti Pragenses: quem eumdem Galli, Belgæ, Germani, Itali, olim terras suas cum multorum salute do-

cendo peragrantem mirati, nunc adorant triumphantem in cœlis. Sita est Sancti urbs collegio canonicorum, magnifica templi fabrica atque ortu S. Norberti nobilis, in ducatu Clivensi prope Rhenum. Situm est Præmonstratum in Picardia, Galliæ provincia, distans Lauduno in occasum leucis tribus, magis floridum religiosarum virtutum cultura quam ubertate telluris. Incunabula hic sunt ordinis, ab ipso nomen mutuati *Præmonstratensis*. Antwerpia, Magdeburgum, Praga, notiora signant loca, quam ut debeant explicari. Natales igitur Norbertus (*Nortbertum* scribunt multi, procul dubio secuti originem vocis, *Septemtrionis principem* denotantis : sed mollior plurium pronuntiatio *t* extrivit; uti cum Lambertus dicitur pro *Lantbertus*, id est *terræ princeps*, et Suibertus pro *Suitbertus*, quod *meridionalis princeps* interpretrari potest) ; natales, inquam, Norbertus habuit Sanctos quam dixi urbem, nobili stirpe prognatus sub annum 1085 (1). Præmonstratum cœpit incolere, ac religiosi ordinis fundamenta jecit anno 1120 ; Antwerpiam evocatus ad destruendam Tanchelini hæresim, ecclesiam Sancti Michaelis sibi suisque, perpetuis temporibus possidendam, accepit quadrienno post ; ad infulas deinde Magdeburgenses assumptus archiepiscopus anno 1126 ; anno demum 1134, die 6 Junii, laborum suorum præmia accepturus æterna, migravit in cœlum ; corpus « præcipiens sepeliendum inter fratres suos et filios, in ecclesia beatæ Mariæ Magdeburgi : ubi et sepultum fuit per aliquot annos, ante altare sanctæ Crucis in medio monasterio. Sed boni filii (uti habent Acta, num. 115) qui... eum tenere diligebant, ut sine oblivione memoriæ ipsorum commendaretur, ante oculos suos in choro eum transtulerunt. » Hinc tandem an. 1627, prævalente Magdeburgi Lutherana lue, gloriosius Pragam translatus est ; incumbente jam inde ab anno 1596 in id Joanne de Pruetis, Præmonstratensium abbate generali, uti constat ex ejus litteris, Antwerpiens ad S. Michaelis abbati ea super re inscriptis.

2. Quod vero addat ibidem auctor, » canonizatum fuisse Norbertum jam ab ipso tempore Innocentii III ; idque constare ex matyrologiis veteribus in bibliotheca Vaticana, quæ leguntur quotidie in Ecclesiis Romanis, maxime D. Petri, » ex minus certa notitia aut informatione minus sincera profluxerit : Quamvis idem deinde etiam scripserit Joannes Le Paige, ordinis syndicus, lib. II Bibliothecæ Præmonstratensis anno 1633 editæ, cap. 43; distincte insuper exprimens annum pontificatus circiter XVII, qui esset Christi 1214, quo ea canonizatio sit facta. Nam præterquam quod nullum Innocentii prædicti, aut alterius antiquioris sæculo XVI pontificis ea de re scriptum exstet aut exstitisse memoretur a scriptoribus ullis ; nos, quam cupidi opinionem prædictam de canonizatione confirmandi, tam studiose coram Romæ intenti examinando complura Martyrologia mss., in iisque nonnulla propria ipsiusmet Ecclesiæ Vaticanæ S. Petri, dolemus nihil inde desideratæ confirmationis elicere potuisse. Adversatur eidem opinioni aliorum scriptorum auctoritas, qui temporibus longe posterioribus canonizationem Norberti ascribunt, et quidem de memoria sua loquentes : quos inter Petrus Opmersonsis seu Cratepolius, Franciscanus, theologiæ baccalaureus, in Catalogo omnium totius prope orbis archiepiscoporum, etc., edito Coloniæ anno 1596, ubi pag. 232 agens de Magdeburgensibus et Norberto ; ait hunc « suis temporibus canonizatum per Gregorium XIII esse anno Domini 1582 : » annos videlicet tantum XIV ante quam isthæc sua imprimeret baccalaureus theologiæ. Eodem redeunt quæ habet Aubertus Miræus in Originibus monasticis, pag. 371, inquiens « a Gregorio XIII anno 1582 divis ascriptum esse Norbertum, illiusque diploma exstare in Chronico suo Præmonstratensi ad annum prædictum. » Lucas etiam Castellanus, procurator generalis totius ordinis Prædicatorum, in tractatu De certitudine gloriæ canonizatorum, quem impressit Romæ anno 1628, pag. 411, Norbertum « in numerum sanctorum solemniter certo relatum dicit, sed nesciri per quem. » Quod si plusculum diligentiæ et inquisitionis adhibuisset in rem suam quam tractabat, facile potuisset rescire editum a Gregorio XIII diploma, de quo Miræus unicum quod scimus fundamentum, cur canonizatis ascribatur Norbertus. Illo enim concedit pontifex Præmonstratensibus inter alia, « ut festum ipsius S. Norberti confessoris atque pontificis die 6 Junii, quia idem S. Norbertus ex hac vita migravit ad cœlum, cum sua octava, officio duplici de uno confessore ac pontifice, in omnibus et singulis dicti ordinis monasteriis, ecclesiis et locis, anniversaria solemnitate in perpetuum celebrare; ac ejusdem sancti commemorationem, quandocunque aliæ consuetæ commemorationes ex monasterico dicti ordinis instituto vel ritu fieri debent, facere ; nec non præfactum S. Norbertum, qui in pluribus Martyrologiis, usu catholicæ Ecclesiæ receptis, sub ipsa sexta die Junii descriptus et adnotatus reperitur, in Kalendario ejusdem ordinis tantum, sub eodem die sexto Junii. pro festo duplici cum sua octava describere adnotare et libere et licite valeant. »

3. Ad hæc decernenda ut moveretur pontifex, probandus imprimis fuit vetus et ab immemorabili cultus Norberti, ut sancti ; huc autem vel sola vel præcipua adducta videntur fuisse Martyrologia, quandoquidem sola illorum in jam recitata bulla auctoritas allegatur : sed gratis assumptum Præmonstrati est, ea Martyrologia Vaticana fuisse : melius id de Gallicanis Germanicisque dictum esset, in quæ Norbertum referri magis pronum erat. Cur tamen de Vaticanis cogitaverint aliqui, causam mihi eruere videor ex Miræi Chronico Præmonstratensi, occasionem petiti impetratique Officii ad annum 1582 sic exponente : « Cum Joannes Molanus, inquit, doctor theologiæ Lovanii, de historia ecclesiastica

(1) Vide tom. VI Junii par. I, pag. 21, col. 2.

optimo meritus. Usuardi Martyrologium cum indiculo sanctorum Belgii edidisset (est hæc editio Lovaniensis, anni 1573, octennio post primam curata et sæpius deinde recusa) non sine Dei numine factum est ut in dicto Indiculo ista de S. Norberto scriberet: *Norbertus Sanctensis, fundator ordinis Præmonstratensis et archiepiscopus Magdeburgensis, nondum est catalogo sanctorum inscriptus; haud propter inopiam meritorum, quæ amplissima habuit; sed, ut opinor, quia id ordo a Romana sede petere neglexerit.* Quæ quidem verba R. D. Ambrosium Loots, monasterii Parcensis ad muros Lovanienses abbatem, sic pupugerunt; prorsus ut ad Joannem a Pruetis, abbatem tunc Præmonstratensem, adeoque universi ordinis principem, amplissimas litteras daret, quibus eum de nota ista negligentiæ abolenda hortabatur. Quo factum est ut dictus D. Joannes a Pruetis, per illustriss. cardinalem Philippum Buncompagnium, ordinis Præmonstratensis protectorem, sedulo Romæ ageret de B. Norberto canonizando (ut vocant) seu catalogo sanctorum, a Gregorio XIII pontifice Romano, ascribendo. Itaque dum eo sine scrinia et bibliothecæ excutiuntur, et luculenta sanctitatis testimonia quæruntur, inventum est Romæ in Bibliotheca Vaticana scriptum amplissimum, a multis retro annis ad solemnem illius canonizationem (ut vocant) adornatum. Quo quidem diligenter excusso, Gregorius XIII pont. max. diploma de festo S. Norberti solemniter die 6 Junii celebrando, alterumque de indulgentiis eodem die apud Præmonstratenses promerendis, evulgavit.

4. Hactenus Miræus, allegato qui solus ad rem faciebat, Molani Indiculo. et verbis de promovendi cultus neglectu querulis; sequitur alioqui ibidem explicatum, « quantum illi Antwerpienses debeant, » quæ eadem omnia etiam habentur in Natalibus sanctorum Belgii, una cum brevi totius reliquæ vitæ expositione, proximo ab Indiculi editione decennio compositis, sed non nisi descennio altero post, auctore mortuo, vulgatis anno scilicet 1595. Quod addo ut ab eo qui Norbertum necdum viderat coli ut sanctum, sed anniversarium ejus in Belgio quotannis ritu funebri celebrari (id quod deinde melius sic mutatum est, ut postridie festi sacrum ejusmodi fiat pro defunctis ex eadem familia) ut, inquam, non mireris a Molano nusquam usurpari religiosiorem titulum: cujus omissio in Additionibus ad Martyrologium indicio etiam nobis est, nullum ab eo visum aut manuscriptum aut typis excusum, quod sequeretur ipse, ad sancti titulum usurpandum. Talia tamen exstitisse aliqua jam olim non dubitamus (etsi neque nos ulla viderimus, præter unicum Coloniense an. 1521, ubi simpliciter notatur, « Commemoratio Norberti, sanctæ memoriæ archiepiscopi Mgadeburgensis et confessoris. fundatoris ordinis Præmonstratensis; et ms. Florarium, ubi legitur, « Ipso die beati Norberti ep. et conf. ») talia, inquam, exstitisse jam olim non dubitamus quidem, sed non putamus ex talibus probari expressam alicujus et formalem canonizationem. Quid ergo? Cultum illa nobis probant a tempore immemorabili, diuturna sedis apostolicæ vel ordinariorum notitia ac tolerantia confirmatum, adeoque sufficientem ad fundandam declarationem indubitabilis sanctitatis pro tota Ecclesia, qualem promulgavit Gregorius, allegans Martyrologia: quæ etiam videntur vel solum vel præcipue allegata fuisse prolixo illo scripto, quo motus pontifex dicitur a Miræo. Esset nihilominus operæ pretium ipsum instrumentum habere: quare et ego Romam scripsi ad illustriss. Vaticanæ bibliothecæ custodem Schelstratium, et Præmonstratensibus auctor fuit ut ibidem per suos urgerent quæstionem, ad hoc fortassis profuturam, si inveniatur quod requiritur, ut sciatur quinam et quando id Romam miserint, atque adeo coram quo pontifice causa fuerit vel instituta vel instituenda, quibus etiam impedimentis intercurrentibus usque ad Gregorium prætermissa.

5. Huic interim S. Norberti canonizationem, velut decreto isto contentam, ascribens Michael Malcorpius, in Vita sancti versibus elegiacis reddita impressaque Leodii anno 1590, postquam in margine notasset hæc verba, « Canonizatur anno 1582, 5 Kal. Augusti, » ita poema suum concludit:

Ac licet Indigetem merito fraudavit honore
Posteritas, longo tempore cæca, suum;
Hactenus ille tamen carpsit carpetque perenne
Nectar, olympiaco Num in axe novum.
Quo magis æternam laudem Gregorius, hæres
Tertius et decimus nominis hujus, habet.
Hic juste atque pie, cœli aurea templa tenentem,
Hoc quoque Norbertum sanxit in orbe coli:
Jamque aræ, jam templa, ejus de nomine, surgunt:
Fertque piis certam rite vocatus opem.

6. Sic institutum cultum idem Gregorius (ut jam ex Miræo audire cœpimus) auxit, concessa « pro die festo S. Norberti plenaria indulgentia, usque ad annum Jubilæi exclusive. » Eamdem « ad septennium concessit Clemens VIII; » « sed Paulus V perpetuam fecit anno 1606, » et dein anno 1617 « permisit cum festo transferri. » Postea « Gregorius XV orationem et lectiones secundi nocturni, die festo S. Norberti recitandas, approbavit et confirmavit anno 1621: Urbanus VIII etiam festi translationem ad diem 11 Julii approbavit per diploma anno 1625 concessum, » et a Chrysostomo Vander Sterre in Echone S. Norberti pag. 173 excussum. Interim cum idem Urbanus VIII festum inseruisset Breviario et Missali Romano, ac voluisset sub ritu semiduplici celebrari; retraxit dictam solemnitatem a die 11 Julii ad hanc 6 Junii, verum sancti natalem; quo itidem die, in hodierno Romano Martyrologio, ante omnes ponitur memoria sancti Norberti, etc. Ipsum vero officium sub ritu duplicis in posterum ab omnibus celebrandum sanxit Clemens X anno 1672. Exemplar decreti cum mihi mitteret R. P. Carolus Alexander a Manderscheit, tunc Romæ pro Belgio pœnitentiarius, meus olim in tirocinio societatis

instructor, litteras addidit in hæc verba : « Si res hæc a me non est perfecta, certe cœpta fuit et inchoata, suasionibus meis atque consiliis. Ego primus ante aliquot annos suggessi ut rem, perparum difficultatis habituram, tentarent ; ego ad vos scripsi, ut per abbatem S. Michaelis cæteros commoveretis in spem consequendi id quod alii ordines pro suis fundatoribus jam fere omnes obtinuerant ; ego denique nostros hic Norbertinos induxi, ut per abbatem Strahoviensem Pragæ impetrarent commendatitias a Cæsare litteras : quibus impetratis et totius rei commendatione suscepta a cardinali Landgravio, tandem per summam industriam procuratoris generalis Præmonstratensium felicissime confectum negotium est. »

7. Ita ille qui deinde, cum Vaticana porticus, ad peribolum supremum edicta, sanctorum statuis ornaretur, interque eos censeri audisset plerosque religiosorum ordinum fundatores, operis istius curatoribus primus suggessit, et argumentis atque omni qua apud eos gratia valebat, interposito etiam P. N. generali Joanne Paulo Oliva, persuasit ut locus daretur sancto Norberto ; de quo alias cogitasset Italorum nemo, eo quod apud illos non aliter notus nunc ordo sit, quam ex paucis Tongerloani in Brabantia monasterii junioribus, studiorum causa Romæ per vices commorantibus, sub præside indidem misso, et æque ac illi ibi peregrino. Honoribus hisce sancto Norberto deferendis præluserat ordo suus, id quod nunc abbatibus et episcopis omnibus commune est, suo etiam institutori aptans, scutum scilicet tesserarium cum lemnate, vitam sancti per partes repræsentans, penultima ; ubi ille jacet compositus in feretro, unde defluens per latera tapes funebris ornatur, ex hujus ævi more, scuto quale dixi, sic composito ut complecti videatur summam omnium quæ de beato viro explicanda nobis prolixius sunt. Siquidem totius parmæ fundus ruber alba primum cruce totus dispescitur, supra quam hinc inde emergens palmæ atque olivæ ramus, medium stipant cum sacra hostia calicem eucharisticum : quæ quo spectent omnia, indicat lemma, Fide et patientia ; principalibus utique sancti virtutibus, cum quibus crucem Domini tulit constanter ; hostiumque tam visibilium quam invisibilium triumphator gloriosus, pacis autem quocunque se inferret reformator egregius, fidei Christianæ mysteria, tum alibi, tum Antwerpiæ contempta aut etiam conculcata, in locum debitæ venerationis restituit. Utriusque etiam vitæ, activæ et contemplativæ, studia, quæ in præliminari ad icones prædictas imagine pariter repræsentantur, tam bene conjunxit ut summum earum apicem constanter tenuerit, quoad illuc pervenit, ubi, actione laboriosa cessante, sola eum occupat beata visio firmiter creditorum, constanterque prædicatorum mysteriorum.

§ II *Vita scripta curante Hugone primo sancti socio, et in Præmonstratensi regimine successore, cum Analectis.*

8. Ad Vitam quod attinet, jampridem incœperant colligere decessores mei ex variis codicibus mss. Acta primaria. Acceperant quoque Acta cum aliis nonnullorum ordinis Præmonstratensis Patrum Vitis impressa anno 1608 typis monasterii Lucensis ad fluvium Dia (quod est ordinis ejusdem prope Znoimam, in Moravia, proxime ab Austriæ finibus) per Sigismundum Kohel, ibidem abbatem. Verum cum Vita ista arbitrio, ut videtur, editoris truncata in multis et alibi mutata sit ; ea prætermissa, ad primarium nos referimus textum ; cujus sollicitius inquirendi cura suos et nos liberavit ampliss. ac reverendiss. dominus Joannes Chrysostomus Vander Sterre, abbas ecclesiæ S. Michaelis in hac urbe Antwerpiensi, ordinis Præmonstratensis per Brabantiam, etc., vicarius generalis, noster singularis amicus et studiorum fautor. Exemit autem sollicitudinem istam, communicando sancti fundatoris sui Vitam, qualem excudi fecerat, sed vulgari nondum patiebatur ; vulgari vero eamdem anno 1656 jussit dignissimus ejus successor Norbertus Van Couwerven. Etenim impressio illa curata fuit, collatis inter se codicibus mss. omnino quindecim, videlicet, « Antwerpiensi, Grimbergensi, Parcensi, Averbodiensi, Trunchiniensi, Niniviensi, Bernensi, Heylesemensi, Neomagensi, Morinensi, Steinveldensi, Knechstadiensi, Chotiessoviensi, Marchtalensi, Willhinensi, aliisque, ut textus ejus per omnia purus et sincerus exhiberetur. » Auctor hujus Vitæ fuit Canonicus ordinis, et probabilius archimonasterii Præmonstratensis, adjutus a pluribus. Nam, ut sub finem prologi loquitur, « diligenti examinatione pro uratum est ut, convenientibus in unum quibusdam, qui ab initio cum eo jugiter conversati sunt, eo modo et ordine conscribantur singula, quemadmodum plurium assensio comprobasset.

9. Primus qui ab initio adfuit, potest censeri Hugo, ante incœptam habitationem Præmonstratensem Norberti socius, ac postea in eadem Præmonstrato primus ipso vivo et astipulante successor, eidemque per annos triginta superstes, non tamen et archiepiscopus Magdeburgensis post eum, sicut obrepit Baronio scribere ad an. 1134, num. ult. Eumdem Hugonem, cum hæc acta scriberentur, adhuc in vivis fuisse verosimile est, ex num. 118, post apparitionem sancti factam ipsi Hugoni, et hoc pro eo votum haberetur : « Det omnipotens Deus, ut secundum promissionis intellectum ad ipsum veniat : et quem socium et successorem participemque miseræ et pœnalis tribulationis sæculi hujus reliquit, consortem cum faciat gaudiis felicitatis æternæ, et donis a Deo perceptæ benedictionis. » Incitante ergo, aut favente et adjuvante Hugone, scripta sunt hæc Acta, secundum ea « quæ aut ab aliis conscripta legimus, (inquit auctor in prologo) aut magna ex parte vidimus et videmus : » et infra : « Quæ de ipso, legitimo et fideli testimonio ab aliis narrata didici et scio, summatim perstringam. » Ex hac Vita sumptam lectionem 1 pro Nocturno II approbavit Gregorius XV, quasi ea Vita sit, « quam scripsit B. Hugo Præ-

monstratensis, » sancti successor : quod ab ita suggerentibus credo præsumi facilius quam probari potuisse ; nemo certe postea id ut verosimile assumpsit, et laus « piæ et sanctæ conversationis » inserta num. 27 prohibet credere quod vir humilis sic de seipso scripserit.

10. Cæterum, quod favente et adjuvante Hugone scripta, ut dixi, Vita sit, testimonia esse possunt versus ab auctore ad calcem positi, hoc exordio :

Felix Norbertus, primus Pater ordinis hujus :

Gaudeo quod meritis ejus, Pater Hugo, favetis.

Non possum autem mihi persuadere, veram esse famam, ex Gallia ad Petrum de Waghenare subpriorem Furnensem delatam, quasi istic exstaret Vita alia, « annis xxx ab excessu sancti Norberti scripta, in qua sint multa quæ vulgo ignorantur, » prout ille scribit Bollando nostro sub annum 1657. Quomodo enim talem ignorasset Pagius in Bibliotheca ? Credo igitur *multa* illa *vulgo ignorata*, contineri in hac ipsa quam damus Vita quæque tunc necdum edita in vulgus erat, sed adhuc latebat in manuscriptis. Nonnulla tamen vel plenius dici, vel nova addi potuisse, patet ex Capponbergensium scriptis,et aliis quæ addimus sub titulo Analectorum ex lib. *Hermani monachi de Miraculis B. Mariæ Laudunensis, ad Bartholomæum Laudunensem episcopum ;* ipsum qui sanctum Norbertum primus in Francia excepit et fovit : qui liber potius inscriberetur, uti editor Lucas d'Achery, vel antiquior aliquis librarius fecit, *De venerabilis Bartholomæi episcopi et sancti Norberti gestis :* unde etiam sic præfatur auctor : « Post ipsa quoque miracula subjunxi quomodo divina misericordia in diebus vestris novem, imo decem monasteria vestro labore construi fecerit, per domnum Norbertum domnumque Bernardum abbatem Claravallensem. » Quin et tertium caput Analectorum dabo de fundationibus duorum monasteriorum, quorum alterum adhuc sæcularis Norbertus promovit in patria sua Clivia, alterum in metropoli Magdeburgensi, productis originalibus instrumentis.

11. Primariæ, de qua dixi, Vitæ, per prælaudatum Chrysostomum vander Sterre excudi jussæ, statuerat idem adnotationes suas addere, idque folliculo ultimo indicarat : verum morte præventus decessit 27 Julii anno 1652. Sed quod infectum ille dimiserat, effectum dedit Polycarpus de Hertoge, ejusdem cœnobii canonicus,longissimis notationibus lucubratis, quas etiam sententiis sanctorum Patrum stabilivit, et subinde theologicis dissertationibus corroboravit. Eas benevolus lector in prædicta editione poterit legere, necnon varias lectiones a Chrysostomo adjunctas. Ego more nostro quædam ad historiam facientia adnotasse; et paucas alicujus momenti diversitates lectionis indicasse contentus, digressiones longiores vitandas censui, ne moles operis immensum crescat.

(2) Vide tom. VI Junii, part. I, p. 22, c. 1.

(2) § III. *Encomia sancto Norberto ejusque ordini ab ejusdem ævi scriptoribus data.*

12. Primum hoc paragrapho merito appellamus S. Bernardum, qui licet non usquequaque sententiam S. Norberti probarit in quæstione de Antichristo (epist. 56), gratulatur tamen sibi quod tali occasione « ejus faciem videre,et de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruit. » Brunoni autem Coloniensi electo, consilium petenti super electione sua num ei deberet acquiescere, scribens epistolam 8, sic concludit : « Habetis dominum Norbertum, quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis : nam tanto vir ille in divinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quanto et Deo propior esse cognoscitur. » Annus erat, cum hæc scriberet Bernardus 1132, S. Norberto antepenultimus vitæ : hoc autem pridem mortuo, scribens Præmonstratensi abbati epist. 252 : « Vestrum, inquit, ordinem fovi et promovi semper quantum in me fuit ; » quod deinde luculentis argumentis probat : ac denique excusatis omnibus quæ occasionem dederant querelarum, insolubilem sibi cum illis amicitiam esse et futuram, profitetur : « Adhærebo vobis, inquit, etsi nolitis ; adhærebo, etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo, charitate non ficta, illa quæ nunquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, cum turbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis : invitis præstabo, ingratis adjiciam, conhonorabo et contemnentes me. Et nunc tristis est anima mea, quod quacunque occasione offenderim vos ; eritque tristis, usque dum vestra indulgentia relevetis. Si tardaveritis ; ibo et excusabo ; præ foribus perseverabo pulsans ; instabo, opportune, importune, donec vel merear vel extorqueam benedictionem. »

13. Tam altas in sancti illius visceribus radices egerat contracta cum sancto Norberto amicitia, ex eo potissimum tempore,quo junxerant prædicationis sacræ arma, contra Petrum Abailardum. Hic licet anno 1120 aut 21, in synodo Suessionensi, suum ipse librum propriis manibus igni dedisset, ita jubente sedis apostolicæ legato Conone : pergebat tamen in judicio illo velut perverso queri, et eadem quæ antea docere ac propugnare ; calamum interim, felle amaritudinis tinctum exerens subinde contra utrumque sanctum, veras utriusque laudes in contumeliam vertit. Sic aliud non erat quam testimonium dare virtuti ; ut cum in epist. 1 queritur ab æmulis contra se excitatos esse « noves apostolos, quibus mundus plurimum credebat : quorum alter regularium canonicorum vitam ; alter monachorum se resussitasse, gloriatur. » Dum autem in sermone de Jo. Baptista eos calumniatur, quod « de solitudine ad turbas procedentes, sicut de ficto religionis nomine tumebant, ita et simulatione miraculorum, gratia mirabiles videri appetebant ; » in utroque et de utroque errasse, si non et mentitus fuisse convincitur ex eorumdem Actis, et infallibili Ecclesiæ

ipsos pro sanctis coli jubentis, judicio ; ac denique ex sententia Innocentii II, anno 1140 lata contra ejusdem errores, probante, non « imprudenter, » sed perquam prudenter fecisse sanctos, quod « per mundum discurrentes prædicando, ipsum quantum poterant diffamantes, non modice tam ecclesiasticis quam sæcularibus potestatibus contemptibilem effecerint, » et de ejus tam fide quam vita præterita scilicet et libidinibus palam notis dehonestata, licet tum forte correcta, « adeo sinistra desseminaverint, ut ipsos quoque amicorum præcipuos ab eo averterint. »

14. Tantum vero abest ut fidem obtineat, cum, « summa illa miracula de resuscitandis quoque mortuis, inaniter tentata fuisse asserit, quod nuper quidem fecisse Norbertum, » miratus ipse sit et B riserit, ut vel ideo magis id vere narratum fuisse credamus, licet istud siluerit auctor Vitæ; cui, propter « infidelium quorumdam et impiorum obstinatam impudentiam, » solum curæ fuit, sicut in prologo profitetur, « ea breviter perstringere quæ omnibus nota sunt, neque ipsimet ulla improbitate audeant diffiteri. » Dicerem, hic Aballardum sugillari ; nisi post mortem illius, anno 1142 Cluniaci obitam, crederem scriptam hanc Vitam ; et illum testaretur Petrus Cluniacensis, ad Innocentium II scribens, « cum S. Bernardo, sopitis prioribus querelis (adeoque et hæresibus retractatis) pacifice convenisse ; » idemque procul dubio fuisset facturus cum Norberto si vixisset, et calumnias eidem impactas recantaturus : reliquos enim tres vitæ annos sanctissime traduxit, et pientissime obiit, prout legere est in C epistola prælaudati Petri ad Heloisam, tunc abbatissam æque sanctam, olim autem Abailardi discipulam et amasiam.

15. Sed venio ad distinctiora magisque explicata Norberti et ordinis Præmonstratensis elogia variorum ; in quibus scriptionis ordine antiquior est Herimannus, abbas S. Martini Tornacensis : qui Romæ sub ann. 1141 restaurationem monasterii sui prolixam texuit, variarum rerum notitia refertam qualis in Spicilegii Acheriani tom. XII legitur. Hic cum narrasset fraudulentam Paschalis papæ II captionem, ad extorquendam investiturarum approbationem, anno 1111 patratam ab Henrico IV. » Quidam, inquit, clericus, nomine Norbertus, qui in eadem captione capellanus imperatoris fuerat, videns tantam D nequitiam domini sui regis, pœnitentia ductus, pedibus domini papæ se prostravit ; et absolutione ab eo suscepta, » eatenus saltem conversus est, quod oblatum sibi anno 1113 Cameracensem episcopatum, utpote non sine labe imperialis investituræ tenendum recusaverit ; non multo autem post de cœlo tactus est instar Pauli, et « sæcularem vitam relinquens, in Franciam venit ; et in episcopatu Laudunensi locum quemdam solitarium reperiens, qui Præmonstratus dicitur, ibidem Deo sub regula S. Augustini, imo multum rigidiori et arctiori, servire cœpit ; sicque per Dei gratiam brevi tempore pro-

A fecit, ut nullum post apostolos videamus hodie tantum fructum in Ecclesia fecisse. Nam, cum needum conversionis ejus tricesimus annus sit, jam fere centum monasteria a sequacibus ejus per diversas orbis partes, constructas audivimus, ita ut etiam in Hierusalem usque regula eorum servetur. Nam, ut de aliis taceam, in urbe Laudunensi commissa est ei a domino Bartholomæo episcopo quædam paupercula ecclesia, in honore S. Martini constructa, in qua idem Norbertus paucos ex fratribus suis ponens, abbatem eis præfecit virum religiosum, nomine Walterum : cui Deus tantam gratiam contulit, ut hodie in ipsa ecclesia fere quingenti fratres degere videantur; jamque ex ipsa decem fere alia monasteria processerunt. Ipse vero Norbertus, postmodum in urbe Magdeburgensi archiepiscopus factus, tempore Lotharii imperatoris, qui Henrico successit, defunctus est. »

16 Herimanno succedat Laurentius de Leodio, ejusdem cujus ille Benedictinæ professionis, in Historia episcoporum Virdunensium, Alberoni episcopo scripta ante annum quo hic obiit 1144, et in eodem Spicilegii prælaudati tomo invenienda. Ibi is narrat quomodo idem episcopus Albero, vigorem monastici ordinis diu frustra restaurare in quibusdam conatus, « degenerem et aridam plantationem ferro abscissionis exstirpavit, et novellam clericorum monastici ordinis ibi inseruit, quos Norbertus, Magdeburgensis archipræsul, vir magnus in Ecclesia, de professoribus sui ordinis delegaverat ei. » Exstat ibidem ipsiusmet Alberonis ad Innocentium papam epistola, qua causam reddit, cur « in ecclesia sancti Pauli, juxta civitatem, quæ per incuriam et irreligionem paucorum monachorum ibi degentium, ad tantam infamiam redacta fuerat, ut jam non domus Dei, sed diceretur esse quoddam prostibulum, posuerit pauperes Christi ecclesiæ Præmonstratæ, secundum regulam B. Augustini laudabiliter viventes.»

17. Hac epistola relata, cum etiam de introductis per eumdem episcopum Cisterciensibus egisset auctor, atque ad ecclesiastici et monastici ordinis reformationem, primum quidem « Simoniacam avaritiam gladio Petri succisam » dixisset, deinde novam Carthusiensium religionem, « aquilæ in cœlum volanti, » comparasset, « ut habeamus, inquit, animal vituli laborantis et offerentis in sacrificio Dei, itemque hominis prudenter divina et humana ratiocinantis, subsecuta sunt illa duo cherubim, expandentia alias suas in medio Ecclesiæ, et versis vultibus in propitiatorium se mutuo respicientia ; id est duo præclarissimi ordines, devotione sua Ecclesiam protegentes, et conversis ad Deum cordibus se mutua charitate æmulantes : quorum unus Cisterciensis, duce Bernardo, sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem, jam pene lapsum, ad primam apostolicæ vitæ normam reparavit ; alter, merito et nomine a Deo Præmonstratus, duce Norberto Parthenopolitano præsule inceptus, ecclesiasticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excussit. Credas

hos duos ordines esse, de libro Apocalypsi duos prophetas, circa finem mundi a Deo missos, et sacco pœnitentiæ amictos; duas olivas clementiæ cœlestis, divinæque duo candelabra gratiæ: ita se in omnibus cruciant, ita verbo vitæ mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant. Isti duo, Deo cooperante et piis omnibus juvantibus, adeo jam profecerunt, ut Cisterciensis quidem, per id temporis triennium, jam in ducentas abbatias, magni nominis, meriti et numeri excreverit; et usque in barbaros Sarmatas et extremos Scythas jam diffundi cœperit; Præmonstratus autem per hos viginti annos in abbatias pene septuaginta adoleverit. »

18. Et hactenus quidem antiqui illi, sed nuper primum impressi scriptores: necdum autem lucem viderunt *Antikimenωn* libri, Eugenio papæ III inscripti, atque adeo ante an. 1153 scripti, ab Anselmo episcopo Havelbergensis Ecclesiæ, in Saxonia inferiori sub Magdeburgensi metropolita. Codicem originalem ms. et fortassis toto mundo unicum, dignumque in auctiori sanctorum Patrum bibliotheca vulgari, possidet amicissimus nobis Henricus Julius baro de Blum, Cæsareus in appellationum tribunali consiliarius Pragæ, a quo etiam submissum Florentinio exemplar Hieronymiani Martyrologii alterum sæpe laudamus. Hic cum suum illum codicem nostro Hermanno Horstio, Eleonoræ imperatricis viduæ confessario, legendum commendasset; isque Reinoldo Dehnio, itidem societatis nostræ erudito et libris noto sacerdote (quorum amborum animas Deus habeat) inspiciendum dedisset; sua is manu transcripsit, nobis ex lib. I, c. 10, sequens de argumento quod tractamus fragmentum.

19. « Surrexit in eadem professione (canonica nempe), et in apostolicæ vitæ imitatione quidam presbyter religiosus, nomine Norbertus, tempore papæ Gelasii; qui, propter suam religionem, et multas enormitates et schismata, quæ tunc fiebant in occidentali Ecclesia, a Romano pontifice Gelasio litteras et auctoritatem prædicandi accepit. Iste suis temporibus in religione clarissimus et famosissimus, diversas provincias prædicando peragravit, non parvam turbam religiosorum collegit, multas congregationes instituit, et eas ad perfectionem apostolicæ vitæ verbo et exemplo informavit. Qui etiam tantam gratiam habuit coram Deo et hominibus, ut vere beatos se dicerent, qui illi adhærere possent. Postea in Magdeburgensi Ecclesia archiepiscopus factus est, cujus corpus sanctum et venerabile requiescit in ecclesia B. Mariæ, in sua metropoli, ubi ipsi fratres suæ religionis ordinaverat. Igitur religio per eum renovata, maxima cœpit habere incrementa et ubique terrarum diffusa est; adeo ut nulla fere provincia sit in partibus Occidentalibus, ubi ejusdem religionis congregatio non inveniatur, Francia, Germania, Burgundia, Aquitania, citerior Hispania, Britannia minor, Anglia, Dacia, Saxonia, Leutecia [*an* Suecia ?], Polonia, Bavaria, Sueviaque, Pannonia et Hungaria, Longobardia, Ligniagia [*an* Liguria?], Etruriaque, et Tuscia. Omnes nempe hæ provinciæ habent congregationes prefatæ religionis, quarum etiam exemplis et orationibus confidunt incessanter adjuvari. Extendit etiam palmites hæc eadem sancta societas in partes Orientis: nam in Bethlehem una; et in loco quem vocant Sanctum Abacuc alia congregatio est. »

20. Atque hi pauci ex *multis* illis fuerint, de quibus in prologo auctor Vitæ ait, quod « cum S. Norberti vitam et gesta conscripserint, rem tamen plenarie et ordine non persequuntur; » uti nec facit is qui Gesta Bartholomæi episcopi scripsit, coævus etiam auctor sub annum 1150, necdum triginta annis a sancti adventu in urbem Laudunensem; qui auctor hic non profertur, quia excerpta ex illo facient nobis caput 2 Analectorum, post illud quod Cappenbergenses adjunxerunt: quodque solum hactenus excusum habetur; cum istud a Pagio et Polycarpo carptim et per partes delibetur. Videtur autem esse id a quam Andreas du Chesne, in Bibliotheca Historiæ Francicæ pag. 248, appellat *Historiam restaurationis Ecclesiæ Laudunensis, sub Bartholomæo episcopo, ms.*

(3) § IV. *Auctorum quorumdam sæculi sequentis testimonia. Sanctimonialium ordinis vetus disciplina.*

21. Locum sequenti sæculo primum damus Roberto de Monte, Sigeberti Gemblacensis continuatori, ad annum 1131 sic scribenti: « Sub his temporibus ordo canonicus Præmonstratensis et monasticus Cisterciensis, quasi duæ olivæ in conspectu Domini, pietatis lumen et devotionis pinguedinem mundo ministrabant; et quasi vites frugiferæ, religionis palmites circumquaque propagabant; et per omnes fere Christiani orbis terminos, bonæ opinionis paulatim odore diffuso, novas abbatias, ubi antea Dei cultus non fuerat, construebant: unde etiam in Syriam et Palæstinam de Præmonstrato fratres missi, nonnullas abbatias ædificaverunt. » Sic ille, breviori elogio multa complexus. Prolixior aliquanto est auctor Annalium Laudunensium, Roberto plane contemporaneus; siquidem hic ille est anonymus canonicus Laudunensis, natione (ut videtur) Anglus cujus labor laudatur ab Andrea du Chesne in Bibliotheca et pag. supra citatis, sub titulo *Chronici ms. a Nativitate Christi usque ad annum* 1218, *in quo de rebus præcipue Belgicis tractatur.* Ut autem id opinemur, facit Pagius, quando ex Annalibus, ut vocat ille pag. 10, transcribit nobis lib. III, cap. 1, ad annum 1121; tale enim Chronicon, quale jam audivimus, facile potuit ac debuit implevisse duos libros, prius quam ad Bartholomæi episcopi tempora veniret. Igitur verba ejus hic accipe, quousque Annales seu Chronicon istud integrum exhibeat aliquis; quod etiam Historiæ episcopi Bartholomæi optamus.

22. « Post paucos annos ille novi luminis novæque conversionis, non solum exterioris, sed etiam interioris candoris novus inventor et inceptor, dominus Norbertus, de Germania in Franciam adve-

(3) Vide tom. VI, Junii, p. 1, pag. 22, col. 2.

niens, divina præcedente et comitante gratia, in episcopatu Laudunensi, primam illam, Præmonstratensem scilicet, vineam plantavit : quæ in charitate radicata et fundata, quasi vitis fructifera propagines suas, a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, extendit, et vino fortitudinis suæ, quod lætificat cor hominis, jam ubertim inebriavit plures principes et judices terræ, juvenes et virgines, senes cum junioribus ; ita ut fortiter inebriati, nihil aliud quærant nisi laudare nomen Domini, et cantare ei canticum novum ; quoniam veterem hominem cum actibus suis exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, carnales illecebras funditus abjiciunt ; et quasi de aqua in nuptiis a Domino in vinum conversi, quæ retro sunt obliviscuntur, et ad ea quæ ante sunt extenditur. Sicque licet in terris corporaliter consistant, tamen quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram ; dicentes cum Apostolo : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip* III, 20), ubi Christus est ad dexteram Dei ; cœlestibusque seraphim mente conjuncti, solo Christi jugiter ardent amore ; cui etiam corpora sua exhibent hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ; candorem virtutis, quo intrinsecus nitent, etiam in exteriori veste præferentes. » Ita ille, ac plura forsan alia in progressu historiæ, digna lucem videre, si quis obstetricetur.

23. Ternarium, sæculi XIII prolixius laudantium Præmonstratenses, vel eorum conditorem Norbertum, (plures enim nobis modo non occurrunt, etsi plures esse vix ambigamus) claudat Jacobus de Vitriaco, ex Acconensi in Palæstina episcopo, S. R. E. cardinalis Tusculanus, qui vel eo nomine prætermittendus a nobis non fuit, quod ipsiusmet, anno 1224 defuncti, Vitam daturi sumus ad 23 Junii, nobile Corollarium ad Vitam S. Mariæ Ogniacensis ab eodem editam, cum argumentis communis cujusdam utrique cultus. Sane concinnatum ab eo candidi ordinis elogium sive caput 22 Historiæ occidentalis *De canonicis Præmonstratensis ordinis*, tanti fecit Pagius, ut operosis commentariis dignum judicaverit ; quibus tamen omissis sufficiet paucas notas subjungere, ab Henschenio relictas ; qui idem totam

A S. Norberti Vitam cœperat notis illustrare, a me secundis curis amplificandas, quatenus necesse videretur. Vitriaci verba hæc sunt.

24. « Qui tam (4) vero vir justus et timoratus, verus Dei cultor, et permanens in innocentia sua, dictus Norbertus, cum prædicatione sua, velut cœlestis fistula et tuba argentea, multos docuisset ; et ad Dominum convertens, ad frugem melioris vitæ divinitus inspiratos incitasset, tandem in loco qui Præmonstratum dicitur, ad opus sui et discipulorum suorum, pacificum constituit habitaculum. Sumpto autem regulari (5) habitu, ut secundum (6) Regulam B. Augustini Domino militaret, consuetum vivendi modum, quem prædicti regulares canonici usque ad tempora illa laxius observaverant, in se et in disci-
B pulis suis coarctavit, quasdam novas institutiones addendo, quasdam etiam veteres immutando. (7) Carnes siquidem Præmonstratensis ordinis canonici et fratres laici nunquam, nisi in infirmitate, manducant. A festo Sanctæ Crucis usque ad Pascha (8) jejunant : duobus pulmentis, more Cisterciensium, in refectorio vescuntur. (9) Camisiis non induuntur : pellibus caprinis utuntur. Vestiti tunicis albis, et caligis calceati dormiunt. Cappis laneis albis, absque tinctura aliqua, vestiuntur. Diebus festis, more aliorum canonicorum, novem lectiones ; aliis autem, tres tantum in matutinis legunt. Post officium nocturnum ad dormitorium revertuntur, ut dormiant et quiescant. Temporibus determinatis et horis certis ad labores manuum (10) egrediuntur. Parochiales ecclesias et animarum sæcularium curas in propriis
C personis suscipiunt. Omnia hujus institutionis et religionis monasteria sub uno capite Præmonstratensis monasterii continentur, ad quod (11) annis singulis ad generale capitulum omnes hujus ordinis abbates congregantur. Habent autem (12) curias et prioratus, non solum hominum, sed et feminarum : in quibus tam clerici quam laici, secundum quod a superioribus suis injungitur, commorantur.

25. « A principio autem ordinis et novellæ plantationis, cum adhuc pretioso paupertatis thesauro abundarent, quasi musto novæ religionis inebriati, et ferventes igne illo, quem misit Dominus in terram ut arderet, adeo succensi sunt, quod non solum

(4) Egerat Vitriacus cap. 21 præcedenti de canonicis regularibus, cui hoc subjungit.

(5) Pagius lib. I, cap. 3, explicans textum Vitriaci, asserit horum « essentialem habitum esse tunicam laneam et niveam cum scapulari candido et laneo. »

(6) Idem cap. 4 ait hanc S. Augustini regulam ipsis confirmasse summos pontifices Alexandrum Lucium, Urbanum, Clementem, Innocentium, Honorium, sui quemque nominis tertium, item Gregorium IX, Innocentium IV, Urbanum et Gregorium X, aliosque, quorum privilegia libro III idem Pagius profert, et privilegio 105 Gregorius X plurium decessorum exemplar allegat. Regulam prædictus Pagius cap. 4 libri primi exhibet, et sectionibus 19 exponit.

(7) Abstinentia a carnibus perpetua relaxata fuit a Pio papa II anno 1460, ac dein a Sixto IV, Alexandro VI, et Julio II. Consule caput 6 Pagii.

D (8) Modificatum dein auctoritate eorumdem pontificum jejunium, et redactum ad Adventum Domini, Quinquagesimam, ferias-sextas totius anni, Vigilias Deiparæ Virginis et similes, docet Pagius cap. 7.

(9) Auctoritate Clementis VI usum vestium lanearum ad carnem, prælatorum arbitrio et dispensationi relictum, tradit Pagius cap. 8.

(10) Scilicet ut otium fugiatur, cæterum præferri studia litterarum labori manuum palam est.

(11) Capitulum generale de annuali factum est triennale anno 1605, sub Francisco a Longoprato Præmonstrati abbate.

(12) Curiæ sunt curtes grangiæ, villæ seu prædia, in quibus, si duo vel plures presbyteri collocentur, appellantur prioratus.

vicinas regiones, sed remotas per universum fere mundum provincias accendebant, illuminabant, et exemplo conversationis suæ provocabant. Unde parvo tempore multa ubique hujus ordinis et professionis tam clericorum quam sanctimonialium constructa sunt (13) monasteria, largitione principum et eleemosynis fidelium, copiosis reddilibus et latis possessionibus in immensum ampliata et sufficienter ditata. Castis siquidem matronis, et viduis sanctis, et Deo devotis virginibus, velut lapidibus pretiosis, ad ornatum et pulchritudinem tam sanctæ et honestæ religionis convenientibus, quasi ex duobus virorum et mulierum parietibus uno angulari lapide conjunctis, jucundum Deo constructum est habitaculum, et quasi alterius arcæ ædificium cubito consummatum : in quo immitia animalia, et bestiales sensualitatis motus, jejuniis, vigiliis, orationibus, et aliis variis disciplinis tanta districtione domabantur, quod refrenato tumultu pacem habentes, arcæ rectores non multum infestabant. Quod si aliquando contra ipsos indisciplinate insurgerent, capitibus eorum allisis ad petram, in matutino, id est in principio suggestionis diabolicæ, interficiebantur omnes peccatores terræ. Moniales siquidem adeo inclusæ intra septa monasterii tenebantur, quod ad eas nulli hominum patebat ingressus. Et quoniam in choro et ecclesia non cantabant, sed tantum in silentio orationi vacabant, psalteria sua legentes, et Horas canonicas vel beatæ Virginis Mariæ secreto cum omni humilitate et devotione dicentes ; commorabantur seorsum ejusdem ordinis sacerdotes et clerici, viri probati et religiosi, qui eis in divinis officiis servientes, confessiones earum per fenestras audiebant, et eas certis temporibus verbis divinarum Scripturarum instruere et informare studebant. »

26. Auctor Gestorum episcopi Bartholomæi, c. 2 Analectorum, sic de iis loquitur : « Miro modo videmus, ad illius institutionis monasteria sic festinantes, ut plus quam decem millia feminarum in eis credamus contineri. » Notat autem Parcensis apud Lovanium abbatiæ Chronologus ms. ab ipsomet sancto Norberto, eas in Præmonstrato collocatas ; idque liquere ex diplomate Cœlestini II, ad Hugonem abbatem dato III Idus Decembris anno 1142 ; et inter alia ubi ea habebantur monasteria, numerat Cellam superiorem prope Herbipolim, et Augiam Minorem apud Ravensburgum, et S. Michaelis Antwerpiæ, et suum denique Parcense, cujus secundus abbas Philippus scribens sanctæ Hildegardi ; « Ora, inquit, Mater venerabilis, pro me et pro congregatione fratrum ac sororum, quam habeo regere, ut pacem et concordiam nobis Dominus tribuat. » De quibus idem Chronologus ita scribit : « Commorabantur illæ seorsum a viris, neque in choro et ecclesia, sed tantum in silentio orationi vacabant ; psalteria sua, et Horas canonicas vel beatæ Virginis secreto, et cum omni humilitate et devotione, legentes, et in aliis operibus Ecclesiæ et fratribus, suendo, nendo, texendo, lavando, servientes. »

27. Et hæc quidem omnia innocentissime, donec « primo fervore tepescente, » ut addit Vitriacus, « improvida securitas torporem et negligentiam inducere cœpit ; et fenestras, » per quas solas primitus dabatur alloquium, « convertit in ostia. » Unde « prudenter » ut idem concludit, « in generali capitulo Præmonstratenses unanimiter firmaverunt, quod feminas de cætero in ordine suo non essent recepturi. » Capitulum hoc anno 1138 celebratum fuisse, docet Pagius ad hunc locum pag. 352 ; simulque declarat in eo non fuisse statutum, ut omnino non essent ullæ ; sed quemadmodum ait Bartholomæus, earum recipiendarum primus S. Norberto auctor, « visum est illas removere, et ad serviendum Deo longinquius collocare. » Paulo aptiorem ac clariorem forsitan modificationem eruit Chronologus Parcensis ex ipsis Statutis Ordinis, ubi dist. 4, c. 15 dicitur, « Nulla mulier in ordine nostro recipiatur in sororem ; nisi in illis locis quæ sunt ab antiquo cantantibus sororibus deputata. » Conversas ergo duntaxat, et tantum non in ipsis habitantes monasteriis, quales superius descripsit chronologus, arceri Patres voluerunt ; non omnino exstincta earum, quibus choro et cantui sacro vacare indultum fuit, monasteria, quæ ad hæc usque tempora perseverarunt, secundum bullas summorum pontificum Innocentii II, Cœlestini II, Eugenii III, quorum postremus anno 1152. « Illud etiam, inquit, humanitatis ratione perspeximus, et præsenti decreto in perpetuum valituro sancimus, ut sorores, quæ per laborem fratris nostri Norberti Magdeburgensis archiepiscopi et vestram exhortationem, ad omnipotentis Dei servitium accesserunt, et semetipsas Domino obtulerunt, de bonis vestræ ecclesiæ (quorum non minima pars eidem loco per ipsas noscitur pervenisse) sine cujusquam contradictione, nunc et semper in sustentatione temporalium necessaria consequantur. »

28. Hactenus scripseram et prelo paraveram, cum perillustris. dom. Jacobus baro Le Roy, editis marchionatus S. R. I. et Galio Brabantiæ notitiis clarus, ad me detulit feliciter redemptum Chronicon Alberici monachi Trium Fontium, in eoque legendum exhibuit locum, etiam ab Andrea du Chesne inter pro-

(13) Fuerunt monasteria per XXX circarias seu provincias distributa, et hæc indicat Pagius a p. 318, quæ ibi videri possunt. Huc facit quod Miræus, ad calcem Indicis monasteriorum, post Chronicon Præmonstratense inveniendi, ex ms. Steinfeldensi recitat, tanquam in cœnobio Cellæ superioris apud Herbipolim lectum : « Hæc est summa claustrorum sive monasteriorum ordinis Præmonstratensis. Mille abbatiæ, trecentæ præposituræ, cœnobia vero sanctimonialium sunt quingenta. Insuper in ordine præfato sunt sexdecim episcopatus : de his sunt septem archiepiscopi, et novem diœcesani episcopi. » Quam quidem summam ita credo collectam intra primum aut sesquiprimum sæculum ordinis ; nam, teste eodem Miræo, Slagæ in Austria sic legitur parietibus aulæ inscriptum : « Dinumerata sunt ubique terrarum hujus candidæ familiæ cœnobia, ante annum millesimum ducentesimum, canonicorum quidem mille trecenta, sanctimonialium vero quingenta, exceptis prioratibus et aliis domibus minoribus. »

bationes ad lib. vi Historiæ genealogicæ familiarum A Guisnensis, Andrensis, Gandavensis et Cociacensis, descriptum pag. 333, ubi initium ordinis explicatur, ad annum 1119, his verbis : « Ordo Præmonstratensis cœpit hoc tempore, per virum mirabilem dominum Norbertum, cum natione Teutonicum. Et fundata est Ecclesia sub episcopo Bartholomæo in diœcesi Laudensi [Laudunensi], et in præsentia viri nobilis Thomæ de Cocy, et filii ejus Ingelranni. Habebat hic ordo trecentas quinquaginta abbatias. » Desinit scribere auctor iste, in iis quæ sæculi sui sunt, fide dignissimus, anno 1241. Pergit deinde nobilium istorum, sub quibus fundata est domus illa, Præmonstratensis, antiquitatem genealogico explicare ; quod nostri hoc loco instituti non est.

VITA S. NORBERTI

AUCTORE

CANONICO PRÆMONSTRATENSI COÆVO.

(Ex pluribus ms. imprimis curata a D. Chrysostomo, abbate S. Michaelis Antwerpiæ.)

PROLOGUS.

1. Tanto procul dubio quisque fidelis piusque B animus ad omnipotentis Dei amorem et gloriam promerendam propius accedit quanto bonum quod de alio audit, facilius credit, idque sibi ab eodem Domino Deo conferri optat et sperat. Qui non credit, non imitatur ; qui vero non imitatur, nunquam perveniet : quia sicut vera est patria quam in exsilio hujus vitæ quærimus, ita similiter vera et singularis est via quo tendimus. In hac autem via, erroribus et ærumnis valde et multipliciter intersepta, non defuerunt nobis ab initio mundi, inter cætera divinæ dispensationis beneficia, sanctorum virorum exempla ; quorum vestigia sequentes, æternæ beatitudinis gaudia et avidius quæreremus et certius caperemus. Horum nimirum quædam sunt quæ præterita et ab aliis conscripta legimus ; quædam vero quæ ipsi C quoque ex magna jam parte vidimus et videmus. Quapropter, cum nihil sit homini Christiano in peregrinatione sua tam commodum, et ad sempiternæ gloriæ præmia capessenda necessarium, quam vitam informare honestis moribus, et laudabilibus studiis occupari ; gratanter profecto et cum omni devotione suscipit, quæcunque de hujusmodi viris memoriæ commendanda potuerit invenire, ut quorum satagit æmulari virtutem, studeat etiam merita jugi meditatione revolvere. Sed infideles et impii, quorum Deus venter est, et summum bonum corporis voluptas, quidquid legunt vel audiunt quod ab eorum studiis et conversationibus sit alienum, falsum continuo et confictum esse judicare non metuunt ; et quia fœdam et immundam conscientiam gerunt, D exosam habentes justitiam et suspectam veritatem ; simplices quosque a via salutis avertere, et suis corruptis et perditis moribus subvertere non desistunt.

2. Propter istorum itaque obstinatam avertendam impudentiam, cum proposuerim scribere de Præmonstratensibus viris, nostris temporibus omnis religionis et sanctæ vitæ meritis coram Deo et apud homines approbatis, cogor multa prætermittere, ea duntaxat breviter attingens, quæ omnibus nota sunt, neque ipsi ulla improbitate audeant diffiteri. Horum profecto virorum cum considerarem opera, et animadverterem incrementa, mirum in modum comperi, non hominum virtutem, sed Dei. Recordatus proinde illius evangelicæ sententiæ, quam Magister bonus et Salvator omnium Jesus Christus protulit, dicens : « Ex fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* vii, 16) ; » et, quia « non potest arbor mala bonos fructus facere (*ibid.*. 18) ; » contuli me ad arborem, unde tot et tanti fructus processerant, indagandam. Cumque paulo diligentius rei originem et radicem perquirerem ; occurrit mihi piæ et reverendæ memoriæ Pater Norbertus : de quo, prout ratio narrationis et ordo suggesserit, eorum quæ de ipso legitimo et fideli testimonio ab aliis narrata didici et scio, pauca summatim perstringam. Et, ne sermo continuus atque prolixus lectori fastidium ingerat, hoc ipsum, quoad diligenter potero, distincte et per capitula ordinare et titulis adnotare curabo ; ab eodem præfato Patre competens dicendi sumens exordium, qui hujus congregationis exstitit primus. Præterea sciendum est quia, cum multi hujus Vitam et gesta conscripserint, nullum omnino invenerim qui rem plenarie et ex ordine persequatur ; quod ne hic quoque accideret, diligenti examinatione procuratum est, ut convenientibus in unum quibusdam, qui ab initio cum eo jugiter conversati sunt, eo modo et ordine conscriberentur singula, quemadmodum plurium assensio comprobasset.

(14) INDEX CAPITUM ET TITULORUM EDITIONIS ANTWERPIENSIS.

Appendix fratrum Cappenbergensium (15).

(14) Capitula indicata inter uncos includimus, eorumque titulos hic subjungimus: more nostro in capita et numeros distincturi.

(15) Hæc Appendix mihi faciet *caput* 1 *Analectorum*, quorum reliqua capita nihil attinet adnotare, quia nihil faciunt ad Antwerpiensium editionem, cujus solius hic reddimus rationem.

INCIPIT VITA.

CAPUT PRIMUM.

Ortus; sæcularis vita, conversio ad meliorem.

3. [Cap. I.] Fuit in diebus (16) Henrici Junioris Cæsaris Augusti, (17) Paschale summo pontifice sedis apostolicæ regimen administrante, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo decimo quinto, vir quidam, nomine Norbertus, natione Teutonicus, municipio de (18) Sanctis, quod antiquitus (19) Troja dicebatur, genere de illustri Francorum, et Germanorum (20) Salicorum prosapia ortus, opibus adauctus, forma decorus, statura gracilis ac paululum longus, ætate adultus; scientia tam litterarum quam curiæ ac sæculi eruditus; eloquio exultus, officio clericus, ordine sub-
A diaconus, vita et moribus pro ætate et sæculari consuetudine admodum levis. Nomen patris ejus Herbertus, de castro juxta silvam Kettel a (21) Genepe nomine, et nomen matris Hadwigis; quæ cum eum a Domino postulatum gestaret in utero, audivit per somnum dicentem sibi: « Æquo animo esto, Hadwigis (22), quoniam magnus apud Deum futurus est et apud homines. »

4. Hic, cum in omnibus ei præsentis vitæ obsecundaret felicitas, et rerum temporalium prosperitas arrideret, factum est inter cætera, ut etiam in magnatum curiis perspicuus haberetur; primo quidem in curia domini Friderici (23) Coloniensis archiepiscopi, deinde in aula imperatoris: in hac nimirum, propter

(16) Henricus, imperator IV et rex Germaniæ V, Junior dictus, respectu patris Henrici Senioris, cui auctoritate sedis apostolicæ deposito, successit die 25 Decemb. an. 1105, mortuus 23 Maii an. 1125.

(17) Paschalis II sedit ab an. 1099, die 14 Augusti, ad 20 Januarii an. 1118.

(18) Sancti seu *Xancti* oppidum Cliviæ, ita dictum a sanctis martyribus Victore et sociis, tempore Diocletiani ibidem occisis, 10 Octobris. Anno 1028 accepit locus collegium canonicorum: e quorum numero postea fuit ipse S. Norbertus: unde in quodam illius ecclesiæ Kalendario, ad 6 Junii, sic legi ait D. Crasius apud Polycarpum: « Norberti, archiepiscopi Magdeburgensis fratris nostri, » et Arnoldus archiepiscopus Coloniensis an. 1144, in charta, ad cap. 3 Analect. danda, ejus meminit, « ut Sanctensis tunc canonici, » cum cœnobium in Vurstenberg fundaretur, ac « postea Magdeburgensis episcopi. » Cum ergo in cap 2 Analect. Hermannus monachus, æque coævus, « canonicum Coloniensem » facit Sanctum, intelligendus est diœcesim nominasse pro particulari intra eam Ecclesia. Porro quæ ibidem Xantis hodie monstratur domus natalis S. Norberti, in via vulgo *de Mar-strate* dicta, « jam non una, sed tres contiguæ domus sunt, » sicut huc scripsit R. P. Lambertus Buren. per plures annos Xantensis nostræ residentiæ senior et plerorumque canonicorum confessarius, prope septuagenarius: qui studiose singulos interrogando, ait « eam esse omnium tam incolarum quam accolarum traditionem. » Invenit autem anno 1692, quo litteras illas dedit, quod « trium istarum domorum prima versus forum, cui signum Trium Mercatorum, ab aliqua mercatrice habitatur; secundam pistor incolit; tertiam faber ferrarius: cujus pater, vir octogenarius refert, has tres domos unam fuisse domum, sed totam præter muros incendio periisse. Idem confirmat alius quidam senex octogenario major, natus et educatus in illa quam nunc pistor incolit: additque se audivisse a parente suo, viro similiter octogenario, S. Norbertum olim eo loco, in quo ipse tum commorabatur, natum esse. » Ibidem in vicaria S. Petri perseverat calix, qui dicitur S. Norberti fuisse, vel ab eo donatus.

(19) Creditur constructum ex ruinis Coloniæ Trajanæ; et forsitan inde occasionem sumpsere quidam comminiscendi, locum olim dictum fuisse *Trojam* seu *Trojanam*.

(20) Egimus 1 Februarii, ante Vitam S. Sigeberti regis, de origine Francorum, tam Ripuariorum, quam Saliorum, et hoc docuimus, ortos in ditionibus Zutphaniæ et Transisulania, inde migrasse in Be-
B tuam atque Brabantiam, ac tandem regnum antiquum Francicum constituisse. Ex his ergo Francis Saliis origo deducitur. Et Hadwigis quidem mater a Polycarpo creditur fuisse filia Eudonis Burgundiæ ducis, Roberto Franciæ rege nati: Herbertus vero comes palatinus Rheni, Otthonis I per matrem Mathildem pronepos: sed hæc vellemus confirmata antiquis testimoniis legere.

(21) Genepe, oppidum Cliviæ, antiquitus *Genapum*, unde Genapii: ad Ruram fluvium, trans quem jacet silva, in veteribus scripturis *Kettelensis*, hodie *Kesselensis* dicta; ab antiquo *Kettel*, nunc *Kessel*, castro scilicet Genapiorum, media supra ipsorum oppidum leuca sito, ubi silva illa initium capit: sicut infra idem oppidum, ac dicti Ruræ et Mosæ confluentes, jacet Genapiorum Curia, vulgo *Genepper Huys*, versa etiam ipsa superiori sæculo in munitissimam arcem, nunc solo æquatam. Quod autem antiquitus scriberetur *Kettel* (sicuti *Hassum*, inter
C Genapum et Gochum, antiquitus dicebatur et scribebatur *Hattum*) docuit me Joannes Michael vander Ketten, Brigittinorum Kalkariensium in eadem Clivia prior: et sic intelligitur pater S. Norberti nomen habuisse. ab ipso Castro Genapiorum (nam *Kettel* seu *Kessel* linguæ nostræ idem sunt quod *Castellum*, et ab hac Romanis usitata voce vero similiter relicta) quod castrum fuerit proprii ipsius juris, sicuti plerumque nobiles ea ætate a suis dominiis cognominabantur. Nobilem autem fuisse familiam a Genepe patet, tum ex Heriberto et Ereberto a Genepe fratribus, in prædicta Vurstenbergensi charta nominatis, ac S. Norberti verosimiliter consanguineis; qui etiam Heribertum fratrem habuisse, ibi legitur: tum ex Willelmo de Gennep, archiepiscopo Coloniensi, cujus anno 1362, 15 Septembris defuncti monumentum ornatissimum cum epitaphio habetur in metropolitana ecclesia. Insinuavit porro in sua de Trajectensibus Diatriba Henschenius, Menapios Ger-
D manos (quos Julius Cæsar asserit « trans Mosam magnam partem equitatus ab Ambivaritos, prædandi frumentandique causa misisse ») potius Genapios appellandos, quos Tacitus dixit *Gugernos*, nobis *Gochenars*, quos, modo *Clivios* vocamus, sumpta diversimode appellatione a tribus istis oppidis præcipuis et vicinis, *Gennep*, *Goch*, *Cleve*.

(22) Varia mss.: « Quoniam archiepiscopus futurus est, quem gestas in ventre; et natus traditur circa annum 1080.

(23) Fredericus sedit ab anno 1100 ad an. 1131, diem 25 Octobris: apud quem dicitur fuisse circa annum 1112, et sequenti anno in aula imperatoris.

officium (24) clericatus et scientiam litterarum; in illa vero, propter generositatem animi et excellentiam urbanitatis; in utraque autem, propter affabilitatem vitæ et elegantiam morum. Hic clarus, ibi nobilis; strenuus utrobique: dilectus et honoratus non minus a Dominis quam ab universa familia; gratus omnibus, et habilis universis; magnus inter magnos, et inter parvos exiguus; inter nobiles illustris, et inter ignobiles rusticanus; inter peritos disertus, et inter idiotas tanquam fatuus, cunctis se amabilem exhibebat: omnibus denique omnia factus, omnium, inter quos versabatur, studiis congruebat. Erat enim homo aspectu hilaris, vultu serenus, sermone jucundus, conversatione mansuetus, societate affabilis, suis beneficus, extraneis pacatus; in dando profusus, in accipiendo pudibundus: in manu consilii sui positus, et ante cogitationum suarum oculos constitutus, proprio pro ratione utens arbitrio, et pro arbitrio agens vitam; nihil sibi denegans, neque intentatum relinquens, quod propriæ voluntatis suggereret appetitus; non attendens quid liceat, et quid non deceat non cavens, dum tantum quod libet suppetat, et quod displicet non obsistat; transglutiens præterita, præsentia devorans, præoccupans et futura: civis sæculi hujus egregius, et inclytus Babyloniæ colonus; clausis incedens luminibus, et capite verso retrorsum, nesciens quid super eum disponeretur in posterum, et ignarus quid sibi crastinus pareret dies, imo, quod deterius erat, penitus non curans; religionis et quietis impatiens, inquietudinis et impatientiæ servus.

5. Amplificabant præterea in his omnibus spem votorum ejus, et dilatabant desideria cordis, secundorum proventuum temporalis successio, et aura favoris humani, plausu dulcisono, et voce, homini sic affecto melliflua, acclamantium undique atque dicentium: *Euge*, *euge*; præ cujus dulcedine atque suavitate, promissio regni cœlorum, seu comminatio gehennæ ignis ardentis, et quæ his similia, insonabant auribus ejus, tanquam verba lenta et somnolenta, perstrepentia et tumultuosa, indignationis et molestiæ plena, quasi deliramenta senilia et ineptiæ pueriles. Omnis denique cautio, quæ non geminum in circuitu ejus duplicaret *Euge*, videbatur ei veluti locutio inanis et narratio fabulosa. [Cap. II]. His igitur stimulis exagitatus, atque hujuscemodi sollicitatus aculeo, circumferebatur Norbertus in medio Babylonis; multiplicibus et tortuosis anfractibus, per vias laboriosas et difficiles, semper vadens et nunquam rediens, errans et nesciens, vagus et profugus, fluctuans nec sentiens, periclitans et securus, exhauriens ventum et aucupans vanitatem. Tum factum est, et ecce subito et ex improviso sermo velox et manus præpotens imminet dorso fugitivi, dejiciens ascensorem et erigens curvum.

6. Accidit enim ut solus, uno tantum assumpto secum puero, festinaret ad locum quemdam (25), Freden nomine: sed cur clam vel solus ierit, ipse novit qui dixit: *Sepiam vias tuas spinis* (*Ose.* II, 6). Cum vero, cum miro tam equitaturæ quam sericæ vestis apparatu, procederet in prati virentis amœnitate, subito densantur nubes, insurgunt procellæ, terrent tonitrua, micant fulgura et tempestates: villæ refugia procul, spiritus potestatem tempestatum habens terrores incutit, et mortis horrendæ responsa. Quid plura? Non destitit illiteratus docto, servus domino, puer seniori clamare, prædicare: « Norberte, quo vadis? Domine, quid agis? Revertere, Pater, revertere: manus enim Domini valida contra te. » Clamat servus, loquitur asina, sed utilius quam illa Balaamitica. Dominus enim desuper pius ad revocandum, nec tardus ad convertendum, quasi diceret: Norberte, Norberte, quid me persequeris? Corpus aptavi tibi, divitias quibus te ostentas, administravi tibi; mihi servire debueras: cur et alios perdere festinas? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ad hæc repente prosiliit ictus ante pedes equi, pervorans herbam, scindens et aperiens terram profundius quam ad staturam hominis quem sano sensu nullus audire posset mortalium; et, ut supra dictum est, manus præpotens Domini dejecit ascensorem; ejus misericordia vivificans, incurvatum et humiliatum protinus erexit. Stabat puer stupefactus, jacebat dominus, jacebat et equus, fere usque ad mortem extra se factus: fetor impleverat locum et vestes hominis velut sulphureus, velut infernalis ignis.

7. Post horæ spatium surgit homo quasi de gravi somno; sed et reversus ad se, tactus dolore cordis intrinsecus, dicere cœpit intra se: Domine, quid me vis facere? Et statim, quasi responderetur: Desine a malo, et fac bonum; inquire pacem, et persequere eam; non processit ulterius, nec transivit vallum quod foderat ei Dominus: sed revolvens secum misericordias Domini, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, reversus est via qua venerat. Et extunc conceptum divini amoris ignem paulatim augmentans, nec subito mutavit habitum, nec statim reliquit sæculum; sed asperitate cilicii membra domabat sub mollibus indumentis, et erigere se contra se prætentabat. Tum vero deinde sensim atque paulatim, interior verbi Dei gladius, penetrans profunda, urensque renes et scrutans

(24) Hermannus abbas S. Martini Tornac. Capellanum Cæsaris facit.

(25) In charta Vurstenbergensi prænotata nominatur « Agena abbatissa de Fretbena, » quod molliori dialecto *Freden* hic dici nihil dubito: invenio autem ad amnem Borkelam in Westphalia, sex leucarum intervallo a Sanctis, Vreden oppiduum; et intelligo ibi esse nobile canonissarum monasterium, cum canonicis ad sacra illis ministranda divinumque officium, sicut in aliis multis Belgii locis; huc ergo vanæ conversationis potius quam spiritualis utilitatis causa iter habuerit Norbertus, quando divinitus tactus fuit: quanquam eadem in via, post secundam a Sanctis leucam, occurrat Marien-Vreden, eremitas Augustinianos nunc habens locus. Propius etiam abesse locum, Vreden olim dictum, nunc dirutum, seniores aliqui cives asseverant.

corda, cœpit ab interioribus versa vice reformare quod menduciter fuerat deformatum, evellens et destruens, reædificans et plantans, eadem qua irrepserat via ejiciens serpentem, vertitque repente atque in momento, et mutavit silvestrem et rapacem accipitrem, in simplicem et mansuetam columbam. Factum est autem, sicut dicit Apostolus (*Rom.* v, 20), ut ubi peccatum superabundavit, abundarit et gratia. Et quia noverat Spiritus sanctus modum et ordinem operationis suæ, non est quidquam oblitus; sed postquam inspiravit amorem, addidit insuper et aperuit intellectum, misitque in animum renovatæ jam intrinsecus mentis, ut tempus adhuc modicum et sibi congruum sustineret exterioris hominis exuendi cum actibus suis, locumque aptum et idoneum eligeret publice abrenuntiandi huic sæculo ac principi et magistro ejus diabolo, cum omnibus pompis suis, ubi divinæ pietatis clementia et evidentior appareret et gratior existeret.

8. Collectis ergo interim ad se vir Dei viribus, (25*) rediensque introrsum apud se, corroboransque animum suum, et altiora secum versans consilia; mutavit funditus atque convertit omnia vitæ suæ studia, ad vias penitus alias et omnino diversas. Jam igitur edoctus pugnare cum hoste, retraxit continuo pedem a curia; ac domi residens, vel in abbatia Sigebergensi, cum bonæ memoriæ (26) Conone abbate, qui tunc illi præerat monasterio, mirandæ sanctitatis viro, commorans, et Scripturas divinas memoria colligens; expectabat, ut dicit Salomon, sapiens usque ad tempus; et tirocinia quædam futuræ conversionis exercens, quidquid paupertatis apud se disponebat, quidquid passionum et agonum accidere poterat, infatigabili præmeditatione lævigabat. Ne autem novelli tironis, et inexercitati adhuc militis, affectuosus animus sedula dilationis suspensione aliquatenus angeretur; confortabatur exemplo Domini et magistri sui ac Redemptoris omnium Jesu Christi, de quo ipse legebat quia sustinuit donec veniret tempus et hora ejus, sicut refert sermo evangelicus, dicens de Judæis: « Et non tenuerunt eum, quia nondum venerat hora ejus (*Joan.* vii, 30); » et alibi sub persona ipsius: « Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea (*Joan.* ii, 4); » et iterum: « Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum (*Joan.* vi, 7); » et rursus evangelista: « Cum appropinquasset Pascha, dies festus Judæorum sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* vi, 4; xiii, 1), » etc. Imbutus itaque nova interioris virtutis gratia, exterioris autem vetustatis tunica nondum exutus, demulcebat desiderium suum spe uberioris fructus; malens simul novi hominis indumentum pariter et ornamentum suscipere; illud quidem in habitu religionis istud vero in dignitate sacerdotii: fierentque collata munera tanto jucundiora, quanto existerent ex alterutra collatione potiora: ac per hoc malignus spiritus eo gravius in circumstantium conspectu rueret, quo magnificus Rex in Norberto gloriosius triumphasset.

CAPUT II.

Ordines sacri suscepti, Verbum Dei prædicatum. Injuria patienter tolerata.

9. [Cap. III] Cumque diu optatum jam tempus adesset, et sacri ordines forent ex more in Ecclesia celebrandi; vir Dei, pia exsultatione repletus, festinanter et cum omni devotione adiit dominum Fredericum Coloniensem archiepiscopum, petens se prima vice inter cæteros ordinandum. Quo audito, archiepiscopus non mediocriter admirans, hominem per se ipsum demum petere quod ab aliis sæpe recusasset oblatum, libenter tamen et læta responsione annuit se facturum quod quærebat. Moxque ille subjunxit: « Diaconus et presbyter simul volo fieri. » Ad hæc archiepiscopus, vehementer stupens et pavens, quæsivit quænam esset hujuscemodi tam subitaneæ atque inopinatæ voluntatis causa. Qui ait: « Sic est in animo meo, nec poteris scire modo, scies autem postea. » Cumque archiepiscopus, causam scire volens, vehementius ex adverso insisteret, recogitans apud se vir Dei quod per omnem modum honesta et congrua esset persona, cui possit et debeat secretorum suorum conscientiam aperire, procidens ad pedes ejus cum lacrymis et gemitu, et peccatorum suorum veniam petens et accipiens, confessus est ei firmum et indeclinabile voluntatis suæ propositum. Videns igitur archiepiscopus hominem apud se quod petebat firmiter deliberasse, ac metuens gratam sibi et jucundam familiaris sui amicitiam violare, considerans quoque bonum, quod posset de tam laudabili viro facillime provenire atque intelligens quod non sine instinctu divino talia contingerent; quamvis non (27) liceret hos duos supremos ordines a quoquam simul dari vel recipi; admissa tamen pro causa et tempore dispensatione, tandem aliquando annuit.

10. Facta itaque hora celebrandi officii, et singulis qui ordinandi erant, sacris et albis vestibus, juxta consuetudinem ecclesiasticam, indutis locisque suis dispositis, adfuit et Norbertus in medio circumfluentium populorum; notus, ut putabatur, omnibus; sed ignotus, ut rei veritas se habebat universis, mirabilis apud homines, sed mirabilior coram Deo. Spectantibus ergo cunctis et exspectantibus, cum et

(25*) Ms. Neomagense, *residensque.*

(26) Canoni seu Cunoni abbati Sigebergensi inscripsit Rupertus, abbas Tuitiensis, libros De victoria verbi Dei. Is anno 1126 factus fuit episcopus Ratisponensis, mortuus anno 1130. Abbatiam autem rexisse videtur, in ordine tertius apud Bucelinum, ad annum 1115 aut sequentem. Est abbatia illa ultra Coloniam trans Rhenum ad iii circiter milliaria Germanica, vulgo etiam *Siburg*.

(27) Hinc apparet ante Cœlestinum, Honorium et Innocentium tertios, quorum exstant decreta, id prohibentia, fuisse prohibitionem istam, sed ab episcopis dispensabilem. Infra num. 24 « a Gelasio II papa, » de hoc facto « veniam postulans, impetravit. »

sacrista vestes offerret benedictas quas, ut cæteri, ad ordines suscipiendos indueret; ille, in cujus jam pectore Spiritus sanctus inchoaverat templum suum, convertit manum ad unum de famulis suis qui erant ibidem juxta eum; et innuit sibi præsentari pelliceum agninum, quod ad hujuscemodi opus de industria jusserat præparari. Quo accepto, et illis attentiore suspensione intuentibus, exuit varium et multiformem diabolum (indumentum scilicet miræ æstimationis pretio abundante vanitate, de iniquo mammona comparatum, in cujus comparatione in plateis Babyloniæ nullum simile inveniretur) et, videntibus universis, induit uniformem et simplicem Christum; vestem videlicet hominibus hujus sæculi, et maxime illius regionis apud nobiles prorsus insolitam, vilissimi pretii et nullius fere momenti; quæ consortibus pristinæ levitatis ejus, irrisionis potius signum ostentaret, quam ulla conversionis præferret indicia; sed homini Dei pretiosior quam purpura et byssus. Tum vero demum convertit aliam manum ad sacristam, et induit insuper oblatas sibi vestes, quibus, ut mos habet, in accipiendis sacris ordinibus uteretur; quid de se homines cogitarent aut dicerent, penitus non attendens.

11. Acceptis ergo juxta votum et desiderium animi sui sacris ordinibus, et spreto atque postposito humano de se judicio, divertit continuo pedem, et contulit se ad Sigebergense quoddam magnæ ac præclaræ famæ cœnobium: ubi inter religiosos ac devotos in omni sanctitate monachos, et accepti sacerdotii addisceret usum, et certa religiose vivendi caperet documenta. Completisque ibi diebus circiter quadraginta, rediit ad patrium solum; conferens se ad ecclesiam, unde fuerat et erat canonicus, ut dicitur, sæcularis. [Cap. IV.] Sequenti vero die, cum obtulissent ei decanus et concanonici sui, sicut consuetudo habet apud plerosque offerri noviter ordinatis, ut majoris in conventu missæ mysteria celebraret; ille humili responsione annuit se facturum. Temporis ergo hora instante, acceditur ad altare, et singula, prout res exigebat, usque post evangelium solemniter peraguntur. Lecto itaque evangelio, vir Dei, zelo divini fervoris accensus, incalescente in præcordiis ejus igne Spiritus sancti, versus est ad vestibulum ecclesiæ; subjiciensque verbo Dei ministerium vocis et officium linguæ, cœpit, prout divinitus ei inspirabatur, proferre de thesauris sapientiæ et scientiæ Dei pia futuræ vitæ monita, et salutaria æternæ beatitudinis hortamenta, addens præterea et ostendens, quam sint omnia hujus vitæ oblectamenta fluida et caduca, brevia tempore, vilia æstimatione, nec amore digna, nec possessione idonea; gloria labilis, ambitio cæca, divitiæ fugaces, delectatio momentanea, requies infida, securitas incerta, gaudia vana, prosperitas falsa; quam denique mordaces in his omnibus curæ et ærumnosæ sollicitudines cupientem stimulent, et sollicitent possidentem: quia non sine dolore amittitur, quidquid in hac vita cupide possidetur; cum id, quod concupiscitur, nec sine difficultate conquiritur, nec sine periculo custoditur: inflectens et retorquens totum negotii pondus in concanonicos suos, neminem tamen aperte designans, sed ea præcipue crebro sermone versans, quibus eorum conscientias acrius perurgeret, intentas minus, et exaggerans vindictam; asserens et adstruens, atque id ipsum multis et necessariis argumentis irrefragabiliter asseverans, quod divini rigoris severitas nihil inhoneste perpetratum, patiatur inultum; nec quidquam illicite gestum, relinquat impunitum: et, quoniam « qui talia agunt, sicut dicit Apostolus, regnum Dei non consequentur (*Gal.* v, 21). » Post hæc autem reversus ad altare, incepta sacrosanctæ Missæ mysteria ad finem usque perduxit.

12. Crastina rursus die, cum jam omnes ex more in capitulo resedissent, cœpit primo accepto codice alloqui decanum, ostendens ex verbis (28) BB. Gregorii atque Isidori, quorum se regulam tenere dicebant, quia ipse, qui erat omnium præpositus et magister, deberet eos ad rectum honestæ et sanctæ vitæ tramitem revocare. Audientes autem hæc seniores et prælati, utpote sapientes, rem taciti considerabant, juxta id quod scriptum est: « Sapiens autem differt, et reservat in posterum (*Prov.* xxix, 11), » et quia veritati nullatenus et Spiritui, qui loquebatur, resistere præsumebant. Juniores vero, quibus mos est minus quæ Dei sunt attendere, ad alterutrum murmurantes, et seorsum subsannantes, pristinæ levitati deputabant. Unde factum est ut inde recederent, exteriorem [solum] ei reverentiam exhibentes; tum quia gravis erat inter eos auctoritatis, tum quia signum prætendebat et habitum alicujus religionis. At ille singulorum aditus atque diverticula a longe quodammodo prospiciens et attendens, in crastinum rursus, cum iterum convenissent, cœpit proclamare in eos, nominatim unumquemque significans, quis videlicet, quid, ubi, qua hora, cum quo, quod minime liceret, egit vel dixit.

13. Eo itaque in hoc per dies quamplurimos perseverante, cum jam eis intolerabilis videretur, et quia, sicut ait sermo divinus, « nemo propheta acceptus est in patria sua; » Deo viam ejus ad plu-

(28) In concilio Aquisgranensi, anno 816 sub Ludovico Pio habito, forma institutionis canonicorum præscribitur ex sanctis Patribus, potissimum ex regulis a SS. Isidoro et Gregorio tradita; ab hoc quidem, in libro Pastoralis curæ; ab isto vero, in libris De officiis ecclesiasticis atque De summo bono; uti apparet inspicienti prædictum concilium, quod in omnibus editionibus, vel in margine vel in titulis designatos habet cujusque Patris locos, quod fieri etiam potuisset in iis Martyrologiis, quibus ad singulos dies sententiam aliquam, ex prædicta regula sumptam, invenimus ascriptam; in editionibus Parisiensibus Usuardi, anni 1490 et 1536; quem salubrem usum revocari pro clericis, quibus sæpe nulla suppetit copia instructionum, statui suo aptarum, perquam utile foret. Cæterum habetur in Codice Regularum parte ii, pag. 197 editionis Holstenianæ, *Regula monachorum S. Isidori*: quæ Patribus Aquisgranensibus an visa fuerit, necdum vacavit facta collatione examinare.

rimorum salutem altius disponente, reptante in cordibus eorum, ex occulta permissione Dei, spiritu maligno, qui « operatur in filios diffidentiæ (*Luc.* IV, 24), » quales ille tunc erant; concitaverunt adversus eum quemdam ignobilissimum clericum, vilis conditionis humilisque fortunæ. Hic dum temeraria et audaci præsumptione obloquitur ei, et salebra conviciorum perfundit eum, sputis etiam, incredibili arreptus dementia, fœdavit faciem ejus. Accepta vir Dei tanta contumelia, continuit seipsum, et conticuit; detersaque facie, ac peccatis suis deputans, maluit coram Deo lacrymis indulgere quam ultioni. In quo facto, ut datur intelligi, expertus est, quantum sibi per gratiam Dei virium superesset, ad majora pro justitia toleranda. Erat autem, ut ex multorum relatu cognovimus, clerici illius, a quo sputis injuriatus est, talis persona; quem si ipse per cœnum trahi et demergi a coquis coquinæ suæ mandasset, nullus diceret aliud, nisi: « Bene factum est. » Hæc autem et his similia ob hoc maxime de eo referuntur, quia visibilia miracula simplicibus et idiotis stupenda sunt; patientia vero et virtutes sanctorum, his qui ad Christi militiam se accingunt, admirandæ sunt et imitandæ; quatenus et retributionis possint esse participes, qui laboris et tolerantiæ exstiterint consortes; ac per hoc nec in remuneratione dispar sit merces quorum non est in voto dissimilis causa.

CAPUT III.

Quare et quo modo patiantur sancti mala. Constantia fidei in S. Norberto.

14. [Cap. V]. Nam (29) si, ut ait sermo divinus: « Nihil fit in terra sine causa (*Job.* I), » et hoc est summum et principale rationalis creaturæ decus, eorum quæ fiunt cognoscere causas, nullus profecto ambigit an sint, non dico quia sint, sed an sint sanctorum, quas in hoc sæculo patiuntur, adversitates et relatione dignæ, et cognitione idoneæ, quia nec eorum sciri potest causa, quorum exitus ignoratur. Causa namque intellecta et cognita, tum demum facillime quisque atque ex seipso, tanquam sponte proprio et ultroneo appetitu, movetur circa finem, prout utilitatis seu dispendii ratio dictaverit, ac id quod proponitur imitandum vel refugiendum. In omni enim re diligenter considerata duo præcipue occurrunt, causa videlicet, cujus cognitione reficitur interior animi ratio, et effectus, cujus usu juvatur exterior corporis sensus. Ex quo fit ut duplex sit rerum perceptio: una quidem per experientiam secundum usum, quæ pertinet ad exteriorem corporis sensum; alia vero per scientiam secundum cognitionem, quæ pertinet ad interiorem animi rationem. Horum autem duorum, animæ scilicet et corporis, et rursus rationis ac sensus, cum sit natura diversa motusque contrarius, contingit plerumque ut vel ratio exercitata debilitet sensum, et adimat pervi-
A caciam sentiendi; vel e converso, sensus invalescens obruat rationem, et obtundat aciem intelligendi. Proinde cum ratio, subjecto sibi corporis sensu, exercetur ad virtutem, agitur fortiter; cum autem sensus, obruta ratione, fovetur ad voluptatem, toleratur pecualiter. Ex hoc ergo est, quod homines sensibus carnis dediti, et rebus corporeis assuefacti, nec rationem quærunt, nec causam attendunt, existimantes omnia fortuitis et inopinatis motibus provenire. In quibus autem ratio viget, et ingenii lumen refulget, hi profecto diligenter inquirunt, et facile advertunt, quod nihil unquam sine certa et rationabili causa non solum non contingat, sed nec contingere possit.

15. Itaque si videris hominem rebus visibilibus
B irretitum, sensuum judicio innixum, curam carnis agentem, asserentem casum, diffinientem fortunam, blasphemantem Mercurium, noli ab eo quærere quare homines sancti, et justi, et boni, tot in hoc sæculo mala, cum nihil horum faciant, patiantur, quoniam qui ejusmodi est, pro nihilo ducit, et quod patiuntur scire, et quod faciunt imitari. Cui autem « Christus vivere est, et mori lucrum (*Philip.* I, 22); » qui potest in veritate cum Paulo dicere: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* VI, 14), » piam salutis suæ gerens sollicitudinem; hic procul dubio sollicite advertit et diligenter considerat quid sancti ad tempus, in hac duntaxat vita, humanæ conditionis debito patiantur, et quo per talem patientiam divinæ miserationis clementia perducantur. Verum in hac distributione tria sunt præcipue attendenda:
C quid videlicet quisque patiatur, quare, quid postremo exinde consequatur. Quod potest sic compendiosius dici: pœna, causa et finis. De pœna dicit Apostolus: « Quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei (*Act.* XIV, 21), » et iterum: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 28). » De causa legitur « quia non pœna facit martyrem, sed causa (*S. August.* epist. 61 et 167). » Propter quod dicitur in Evangelio ex persona Domini: « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V, 10). » De fine denique scriptum est: « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum (*Apoc.* XXI, 4). » Et rursus in libro Sapientiæ: « Hi sunt quos aliquando habuimus
D in derisum (*Sap.* V, 5), » et cætera quæ ibi sequuntur. Horum vero trium pœna prior est in cognitione, deinde sequitur finis. Verumtamen (30) in imitatione, finis præcedit, et pœna sequitur. Finis persuadet ut velimus: pœna probat si possumus; causa vero media discernit inter filios regni et filios gehennæ, tanquam inter paleam et frumentum; inter eos qui propter justitiam patiuntur, et eos qui secundum justitiam puniuntur.

16. Quamobrem Deus, cujus providentia univer-

(29) Sequentia usque ad num. 20 desunt nonnullis mss. et apud Surium, quia est doctrinalis tractatus, parum ad Vitam spectans; retinendus interim, ne opus censeatur mutilum.

(30) Aliqui mss. *immutatione* vel *mutatione finis*.

sus regitur et administratur mundus, ut ostendat se A rerum omnium potentissimum effectorem et justissimum ordinatorem, non (31) prohibuit, ut nullus sit malus; sed subdens eos, qui per propriam et iniquam voluntatem tales sunt, legibus imperii sui, facit per omnipotentiam suam, ut sicut de nihilo ab ipso et per ipsum factum est aliquid, similiter ab eodem et per eumdem, aut de malis fiunt boni, aut per malos, tanquam per idonea instrumenta, perficiantur qui volunt et satagunt esse boni, non eos separans neque disjungens, sed permistim et insimul esse permittens. Hæc nempe quatuor, bonum et aliquid, nihil et malum, tam ordine considerationis quam naturæ conditione, gradatim quodammodo ab invicem disjunguntur. Quantum enim differt nihil ab aliquo, tanto procul dubio et malum per pœnam inferius B est, quia nihil, et bonum per meritum superius, quia indifferenter aliquid. Quapropter Deus, tanquam rex in republica sua, disponens atque ordinans per sapientiam attingentem ubique rerum universitatem (*Sap.* VIII), malorum quidem cupiditatem aperit, vel intercludit viam, prout ipse oportere judicat, ad quod inhiant consequendum; bonorum autem et voluntatem præveniendo præparat, et possibilitatem adjuvat subsequendo. Ut autem certius fiat quod dicitur, de Scripturis divinis utrumque probandum est. In psalmo CIII, commemoratis quibusdam operibus Dei, loquitur Spiritus sanctus et dicit: « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti. » Et, paucis quibusdam iterum breviter enumeratis, subjungit: « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei; omnia a te exspe- C ctant, ut des illis escam in tempore. » Hoc nimirum est dare escam, quod est aperire viam, ad quod inhiant consequendum. Huic sententiæ etiam illud convenit, quod legimus in Evangelio petiisse dæmones a Domino Jesu Christo, ut intrarent in porcos (*Matth.* VIII, 31). Quod enim sermo propheticus ait: « Exspectant, » hoc ab evangelista Matthæo positum est: « Rogabant: » et quod iste dicit: « Dante te illis; » hoc ille ait: « Ite: » et quod iste: « Colligent; » hoc ille: « Abierunt. » Post hæc sequitur Propheta, et dicit: « Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur, » quod est intercludere viam, coercendo voluntatem pravam, et invisibilibus quibusdam vinculis religando. Huic sententiæ simile invenitur in lib. Tobiæ: « Tunc Raphael D angelus apprehendit dæmonem, et religavit in deserto superioris Ægypti (*Tob.* VIII, 3). »

17. De misericordia vero præveniente, ait psalmus LVIII: « Et misericordia ejus præveniet me; » de subsequente vero XXII: « Et misericordia ejus subsequetur me. » Huic sensui attestantur reliqua verba utriusque psalmi, a principio usque ad finem. Nam iste incipit ab adversitate; et tribulationem suam, quasi nondum præventus, prosequitur describendo; ille vero a prosperitate incipiens, utpote jam præventus, divina ergo se beneficia describit. Proinde iste orat cum gemitu: « Eripe me de inimicis meis, Deus meus; » ille vero narrat cum gaudio: « Dominus regit me, et nihil mihi deerit. » Communicant ergo boni permistim atque indiscrete temporalia ista commoda vel incommoda inter malos, tanto nonnunquam majora, quanto inventi fuerint meliores. Sed bonis proveniunt hæc bona, ut a Deo esse ac distribui credantur; malis autem, ne ab his qui boni vel sunt, vel esse cupiunt, talia pro magno habeantur. Item hæc temporalia mala et bonis ingruunt, et malis; sed istis, ut vel probentur, vel purgentur, vel exerceantur; illis vero, ne scelera et iniquitates eorum ignorari ab eo vel negligi putentur; ac per hoc divini consilii altitudo eo majori veneratione sit dignior, quo intellectibus humanis existit incomprehensibilior. Unde nos quoque, qui malorum pœnas extimescimus, et bonorum præmia desideramus, non debemus his auditis et cognitis obdurare corda nostra, sed istorum et illorum exemplis, tanquam divinis vocibus provocati, studeamus in adjutorio Domini nostri, ad ea quæ cupimus consequenda, emendare vitam, corrigere actus, instruere mores; sensum quoque, voluntatem et propositum nostrum ad meliora semper provehere.

18. [CAP. VI] Probatus itaque vir Dei Norbertus, ut superius dictum est, et in uno jam per omnia dignus inventus; ut etiam secundum hoc evidentior super eum divinæ providentiæ operatio appareret, juxta id quod scriptum est: « Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella (*Eccli.* XXX, 1): reperitur adhuc, et examine majoris tentationis exquiritur. Nam cum post hæc incredibili se jejunio et abstinentia maceraret, die noctuque vigiliis et orationibus insistendo, contigit semel, dum in quadam crypta missam ex solito celebraret, ut in calicem jam consecratum aranea laberetur. Quo viso, stupuit sacerdos, vitam et mortem ante oculos habens: erat enim aranea non modicæ corpulentiæ. Quid faceret homo, cujus fides jam in Domino solidata erat? Ne ergo aliquod præparati sacrificii faceret dispendium, magis elegit subire periculum; et totum quidquid erat hausit. Ergo peracto sacrificio se statim moriturum præstolabatur. Dum igitur, immotus a loco, ante altare exitum quem exspectabat Domino precibus commendaret; pruritu narium provocatus dum scalperet, subita sternutationis commotione, aranea integra per nares excussa est. Ecce Deus iterum sacerdotis sui, quam sibi utilem futurum præsciebat, mortem adhuc nolebat, sed fidem. In quo facto manifestissime compertum est quanta et hujus esset in Domino fides, et Domini erga eum benignitas. Duo namque illi, ad quod præparabatur, erant necessaria, patientia videlicet et fides; patientia pro armis, fides pro robore; patientia, ne inermis cederet, fides, ne infirmus deficeret. Tantam proinde adeptus est fidem, ut in ea omnibus vitæ suæ diebus cunctis tunc temporis viventibus, communi omnium judi-

(31) *Prohibuit*, idem hic est quod *impedivit*.

cio, facile præferretur. Erat præterea homo ille absque omni dubitatione cæterarum virtutum munere laudabiliter imbutus; sed fides in eo propterea tam diligenter præ cæteris commendatur, quia sine dubio per eam operatus est tam multa quæ fecit, juxta id quod legimus in Evangelio, ex persona Domini dicentis discipulis suis: « Si haberetis fidem quantum granum sinapis, et diceretis monti huic: Transferre, et transferret se (*Matth.* XVII, 19). » Et iterum: « Credenti omnia sunt possibilia (*Marc.* IX, 22). » Apostolus quoque in hæc verba consentiens ait: « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt (*Hebr.* XI, 33), » et cætera quæ ibi sequuntur, fidem procul dubio commendans. Unde quidam cum diceret quis in quo illius quo ipse vivebat temporis excelleret, ait: In Norberto eminet fides, in (32) Bernardo Clarævallensi charitas, in (33) Milone Tarvanensi humilitas. Et idcirco, si quid de ipso dictum fuerit quod humanæ consuetudinis conditionem excedat, non debet videri ei, qui talis non est, incredibile; sed ad eum continuo id referat, qui huic per gratiam fidem, et per fidem talia posse donavit.

CAPUT IV.

Persecutiones toleratæ; peregrinationes assumptæ. Potestas concionandi obtenta.

19. [CAP. VII]. Patientiæ igitur clypeo protectus, et fidei fortitudine communitus, prædicans omnibus et annuntians verbum Dei, opportune, ut dicitur, et importune (*II Tim.* IV, 2), seseque quotidie meliorem reddens, conversatus est per annos tres in eodem habitu. Cum autem persequeretur ab his, quibus erat ejus prædicatio importuna, conferebat se interdum ad Sigebergense quoddam monachorum cœnobium, quod tribus a Colonia leucis distat: aliquando in regularium canonicorum monasterium, quod dicitur (34) Roda; sæpius autem ad quemdam eremitam, nomine Lidulphum (35), miræ sanctitatis A et abstinentiæ virum, clericalem vitam agentem. Ad hujuscemodi ergo viros confugiebat causa recreandi spiritum, quotiescunque persequebatur ab his quibus verba veritatis erant tædiosa. Apud eos autem divertebat, ut inter eos et sanctæ vitæ addisceret instituta, et spei cœlestis susciperet incrementa. Nonnunquam vero domum suam sanctis rediens, cœptæ prædicationis studiis infatigabiliter insistebat [CAP. VIII]. His ergo ita se habentibus, accidit ut concilium quod jam fieret in Teutonicis partibus, apud oppidum quod dicitur in Friteslare (36), coram domino (37) Conone sedis apostolicæ legato. Ex qua re occasione accepta, episcopi, archiepiscopi, abbates, aliæque multæ personæ, qui negotiorum suorum causas illuc convenerant tractaturi, inito consilio B vocaverunt hominem Dei. Quo præsente, cœperunt eum ex communi omnium assensu coram præfato domino accusantes redarguere, quare videlicet prædicationis officium usurpasset, eosque in ipsa prædicatione quare verbis et conviciis tam acriter insequeretur, cum a nullo mitteretur, nec eorum princeps esset constitutus, quare insuper habitum religionis prætenderet, cum in nullo religio et proprietas convenirent, et qua ratione pretiosas vestes abjecisset, cum mos terræ id non habeat, et maxime apud nobiles, qualis ipse erat, ut quandiu versantur in sæculo, agninis seu caprinis vestibus utantur.

20. Ad hæc omnia vir sapiens, a Deo edoctus, sapienter respondebat, dicens: « Si de religione impetor: Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: « Visitare pupillos et viduas in C tribulatione sua, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo (*Jac.* I, 27). » Si de prædicatione, scriptum est: « Si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, et operiet multitudinem peccatorum (*Jac.* V, 20). » Si de potestate, datur nobis in susceptione sacerdotii, cum dicitur: « Accipite potestatem, et estote relato-

(32) S. Bernardus laudat S. Norbertum epistola 8 ad S. Brunonem archiepiscopum Coloniensem, ep. 38 ad Theobaldum principem, epist. 79 ad Lucam Cuissiacensem abbatem, ep. 56 ad Gaufridum episc. Carnotensem, et epist. 126 ad Innocentium II papam.

(33) Milo, discipulus S. Norberti, primus abbas Ecclesiæ S. Judoci in Nemore, quod nunc cœnobium Donmartinense appellatur, in Artesiæ finibus juxta Hesdinium situm. Idem an. 1131, 15 Februarii creatus episcopus Tarvanensis, mortuus 16 Julii an. 1159. De eo inter prætermissos egimus 15 Februarii; sunt enim qui *beatum* vocent, aut etiam *sanctum* Excusat eumdem Polycarpus prolixe, contra amaram Petri Cluniacensis epistolam; tanquam nimio impetu, etiam ex S. Bernardi sensu, rapti in causa Bertiniensis cœnobii, pro quo Milo stabat.

(34) Rodæ monasterium, in diœcesi Coloniensi, Ducatu Limburgensi, nominatur apud Cæsareum lib. XI, cap. 42. Indicaturque vicinum fuisse villæ Wurmæ, cujus nominis licet villa nulla nunc sit, est tamen fluvius inde dictus, vel illi nomen donans; atque ab Aquisgrano, circa quod ortum ducit, ad Ruram Juliacensem descendens, interimque transiens villam insignem Herzogenrath, Gallice *Rolducq*, cui adjacet abbatia canonicorum regularium, Claustrum Rodense vulgo *Kloster-rath*: cujus abbas et monachi Latine scribentes, Rothenses vel Rodenses se dicunt. Est autem abbatia hæc sita, medio fere itinere inter Juliacum et Trajectum ad Mosam, nec minus sanctis quam Colonia distat. Vide 5 Jun. ad Vitam S. Gurlaci c. 7, litt. d.

(35) Alias *Ludolfus* et *Ludulfus*: aliunde necdum nobis notus, nisi quod Gelenius in Sacrario colon. lib. III Syntagm. 22 parochialem S. Mariæ in D Littore, alias Liskercken, ab antiquioribus dicat S. Lisolphi ecclesiam appellari; suspiceturque hunc esse in Vita S. Norberti nominatum, Lidolfum, cum alibi nullum inveniat S. Lisolfi vestigium; et pag. 752 Indiculum texens sanctorum ac venerabilium, quorum dies ignota: « Ven. Ludolfus vel Lovo, inquit, comes Cliviæ, circa an. 755 traditur duxisse uxorem, excitatoque ex ea hærede vitam sectatus eremiticam, in monte S. Joachimi prope Bedbur, » ad Erpam fluvium, 4 leucis Coloniæ ad occidentem. Nomen placet: sed discrepant ætas et locus duabus forsan personis in unam conflatis implicata.

(36) Meminit hujus Fritislariensis in Hassia concilii, ad an. 1118 habiti, Uspergensis, qui addit aliud tunc habitum Coloniæ, cui Norbertum interfuisse scribit: sed unum pro altero accipiens, aberrat.

(37) *Conon* seu *Conus* germanus, Prænestinus episcopus cardinalis, a Paschale II creatus.

res verborum Dei. » Si postremo de veste; docet nos primus Ecclesiæ pastor, quia non in veste pretiosa acceptum est coram Deo (*I Petr.* III, 3); et Joannes Baptista vestitus pilis camelorum; et Cæcilia, quæ induebatur cilicio ad carnem; et, quod his omnibus majus est, omnipotens Deus, protoplasto Adæ in exordio mundi non purpuream vestem, sed pelliceam tunicam fecit et dedit (*Gen.* III, 21). Taliter igitur invictus, adjuvante se gratia divina, recessit ab eis, quia non erat conveniens testimonium illorum adversus eum. Omni ergo destitutus solatio, divino tantum fultus auxilio, orationibus et psalmodiis jugiter incumbebat, vanitati et voluptati sæcularium contrarius prorsus existens; propter quod et ipse contra omnes, et omnes erant contra eum.

21. [Cap. IX]. Inde cum proposuisset totam sequentem noctem insomnem ducere, et orando rogare Deum, ut ipse, qui est dator recti consilii, et bonorum operum adjutor, secundum beneplacitum voluntatis suæ consilium ejus dirigeret, et propositum adjuvaret; ac sic in oratione pernoctasset, summo diluculo paululum maxillam manu sustentans; et, ecce, adversarius adfuit, sperans aliquid se facere per seipsum, cum nihil prius in membris suis, per quæ adversus eum molitus fuerat, potuisset, ita subsannando et illudendo, loquens: « Eia, eia, multa proposuisti; sed ad quem finem devenire speras, qui nec in unius noctis proposito perseverare potuisti? » Expergefactus itaque homo et insidiantis insidias inimici non ignorans, respondet: « Quis minis tuis crederet, cum ab initio, teste Veritate, mendax sis, et mendacii pater? » (*Joan.* VIII, 44). Taliter ergo spiritus malignus confusus recessit ab eo! Videns autem homo Dei, quia omnes essent contra eum, et jam veritas, cui testimonium perhibebat, ex superabundanti multorum mendacio suffocaretur, præsertim cum peccatum eorum ex relatione verborum Dei amplius invalesceret, juxta id quod Dominus dixit: « Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent (*Joan.* XV, 22); » intelligens etiam, quod in ipsum usque ad falsi criminis injectionem irruerent, eorum detrimentum ac perditionem potius quam quod sibi nocere possent, dolens ac metuens, venit ad archiepiscopum suum, et resignavit ei quidquid beneficiorum ac redditnum, quibus plurimum abundabat, in Ecclesia fuerat consecutus.

22. Venditis insuper domibus, ac cæteris omnibus (38), quæ vel ex patrimonio vel aliunde jure hæreditario possidebat, cum omni supellectili sua, et pauperibus erogatis; nihilque sibi retinens, præter decem marcas argenti, et mulam unam, capellamque unam ad missam celebrandam, assumptis secum duobus tantum laicis comitibus itineris sui, exemplo patriarchæ Abrahæ spontaneam adiit peregrinationem. Cumque venisset ad quoddam castrum, Hoyum nomine (39), super Mosam fluvium situm considerans apud se quod nudam crucem nudus utique sequi deberet; ipsa camdem supradictam, quam sibi retinuerat, proprietatem ibidem pauperibus erogavit, sola duntaxat capella sibi retenta, ad sacrosanctæ missæ mysteria celebranda. [Cap. X]. Deposita itaque funditus atque rejecta sarcina rerum temporalium, vigore animi bene jam compositi et præparati ad paupertatem omnimodam et indigentiam tolerandam, arduam et sublimem sanctæ vitæ aggreditur viam. Pede igitur nudo, tunica lanea, et pallio sibi sufficiente, sine tecto, sine certo domicilio, virtute animi horrendas hiemes et asperam glaciem superans, solo Christo duce, cum duobus tam singularis propositi comitibus, proficiscitur versus (40) S. Ægidium. Quo cum pervenisset, ibique, gratia Dei ordinante, qui sperantes in se non derelinquit (41), Gelasium papam, qui successit post Paschalem, invenisset; confessus est ei voluntatem et propositum animi sui. Veniam deinceps, specialiter de hoc, quod duos simul supremos ordines contra canonum instituta susceperat, a præfato pontifice postulans impetravit.

23. Papa vero videns prudentiam ejus, et spiritum Dei habitantem in eo, voluit eum retinere secum. At ille rogans et obsecrans, ne hac eum obedientia cogeret; exponebat qualiter seipsum in curiis regum atque pontificum lasciviendo dissipaverat, et quia id ad quod invitabat eum, juventuti (42) ejus vel assumptæ pœnitentiæ minime competebat. Quod si canonicum, vel monachum aut eremitam, seu etiam euntem peregrinum eum esse præciperet, li-

(38) Chrysostomus Vander Sterre in Vita, vulgari lingua Brabantica edita, scribit magnam bonorum suorum partem contulisse monasterio fundando in alto monte Firstenbergh prope oppidum Santense, quod quidem ex charta, ad c. 3 Analectorum danda, probatur; sed oportet statim ab initio conversionis, si non etiam citius factum fuisse. Cessit deinde sanctimonialibus Cistersiensibus locus, quæ eodem per bella destructo, Sanctos migrarunt. Superest autem adhuc villa rustica cum parvo sacello, et turricula lapidea rotunda, propter eminentem situm ad tres et ultra leucas spectabili. Stephanus Pigius noster, Caroli principis Neoburgici iter describens, ait Varesberg etiam dictum, id est Monte Vari; ejus scilicet, qui commissum sibi ab Augusto Rhenum per tres annos tutatus, sua deinde et Legionum Romanarum clade celebrior evasit.

(39) *Hoyum*, celebre ditionis Leodiensis oppidum, inter Leodium et Namurcum.

(40) Oppidum S. Ægidii, in Occitania et episcopatu Nemausensi, ubi olim celebris abbatia Benedictinorum, postea Melitensibus equitibus cessit.

(41) Gelasius, ob schismaticorum rabiem fugiens anno 1118, « ducente Domino, portum villæ S. Ægidii sanus cum omnibus suis et incolumis attigit. » Ita Pandulphus subdiaconus qui aderat, in Vita, quam vide in Propylæo Maii, et Baronium ad an. 1118 n. 16, ubi hic addit, « Norbertum a pontifice munus prædicandi impetrasse. »

(42) Hinc nonnulli putant se posse ascendere ad annum, quo natus sanctus sit; sed ita, ut discrepent in eodem modo, quo discrepatur in definiendo termino juventutis. Polycarpus censet legitimam sacerdotio ætatem annorum XXX habuisse, cum est ordinatus circa an. 1115 atque adeo natum esse anno circiter 1085.

benter ac per omnia obediret. [CAP. XI]. Videns A autem sanctus pontifex constantiam hominis et devotionem animi bonam; necnon et persecutione, quam pro verbo veritatis pertulerat, audita et cognita, dedit ei licentiam, facultatem prædicandi verbum Dei, non solum ubi prius prædicaverat, verum etiam ubique terrarum vellet et posset; idipsum ex persona sua monendo et præcipiendo injungens. Præterea eos qui prius ei ex invidentia obsistebant, prohibendo inhibuit, ne saltem simplices impedirent, si hujus sibi prædicationem superfluam seu minus utilem judicarent: et hoc ipsum, ut ratum esset et stabile, auctoritatis suæ litteris ac sigillo firmavit. [CAP. XII]. Accepta itaque prædicandi ex apostolica jussione obedientia cœpit media horrendæ hiemis intemperie, nudus item, ut B ierat, pedibus remeare. Tanta quippe, quod prætereundum non est, homo ille charitate in Deum flagrabat, ut eum nec frigoris asperitas, nec famis inedia, nec corporis lassitudo, ab eo quod inceperat revocaret. Pertingebant ei aliquando absque omni dubitatione in ipso itinere nives usque ad genua, nonnunquam vero usque ad femora; nec tamen eum uno saltem die poterant retinere.

24. Cibus ab eo, nisi quadragesimalis et vespertinus, præterquam in Dominicis diebus, minime sumebatur; piscibus namque seu vino rarissime utebatur. Corpus ejus non requiescebat per diem; spiritus autem nec per noctem habebat requiem, nec per diem; singularis enim fidei et magnæ fortitudinis erat homo ille. Dum ergo, hujuscemodi tam honesto tamque laudabili corporis et animi vigore C procedendo, transiret Aurelianum, adjunxit se comitatui ejus subdiaconus quidam; ac sic cum tribus sociis venit Valentianas Sabbato Palmarum. In crastinum ergo fecit sermonem ad populum vix adhuc aliquid sciens vel intelligens de lingua illa, (43) Romana videlicet, quia nunquam eam didicerat; sed non diffidebat quin, si materna lingua verbum Dei adoriretur, Spiritus sanctus, qui quondam centum viginti linguarum erudierat diversitatem, linguæ Teutonicæ barbariem, vel Latinæ eloquentiæ difficultatem, auditoribus habilem ad intelligendum faceret. Et ita per gratiam Dei omnibus acceptus factus est, ut cogerent eum fessa ibi et attenuata membra paululum recreare. Quibus cum nulla ratione vellet acquiescere (facies enim ejus erat euntis in episcopatum D Coloniensem, propter populi et linguæ notitiam quam habebat), factum est per dispensationem Dei, ut sociis ejus subitanea ægritudine oppressis, non posset inde tunc ulterius proficisci. Remansit itaque homo ad custodiendum infirmos suos, qui sequentibus intra octavas Paschæ diebus beato fine in Domino quieverunt. E quibus duo laici sepulti jacent in suburbio apud Valentianas, in ecclesia Beati Petri juxta forum, in sinistro latere ad occidentem. Subdiaconus vero monachus effectus, jacet sepultus in ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ in eodem oppido sita est (44).

CAPUT V.

Colloquium cum episcopo Cameracensi. Ascitus Hugo socius. Conciones habitæ.

25. Interea dum ibi maneret ad custodiendum socios contigit dominum (45) Burchardum Cameracensem episcopum, piæ ac reverendæ memoriæ virum, transitum inde habere feria quarta, proximo die ante Cœnam Domini. Quo audito, vir Dei, quia cognoverant se mutuo, dum adhuc versarentur in sæculo, accessit ad colloquendum ei. Veniens ergo ad ostium domus, in qua hospitatus erat episcopus, invenit ibi ante fores, per voluntatem Dei, unum de clericis ejus stantem. Hunc igitur submissa voce rogavit, ut introduceret se ad episcopum, erat enim gelu super terram, et homo nudis pedibus incedens. Ingressus igitur prædictus clericus locutus est ad episcopum, et introduxit hominem. Qui paululum inter se pariter colloquentes recognoverunt se continuo memores facti pristinæ familiaritatis. Episcopus autem intuens hominem, et intra se vehementissime admirans ac stupens, collacrymatus est; non enim se poterat continere; mota quippe sunt viscera ejus super eum. Et irruens collo ejus, ac pio ejulatu exclamans, cum suspirio dixit: « O Norberte, quis unquam de te talia crederet aut cogitaret? » Stans vero prædictus clericus, qui eum introduxerat, et affectum episcopi videns erga hominem, minime tamen sermocinationem eorum intelligens, quia Teutonice loquebantur, præsumens accessit, et interrogavit quidnam hoc esset. Statim ait episcopus: « Iste quem sic vides, in curia regis mecum pariter nutritus est, homo nobilis et deliciis affluens in tantum ut episcopatum meum, cum ei offerretur (46), respueret. »

26. Audiens hæc clericus ille, lacrymis statim perfusus est, tum quia dominum suum flentem videbat, tum quia mens et spiritus ejus in amorem tanti

(43) Pauperes, rudes, ineruditos et rusticos intelligit. « Romana lingua » erat, quæ modo Gallicana seu Francica dicitur. Id anno 1118 contigisse mense Junio infra n. 27 dicitur; tunc autem Dominica Palmarum inciderat in 7 Aprilis, Pascha in 14.

(44) Eadem Ex Chronico Præmonstrat. narrans Petrus Doutremannus in historia Valencen., pag. 120, ait S. Petri ecclesiam quidem ad forum, quod nunc medium civitatis occupat, tunc suburbium erat, fuisse proximam sacello Leprosorii: alteram vero D. Virginis, vocat primariam loci, ut etiam nunc est, cum titulo *Majoris*, ad distinctionem alterius abbatialis eadem in civitate, a qua portarum una locum habet.

(45) Burchardus, creatus episcopus anno 1115, ecclesiam S. Foillani in Hannonia postea Præmonstratensibus tradidit, et Ecclesiæ Tungerloensis eidem ordini firmavit.

(46) Vacaverat episcopatus, mortuo B. Odone, a 19 Junii 1113 sesquianno et amplius: intra quod tempus oblatum episcopatum ideo videtur recusasse Norbertus, quod, licet necdum conversus a sæculo, investituras tamen abominaretur, quibus extortum privilegium, sed an. 1112 cassatum a pontifice et concilio, noverat nullum esse.

hominis charitate melliflua redundabat. Erat etiam ipse voluntatem habens relinquendi sæculum, et hujuscemodi vivendi modum, quem in homine illo cernebat, in corde suo jam diu elegerat, eumque nimia cum devotione per dies singulos, consequi optabat. Qui tamen, nec adhuc inde quidquam loquens, conferens id tantum in secreto conscientiæ suæ, quoniam viæ illius verterentur, tacitus considerabat. At vero vir Dei, in eodem interim loco permanens, exspectabat finem sociorum suorum. Illis igitur, quorum solatio plurima itinera, rigoremque viarum ac frigidas nives frequenter superaverat, ad Deum, ut superius dictum est, ob sanctæ vitæ meritum receptis, ipse idem gravi infirmitate consequenter arripitur. Episcopus autem præstolabatur interim, quem tandem exitum infirmitas, quæ acciderat, haberet, familiaremque suum per archidiaconum quemdam et quasdam alias personas suæ curiæ visitabat. Prædictus vero clericus, utrum convalesceret, et quando, amori ejus ardenter inhærens, de die in diem sollicitus investigabat. Postquam ergo convaluit, accessit ad eum, et cum confessus esset ei votum et desiderium animi sui, seque sponderet cum ipso iturum; extendens homo continuo manus ad cœlum, et in immensum gratias agens, dixit: « Domine Deus, hodie te rogaveram, ut dares mihi socium; » existimabat enim, ut statim secum remanens, nusquam ad aliquid agendum ulterius repedaret. At ille non eo modo statuerat, sed prius volebat res suas ordinare: et ideo cum post hæc verba intulisset, dicens: « Habeo de rebus meis disponere; » contristatus est homo ad hujuscemodi sermonem; et sono vocis, pietatis affectum indicans, ait: « Eia frater, si ex Deo est, non dissolvetur. » At ille continuo respondit: « Vinculo indissolubili colligasti me, Pater. » Ac sic abiens, rebus suis dispositis qualitercunque vel indispositis, paulo post, cito prout potuit, reversus; et deinceps irregressibiliter secutus hominem Dei Norbertum, nefas et indignum esse arbitratus est, si pro re aliqua temporali, ullam horum quæ Deo placent faceret moram; vel aliqua, in tanta devotionis affectione, dilationis intervalla pateretur.

27. [Cap. XIII.] Anno igitur post incarnationem Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo decimo octavo, mense Junio, cum adhuc esset homo Dei apud Valentianas castrum, ab omni comitum suorum, quorum superius mentio facta est, solatio destitutus; quatenus miseratio divina erga famulum suum Norbertum evidentior appareret et gratior existeret; post illorum ex hac vita decessum, accessit ei dominus Hugo, supra memoratus videlicet clericus, hoc enim erat nomen ejus, qui proximo post eum loco successit in regimine (47). Præmonstratæ Ecclesiæ; relictisque omnibus, se cum eo in eadem vita et paupertate contulit, piæ nimirum et sanctæ conversationis homo. Gavisus est homo, et in immensum gratias agens Deo, et interiorem inspirationem cum exteriori Dei munere conferens, animatur ad prædicationem. Et jam sciens et præsumens de voluntate Dei, castella circuibat et villas et oppida, prædicans et reconcilians male dissentientes, et inveterata odia et bella ad pacem reducens. Erant enim veri pauperes Christi, laborem suum aliis gratuito impendentes, nihil a quoquam vel etiam in victu seu vestitu expetentes vel accipientes, nisi forte ad missam eis oblatum fuisset; et hoc totum, quidquid illud erat, pauperibus erogabant, Spiritus sancti et prophetæ memores, qui laudat eum, qui dispersit et dedit pauperibus, cujus justitia manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI, 9). Securi nimirum erant de gratia Dei, qui servis suis provideret quæ necessaria essent. Fixum enim tenentes quia peregrini et hospites essent super terram (*Hebr.* XI, 13), nec ulla poterant ambitionis perstringi, quorum tota spes de cœlo pendebat. Vile namque videbatur generoso spiritui, ut qui omnia pro Christo contempserat, ceu canis ad vomitum, quocunque ingenio vilibus rapinis inserviret, et abjectis mercedulis anhelaret.

28. In tantam igitur admirationem et dilectionem in cordibus omnium inductus est, ut quocunque iter agentes se verterent, villis aut castris proximantes, etiam pastores, relictis gregibus, concito cursu prævenirent; et populis, servos Dei adventare, conclamarent. Tunc vero campanæ pulsabantur, tunc concursus populi omnis sexus, omnis ætatis, omnis conditionis, catervatim ad ecclesiam confluens, missarum solemnia libenter audiebat, et verborum exhortationes ac monita libentius suscipiebat. Post sermonem vero non modica facta collatione, de confessionis frequentatione, de agenda pœnitentia, de conjugatis, de proprietatibus, et quomodo qui moriuntur in eis, debeant salvari; de omnibus ergo his dato et recepto responso, circa vesperam tandem ad hospitium ducebantur. Gaudebat siquidem non modice, felicemque se ac Deo dignum judicabat, qui eum in hospitio suo excipere merebatur. Aliquando autem alius trahebat asellum, alius rapiebat aselli capistrum, alius vi detinebat juvenem illum, quem solum habebant ad asellum custodiendum. Quis enim non stuperet novum genus vitæ in terra degere, et de terra nihil habere, nil quærere? Si enim, ut ait Salomon, « gaudium justo justitia est (*Prov.* XXI, 15); » maxime gratulabatur homo Dei se illud evangelicum complesse mandatum, quod in exsecutione prædicationis neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas portaret (*Marc.* VI, 8), nisi vir-

(47) Hugo mortuus est anno 1164, die 10 Februarii, quando inter prætermissos aliquod ejus elogium dedimus, quia ab ipsis Norbertinis nostratibus tunc intelleximus, nullum exstare cultum ecclesiasticum. At postea in quodam capitulo plurimis abbatibus præsentibus ejus corpus elevatum est, et aliquæ reliquiæ Antwerpiam delatæ ab abbate Norberto van-Cauwerve; in eamdemque cum reliquiis S. Norberti capsam compositæ; quare si certiora de cultu, vita, miraculis proferantur instrumenta, ea in supplemento danda erunt.

gam et capellam (48) ad missam celebrandam, et psalterium, vel nescio quemlibet alium libellum. Ad reficiendum autem nullam sedem præparare, non mensam apponere sibi vir sanctus sinebat. Terra sedes, et genua mensa illi erant; fercula salis condimento condita, et non alio; potus, aqua illis erat, nisi forte in civitatibus et abbatiis, aliisque hujuscemodi locis, ab episcopis, archiepiscopis seu abbatibus invitati cogerentur; ubi, propter simul discumbentium pacem, modum et consuetudinem eorum nollent excedere.

29. Nam illi, omnimodam eis humanitatem exhibentes, etiam in capitulis cum timore et reverentia ad faciendum sermonem colligebant eos, et post sermonem, data opportunitate, multis eos quæstionibus pulsabant, de ordinibus, de regulis, de habitu, et de diversis institutionibus sanctorum Patrum, de vita et moribus prælatorum, de subjectione et obedientia subditorum, de sacramentis cœlestibus, et de cœlesti vita, et de retributione ac beatitudine electorum, de gloria perenni, et de felicitate bonorum spirituum, de indifferenti bonorum malorumve tribulatione in hoc sæculo, et ad quem exitum deveniant opera singulorum, cum ad judicium Judex venerit in fine sæculorum. Etenim hujusmodi et tam multiplices quæstiones, non sine instinctu et fraudulentia insidiantis inimici esse poterant: quod exinde compertum est quia hominem alii ad tentandum, alii ad decipiendum, plerique tamen ad discendum, suis multiplicibus interrogationibus circumveniebant ut eum in sermone capere possent, et probare, utrumne tam insolitum modernis temporibus morem vivendi, in veritate prædicaret. Sed vir sanctus, quamvis eos insidiari sibi, ipsis confitentibus, pro certo haberet, nihil horum metuebat; sed clamans, et quasi tuba exultans vocem suam, scelera peccantium annuntiabat; et quod prædicabat ore demonstrabat opere; et quod operabatur, signis et virtutibus confirmabat. Sic itaque, undique pertranseundo, multos ab errore revocabat, et pœnitentiam suadens, multos restringebat a crimine; multos etiam discordantes ad concordiam reducebat. Propter hæc igitur et his similia, tantum amorem et gratiam ad populum contulit ei Deus, ut visu et alloquio ejus vix aliquis satiari posset; et ipse tantam charitatem haberet ad populum, ut multo tempore, relicto ecclesiarum hospitio, potius hospitari præferret in medio urbium et castrorum, ubi omnes adventantes gratanter exciperet. Erat præterea in his omnibus, supra quam dici et credi potest, patiens in vigiliis, sedulus in labore, gratus in verbis, gratiosus in visu, benignus in simplices, severus contra hostes Ecclesiæ. Nullus, temporibus illis, eorum qui religiosi videbantur, tantum favorem ad populum, tantamve confrequentationem obtinuit.

30. [Cap. XIV.] Sanctus itaque vir, qui novum noviter Hugonem acceperat, sicut a Deo postulaverat, socium, ne in tanta pœnitentiæ asperitate titubaret, verbis hujuscemodi alloquebatur, et multis admonitionibus sustentabat; et ne paupertatem adhorreret, B. Laurentium, qui thesauros sancti pontificis Sixti dispersit, in exemplum proponebat, volens ut ille, paulatim siccitate æstus sæcularis postposita, hauriret cœlestis refrigerii et dulcedinis fontem; idem ei promittens, quod a Veritate promissum est, scilicet, qui ex eo bibit, non sitiet unquam (*Joan.* IV, 13). Docebat etiam eum, quomodo reconciliari Deo et appropinquare peccator debeat, quibus studiis, quibus laboribus, quibusve virtutibus justus quilibet ad bonorum spirituum consortium pertineat, quantæ sit virtutis humilitas astruens, qua venitur ad cœlum; quantæque simplicitas, qua penetratur, qualisque sit obedientia, qua ad occultorum Dei notitiam pertingitur; qualis patientia, qua virtus animi possidetur; qualis castitas, quæ proximum facit Deo; qualis virginitas, quæ ambulat cum ipso; qualis paupertas, quæ regnum cœlorum possidere facit. Hæc et his similia vir Dei plenus multoties de die in diem, exhortationis gratia, repetebat.

CAPUT VI.

Discordiæ sublatæ, et pax firmata.

31. [Cap. XV]. Igitur ut aliqua, ex his quæ generaliter dicta sunt, specialiter dicantur, contigit quadam die, cum pertransiret per quoddam castrum (49) Fossas nomine, fieri concursum populorum tam clericorum quam laicorum, insolitum hujus vivendi modum admirantium; et eo maxime, quia quem socium acceperat, notum habebant. Intelligentes autem eum concordiæ et pacis esse, ex collata sibi a Deo gratia, ministrum, obnixe rogare cœperunt, ut apud eos requiem paulisper haberet, asserentes, in eadem regione mortalis odii non minimam esse discordiam, de qua non minus quam sexaginta peremptos esse confirmabant, nec a quoquam, cum a multis religiosis seu potentibus jam diu laboratum esset, pacificari poterat. Cumque multi multa super hac re loquerentur, non casu æstimandum est, sed divina disponente gratia, quod quidam pertransibat, cujus frater de eodem odio, eadem septimana, interemptus fuerat. Quem cum astantes cernerent: « Ecce, inquiunt, unus ex his, de quibus sermo habetur inter nos. » Quo advocato, statim homo Dei, brachiis collo ejus circumdatis, sic ait: « Dilecte mi, peregrinus ego sum pertransiens, et nihil a quoquam petii in istis partibus adhuc vel accepi; sed quia te juvenem bene armatum elegantemque video, placet mihi primum munus quærere a te et accipere quod ex patenti probitate, rogo te, non habeas contradicere. » Statim ille, nutu divino, pietatis affectu permotus et lacrymis obortis perfusus, respondit: « Quid est, Pater reverende, quod tibi a me vel a quolibet negari possit? » Qui cum remis-

(48) Capella, id est instrumentum capellæ; puta calix, etc. Missæ necessaria; ita supra num. 22. « Capellam unam » sibi dicitur reservasse sanctus.

(49) Fossæ oppidum ditionis Leodiensis, ubi quiescit S. Ultanus; ubi ad hujus Acta diximus Kalendis Maii.

sionem peremti fratris ab eo quæreret, sine mora remissum est ; et non tantum remissum, sed exinde obsequium viro Dei præstabat, ostendens opportunitatem quomodo cuncta pacificarentur et ex integro odia reconciliarentur. Erat enim feria (50) sexta, quando homini Dei primo indicatum est.

32. Factum est autem mane in sequenti Sabbato, ut ad villam, quæ Monasterium (51) nuncupatur, utraque pars adversariorum conveniret, populus etiam multus ex eadem vicinitate conflueret, partim ut hominem Dei, de quo insolita nuntiabantur, viderent, partim ut dissidentes, de quibus tota regio perturbabatur, ad reconciliationem provocarent. Cumque vir ille, ex præcepto Dominicæ veritatis, intra cubiculum quoddam, clauso ostio, fere usque ad horam tertiam orando persisteret, populus tædio et curiositate quadam (ut fieri solet) affectus, cœperunt mirari non minimum, et murmurare, murmurandoque alter ad alterum dicere : « Ut quid convenimus? Putabamus quod exiret, et verbi Dei semina seminaret, et fluentis fontis vitæ dura corda discordantium emolliret ; ipse autem in latibulis jacet, dormiens et requiescens, aut aliud quod suæ voluntatis est faciens. » Cum vero adeo impatientes ultra sufferre nollent, coegerunt socium suum, qui ad eos egressus fuerat, ut ingrederetur, et diceret se omnes in præsenti recessuros, si non exiret. Ille siquidem, ut erat timidus, sciens quia oraret, ne in oratione sua eum perturbaret, ingredi distulit, importunitate tamen eorum impulsus, demum intravit, et stans coram eo tremens, submissa voce dixit : « Pater, populus exspectat, et quia præsentiam tuam ei non exhibes, recedere vult. » Et ille : « Tace, inquit, fili mi ; non est nostrum servire Deo secundum voluntatem hominum, sed secundum voluntatem Dei. » Sed tamen non post multum surgens ab oratione, ecclesiam ingreditur ; et sacris vestibus præparatus, primo missam beatæ virginis Mariæ, ut in Sabbatis fieri solet, celebrat ; deinde missam (52) illorum defunctorum, quorum mors exstitit causa odii quod pacificare volebat. Quibus devotissime, juxta consuetudinem, peractis, exivit ad faciendum sermonem, sed quia prandii jam hora transierat (erat enim fere nona) multis ad reficiendum egressis, paucos quibus prædicaret invenit. Mos siquidem ipsius erat ut sic in paucis sicut in multis, sicut in divitibus sic in pauperibus, ex abundantibus charitatis visceribus, unicuique pro modulo suo et facultate sua faceret sermonem. Et paululum facta oratione, cum cœpisset loqui, et attraxisset spiritum, miro et ineffabili modo spiritus ille charitatis, quasi vox diffusa, sonus factus est in cordibus eorum qui præ tædio recesserant ; et ut ad sonitum tubæ unusquisque, relicta refectione vel potatione, de locis et tabernis in quibus consederant, quasi meliores epulas accepturi, concito cursu ad ecclesiam convolant.

33. Cumque vir Dei repletam esse ecclesiam videret, abbreviato sermone sic eos alloquitur : « Viri fratres, Dominus noster Jesus Christus, cum discipulos suos ad prædicandum mitteret, inter alia præcepta, hoc illis dedit præceptum, ut in quamcunque domum primum intrarent, primo dicerent : « Pax huic domui (*Matth.* x, 12) ; » et si ibi esset filius pacis, requiesceret super eos pax eorum (*ibid.*). Nos autem, non nostris meritis, sed sola superabundanti Dei gratia imitatores eorum effecti, eamdem pacem vobis annuntiamus, quæ mente incredula contemnenda non est ; nam ad pacem perpetuam pertingere facit. Vobis igitur incognitum non est ad quid convenimus. Non est nostrum, nec ex nostro, utpote qui peregrinus sum et advena pertransiens, sed potestatis et voluntatis Dei ; vestrum est autem, ipsius voluntati ex integro et devoto affectu acquiescere. » Ad hæc vox omnium una facta est : « Præcipiat, inquiunt, per te nobis Dominus quod beneplacitum est ei ; non habemus contradicere, quod te ordinante, in hoc negotio Dominus de nobis facere voluerit. » Quid plura ? Egressa est utraque pars adversaria hinc et inde foras in atrium, reliquiis in medio positis ; et parvo intervallo facto, abjurata est discordia, et concordia facta, et pax sacramento confirmata.

34. [Cap. XVI.] Quia vero non segnis erat ad hujusmodi opus, et ad cætera opera Dei, quæ ex officio sibi injuncto et in pœnitentia, divina miseratione susceperat, in crastinum, summo diluculo consurgens, secessit ad aliam villam, non longe positam, (53) Gemblacum nomine, ut sermonem faceret ad populum, in qua devotissime susceptus est ; eo quod et verborum Dei relatorem, et mansuetæ pacis eum esse portitorem audierant. Sed in eadem regione duo principes sibi non minimum inimicabantur, et, ut fieri solet, rapina et incendio tota regio vastitati et solitudini redacta fuerat. Hoc vir Dei audiens, et populorum vocibus commotus, ipsorumque miseriæ et paupertatibus misertus ; ipsos, quo potuit labore, adiit, ad alterum primo, deinde ad alterum. Qui cum primum alloqueretur dicens : « Magnus es et

(50) Surius et quædam mss. *secunda*, plura, *tertia* ; sed ex sequenti mox Sabbato apparet legendum esse *sexta* : scriptum verosimiliter erat VI, quod facillime convertitur in III, et ductu uno extrito in II.

(51) Monasterium, vulgo *Moustier*, ob monasterium ibidem a S Amando erectum secunda leuca ab urbe Namurcensi, uti diximus 6 Februarii ante hujus Vitam num. 62 ; et iterum dicendum erit 17 Julii ad Vitam S. Fredegandi, cujus reliquiæ istic quiescunt.

(52) S. Aybertus, presbyter a Burchardo episcopo Cameracensi ordinatus, hoc eodem tempore duas missas quotidie celebrabat, alteram pro vivis, alteram pro mortuis : ut scribit Robertus archidiaconus Ostrevandensis in ejus Vita, a nobis edita 7 Aprilis, num. 14.

(53) Gemblacum, in Brabantia Gallicana, in eodem tractu cum dictis locis oppidum, ubi illustris abbatia, de qua egimus ad Vitam S. Guiberii Fundatoris 23 Maii.

potens, et ignorare non debes quod tibi a Deo potestas concessa sit; et ego servus ejus qui ad te missus sum, me, inquit, non pro me, sed pro ipsius amore audire debes, qui pro tuo et multorum proficuo ad te diverti. Audi ergo pauperem peregrinum, suscipe Domini Dei tui præcepta, per eum tibi transmissa; suscipe, ut ab eo suscipiaris; dimitte ei qui tibi nocuit; dimitte, ut tibi dimittatur, tibique sit ad proficuum, pauperibus et egenis ad subsidium; ut proficuum tuum, peccatorum tuorum fiat remissio, pauperum subsidium, rerum suarum dissipatarum reparatio. » His auditis, princeps ille et homine inspecto, ut erat vultu angelico, considerataque vestitus et habitus humilitate, et facundia verborum cum columbæ simplicitate, et serpentis astutia; totus intremuit (commota quippe sunt omnia viscera ejus) et pietatis affectu responsionem emolliens, dixit: « Fiat quod vis; non est aliqua certæ rationis oppositio, quam possit aliquis objicere, tuæ contradicendo vel obsistendo petitioni. »

35. Cum ergo tali affectu ad effectum perduxisset quod petebat, ab eo transivit ad alterum. Sed seminator discordiæ, qui sedem suam ad aquilonem posuit, præveniens cor ejus sic obduraverat, et sui seminis radicem in eo sparserat, et ita mentis oculos clauserat, ut nullus veri luminis radius in mente, nullus charitatis fervor esset in corde, quo viri Dei vel ad modicum suavitatis responsa ministraret. Videns autem atrocitatem vultus illius, et oculorum intorsionem, et feritatem verborum, et cordis duritiam, ne margaritas ante porcum jactaret, statim conticuit, et versus ad socium, quem secum habebat, dixit: « Insanit hic homo, sed futurum est in brevi ut retrorsum cadat, et detur inimicis suis ad capiendum, et illaqueandum, et conculcandum. » Hæc dixit, et in eadem septimana verborum effectus subsecutus est; nam et captus ab inimicis detentus est. Hæc idcirco narrata esse sciat auditor, quatenus in hoc etiam vir Dei spiritum prophetiæ habuisse credatur.

36. [Cap. XVII.] Et procedens inde, venit ad proximam villam, quæ vocatur Colrois (54): et, quia fama de eo jam undique percrebuerat, populus de eadem vicinia ad audiendum sermonem confluebat. Et post celebrationem missæ, audito finitoque sermone, sicut consueverat, de pace et concordia, si inter eos aliquod dissidium esset, cœpit inquirere. Cum autem nominarent quosdam inter eos discordantes, cœpit eos humili exhortatione a veteris odii litibus revocare. Unde cum unus ex ipsis, multis rogatus precibus, nullatenus petitioni ejus et omnium circumstantium acquiesceret, foras exsiliit, et ascendens equum suum (miles enim erat) nitebatur fugere; sed cum ferociter calcaribus iterum atque iterum urgeret eum, nullatenus vel passum unum potuit procedere. Exeuntibus autem cæteris qui in ecclesia remanserant, et undique concurrentibus cum stupore et admiratione nimia; quidam subsannando clamare, quidam condolendo flere cœperunt; omnes tamen una voce Deum laudabant, qui et in sanctis suis gloriosus est, et ibidem in oculis peccatorum hanc eamdem demonstrabat gloriam. Ille vero confusione non minima confusus ad vocem clamantium, ad ecclesiam coram viro Dei rediit; et prostratus veniam petens, quod prius ab eo petebatur, quantocius gratanter annuit; et absolutionem, quod sanctum Dei virum offenderat, petiit et accepit. Et sic impletum est in eo quod scriptum est: « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine (*Psal.* LXXXII, 17). »

CAPUT VII.

Favore Callixti papæ et patrocinio episcopi Laudunensis Præmonstratum cœptum habitari. Diabolicæ tentationes superatæ.

37. [Cap. XIII.] Si igitur rei veritas, et veritati ordo succedentium adjungitur causis præcedentibus legenti et audientibus fastidium et derogandi occasionem generare nullatenus debet, quia etsi quædam sint, quæ tædiosis vel quibuslibet æmulis superflua videantur; vera tamen ab his qui viderunt et audierunt, retexuntur, et quæ prætermitti nequeunt; eo quod alio modo seriatim procedere res gesta nequeat, et scire volentibus satisfacere. Sunt etenim cuncta quæ præmissa sunt, ex multis pauca quæ gessit, priusquam fratres colligeret. Nunc autem plurima restant, quæ in colligendo, locando et conservando laboravit; et quomodo eos quos, per verbum Dei et Spiritus sancti gratiam, in unitatis vinculo colligaverat, conservavit; et voluntariæ paupertatis amatores, et obedientiæ per omnia Christi imitatores esse docuit. Eodem denique anno contigit, beatæ memoriæ Gelasium papam (55), a quo prædicandi auctoritatem acceperat, migrasse a sæculo; cui successit Callistus Viennensis episcopus, piæ et sanctæ conversationis homo et dignæ recordationis; quem constat apud Cluniacum electum fuisse, et in sede universalis Ecclesiæ potestatem honoris ac dignitatis culmen, communi omnium electione suscepisse. Transierat enim prænominatus Gelasius papa, cum saniori parte cardinalium, ut sanctam matrem Ecclesiam in membris visitaret; qui multa sedens in capite de his audierat, utpote qui cancellarius per multos annos exstiterat, tempore Paschalis papæ et aliorum; et quæ ubique terrarum dextra sinistrave fuerant, illum latere non poterant. Tanto denique Patre orbati cardinales, cæterique sanctæ Romanæ Ecclesiæ filii, qui ad exsequias Gelasii convenerant, ab eo qui dixit: « Non relinquam vos orphanos (*Joan.* XXIV, 18), » consilio quæsito et accepto, ad perficiendum quod cœperat prædecessor Callistus;

(54) Colrois, Surio *Coteri*, videtur esse *Couroy*, non integra leuca dissitum Gemblaco oppidum.

(55) Gelasius, vita functus Cluniaci die 29 Januarii anno 1119, cui mense Februario successit Callistus II.

bonum dans adveniens principium, Remis (56) concilium convocavit, ubi et introitum suum Ecclesiæ confirmavit, et ipse quæ bene gesta erant, approbavit et corroboravit, et quæ sinistra inventa sunt et corrigenda, auctoritate Romana et correxit, et corrigi præcepit.

38. Audiens autem homo Dei apostolicæ sedis dignitatem esse innovatam (autumnus erat, quando primo brumale tempus hiemis incipit frigescere), ut erat nudis pedibus Remos adiit : ubi ab episcopis et abbatibus, qui convenerant, cum gaudio susceptus est, non minimum tamen admirantes super excellentia verborum prædicationis et responsis ejus, et super duritie et asperitate assumptæ pœnitentiæ ; de qua a quoquam ipsorum, cum plurimi remitti et sibi indulgeri postulassent, quantum ad vexationem corporis attinet, nullam volebat recipere relaxationem. Verumtamen, ne ab aliquibus oblatrantibus, qui in hujuscemodi novitatibus esse solent, sana ejus doctrina ab aliquo posset infirmari, litteras auctoritatis apostolicæ, quas a papa Gelasio acceperat, sicut jam superius dictum est, iterum renovari postulavit. [Cap. XIX]. Quibus acceptis, dominus papa venerabili Laudensi episcopo Bartholomæo (57) præcepit, ut curam ejus susciperet ; erat enim ipse homo habens ex progenie matris suæ quosdam in episcopatu, et in eadem civitate propinquos ; quorum viscera pietatis affectu super eo mota sunt ; et eorum instinctu submonitus erat episcopus, humanitatis ei manum, licet invito, per aliquod tempus ministrare. Quo deducto et finito concilio, papa non post multum Laudunum devenit ; initoque episcopus cum papa consilio, quomodo eum retinere posset, obtulit ei ecclesiam B. Martini, quæ in suburbio sita est, in qua pauci fratres erant sub regula canonicæ professionis degentes ; qui omnibus modis renuebat.

39. Tandem cum cogeretur, ne summi pontificis offensam et inobedientiæ notam incurreret, quod petebatur annuit, si tamen canonici, in eadem commorantes, mores suos, quos secundum Evangelium et Apostolicam institutionem eos doceret, observare non recusarent. Sed cum inquisitis ostenderet modum evangelicæ institutionis, quomodo imitatores Christi, contemptores mundi esse deberent, quomodo voluntarii pauperes, quomodo ad opprobria, ad contumelias, ad irrisiones, ad famem, ad sitim, et nuditatem, et cœtera hujusmodi patientes, quomodo præceptis et regulis sanctorum Patrum obedientes, illi statim, ad verbum et aspectum illius perterriti, dixerunt : « Nolumus hunc super nos, quia talem magistrum nostra non novit nec prædecessorum nostrorum consuetudo ; liceat nos sic vivere. » Castigare quidem Deus vult, sed non mortificare, sic homo et obedivit, et ab obedientia solutus, ab ea non recessit. Mansit itaque ibidem ; socius vero suus, de quo superius mentio facta est, cum Cameracensi episcopo Burchardo perrexerat ; habebat enim ipse de rebus suis, quas noviter reliquerat indiscussas quædam disponere. Quæ quia aliter diripiebantur quam vellet (novitius quidem erat) æquanimiter non poterat sustinere. Interea episcopus, attenuata et dissoluta jejunio et frigore hospitis sui membra nitebatur reficere ; sed ipse quotidie ab hospite suo reficiebatur spirituali et melliflua verbi Dei refectione. Ob hanc causam amore nimio et charitatis igne in eo accensus, assidue hortabatur eum, precibus quibuscunque poterat adjunctis, quatenus in episcopatu suo vellet remanere, quotidie circumducens eum et ostendens, si qua sit ecclesia quæ ei placeat, si quæ solitudines, si quæ deserta, si quæ terra culta vel inculta, ad ædificandum et commanendum. Victus tandem ipsius et multorum, tam religiosorum quam aliorum nobilium, precibus, elegit locum valde desertum et solitarium, qui ab incolis antiquitus Præmonstratum vocabatur : in quo si quando daret ei Deus colligere socios, se mansurum spopondit.

40 [Cap. XX.] Transacta igitur hieme, niviumque et glaciei frigore, vernali calore paululum deterso, vir Dei, ut erat solitus, virtute divini solatii accinctus, ad prædicandum exiit ; solus Cameracum veniens ; factoque sermone ad populum, cecidit semen in terram bonam, scilicet in juvenem Evermodum nomine (58). Qui tanto rore Spiritus sancti perfusus exstitit in Verbi Dei susceptione, quod amoris ejus gratia stans oraret ad Dominum Deum suum, in eodem loco, et in eisdem passibus, ubi hominem Dei stare diligenter consideraverat in faciendo sermone. Quid igitur puer, Spiritu sancto edoctus in verbo, nisi eumdem Verbum (59), quod caro factum est, esse credidit, qui, ubi steterunt pedes ejus, adoravit ? Nec moras intulit ; sed statim, relictis omnibus, secutus est eum. Qui tanto amoris intimi vinculo ei alligatus est, ut omni tempore vitæ suæ spiritus viri Dei in eo requiem caperet, et post discessum suum, locum sepulturæ suæ ei commendaret, dans hoc præceptum, ut nunquam, nisi reversurus, ab eo recederet. Perveniens autem Nivigellam (60), alium juvenem, Antonium nomine, a Deo sibi datum, recepit. Hi duo, et tertius quem prius susceperat, quantum ad humanum spectat examen,

(56) Cœptum concilium Remense celebrari 20 Octobris anni 1119.

(57) Bartholomæus episcopus ordinatus anno 1113, qui anno 1150 episcopatum dimisit ; et factus monachus Fusciniaci, ibidem mortuus est 26 Junii, quo die inter prætermissos de eo agimus. Hugo, etc. Vide tom, VI Junii, pag. 25, col. 2.

(58) B. Evermodus, postea Raceburgensis in Wandalia seu Saxonia inferiore factus episcopus, vixit annum circiter 1178 ; quo mortuus est 17 Februarii, quando ejus Acta illustravimus.

(59) Scilicet in spiritu, uti S. Joannes Baptista a Christo appellatus Elias, et sub quadam repræsentatione ac virtute.

(60) Nivigella sive Nivella, vita et sepultura S. Gertrudis celebris, uti dictum ad hujus Vitam 17 Martii.

radices et fundamentum fuere futuræ multitudinis A quæ subsecuta est. Dei enim dispositioni relinquitur, quod, præ nimia altitudine sapientiæ et scientiæ ipsius, occultum ab humanis oculis ignoratur. In hoc, ubi collegerit, vel quomodo socios (61) alios Deus illi contulerit, non est immorandum. Scitur tamen quod intra Quadragesimam illam tot habuit, quod in septimana Passionis Domini ante Pascha, cum tredecim reversus, prænominatum locum, Præmonstratum videlicet, possedit (62).

41. [Cap. XXI]. Locato igitur fundamento in Christo Jesu, ut ait Apostolus, fundamentum positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11), paulatim de vivis et bene sectis et politis lapidibus crescebat ædificium, et domus Dei ampliabatur, ad suscipiendos peregrinos, spontaneam adeuntes peregrinationem, et ad Jerusalem cœlestem festinantes. Sed non defuere tentantis inimici et adversantis hostis insidiæ, qui plantata eradicare, fundata evellere, congregata dispergere, dispersa morti tradere, multiformi dolositate et multimoda calliditate laboraret. Nam in singulis singulas et proprias considerans affectiones (ut in quibusdam summæ contemplationis affectum, in aliis quibuslibet idiotis majoris sapientiæ desiderium, in aliis jejunia, in aliis remissionem inimicorum) omnimodis se opponebat; et quod usurpative esse voluit, scilicet ut similis fieret Altissimo, ad decipiendos novos tirones Dei, sese in angelum lucis transformare non metuebat. Itaque ut de his quamplurimis, auribus audire volentium, quædam disserantur, contigit quadam nocte, cuidam ad matutinas stanti et contemplanti, et de illa gloriosa et ineffabili Trinitate cogitanti, ut ille antiquus adversarius visibiliter astaret et diceret: « O quam felix es, et quam in tuo bono proposito laudabilis! qui et bene cœpisti, et te perseveraturum in tanta afflictione deliberas! Idcirco Trinitatem sanctam, ad quam toto mentis affectu suspiras, videre mereberis: et, his dictis, apparuit tria gestans capita, Trinitatem se esse contestans. » At ille expavescens, et plurimum admirans, paululum tamen præmeditatus, cum non « sibilum auræ lenis (*III Reg.* XIX, 12), » sed ventum turbinis fetidum sentiret, dixit: « O miser et infelix, et omnibus creaturis deterior! Tu, inquam, qui signaculum similitudinis Dei fuisti, et superbiendo veritatis hujus cognitionem perdidisti, quomodo præsumis, non tantum scire te Trinitatem, sed ipsam temetipsum esse, qui te velle scire amodo potestatem non accepisti. Recede, inquit, recede, et me tuis fraudulentiis non obedientem ulterius non præsumas inquietare. » Statim recessit, postbac ad eumdem reversurus.

42. Erat quidem frater ille ad obedientiam promptus, in oratione devotus, in jejunio assiduus, ita ut per totum annum jejunaret, tam æstate quam hieme, et a nullo cogi poterat, nisi in Dominicis diebus, ut alteram in die perciperet refectionem; et tunc crudum quid sumebat, et non aliquam coctionem. Sed cum super eo omnes mirarentur, et tanta ejus abstinentiæ et continentiæ virtus ubique in laude ipsius prædicaretur, adfuit iterum Satan, occulte ponens insidias, ut novum militem prosterneret; juvenis siquidem erat, et indignari potuit quod aliquando ei restitisset. Nam quarta feria in capite jejunii, cum devotioni cunctorum fidelium abstinentia Quadragesimalis indicitur, tanta fames et gulæ voracitas eum invasit, ut diceret se nullo modo B posse jejunare, et ex toto mori, si etiam a lacte et caseo cogeretur abstinere. Cui cum diceretur: Quid est, frater? Sacrum et annuale jejunium est, et non est licitum alicui, etiam sæculari, bis reficere, vel cuilibet parvulo, lactis et casei abstinentiam frangere. Ille, torvo vultu et lupina rabie, respondebat: « Nunquid vult Deus hominem mori, subtrahendo illi quocunque tempore, quidquid ad usus ipsius creavit et necessitatis hora ad percipiendum? » Quid plura? Aberat pater Norbertus, et fratres adhuc rudes, qui ad hujusmodi insultus arma ferre non consueverant, multimodis supplicationibus hoc tandem ab eo impetrarunt, ut et bis et quantum vellet cibum quadragesimalem comederet, timentes ne illud improperium exiret, quod tam C arcta et subita religio, vel sæcularium consuetudinem in suis conversis non servaret.

43. Cum ergo transissent Quadragesimales dies, et ad celebrandum Pascha homo Dei reverteretur Præmonstratum ad fratres suos, ad introitum ipsius vallis horror nimius invasit eum, et ventus turbinis circumvallavit eum, quasi ventus veniens ab aquilone, et ipse statim sentiens, secum venientibus malignam prædixit adesse tentationem. Perveniens autem ad fratres, trepidi ad interrogata narraverunt quid actum fuisset. At ille dolens: « Heu mihi, ingeminans, in meam, inquit, miseriam, et in detrimentum animæ fratris, et ad notitiam nostræ insipientiæ, hoc consentire voluistis; ac per hoc locum diabolo, nisi viriliter ei resistatur, ad disperdendum dedistis. — Ubi est, ait ille? » Qui cum adduceretur, D vix se sustentare præ nimia pinguedine poterat, et velut vesica turgens, edacitatis spiritu plenus, non nisi torvis oculis magistrum, quem super omnia diligere solebat, respicere prævalebat. Videns ergo vir, cui Deus discretionem spirituum dederat, non esse infirmitatis humanæ, sed tentationis diabolicæ,

(61) Nomina horum exprimit Petrus de Waghenare; sed fidem non adhibet Polycarpus de Hertoghe.

(62) Quomodo Præmonstratum possidere cœperit sanctus dilucide explicant Gesta Bartholomæi infra, ejusdemque ad cap. 2 Analect. in annotatis prolata diplomata, ex quorum uno hic habet primos loci terminos et jura: « Notum fieri volumus quod ego Bartholomæus Laudunensis episcopus, Norberto et successoribus ejus, in sancto proposito viventibus, dederim locum, qui nostri juris erat, totum liberum, ab omni exactione cujuslibet personæ absolutum apud Humbertipontem, a loco qui dicitur Halierpret, usque ad Vallem-Rohardi, cum tribus adjacentibus vallibus, totum alodium, a rivo Vois, sicut valles dividuntur et proportant ad ecclesiam Dei et honorem Dei Genitricis construendam; et sicut totum possidemus in alodium ita omnimode libere possidendum eis concedimus. Pascua vero seu prata a Ponte-Humberti

statim vetuit omnino quidquam ei dari. Qui postquam per aliquot dies jejunavit, ubi et reddita est quarta pars grossioris panis, et vas aquæ ad mensuram, pro summis deliciis computavit, et sic ad pristinam consuetudinem, bene et moderate vivendi, Deo per magistrum suum subveniente rediit.

CAPUT VIII.

Varii socii acquisiti. Energumena liberata. Reliquiæ acceptæ.

44. [CAP. XXII.] Devictus a juvene hostis antiquus, et pusillanimi gregis timore depulso, pace reformata, homo Dei, ut erat solitus, ad prædicandum egressus est. Sed, ut fieri solet, absente signifero ubi bellum geritur, hostes positi in insidiis suos adversarios aggrediuntur, ita nihilominus malignissimus insidiator « arcum tetendit, et in eo paravit vasa mortis (*Psal.* VII, 14), » simul utrumque considerans, et gregem vacillantem, et belli ductorem et frequentium jaculorum protectorem absentem. Verumtamen de adversario interim prætermittendum est, ut prius quid in hac egressione vir Dei egerit, dicatur: « Exivit itaque homo ad opus suum (*Psal* CIII, 23). » nam pertransiens recepit primum socium suum, qui ad res suas abierat componendas, et quam plurimis in itinere discordantibus ad concordiam revocatis, Nivigellam pervenerunt. Quia vero, ab exordio prædicationis suæ, in eodem oppido nimium charus habebatur, statim ut Præmonstrati consedit, quidam ex ipsis, conversationis gratia (63) ad eum cucurrerunt, sed asperitatem ordinis et institutionis impositæ ferre non valentes, ut canis ad vomitum, reversi sunt (II *Petr.* II, 22). Qui, ut fieri assolet, suam nequitiam tegere volentes, ad opprobrium hominis Dei, et ad repulsionem seminis prædicationum ejus, ut etiam inimicus homo, in agro patrisfamilias zizania superseminaverant, ita quod nec eum videre, nec ejus prædicationem curarent audire. Sed is, qui hujusmodi haustus sorbere consueverat, pertæsus malitiam eorum qui hoc commoverant, nullo modo expavit, confidens magis hoc esse materiam victoriæ contra dæmones, qui ejus prædicationi et saluti credentium, quam per eum operabatur Deus, nitebantur obviare.

45. Dum igitur ob hanc causam in populo illo parvi pretii haberetur, suscitavit militi suo Deus bellum, de quo, ipsius dono, certando viriliter assecutus est victoriam, amorique pristino redditus, non tantum Nivigellensi plebi, sed etiam coram

A omnibus hoc audientibus adeptus est suavissimi odoris favorem et gratiam. Nam ibidem aderat quidam pater cujusdam puellæ, quæ jam per annum a dæmonio fuerat vexata, et vinculis et carcere tenebatur; qui graviter flens et suspirans, dolore filiæ affectus, cœpit rogare eum, ut saltem videre eam et tangere dignaretur. Magnum opus! sed non dispar fides in opere. « Adducite eam, inquit, ad me. » Adducitur puella jam duodennis, et populi plurima frequentia convenit. Tunc igitur Dei sacerdos, tempus et locum et materiam videns, ut glorificaretur Deus, majorem fiduciam concepit. Itaque stola et alba indutus, exorcismum agere aggressus est; cœpitque diversa legere Evangelia super caput illius puellæ. Ad quæ dæmon respondit: « Hujusmodi B liras frequenter audivi, neque pro te, neque pro his omnibus hodie recedam de habitaculo isto. Nam pro quibus recedam? Columnæ Ecclesiæ ruerunt. » Cum autem sacerdos multiplicaret exorcismum, respondit dæmon: « Nil agis, quia necdum per coruscum sanguinem martyrum me adjurasti. » Tunc igitur, ut vere superbus est dæmon, scientiam suam volens ostentare, Cantica canticorum, a principio usque ad finem, per os puellæ elidit, et iterans verbum ex verbo, in Romanam linguam (64) usque in finem interpretatus est; et reiterans verbum ex verbo, in Teutonico totum expressit; cum illa puella, dum adhuc sana esset, nihil nisi Psalterium didicisset.

46. Nihilominus Dei sacerdos imminebat, et dum C insisteret et præciperet ut exiret a creatura Dei, coactus respondit dæmon: « Si hinc me compellis exire, permitte me intrare in monachum illum » (ibi quippe monachus quidam astabat) et nominavit eum. Tunc vero pater Norbertus, cui Deus discretionem spirituum dederat, exclamat in populum: « Audite, audite, inquit, malitiam hujus dæmonis, qui, ut infamaret servum Dei, vexandum expetiit quasi peccatorem et dignum hoc supplicio; sed nolite super hoc scandalizari, quia talis est nequitia ejus, ut bonis omnibus velit derogare, et quantum potest infames facere. » Hoc dicto, iterum cœpto officio cœpit acrius insistere. Tunc ait dæmon: « Quid agis, inquit? neque pro te, neque pro alio, hodie exibo. Quod si videris mox exclamare, jam tantum veniet de meis, id est de nigris, ad bellum: D Eia ad bellum! eia ad bellum! Eia jam faciam corruere arcus istos et fornices super vos! » Ad hoc

usque ad Monandi-vicinum, et citra et ultra rivum, animalibus eorum communia erunt omni tempore. Ultra rivum autem ex parte ecclesiæ, in defensionem erunt ad opus eorumdem fratrum, usque ad collectionem feni et frugum: deinde vero communia erunt, tantum ut nullus importunus sit religioni eorum super ulla occasione. Conceditur tamen rusticis, qui sunt de vicinia, de silva quæ est in jugis montium, colligere materiam ad opus capitis seu stipitis aratri sive axis. In omni igitur labore fratrum, facto in iisdem locis, nullus exiget ab eis nec decimam, nec terragium; nec molestiam quælibet persona inferet quieti eorum, et omnimode ab omni parochia absolutos, omnesque ejus subjectos eremitas, manere censemus. » Data hæc charta erat anno 1121, cum anno præcedenti, ut alibi asserit idem Bartholomæus, Laudunum cum ipso venisset Norbertus.

(63) Forte legendum *conversionis gratia*.

(64) Sicut ea pars Brabantiæ, in qua est Nivella, vocatur vulgo *Brabantia Romana*, a vulgari isthic lingua, scilicet Walonica; ita non alia quam vulgari illa hic dicitur dæmon interpretatus quæ primum Latine prolocutus fuerat ex sacris Canticis, deinde Teutonica lingua usus propter alios Brabantos Teutonice loquentes.

verbum populus diffugit, sacerdos vere imperterritus et intrepidus mansit. Tunc illa injecit manum ad stolam ejus, ut proxime collum ejus astringeret. Cumque hi qui aderant vellent manus ejus dimovere: « Nolite, inquit, permittite illam: si accepit a Deo potestatem, faciat quod potest. » Tunc vero, ejus audacia hoc verbo perculsa, tanquam reverentiam exhibens, manus sponte relaxavit. Jam itaque plurima parte diei consumpta, Pater Norbertus consilium duxit, ut in aqua exorcizata eam imponeret. Et ita factum est. Et quia flava erat, verens sacerdos ne occasione crinium diabolus in eam potestatem retineret, tonderi eam jussit. Qua permotus dæmon injuria, maledictis cœpit in sacerdotem ulcisci, dicens: « Peregrine de Francia, peregrine de Francia, quid tibi forefeci? Quare non sinis me quiescere? Omnia mala et infortunia, et omnes mali eventus super caput tuum veniant, qui tantum vexas me. »

47. Jam vespertina hora erat, et videns Pater Norbertus non exisse dæmonem, aliquantulum contristatus, jussit eam reddi patri, et in crastinum iterum ad missam adduci, ipse vero cœpit se exspoliare alba et aliis indumentis. Cum ergo hoc vidisset impius dæmon, cœpit insultando plaudere manibus, et dicere: « Ha, ha, he, modo bene facis; et hodie non fecisti opus quod mihi sic placeret, et hodie consumpsisti diem, et nihil profecisti! » Ad hæc stomachando Pater Norbertus et indignans, contulit se ad hospitium, et obfirmavit in animo suo non gustare cibum, donec illa sanaretur, et ita transegit diem illam et noctem sine cibo. Jam crastina dies advenerat, et Dei sacerdos parat se ad celebranda missæ mysteria, et iterum puella adducitur; et iterum multiplex fit concursus populi, ut videret agonem sacerdotis et dæmonis. Tunc vero mandavit duobus fratribus qui secum erant, ut tenerent eam ibi juxta, haud procul ab altari. Inchoato igitur servitio, ventum est ad Evangelium, et illa applicata ad altare, plurima Evangelia super caput ejus lecta sunt. Et dæmon iterum derisionem cœpit replicare quia hujusmodi liras frequenter audierat. Cum ergo ventum est ad locum ubi sacerdos elevat hostiam coram Domino, exclamat dæmon: « Videte, videte, quomodo Deiculum suum inter manus suas tenet! » Fatentur dæmones quod hæretici negant. Tunc vero sacerdos Dei inhorruit; et concepto spiritu virtutis, in ipsa oratione sua cœpit agere dæmonem et torquere. At ille coactus et tortus, per os puellæ exclamat: « En ardeo, en ardeo. » Iterum iterumque clamabat: « En morior, en morior. » Tertio quoque magna voce dicebat, et sæpius replicabat: « Volo exire, volo exire: dimitte me. » At illi duo fratres fortiter eam tenuerunt. Sed spiritus immundus nullas patiens moras, fetentissimæ urinæ fœda relinquens vestigia, aufugit, vasque possessum reliquit. Illa vero destituta a suo tortore, collapsa et languida delata est in domum paternam; et paulo post accepto cibo, ex integro incolumis, et compos sui, et perfecte sanata apparuit. Hoc ita publice factum est, teste omni populo, qui Dei laudes in commune prædicabat, et Patrem Norbertum vere apostolicum virum fatebatur.

48. [Cap. XXIII.] Post hæc devenit Coloniam, ubi et libenter suscipitur, et libentius in sermone et confessione auditur, eo quod ipsum prius juvenem noverant, et modo mirabiliter immutatum videbant. Et quia populorum consuetudo novitatum imitatrix esse solet, multi ad verbum et exhortationem ejus tam clerici quam laici concurrentes, imitatores paupertatis Christi effecti, ipsum secuti sunt. Habebat et ipse jam tunc in voluntate ædificare ecclesiam in qua coadunatos reciperet. Ob hanc causam petivit archiepiscopo Frederico et cæteris fidelibus, ut aliqua sanctarum reliquiarum mereretur patrocinia suscipere, e quibus non minimum ab antiquo repleta et dotata erat felix Colonia. Annuit episcopus, annuit clerus, justam esse petitionem judicans, et populus. At ille fratribus suis, quos secum habebat, et quos ibidem Deus ibi contulerat, jejunio indicto, hoc pretiosum donum Deo commendabat, quatenus venerabile patrocinium daret invenire. Nocte vero eadem, virgo (65) ex numero undecim millium virginum, et nomen ipsius virginis, et locus ubi jaceret, per visionem cuidam designatus est, et in crastinum, ex ordine visionis, corpus ibidem quæsitum, integrum repertum est. Quo cum hymnis et laudibus Dei et gratiarum actione suscepto, de reliquiis etiam aliarum virginum, aliorumque quorumdam martyrum, videlicet Gereonis (66), Maurorum, duorum Ewaldorum, duo vascula, in modum feretri, ad efferendum ei impleta sunt.

49. Sequenti vero die, cum a præposito et canonicis S. Gereonis sibi similiter reliquias dari supplicaret, concessum est ei, ut, si quid in ecclesia eorum placeat ei, vellet, quæreret, et acciperet. Gavisus est homo, et hoc promissum, ut erat solitus, Deo per totam noctem orando commendabat attentius. Mane autem facto, in medio monasterio, ubi nullum alicujus sepulcri patebat vestigium, effodi præcepit; ubi corpus integrum absque cerebro repertum est, honorifice et cum omni diligentia collocatum. Quod cum canonici, et plebs innumerabilis quæ convenerat, cerneret: « Ecce, inquiunt, noster dominus S. Gereon, et nostrum venerabile patrocinium, quod a nobis et a prædecessoribus nostris per multos annos diligenter quæsitum est, et, peccatis nostris exigentibus, inveniri non potuit. » Et exclamantes voce magna cum gaudio, immensas Deo gratias agebant, hominem Deo dignum efferentes, per quem talis et tantus thesaurus, diuque desideratus, merebatur inveniri. Et ne quis dubitet ipsum non esse, sciat pro certo, verum agnitionis ejus fuisse indicium, quod de morte et martyrio ejus legebatur, quod pars capitis, et non totum caput

(65) S. Ursula ejusque sodales, coluntur 21 Octobris.

(66) S. Gereon et socii 10 Octobris, et duo Ewaldi, 3 ejusdem.

esset abscissum. Hanc partem habebant, sed reliquum corpus ubi esset, ignorabant. Susceptum est itaque corpus sanctum ut digne debuit, et elevatum; parsque inde viro Dei data est : quod reliquum fuit, magnifice a clero et populo repositum est. Assumptis non post multum reliquiis, collectoque fratrum tam clericorum quam laicorum collegio, quos Deo per verbum prædicationis genuerat, redeundi iter aggressus est ; qui ubique in ecclesiis et congregationibus cum processione magnifice suscipiebatur. Audiens autem transitum ejus matrona quædam nobilis, (67) Ermensendis nomine, Namurcensis comitissa, velociter occurrit ei ; obnixe deprecans, ut ad imponendos fratres et religionem, quondam ecclesiolam suam in villa Floreffiæ vellet suscipere. Habebat etenim ipsa multo tempore in voluntate, ob remedium animæ suæ et prædecessorum suorum, in ecclesia eadem religionem propagare. Videns autem ille affectuosam mulieris devotionem, respexit eam, et suscepit quod petebat. Et ibidem altero (68) reliquiarum vasculo derelicto, festinavit Præmonstratum (erat enim instans Nativitatis dies) habens clericorum et laicorum fratres circiter triginta novitios.

CAPUT IX.

Professio secundum regulam S. Augustini. Exercitia virtutum præscripta.

50. [Cap. XXIV.] Congregatis igitur clericis ferme quadraginta et quampluribus laicis, assidua consolatione vespere et mane fovebat eos, et multiplicibus sermonibus hortabatur, ne desisterent a felici proposito et spontanea paupertate quam susceperant ; et quod docebat, velut aquila provocans ad volandum pullos suos, operibus demonstrabat. Erant enim exhortationes et sermones, non de terra nec terrenum saporem quemlibet prætendentes, sed ut columba, pennis assumptis, volabat. Volabat quidem mente et ore ad requiescendum, et suos auditores volare faciebat, ita ut cum Propheta videretur dicere : « Assumam pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam (*Psal.* LIV, 7). » Unde quidam ex fratribus assidentes, in tanto mentis excessu rapti sunt, ut de locis, in quibus sedebant, surgerent; et circa se pennas quærentes invenire putarent, statim se volare existantes et requiescere. In tantum denique credebant se ei, et tanto familiaritatis affectu adhærebant, ut nullum ordinem, nullam Regulam, nulla sanctorum Patrum instituta ad obtinendam æternæ felicitatis gloriam quærerent, nisi quod ab ore ejus audirent, vel dictum esse rescirent. Sciens hoc vir per omnia discretus, et ad omnia providus ; ne in posterum sancta plantatio posset eradicari, et fundamentum, quod supra firmam petram locare disposuerat, posset labefactari, submonuit eos de ordine, de regula, de sanctorum Patrum institutionibus, sine quibus ad integrum non possent observari apostolica et evangelica instituta, per quam constant Dei certa mandata, et omnis consummationis finis, et fidelium omnium benedictio. Illi, ut aves in simplicitate pastorem sequentes, non renuunt quod hortatur, non renuunt quod suadet ; sed quod docet amplectuntur, et ob æternæ pascuæ desideria in omnibus obsequuntur.

51. Quapropter magis metuebat homo, ne gregi pusillo et in simplicitate Deum ex toto corde quærenti, minus quod ad salutem pertineat ostenderet ; non quia diversas regulas et sanctorum Patrum instituta ignoraret, sed quia multi religiosi, tam episcopi quam abbates, diversa consilia dabant : alius eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Cisterciensium ordinem assumendum suadebant. Sed ille, cujus opus et consilium de supernis pendebat, qui suum principium non sibi, non hominibus, sed ei qui est omnium rerum initium commendabat, in corde suo cuncta conferens, ut sapiens velox ad audiendum, qui differt et reservat in posterum ; tandem ne professioni canonicæ, cui et ipse et quotquot cum ipso vivere volebant attitulati fuerant ab infantia, injuriam inferre videretur, regulam, quam B. Augustinus suis instituit, afferri præcepit : apostolicam enim vitam, quam in prædicatione susceperat, jam optabat vivere, quam siquidem ab eodem beato viro, post apostolos, audierat ordinatam et renovatam fuisse. Quam cum allatam diligenter inspexisset, in paucis compositam, in multis tamen bene dispositam, statim in die Natalis Domini, quæ instabat, ad instar Dominicæ descriptionis, sub eadem et stabilitatis in loco, et professionis gratia, ad illam beatæ perennitatis civitatem singuli seipsos conscripserunt. Deinde cum quamplurimi, quamplurimas super eamdem regulam expositiones et interpretationum diversas opiniones autumarent, eo quod ejus præscripta ad mores aliorum regularium et opera videbant non convenire ; aliosque ad timorem, alios ad dubitationem, alios ad teporem inducerent, utpote plantationem adhuc tenuiter radicatam ; « Quid miramini, inquit homo Dei, vel hæsitatis, cum universæ viæ Domini misericordia sint et veritas? et si diversæ, nunquid adversæ? Si usus mutatur et institutio, nunquid mutari debet charitatis vinculum, quod est dilectio? »

52. Regula quidem dicit : « Primo diligatur Deus, deinde proximus. Regnum Dei non operatur sola institutio, sed veritas et mandatorum Dei observatio. » Ergo quia de dilectione, quia de labore, et de abstinentia escæ et jejunio, de vestitu etiam, de silentio, de obedientia, et quod invicem honore prævenire debeant, et Patrem suum honorare, evidenter

(67) Ermensendis comitissa, uxor Godefridi comitis Namurcensis, qui et ipse fundator abbatiam Floreffiensem S. Norberto anno 1121 *in fes* obtulit; postmodumque in eo conversus (ut loquuntur) factus, ibidem quiescit ante aram summam, cum uxore Ermensende, filio Henrico et hujus conjuge Agnete. Sita est hæc abbatia secundo fere a Namurco milliari ad Sabim fluvium. Instrumentum, etc. Vide tom. VI Junii, p. 25, col. 2.

(68) Sunt ibidem reliquiæ ex præscriptis sanctis, et potissimum brachium S. Gertonis, thecæ auro obductæ decenter inclusum.

hæc regula determinat. Quid est quod amplius alicui regularium ad salutem obtinendam expediat? Quod si de colore vel grossitate et subtilitate vestium fiat aliqua inter aliquos spirituales contentio, dicant, qui ob hoc derogandi occasionem accipiunt, dicant, inquam, de hac regula, dicant de Evangelii et apostolorum institutione, ubi albedo, nigredo, subtilitas vel grossitudo, præceptum dando, describatur, et erit eis credendum. Unum est tamen, quod teste resurrectionis angeli in albis apparuisse leguntur; auctoritate vero et usu Ecclesiæ, pœnitentes in laneis sunt. In laneis similiter in Veteri Testamento exibant ad populum, in sanctuario vero, ex præcepto uti consueverant lineis. Quia vero sanctorum Patrum et prædecessorum nostrorum docet expositio, sanctis prædicatoribus et canonicæ professionis utentibus, horum angelorum in typo vicem gerere, de albis vestibus (69) scandalum non generent: et si sunt pœnitentes, et si eos ad populum exire suum cogat officium, laneas non abhorreant; quod si ad sanctuarium Dei ingressuri sunt, lineas non prætermittant. Non docebat hoc vir justus, ut alicui Patrum institutis, quæ quamplurima sunt, derogaret; qui erat omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

53. [Cap. XXV.] Erat enim severus in censura, et cum multi ad eum jam confluerent, totum spiritum eorum Spiritu sancto docente exhauriebat; ut, spiritu superbiæ evacuato, idem Spiritus sanctus in eis melius locum inveniret. Et gratia Dei non deerat, quæ, quamlibet dissolutis et remissis, et quantumlibet marcidis cordibus, vigorem divini solatii ministrabat. De corporalibus cura et sollicitudo vix aliqua erat; universum vero studium ad spiritualia contulerant, Scripturas divinas sequi et Christum ducem habere. Nam et hoc attendit spiritualis ille Pater, quod nunquam exorbitare possent, qui secum vellent remanere, si professionem suam secundum Evangelia et dicta apostolorum, et propositum S. Augustini facerent, et opere complerent. Hoc vidit, et has professiones, ut præmissum est, hoc modo fieri censuit. Erat ergo mens eorum, qui ab initio collecti sunt, sic affecta, ut potius eligerent veterem et clavatam tunicam, quam novum et integrum quodlibet vestimentum. Unde et factum est ut quidam non minimum paupertatem amplectentes, cum datas novas sibi vestes erubescerent, ad ostendendum quam sit vilis sæculi pompa, ad reprimendam superbiam, pannos veteres novis superconsuerent. Nullum opus erat tam vile quod respuerent. Obedientia adeo prompta, ut si clibanus ardens proponeretur eis, vel quælibet mors se offerret, magis timerent imperantem quam mortem. Juge silentium in omni loco, in omni tempore, in omni statu; ita etiam ut hi qui illum comitabantur, licet confertissimis populorum turbis admisti, vix unum verbum ab eorum ore posset extorqueri. Quod si quemlibet eorum de quantulocunque commisso culparet, ibidem ad pedes corruens satisfacturus, nequaquam hominum circumstantium erubescebat. Quod si amaritudinem actione, verbis et vultu, etiam male facientibus, aliquis suorum respondoret, ibidem statim satisfactionis pœna reddebatur.

54. Voluit ut omni tempore jejunarent, una vice contenti in die. Voluit etiam ut asellis circumvectarentur usque ad quatuor vel quinque leucas; sed obsistente carnis infirmitate, observari non potuit. Feminalibus (70) semper uti fratribus suis præcepit; quia semper exhortabat virile robur animi effeminata mollitie lentescere: non tamen hoc respectu (71) stamina pretiosiora ante oculos interni Judicis approbans. Quomerat ille ordo religiosus, qui ex sua regula et proposito his careba! Laneis ad carnem, laneis ad laborem uti, et absque ulla tinctura præcepit; licet asperrimo cilicio assidue vestiretur. In sanctuario vero, et ubi divina sacramenta tractanda fuerant, vel celebranda, propter munditiam et multimodam honestatem, lineis uti voluit, et omni tempore utenda disposuit. Sed non prætermittenda tria, quæ præcipue commendabat, sæpius de die in diem hæc tenenda ingeminans, scilicet circa altare et divina mysteria munditiam; excessuum et negligentiarum

(69) Quanquam Norberto ad vestis candidæ electionem satis esse potuerant « multitudo albatorum virorum, ad crucem accurrere visa » illi, apud Præmonstratum oranti in ecclesiola S. Joannis Baptistæ, sicut ex Hermanno monacho legitur, cap. 2 Analectorum, § 2; constanti tamen ordinis traditione habetur, et a recentioribus scriptoribus indubitanter refertur, « quod aliis ibidem orans sanctus vidit Reginam cœli, cum cœlesti splendore et angelis multis, quæ preces ejus exauditurus asseruit, locum fundandi primi cœnobii demonstravit, Romanum pontificem pro ordinis confirmatione adire annuit, et insuper candidum habitum ei exhibuit, addens melliflua voce: « Fili Norberte, accipe candidam vestem. » Ita Joannes Chrysostomus vander Sterre lib. II Vitæ, cap. 2; Joannes le Paige lib. II Biblioth., cap. 13; Gerardus van Hardegom lib. I, cap. 2 ejus operis, cui titulus Diva Virgo candida, candidi ordinis Præmonstratensis mater, tutelaris et domina; aliique. Horum asserta vellem antiquioribus posse auctoritatibus roborare; quæcunque tamen illa sumantur, alind non efficiant, quam ut credatur colorem candidum præscripsisse Virgo, formam reliquisse eamdem qua jam utebantur? Qua autem uterentur canonici, nisi canonica sui temporis veste; in qua tamen nihil ex sæculi pompa redundaret, asperitas appareret. (a) Sic invenio neque lineis vel indusiis ad carnem, vel tordibus ad lectum usos initio Præmonstratenses, discalceatosque incessisse, insuper et perpetuam servasse a carnibus abstinentiam; quæ licet prudenter relaxata nunc sint, non desunt tamen etiam hodie in Lotharingia, qui severioris vitæ amore ad pristinam formam se reduxere, uti asserunt qui eos hoc tempore norunt et laudant.

(70) Feminalibus uti permittit S. Benedicti regula egressuris extra claustrum, cumque etiam intra illud iisdem uterentur Cluniacenses, usum illum defendit Petrus Cluniacensis, lib. I, ep. 28, tanquam honestum, utilem, necessarium, adeoque minime contrarium Regulæ, nihil tale prohibenti.

(71) Mss. *Hæc statuta*, quod nullum sensum facere videtur, et corrigi debuisset.

(a) Vide tom. VI Junii, part. I p. 2, col. 2, n. 11.

in capitulo et ubique emendationem, pauperum curam et hospitalitatem. In altari namque exhibet quisque fidem et dilectionem Dei; in conscientiæ purificatione, curam sui; in hospitum et pauperum susceptione, dilectionem proximi. Constanter equidem asserebat, aliquam domum nunquam posse egere, supra id quod possit sustinere, quæ hæc tria sollicite studuerit observare. Verbis enim et factis clamabat se nihil aliud scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum: in omnibus actionibus suis præcedentem rationem attendens, ut cum fulciretur ratione, et auctoritate firmaretur, stare posset.

CAPUT X.

Sociis unius hypocrisis detecta ecclesia constructa

55. [CAP. XXVI.] Quadam denique die, cum reverteretur a Remis, cum quibusdam sociis suis et duobus novitiis, quos de sæculo servo divinus traxerat ad eos factus, et incederent cum silentio, per viam in Deo suo meditantes, vox quædam de nube auribus eorum in hunc modum insonuit: « Hæc est, inquit, fratris Norberti societas; » ad quam vox altera ex altero latere respondit: « Non est de his duobus novitiis alter eorum de societate cæterorum. » Hoc audiebat homo ille et alii qui comitabantur illum, et rem taciti considerabant, nihil mali suspicantes: sed tamen quinam fieri deberet hæsitabant. At Pater Norbertus, cui major incumbebat sollicitudo, sciens non supervacuum esse, quod ex permissione divina hæ voces audirentur, perquirebat omni orationum instantia quorsum darent responsum, mores et actus eorum considerans de die in diem, de quibus fuerant prolatæ. Cumque considerasset alterum eorum, minus devotum in confessione, levem in verbis, inquietum corpore, inconstantem moribus, tepidum in oratione, negligentem in obedientia, et in omnibus dissolutum (Anglicus enim erat), « Quid est, inquit, frater, quid est quod gestas in corde? Expone quid latet. Si Deum quæris, non est ulla creatura coram eo invisibilis; quia, ut ait Apostolus, omnia nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV, 13). Veritatem quærimus, et, prout fragillitati humanæ conceditur, in veritate ambulare nitimur; nec est ulla veritatis cum falsitate conventio, nec aliqua fidelis cum infideli participatio. » Cui ille caput agitando, et levitatem verborum præferendo: « Putasne, inquit, bone Pater, quidquam velim tibi furari? Pauper es; sed « omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem « qui non habet, et quod videtur habere, auferetur « ab eo (*Matth.* XXV, 29). »

56. Hæc dixit, et dicta opere complevit. Nam tunc forte quidam ad conversionem venerat, et cum parvula substantia sua aliquantulum argenti detulerat: quod retro altare pauperis oratorii, quod tunc solum habebant, projectum jacebat. Nocte vero quadam Anglicus ille, horam sibi prævidens competentem, argentum ipsum rapiens, aufugit. Sic igitur deceptor ille, plenus fraude et minister diaboli, pauperes eos in corde judicans, pauperibus Christi nihil suspicantibus deceptionis, paupertatem adauxit in tantum ut nulla remaneret eis substantia, unde sumptus procurari possent unius diei. Quid ergo? Probandi erant primo alimentis corporis, qui regni cœlorum possessores audierant esse eos, quos constaret pauperes fieri, non rebus et divitiis, sed spiritu paupertatis. Probandi erant in minoribus ut discerent stare in procellis et tumultibus, quibus aggrediendi fuerant, ut series docebit in sequentibus. Igitur ad insinuandum opus divinum, quod magnum et exquisitum est, in quo, secreto suæ dispositionis consilio, magna operatur in minimis, qui humilia respiciens, alta cognoscit a longe (*Psal.* CXXXVII), pauca de loco Præmonstratensi et situ ejus disserenda videntur, ut sit laus per omnia omni tempore, ab omnibus audientibus, ei qui ab æterno et ante omnia tempora, soli suæ præscientiæ cognita, manifestavit in tempore novissimo.

57. Jam tunc denique, ut ordo rei prosequatur, plurimi in disciplinatu sapefati viri et vita et proposito, relictis omnibus, se conferebant. Et quia jam turba erat, diffinito consilio quærebatur ubi in eodem deserto, certum ad commanendum, et ad ædificandum idoneum locum præpararent. Erat siquidem locus ille asperrimus et omnimodis incultus, arbustis et paludibus et cæteris incommoditatibus occupatus, nec quidquam patebat habile ad commorandum, præter capellulam, et juxta illam pomerium et stagnum quoddam parvulum, quod de aquis montium cadentibus pluviarum tantum tempore, et de succo paludum usque in præsenti impleri dignoscitur. Ibi consederat homo Dei una cum parvula societate sua, spei anchoram inconcussæ fidei adjungens, et cum patriarcha nostro Abraham spem contra spem ponens; in tantum, quod etiam omnes fere religiosi testarentur, et populus conclamaret stare non posse quod cœperat homo, et ob asperitatem nimiæ paupertatis et victus, potius per aliquot annos exspectarent fugam, quam alicujus stabilitatis fundamentum.(72) Sed quid ageret humana ratione, et rationali destitutus auxilio? Sciens quia firmavit faciem suam Jesus ut iret in Jerusalem (*Luc.* IX, 51), firmavit et ipse faciem suam ut ibi exspectaret mortem, qui mundo mori venerat, et Christo vivere. Clamabat quia vivunt, clamabat quia vere vivunt, qui non sibi vivunt, sed in quibus pauper Christus vivit: « Vivo autem jam non ego, dicit Apostolus, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Audierat hoc, et docebat; et: « Qui habet aures audiendi, audiat (*Matth.* XI, 15). » Verumtamen ne grex pusillus desperaret, et amicorum suorum, non rei

(72) Petrus de Waghenare § 27 Vitæ, « Ædem, inquit, et monasterium ibi a S. Norberto exstructa, non sine miraculo, angelis nimirum allaborantibus, qui opus multo plus noctu quam omnes opifices interdiu promovebant, teste reverendissimo domino Gosvino van Weirdt, S. T. doctore, Floreffiensi priore, ut asserunt ejusdem monasterii Floreffiensis archiva. » Utinam ad majorem fidem, etiam archiva Præmonstratensia idem haberent, vel Floreffiensia distinctius promerentur!

exitum, sed statum exspectantium corda lætificaret, et derogandi æmuli occasionem subtraheret; habilitatem, utcunque in tali loco poterat esse, et ipse circuire et considerare cœpit, et aliis considerare præcepit: addens, quatenus ad omnipotentem Deum assidua fieret et intenta orationum supplicatio, ad ostendendum locum, in quo divini cultus omni tempore fieret celebratio.

58 [Cap. XXVIII.] Cumque multi multis et assidui assiduis precibus Domino consilium hoc commendarent, obnixe suæ beneplacitum voluntatis nimia afflictione, jejunio et orationibus exquirentes; apparuit cuidam quædam revelatio, manifesta satis et evidens, evidenter locum, et quæ in loco, et de loco erant ventura, aperta significatione denuntians. Nam ibidem, ubi præsens sita est ecclesia, Dominus noster Jesus Christus sicut in cruce visus est, super quem septem solis radii mirabilis claritatis fulgebant; et a quatuor partibus, sicut in quatuor, introitus loci illius esse dignoscitur in modum crucis, multitudo magna peregrinorum cum peris et baculis properabat, et flexis genibus adorato suo Redemptore, et pedibus ejus dato osculo, quasi per licentiam recessuri revertebantur. Quod cum viro Dei relatum fuisset, gratias egit Domino Deo suo, qui servis suis, se in veritate quærentibus, et in fide et justitia obsequentibus, et de præteritis dat fiduciam, et de futuris secreta revelatione notitiam. Et post hæc, exhilarata facie, assumpta fiducia, « Eia, inquit, eia, fratres dilectissimi, accingimini et estote viri fortes: vobis plurima bellorum genera præparantur, quæ ab hostibus tam visibilibus quam invisibilibus futura sunt: sed qui venerunt novi tirones per visionem, visibiliter venturi sunt; et accepto præcepto et obedientia ab eo qui Patri fuit obediens, vobiscum sunt usque ad consummationem bellaturi. » Quis dubitat hoc verbum verum et propheticum non fuisse? Verum siquidem fuit, quod subsecuta actio quotidie insinuat in his, qui relictis omnibus ut peregrini veniunt, et professione quasi osculo dato facta, ad obtinendas præliorum acies, ad diversas nationes recedunt. A mari usque ad mare turba sonuit, et ipsorum audita est [vox, in qua et opera Dei manifesta sunt, et « exquisita in omnes voluntates ejus (*Ps*. cx, 2). » Gratias ei qui sperantes in se non derelinquit.

59. [Cap. XXVII.] Quia vero ædificium et templum spirituale bene dispositum et compositum fuerat, et ad materiale necessarium erat laborem adhibere, ut cuncta cum benedictione fierent, episcopo Bartholomæo advocato, effosso fundamento et consecrato, de consecratis lapidibus fundari fecit ecclesiam, astante domino Thoma de Conci, qui hominem Dei metuebat, et reverebatur propter Deum, sciens eum virum justum et omni honore dignum, astante etiam filio ejus Ingelramno adhuc puerulo, et multis nobilibus clericis et laicis, et populorum innumera multitudine admirante, et quasi spectaculum considerante, et mirante ad invicem dicente: « Quis A putas est homo iste? cujus fidei, qui nulla utitur ratione? Putasne stabile sit hoc opus, quod in tanta solitudine locatur? et cujus fundamentum non in petra, non supra firmam terram jacitur, sed in palude? » Tanta namque ibi palus erat, quod vix sorberi poterat, cum etiam multa lapidum congeries projiceretur. Sed non debuit titubare, nec potuit eradicari, quia plantatio quam plantat Pater cœlestis, non eradicabitur (*Matth*. xv, 13). Porro pars cæmentariorum Teutonici erant (conduxerant enim eos Colonienses quidam, amici hominis Dei) pars nostrates, amici jam Præmonstratensium et contendebant in opere, alteri in altero latere ecclesiæ, alteri in altero accelerantes. Crevitque quam celerrime ædificium, et sub tempore novem mensium B perfectum et consummatum est templum, et a supradicto episcopo Bartholomæo consecratum.

60. Sed quia lætis tristia, prosperis adversa misceri solent, in eadem die consecrationis quoddam infortunium accedit. Nam cum multitudo innumera, quæ convenerat ad festum de remotis partibus, certatim ad oblationem et ad circuitum altaris, ut fieri solet, currerent; motum est altare majus, et lapis dissolutus, consecratioque cassata est, ut præcipit auctoritas, et totus labor in nihilum redactus. Expavit homo, et contristatus est; plus tamen pusillorum scandalum metuens, quam de divinis operibus, quæ sine causa non fiunt, diffidens. Sed homo ille quid fecit? Resumptis denique in Domino consolationis viribus, qui hujusmodi tentationes haurire et C sorbere consueverat, denuo ecclesiæ dedicandæ in octavis B. Martini, diem secreto cum episcopo instituit. Et sic factum est: qui quandiu vixit, ob hanc causam, innovationem aliam futuris temporibus asserebat esse gerendam. Hanc viderunt qui tunc temporis aderant, et quidam qui successerunt; sed et succedentes amplius videbunt; quia, teste Veritate, qui credit, opera quæ fecit, et ipse facit, et majora horum facit (*Joan*. xiv, 12). Et alibi: « Si credideritis, majus his videbitis (*Joan*. i, 50). » Hæc de materiali ædificio dicta sufficiant. Sed quid interim egerit homo, quidve pusillo gregi acciderit, non est reticendum. Sed quia, quod eodem tempore illi, quodque eodem tempore illis acciderit, eodem momento narrationis ordine disserere non est cuiquam possibile, non miretur quilibet auditor, si vicis- D sim stylus transeat ad ea quæ de actibus singulorum et de innumeris eventibus prætermitti non debent.

CAPUT XI.

Tentationes superatæ. Energumeni liberati.

61. [Cap. XXIX.] Exivit denique homo ad prædicandum, exivit iterum seminare semen, non suum, sed semen Dominicum; relictis qui præessent cœpto operi, relictis qui præessent aliis rebus omnibus, et omnia integra conservarent, et qui præessent tam clericorum quam laicorum conventui; binos et binos in singulis ponens officiis, quod ad ultimum vale, de pace et unanimitate docebat, dicens nunquam posse exorbitare congregationem aliquam multitudinem,

quam prælatorum concordia præcesserit. Sed recedente pastore, callido lupus ore ovibus molitur insidias. Insidias vere dixerim, quia ex adverso caulas earum effodiens, latenter ingreditur: ut prius terrorem incutiat, territas malleo caudæ suæ dejiciat, dejectas mactet, mactatas postea hiante ore devoret et perdat. Quia vero major est ejus arrogantia quam fortitudo, bene primo terrorem incutiebat: quia quibusdam, velut essent mortalis odii inimici, quos in sæculo reliquerant, armata manu quasi ad periniendum, etiam in luce diei, cum suis satellitibus se præsentabat. Illi vero territi, venientibus in speciem armati exercitus, et pompæ armorum et fremitus equorum, quibuscunque poterant modis, se opponebant, ita ut cum fugerent, velociter raptis fustibus et saxis involutis etiam brachiis, aliquibus adminiculis vel tunica resistere festinarent. Sed, quod mirum et incredibile videtur alicui, adeo acriter pugnabatur, ut æstimarent jacula mitti et mittere, feriri et ferire, vulnerari et vulnerare, interfici et interficere. Ad quos cum multi fratres alii concurrerent, redarguentes eos, cur sic insanirent: « Nunquid non aspicitis, aiunt, quod ab inimicis nostris opprimitur, et jam in frustra fere concisi ad opprobrium irrecuperabile morimur? »

62. Tunc fratres, scientes eos ab infestatione dæmonum illusos esse, aquam benedictam spargunt, signum crucis faciunt; et recedente malignorum spirituum turba, illi quasi hostibus victis et in fugam versis, concito cursu insequebantur, altis vocibus inclamantes: « Eia, eia; vertimini et resistite, belligerantes fortiter; alioquin turpissima morte moriemini, si amodo nos adire, et minas et mortem inferre præsumpseritis. » At postquam in se reversi, quidam ex ipsis delusos se esse agnoscunt, fortiter exinde persistunt, qui fortiter vicerunt. Quidam vero ignominiam tantæ irrisionis ferre non valentes, et de perseverantia desperantes, aculeo caudæ dæmonis percussi recesserunt. Sed quia huic maligno et falso spiritui non sufficit, nec miratur si absorbeat mare, sed et Jordanem totum sorbere nititur; qui manifeste ad integrum seducere non potuit, iterum occultiores insidias præsumptuose sumens, redire non metuit. Convenerat siquidem in eadem paupertate multitudo de diversis nationibus et diverso genere, nobiles et ignobiles, divites, pauperes, majoris minorisque ætatis, sapientes, simplices et idiotæ, sicut vir ille recipere consueverat, in hoc Evangelii imitator effectus: « Omnem qui venit ad me non ejiciam foras (*Joan.* VI, 37). » Inter quos fallax ille spiritus quosdam considerans idiotas, et sua quondam recognoscens esse vascula, in quibus suæ quieti et voluntati habitaculum habere consueverat, tanta eos falsa suæ deceptionis sapientia replevit, ut qui prius vix in aliquo libro legere poterant, nunc de libris magna quædam dicerent, et de futuris prophetando majora et stupenda prædicarent.

63. Danielis quoque unus ex eis prophetiam se scire asserebat, et de ea quædam duce mendacio loquebatur, ubi de quatuor, et septem, et decem cornibus et regibus prophetia scribendo inducit, et de Antichristo. In quibus jam simpliciores quosdam attentos reddiderat, et, si fieri posset, etiam Dei hominem et venerabilem Simonem, abbatem Sancti Nicolai, in errorem induxisset, quia in tantum processit ejus arrogantia, ut ipsis assidentibus etiam in capitulo sermonem facere præsumeret. Et qui vidit et audivit, perhibet hujus rei testimonium: et hoc signum ejus, quia de sermone protulit initium. Erat enim hic sermo: « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente. » Hoc spiritus ille mendax per organum illud assumptum proferebat, sed ad veritatem quæ sequitur, videlicet: « Et accipietis regnum æternum, » nullatenus procedere valebat. Unde cum Pater Norbertus eumdem interrogaret, quid sibi videretur, ille respondit: « Magister bene, in brevi manifestum erit. » Porro dum ab audientibus veritatis et dulcedinis falsus ille spiritus se ex parte deprehendi cerneret, ut est mille artifex, artificiosus deceptionis alia genera exquirit, ut quia cooperatores manifestæ operationis non poterat subvertere, saltem contemplativus quosdam succideret a contemplatione. Nam ille idem clericus, laboris hujus iniqui minister, subita quadam gravissima infirmitate arripitur. Et qui prius de visibilibus responsa dabat, in cœlum os suum ad invisibilia et ineffabilia ponere præsumebat.

64. Concurrunt fratres, sicut consuetudo est, ad inungendum eum, concurrunt ad ea quæ dicebat audiendum. De se quidem magna; sed et de quamplurimis circumstantibus asserebat majora. De se quia in eadem vespera, aut esset cum angelis in cœlo, aut staret sanus cum cæteris fratribus in choro, de aliis vero, singulorum considerans habilitatem, quasi prophetando et augurando dicebat: « Hunc, cum nuper in ecstasim raperer ad superiora, vidi ad æternitatem vocatum, istum jam in sede felicitatis positum; lectum istius in eadem felicitate præparatum: iste futurus pontifex, iste constituendus rector multorum regularium et magister; iste in bono proposito perseveraturus, iste alius deficiens recessurus. » His dictis, se contulit quasi ultimum exhalaret spiritum, unius horæ spatio sic in terra jacens, ut statim morituris fieri solet; tum audito primo vesperarum sonitu surrexit, et veloci cursu cum aliis chorum intravit. Quod cum astantes cernerent, alter ad alterum suum scandalum profitentes, se delusos esse contestabantur. Sed nec sic quidem destitit antiquus ille et malignissimus insidiator, totiusque bonitatis et veritatis expers, et cunctorum scelerum malignissimus adinventor. Suscitavit enim alium clericum similiter, qui sicut ille de propheta Daniele spiritum hauserat seductorium, sic iste de Joannis apostoli Apocalypsi nihilo minus spondebat se scire, et rimari debere dona cœlestium secretorum. Quem cum unus ex prioribus in capitulo adduxisset: « Ecce, inquit, nunc demum visitavit nos

Oriens ex alto, quia hunc non diuturna scholarum exercitatio instruxit, nec labor annorum numero computatus edocuit, sed angelica quædam revelatio, quæ per totam noctem, sub tenebrarum silentio, ad ipsum diligenter instruendum, et nos per ipsum laboravit. Audiamus igitur eum, ut ab eo discamus quod de excelsis didicit in Apocalypsi per mentis excessum. »

65. Audientes hoc quidam de fratribus, quibus jam ex parte subtilitas fallacium spirituum nota erat, omnino prohibuerunt, dicentes: « Amodo nec hunc nec alium quemquam velle audire in sermone, priusquam Pater Norbertus reverteretur. » Videns itaque mendacissimus ille spiritus claritatem suam, qua transfert se in angelum lucis, esse repulsam; ut leo frendens, qui esurit et circuit quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8); quasi excitatus ad iram, ultra latere non valens, aperte sævitiam suam et odii fomitem, quem adversus congregationem et aciem bene ordinatam gerebat, exercere cœpit. Primo quidem inter illos duos, quos sic illuserat, et per quos alios irridendo illaqueare tentaverat, tantas discordiæ inimicitias posuit, ut si alter alterum alicubi posset apprehendere, interficeret eum; et nisi seris et laqueis tenerentur, evadendi alter eorum non invenisset locum. [CAP. XXX] Deinde importunissimus ille insidiator, qui apponit iniquitatem super iniquitatem, ut onus grave aggravatum ponat super innocentes, juvenem quemdam cujusdam conversi filium arripuit, et ingressus nequiter eum torquere cœpit. Et qui totum gregem multiplici arte sua non poterat subvertere, omnimodis nitebatur eum saltem præruptum relinquere. Quid faceret grex sine pastore, cui sic lupus undique insidiabatur? Stabant stupentes et admirantes, quinam essent assultus tam frequentes, qui hujusmodi arma ferre non consueverant. Ligatum tamen ipsum dæmoniacum recludunt, donec agatur consilium quid facto opus sit.

66. Et facto silentio noctis, cum prior, qui tunc aliis præerat, ad eum intrare vellet, adhuc foris stans, longe aliquantulum a domo, ostiis etiam omnibus clausis, nec patebat foramen per quod posset videri, et etiam quia tenebræ erant, dæmon interius alta voce cœpit clamare: « Modo intrabit ad me, modo intrabit ad me; modo venit, modo venit magister illa cum clavata tunica sua: maledicatur ipsi; firmate ostium firmiter, firmate quam celerrime. » Non ob hoc cessit ille, sed processit, et pulsans ad ostium intravit. Stansque ante illum dixit: « Dic mihi, rogo quid est quod loqueris? » Respondit: « Interrogas me quid loquor, an quis ego sum qui loquor? neutrum tibi indicabo. Nunquid tu magister es, aut tutor illius, aliorumve ductor? Recede, recede, inquit, quam citissime, ne a me injuriatus ignominiose recedas. » At ille certus quia spiritus esset nequam, et quia ad decipiendum sæpissime venerat, qui modo tandem ad perimentum intraverat: « Adjuro te, inquit, per Jesum Christum Filium Dei, qui tuas in cruce vicit insidias, et potestatem, quam injuste et fraudulenter rapueras super hominem, juste et potenter recepit; ut quis sis, celare non præsumas. » Ait: « Nunquid sic me coges? » Respondit: « Non ego. Cogit te qui in altera vice, ut præmissum est, per crucem te vicit. » Et exclamans dæmon ille nequam: « Ei mi! ei mi! quid agam? Ego sum, ait, ille idem qui fui in puella Nivigelle coram Norberto magistro tuo, albo cane; maledicatur hora qua unquam natus fuit. »

67. Sic certus ille de suo et aliorum importuno persecutore, totum convocat conventum; et hæc omnia indicans, quid super hoc faciendum sit interrogat. Illi consilio inito, timidi tamen, utpote novitii, qui hæc non consueverant, disciplinam corporalem suscipiunt, jejunia et orationes inter se constituunt, aquam in vase ad hoc habili benedicunt, et cum processione eunt ubi erat dæmon. Cœpit igitur fremere, et cum magno strepitu clamare: « Veniant nostri ad hoc bellum; plures enim sumus: et conteremus eos, ut a lapide grana tritici conteri solent, et prorsus eos delebimus. » Cui cum prior responderet: « Sic facies, si a Deo accepisti potestatem; » ille versus ad eum, et extensis manibus, quasi scindere vellet vestes, quibus erat indutus, ait: « Putasne te istorum esse magistrum? » Et extendens digitum ad crucem, quam ibi tenebat puer: « Ille, inquit, est magister, non tu. Pro te nihil faciam: sed ille est a quo torqueor. » Dæmones Jesum Christum crucifixum fatentur, et timent: Judæi legem habentes, et falsi Christiani non agnoscunt, sed detestantur et rident. Solutus est ille, in quo spiritus erat nequam; sed cum vix a multis circumstantibus teneri potuisset, juvenis quidam clericus de conventu, humilem de vera obedientia, cui totus deditus erat, assumens præsumptionem, dixit: « Præcipiatur mihi per obedientiam, et tenebo eum, non meis, sed obedientiæ manibus et vinculis. » Cui cum præceptum datum fuisset, et alii recessissent, ille solus tenuit, et usque ad aquam benedictam deduxit. Dæmon vero ad aspectum illius tremebat, ut coram positis ad verberandum virgis quilibet tremere solet parvulus.

68. Ponitur in aqua exorcizata, leguntur exorcismi, fiunt adjurationes, leguntur Evangelia, aliis de fratribus flentibus, aliis in oratione, aliis in disciplinis corporalibus, aut aliis afflictionibus existentibus; omnibus tamen admirantibus super responsis inutilibus et joculosis ejus sermonibus. Quid plura? Tandem post nimias et innumerabiles miserrimi corpusculi fatigationes, dæmon supra linguam dæmoniaci residens, in modum grani nigerrimæ lenticulæ se posuit; et aperto ore, linguaque extracta, omnibus astantibus se ostendit, dicens: « Ecce ego, sed pro vobis omnibus hodie non egrediar. » Cui cum responderetur: « Mendax es, et ab initio in veritate non stetisti, nec tibi ab aliquo fidelium credendum est; » non post multum, sonitum fetidissimi fetoris emittens, exivit, intolerabiliter fœda relinquens vestigia. Et sic ille a suo tortore corpus eva-

cuatum cecidit, et in lectulum quemdam reclinatum, A post diuturnam recreationem, ab ægritudine illa vix convaluit. [Cap. XXXI.] Fatigatis igitur mirabiliter et multipliciter fratribus, et artificiosa dæmonis hujus calliditate inquietatis, ipse dæmon totius quietis impatiens, et pacis quieti nullatenus acquiescens, cum locum suæ seductionis apud simplices nullum inveniret, volatu facili, sicut levis est velocitate naturali: Trajectum, ubi erat Pater Norbertus, concito transiit; et hominem quemdam cujusdam principis villicum, arripuit; ut qui non poterat aciem, quam bene compositam reliquerat dissolvere, saltem in signifero jaculare, et per signiferum tentaret in acie tela mortis ministrare.

69. Erat enim in eodem oppido annuæ celebritatis dies, quando populus ad hujusmodi solemnitatem B convenire solet. Et tunc ibidem multi convenerant, et sacerdos Dei Norbertus in ecclesia majori, ubi frequentia populi major erat, celebrabat; ubi erat etiam homo ille, arreptus a dæmone infra Secretam; qui cum magno tumultu et fremitu vix ligatus tenebatur. Finitis itaque missarum solemniis, oblatus est ei ille cum magno suffragio plebis circumstantis, et exspectantis agonem militis Christi et dæmonis. Ille vero, ut erat adhuc sacris amictus vestibus, imo sancti Spiritus virtute accinctus, et lorica justitiæ, fideique et veritatis scuto munitus, ad debellandum hostem illum importunissimum procedit. Cumque quidam circumstantes fratres dicerent ei, ut suæ imbecillitati parceret, quia jam vespera erat, et hunc eventum esse casualem, neque omnes casus posse emendari; ipse permotus, et vultu et respon- C sione gravi reverberavit eos, dicens: « Nescitis, fratres; nescitis, inquam, quia invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, quæ et adhuc in eo perseverat; nec resipiscendi unquam habebit voluntatem. Iste siquidem ad hoc se ingerit tam frequenter et importune, ut et me odiosum reddat, et verbum Dei, quod per me ministratur, in cordibus audientium faciat vilescere, et ab eis qui illud susceperint, etsi latenter non potest, evidenter tamen ex innata sibi arrogantia laborat auferre. Nunquid in auribus vestris veritatis non sonuit expositio, quæ dicit: « Quia venit diabolus ut tollat semen verbi Dei de cordibus eorum? » (*Luc.* VIII, 12).

70. Hæc dixit, et statuto dæmoniaco ante altare, exorcismum aggressus est, dæmonem compellens ut D exiret. Et cum salem exorcizatum ori ejus immisisset, ille magno impetu in faciem et in oculos sacerdotis exspuit, dicens: « Jam tu consilium dedisti ut in aqua mitterer, ut ibidem durissimis cæsus flagellis ad mortem fere verberarer. Frustra niteris, me tua flagella non lædunt, minæ tuæ non terrent, mors non cruciat, nec me mortis vincula ligant. » Consilium, ut præmissum est, datum erat, ut in aqua exorcizata mitteretur, sed eodem furioso absente. Cum ergo circumstarent et clerus et populus, alii A ob curiositatem, alii propter pietatem, pessimus dæmon per os invasi hominis, multorum pe[illegible]vitum, et adulteria et fornicationes cœpit detegere, et quidquid confessione tectum non erat, maledicto ejus ore detegebatur. Hoc audientes, cœperunt omnes hac illacque diffugere, paucis cum Patre Norberto remanentibus. Et cum jam dies esset inclinata, facto vespere, fatigati qui aderant jejunio et vigiliis noctis præcedentis, coegerunt eum ad hospitium, ut requiem paulisper acciperet, et membra debilia refectione aliqua refocillaret, et dormitione recrearet. Ubi cum ad cœnam cum fratribus suis et quibusdam hospitibus resideret, nuntiatum est ei quia æger ille quietus sedebat, et solutus ante altare, de commissis et maledictis quæ turpiter intulerat, veniam preca- B batur. Gratias egerunt Deo; vere enim illa nocte et in crastino, quasi esset curatus, apparuit.

71. Habebatur vero inter cives ejusdem oppidi quoddam mortale odium, ad quod cum in crastinum per totum diem Pater Norbertus pro pace componenda laborasset, et ex integro, adjutrice gratia, cuncta in pace et quiete composuisset: statim diabolus qui a cordibus eorum expulsus fuerat, ut libenter digrediens, in eumdem miserum hominem, qui curatus videbatur, ingressus est; qui statim cœpit stridere iterum et furere. Regressus ab ecclesia sacerdos Dei: « Nescis, inquiunt astantes, quia energumenus ille hesternus insanit? nisi quam citius subveniatur ei, et quam cito curetur, furore sui ipsius consumptus peribit. » Respondens homo Dei: C « Non, inquit, modo a suo tortore liberari poterit, quia peccatis suis exigentibus hoc ei accidit (nam et officium procuratoris villæ gerebat) et merito suo tortori traditus est. Sinite eum modo, ut postquam vexaverit eum per aliquot dies, satisfactione recepta, ille nequissimus dæmon facilius expellatur. » Sapiens homo doctusque palæstræ gerendæ cum spiritibus immundis, tribus diebus permisit eum torqueri et vexari; et post hæc divina miseratione ab eo curatus est, ita ut mentis suæ compos, et incolumis ad sua propria reverteretur.

CAPUT XII.

B. Godefridus Cappenbergensis conversus: idem cogitandi Theobaldo comiti persuasum conjugium.

72. [Cap. XXXII.] Eo tempore fama creberrime et celeberrime ob insignia tanti hominis percurrente, D compunctus est paupertatis spiritu comes quidam Westphaliæ præpotentissimus, Godefridus nomine (73); qui accessit ad eum, eo quod de eo multa audisset: sed cum adhuc majora, Spiritu sancto perdocente qui per eum operabatur, invenisset, omne consilium suum et voluntatem ei aperuit; et qui se totum jam Deo devoverat interius, sine mora de omnibus relinquendis, et de paupertate voluntaria amplectenda, perdocetur exterius. Erat enim dives, potens in armis, utpote homo juvenis, in prædiis multis, servis et ancillis satis locupletatus. Quibus

(73) Hic est B. Godefridus Cappenbergensis, ex comite canonicus ordinis Præmonstratensis, mortuus an. 1127, 13 Januarii, ad quem diem varia ejus Acta sunt illustrata.

statim omnibus abrenuntiatis, se et sua omnia, Deo per manus hominis Dei disponenda, contradidit, ea siquidem conventione interposita, ut propriæ domus, castri videlicet Cappenbergensis (74), transmutaret suffragia, consecrandi gratia, ut, ubi regnaverat vitiorum exsecratio, virtutum ibidem locum faceret divinæ benedictionis consecratio. Quid faceret juvenis, certamen gravissimum bellaturus? Gravissimum bellum vere dixerim, quia erat illi uxor et frater eo junior, qui, per omnem modum, quodcunque disposuerat facere contradicebat. Contradicebant etiam homines sui feodati, servi et ancillæ, et cuncti ministeriales ejus. Contradicebat omnes Fredericus (75) pater uxoris suæ, atque ex magna parte eleemosynam quam fecerat, de dote filiæ suæ esse dicebat. Quid dicam? Manus ejus contra hos omnes, B et manus horum omnium contra eum. Geritur bellum, non armis materialibus, sed fide; non contentionibus, sed ratione; non armatorum multitudine, sed angelorum suffragio, et spe cœlesti galeatum, et superna loricatum virtute. Vicit tandem humilis importunitas, quam opportune plantaverat et comitabatur spes cœlestis beatitudinis et perfecta humilitas. Vicit quidem, quia uxor (76) consensit et frater (77) leonino furore deposito, agninam mansuetudinem assumpsit, et religionis habitum, quem ipsum comitem Godefridum velle noverat, uterque suscepit. Gavisus est Pater Norbertus, gavisus est et comes; et redditis omnibus Cæsari quæ Cæsaris erant, et quæ Dei Deo retentis, tres de propriis allodiis ecclesias, ordinante Patre Norberto, construxit. In quibus fratribus impositis, et religione ordinata, C cum Dei servitium eleganter impleretur, non deerat tentatio et malignorum spirituum persecutio.

73. Nam comes Fredericus, pater uxoris comitis, ambitioni suæ indulgens, eo quod castrum Cappenbergense dominatum Westphaliæ tenuerat (prætendens esse dotem filiæ suæ) comminatus est fratribus, quod nisi quam citius abscederent ab eo, omnes interficeret. Aliquoties etiam cum equitatu suo illuc usque accedebat, Patri Norberto comminans, quod si ipsum teneret, cum asino suo eum suspenderet, ut æqua lance experiretur quis eorum ponderosior esset. Tam superbæ locutioni qui aderant episcopi aut alii principes contradicebant, et pro hoc etiam verbo iram Dei super eum comminabantur. Jam enim Pater ille Norbertus, circa Rhenum et ultra D

A Rhenum, apud omnes pluris habebatur; nec æque ferre poterant, si a quoquam comminaretur ei vel malediceretur. Fratres vero Cappenbergenses in arcto positi, nec ullum habentes liberatorem, præter Deum, de manu potentis et iniqui, miserunt ad Patrem suum ut adjuvaret eos, pariterque superbi hominis arrogantia verba nuntiantes. Quo nuntio accepto, collectis viribus fidei et spei, in eum et per eum qui dixit: « Confidite, ego vici mundum (*Joan.* XVI, 33), » ad ipsum se totum contulit, et publice pronuntiavit, se cum asino suo terram illius ingressurum, et copiam sui se facturum. Quid multa? Quamvis iter longum esset, tamen asinum suum mutare noluit; sed transito Rheno, mox ut cum asino suo inermis et debilis terram illius Frederici comitis intravit [dirupto ventris thorace, idem Fredericus sedens in prandio, medius crepuit (78)]: nec longe post atrocissimus ille hostis languore correptus interiit, et finem malitiæ simul reddidit et vitæ. Igitur animadvertendum est quis et cujus miles iste fuerit qui in asino residens, vibrato a longo iræ Dei gladio, in ultionem sui et fratrum suorum, hostem perforavit, et de immani tyranno triumphum accepit. Sic pacatis omnibus, fratribusque Deum timentibus electis, in tribus, ut præmissum est, ecclesiis de eodem allodio servitium Dei omni tempore agendum ordinavit, videlicet Cappenbergensem, Elophstatensem (79) et Varlarensem (80), in quibus multorum fratrum et sororum usque in hodiernum diem viget congregatio, et in cultu divino floret honesta religio.

74. [CAP. XXXIII.] Multa de tanto Patre narrari possunt, sed tamen plurima prætermittuntur, quia non contingit uni alicui scire cuncta, quæ per eum Deus operatus est. Erat enim vere lucerna ardens, satis temporibus modernis spectabilis; lumen non sub modio, sed super montem positum, et tam in Germania quam in Francia magnum nomen ejus habebatur et manifestum. Unde contigit ut cum in Franciam reverteretur, et fama de conversione supradicti principis, mirantibus multis, divulgaretur, eo quod cum habitu in religionem mutasset et castra et castrorum militiam, et totum comitatum destruxisset, servitioque Dei cuncta mancipasset, exemplo hujus commotus et compunctus quidam nobilissimus D princeps Franciæ, comes videlicet Theobaldus (81),

(74) Cappenberga in diœcesi Monasteriensi, a Luna, ad Lupum flumen sito oppido, ferme milliari distat.

(75) Fredericus comes Westfaliæ, de Arnsburg, homo ferocissimus Gobelino, ætate 6, cap. 48, anno 1123, cujus nepos postea fundavit monasterium ordinis Præmonstratensis in Arnsburg, qui locus nunc pertinet ad jus electoris Coloniensis.

(76) Jutta comitissa de Bonneburgh in sinistro montis latere reclusa vixit, dum Hervordiam evocata illustri dominarum collegio præfecta est abbatissa.

(77) Otto post B. Godefridum et alium Ottonem tertius præpositus Cappenbergensis mortuus anno 1171 aut sequenti. De eo etiam egimus inter prætermissos ad diem 23 Februarii.

(78) In tribus mss. omittuntur hic uncis inclusa, adsunt in aliis, videnturque ad sensus integritatem prorsus necessaria.

(79) Elophestadium sive Elfstat, usitatius Ilmstadium in Wederavia, 5 leucis Francofurto dissitum, morte B. Godefridi celebre.

(80) Varlar, leuca a Cousfeldia, episcoporum Monasteriensium residentia, distat.

(81) Theobaldus Blesensis cujus amplus ad Ligerim comitatus, singulari mappa geographico continetur; comes fuit etiam Carnotensis et Campaniæ, mortuus 10 Januarii an. 1251, filius fuit Adelæ, filiæ Guillelmi Conquestoris. De eo continuator monachi Gemmeticensis: « Theobaldus, inquit, vir per omnia laudabilis, utpote laicus ac viros religiosos nimio affectu venerans ac lovens, successit Patri Stephano

hominem Dei adiit, de salute sua, et de remissione peccatorum suorum simili modo consilium quæsiturus. Considerans autem hominis Dei facundiam, et vultus elegantiam, et maturitatem in verbis et sponsis ejus, pietatis affectu mens ejus in amore dulcedinis Dei et omnis mansuetudinis sic perfusa est, ut statim seipsum totum, cum tota sua possessione, viri Dei subderet potestati; erat enim et ipse homo prudens et bene doctus, et sanam doctrinam et sapientiam verborum Dei sapienter in corde suo et laudabiliter colligebat. Sed vir Dei e converso videns generosi principis cor nobile, nobilemque et devotam, quam de seipso bene dividens offerebat oblationem, et holocaustum quod de cunctis rebus et divitiis faciebat, paucis diebus respondendi acceptis induciis, Domino Deo consilium hoc attentius commendabat.

75. Intellexerat enim quod princeps ille amplissimas haberet facultates, et castra quamplurima, nec cuncta facile possent destrui et mancipari cuidam religioni, tum propter regni imminutionem, tum propter multorum aliorum principum nobilium, qui sub eodem principe principes feodati erant, destructionem. Audierat etiam ipsum esse largissimum in dandis eleemosynis, in ecclesiis, claustris, et cæteris religiosorum officinis ædificandis, addens quoque cæterarum necessitatum grande subsidium. Audierat similiter hunc patrem esse orphanorum, sponsum viduarum, pauperum dapiferum, insuper solamen lazarorum (82); nec in eo vir per omnia discretus, alterius consuetudinis vitam præsumebat ordinare, quem a Deo horum omnium ministrum considerabat electum fuisse. Exspectabat autem ille responsum de contemptu mundi et renuntiandis omnibus; cui homo Dei, accepto divinitus post datas inducias consilio: « Non erit, inquit, ita; jugum enim Domini, ut cœpisti, cum jugo conjugalis societatis portabis, et semen tuum, cum benedictione patrum tuorum præcedentium, terram tuam largissimam obtinebit, quia nobis non est licitum in te destruere, quæ de te divina dispositio ante omnia tempora in his novissimis temporibus voluit ordinare. » Ad hæc intulit princeps: « Si sic, ait, necesse confirmas, reverende Pater, ex Dei voluntate: « Domini est terra, et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1), » nec ex ea quisquam aliquid nisi per ipsum obtinere debet. Quia igitur ab ipso hoc præcipis, non habeo contradicere, sed certum tibi sit, quia nullam in matrimonium ducam, nisi quam Dominus Deus per te mihi voluerit copulare. » Penset igitur quilibet auditor quanta fuerit in viro virtus discretionis, qui de duobus principibus alterum fecit cuncta relinquere, alteri vero præcepit, tanquam nihil habente cuncta possidere. Consideravit quippe in altero quod aliena etiam ab egenis raperet; consideravit vero in altero quod propria indigentibus largiri non cessaret. [CAP. XXXIV.] Disposuerat denique jam tunc homo Dei iter Romanum, pro statuendo ordine fratrum suorum, et pro confirmandis rebus eorum sibi a Deo collatis. Assumptis itaque legatis comitis, usque Ratisponam secum perduxit. Erat enim (83) episcopus ejusdem civitatis nobilissimæ progeniei, et habebat fratrem potentissimum, videlicet Engelbertum (84), marchionem quemdam, cui erant nubilis ætatis filiæ, e quibus una (85) quæsita, comiti Theobaldo conjugio concessa est danda.

CAPUT XIII.

Curati cæca et dæmoniacus. Tanchelini hæresis exstirpata Antverpiæ.

76 Reversi sunt legati hæc nuntiantes; et Pater Norbertus cœptum iter aggrediens, Romam pervenit, ubi a beatæ memoriæ papa Honorio (86) honorifice susceptus est; et quidquid juste petebat ab eo, gratanter accepit. Peractisque omnibus, cum jam de reditu cogitaret, quadam nocte summo diluculo, cum in Deum meditaretur ipse, et quidam sociorum suorum, quos itineris sui solamen habebat, audita est vox ab illis manifeste, Parthenopolis ipsum esse episcopum futurum denuntians. His auditis admirantes stupebant, nec audebat quisquam eorum alius alteri fateri quid audivisset. Præmiserat enim unum ex clericis suis nuntiare comiti reditum suum, et accipere responsum, quid de matrimonio placeret ei, quod per legatos suos audierat sibi quæsitum. Ipse vero rediens, forte transitum habuit per quamdam civitatem, Herbipolis nomine, quæ tunc temporis episcopo carebat. Et coegerunt eum populus et clerus (erat enim Pascha) ut apud eos illud cele-

in comitatu Blesensi comitatum etiam Trecensem emens ab Hugone patruo suo, simul cum Carnotensi possedit. » Atissiodorensis Robertus ad an. 1136, hoc eumdem ornat elogio: « Florebat hoc tempore Theobaldus, comes Campaniæ, pater orphanorum et judex viduarum, cæcorum oculus, pes claudorum, in sustentandis pauperibus singulariter munificus, in exstruendis cœnobiis et erga religiosos quosque incomparabili largitate; quanta fuerit eleemosynarum largitione profusus, et religionis amator et propagator eximius, vix lingua sufficit explicari. »

(82) Lazari etiam nunc in Belgio nominantur leprosi: quia horum contubernia plura, ac nominatim apud Hierusalem. Quin etiam Romæ extra urbem teste a Lapide, habentur fundata sub invocatione S. Lazari, evangelici pauperis, cujus ulcera canes lingebant.

(83) Hartwicus, filius Engelberti ducis Corinthiorum, præfuit ab anno 1105 ad an. 1126.

(84) Engelbertus marchio Crayburgensis. De his consule Wiguleium Hundium in episcopis Ratisponensibus.

(85) Macthildem nominant scriptores Franci; continuator monachi Gemmeticensis vocat « filiam cujusdam comitis Boheniæ, quæ plures filios habuit et filias; » filios 5, et filias 6, omnes titulis grandibus nobiles, enumerat Labbeus noster in Tabulis genealogicis, tab. 6, ubi de comitibus Campaniæ. Sunt qui illam cum Mathilda Flandrica male confundant.

(86) Honorius II, papa creatus an. 1124 exeunte, vixit usque in Februarium anni 1130, bulla autem data 1126, XIII Kal. Martii, inscribitur: « Dilectis filiis Norberto fratri in Christo et canonicis Præmonstratæ Ecclesiæ S. Mariæ, eorumque successoribus, regularem vitam in perpetuum professis, » et incipit: « Apostolicæ disciplinæ sectantes vestigia, mundanis quidem pompis et possessionibus abre-

braret. Illo denique retento, cum in die sancto majorem missam celebraret, ventumque fuisset ad sacrosanctam Dominici corporis et sanguinis perceptionem, accessit ad eum cæca mulier, quæ omnibus nota erat; et eo, de flatu Dominici sanguinis recenter perfuso, sufflante in oculis, lumen recepit. Unde cum in admirationem laudis, cunctus assistens populus magnificentiam Dei altis vocibus extolleret, contigit ut quidam divites de majoribus civitatibus compuncti, et in amorem Dei accensi se et sua per manus hominis Dei Deo redderent; de quorum proprietate et possessione ecclesia ædificata ibidem esse dignoscitur, quæ divinis cultibus claret usque in hodiernum diem. Recordati vero vocis, quam Romæ audierant, ipse homo Dei et fratres sui, eo quod Parthenopolis et Herbipolis utrumque nomen civitatum *polis* finem faciebat, timentes ne in episcopum assumeretur, ab his qui supra modum magnificabant eum, propter magnificum opus Dei quod ibidem contigerat, festinanter egressi de civitate recesserunt.

77. [Cap. XXXV.] Accepta igitur potestate a Romano pontifice de institutione proposita et statuto ordine, cum ad locum suæ paupertatis, videlicet Præmonstratum esset reversus, statim confirmavit quod prius fecerat, videlicet ecclesiam B. Martini, quæ est Lauduni sita in suburbio, quam sub abbate (87), cum adhuc in nimia paupertate esset, ordinaverat. Quæ quantum in spirituali et temporali ædificio creverit, et plantata et super quam terram radicem fixerit, arbores ex ea insertæ per diversas terrarum nationes dicant, fructus ex eis suavissime redolens prædicet, et qui viderent et cooperatores exstiterent, usque in æternum succedentes, succedentibus perhibeant testimonium. Ordinari fecit etiam in Vivariensi (88) ecclesia abbatem, quam in Suessionensi pago susceperat; ubi et dæmon, qui eum persequebatur, ad introitum fratrum in hominem quemdam statim ingreditur, ut scriptum est: « Etenim Assur venit cum illis (*Psal.* LXXXII, 9), » quem Pater Norbertus, Deo cooperante, hoc modo liberavit. Ille siquidem, ut erat solitus heri et nudiustertius, exierat agriculturam suam agere, et dum geminato æstu laboris sitiret, ad proximum fontem accessit; et dum bibiturus se inclinaret vidit immanem umbram et horridulem in ipsa aqua; qua visione perterritus, dum temperat se a gustu aquæ, erectus vidit quasi personam magnam hominis cum terrore quærentis: « Cujus homo esset. » Quo dicto ubi disparuit, statim perversus a dæmone furere cœpit.

78. Hora erat quasi post meridianum, et prope villam, unde et ad vesperam inventus, ligatus adductus est. Quem cum Pater Norbertus diligenter esset intuitus: « Videtis, inquit, quomodo malignus spiritus, qui bonis omnibus invidet, nos facere odiosos etiam in isto loco nititur? Laborat enim talem seminare rumorem, quod ad ingressum nostrum hæc infamiæ nota subsequatur; et hoc signum, quia ista mala præcedant: sed per gratiam Dei, quia non prævalebit. » Tunc cœpit hominem signare et exorcisare donec quiesceret, et sana verba proferret. Rogabat siquidem orando sanctam Dei Genitricem, in cujus honore erat ecclesia consecrata, ut ejus misereretur. Quod videntes qui astabant, gavisi sunt valde, gratias agentes Deo, et dicentes: « Eia benedictus Deus: per omnia modo pausare paululum potest iste Pater noster, quia fatigatus huc accessit, de longo noviter veniens itinere. » Sed ille qui, ut sæpe dictum est, spirituum discretionem habebat, propius accedens, cum de naribus illius possessi fetorem fetidissimum exire sensisset: « Non est, inquit, ita ut vos putatis, quia nunquam spiritus iste nequam recessit, sed latitat in calamo isto, et verba composita loquitur, ex divinæ virtutis timore, ut non expellatur; sed, nobis recedentibus, acrius hunc miserum valeat cruciare. Attamen sine causa non est traditus huic adversariæ potestati: permittamus eum hac nocte quatenus pœnas debitas hac exsolvat vexatione, orantes pro eo, et forsan in crastinum facilius miserebitur ei Deus. » Et sic factum est. Sed rei veritas et subsecutæ veritatis indicia, vera comprobaverunt esse verba sacerdotis. Nam ut

nuntiant, et Domino totis viris famulantur. » Hoc ergo eorum proposito laudato et confirmato. « Statuimus, inquit pontifex, ut in Ecclesiis vestris, in quibus fratres vitam canonicam professi degunt, nulli hominum liceat, secundum B. Augustini Regulam, ibidem constitutum ordinem commutare. Nullus etiam episcoporum futuris temporibus audeat ejusdem religionis fratres de ecclesiis vestris expellere, nec professionis canonicæ quispiam ex eisdem ecclesiis aut claustris audeat, sine communis congregationis permissione, discedere; discedentem vero nullus episcoporum, nullus abbatum nullus monachorum, sine communium litterarum cautione suscipere. Bona etiam et possessiones, quas juste et legitime possidetis, præsentis nostri scripti pagina confirmamus, in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda; ecclesiam videlicet S. Martini Laudunensis, in Laudunensi episcopatu; Vivariensem ecclesiam S. Mariæ, in Suessionensi episcopatu; Florefiensem ecclesiam S. Mariæ in Leodiensi; Cappenberg ecclesiam S. Mariæ et beatorum Petri et Pauli in Monasteriensi; Wallar ecclesiam S. Mariæ in eodem episcopatu, Elostat ecclesiam S. Mariæ in Maguntiensi; ecclesiam Sancti Annalis (*suspicor* Salinævallis *legendum*) in Metensi; Autwerpiæ ecclesiam S. Michaelis in Cameracensi. » Eccum jam tunc abbatias octo fundatas; possessionem autem, archimonasterio Præmonstratensi attributas legere in reliqua bulla est apud Pagium, fol. 392: solum hic animadverte, privilegia supra notata eadem quoad substantiam esse, quæ anno præcedenti 1124, phrasi uberiori et cum insigni novæ institutionis encomio signaverant « Petrus sedis apostolicæ presbyter cardinalis, et Gregorius S. Angeli diaconus cardinalis, » uterque legatus Callixti papæ II in Francia: quorum diploma vide apud eumdem Pagium, fol. 390. Inspexi, etc. Vide tom. VI Junii, pag. 25, col. 2.

(87) Gualtero scilicet, dein episcopo Laudunensi, qui obiit anno 1153, die 5 Octobris, quando est cum titulo *beati* inscriptus Natalibus ordinis Præmonstratensis, inter *pios* a Saussaio relatus.

(88) Vivariense monasterium, nunc Vallis Serena: ubi sanctus Henricum constituit abbatem, cujus elogium sub titulo *beati* habet le Paige, p. 454: Saussaius piis ascribit ad 30 Augusti.

recesserunt ab eo, cœpit arreptus ille multo nequius stridere et furere quam prius fecisset. In crastinum autem homo Dei ad eum reversus est; et in conspectu innumeræ plebis, quasi ad spectaculum stantis, sanus per Dei gratiam redditus est æger, et ad domum propriam cum omni sensus integritate reversus.

79. [CAP. XXXVI]. Hæc de dæmoniaco isto per excessum dicta sunt, ut ea quæ facta sunt, prout fieri potest, suo ordine et loco disserantur. Non est enim prætereundum quare vocatus fuerit ad suscipiendam Antwerpiensem ecclesiam. Erat siquidem et est Antwerpiæ locus, oppidum amplissimum et populosum, in quo unus erat tantum sacerdos, qui curam totius populi ibidem commorantis habebat regere; sed pro nimia multitudine et frequenti negligentia non poterat, nec credebatur ei, eo quod ei ipse, quasi in conjugio et copula carnali, neptem suam in linea tertia manifeste sociam sui sceleris fecerat. Ob hanc causam populus ille, quasi grex sine pastore, in multis errorum vanitatibus deviabat. Unde contigit ut hæreticus quidam, miræ subtilitatis et versutiæ seductor, Tanchelinus nomine (89), ibi adveniens, in eadem gente suæ seductionis locum inveniret. Erat denique omnium hominum sceleratissimus, et Dei et omnium sacramentorum ejus inimicus, et totius religionis et Christianæ fidei contrarius, intantum ut obsequium episcoporum et sacerdotum nihil esse diceret, et sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptionem, ad salutem perpetuam prodesse denegaret; et populum illum, cui jam per multa tempora veritas horum nuntiata non fuerat, in eumdem errorem induceret. Credebant ei, et sequebantur eum circiter tria millia pugnatorum; nec erat dux aut episcopus, vel quilibet princeps, qui auderet ei resistere vel occurrere, nec ante eum, nisi sectam ejus sequeretur, apparere. Cum pretioso apparatu, in vestibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis et auriphrygii ligamine triplicatis incedebat; et verbis persuasibilibus magnisque conviviorum apparatibus benevolentiam eorum ad seducendos eos exhauriebat. Res mira et stupenda! Balneum suum bibebant, et reliquiarum loco asportantes recondebant. Et cum filias in matrum præsentia, sponsasque maritis videntibus corrumperet, opus spirituale esse asserebat, intantum ut infelicem se diceret quæ huic conjunctioni nefariæ non meruisset. Hæc turpissima et detestanda seductionis exsecratio, etiam post mortem ipsius hæretici exstirpari nullatenus potuit; quousque duodecim clericorum congregatio ab episcopo, ad subsidium sacerdotis qui solus erat in ecclesia Sancti Michaelis, ibidem poneretur.

80. Tunc vero clerici, charitate suadente, et hac evidenti necessitate cogente, Patri Norberto et fratribus ejus (90), per manus episcopi hanc eamdem ecclesiam cum aliquibus redditibus dederunt, confidentes quod Deus meritis ipsius et fratrum suorum, mortiferæ pestis auferret sævitiam, et tenebris ignorantiæ depulsis, lumen veritatis repararet. Suscepta igitur est ecclesia, et clerici in eodem oppido alia sibi ædificaverunt, quæ utræque manent usque in hodiernum diem, Dei servitio mancipatæ. At Pater Norbertus, peritis fratribus impositis, qui mortifero vulneri vitale medicamentum apponerent, cœperunt et ipsi seminare verbum Dei, et eloquia quam dulcia faucibus eorum super mel et favum propinare, infirmis pulmentum dulce ministrantes, et debilibus panem, qui cor hominis confirmat et vitam præstat æternam, annuntiantes. Aiebat enim: « Fratres, ne miremini, et ne timeatis: vos per ignorantiam seculi estis mendacium, veritatem esse existimantes: quam

(89) Tanchelinus, clero Trajectensis ad Rhenum ecclesiæ, in epistola ad Fredericum archiepiscopum Coloniensem, Tanchelmus: Petro Abailardo, SS. Norberti et Bernardi coævo lib. II Introduct. ad theolog. *Tanquelmus*, Roberto de Monte in Supplemento ad Chronicon Sigeberti, *Tandemus*; Willelmo Hedæ in Hist. epp. Traject. *Landelinus*; non nemini etiam *Tandericus* et *Tanchelinus*. Postremas ego lectiones vitiosas omnino censeo, et librariorum socordiæ imputandas: inter *Tanchelinum* et *Tanchelmum*, quid præferam nescio; cum *Dankeling* et *Dankhelm*, æque nomina Teutonica sint a *Dank*, *Danken*, id est *Gratia*, *Gratias agere*, derivatum unum, compositum alterum; ubi enim nos Belgæ molliori dialecto nunc usurpamus D, majores nostri, uti et hodie paulo asperius loquentes Germani cæteri, utuntur littera T. Abailardi locus, in Parisiensi anni 1616 editione, pag. 1066 sic habet: « Tanquelmus quidam laicus nuper in Flandria... in tantam se erexit dementiam, ut se Dei filium vocitari atque decantari, et a seducto populo (ut dicitur) templum sibi ædificari faceret. » Trajectensium epistolam mox integram dabimus: sicut eam inter vetera monumenta contra schismaticos an. 1612 Idgolstadii edidit Cæsareus Viennæ bibliothecarius Sebastianus Tengnagel. Robertus de Monte eadem fere omnia dicit quæ Vita, quandoque etiam verbis iisdem, hoc speciale quod asserat cum fuisse « nimiæ subtilitatis, cum tamen esset laicus, sed multis etiam disertis clericis in sermone acutior; » quandoque per tria sequentium se millia, « in resistentes sibi crudelius sæviebat; » addit etiam de morte ejus alia infra commodius proponenda, post epistolam Trajectensium.

(90) Duodecim illos fuisse loco non uno dicit Polycarpus, idemque legitur in quodam vernaculo de originibus Antwerpiensibus scripto, quod ab anno circiter 1400 compositum servatur in archivo civitatis pluribus allegando in speciali de eisdem originibus rebusque Antwerpiensium Commentario. Abstineo alias producendo in lucem: nunc enim satis habebimus ex eodem sumere priorem partem secundi post Acta Norbertina Commentarii, ad explicanda Michaeliticæ ac Mariana Ecclesiarum exordia, earumque ab invicem sejunctionem et peculiares Michaeliticæ profectus atque incrementa.

Epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum episcopum Coloniensem de Tanchelmo seductore.

Domino suo et venerabili Patri FRIDERICO, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopo, humilis Trajectensis Ecclesia, ex sincero affectu devotissimas orationes, cum debito subjectionis obsequio.

1. « Gratias, reverende Pater, sanctitati vestræ agimus, quia paterna miseratione vicem nostram doluistis, et Antichristi nostri, perturbatoris et blasphematoris Ecclesiæ Christi, cursum et impetum retardastis. Qui aperuit in cœlum os suum, et contra Sacramenta Ecclesiæ hæresim suscitare ausus est, jam olim sanctorum Patrum sententiis jugulatam. Hic enim spiritu superbiæ (quæ radix est omnis

si quis prius vos elocuisset, ut faciles inventi estis ad perditionem, sic faciliores inveniremini ad capiendam salutem. » Audientes igitur quidam verbum, et videntes opera quæ sequebantur, compuncti reverentes, viri et mulieres, corpus Dominicum, quod in cistis vel in foraminibus per decem aut quindecim aut quamplures annos reposuerant, referebant. Quis non stupeat super hoc facinus detestabile? quis dicat, memoriæ et posteris non esse commendandum, quod et seductor pessimus hanc gentem fraudulenter seduxerit: et pius prædicator Norbertus per se, et per suos, ad viam veritatis et justitiæ reduxit? Supervacuum judicari potest ab audientibus hæc narratio; sed ad subsequens transitus evidens haberi non potest, nisi hoc aliquando doceat præcedentis operis attestatio.

CAPUT XIV.

Dæmones sæpius repulsi. Lupi cicurati.

81. [Cap. XXXVII.] Inter cæterea prætereundum A non est quod cum quadam nocte Præmonstrati in domo paupertatis, cum quibusdam fratribus infirmis et minutis plus solito resedisset, de spe cœlesti et beatitudinis gloria conferens, et conferentes audiens, cum in secretæ noctis silentio quidam ex eis sitirent, missum est ad fontem ut afferretur aqua. Revertentes igitur qui missi fuerant, statim ut ostium cellulæ ingressi sunt: « Quare, vir Dei, inquit, aquam immundam huc attulistis? » At illi stupentes timebant, et vas bene lotum, et aquam purissimam se detulisse protestabantur. Cumque de olla in scyphum effunderetur, semel et bis fecit de eodem scypho projicere, omnino prohibens, ne quis ex ea vel ad modicum gustaret. Et cum tertium totum usque ad fundum ollulæ vergeretur accessoque lumine clarius B diligenter intuerentur, viderunt bufonem miræ magnitudinis in scypho reptantem, et obstupuerunt. Obstupescere quidem poterant, et supra modum mirari, tum quia hiems erat, quando ejusmodi

hæreseos et apostasiæ) intumescens, nihil papam, nihil episcopos, nihil archiepiscopos, nihil presbyteros aut clericos asseruit; columnasque Ecclesiæ Dei concutiens, etiam fidei nostræ petram, id est, Christum dividere ausus est. Penes se, et suos tantum Ecclesiam esse contendebat: Ecclesiam, quam Christus a Patre accepit, gentes in hæreditatem suam et possessionem suam terminos terræ; hic ad solos Tanchelmistas contrahere conatus est.

2. « Jam vero, sancte Pater, afflictionis nostræ querelas suscipite, et præcursorem Antichristi, eodem schemate, eisdem vestigiis, quibus ille secuturus est præcurrentem, advertite. In maritimis primum locis rudi populo et infirmioris fidei, venenum perfidiæ suæ miscuit, et per matronas et mulierculas (quarum familiaritatibus, et secreta collocutione, et privato accubitu libentissime utebatur) errores suos paulatim spargere cœpit, deinde per [has], conjuges etiam ipsos perfidiæ suæ laqueis irretivit. Nec jam in tenebris vel cubiculis, sed super tecta prædicare incipiens, in patentibus campis late circumfusæ multitudini sermocinabatur, et veluti rex concionaturus ad populum, stipatus satellitibus, vexillum et gladium præferentibus, velut cum insignibus regalibus, sermonem facturus procedere solebat. Audiebat illum populus seductus sicut angelum Dei. Imo, vere ipse angelus Satanæ, declamabat ecclesias Dei lupanaria esse reputanda; nihil esse, quod sacerdotum officio in mensa Dominica conficeretur; pollutiones, non sacramenta nominanda, ex meritis; et sanctitate ministrorum virtutem sacramentis accedere, cum ex verbis S. Augustini (*in psal.* x, 6, *Patrol.* tom. XXXVI): « Dominus Christus traditorem suum (quem diabolum nominavit (*Joan.* vi, 72), qui ante traditionem Domini nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere *Joan.* xii, 6) cum cæteris apostolos ad prædicandum regnum cœlorum miserit (*Matth.* x, 5), ut demonstraret dona Dei pervenire ad eos qui cum fide accipiunt; etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Judas fuit. » Item Augustinus *ibid.* 5; ibid.): « Si in percipiendis sacramentis dantis et accipientis est meritum considerandum; fit dantis Dei, et accipientis conscientiæ meæ. Hæc enim duo non mihi incerta sunt; bonitas illius, et fides mea. Quid te interponis, de quo certum nihil scire possum? Sine me dicere: *In Domino confido* (*Psal.* x, 2). Nam, in te si confido, unde confido, si nihil mali hac nocte fecisti? » Contra has et hujusmodi sententias sacrilegus ille declamans, dehortabatur populum a perceptione sacramenti corporis et sanguinis Domini; prohibens etiam decimas ministris Ecclesiæ exhiberi; quod facile volentibus persuasit, quia ea tantum prædicabat quæ vel novitate sui, vel magna voluntate populi placitura sciebat.

3. « Talibus nequitiæ successibus misero homini tanta sceleris accessit audacia, ut etiam se Deum diceret, asserens quia, si Christus ideo Deus est, quia Spiritum sanctum habuisset; se non inferius nec dissimilius Deum, quia plenitudinem Spiritus sancti accepisset. In qua præsumptione adeo illusit, ut quidam in eo divinitatem venerarentur, in tantum, ut balnei sui aquam potendam stultissimo populo pro benedictione divideret, velut sacratius et efficacius sacramentum, profuturum saluti corporis et animæ. Quodam etiam tempore, dum novum genus C quæstus nova adinventione machinaretur, quamdam imaginem S. Mariæ (stupet animus dicere) in medium multitudinis jussit afferri, et accedens, manumque imaginis manu contingens, sub typo illius, S. Mariam sibi desponsavit. Sacramentum et solemnia illa desponsationis verba, ut vulgo fieri solet, universa, sacrilego ore proferens: « En, inquit, dilectissimi, virginem Mariam mihi desponsavi; vos sponsalia et sumptus ad nuptias exhibete. » Exponens duo loculos, unum a dextris, alium a sinistris imaginis: « Huc, inquit, offerant viri; illuc mulieres. Viderim nunc, utrius sexus major circa me et sponsam meam ferveat charitas. » Et ecce cum muneribus et oblationibus certatim ruit insanissimus populus. Mulieres inaures et monilia jaciebant; et sic, non sine immanissimo sacrilegio infinitam contraxit pecuniam.

4. « Sed et faber ferrarius quidam, nomine Manasses, quem cum scelerato homine etiam a vobis D detentum audivimus, exemplo nequissimi magistri, fraternitatem quamdam, quam Gilda vulgo appellant, instituerat; in qua duodecim viros in figura duodecim apostolorum, et unam tantum feminam in figura B. Mariæ constituit; quæ, ut ferunt, per singulos illorum duodecim circumducebatur, et ad injuriam sacrosanctæ virginis, nefaria turpitudine, quasi ad confirmationem fraternitatis, singulis miscebatur. Presbyter etiam quidam Everwacherus nomine, a sacerdotali dignitate apostatans, nefandi hominis magisterio adhæsit; qui et illum Romam prosecutus, maritima loca, quartam scilicet partem episcopatus nostri, Teruwanensi episcopio regni Franciæ, auctoritate domini papæ, atterminare conatus est; quem etiam a sanctitate vestra detentum audivimus, et gavisi sumus. Idem presbyter, per omnia Tanchelmi assertor, decimas fratrum Ecclesiæ S. Petri invasit, presbyterum ipsorum, armata manu ab altari et ecclesia ejecit. Infinita sunt, Domine, illorum scelera,

A vermes apparere non solent, tum quia erat fons purissimus (91), et vasa mundissima fuisse reperiebantur. Videns eos attonitos Pater Norbertus: « Quid, inquit, fratres miramini? Multum artifex est ille spiritus nequam, qui nos inimicando persequitur, sed projicite eum, quia major est ejus versutiæ et subtilitatis arrogantia quam fortitudo. » Quid igitur, o lector, de homine isto animadvertendum est? Nunquid spiritibus immundis hac subtili examinatione obviare potuisset, nisi sancti Spiritus infusio et gratia superabundans eum docuisset?

82. [Cap. XXXVIII.] Alio quoque tempore, cum ad ligna cædenda fratres quidam in silva fuissent, invenerunt lupum capreolum devorantem. Exclamantes autem fugaverunt eum, et accepta præda quam lupi rapacitas ceperat, detulerunt secum domi, B et in angulo quodam, nihil mali suspicantes, suspenderunt. At lupus, quasi de injuria sibi illata conquerens, sequebatur eos, et ad ostium domus, quam illi fuerant ingressi, ut canis quilibet domesticus residens, quod sibi ablatum fuerat repetere videbatur. Nescientes autem qui adventabant quid factum fuerat, exclamabant super eum, ut fieri solet, ad effugandum eum. At ille vultu domestico ad eos respiciens, immobilis permanebat. Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, convocatis cunctis fratribus, percunctabatur quidnam esset, dicens quod sine causa tam rabidum animal mansuetudinis hujus habitum non assumpsisset. Timentes vero fratres illi qui causæ conscii erant, processerunt in publicum; et veniam quasi de magno excessu petentes, narraverunt ea quæ gesta erant, et capream quam lupo illi intulisse putabant. Quod vir Dei audiens: « Reddite, inquit, ei quod suum est; injuste enim egistis, tollentes quod vestrum non erat. » Accepta denique lupus præda sua, neminem lædens in pace recessit.

83. [Cap. XXXIX.] Cuidam etiam puero pastori ovium, quærenti, cum canes non haberet, quid faceret, si lupus quilibet ovem ei auferret, responsum est ut ex parte magistri sui præciperet, ne auderet eam deferre vel lædere. Non post multum vero contigit, ut ille idem more solito servaret oves in campo: et lupus veniens unam ex eis rapuit, et concito cursu deferens eam fugiebat. Quem frater a longe suscipiens, præcepti non immemor, alta voce clamitare cœpit: Quo fugis, ait, maligni-

quorum plurima pro epistolari brevitate suppressimus. Hoc ad summam dixisse sufficiat, res divinas in tantum venisse contemptum, ut reputetur sanctior, cuicunque fuerit Ecclesia despectior.

5. « Quia igitur sancte Pater, divina misericordia, Ecclesiam suam diutius perturbari non sustinens, illos in manus vestras tradidit, rogamus et obsecramus in Domino, ne qui eorum de manibus vestris elabantur. Qui, si elapsi fuerint, denuntiamus vobis, et sine omni ambiguitate attestamur futuram irrecuperabilem Ecclesiæ nostræ jacturam, et infinitarum perniciem animarum. Vere, domine, gravissimum casum Ecclesia nostra sustinebit, si quomodo evadere illos contigerit, quorum sermo, juxta Apostolum, ut cancer serpit (*II Tim.* II, 17), et simplicium animos blandiendo perimit. Nam et quoque ob hoc ipsum Antichristus noster, monachum mentitus, exemplo capitis illius, cujus membrum factus est, in angelum lucis se transfiguravit, ut eo securius illuderet, quo versutius schemata sanctitatis simulate sumpsisset. Rogamus, domine, ut justa indignatione moveamini adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Augustinus (*Tract.* 11 *in Joan.* XIII, 14. *Patrol.* tom. XXXV): « Quando vult Deus concitare potestates adversus schismaticos, adversus hæreticos, adversus dissipatores Ecclesiæ, adversus exsufflatores Christi, non mirentur, quia Deus concitat, ut a Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, ponat cervicem, revertatur ad dominam suam. Quid mirantur, quia commoventur potestates Christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ? Ergo non moverentur? Et quomodo redderent rationem de imperio suo? Pertinet hoc ad reges Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt. Legimus Danielis visiones, et gesta prophetica: Tres pueri in igne laudaverunt Deum. Miratus est rex Nabuchodonosor laudantes Deum pueros, et circa eos ignem innocentem [*edit.* non nocentem]: et cum miratus esset ille, qui statuam suam erexerat, et ad eam adorandam omnes coegerat; tamen laudibus puerorum commotus, ubi vidit majestatem Dei præsentis in igne, ait: « Et ego ponam decretum omnibus tribubus et linguis in omni terra; quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misac et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem (*Dan.* III, 96). » Si Nabuchodonosor sic sævivit et prædicavit, et gloriam dedit Deo, ut decretum mitteret per regnum suum; quomodo reges Christiani non moveantur adversus blasphematores Ecclesiæ Christi? » Hæc Augustinus. Proinde obsecramus in Domino quatenus de his sanctitas vestra faciat, ut Ecclesiæ nostræ jam diu periclitanti subveniendo consulatis. »

C Maritima loca, quartam scilicet partem episcopatus Trajectensis, ad Germanicum imperium pertinentis, quæ impius Everwacherus conatus est, auctoritate domini papæ, Terrwanensi regni Franciæ episcopio atterminare, id est annectere, cæ seo esse terram Quatuor officiorum, vulgo *de vier Amplen* in Flandria, Pago Riensi, cujus caput Antverpia, trans Schaldim objecta, cum insulis Zelandicis, illa possidebat Flandriæ comes Robertus cognomento Frisius; Hollandi easdem juris sui esse prætendebant, Henrici imperatoris auxiliis subnixi: sed Flandri (ut ad annum 1108 scribit Meyerus, « tali duce invincibiles videbantur, et Henricus, nulla re memorabili gesta inglorius rediit, paceque ad Moguntiacum facta Flandrus retinuit » quæ possidebat. Hinc cupido nasci Roberto potuit, ut easdem juris controversi D terras, Terwanensi potius quam Trajectensi episcopatui subjectas mallet; et in hanc rem actorem se apud Pontificem offerrens Eberwacherus, facile sibi potuit tum Flandri comitis, tum episcopi Terwanensis Joannis gratiam acquisivisse.

Hinc porro occasio dari videtur perveniendi ad cognitionem temporis, quo data sit epistola, observanti scilicet quod eam scribat clerus, absque ulla episcopi sui mentione, adeoque verosimiliter post ejus mortem, sede vacante. Fuerat is « Burchardus, vir devotus, pius ac pacificus, « uti eum describit Joannes de Beka, anno que 1112. episcopatus XIII. e vivis

(91) Fontem hunc, etiam hodie sancti Norberti, dictum, quod ipse ac primi socii ex eo biberint, visitari; ut febribus pellendis efficacem, Præmonstrati didicit et Antwerpiæ narravit R. D. Josephus Dappiano p. m. quemadmodum ipsum ejus verbis prolixe describit Polycarpus, infra c. 2 Analect. referendis.

sine raptor, solito velocior? Depono ovem ; depono inquam, eam ; hoc tibi præcipio, ex parte magistri mei, et ne lædas eam, nec ulterius deferre præsumas. » Qui statim illa sanam deposuit, et ille festinus in humeris suis sublatam ad alias reportavit.

84. Utrumne ille an alius fuerit, nescitur. Scitur tamen quia cum die alia missus fuisset frater qui-A dam clericus in agro ad animalia custodienda, lupus eis per totam diem adstitit eo præsente ; et quasi custodiæ ferens solatium, nullam prætendebat feritatem. Cumque appropinquante vespera, hora esset ut grex intro duceretur, sicut ex altera parte frater, sic ex altera parte lupus gregem intrare compellebat. Introducto vero grege, cum frater januam clausisset

vivis excesserat xv Kal. Junii. Lego autem apud Meyerum in Annalibus Flandriæ, quod anno 1113 Tanchelinus hæreticus, habitu monastico falso glorians, damnatus anathemate, ab sacerdotio populoque Brugensi, urbe ejicitur ; et anno 1115, quod « eodem anno Tanchelinus hæreticus occiditur : » hoc vero distinctius exponens Robertus a Monte : « Post multos, inquit, errores multasque cædes, dum navigaret, a quodam presbytero percussus in cerebro, occubuit. » Rem igitur sic ætatim concipio ; ut ab insulis Zelandicis egressus Tanchelinus, venena sparserit per intimam ditionem Flandriam, una cum ipsis quatuor officiis Trajectensi diœcesi subditam, infeceritque etiam Antverpos cum pago Riensi universo, ab initio sæculi xii usque ad annum ejusdem viii vel ix ; inde ad Flandros, Franciæ regni Clientes, Morinosque se contulerit, deposito sæculari habitu « monachum mentitus ; ausus etiam Romam sub specie sanctitatis proficisci ; unde anno 1112 rediens detineri Coloniæ cum sociis contigerit, haud dubium quin propter malum sui odorem Romæ et quacunque erat iter, relictum. Sed elapsus e custodia Brugis redierit, cito anathematizandus a clero populoque ; vagus deinde per maritima quæ potissimum infecerat loca, quoad usque a presbytero illatam ordini suo injuriam, ordine non bono ulcisci volente, obtruncatus fuit.

Monachi certe habitu indutum versipellem, non multo prius quam epistola scriberetur, indicat particula ista : « Nunc quoque, » scilicet post tantas animarum strages in Trajectensi diœcesi eique proximis Antverpis, licet ad Cameracensem spectantibus, editas sub habitu sæculari ; quas reparaturus Cameracensis Burchardus, canonicos ad S. Michaelis Antwerpiæ restituit ; neque credibile est cessasse Trajectensem, item Burchardum. Ambo autem, intellecta pessimi hominis Romam profectione, nihil ab officio suo alienum fecerint, si curaverint de hominis pessimi doctrina et moribus informandum eum qui tunc apostolicæ cathedræ præsidebat Paschalem II, quando turbatissimis in Italia rebus pacem ab Henrico iniquissimis conditionibus redimere coactus pontifex, minus attendere ejusmodi delationibus potuit. Sed quos Romæ evasit carceres, Coloniæ reperit scelestus, eo quem vidimus successu ; defuncto jam Trajectensi Burchardo. An autem inde elapsus sit prius quam Trajectensis cleri denuntiatio Coloniam perferretur, et ideo remissius custoditus commoditatem promptiorem effugiendi sit nactus, an aliter evaserit, statuat quisque ut voluerit. Ego non credo eum Antwerpiæ prædicasse ultra annum 1108 vel 1109 ; cum Vita sancti Norberti nullam faciat mentionem habitus monastici ab eo sumpti ; relictum tamen ibidem dico fermentum nequitiæ, quod non potuerit expurgari nisi per novam candidi ordinis aspersionem. Anselmus, Gemblacensis seu quisquis alius primo Anselmo exemplari nonnulla addidit in editione Miræi, ex plurium Mss. fide peculiari charactere impressa ; ad annum 1115 sic scribit : « Tanchelinus hæreticus, qui Antuerpiam, Walachram, et circumjacentes insulas, et maritima loca in partibus illis, multis hæresibus infecerat, occiditur : » eo scilicet quem Robertus de Monte nos docuit modo. Et in hunc quidam haud insulsus Poeta, Cœnobiographiæ p. 8 allegatus, sic lusit, ut eam nominis rationem probet qua usi Trajectenses

Quis furor ardentis Tanchelmi pectus adurit ?
An putat immemorem criminis esse Deum?
Ne nimium exultet terreno liber hiatu.
Si renuat tellus hoc caput, unda petet.

Est qui suspicetur fuisse virum hisce in partibus opulentum et sæculari aliquo magistratu pollentem ; verum quando in superioris sæculi historiis lego, quomodo in monasterii Westphaliæ regnum Anabaptisticum obtinuerit gesseritque vilis Sartor, B Joannes a Leidis ; et nostro ævo Neapoli, quidam Thomas Aniellus, ex fæce piscatorii vulgi assumptus, contra nobilitatem atque regem ; nulla in Tanchelino requiro generis aut fortunæ ornamenta.

Ad Trajectensem Burchardum quod attinet, de ejus contra hæresiarcham conatu, non auderem tam bona præsumere, si verum esse crederem, quod de eo scripsit Beka ; qualiter apud Hildebrandum, sedis apostolicæ legatum, purgaturus Simoniæ crimen quo diffamabatur, et jussus versiculum *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto* pronuntiare, *Patrem* quidem ac *Filium* nominaverit sine formidine, *Spiritum* vero sanctum non prius potuerit appellare quam est ab episcopatu destitutus, in cujus emptione consors Simoni Mago convincebatur fuisse. Hæc, inquam, si vere de Burchardo Trajectensi dici crederem, arbitrarer quoque nihil digne ab eo actum contra Tanchelmum ; sed ejus culpa potius factum putarem, ut hæresis prævaleret, scribentibus autem canonicis C ejus vacasse sedem, per episcopi Simoniaci, non obitum, sed depositionem annis forte plusculis. Verum qui potuit non vidisse Beka, non dico, quam id parum caderet in virum, qualem laudat, devotum ac pium, sed quam id inepte applicetur ei, qui primum anno 1099 creatus episcopus erat, id est annis 44 post tempus legationis Hildebrandi in Galliam, ad Simoniæ perfidiam abolendam. Taceo quod in Gallia nequaquam fuerit judicandus, cui nihil cum Gallia erat commune. Qui Vitam Hildebrandi, deinde Gregorii VII scripsit, remque narrat in synodo Lugdunensi gestam, num. 11, Paulus Bernriedensis, ex frequenti papæ Callisti relatu, et ex ipsiusmet Hildebrandi ore, Desiderius abbas Cassinensis, postea Victor papa III, ac S. Petrus Damiani, neque episcopum neque episcopatum nominant. Hunc vero si præter verisimilitudinem, aliunde constaret Trajectensem fuisse, nominandus esset Willelmus, frater Wichardi Geldriæ præfecti, « vir totus belliger, » D inquit Beka, et suffectus Bernulfo, vita functo xiv Kal. Augusti 1054. Arnoldus Buchelius, Bekæ Scholiastes, nihil sollicitus de Burchardi innocentia ex ratione temporum comprobanda, fidenter pronuntiat « narrationem » totam « conflictam videri, ad conflandum odium imperatori, quem Simoniaco vitio inquinatum ferebant, quod investituram prælatorum per baculum et annulum, a majoribus acceptam urgeret. » Hæc scilicet hæretici spiritus præsidentia est, auctores omni fide dignissimos et emptionis sacrilegæ crimen manifeste accusantes, nec facientes ullam mentionem investituræ, de cujus jure tunc adhuc disceptabant? vocare in suspicionem calumniæ, cum turpi mendacio miraculi fictitii. Nescio autem an vel in ipsa episcopatus emptione, criminis aliquid agnosceret Calvinista, ex Tanchelmi gogmate per Calvinum sacramentum ordinis assuetus contemnere, et civili magistratui totum in sacra, si quæ sacra secta illa habet, jus tribuere.

lupo excluso, quasi de illata injuria conquerens, et mercedem debitam sibi reddi postulans, pede, prout poterat, pulsabat ad januam; pulsabat crebris ictibus se velle intrare ostendens, et alicujus alimenti portionem percipere. Quod cum vir Dei audisset: « Quare, inquit, pulsanti hospiti non aperitis? » Cui cum responderetur, non hospitem, sed lupum esse qui se importune ingerebat, nec pro ipsis omnibus vellet recedere, advocatis fratribus percunctabatur, qua occasione illic venisset. Sed cum tacerent omnes, accercito clerico illo, quem in mane ad custodiendum gregem miserat, sciscitabatur quis juvisset eum in custodia gregis. At ille, indicare quod ei contigerat timens, interrogata tamen celare non præsumens: « Illa, inquit, fera est quæ pulsat ad ostium, quæ hodie mecum fuit, et gregem mihi commissum, ac si commissus ei fuisset, mecum, donec intra januam recluderetur, conservavit. » Audiens hoc vir Dei: « Date, inquit, ei aliquod pabulum; mercedem enim de servitio impenso requirit, quia dignus est mercenarius cibo suo. » Cumque ad præceptum viri Dei carnes ei projectæ fuissent, quasi pro mercede rapuit eas, et recessit; qui etiam non post multum, de manu cujusdam pueri vitulos servantis, quadam vice panem suscepit. Quid est hoc, fratres? Feræ rabidæ rationis expertes mansuescunt, et hominibus obediunt; homo rationabilis claudit aurem, et non obedit; quasi qui finxit oculum non consideret (*Psal.* XCIII, 9). Non vadit miser homo; quia « cum placuerint viæ ejus Deo, omnes inimici ejus pacifici erunt (*Prov.* XVI, 7), » et alibi: « Pugnabit orbis terrarum contra insensatos (*Sap.* V, 21). » Hoc vir Dei omnibus prædicabat, hoc docebat suos, et hoc modo ante eos volitans opere demonstrabat.

85. [CAP. XL.] Arte multimoda, ut sæpe dictum est, invidus ille hostis per quos debellabatur aciem, ad ipsum debellandum ordinatam, intentat, ut vix quidam ex ipsis, postquam noctis tenebræ revertebantur, alicubi exire præsumerent. Sed cum unus, cui non multum insidiabatur, se modicæ fidei esse diceret, et seipsum reprehendens assumpsisset fiduciam, et solus ad singularis necessitatis requisita processisset, astitit dæmon coram eo, terribili valde hominis effigie assumpta, et aspectu nigerrimo incedens, et quasi ipsum esset in aere delaturus, minas intentans. Ille autem fidei collectis viribus, et vigore animi resumpto, intra se dicebat: « Quandiu hanc importunissimi inimici falsitatem et phantasias patior? » Et surgens, cum apprehendere eum voluisset, dæmon in fugam versus est. Ille vero fugientem velociter insequitur, et veniens ad arborem (92) quæ prope stabat, luctari cœpit ad eam, dæmonem cupiens tenere et ligare. Sed parvo intervallo facto respiciens, recognovit hanc esse arborem, quam ibidem esse sciebat. Et hac animi virtute venenosi serpentis illusione devicta, nullum postea timorem passus est. Non solum istum, sed et alium simili modo aggredi præsumpsit, eumdem terrorem incutiens, cui visibiliter astabat, dum resideret ille ad suam privatam necessitatem, nec movebatur uterque de loco, ab initio Matutinarum usque ad finem. Sed vicit tandem probitas opportuna fratris, importunitatem dæmonis. Nam surgens, et signo crucis imposito, per ostium, quod a dæmone occupatum videbatur, exsiliit; et neminem obsistentem inveniens, exinde, quod talis illusio nec ei nec alicui nocere posset, cognovit. Et liber ad hoc falso timore remansit, qui libertatem sancti Spiritus apprehendens, ab ea postea non recessit (93).

86. [CAP. XLI.] Si hæc membris, quæ capiti certamina debebantur? Si hæc subjectis, quænam magistro? Utique majora. Majora quidem, utpote illi

(92) Idem cum indicasset Præmonstrati fuisse « pomarium juxta capellulam, » incertum tamen esse ait, hicne an alibi steterit arbor, de qua hic agitur: deinde ex Petro de Waghenare narrat « de quadam arbore Præmonstrati, a S. Norberto plantata in medio claustri, quæ nunquam virentes comas posuit, sed algore et calore superior, lætas frondes explicavit per quinque sæcula, addita seniorum traditione, quod diebus festivis sancti Patris, quasi sentiret sui coloni manus, tanto virore soleret excellere, ut raperet aspicientes. Sed et hoc rapit in admirationem quod hæc arbor dicitur fuisse scipio sancti Patris; rapit item quod lignum hoc, cedrino agnatum et grati odoris ac insitæ virtutis describitur: et si dolendum de incuria quæ arbor ita stirpitus evulsa sit, lætandum tamen in hoc quod quidam ramusculi, ab ea excerpti, dicuntur alibi reviviscere et exerescere. »

(93) In ms. Morinensi hic interponebatur caput, ab aliis prætermissum, hoc titulo: « Quomodo malignus spiritus, improperata sibi a quodam fratre dejectione, confusus abscessit. » Caput hoc, uti a Wagbenario transmissum nobis est, nunc accipe: « Erat tum temporis ad portam custodiendam, ad eleemosynam ibidem dandam, et ad hospites recipiendos cum oratione, secundum statutum ordinis, positus frater quidam satis probandæ sactitatis: cui quadam nocte jacenti super lectum, qui cunctis idem erat de scilice, adfuit Satan, non dormienti, sed oranti, rugiens, et in modum suis quandoque grunniens, et silicem circa pedes fratris circumvolvens. Quod cum sic ageret prima sequentique nocte, sed et tertia non tardaret; ille frater, a priore suo jam consilio accepto, quid ei dicendum vel faciendum esset, tertio venientem sic alloquitur: « Hei miser et miserrime! Tu quondam ille Lucifer, qui mane oriebaris, in deliciis paradisi Dei fuisti, sed cum tibi non sufficerent hæc, et diceres: « Ponam sedem meam ad aquilonem, ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14); » idem quod eras amisisti, pro luce tenebras, pro beatitudine miseriam, pro loco deliciarum fetorem cum porcis eligens, commutasti; en dignum concambium, idonea commutatio. Eia! non hic tibi locus est, sed in fetore cloacarum te volutas, porcis assimilare. » Recessit confusus, nec ad hunc fratrem de cætero usque ad diem mortis suæ in aliqua visibili effigie tentaturus accessit. Sic enim confunditur et verecundatur spiritus nequam, dum illi deliciæ quas perdidit objiciuntur; sicut pavet et tremiscit dum illi minæ et terrores judicii venturi in adjurationibus præferuntur. Inde sane mos inolevit Ecclesiæ, ut omnium exorcismorum conclusio in fine sic sonet: « Exorcizo te per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Amen. »

qui ipsi inimico majus damnum intulerat, et adhuc permaximum ipsi in futuro inferendum prævidebat. Unde cum noctem quamdam totam insomnem vir Dei orando transegisset, stans ante altare pauperis oratorii, quod in primordio conversionis suæ in Præmonstratensi loco susceperat, astitit retro cum Satan ille in modum horribilis ursi, dentibus et ungulis terribilem gestans aspectum. Cumque verteret se homo, et vellet procedere, ut membra debilia modico sopore recrearet, ex improviso videns astantem belluam, expavit; sed quam cito ad se reversus, et ostium oratorii clausum considerans, nec alicujus intrantis sonitum se prius audisse recogitans, persecutoris sui recognovit esse insidias. Et parumper orando, viribus resumptis: « Quid, inquit, exspectas, cruenta bestia? Ungulæ tuæ inanes sunt, et horribiles dentes tui ventus, et hirsuta pellis tua fumus, et vapor inaniter pertransiens, et velut umbra, quæ sole recedente disparet. Tu signaculum similitudinis Dei, lux cum esses, tenebras superbiendo meruisti. Recede nunc, præcipio tibi, quia nulla conventio Christi ad Belial; nulla societas luci ad tenebras; nulla pars fideli cum infideli (*II Cor.* vi, 1). Recede festinanter, scis quia nulli nocere potes, nisi permissus; et tunc his qui peccatis suis exigentibus tuæ fuerint subditi potestati. Et his dictis ipse mendax, verba veritatis ferre non prævalens, disparuit.

87. [Cap. XLII.] Jam tunc tempus advenerat, in quo die determinato per internuntios, loco etiam statuto, comes Theobaldus, de quo superius mentio facta est, futuræ uxori suæ et patri ejus, parentumque suorum multitudini occurrere debebat, et invitato Patre Norberto, qui conjunctionis hujus dederat consilium, secum usque ad eumdem locum perduxit. Quo cum perventum fuisset, non invenerunt eam; remanserat enim in via gravi infirmate detenta. Qua de re cum comes, et cuncti qui eum eo erant, mirarentur, alicujus pœnitudinis et deceptionis causam esse suspicantes, consilio inito, magnis precibus rogatus est Pater Norbertus, ut procederet in occursum ejus, et renuntiaret utrumne

A vera esset hujus dilationis occasio. Acquievit homo precibus deprecantium, suum etiam improperium esse reputans, si non usque ad finem perduceret curam, quam de eodem matrimonio gerendam susceperat. Et acceptis octo marcis argenti, misit eas fratribus suis Præmonstrati, qui eo absente quingentos pauperes pascendos susceperant, quia tempus famis erat, et alimenta sibi et pauperibus emebant. Et quia ex hoc eis iratus fuerat, præcepit, quatenus in suo nomine centum (94) viginti adhuc pauperes superadderent, ita quod centum ex eis plenariam haberent de cibo communi refectionem, tredecim vero in hospitali domo pane et carne et vino recrearentur, septem vero cum canonicis essent in refectorio. Offensam enim quam Deo et fratribus intulerat, eo quod displicuerat ei humanitas et opus B misericordiæ, quod in fide Jesu Christi gerendum susceperant in pauperes, sic remitti et expiari credebat; non enim sperabat, ad commanendum cum eis, ad eos se ultra reversurum; nec volebat alicujus offensionis notam in eos relinquere, quos esse sciebat in Dei, et sua et omnium fidelium congregatos dilectione, veri in hoc Magistri sequens exemplum, qui « cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (*Joan.* xiii, 1). »

CAPUT XV.

Archiepiscopatus Magdeburgensis aditus. Cœnobium ordinis in eo constitutum.

88. Exinde processit ad quod mittebatur: et veniens Spiram, Saxones et clericos Parthenopolis civitatis ex magna parte, apud eligendum archiepiscopum, coram lege Lothario congregatos, invenit. C Qui audientes hunc advenisse hominem, quem per diversas terrarum nationes virum sanctum populus acclamabat, vocaverunt eum, et ad sermonem faciendum, in quo libenter audiri solebat, et ad audiendum consilium super quibusdam negotiis, quod quorumdam eorum qui convenerant necessitas exposcebat. Et primo quidem Parthenopolitanorum causa, qui Patre orbati fuerant, agebatur. Aderat ibidem quidam cardinalis (95), qui a Romana sede noviter advenerat, et aliorum principum innumera multi-

(94) Abbas Chrysostomus manu sua testatum reliquit, quod Sanctis existens, in veteri ibidem Breviario legerit et describi jusserit sequentia. « Sanctus Norbertus, Antwerpiæ aliquandiu commoratus, tandem valedictis ibidem fratribus, tantaque instituta pecunia, quantum satis esset ad centum et viginti in perpetuum alendos pauperes, discessit. » Potuit diversis locis occasionibusque idem instituisse sanctus: quare nullum hic scrupulum relinqui velim. Nam et Magdeburgi anno 1130 constitutis istic a se fratribus « regendam et disponendam jure perpetuo tradidit domum hospitalem, » ab Adelberto archiep. fundatam, quia eamdem « ita dissipatam et pene annihilatam repererat, quod hi qui in ea stipendium quotidianum accepturi erant, indecenter et miserabiliter mendicarent. » Digna est autem ejusdem sancti et alia circa pauperes Præmonstrati relicta ordinatio, quæ hic integre legatur, sicut refertur a Pagio, fol. 304: « Decima Deo, ad hospitale, de omni possessione et oblatione fratrum, usibus pauperum detur. Sic tamen, si summa argenti decem solidos valuerit, vel usque ad decem solidos oblata fuerit, ex his decem et octo pauperes per singulos annos vestiantur, per hiemem scilicet in festo Omnium Sanctorum unus, in Nativitate Domini unus, in Circumcisione Domini unus; similiter in Epiphania Domini, in Purificatione S. Mariæ, in Annuntiatione S. Mariæ, in Sepultura Domini, in Resurrectione Domini, vestibus novis, scilicet camisiis, braccis, caligis, soccis, subtularibus, tunica, cappa cum D mantello aut pellibus vestiatur; per æstatem vero, scilicet in Ascensione Domini, per septem dies Pentecostes, in passione apostolorum Petri et Pauli, in Assumptione S. Mariæ, nova chlamide sive cappa, camisia, braccis, soccis, subtularibus, in singulis festis unus induatur. Ex die autem quo pauper vestem accipit usque ad diem octavum, si remanere vult, refectio corporis ibidem ei exhibeatur, cætera in usus pauperum advenientium vel transeuntium impendantur. In Cœna autem Domini unusquisque sacerdotum vel levitarum, post lotionem pedum mendicorum, consilio præpositi, unam de propriis vestibus, sive cappam, sive pelles, seu tunicam, seu caligas ipsis charitative impendant; qui, post acceptam charitatem, nequaquam ut superius per dies septem maneant, sed post refectionem statim recedans.

(95) Gerardus, qui postea papa Lucius: ita Robertus de Monte: eidem in cap. 2 Annal. additur

tudo et in electione tres eorum consilio nominati sunt, quorum unus erat Pater Norbertus, sed eo ignorante. Factum est autem cum illi hæsitarent, et de tribus ad meliorem anhelarent, digito latenter ex adverso latere innuit eis primicerius Metensis Ecclesiæ Albero, ille qui postea Trevirensis (96) Ecclesiæ archiepiscopus fuit, ut virum Dei Norbertum assumerent. Qui statim porrectis manibus eum arripiunt, vocibus ingeminatis exclamantes : « Hunc in Patrem eligimus, hunc pastorem nostrum approbamus (97). »

89. Non potuit se homo debilis defendere ; non licuit ei cogitare, nec cogitando quidquam de se ipso ordinare ; sed quam cito raptus est, a rege (98) fuit laudatus, et ab omnibus astantibus approbatus, ab ipso etiam Romanæ Ecclesiæ legato confirmatus. Deducitur homo, onus grave aggravatum secum portans ; deducitur ad locum quem non noverat : trahitur, inquam ad gentem nationis pravæ et perversæ, scilicet inter Sclavos et Saxones (99), quæ gens utraque ex re trahit nomen ; ista, ablato Sclavorum acumine infidelitatis punctionem insinuans; ista, saxorum pondus et lapidei cordis cæcitatem feritatemque contestans, et qui jam pro septenario servitio, quod Laban exhibuerat, Rachelem exspectabat ; aut Mariæ, utpote debilis corpore, partem optimam quam ipse elegerat (*Luc.* x, 42), Marthæ opus et Liæ laborem invenit ; quia « non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum (*Prov.* xxi, 30). » Idcirco et ipse, qui neglexerat gentem paganorum incredulam, ad quam in primordio conversionis suæ ire disposuerat, ut quoslibet ab errore infidelitatis revocaret, nunc auctoritatem et officium secum deferens, unde dispositionem divinam putavit effugere, inde cogitur obedientiam manifeste subire.

90. [Cap. XLIII.] Fuit itaque ad introitum ejus, ut est consuetudo populorum, concursus innumerabilis ; et congratulabantur omnes majoris ætatis et minoris ; majores, quia famosam et alti nominis personam elegissent ; minores, quia hunc, qui infirmitatibus eorum compateretur, recipere meruissent. A longe autem aspiciens civitatem illam, ad quam ducebatur, nudatis pedibus incedebat, nudis pedibus cum processione in sanctuario, nudis pedibus deducitur in palatio, sed ut pauper, pauper amictus pallio, aliis introeuntibus, repellitur non agnitus ab ostiario. Dicebat quippe ostiarius illi : « Alii pauperes jamdiu intromissi sunt ; non decet ut te ingeras importune, comprimens horum principum multitudinem. » Exclamabat autem quisque intuentes : « Miser, quid agis ? Miser, miser ! quid est quod fecisti ? Numquid non nosti, quia hic est episcopus noster et dominus tuus ? » At ille quem cito retro latitans fugiebat, Patre Norberto eum revocante, et subridendo dicente : « Ne timeas, et ne fugias, o frater ; melius enim me nosti, et clariori oculo intueris, quam illi qui ad hæc alta palatia me compellunt, ad quæ non debueram, qui tam pauper et modicus appareo, sublimari. »

91. [Cap. XLIV.] Consecratus igitur et episcopus factus, et in episcopali cathedra sublimatus, non immemor illius apostolici præcepti qui præcepit episcopum suæ domui esse dispensatorem (*I Tim.* iii, 4), convocatis præpositis domus, et cunctis ministerialibus, perquirebat qui essent reditus episcopalis mensæ, et ubi, et quinam illi qui singulis præesse debeant. Et cum adnumerata cuncta fuissent, ac scriptis commendata, et qui ex ipsis sumptus deberentur, vix sunt ex omnibus inventa quæ quatuor mensibus anni possent sufficere. Admiratus supra modum Dei sacerdos, interrogabat diligenter utrum non ampliore prædiorum possessione antiquitus ditaretur Ecclesia, an ab aliquibus, in regimine prius existentibus, quæ juris ipsius erant, minus caute conversando, fuissent dispersa. Cognita veritate, quia nobilis fuerit Ecclesia, et a regia potestate fundata et sublimata, et liberalitate dotata et dilatata : « Ubi sunt, ait, hæc ? aut qua ratione ab ea et a vobis quibus erant, sunt alienata ? » Aiunt illi : « Quidam ex prædecessoribus tuis, nimium suæ carnalitati indulgentes, fratribus carnalibus, et quibus jam ex parentibus et propinquis suis aliud prædium concesserunt, aliud præstiterunt. Alii similiter succedentes quædam in feudo dederunt ; alii vero remissius se habentes, et a potentibus oppressi, defendere non prævalentes quæ juris erant Ecclesiæ, quædam perdiderunt ; et sic imminutæ fuerunt, et penitus ad nihilum redactæ cunctæ res, quæ honori huic servire solebant et honestati. »

92. Audiens hoc ille vir, memor existens quia « maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus (*Jer.* xvii, 5), » collectis viribus in eo, et per eum, a quo se vocatum ad hoc officium administrandum non diffidebat imperterritus, jubare potestatis assumpto, legationem undique mittit, præcipiens ut quicunque possessiones Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidebat, obtinerent injuste, nullatenus auderent ulterius ad eas manus apponere, nisi prius ostendissent, esse

legationis socis Petrus. Eodem adhortante, pro sua in ordinem novum antiqua benevolentia, Stephanus Metensis episcopus an. 1136 confirmat donationem, ab abbate Trudonensi, in allodio Averbodiensi portionem habente, factam ecclesiæ illic fundatiæ Præmonstratensibus, pro eo quod ipse in trudonenses habebat jure ; ut appareat fundationis illius initia merito ad annum 1128 referri, quo in Germania nuntius fuit Gerardus, etsi illa non fuerit plene perfecta ante annum 1135.

(96) Albero Trevirensis, electus anno 1132.

(97) Vetustum ms. nostrum Saxonicum : « Anno Domini 1126, Rukero succedit Norbertus in sede Magdeburgensi.

(98) Hic erat Lotharius, dux Saxoniæ, in regem electus 24 Augustini, anno 1125, qui Romam cum S. Norberto profectus, imperator coronatur 4 Junii, anno 1133.

(99) Sclavonia olim e dextera ripa Albis fluvii, cui adjacet Magdeburgum, porrigebatur usque ad mare Balticum, et Wagriam provinciam Holsatiæ ; a sinistra ripa est Saxonia antiqua.

suum jus hæreditarium, et ex antiqua paterna possessione. Audientes hoc raptores et sacrilegi illi, multum indignabantur, quod homo inermis et pauper, qui asino vehente introductus est, tam potens, tamque festinum auderet inferre præceptum; quod pro nihilo reputabant, nil per eum de his quæ possederant violenter, perdere existimantes. At ille gladio spirituali, quo accinctus erat, eos insequitur; in sua quiete sedendo aggreditur, percutit, dejicit, dejectos anathematis vinculo ligat. Et illi hanc persecutionem episcopo levem, et sibi diuturnam et gravem esse considerantes (eo quod præcipit auctoritas, quia qui anathema unius anni patiuntur, post annum exleges sunt, nec in curis aliquod habeant responsum) dimiserunt ex magna parte ea quæ de beneficiis Ecclesiæ usurpando sibi injuste rapuerant; sed inviti, et ob hoc inimicitiarum et odii fomitem adversus episcopum, utcunque et ubicunque poterant, latenter ministrabant.

93. Sed ille qui viam justitiæ et cursum recti itineris ante sublimationem episcopatus assumpserat ab eis immobilis permanebat; prædicans verbum et regnum Dei annuntians, pacemque in terminis suis faciens: domos religiosorum exaltans, et ubi non erant novas construens; religiosos amplectens et ordinans; indisciplinatis et irreligiosis, nisi resipiscant, inferens assiduam persecutionem. Decanis et sacerdotibus, et his qui habebant regere populum, omnibusque ad sacros ordines promotis omnimodis castimoniam tenendam esse dicebat; cogens eos aut eam tenere, aut, si fuerint publicati, cuncta ecclesiastica beneficia relinquere. Initia dolorum, et occasio persecutionum omnia hæc. Dicebant enim de die in diem, suam quisque, quam ægre ferebant, molestiam confitentes: « Ut quid hunc adventitium, et cujus ignorabamus consuetudines, super nos regnare voluimus? Contrarius quidem est operibus et consuetudinibus nostris, supra quam ferre possimus. » Hæc in majoribus, hæc in minoribus querimonia, divitibus, pauperibus etiam divulgabatur; alii gravati existentes, alii gravamen timentes, alii aliis rumore vulgari tantum acquiescentes. Sic qui prius magnis laudibus elevabatur, nunc vituperio et improperiis, verbis tantum, ipso etiam ignorante, dejicitur. Sed tamen proficiebat in opere exterius, ipso dispensante, qui cuncta exteriora, priusquam fiant, ordinare consuevit interius.

94. [Cap. XLV]. Erat ante palatium episcopale, haud longe sita ecclesia quædam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, in qua viginti erant canonici sæculares, sub præposito antiquitus constituti. Hanc ergo cum prævidisset sacerdos Dei sibi necessariam esse, ut ibi fratribus suis impositis, aliquando a tumultu, cui officio imposito debebatur, paululum spiretum refocillaret, petebat multoties et a rege, et a canonicis majoris Ecclesiæ, ejusdemque Ecclesiæ canonicis, ut alibi ab eo aliis æqua vel meliori conditione reditibus acceptis, illam sibi liberam concederent. Qui omnes una voce contradicebant asserentes Ecclesiam tanti nominis non debere immutari, nec regiæ potestati dignitatem cui subdita erat, imminui: sed nec alterius ordinis et consuetudinis gentem imponere, quæ jura regalia ignoraret, et subjectionem debitam et obsequium secundum consuetudinem ipsorum. Hanc ab his omnibus passus est per aliquot annos repulsam, sed vicit tandem humiliter in petitione perseverans; vicit quidem ratione qua premebat eos; vicit et constantia, qua noverant eum a bonis initiis usque ad finem nunquam velle desistere. Expositisque clericis illis, et omnibus (100) unumquemque ad suum velle relocatis, fratres sui ordinis, sicut diu concupierat, in eadem ecclesia imposuit; ubi et eo vivente secundum ordinem institutum, et post discessum ipsius in æternum, servitium Dei habendum ordinavit.

CAPUT XVI.

Persecutiones toleratæ. Primi abbates ordinati.

95. [Cap. XLVI.] Crevit fratrum numerus, et multiplicati sunt in Saxonia, ubi religio decaluerat, et in Sclavonia, ubi non erat, radicati fructuoso germine floruerunt, multiplicatique sunt ut Hebræi. Fremuerunt Saxones, fremuerunt Parthenopolitani; odioque et invidia adversus hominem Dei invalescente, ipse in Deo spem et fiduciam habens, et ipsam et aliarum consuetudinum congregationes dilatare non cessabat. Ob hanc causam sæviebant lupi in agnum, oves in pastorem; lupus ovi in mansuetudine, suam feritatem; ovis lupo in feritate, suam communicans mansuetudinem, ut utrinque consentientes, crudelem in nece pastoris exerceant ferocitatem. Videas genus persecutionis mirabile. Qui astabant lateri ejus, latera ipsius latenter perforabant; amici prope inimici facti, de longe jacula ex adverso mittebant; proximi sagittas in pharetra, suo tempore et loco jactandas, acutos gladios sub lingua sua consiliarii portabant, undique insidias in occulto ponentes, ut interficiant innocentem. « Corrupti et abominabiles adversus eum facti sunt: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Illic trepidaverunt ubi non erat timor (*Psal.* XIII, 5). » Regnum per eum timebant perdere, qui laborabat ut sine fine possent regnare. Pauperes timebant fieri; sed perverse agebant, illum exstinguere volentes, a quo debebant et poterant, si vellent, ditari. Tædet forsitan auditorem, toties blasphemias audire, et nullus blasphemiæ notam a scriptore proferri. Audiat ergo mundus, et judicet; audiant senes, et discernant juvenes, et discant, et

(100) Ita omnia ms. Unicum Parcense distinctius scripit: « Et singulis ubi vellent collocatis. » Honorius II factam mutationem approbans per breve (quod Magdeburgo allatum recitat Polycarpus in Annotatis, pag. 415) « clericos qui in ecclesia S. Mariæ minus religiose vivebant, in locis, » inquit, « aliis necessitatibus suis tanquam pius pater providens, posuisti. » Robertus de Monte factum id refert ad an. 1129. Ipsum Norberti diploma vide cap. 3 Analectorum.

successoribus suis narrent, et doceant, si factum est in diebus antiquis, sicut factum est in diebus illis.

96. Jam enim advenerat dies, dies, inquam, ille sanctissimus et celeberrimus in Cœna Domini, in quo pœnitentes Deo reconciliari sanctorum Patrum decrevit auctoritas, et in quo Agnus ille innocens, ad reconciliandas inimicitias inter Deum et hominem, captus est, et ad immolandum ductus. Et ecce ad ostium illius loci, in quo sacerdos Dei pœnitentium confessiones recipiebat, astitit quidam amictus pallio, in similitudinem pœnitentis; obnixe ostiarium rogans, quatenus ad confitendum intrare liceret ei ad episcopum. Hoc cum ostiarius viro Dei notificasset : « Noli, inquit, intromittere eum. » Et cum paululum ille ex præcepto domini sui diceret exspectandum esse, ille magis ac magis instabat ut introduceretur. Sic perseveravit pulsans, nec intromissus est, donec recessit alia multitudo quæ convenerat ad confitendum ; et tunc novissime illi copia intrandi data est. Quem cum vir Dei a longe diligenter inspexisset : « Noli, ait, huc propius accedere, sed sta, et vide ne moveas pedem. » Advocatisque de servientibus palatii qui foris aderant, præcepit eis ut astantem juvenem pallio, quo involutus erat, nudarent. Nudato autem eo, apparuit cultellus acutus, quem astrictum lateri suo tenebat, cujus erat longitudo fere pedis et dimidii ; qui cum eodem, episcopo jubente, cunctis qui aderant intuentibus, ante eum adductus est. Cumque quæreretur ab eo, cur sic armatus venisset, tremens ac stupens, utpote ineffabilis et nefandæ crudelitatis conscius, mortem timens, procidit ad pedes ejus ; et quia ad ipsum interficiendus missus fuisset, confessus est. Nominatisque illis a quibus erat conductus, quorumque instinctu et consilio venerat ad tam exsecrabile facinus perpetrandum, cæteri qui aderant, quique ad hoc novi generis spectaculum confluebant, supra modum mirabantur, eo quod proditionis hujus rei inventi sunt hi, qui de majoribus negotiis et secretioribus consiliis cum ipso tractare consueverant.

97. At vir justus, ut erat hilari facie et vultu sereno, ad eos respiciens : « Quid miramini, inquit, si vas suum hostis antiquus recognovit, et in membris suis opus suum exercere nititur, quod in hac sacratissima nocte in sancto capite nostro Jesu Christo non timuit operari ? O quam felix esset qui in aliqua hujus diei hora, non ab inimicis, sed etiam ab amicis, ut sunt isti quos recitatos audistis, traderetur et moreretur ? » Hæc est, inquam, dies qua desperatis misericordia, peccantibus venia, mortuis redditur vita ; in hac quod hanc mortem prohibuistis, dolorem meum prolongastis, et laborem intulistis, sed et requiem meam distulistis. Isti erant et sunt amici, nec propterea merentur ut sint inimici ; decet enim nos caput principiumque nostrum Jesum Christum imitari. Ait enim : « Benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* v, 44) ; » et alibi : « Pater, ignosce illis ; non enim sciunt quid faciunt (*Luc.*

A xxiii, 34). » Attamen illi traditor in custodia recluditur, non ut puniatur, sed ut ... suorum consilium delegatur, ut in eo tanti ignominia sceleris puniret, quod dolor cordis eorum aliqua pœnitudine vel ægritudine non sentiret. Quid igitur ? Nunquid scire poterat homo Dei, quid ille, qui confessionis et pœnitentiæ causa veniebat, ferret, nisi gratia superabundans eum docuisset ? Ab inermi victi deficiunt, qui probrosa iniquitate et evidenti injustitia se armaverunt.

98. [Cap. XLVII.] Non cessabat æmula iniquitas in occulto, in manifesto mansuetam simulans æquitatem, et tanto gravius et nequius, quanto magis a domesticis fiebat et familiaribus. Familiaritas vere dicenda est ; quia cum quodam noctis tempore, ad celebranda cum clericis suis Matutinarum solemnia,

B more solito surrexisset, advenerat clericus quidam de domesticis, et retro ad ostium se in insidiis posuerat, iniquitate plenus et crudeli malitia ; utpote armatus competentibus armis, quibus innocentem caute et in dolo ferire posset et interficere. Egressisque capellanis qui præcedebant, sicut mos est in terra (præcedunt enim dominos suos capellani) ille de insidiis prosiliens, novissimum putans episcopum, unum ex clericis media veste conscissa percussit. Cumque ille exclamaret et diceret : « Quis est qui me lædit ? » ille, sonitu vocis, non esse ipsum quem quærebat agnoscens : « Putavi, inquit, hunc novissimum esse, quem morti tradere disponebam. » Præcesserat enim episcopus mistim inter alios, eumdem eventum, quasi futurorum præscius, ti-

C mens. At ille concito cursu in fugam versus est, et cum alii ad capiendum illum insequerentur : « Sinite, ait vir Dei, fugere eum, nec malum pro malo reddatis ; fecit quippe quantum potuit, et quantum ei Deus permisit : nondum enim venit hora mea. Sed qui miserunt eum, non dormient nec quiescent ; donec opprobriis suis satientur, et me vel morti tradant, vel, si divinum sit opus quod agitur de me, manifeste probatum reddant. »

99. [Cap. XLVIII.] Orbatus grex pusillus Præmonstratensis Ecclesiæ tanto Patre, ipsum tamen exemplo ejus qui dixit : « Non relinquam vos orphanos, vado et venio ad vos (*Joan.* xiv, 18), » per biennium patienter exspectabat. Aliis ex ipsis cum quibusdam sæcularibus dicentibus : « Subsistere

D nequaquam poterimus, quia recedente pastore, oves abire solent in dispersionem ; alii nullum magistrum nisi ipsum, alii de ipso desperantes, alium volebant eligere ; et in hunc modum contendentes, causamque veritatis et rationis ex parte consimilem prætendentes, nullumque fidelis exhortationis solamen habentes ; titubare potius adhuc tenuiter radicati, quam stabilitatem poterant aliquam de se cogitare. Quod cum viro Dei relatum fuisset, timens ne aresceret quod a Deo per eum plantatum fuerat, si adhuc rore divini consilii non perfunderetur, advocatis ad se quibusdam ex prioribus et majoris et sanioris consilii fratribus, perquirebat ab eis quid facto opus esset ;

singillatim perscrutans de voluntatibus eorum, ut per omnia in definitione sui operis certior redderetur. Cumque intellexisset alios secum velle habitare, alios consilio suo alibi vivere, alios propositæ paupertatis votum velle tenere, plurimos tamen sub certo magistro et disciplina eumdem paupertatis tenorem velle observare, remisit eos ad locum suum, paucis secum retentis, pacis et unanimitatis normam iterum atque iterum suadens, quatenus, cum eis ab eo facultas eligendi Patrem concessa fuerit, concordia Christi Jesu, et dilectio quam docuit, in ipsis inveniatur. Recesserunt illi, et bonus Pater, non immemor filiorum quos in Christo genuerat, ne diu absque pædagogo remanerent, fideles non post multum nuntios ad eos destinavit, qui et eligendi nuntiarent facultatem, et de electione suam indicarent voluntatem. In hoc, quomodo et quid factum sit in electione, non est immorandum; quia qui a magistro suo bene fuerant docti, a transmissis legatis non indigebant perdoceri.

100. Electione igitur approbata a filiis, ut erat a Patre datus assensus, reversi sunt ad eum qui fuerant missi, voluntatis suæ præceptum completum esse nuntiantes. Habebat et ipse (101) electum secum, sed tamen rem dissimulare præcipit per aliquot dies, nec illi electo indicatum est, ut considerari posset curiositas quorumdam qui secum erant, qui et hoc responsum curiose præstolabantur. Erat enim hæc ejus consuetudo, ut, cum tractandi essent, mutandi, vel confirmandi hujusmodi rerum eventus, et aliarum quæ actione multimoda superveniebant, totum spiritum singulorum qui circa ipsum erant, de singulis negotiis exhauriret; quatenus nullam faceret in causis ex abrupto definitionem, nisi prius, ut homo poterat, exquisisset voluntatem Dei, et hausisset de circumstantibus sensum meliorem. Consilium ad tempus occultabatur; non tamen ignorabat electus ille quid de eo factum fuerat, quatenus rem tacitus consideraret divina edoctus revelatione. Asserebat

A denique quod mane die illo, quo de ipso facta fuit electio, stetisset per visionem coram Filio Dei Jesu Christo, cum Patre et magistro suo Norberto; extendensque manum suam dexteram Jesus, recipiebat fratrem illum a cæteris fratribus electum de manu viri Dei, dicentis: « Hunc a te, Domine, mihi commissum tuæ sanctissimæ majestati repræsento. »

101. Per hoc procul dubio scire poterat quid aliud de se divina miseratio disponebat. Quid plura? Venit dies, in qua placuit homini Dei quod cœperat perficere; convocatisque fratribus quos habebat secum, consilium suum indicavit eis. Et advocato electo: « Tu, inquit, mihi succedes electione fratrum tuorum in domo paupertatis nostræ. » Cumque ille responderet: « Tibi et maxime Patri omnium obedire B oportet: vadam et considerabo misericordiæ Dei processus et profectus, in quibus si procedere potero et proficere, gratias ipsi; sin autem, ad te, quem post Deum Patrem elegi et animæ meæ tutorem, mihi sine offensa liceat remaere. Vade, ait; manus enim Domini usque in finem tecum erit. » Hac accepta benedictione recessit, duobus adjunctis sibi sociis, e quibus præceperat vir Dei, ut alterum (102) in Antverpiensi Ecclesia Patrem, alterum (103) similiter in Floreffiensi poneret. Et sic factum est. Positus et consecratus est ille sub nomine Patris in Præmonstratensi Ecclesia; et illi duo in duabus aliis supradictis. Sed et duo jam alii consecrati erant in duabus aliis ecclesiis, Laudunensi beati Martini, et Vivariensi (104). Isti quinque, et sextus, quem ad C locum, qui dicitur Bona-Spes (105), statim post introitum suum abbas Præmonstratensis exposuerat, instantem dissolutionem ordinis in plerisque locis videntes, et majorem futuram metuentes, ad diem statutum in loco determinato convenerunt; et quidquid ad præsens in domibus suis superfluum esse videbatur recidentes; deinceps, ad similitudinem et exemplum Cisterciensium, annuatim se reversuros simul (106), ad ordinis sui sinistra corrigenda,

(101) Hic est Hugo, primus ejus socius, de quo supra ad caput 5 actum.

(102) Hic est Waltmannus, mortuus anno 1138, die 15 Aprilis, ad quem suis Natalibus eum inscripsit Chrysostomus vander Sterre, et nos mentionem fecimus inter prætermissos. Elogia ejus a variis edita collegerunt le Paige pag. 455, et Sanderus in descriptione hujus cœnobii. Placet his apponere commemorationem quæ impressa legitur post litanias de S. Norberto. ANTIPH. « Hic vir despiciens, etc. ℣. Justus germinabit sicut lilium. ℟. et florebit in æternum ante Dominum. » ORATIO, ex Collectis de S. Francisco et S. Carolo Borromæo compilata: « Ecclesiam tuam, quæsumus, Domine, beati Patris Waltmanni meritis, gratia cœlestis amplificet, ut sicut eum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes.

(103) Hic est Richardus, cujus elogium cum titulo « beati » habet le Paige pag. 439. Inter Pios Saussaius ad 30 Augusti. De Floreffia actum cap. 8.

(104) Gualterum et Henricum, de quibus et eorum monasteriis actum cap. 13.

(105) Bonæ-Spei cœnobium in Hannonia prope Binchinum oppidum; cujus primus abbas Odo, discipulus S. Norberti, sed ab Hugone constitutus. Le Paige more suo etiam *beatum* appellat, ejusque elogium profert pag. 463, Saussaius, eo quod ejus Natalis ignoretur, posuit in Appendice talium, pag. 1228. Horum autem omnium ea moderatio fuit, ut accepta benedictione pontificaliter officiantes, annulo essent baculoque contenti, licet Benedictini passim et mitra et chirothecis uterentur, quæ ne paulatim a D suis assumerentur consenserunt Præmonstratenses, ut supplicaretur apud Innocentium III, quatenus ipsis talem usum interdiceret, sicut et interdixit IV Idus Maii 1198; « ne » scilicet « forsan ex ipsis » quispiam supercilium elationis assumat, vel sibi videatur sublimis, cum iis uti se viderit, quæ pontificibus et majoribus Ecclesiarum prælatis a sede apostolica sunt concessa: » quæ tamen prohibitio postea fuit relaxata justis haud dubie de causis; quarum una esse potuit, ne canonicorum præpositi et episcoporum archipresbyteri, de potiori forsan gradu cum abbatibus istis contenderent, uti nunc aliqui cum non mitratis contendunt.

(106) Addit Pagius, ipsius S. Norberti præceptum fuisse, ut tale Capitulum celebraretur quotannis « in festo S. Dionysii, » 9 Octobris.

firmaverunt. Quod cum in locis aliis divulgatum fuisset, sic in primo anno sex, in secundo novem fuerunt, in tertio duodecim, in quarto decem et octo. Et exinde multiplicati sunt ubique terrarum, sicut voces et actus eorum et opera usque in præsentem diem testantur.

CAPUT XVII.

Privilegia Ecclesiæ suæ ab Innocentio II confirmari impetrat Sanctus. In seditione constantiam tenet; miraculose præservatur a morte.

102. [Cap. XLIX.] Deinde beatæ memoriæ papa (107) Honorio ad suam prædestinatam æternitatem vocato, Innocentioque sanctæ Romanæ sedi canonica electione subrogato, cum sedem obtinere non posset, propter intrusionem Petri Leonis et seditionem suæ progeniei, exiens inde contulit se in Franciam, ubi, ut decuit, honorifice susceptus est. Convocatoque Remis concilio (108), convenerunt undique episcopi de diversis nationibus, advenit et Pater Norbertus, ibique illum Petrum intrusum excommunicaverunt; et electione Innocentii approbata, eumdem Petrum Leonis leoni rugienti, nisi resipisceret, devorandum tradiderunt. In hoc tractatu tractare de Romanis pontificibus, alicui videbitur superfluum esse, sed alio modo seriatim disseri non possum quædam, quæ de milite Christi prætermitti non debent, quæ ab eo magnifice et laudabiliter gesta modernis temporibus dignoscuntur. Attulerat namque secum Ecclesiæ suæ privilegia vetustissima, et fere a vermibus consumpta, quæ cuncta Romano munimine fecit renovari et corrigi. Apponens ea quæ receperat de manibus eorum, qui ea injuste et violenter rapuerant, ut superius adnotatum est. Addidit præterea aliud privilegium secreto, ut, cum daretur opportunitas, Romana fultus auctoritate, suæ religionis ordinem in episcopali propagaret Ecclesia. Finito concilio, cum ad sedem propriam reverteretur, jamque ex parte divulgatum esset quod fecerat; scilicet quomodo gladio spirituali et castrorum mœniis et propugnaculis se contra eos armaverat, magis fremebant, dicentes ad alterutrum: « Regnum nostrum non stabit, et gloria nostra nihil est; sed et honor omnium nostrum et dignitas prædecessorum nostrorum destruetur, nisi quam cito tollamus eum de nobis, et auferatur hæc ejus subtilis potestas de terra nostra. » Et exinde quærebant opportunitatem ut facerent caute, juxta quod inordinate et insipienter machinabantur.

103. Cum autem ei qui elegerat eum et assumpserat in opus ministerii sui, placuit ut quæreret viri constantiam; qui, ut præmissum est, fidem probaverat et patientiam; non diu distulit, sed occasionem et tempus intulit, ut et furorem esurientium sanguinem satiaret, et evidentis tribulationis igne tironem suum purgaret. Contigerat autem eodem tempore quoddam infortunium in ecclesia majori (109); quod secrete viro Dei fuerat revelatum. Cumque hoc senioribus indicasset ecclesiæ, et protestaretur, pro se tali expiari debere ecclesiam, secundum canonum auctoritatem, illi acquiescere ei noluerunt, dicentes non esse denuo consecrandam ecclesiam illam quam constabat multorum regum et pontificum auctoritate fuisse consecratam. Hoc illi prohibebant: sed ille econtra asserebat nunquam se in ea divina celebrare velle mysteria, nisi ab ea dæmonum infestationem, qua fuerat irretita, paterentur effugare. In hunc modum contendebant, sed vir ille qui versutias eorum non ignorabat, dum tamen Deus esset in causa, notum fecit omni populo rei eventum in pulpito (110), ostendens etiam quod prohiberetur facere quod erat authenticum, et quod in hujusmodi eventibus sanctorum Patrum sanxerat consuetudo.

104. Hæc dixit, et sequenti nocte assumptis duobus episcopis, quos tunc secum habebat, et præposito ejusdem ecclesiæ, qui in hoc favebat ei, et quampluribus de fratribus suis clericis, intravit ecclesiam, induitque sacris vestibus, et aqua consecrata, illud officium, sicut exigebat quod præmissum est negotium, sincera devotione compleverunt. Isti locum ad consecrandum Dominicum corpus et sanguinem (111) divina benedictione, ut fieri oportet, ex officio debito consecrabant; sed præscripti adversarii hoc factum exsecrantes, de sanguine innocentis sacerdotis manus suas implere festinabant. Vigilant isti, ut Agni sanguinem colligant, vigilant illi, ut sanguinem innocentis effundant. Nam statim ut peractum est officium, adhuc omnibus qui aderant in sacris vestibus existentibus, clamor nimius, et tumultus grandis populi foris auditus est. Commota quippe fuerat omnis civitas, furore non minimo et inenarrabili, eo quod vox crudelis et stupenda facta fuisset ad eos a quibusdam adversariis, scilicet quod fregisset episcopus altaria, sacrarium reserasset, feretra et phylacteria dissolvisset, sibique reposuisset, et cum his omnibus sub ejusdem noctis tenebris, cum omni etiam thesauro ecclesiæ fugere disposuisset. Audientes hoc qui cum viro Dei erant, territi sunt, alii plus, alii minus. Sed ille imperterritus ad eos exire volebat, ut interrogaret quidnam esset. Porro alii omnimodis prohibebant, dicentes hunc plebeium tumultum non facile in tali hora aliquo quam posse sedari, et coegerunt eum, ut ascenderet quoddam municipium (112), quod ab imperatore Ottone ibi constructum erat antiquitus, loco turris cujusdam ecclesiæ, quam incœperat ædificare, sed morte præveniente non consummavit.

(107) Honorio II sub annum 1130 mortuo successit Innocentius II, cui se opposuit Petrus Leonis pseudopapa, Anacletus dictus.

(108) Cœptum concilium Remis 300 episcoporum et abbatum in Octobri.

(109) Hæc est « S. Mauritii ecclesia » ab Otthone I ædificata, de qua pluribus ad cap. 4 Analect.

(110) Ms. Antwerp. *in publico*.

(111) Ms. Bern. *Dominici corporis et sanguinis sacramentum*.

(112) *Municipium*, quasi *muricipium*, quod muro capiatur: itaque hic solum ea vox accipitur, quæ alias significat oppidum muris cinctum.

105. Ibi se reclinavit homo, et qui cum eo erant, sacris adhuc amicti vestibus, mortem potius corporis turpissimam quam vitam exspectantes. Invalescebant voces insultantium et insilientium. « Theid-ut, theid-ut (113), ingeminantes, hoc est exito, exite. » Sed illi in turri desuper econtra in matutinarum solemniis laudes Deo canentes, cum hymnis et canticis exsultationis laudes Deo in honore prædicatoris egregii Pauli vocibus immensis resonabant; isti vero insultationis voces clamoribus inordinatis multiplicantes, sacerdotem Dei reum esse mortis proclamabant. Erat equidem proxima nox, post diem qua fit solemnitas beatorum Petri et Pauli in martyrio, et sicut nocte pristina pro altero, id est beato Petro, celebrat Ecclesia, sic in sequenti pro altero, id est Paulo, celebrabant solemnia, sicut Ecclesiæ solet esse consuetudo. Cantabant qui fuerant obsessi, de eo quem obsessum fuisse narrat ejus historia; ac resumunt vires de timore martyrii, cum resonat in auribus eorum beati Pauli depositum, quod reservatum sibi confirmat in gloria: ait enim: « Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem justus judex (*II Tim.* I, 12). » Hac fiducia quidam ex ipsis, stantes non trepidabant; sed alii adhuc sæculo et suæ carnalitati tenere adhærentes, et ejulatu non minimo ingemiscentes, dicebant: « Heu, heu! quid huc secuti sumus hominem, ut cum eo moreremur in peccatis nostris? » Quibus vir sanctus, ut poterat, melliflua consolatione exhortans aiebat: « Nolite, fratres charissimi, nolite terreri: Dei est enim quod a nobis gestum est; Dei est quod geritur; Dei est permissio, quando ab inimicis suis suum aliquod bonum opus impugnatur. » Hæc aliquando dicebat, interdum autem pro ipsis, ne deficiendo desperarent, attentius orabat; ipsorum defectu, crescebat ejus orandi affectus; et, ut ipse postea asserebat, non tantum metuebat mortem, quantum timebat ne desperando illi deficerent.

106. Congregabatur per totam noctem pars adversaria; multiplicabant orationum preces, in articulo talis necessitatis, sacer sacerdos et societas cum eo congregata. Facto autem mane, cum sub mo diluculo lux cœpisset illucescere, dum alii ad insultum turris insistunt, alii sagittis, alii jaculis pontificem et clericos suos impetunt: quidam, qui mortem suam jurasse dicebantur, tanquam avidiores crudelis illius necis appetitores, quocunque modo irrumpentes, ad superiora turris audacter evaserunt. Quos ut vidit homo districtis gladiis irruere, ne in aliorum mortem desævirent, progrediens in obviam, magistri sui exemplum secutus: Unum, inquit, hominem quæritis; ecce ego. Parcite istis, qui nullam mortis sententiam meruerunt. » At illi, eo viso ut erat amictus adhuc episcopali et sacerdotali veste purpurea, territi sunt; et paululum retrocedentes, in momento Deus, cujus nutu omnia disponuntur, de-

A clarata martyris sui, quantum in eo fuit, constantia, tanta ipsorum persecutorum mentes mutatione compunxit, ut ad pedes ejus corruentes, veniam de tanto ausu precarentur et acciperent, et ex adversariis in defensores prodirent. Alii vero festinanter insequentes eos, unum ex camerariis suis, qui fideliter ei adhærebat, quemdam introitum defendentem invenerunt. Et jam episcopum esse decollatum a præcedentibus putantes, ipsum eumdem camerarium, eo quod dominum suum diligebat, odio habentes gladio percusserunt; et usque ad guttur collum ei abscindentes, semivivum, mortuum tamen ipsum esse existimantes, reliquerunt. Quod videns vir Dei, omnibus invitis in medium turbam prosiliit, et inimicis dans de se facultatem,
B morti se obtulit; eligens mori potius, quam aliquis alius, eo superstite, moreretur.

107. Cernens autem eum ille idem qui servientem suum percusserat, furore diabolico et iniquitate plenus, adhuc sanguineum gladium evaginatum tenens, extendens manum suam in pontificem, audaci præsumptione grandem ictum ei super humeros obtulit. Sed resiliit gladius, velut si percuteretur super lapidem adamantinum, et de recenti, quo erat intinctus sanguine, fimbriæ episcopalis mitræ quam in capite gestabat, intinxit; quæ, quandiu vixit homo, eodem aspersa sanguine mitra apparuit. Videntes autem quidam qui astabant, ex adverso rei exitum exspectantes illi qui plus hominis sanguinem quam hominem exspectabant; videntes, inquam, illi quod non mo-
C reretur, quia a quibusdam parcebatur, a quibusdam vero percussus non lædebatur, occurrerunt, et reliquias sanctorum concito deferentes, eas in medio posuerunt, dicentes magnum inconveniens esse quod sic indecenter pastor ab ovibus impugnaretur. Hæc prætendebant, falsam simulantes humanitatem; nam et ipsi ipsum in hoc articulo positum cogebant, ut fratres suos de ecclesia B. Mariæ exponeret, qui in ea positi erant, ut superius dictum est. At ipse negabat, affirmans factum hoc, quandiu viveret, nunquam ab eis infirmandum; quod regali potentia et Romana auctoritate dolebant confirmatum.

108. Dum hæc agerentur, advenit ejusdem urbis comes in via et quasi eventus hujus nescius, inter medios tumultuantes cucurrit, dividensque eos ab invicem, diem determinatam eis nominavit, qua ve-
D nirent omnes justam querimoniam habentes adversus episcopum, justitiam exsecuturi et accepturi. Recesserunt ergo illi ad præceptum judicis. At Dei sacerdos intravit eamdem ecclesiam, pro qua tota commotio facta fuerat, missam celebraturus, et immensas Deo suo gratias redditurus. Cumque accessisset ad altare, accersitis circumstantibus: « Ecce, inquit, integra sunt omnia, salvaque et sana, quæ denuntiata fuerant confracta et asportata. » Celebravit igitur missam in eodem loco, sed et Epistolam et Evangelium ipsemet legit; recesserant enim om-

(113) Ita mss. tria conformiter ad idioma gentis, sub aliqua tamen diversitate, dum alia etiam *Thied-uss* vel *uet* scribunt. Plura *Thiedur* aut *Theidur*, legunt; sed hoc vertendum esset, *abite*.

nes ministri sui tædio et timore affecti; ita ut vere dici posset de eo, sicut de summo capite nostro Jesu Christo: Relicto eo, omnes fugerunt (*Matth.* xxvi, 56).» Finita autem missa, venit ad palatium, purpuream miro et ineffabili modo gestans faciem, utpote calice Domini sui bene potatus, ut dicere posset cum Propheta: « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal* cxv, 13). » Hunc quippe colorem in ipso mortis periculo tenuerat; et hoc testabantur qui cum eo exstiterant, quod non vidit eum quisquam vel ad modicum pallescere; ipse vero econtra martyrum constantiam levem, et super mel et favum dulcissimam esse asserebat. Sic eum Dominus eripuit, complens promissa ipsius qui dixit: « Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberavit eos Dominus (*Psal.* xxxiii, 20); » militis sui fidem exquirens, sed nullatenus sanguinem sitiens (114).

CAPUT XVIII.

Alia conspiratio discussa. Iter Romanum. Morbus et obitus.

109. [Cap. L]. Invidorum solet esset consuetudo, ut, cum ab eis quibus invident occasione aliqua paululum concitati fuerint, non statim totum quod ægre ferunt, et quod dolet in cordibus eorum proferant, sed postquam ab eis recesserint, acriori dolore intumescentes, quidquid ad contumeliam ipsorum dixisse vel fecisse potuissent, magis amaricati, majori vindictæ data opportunitate, reservent in posterum. Sic præscripti adversarii, quibus odiosa erat æquitas, quam eis pontifex invictus prædicabat, convocatis iterum perversis conventiculis suis, suum quisque dolorem proferebat, dicentes se esse delusos, et arte magica tenebrarumque caligine sensu suos aduncatos, qui hominem hunc vivum reliquerant; qui eis non cedebat, nec ritum et honorem ipsorum, dignitatemque urbis debitam nullatenus immutare metuebat. Vere delusi et stupidi (115), nec mirum, quia dolosi et stupenda nimirum convenerant tractari. Nam et hoc ab eis firmiter ibidem decretum est, quatenus cum ad condictam diem convenire deberent, singuli denariatam (116) vini vel medonis (117) biberent, ut si quidquam voluntati eorum contrarium in discussionibus quorumdam accidisset, supplerent de nece sui pastoris quod minus fecerant, et sic ebrietati potius deputaretur quam præmeditationi. Ex hoc statutum est, ut quicunque huic decreto non obediret, domus ejus ad dejiciendum, et tota supellex ad diripiendum judicibus totius illius senatus subjaceret. Quod factum cum relatum fuisset ad aures quorumdam principum terræ, qui virum Dei ex quadam parte diligebant, eo quod sciebant eum esse virum sanctum et justum, persuadebant ei, ut ad tempus cederet, exemplo magistri sui qui a facie persequentium cum se abscondit, sicut scriptum est: « Jesus autem abscondit se, et exivit de templo (*Joan.* viii, 59). » Quod cum ille renueret, palmamque martyrii gaudens exspectaret, illi multiplicibus persuasionibus exire compellebant.

110. Advenit dies, ut erat prænominata, et dato signo, cœpit civitas immensis clamoribus perstrepere. Et interrogans homo Dei quid esset, responsum est ei quia populus multus congregatus fratres de ecclesia B. Mariæ vellent ejicere. At ille subridens aiebat: « Non est ita, quia plantatio, quam plantavit Pater cœlestis, eradicari non poterit. » Attamen compulerunt eum ut exiret, et præparatis æquitaturis exivit ad abbatiam quamdam monachorum in honore S. Joannis (118), quæ est in suburbio civitatis sita supra mentem quemdam; ubi satis spatiose dispositis omnibus, transivit ad quoddam castrum suum quod dicitur Halla (119), ut ibi a tanto tumultu requiesceret. Sed et illud clausum invenit: Prævenientes enim hostes sui, omnem præoccupaverant munitionem. Quid faceret homo qui nusquam inveniebat ubi requiesceret pes ejus? quid faceret, humano destitutus auxilio? Contulit se ad ecclesiam quamdam canonicorum regularium (120), quæ ibidem prope erat, orans Deum suum per aliquot dies, ut viam suam in suæ beneplacito voluntatis dirigere dignaretur. Sed ille qui dixit per prophetam: « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem bra-

(114) Rem totam sic breviter narrat Chronologus Saxo noster: « Eodem anno, » scilicet 1129 Lotharii iv; « in Commemoratione S. Pauli facta est commotio maxima civium Magdeburgensium contra Norbertum archiepiscopum, quod majorem ecclesiam, sicut sibi dictum erat, pollutam, nocturno tempore purificaverit. Crescente itaque tumultu ascendit in superiora antiquioris monasterii, cum Misnensi et Havelbergensi episcopis (hic Gumbertus an. 1120 Hemoni suffectus; istius nomen necdum comperi) cum præposito majoris monasterii; ibique multum diu obsessus est, sævientibus atque objurgantibus adversariis, quod altaria fregerit, et reliquias sanctorum furto abstulerit. Sed hunc divina gratia mirabiliter de insidiis eorum eripuit et persistentes in malo excommunicans, eos sibi subjecit. »

(115) Ita omnino legendus videtur sensus, a transcribentibus in hunc modum turbatus: « Vere delusi, nec mirum, quia dolosi; dolosi et stupendi. »

(116) Denariata, id est ad valorem unius denarii.

(117) Medo, *hydromel.* Potus hic defectum vini, ubi hoc non crescit, supplere solet, et generosissima vina adæquat cum diutius decoctus fuerit; quapropter his nostris regionibus a sacrificio missæ arceantur vina Hispanica aliaque dulcia, eo quod œnopolæ fraudulenti aliquando medonem pro illis supponant, talem ut verum a ficto vino vix ipsi peritiores discernere queant.

(118) At nunc eadem abbatia, medium fere locum civitatis secundum Albim porrectæ obtinet, cum insigni ecclesia; postquam scilicet in quadruplum aucta illa per longitudinem est, addito non solum suburbio S. Joannis [post quam additionem nescio an vestigium ullum supersit restrictiorum olim murorum] et complanatis quæ suburbium ab urbe dirimebant fossis, sed etiam Judæorum burgo ex una, et nova (ut vocant) civitate ex altera ædificatis: quo modo civitatem repræsentat Marianus elegantissime sculptam, in Topographo Saxoniæ inferioris.

(119) Halla, ad Salam fluvium, 12 leucis Magdeburgo dissitum oppidum, tunc ditionis archiepiscopalis, sui postea juris factum.

(120) Forsitan in Peterberg seu Petri-Monte, ad latus urbis meridionale, ubi etiam nunc ecclesia vel capella cernitur juxta Marianum.

chium suum, et recedit a Domino cor ejus (*Jer.* XVII, 5). » videns sui tironis humilitatem et constantiam, respexit veritatis ejus preces, et sicut voluit, ex quo voluit, pax rebus data est. Nam ut convenerant certatim inimici ad interimendum, sic convenire festinabant ad satisfaciendum. Omnimodam satisfactionem offerebant, offerebant et pecuniam multimodam. Sed ille, qui plus animas quærere Deo venerat quam pecuniam, ne Domini Dei sui offensam incurreret, respuebat pecunias, ut animas eorum, quæ pro hoc excessu perditionis periculo subjacebant lucrifaceret. Dicebat denique suum et non ipsorum esse delictum; quod deliquerunt, sibimetipsis, non sibi, nocuerunt; nocuerunt et ei potius, quem vulneratum et semivivum jacentem reliquerunt. Satisfactionem illius quærebat, suam autem minime, exemplo sui capitis, qui dixit: « Pater, ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 24); » et illius apostoli: « Nulli malum pro malo reddentes (*Rom.* XII, 17), » de illo, dolore intrinseco, dolebat; qui nihil dignum morte meruerat, morti tamen addictus, gravique vulnere tentus jacebat.

111. [CAP. LI]. Videntes itaque adversarii, quo potissimum dolore augeretur homo Dei, studuerunt illum lenire in eo super quo gravatum eum esse sentiebant. Nam illi vulnerato domum suam quam dejecerant, ex integro reparantes, ad medicandum vulnus quod ei inflixerant, quadraginta marcas argenti contulerunt. Post hæc, apertis januis castri, quas ad adventum ejus prius clauserant, intravit illuc cum omni honore, multorum cœtu vallatus nobilium, multitudine etiam plebis Deum laudantium super constantia tanti pontificis, ipsumque pontificatu dignum esse asserentes quem Deus omnipotens de tot persequentium manibus eripuit, et in tam evidenti mortis periculo, cum suæ fidei integritate corporisque incolumitate invictus permansit. Sic vicit humilitas, humilitatis gratia præeunte, ut in eo Veritatis insignia clarescerent, quæ dicit: « Qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XVIII, 14). » Laudes ergo tanti viri tacendæ non sunt, quia gloriosus Deus in sanctis suis. Et cum magna præcedentium Patrum facta narrantur, subsequentium opera filiorum ad hæc imitanda provocantur. Quinto anno episcopatus sui hæc acta sunt, et tribus postea sedit, de die in diem, ministerio a Deo sibi commisso dans honorem,

A in omne religione et honestate proficiens: unitatem sanctæ Ecclesiæ conservans, ejusque perturbatores et schismaticos omnes persequens et detestans, bonos amplectens, desolatis dans consilium, pauperes et orphanos viduasque sustentans, religiosos quoque fovens et dilatans, religionisque docens formam, seipsum, prout dignitas officii pati poterat, tam minoribus quam majoribus affabilem exhibens, divinæ largitatis et gratiæ non immemor, Domino Deo suo per singulos dies bonæ opinionis et intimæ suavitatis et dulcedinis offerebat conscientiam.

112. [CAP. LII.] Erat schisma gravissimum et ad pacandum difficillimum in sancta Romana sede, de duobus, ut præmissum est, pontificibus, Innocentio et Petro Leonis: quorum alter, Innocentius videlicet, B canonice electus, catholicus erat, et a catholicis omnibus approbatus recipiebatur; alter vero, id est Petrus, fuerat intrusus, sed tamen occupaverat sanctam sedem, non a Deo neque ab Ecclesia sancta, sed a potestate sæculari. Quia et ipse, etsi non nobilitate, multitudine tamen generis potens erat in civitate, legesque sanctas, et ordinem, et omnia statuta Patrum et Ecclesiæ sanctæ, regulamque Christianæ fidei, fervore suæ ambitionis excæcatus, destruebat, turresque et munitiones civitatis alias dejiciens, alias muniens, ad omnem principatum sæcularem, et suæ cupiditatis votum obtinendum præparabat (121). Ob hoc, consilio inito a rege Lothario et sanctæ fidei principibus, ne cognitio et robur fidelium Christianorum his modernis temporibus illa peste mortifera periret, expeditionem in Italia C ordinaverunt, ut ipsum sacrilegum, quem gladius spiritualis, quo jam sæpissime percussus fuerat, penetrare non poterat, materialis saltem perforaret. Cum eo et aliis tam episcopis quam archiepiscopis, ex præcepto et obedientia Innocentii pastoris catholici, pontifex Norbertus profectus est. Transitisque castris et urbibus [non] absque intolerabili offendiculo, cum magno cœtu præeuntis et subsequentis exercitus, Romam, papam venerabilem Innocentium secum deducentes, perveniunt. Ubi cum impetu grandi et manu forti introeuntes, ipsum eumdem papam in sancta sede, invitis hostibus et adversariis omnibus, posuerunt.

113. Sed et ipsum Lotharium regem pontifex in D sede positus, et alii qui cum eo venerant, in Roma-

(121) Ad hoc schisma, ejusque auctorem Anacletum (sic enim vocari voluit) passim omnes pertinere existimant, id quod ex ore sancti habuisse se affirmat S. Bernardus, epist. 56, ad Gaufridum episcopum Carnotensem, sic exordiens: « Quod a me de domino Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Hierosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, et de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audivi. Verum de Antichristo cum inquirerem ab ipso quid sentiret, durante adhuc ea quæ nunc est generatione revelandum illum esse, certissime se scire protestatus est. At cum eamdem certitudinem, sciscitanti mihi unde haberet, exponere vellet, audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi; ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. » Hanc vero et vidisse dici quodammodo potest, cum vidit prædictum scandalosissimum schisma, et Anacletum Antichristum futurum præsignificasse; nec obscure in hunc sensum venit Bernardus, ep. 124, 125 et 126, de illo scribens; Baronius ad an. 1106, num. 26 totum istud eo referri putat, « quod cum sæpe sancti viri prænovissent ingentes futuras persecutiones Ecclesiæ, putarint rerum magnitudine ipsa adfore Antichristi tempora. »

num Imperatorem consecraverunt (122). Erat enim A vir ille, strenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei et sanctæ Ecclesiæ, veritatis amicus, justitiæ socius, injustitiæ inimicus, cujus probitas patuit in Sicilia, viguit et in Saxonia. Qui, quandiu vixit, totum Romanum imperium, quod ejus custodiæ deputatum fuerat, titubare non potuit. Diligebat autem et ipse virum Dei Norbertum, eo quod ejus consiliis, quæ strenuitate et providentia pollebant, assidue utebatur; et quia ab eo cœlestis dulcedinis potum hauriebat, et pane divinæ refectionis quotidie reficiebatur. Magnæ debilitatis erat homo ille in suo corpore, utpote longa et gravi attritus asperitate pœnitentiæ, sed multo amplius crevit infirmitas, cum labor et dolor itinerantium, et terrarum occupatio ei adjuncta B est, et domesticæ curæ sollicitudo et mutatio diversorum aerum, et inquietudinis assiduitas. Cuncta autem, quæ ibi vel alibi ab eo facta sunt, non est possibile alicui soli narrare, quia nec alicui soli possibile fuit cuncta scire vel cognoscere. Scitur tamen quia ab Italia reversus in civitate suam Parthenopolim, non post multum, gravi ægritudine detentus est, et per aliquod tempus, id est per spatium quatuor mensium, in ea laboravit. Episcopatuque sapienter et fideliter annis octo administrato, plenus Spiritu sancto, cum omni integritate sensus, astantibus benedictione data, beato fine quievit. Neque enim, ut ait Augustinus, poterat male mori, qui bene vixerat. Annus erat Dominicæ Incarnationis millesimus centesimus trigesimus quartus, feria quarta Pentecostes, octavo Idus Junii, papa Innocentio anno C quinto regnante, Lothario anno nono.

CAPUT XIX.

Sepultura corporis. Triplex apparitio. Epilogus.

114. [Cap. LIII.] Defuncto itaque beatæ et dignæ memoriæ Patre Norberto, spirituque suo ad summæ felicitatis æternitatem vocato, sanctoque corpore ipsius exanimi relicto, contentio non minima orta est, inter ecclesiam majorem et ecclesiam B. Mariæ, de loco sepulturæ ejus. Volebant enim alii, dignumque et justum esse dicebant, ut, quia caput ecclesiarum ejusdem civitatis exstiterat, Ecclesia caput illi ejus ossa deferrent honorem; ibique adventum summi Judicis exspectaret, ubi erat titulus ejus immobilis et sine fine, si sine fine ei in carne vivere contigisset. Sed et alia pars, fratres videlicet S. Mariæ, sui juris ipsum esse asserebant, eo quod per ipsum suo Creatori reconciliati, ipsum Patrem elegerunt; et per ipsum seipsos et suam devotionem Domino Deo suo, a quo aversi fuerant, redierunt, præcipue cum adhuc vivens homo præcepisset, et usque in finem suæ hoc voluntatis devotio postulare demonstrasset, quod inter fratres suos et filios, quos Deo, Dei verbo, paupertatis suæ tempore genuerat, sepeliri et quiescere deberet. Hæc erat contentio; et evidens utrinque proponebatur justæ certæque rationis responsio. Res mira! Contendebant hominis hujus corpus exanime retinere, prodesse sibi putantes mortui præsentiam, cujus, cum viveret, et prodesse poterat, omnimodis quærebant absentiam. Videntes tandem illi qui erant medii, qui utrinque contentionem hanc æque ferebant, quod invincibiles essent, et suam unusquæque pars justitiam meliorem assereret, consilium dederunt, ut ad regem Lotharium quam cito mitteretur, quodque ipse præciperet aut judicaret, hoc ratum haberetur. Et sic factum est.

115. Interim vero corpus inhumatum jacebat, sicque de die in diem per singula monasteria civitatis delatum est; et in unoquoque vigiliæ, et ea quæ fidelibus defunctis debentur, diligenter sunt celebrata; donec in die octava reversi sunt qui missi fuerant: et tunc ex præcepto imperatoris, ad fratres in ecclesia B. Mariæ corpus viri sancti sepultum est. Sed et hoc mirum fuit, et tacendum non est, quia cum esset æstas nimia, ita quod eodem anno pratorum fena nulla, præ siccitate nimia, secarentur; non est de corpore ejus per tot dies ullius fetoris egressa corruptio (123). Unde datur intelligi, quo-

(122) Placet totam hujus itineris rationem ex Magdeburgensi Chronico nostro describere, ubi ad an. 1132 sic legitur: « Rex Lotharius celebravit Assumptionem S. Mariæ in Werzeburg, et inde cum exercitu Longobardorum fines intravit: et quia archiepiscopus Coloniensis defuit (defuncto Friderico, et Brunone necdum consecrato) qui jure debet esse cancellarius in istis partibus; Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis huic officio deputatus est. Anno Domini 1133 rex celebravit Natalem Domini in Italia, apud castrum quod dicitur Meduina, » ad confluentes Medunæ et Liventiæ in confinio agri Tarvisini et Forojuliensis. « Rex autem inde progressus, sanctam Pascha, 26 Martii, celebravit apud S. Flavianum, » XII circiter p. m. ab urbe juxta Soracten, nunc S. Orestis aut etiam S. Silvestri dictum, quod eum ibi latuisse fabulentur, Constantino Ecclesiam persequente: *Flavianum* Virgilius Siliusque dixerunt, nunc plane deletum locum, antiquam verosimiliter Romanorum coloniam, quod, deinde nomen in S. Flaviani martyris 28 Januarii commemorati nomen videtur transiisse. « Ac postea in Kalendis Maii Romam veniens, ad S. Joannem in Lateranis a papa et clero ac Romanis honorifice D suscipitur; ibique Pentecosten celebravit, et in ipso sancto die in monte Aventino ad S. Sabinam coronatus processit. Ibidem ergo per sex continuas hebdomadas commoratus, tandem ex consilio et voluntate principum, mediante Norberto archiepiscopo, in prædicta basilica Constantini, a papa Innocentio imperialem suscepit benedictionem, cum conjuge sua II Nonas Junii, die Dominica, quæ tunc tertia exstitit post solemnitatem adventus Spiritus sancti. His ita gestis, inquit, imperator transcensis Alpibus celebravit nativitatem S. Mariæ in Werzeburg... Natalem Domini celebravit Coloniæ... Pentecosten 3 Junii in Merseburg » in Suevia; sed jam ante ab eo discesserat « Norbertus » qui « infra quartam ejusdem hebdomadæ » Pentecostalis « obiit: et infra quintam sequentis » hebdomadæ « in monasterio S. Mariæ est sepultus. »

(123) Addit in Notis Polycarpus: « Etiam post plura sæcula, mira et miri odoris fragrantia, ex se exhalata, impio cuidam Lutherana lue infecto præposito, monumentum effringere tentanti, religionem incussit et terrorem, imo et subitam mortem, ut auctores referunt: » quos mallem nominatim indicasset.

modo mundavit eum gratia superabundans a corruptione mentis, quæ conservavit corpus ejus ne corrumperetur, dum tractari manibus, et hac humanitatis exhibitione, more solito, exsequiarum officio sepulturæ debuit præmuniri. Sepultus itaque ante altare sanctæ crucis, in medio (124) monasterii fuit per aliquot annos, sed boni filii, qui ex præcepto Veritatis ut scriptum est : « Honora patrem tuum, ut sis longævus super terram (*Exod.* xx, 12), » et ex recordatione benignitatis quam eis exhibuerat, eum tenere diligebant, ut sine oblivione memoriæ ipsorum commendaretur, ante oculos suos in choro eum transtulerunt, ubi in tumulo (125), diligenter pro loci opportunitate adornato, diem exspectat novissimum, in spe certæ resurrectionis et gloriæ.

116. [Cap. LIV.] Argumentum salutis ipsius et spei nequaquam a quoquam fidelium æstimatione incredibile debet esse, præsertim cum a quibusdam, quibus optime credendum fuit, etiam post discessum suum in ea effigie apparuerit, et de statu suo quærentibus tale responsum ex divina permissione dederit, quod verum et certum dubitare nullus diligenter attendens debebit. Eodem namque die et hora qua separata est anima ejus a corpore, videbat eum frater quidam in veste candida, et pulchra effigie, ramum olivæ tenentem in manu sua. Qui cum quæreret ex eo, ut erat timidus, unde veniret, vel quo festinaret ; respondit, dicens : « De paradiso missus sum, unde et hunc ramum olivæ florentem tuli, et vado celeriter, ut in loco paupertatis meæ, id est in Præmonstratensi ecclesia, transplantem illum. » Expergefactus frater de tam insolita visione, cœpit intra se cogitare quid hoc significaret ; nuntiansque hanc visionem quibusdam ab ecclesia (126) (erat enim ad curiam quamdam ejusdem ecclesiæ), memoriæ commendarunt diem et horam visionis, præstolantes quid prætendant, et quæ sequantur opera tam manifestæ hujus apparitionis. Audito tandem transitu magistri sui, inventa est illa eadem dies esse, qua carne anima ejus soluta est. Alii similiter fratri (127), qui sacerdos erat, apparuit in propria effigie stans coram eo. Sed statim effigies ipsius hominis mutabatur in florem miri candoris, in modum floris lilii ; quem angeli suscipientes ad æthera deferebant. Evigilans autem frater summo diluculo, cucurrit ad priorem suum, licentiam accepturus, ut missam celebraret, Deoque per eam animam pii Patris sui Norberti commendaret. Cumque prior quæreret quod esset signum hujus tam subitæ contestationis ; exposuit ille ordinem rei. Cui prior præcepit, ut diem illum memoriter retineret. Est itaque inventa dies illa, dies sepulturæ hominis Dei.

117. Erat et alius quidam (128) de his, quos in primordio conversionis suæ contulerat ei Deus, qui fideliter et affectuose ei adhærebat, et de discessu magistri sui dolebat intrinsecus ; plus tamen, quia certitudinem nullam suæ salutis haberet. Cumque omni precum instantia supplicans rogaret Deum suum, quatenus aliquod responsum acciperet de misericordia, quam contulerat ex indebita gratia militi suo, et peccatori veraciter pœnitenti, nocte quadam apparuit ei in domo pulcherrima, quæ solis claritate satis decenter apparebat irradiata. Recognoscens ergo ille magistrum suum, cujus visione quoquo modo perfrui voluntate ferventi desiderabat; procidit velociter ad pedes ejus, humiliter petens ab eo, quatenus de statu suo, et de percepta a Deo misericordia, aliquid insinuare dignaretur. At ille erigens eum a terra, et brachiis suis collum ejus amplectens, sic ait illi : « Fili mi, rem difficilem quæris ; attamen quia ei, qui pulsat indesinenter, aperitur ; veni, sedeamus. » Erat autem ibidem sedes pulcherrima præparata, super quam cum consedissent, dixit illi : « Dictum est mihi : Veni, soror mea, requiesce : in pace et requie sum ; sed tremendum judicii timorem nondum amisi, in quo et angeli timebunt. » Hæc mellitflua et desiderata frater ille responsione refertus, timens ne recederet, quia per visionem sicut postulaverat, hoc se videre sciebat : « Quæso, ait, Pater amantissime, ut dicas mihi, si moleste accepisti quod ad te non venerim, cum adhuc vivens me venire præceperis. » Et respondit : « Tu venies (129) : et post hæc disparuit. Verum fuit ;

(124) Monasterii nomine intelligi posset *claustrum*, in cujus subdivali area cœmeterium commune fratrum fuerit, uti fert usus variorum monasteriorum, sed omnino hic intelligendam esse ecclesiam, cujus anteriori, et laicis destinata parte conditus sit sanctus, persuadet Pagius, sic accurate locum describens : « Sepelitur primum in medio ecclesiæ ante altare, quod ibi titulo sanctæ crucis ad ingressum chori, inter lapideas scalas, quibus ille hinc inde binis aditur consistit.

(125) « Deinde vero, » inquit idem Pagius, « aliquot post annos (forte post incendium anni 1188 de quo in corollario I, n. 61) corpus illud nondum ita corrumpi cœptum, quin commode eximi, et in aliam thecam posset transferri, habitu situve quo primum fuerat collocatum... ad chorum ipsum translatum est, et sub altari ante memorato, in monumento sive lapide ex candido marmore, ad viri altitudinem erecto, conditum. » Ita scilicet ut tumbæ caput subintraret cavitatem altaris, adeoque supra ipsum defuncti caput sacrificium conficeretur, reliqua vero pars in chorum spectabilis omnibus procurreret, uti ex historia translationis apparebit.

(126) Præmonstratensem ecclesiam intelligo, eamdem nempe ad quam transplantandum olivæ ramum monstrabat sanctus, et qua Magdeburgo aberat leucis fere ducentis ; sic ut mirum non sit, si nuntius mortis eo tarde advenerit. Sed quid significaverit rami transplantatio, non capio, quando nec corpus defuncti eo relatum fuit, neque fratres illuc Magdeburgo redierunt.

(127) Curia autem hic sumitur pro *curte* seu *prædio*. Et hoc verosimile est Præmonstrati accidisse.

(128) Hugonem ibidem abbatem intelligit Chrysost. vander Sterre ; et merito : cum infra dicatur sanctus, eum cui apparebat reliquisse « successorem, » in regimine scilicet monasterii.

(129) Ivit autem ad eum Hugo, quando obiit post annos 30 ; sequens porro de præcitio, et infra allegata notitia sancti, priusquam auctor dimitteret patriam et proprietatem, verosimilem faceret Præ-

quia iturus ad illum frater ille fuerat, sed alio impediente negotio, non pervenit (130).

118. Det omnipotens Deus, ut secundum promissionis intellectum ad ipsum veniat, et quem socium et successorem, participemque miseræ et pœnalis tribulationis sæculi hujus reliquit, consortem faciat eum gaudiis felicitatis æternæ et donis a Deo perceptæ benedictionis, per eum qui vivit in sæcula, misericordiam servat, et dat eam omnibus in bonis obedientibus sibi, et ambulantibus in viam salutis, et justitiæ et veritatis. Et quid amplius? Nunquid de salute tanti viri ab aliquo fidelium desperandum est, qui, ut præmissum est, et vixit, et post mortem, permissus a Deo, signa hæc suæ salutis ostendit? Sed dicet aliquis : « Audio quod scriptum est ; verumne sit hoc scriptum dubito, quia mihi incertum est. Crede, si vis, veritatem rei gestæ in Christi veritate scriptor adhibet. Quia aut vidit ea quæ de eo scripsit, aut audivit a veris relatoribus, qui viderunt ; et adhuc videbant quando præmissum opus per hoc scriptum memoriæ commendavit, præter quædam quæ ab ipso didicit, antequam exiret de terra et cognatione sua, et onus deponeret proprietatis. Vivant ergo succedentes, et quæ ab ipso et a præcedentibus ejusdem ordinis fratribus gesta sunt et narrata memoriæ studeant commendare, quia etsi quidam ea per omnia non recipiant, et omnibus ad integrum hæc placere non valeant, non poterunt obesse benevolis, etiamsi contigerit, malevolis et detractoribus non prodesse. »

ANALECTA NORBERTINA.

CAPUT PRIMUM.

Fratrum Cappenbergensium additamenta ad Vitam.

1. [Cap. I.] De communi Patre, nos quoque Cappenbergenses filii, nobis comperta desideranter adjicimus, ne in paterni meriti prosecutione, nos tanquam ingrati vestræ sanctitati deesse videamur. Est apud nos libellus, Vitam Deo digni Fundatoris nostri continens, in quo ita scriptum est : Illis (131) diebus apparuit, in Westphaliæ partibus eximium quoddam jubar Ecclesiæ, memorabilis ille Dei præco Norbertus, vir nimirum admirabilis gratiæ, prædulcis eloquentiæ, summæ continentiæ, informator ac propagator religionis canonicæ, servorum Christi aggregator, cœnobiorum non paucorum fundator, tam habitu quam voce strenuissimus, veræ pœnitentiæ prædicator, ac per omnia illius propheticæ jussionis exsecutor, qua dicitur : « Parate viam Domini, » rectas facite in solitudine semitas Dei nostri (*Luc.* III, 4). [Cap. II]. Sed et duo ejus magnalia, quæ in hoc gesta sunt loco, dignum non arbitror præterire silentio (132). Quodam tempore famem Westphaliæ adfuturam, et ipsos quoque fratres parumper castigaturam, in spiritu prædixit ; quæ juxta viri Dei præscientiam adeo gravis evenit, ut plerosque dira inediæ calamitas exstingueret. Accidit ergo die quadam fratribus ad refectionem ituris, cum hospitibus ac pauperibus erogarent quidquid sibi abstinendo subtraherent, ut panis deesset alimonia, ita ut etiam unde fieret, inveniri non posset. Cumque vir Dei sæpius intimasset quod scriptum est : « Non affliget Dominus fame animam justi » (*Psal.* X, 3) ; » ecce subito per fideles suos Dominus tantam panis abundantiam transmisit, quod fratres et sufficienter refecti sunt, et advenientibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex die illa nunquam defuerunt fratribus opportuna subsidia.

2. Cap. III.] Tempore (133) item alio, cum vir sanctus quemdam ex fratribus pro causa vellet monasterii destinare, inveniens eum valida prostratum febre, injunxit ei causam obedientiæ in virtute Christi, solo verbo usus imperii : « Vade, inquit, et revertere, jamque amplius noli febricitare. » Statim ergo frater, recuperatis viribus, perfecit quantocius quod a Patre sancto fuerat jussus. Ita viri Dei sermo et causam obtinuit, et morbum diutinum repente fugavit. [Cap. IV]. Item illic scriptum est (134). Pla-

monstratensium opinionem, quod auctor fuerit ipse Hugo, ideoque nomen suum et sociorum suppresserit ; si illud etiam fecisset num. 27, aut saltem sine encomio « conversationis sanctæ. » Quare satis sit teneri quoad eo dirigente et symbolum conferente, sit scripta hæc Vita, intra primos viginti aut triginta annos a morte sancti, cum usque ad annum 1164 dicatur Hugo supervixisse ; et infra dicatur corpus « in medio monasterii per aliquot annos » sepultum mansisse. Et tamen nulla, quod miramur, fit mentio miraculorum ad sepulcrum patratorum ante vel post translationem ; ita ut suspicari quis possit ob eorum defectum, Deo id occultis ex causis permittente non cogitatum de procuranda canonizatione fuisse ; contra quam accidit in causa S. Bernardi, annis 19 post S. Norbertum mortui, et propter miraculorum frequentiam intra annos 12 canonizati.

(130) Mirum fuerit, si defuncto nihil honoris detulerit Conradus imperator qui vivum sic dilexerat : sed hoc omisit adnotare auctor : nam, ut Chronologus Saxo testatur : « Festivitatem apostolorum Petri et Pauli celebravit in Magdeburg imperator, et Conradus ejusdem ecclesiæ canonicus, consentiente generali electione cleri et populi, archiepiscopus constituitur. »

(131) Hæc eisdem verbis continentur in priore Vita B. Godefridi Cappenbergensis ad XIII Januarii, num. 9.

(132) Hæc ibidem referuntur n. 14 et 15.

(133) Ibidem, n. 16.

(134) Ibidem, n. 11.

cuit itaque Spiritui sancto, qui in præcone veritatis habitabat, quique per illum loquens in agro Dominico fructus mirabiles operari dignatus est, placuit, inquam ei, ut in prædictis cœnobiis fratres commanentes, hoc est Cappenbergensi, Varlarensi, Elofstatensi, Regulam beati profiterentur Augustini, eo quidem tenore, uti Regulam eamdem aliquanto districtius, quam eatenus usitatum fuerat, observarent; esu scilicet adipis et carnium abstinendo, austeriori quoque habitu pœnitentiæ rigorem exhibendo. Nam et amicus Sponsi Joannes non exquisitis, imo naturalibus et silvestribus cibis pastus est, et ab ipso Salvatore coram turbis ad eremum confluentibus, de vestibus austeritate laudatus est. Et ecce hic ordo noster, divina prosequente clementia, longe lateque protenditur; et, ut vere confidimus, multo latius in futurum protendetur. Unde nec ambigere debemus quin sancto dictante Spiritu et inchoatus fuerit, et divinæ ordinationis nutu promulgatus. A Nunquid enim non vineam istam in brachio excelso ipse Dominus dux itineris transtulit de Ægypto? Item illic adjunctum est.

3. (135) Cap. V. Audivimus nihilominus eumdem orthodoxæ veritatis assertorem, in communi capitulo hæc quæ sequuntur prosequentem: « Scio, inquit, unum ex professionis nostræ fratribus, cui de regula nostra indaganti studiosius, non quidem suis meritis sed confratrum suorum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui et auream Regulam, a latere dextro prolatam, illi porrexit; seque ipsum luculento ei sermone intimavit, dicens: « Quem vides, Augustinus ego sum, Hipponensis episcopus: ecce habes Regulam, quam ego conscripsi; sub qua si bene militaverint confratres tui filii mei, securi Christo astabunt in extremi terrore judicii. » B Et quidem ista humiliter, tanquam de alio, prosecutus est; nos tamen ipsum fuisse cui hoc revelatum est, indubitanter advertimus (136).

(135) Ibidem, n. 13, « Audivi, » inquit auctor in singulari, quod factum anno 1121 arbitrantur.

(136) Huc etiam respexit auctor Vitæ B. Ludovici Arnesteniensis, sub annum 1185, 24 Septembris ad superos translati, eodem scriptæ sæculo; cum illius ad Præmonstratensis accessum narraturus: « Anno, inquit, 1119 beatæ memoriæ Norbertus... Præmonstratum venit; et habitum, quem, non ab homine neque per hominem accepit, apostolicis sanctionibus confirmatum, fratribus observandum tradidit, sicut in ejusdem professionis Ecclesiis uniformiter custoditur; in quo et ipse, in sede pontificatus sui irreprehensibiliter vivens, anno gratiæ 1137, certus de corona justitiæ, cursum vitæ suæ feliciter consummavit; et debito cum honore sepultus, in ecclesia B. Mariæ Magdeburgi requiescit. » O quanti refert integra veterum monumenta habere et consulere, suis, non alienis oculis! « Habitum » manifeste intelligit auctor, mentis, non corporis; regulam scilicet sed normam vitæ, a sancto Augustino in visione acceptam, Norbertoque pontificis decretis confirmatam, et in omnibus ejus monasteriis observatam. Herdegomius in Virgine Candida lib. I, cap. 7, § 3, ad colorem ac formam vestimenti dilabitur; indeque confecisse se putat, « quam vera et antiqua sit apparitionis illius historia, » Virginis scilicet, vestem candidam tradentis.

Pergo igitur optare quod supra, ut ejusmodi revelationis relatores inveniantur, quam fieri potest, antiquissimi. Interim agmen nobis ducet Gaspar Bruschius, tanto acceptabilior quanto minus domesticus, et toto dimidio sæculo senior Præmonstratensibus, quorum alibi memini, hujus ævi scriptoribus. Floruit enim anno 1550, poetica laurea et plurimis editis libris clarus; solum autem annos natus septemdecim, panxit Uspergensis monasterii laudem et historiam, qualem Monasteriologiæ suæ senior inseruit: et ibi inter alia scripsit, quod Deipara Præmonstratenses (quorum istud monasterium est)

Pura uti veste voluit et candore notata...

Atque:

Idcirco hanc olim a summo dimisit Olympo;
Dixit, et hoc animi pignus habete mei.

Hinc intelligere possumus, jam tum ea verba legi solita, quibus ad Norbertum dicitur usa Deipara.

Similia videtur etiam legisse is qui Breviario anni 1493 et 1512, hos versus præfixit apud Pagium, pag. 21.

Voce Norbertus rapitur superna;
Angeli vestem niveam ministrant;
Se viro tandem manifestat Alma
Religioso.

Hic autem Bruschio etiam antiquior poeta, clarius quam ille supponit, prægressam visionem angelicam, secutam Marianam; eoque nos monet, non eodem ab omnibus modo rem solitam narrari aut legi; et a cæteris longius etiam abiit Antonius Trumelius poeta Gallus, cujus hoc carmen legitur ante Breviarium Parisiis excusum 1574 et 1598.

Cum Pater ad superos animum Norbertus haberet
Et precibus peteret, quo se velaret amictu;
Angelus accelerat cœlo dimissus ab alto,
Induit et tunica, niveo candore micante.

Ex ista tamen varia ejusdem facti relatione, tribus C aut quatuor post sæculis primum scribi cœpit, apparet quam male de traditionibus mereantur, qui dum singulos ejusmodi scriptorum apices salvare nituntur, quoad omnes circumstantias, ipsam sæpe rei substantiam adducunt in periculum perplexæ hæsitationis apud eos, a quibus plus fidei postulant quam opus est.

Rem ergo tenere contenti, non disputemus utrum vestis, cœlitus Norberto exhibita, plus quam calore discrepaverit a communi tunc vestis canonicalis forma; quin potius censeamus, aut nihil aut parum discrepasse. Hoc enim nobis indicant ipsa statuta ordinis, quorum ex ms. Parcensi hic titulus invenitur apud Ferreolum Locrium, lib. III, Mariæ Augustæ, cap. 11: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti, et ad laudem et gloriam gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ, cujus sanctis auspiciis et præmonstratione noster ordo sub habitu candido sumpsisse creditur originem, ac beati D Patris Augustini, sub cujus regula idem ordo dignoscitur esse institutus, statuta et ordinationes ac moderationes feliciter incipiunt et sequuntur. » In præfatione vero redditur apud Herdegomium causa, cur « candidum, sed canonicum tamen habitum... vir sanctus, sanctissima Virgine exhibente assumpserit, suosque perpetuo ferre decreverit; ut scilicet ipsi suo habitu se canonicos sive prædicantes (ut ex sanctorum Patrum doctrina ipse interpretatur (num. 52)) scirent et exhiberent. Sicuti igitur nunc ex forma vestium, quibus utuntur clerici nostræ Societatis Jesu, novimus quæ fuerit ante sesquisæculum, in Italia atque Hispania, ubi illa cœpit, ratio modesti habitus clericorum atque presbyterorum honestorum, quorum usui Jesuitæ ex instituto aptabantur: sic ex habitu Præmonstratensium concipi debet ita habitus canonicalis, etiam sæcularibus usitati in Laudunensi diœcesi; licet habentibus jam quinque sæculis, magna ex parte sæcularium, nonnulla ex parte religiosorum,

4. [Cap. VI].Hucusque de libello nostri fundatoris insertum est; nunc, si placet, ea quæ nec in vestro nec in nostro sunt adnotata libello, prout veraciter comperimus, breviter et affectuose digeramus. Quæ apud Floreffiam gesta est. Cum enim illic memorabilis Pater divina forte celebraret, in quibus nimirum exsequendis se devotissimum exhibere consueverat; vidit repente, ante ipsam perceptionem, in patenæ medio non modicam stillam sanguinis Dominici rubentem; vocatoque fratre Rodulpho sacrista nostro, ejus tunc diacono: « Videsne, inquit, frater, quod video? » Video, ait, domine; » cœpitque pro tantæ rei magnitudine ubertim flere (137). Post cujus miraculi declarationem, ex eodem sumpta (ut credimus) occasione, nobis deinceps patenam abluere mandatum est; B cœpitque apud nos hujus observantia (138) consuetudinis, cum a nobis eatenus nesciretur.

5. [Cap. VII]. In Vita B. Servatii legimus (139) quod, defuncto eodem præsule sanctissimo, sericum quoddam, populo spectante multumque admirante, angelicis allatum manibus, super illius venerabile corpus positum est. Quapropter idem sericum in Trajectensi Ecclesia summa honoratur reverentia, præcipua quoque conservatur et observatur diligentia. Cum ergo vir Dei Trajectum devenisset, petiit hoc sibi sericum demonstrari. At illi cœperunt simul omnes excusare, præsertim cum vel ipsum scrinium, in quo repositum erat, introspicere nullus auderet. Sed quid multa? Novissime viri Dei obtinuit petitio. Cumque in ejus præsentia sacrum aperuissent repositorium, subito ecce sericum illud (mira C dicturus sum) mirabili et divino quodam impulsit subvectum evolavit; ipsam quoque basilicam aliquanto tempore circumvolans, tandem se ad summa tempori propinquare videbatur, continuit; et illic quasi quodam remigio alarum librabatur ex alto. Quo viso, alii stupendo exclamantibus, alii genibus sibi subtrahentibus cum luctu fere dentibus; vir Dei rem tantam considerans, miseratus est solemniter. Quo dum agerent, ecce sericum in recomplicans, super expansa extendens brachia leniter se dimisit; quod ipse venerabiliter suscipiens, loco suo restituit. In hoc igitur facto, et meritis gloriam in præsule Servatio et eamdem atque orationis virtutem in suo famulo Deum declarasse non dubito.

6. [Cap. VIII.] Apud locum qui Bonlandi (140) dicitur; ubi nostrorum quoque fratrum floret cœnobium, potens quidem alienorum invasor consistebat. Hic, inter cætera violentiæ suæ mala, quosdam vini redditus, qui proprie erant Parthenopolitanæ Ecclesiæ, et ad divina celebranda præcipue pertinebant, injusta usurpatione jam aliquandiu possederat. Illuc ergo cum forte devenisset archiepiscopus, ut mihi frater ejusdem loci testatus est, pro Ecclesia sibi commissa non siluit, sed coram toque raptore, quamvis multis pavendo, libere dixit: « Cur homo, hanc injuriam B. Mauritio (141) inferre præsumis, ut redditus annuos, ad divina celebranda institutos, temerari invasione possideas, in tuos usus expendas? Cumque ille inflatus responderet, dicens non hoc esse invasionem, sed legitimam hæreditatis suæ possessionem, vir Dei prophetico spiritu respondit: « Scias, frater, quod hoc imminenti anno ab hac deprædatione Dei repelleris judicio. » Dixit, et factum est; eodem quippe anno infelix ille ab inimicis suis occisus est.

7. [Cap. IX.] Alio quoque tempore, cum esset in

successerit alteratio, per quam nunc ingens apparet discrimen.

Neque scrupulum ingerat scapulare, quo neminem canonicorum vel sæcularium vel regularium uti videmur, præterquam Præmonstratenses; nam et hoc scribit Pagius in Biblioth. lib. I, cap. 3, quod « sicut aliqui Canonicorum antiqui (utique Laudunensium) sic Præmonstratenses canonici scapulare, pro habitu Deiparæ Virginis, religiose gestant et complectuntur. » Equidem non video quid Maria dici possit specialiter commune habere cum scapulari seu clericali seu monachali (quo patientiam et crucis Dominicæ portationem notari scimus) ut illud potius dicatur, quam alia pars religiosi vestitus, esse Marianæ D clientelæ tessera. Si tamen est aliquid (quod libenter suscipiam) gratulabor Præmonstratensibus, quod prærogativam eam jam inde ab anno 1119 possederint, qua Patres Carmelitæ primum gloriari cœperunt anno 1251. Sed redeo ad habitum Præmonstratensium; qui eo jubentur reminisci, se « canonicos sive prædicantes exhibere: » cujus expressionis virtutem potissimum contineri noto in scapulari, quatenus ipsum crucis figura est; neque ejus usum Laudunensibus sic fuisse proprium, ut non alibi quoque is inveniretur. Nam eos qui proprio titulo dicti fuere « Prædicatores, » uti a S. Dominico canonico Oxumensi instituti sæculo XIII sunt, ita verosimile est sui quoque vestitus, adeoque et scapularis formam similiter ab Oxumensibus in Hispania canonicis retinuisse; unde ad alios quoque plures facere conjecturam licet. Sane quam varius variis in regionibus est canonicorum regularium habitus, tam varius fuit etiam sæcularium inter quos regularitas illa principium diversis temporibus et auctoribus habuit. Ut autem vulgo notiores taceam in Belgio et alibi, inspice monastici Anglicani tom. II, et vide pag. 367 Hospitalarium S. Joannis Baptistæ, pag. 755 et 783 Gilbertinum Sempringamensem, canonicos Augustianos utrosque, habitu tamen inter se et ab aliis magis diversos, quam sint Præmonstratenses et Prædicatores. Quanquam etc. Vide App. p. 982, c. 2.

(137) Simile miraculum, ibidem patratum, narrat Polycarpus, annis 1204 et 1214 festo inventæ Crucis, cum ex hujus particula copiosus sanguis stillavit; qui lineis exceptus panniculis, hodiedum reverenter asservatur.

(138) Quærenti num etiam hodie in ritus obtineat, responsum est, exolevisse.

(139) Acta varia S. Servatii illustravimus 13 Maii, cum mentione hujus veli num. 24; merito dubii de veritate miraculi, propter auctoris levitatem; veremur certe ne id de angelo fictum sit, nec inde tamen minus veneratione dignum censemus: quia illud incorruptum in tumulum servatum fuisse, a quocunque positum, miraculosum est, cui vel solus sacrorum membrorum contactus sufficit, ad ipsum cum honore habendum.

(140) *Bonlant*, alias *Boulant*, neutrum hactenus reperi in tabulis Topographicis.

(141) S. Mauritio, Thebæorum duci, Magdeburgensis metropolitana dedicata fuit a Tagmone IV archiepiscopo, cum « Otto I imp. (uti Dresserus, licet hæreticus, scribit) summo frigore nudis pedibus reliquias ejus ex cœnobio Bergensi S. Benedicti in eam intulit, atque in summo altari reverenter deposuit. »

expeditione regis Lotharii, una cum ipso rege Vindelicum pervenit Augustam, ubi famosam seditionem, quæ inter populum ejusdem civitatis et regem aborta est, hoc ordine prædixit. Solebat hic ter beatus, ad orationem ecclesiam qualibet ingressurus, ad ipsa semper basilicæ limina curvatis dicere genibus : « Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.» Cum ergo præfatæ civitatis ecclesiam ingrediens, orationem complesset, vocato diacono suo, ex cujus hæc ore cognovimus, quid per Spiritum cognovisset, ei revelavit, dicens : « Ego, frater, huic loco pacem imprecatus sum, pacem optavi ; sed tamen pacis hic repulsam inveni. Pallium (142) ergo nostrum et cætera quæ sub manu tua sunt, diligentiæ tuæ commendo attentius, quia loco huic imminet confusio magnusque conflictus.» Ita factum est. Nam proximo die, multis a rege prostratis et vulneratis, temeritatis suæ cives pœnas dedere ; vixque tandem in regis gratiam, post multa dispendia, recepti sunt. [CAP X.] Alio item tempore, cum oblatus ei fuisset dæmoniacus, ut paucis absolvam, aquam sale mistam exorcizavit : et cum procedens eamdem spargere cœpisset, antequam perveniret ad hominem, spiritus malignus abscessit (143). Hæc sunt pauca de multis, quæ nobis comperta, non pium silere existimavimus, quia tam ex lege quam ex Evangelio, honorem Patris nostri non negligere commonemur. Ipse quoque, qui tantæ nobis perfectionis dereliquit exempla, pro nobis apud Christum, uti securi conti- A dimus intervenire non desinet, quatenus et hic tanti præcessoris imitemur vestigia ; et cum lucro meritorum, post hujus miseriæ terminum, æterna cum illo recipiamur in gloria. Amen (144).

8. Felix Norbertus, primus Pater ordinis hujus :
Gaudeo quod meritis ejus, Pater Hugo, faveтis.
Felix nimirum qui mundi culmina sprevit ;
Subjectusque jugo Christi, pia semina sevit ;
De quibus est ortus mirabilis undique fructus.
Fructus, quo multos claustralis regula salvat :
Fructus, qui cœli feliciter horrea stipat.
Spiritus insignis, divini numinis ignis
Hunc illustravit, doctrina clarificavit ;
Cœlitus inflammans, magnis doctoribus æquans.
Hic meritis clarus gerit indelebile nomen :
B Nam paupertatem veram constanter amavit ;
Dæmonis incursus fidei virtute fugavit.
Hic vas æterni verbi, pacisque minister,
Pacem firmavit, discordes conciliavit.
Hic sublimatus provectu pontificatus,
Vir fuit insignis, crux pravis, forma benignis,
Et sidus clarum circa res Ecclesiarum.
Felix qui gladios potuit securus adire,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa ;
Nec dubitare mori, Christi connexus amori.
Felix cujus erunt Domino veniente manipli,
Quos bonus assumet Judex ex ordine nostro.
Hoc apud examen nos gratia protegat. Amen.

Explicit Vita gloriosi Patris nostri Norberti.

9. Cum legerem in Vita sancti, num. 11, quod sacerdos ordinatus, « contulit se ad Sigebergense quoddam magnæ ac præclaræ famæ cœnobium,» ac C rursum num. 19, quod respiraturus aliquantum a persequentium insectationibus, initio prædicationis cœptæ, « conferebat se interdum ad Sigebergense quoddam monachorum cœnobium, quod tribus a Colonia leucis distat ; » mirabar quidem istud *quoddam*,

CAPUT II.

Ex libro III Hermanni monachi De miraculis S. Mariæ Laudunensis.

(*Vide Patrologiæ tom.* CLVI, *col.* 990.

CAPUT III.

De monasteriis a S. Norberto prope Sanctos et Magdeburgensi fundatis.

(142) An ergo pallium archiepiscopale (nam de vulgari aliquo cogitare non sinit præcipientis sollicitudo) secum etiam per Germaniam solebat deferre sanctus? Ita credere malim, quam quod opinatur Polycarpus, id factum cum Romæ coronandum Lotharium est comitatus Norbertus, quasi in isto solemni actu eo ibi usurus ; quod nescio an coram summo pontifice alicui etiam archiepiscopo liceat.

(143) His addere placet quod Mauritius du Pré, in Annalibus brevibus ordinis Præmonstratensis, agens ad annum 1134 de obitu S. Norberti, appellat eum « trium mortuorum suscitatorem eximium » Petrus de Waghenare conatur id probare « peristomatis Nancejanis, in quibus depictus cernitur totidem mortuos articulatim excitans. » Addit « auctoritatem Richardi Itali, summi pontificis protonotarii, in sua evangelicorum Patrum synopsi, » hactenus nobis ignota. Nec nullum argumentum est illud quod sumi potest ex acerrimo SS. Bernardi atque Norberti hoste Abailardo hæretico, dum utrumque calumniatur « de simulatione, » qua « miraculorum gratia videri mirabiles appetebant, et summa illa de resuscitandis quoque mortuis inaniter tentata » fuisse ab eis blasphemat : « quod quidem, » inquit, « nuper præsumpsisse Norbertum, et coapostolum ejus Fursitum, mirati fuimus et risimus. » Parum movemur risu isto, dolemusque auctorem, « propter, » ipsius ipsique similium « obstinatam, avertendam, impudentiam, multa prætermittere » coactum, « ea duntaxat breviter attigisse, quæ omnibus nota essent, neque ipsi ulla improbitate auderent diffiteri. » D Sed quis iste Abailardo dictus Fursitus, S. Norberti coapostolus ? Ego convicium suscipare potius esse quam nomen ; si ejus commodo aliqua notio occurreret, nunc feliciori conjectatori explicationem committo, dum inter discipulos S. Norberti nemo est cujus nomen eo accedat.

(144) Sequentes versus, uti reperi editos post Appendicem, sic et relinquo, cum potuerint Cappenbergæ fuisse compositi, post lectam ibi Vitam : Si quis tamen ab hujus auctore ascriptos malit opinari, non repugnabo.

tanquam supervacaneum, nec tamen aliud quam ipsum Sigebergense cœnobium cogitabam, leucis quidem horariis quatuor, sed Germanicis milliaribus duntaxat tribus Colonia distans. Ast vero postquam incidit in diploma Arnoldi archiepiscopi Coloniensis, eo nomine primi, anno ultimo sui pontificatus, Christi 1144, datum « in monte Vurstenberg, » intellexi cœnobium ibidem constructum fuisse, quod esset sub potestate abbatis Sigebergensis, qui fundationem acceptarat, monachosque a suis lectos ibidem collocaverat; itaque comprehendi, quam minime otiosum eo loco sit τὸ *quoddam*, et plura fortassis alia sic fuisse eidem quasi archimonasterio subjecta, quæ singula poterant « Sigebergensia quædam » dici, id est Sigebergensis ordinis seu juridictionis: quale etiam fuerit alterum num. 19 indicatum absque proprio nomine, requirendumque non ultra Coloniam, ut Sigebergense, sed circa illam; adeoque septem leucis vel saltem quatuor propius Sanctis, quam istud, leucis omnino viginti dissitum: cum alio sensu possit intelligi aliquod, Colonia quidem tribus, tredecim autem vel sexdecim leucis remotum Sanctis (etsi nunc tale nullum inveniatur, destructum verosimiliter); quibus proxime adjacet illud, de quo præcitatum diploma ait, in monte, solum duobus passuum millibus distante, ac *Vurstenberg* dicto; idemque Colonia venienti (uti n. 11 veniebat Norbertus) et Sanctos tendenti prætereundum. Cum autem in ejus recenti fundatione bonam partem haberet S. Norbertus, facile cognoscitur cur illuc accesserit de via, præparaturus sese per dies aliquot ad sacerdotii sui primitias, Deo rite offerendas. Ipsius ergo diplomatis ecgraphum, Bollando nostro missum a Clivensi quodam Domino Justo Dudink, hic censui proponendum; ut appareat quam serio sanctus, statim a sua conversione, applicuerit animum pro movendo Dei cultui, parte haud minima facultatum suarum illuc collata; quodque pii operis socium habuerit Heribertum fratrem, aliunde ignotum nobis: ex quo verosimiliter multa posteritas fluxit, participatura sacrificiis piacularibus, in sancti anniversario aut postridie dicendis, prout hodiedum usus obtinet, in solatium defunctorum ex ea familia. Eodem verosimiliter spectant etiam Heribertus et Erebertus de Genepe, fratres S. Norberti, forsitan patrueles, hic similiter nominati inter prædicti monasterii benefactores. Tenor diplomatis talis est.

10. « In nomine sanctæ, et individuæ Trinitatis. Arnoldus, non merito, sed ex vocante gratia Dei, dictus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, omnibus qui communem nobiscum sortiti sunt fidem vobis volumus qualiter monasterium B. Mariæ in monte Vurstenberg juxta Sanctum, vel inchoatum sit, vel qualiter illud nos, et apud Deum, et apud homines, per omnia provehi cupientes, cunctorum, quæ hactenus ibidem rationabiliter oblata sunt, generalem fieri conscriptionem decrevimus, ad provocandam scilicet devotionem bonorum, et ad pravorum postmodum versutiam reprimendam. Age igitur, nostram erga locum illum benignitatem ostendamus, et paginam hanc, diversis fidelium donariis refertam, quasi coronulam variis intextam floribus, Domino Jesu Christo sanctæque Virgini Matri ejus fideliter offeramus. Ministerialis quidem S. Petri (145), nomine Henricus de Alpheim, cum esset vir spectatæ probitatis, consilio et auxilio Norberti, Sanctensis tunc canonici, postea Magdeburgensis episcopi, a D. Friderico Coloniensi archiepiscopo obnixis precibus impetravit, ut, æternæ remunerationis obtentu, beneficium, quod sibi in prædicto monte Vurstenberg paterna, imo avita transmissione provenerat, monasterio Sigenbergensi legitima donatione contraderet; hac scilicet ratione, quatenus aliquantos ejusdem cœnobii fratres evocaret, qui in fundo ipsius beneficii monasticum ordinem inchoarent. Archiepiscopus, ut erat ad talia promptus ac facilis, legatum coram idoneis testibus feudum Sigenbergensi Ecclesiæ confirmavit. Adducti sunt fratres: paulatimque cœpit ibi pollere divina religio, fixeque decretum est, locum illum perpetuo Sigebergensi subjacere cœnobio. Idem quoque Henricus allodium, quod habitabat in villa (146) Geist obtulit Deo, et S. Mariæ, mansum unum, annos persolventem solidos VII, exceptis duobus nummis; VIII maldria (147) mistim, hoc est dimidium hordei et dimidium avenæ; duos porcos valentes IV solidos et sex denarios obtulit, et aream domus jacentem Sanctis, cujus pensio XII nummorum est.

11. « Hujus viri exemplum secuti prædictus Norbertus, et frater ejus Heribertus, obtulerunt curtim Egre, cum omni utilitate sua: utque firmior esset concessio, et Deo gratior oblatio, curtilos aliunde donatos æquanimiter eodem fecerunt: cujus curtis annui redditus sunt VI maldaria tritici, III siliginis, XII hordei, VIII avenæ, unum legumenis, quæ simul fiunt XXX maldaria; pro tractu Rheni solidi XI, et rombus, si quis in eo tractu capitur, dimidius. Obtulerunt et agellum in Wedreke, quod solvit maldaria II siliginis, unam et dimidiam hordei talium ibidem

(145) Id est ecclesiæ cathedralis Coloniensis, quam Gelenius lib. III Syntagm. I, §. 4, a Williberto archiepisc. ædificatam ait anno 873, cujusque primarum chorum S. Petro dicatum; stetisse autem usque ad annum circiter 1248, quando exusta fuit, et nova hæc ædificari cœpta, cujus choro coronis imposita fuit anno 1320.

(146) Geist Castellum, inter monasterium Westphaliæ et Paderbornam urbes, via fere media situm est, uti ipse vidi; habetque nunc ibi societas nostra domum tertiæ probationis, ex legato ultimi possessoris; vix tamen credo, locum hic illum intelligi, utpote remotiorem ab oppido Sanctis: sed alium: quem tamen nuspiam notatum reperio; sicut nec alia plurima successive nominanda loca, quare iis requirendis non immorabor; sed Westphalicarum et Coloniensium rerum curiosis examen dimittam.

(147) Maldarium, alias *Maldrum*, quantum simul ferri ad molam solet, a Teutonico *malen*, molere, unde et molitor, *malder* dicitur.

agellum solventem III maldaria (148) brasii, IV solidos præter duos denarios. Item alium in Meitreke, qui reddit XVIII denarios. Cuno primus Sigenbergensium abbas, ad omne opus bonum semper paratus, accepit a Rudolfo de Bart, per concambium, curtem unam in Birtine, et tradidit eam B. Mariæ, cum consensu totius sui conventus, cum omnibus ad eam pertinentibus, silvis et campis, agris et pratis, cultis et incultis. Est autem jus curtis illius in omni silva, quæ ad curtim Comitis in eadem villa pertinet, dum post pastionem glandium porci taxantur, quod (149) crannam vocant, officialis fratrum decimam omnium porcorum, vel denarios pro porcis accipiat; et in ditione utriuslibet curtis, si quod piaculum vindicandum fuerit, ut sunt furta, sanguinis effusio, et his similia, quidquid inde commodi pervenerit, officiales utique comitis et fratres æqualiter inter se divident.

12. Curtem apud Walheim obtulerunt Alwardus et Wolthildis, venientes ad commissionem cum filiis suis: et in Erpete VIII jugera cultilis terræ, IV jugera vineti, et fundum domus apud Pielcheim terram, persolventem IV solidos Susatiensis (150) monetæ, et XV mancipia, quorum mares IX denarios, feminæ IV solvent. Agena abbatissa de (151) Frethena, et Stephanus frater ejus, dederunt allodium apud Merebeim, quod solvit marcam unam gravis monetæ, tr. s statuas (152) cum x..... Reinbertus de Wiscele et Theodorus filius ejus, dederunt apud Velwig mansos II et dimidium, cum omni utilitate; VIII homines censuales [ad censum] ceræ: apud Nereibich domum et fundum, solventem XII denarios (153) Davendrenses. Apud Birte Bertrudis dedit mansum, qui pendet IV solidos et dimidium Dusbergensis (154) monetæ. Apud Lengele terram, solventem III solidos Davendrenses: in Diedeheim XXX nummas ejusdem monetæ. Hubertus de Oie dedit apud Magellheim medium pondo. Razo de Birte apud Hungese, III solidos Davendrenses, De eadem villa Rutgerus, apud Ore, V mancipia ad censum ceræ. Volmarus presbyter de (155) Rese, apud Wetzevelt, IV maldaria siliginis et unum fabæ. Apud Boemelwig, Bernardus de Wisse, maldaria III siliginis, et totidem maldaria brasii ordeacii. Vietpoldus de Recken, apud Pellheim, dedit mansum unum, solventem solidos III Durtmundensis monetæ. Viedekint de Dusburg allodium apud Hile, pendens X denarios. Trimintrudis ancilla Dei comparavit apud Riencheim terram reddentem mediam marcam.

13. « Apud Butreche pro Vertlero oblatum est allodium, unde solvuntur IV solidi. Ibidem dedit Fridericus de Butburge terrulam, quæ solvit XIV denarios Daventrensis monetæ; pondo, et III solidos (156) Durtmundenses. Ibidem comparaverunt ipsi fratres allodium quod præstat IV solidos Coloniensis monetæ, Gertrudis de Nervenich dedit pro anima comitis Adalberti possessionem, quæ solvit III solidos et dimidium Durtmundenses, et unum mancipium. Apud Viscele, Bertrud de Hogeslotrehiem, obtulit allodium, unde solvi debent IV solidi et VI denarii Coloniensis monetæ ad lumen ecclesiæ. Item mulier quædam obtulit bona, de quibus XVIII denarii post mortem ejus incipient solvi. Megfridus quidam, commissionis suæ tempore, apud Kierbruch IV mancipia, cum allodio, quod solvit XXVII solidos Coloniensis monetæ et III statuas, hoc est tria noctis hospitia: excepta susceptione, qua suscipiendus est ille qui inde censum defert; quæ erit cœna, et requies noctis et prandii in mane. Apud Kasle, Hugo quidam, pro filia sua, XXV nummos Dusburgensis monetæ. In Hulse emerunt fratres allodium, cujus utilitas XII denarii annui.

14. « Bertolfus, comes de Stroemburg (157), obtulit legaliter monasterio Sigenbergensi mansos V, quos prædictus Cuno, ejus loci abbas, consensu totius Ecclesiæ illius, contulit in usus fratrum sanctis in monte Deo servientium. Hi mansi persolvunt solidos XV Davendrensis monetæ, porcos X, oves V; nullusque allodii hujus erit advocatus, nisi tantum Coloniensis archiepiscopus; ipsique mansionile codem modo potentur, quo cæteri eo loci sancti Petri homines in pratis et campis, silvis et aquis. Arnoldus quidam de Kempene feudum, quod habuerat ab Almaro Coloniæ advocato, reddidit: quod D. Fridericus archiepiscopus, ipso Arnoldo petente, dedit B. Mariæ, ob recordationem anniversarii sui. Hoc beneficium in Kempene primitus quidem III solvit: sed postmodum, invocato consilio, pro solidis datæ sunt duæ feminæ; quarum posteritas dabit quod

(148) Brasium, frumentum aqua maceratum, quousque incipiat germinare, ac deinde siccatum, ex quo denique commolito cerevisia coquitur.

(149) Cranna quid fuerit, necdum potui discere; licet plures in Clivia fecerim interrogari.

(150) Susatum, vulgo *Soust*, in finibus Marchiæ, post monasterium Westphaliæ opulentissimum habitum, etiam nunc.

(151) Frethena, vulgo *Vreden*, de quo vide dicta ad Vitam, num. 6.

(152) Statuta, idem quod virga frumentaria: nam in speculo Saxonico apud Cangium, ubi in textu legitur: Duodecim vero virgarum cumulus tritici, » notatur in margine: « Acervus tritici duodecim habens statuas... et quælibet statua clavos continet duodecim...in altitudine unius hominis staturæ usque ad humeros. » Unde apparet etymon. Infra tamen num. 146 tres statuæ exponuntur, *tria noctis hospitia*.

(153) Daventra sive Daventria, vulgo *Deventer*, oppidum Transisalaniæ diœcesis Ultrajectinæ, unum ex tribus primariis, cum Swolla et Campis.

(154) Dusberg, credo esse *Duysberg* in Clivia ad Ruram, vel *Dousborg* ad Isaiam in Zutphania.

(155) Resa munitissimum oppidum Cliviæ, ad dexteram Rheni ripam, distat Sanctis leucis 3.

(156) Durtmund, amplum oppidum diœcesis Coloniensis, inter Ruram et Lippam fluvios: cujus aliorumque jam dictorum antiqua potentia, ex jure propriæ monetæ cudendæ intelligitur.

(157) Stromburg, cum titulo burchgraviatus hodie spectat ad episcopatum Monasteriensem, inter Lippam et Amisium; ubi creditur Q. Varus legiones amisisse.

justum est. Apud Keilar Fridericus medium mansum, solventem III solidos Davendrenses, et II maldarios avenæ. Ante Clive, Renizo de Strale V jugera, quorum census II solidi Davendrensis monetæ. Agellum dedit Imo, pro filia sua, trium sextariorum hordei. Gerbergus de Selcheim mansum I apud Alfene. Azela de Bumele VI jugera. Ibidem Gela de Kalbere trutam in II onumento duorum maldrorum hordei. Heribertus (158) de Genepe, pro fratre suo Erberto occiso, mansum unum Brakele, quod solvit VII solidos Davendrenses. Apud Rimagen, Manegaldus Xantensis canonicus, et supra nominata Bertud, comparaverunt V jugera vinearum, quarum medietas præfato vivente Clerico, reliqua pars eo defuncto fratrum in monte erit.

15. « Dominus Hildolfus (159) archiepiscopus, dedicans oratorium S. Martini in ipso monte, dedit possessiones domorum IX in sanctis, quarum aliæ plus, aliæ minus solventes, summam conferunt V solidorum, ad lumen ipsius capellæ. In monte Arnoldus comes jugerum I, Adelheidis sanctimonialis III jugera dedit. In campo Megencete jugera sunt VII, ad montem pertinentia; quorum I Volmarus et uxor ejus, Wilhelmus II, Videricus de Eile I, Rudolfus de Margencete I, Amizia de Budwechc, Rudolfus de Lo, Bezela de Megeneete II. Apud Wentervelde, Henricus monachum professus, jugerum I. in Ebbecheren, Grunzelinus de Bevenburch, possessiunculam XII nummorum. Gebehardus, presbyter de Brutine, sub montem, medium jugeris. Amelune I, Snedo II, jugera in monte. In saltu qui Hiese dicitur, æquale jus habebunt per omnia, prope homines utriusque curtis in Britine. Cuno, Clericus in Wissele, in Rimagen emit jugerum vineæ, deditque B. Mariæ. Heribertus de Britinc, allodium quod possederat in monte ad V jugera terræ; et tradidit e sensu suorum In Lappesdal jugerum unum, a quodam Ingelgero, Hierosolymam profecturo, susceptum in dextro montis latere. Rurgerus et Hermannus, frater ejus, dederunt agrum, ut putatur, ad quantitatem jugeris I. Gerhardus de Lattingen, II jugera sanctis.

16. « Hæc, et si qua sunt alia, diversis temporibus, diversis in locis, a diversis utriusque sexus personis, Domino Jesu Christo, sanctæque Genitrici ejus perpetuæ virgini Mariæ in memoriam omnium fidelium vivorum et mortuorum legaliter in sæpe dicto monte oblata et legitime suscepta sunt, episcopali nostra auctoritate roboravimus; æternum Dei judicium, et judiciariam sententiam imprecantes in omnem ... hominis, quicunque horum quippiam quocunque modo vel ingenio defraudaverit, vel defraudari consenserit; quandiu vivit, expers sit omnium orationum, quæ in ipso monte, seu per totam Sanctam Ecclesiam; et moriens, partem accipiat cum iis, quorum vermis non moritur, et ignis non extinguitur; quia peccatum eorum a facie Dei nunquam delebitur, nisi resipuerit, et digne Deo satisfecerit. Acta in monte Vurstenberg, anno Dominicæ Incarnationis 1144, indictione VII, anno primo domini apostolici (160) Lucii, regnante Romanorum imperatore, Occidentis, Conrado III anno VII; Orientis, sub Emmanuele Comneno II (161). »

17. His laudatissimis initiis, ut media taceam, quam conformia etiam extrema fuerunt, quoad monasteriorum erectionem, docebit ipsiusmet Norberti diploma, a Strahoviensi abbate Vito nobis missum, sub hoc titulo: *Quomodo Norbertus ecclesiam B. Virginis a sæcularibus ad fratres sui ordinis reduxit. Item de paupertate loci, et quomodo fratribus a novo providit.* Tenor diplomatis hic est: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Norbertus, Dei gratia Magdeburgensis Ecclesiæ archiepiscopus. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod ego statum Magdeburgensis Ecclesiæ attendens, et eam sublimare in religione cupiens, et imminuta redintegrare, et minus correcta reformare, vel in melius mutare studens; in ipsa civitate reperi ecclesiam B. Mariæ Genitrici Dei perpetuæ virgini dedicatam, internis et externis adeo attenuatam, ut et sarta tecta ipsius ecclesiæ omnino fere essent annihilata, et duodecim clericis in ea Deo deservire constitutis non sufficerent alimenta. Ex iis enim quæ ad illam pertinebant ecclesiam plurima erant militibus etiam in beneficio distributa; quædam per negligentiam jacebant inculta: quædam in aliorum usus usurpata, ita ut ecclesia fere irrecuperabiliter esset destituta.

18. Nos itaque paupertati eorum et frequenti eorum quærimoniæ condolentes, et ecclesiam magis crescere, quam decrescere cupientes, monendo, exhortando, suadendo, hoc ab eis obtinuimus; ut de illa exeuntes ecclesia religiosis viris, communi vita sub regula B. Augustini degentibus cederent, et se provisioni nostræ sine omni condictione crederent. Ut autem ipsi in claustrali, sicut prius, disciplina sub decano viverent, ecclesiis aliis in civitate eos attitulavimus. Quosdam in ecclesia Beati Nicolai collocavimus; quosdam de bonis ipsius ec-

(158) Si constaret huuc eumdem esse qui supra, S. Norberti fratrem jam hic habemus alterum fratrem Erebertum: uterque fortassis ex eadem qua ille familia commune habuerint cognomentum de Geneppe.

(159) Hildolfus, nullus post Fridericum invenitur apud Celenium et Sammarthanos: quos hinc corrigas, et præter Hildolfum S. Annonis successorem, an. 1079 defunctum, intelligas Hugoni in Italia mortuo, ad annum 1138, successisse Hildolfum II, et aliquanto tempore sedem istam tenuisse ante Arnoldum, quem ipsi faciunt immediatum Hugonis successorem.

(160) Mabilio reperit in Necrologio aliquo hunc Lucium papam obiisse eodem anno die 25 Augusti; ego vero demonstrasse me puto in Paralipomenis ad chronologiam pontificiam, non ante 13 Februarii sequentis defunctum esse, quod etiam hinc probatur.

(161) Chrysostomus vander Sterre in Vita vulgari S. Norberti scripsit hoc monasterium sanctimonialibus postea fuisse traditum, quæ temporum iniquitate coacta, demum in Sanctense oppidum migraverunt, uti jam supra dixi.

clesiæ sustentavimus : fratres vero nostros in ecclesia substitutos, pristinis ecclesiæ possessionibus et justitiis donavimus : et pro ampliori pace et quiete eos ad neminem, nisi ad nos et successores nostros, respectum habere statuimus. Ut igitur hæc in perpetuum inconvulsa permaneant, banno beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostro confirmamus. Conservantibus pax et remissio peccatorum. Si vero aliqua conditionis alicujus persona, studii nostri laborem præsumpserit cassare, vel temerario ausu A pauperes Christi disturbare, vel aliqua occasione voluerit eliminare, sit anathema maranatha usque in diem Domini. Ego Elinderus subscribo. Ego Uwernus subscribo. Ego Wernerus subscribo. Ego Sidagus subscribo. Ego Anselmus subscribo. Ego Theodericus subscribo. Ego Sigebodo subscribo. Ego Godescalcus subscribo. Actum est ab Incarnatione Domini anno 1129, indictione VII, IX Kalendas Novembris, in suburbio civitatis Magdeburg, in abbatia beati Joannis Baptistæ. »

SANCTI NORBERTI
MAGDEBURGENSIS ARCHIEPISCOPI
SERMONES DUO AD POPULUM.

SERMO I.

(HUGO, *Vie de Saint Norbert*, Luxembourg, 1704, 4°, notes, p. 354.)

Dolens a vobis discesseram, fratres, sed propitia Dei clementia, jam lætus et quasi tripudiens revertor ad vos. Inimicus homo, inveteratus ille odii et rixarum seminator diabolus, diro nos a vobis schismate avulserat, ut qui imperium a scissuris incœperat stabilire propagaret dissidiis, pastoremque a grege dividens oves sine certo duce, ad vocem mercenarii vagantes, in barathrum detraheret. Hæc fuit invidentis inimici antiqua fraus ; hæc fuit et mali præsentis origo, per quod concordiam scidit, non minus felicitati publicæ, quam saluti ovium et pastoris officio necessariam. Tempestate pene obruti, fluctus quos sedare non licuit precibus, fuga declinare oportuit. Verum Deo gratias, Christus qui fremente procella dormitare visus est, ad clamores tandem periclitantis evigilans imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Pacem quam diabolus eripuerat, restituit nobis Deus pacis. Illam, quæso, fratres, ardenter amate, indesinenter quærite, prudenter custodite. In vinculo charitatis corda nostra cohæreant, et sicut de primis Christianæ fidei cultoribus scriptum est, *erat cor unum et anima una*, ita in posterum, in unitate spiritus ambulemus omnes. Nolite timere, filioli, quos iterum parturio, ne mala quibus pastorem exagitastis, pastorem contra vos exasperent. Etsi enim, non mihi, sed sacerdotio vim B feceritis, spero tamen de misericordia ejus qui propitiatur iniquitatibus nostris, lacrymarum vestrarum abundantia deletum esse crimen quod patrastis. Rogemus ergo nunc Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis, ut pacem quam dedit immeritis, merentibus denuo conservet ; satagamus ut per bona opera redimemus mala, et certam faciamus vocationem nostram, quatenus uno ore honorificetur Deus, nunc et semper. Amen.

SERMO II.

De concordia servanda.

(LE PAIGE, *Bibliotheca Præmonstrat.* Parisiis, 1633, fol. p. 370.)

Viri fratres, Dominus noster Jesus Christus cum C discipulos suos ad prædicandum mitteret, inter alia hoc mandatum illis præscripsit, ut in quamcumque domum intrarent, primo dicerent : Pax huic domui, et si ibi esset filius pacis, requiesceret super eum pax eorum. Nos autem non nostris meritis, sed sola Dei superabundanti gratia, imitatores eorum effecti, eamdem pacem vobis denuntiamus, quæ mente incredula contemnenda non est ; nam ad pacem æternam pertingere facit. Vobis igitur incognitum non est, ad quid convenimus : non est nostrum, neque ex nostro utpote qui peregrinus sum, et advena pertransiens, sed potestatis et voluntatis Dei est perficere ; nostrum autem est ipsius voluntati ex integro et devoto affectu acquiescere.

S. NORBERTI CHARTÆ.

I.

Pro ecclesia Sanctæ Mariæ Magdeburgensi.

(Anno 1129.)

[Exstat supra in Analectis Norbertinis, cap. 3, num. 32, 33.]

II.

Hospitalem domum quamdam fratribus Præmonstra- D *tensibus in ecclesia B. Mariæ Magdeburgensi constitutis tradit.*

(HUGO, *Vie de S. Nobert*, p. 362, notes.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, nos NORBERTUS, Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Magdeburgensis archiepiscopus.

Cum plurima antecessoris nostri piæ memoriæ

Adalberti munifica largitate, quædam domus hospitalis juxta ecclesiam beatæ et gloriosissimæ Mariæ constructa fuisset, ipsam, quod non sperabamus, pene annihilatam invenimus, ita quod hi qui in ea stipendium quotidianum accepturi erant, indecenter et miserabiliter mendicarent, quorum necessitati et miseriæ compatiens, consilio et consensu majorum nostrorum, eamdem domum hospitalem fratribus nostris in ecclesia beatæ et perpetuæ virginis Mariæ constitutis cum omnibus eidem hospitali attinentibus, regendam et disponendam jure perpetuo tradidimus.

Actum in suburbio civitatis Magdeburgensis, anno Dominicæ Incarnationis 1130.

Hujus rei testes sunt Lindolphus Brandeburgensis episcopus, Gombertus episcopus Havelbergensis, Hartuicus episcopus Misnensis.

III.

Charta S. Norberti in favorem hospitalitatis pauperum.

(Hugo, *ibid.* p. 250.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen.

Decimæ Deo ad hospitale de omni possessione et oblatione fratrum, usibus pauperum dentur. Sic tamen si summa argenti decem solidos valuerit vel usque ad decem solidos oblata fuerit, ex his decem et octo pauperes per singulos annos vestiantur, octo per hiemem, et decem per æstatem. Per hiemem scilicet in festo Omnium Sanctorum, unus ; in Nativitate Domini, unus ; in Circumcisione Domini unus, similiter in Epiphania Domini, in Purificatione sanctæ Mariæ, in Annuntiatione sanctæ Mariæ, in sepultura Domini, in Resurrectione Domini vestibus novis, scilicet camisia, braccis, caligis, soccis, subtularibus, tunica, cappa cum mantello aut pellibus vestiatur. Per æstatem vero in Ascensione Domini, per septem dies Pentecostes, in passione apostolorum Petri et Pauli, in Assumptione sanctæ Mariæ, nova chlamyde sive cappa, camisia, braccis, soccis, subtularibus, in singulis festis unus induatur.

Ex die autem quo pauper vestem accepit usque ad diem octavum, si remanere vult, refectio corporis ibidem ei exhibeatur. Cætera in usus pauperum advenientium vel transeuntium impendantur. In cœna autem Domini unusquisque sacerdotum vel levitarum, post lotionem pedum mendicorum, consilio præpositi, unum de propriis vestibus sive cappam, sive pelles seu tunicam, seu caligas ipsi charitative imdendant, qui post acceptam charitatem nequaquam, ut superius, per dies septem remaneant, sed post refectionem abeant.

BARTHOLOMÆI

LAUDUNENSIS EPISCOPI

DONATIONES PIÆ S. NORBERTO ET PRÆMONSTRATENSIBUS FACTÆ.

(Hugo, *Sacri et canonici ordinis Præmonstratensis Annales*, Nanceii, 1734, fol.)

I

Charta donationis Præmonstrati per Bartholomæum episcopum Laudunensem.

(Anno 1121.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Notum fieri volumus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Bartholomæus Laudunensis episcopus, viro reverendo et spectabilis religionis temporibus nostris Norberto et successoribus ejus in sancto proposito viventibus, dederim locum, qui nostri juris erat, totum liberum ab omni exactione cujuslibet personæ absolutum, apud Huberti-pontem (*Huberpont*), a loco qui dicitur Halieprest (*Près-Prieur*), usque ad vallem Rohardi (*vallée Rohard*), cum tribus adjacentibus vallibus, totum in allodium, a rivo versus Vois, sicut valles dividunt et perportant ad ecclesiam in honorem Dei et sanctæ Dei genitricis construendam, et sicut totum possidemus in allodium, ita in omnimodis libere possidendum eis concedimus. Pascua vero seu prata, a Ponte-Huberti, usque ad Mormandi vicinum ; et citra et ultra rivum, animalibus eorum communia erunt omni tempore. Ultra rivum autem ex parte ecclesiæ in defensione erunt ad opus eorumdem fratrum usque ad collectionem feni et frugum. Deinde vero communia erunt tantum ut nullus importunus sit religioni eorum super ulla occasione. Conceditur tamen rusticis qui sunt in vicinia, colligere de silva quæ est in jugis montium, colligere materiam ad opus capitis seu stipitis aratri, sive axis. In omni igitur labore eorumdem fratrum facto in iisdem locis, nullus exigat ab eis nec decimam, nec terragium, nec molestiam quælibet persona inferat quieti ipsorum, et omnimodis ab omni parochia absolutos, omnesque eis subjectos eremitas permanere censemus. Volumus etiam notum fieri, quod ecclesia Præmonstrata et locus, eisdem a prædecessore nostro Helenando data et confirmāta fuit ecclesiæ Sancti Vincentii, sicut etiam in privilegio continetur; modo vero, quia in solitudinem penitus universa erant redacta, abbas Scifridus, et conventus ejusdem ecclesiæ Sancti Vincentii, utile duxerunt esse

consilium in nostram manum reddere, et ad nostram dispositionem pendere, quod et factum est. Unde nihil melius esse considerantes in hoc negotio, eamdem ecclesiam, cum omnibus quæ monachi prædicti ibidem possidebant, eidem Norberto venerabili viro, et successoribus ejus in sancto proposito viventibus, similiter ab omni exactione libere condonavimus, perpetuo possidenda : ita ut nullos conventus laicorum secum adhibeant, nisi tantum personas quæ sub eodem præposito vivant. Et ut liberius ista possideant, ad molendinum nostrum, quod dicitur Burdellum (*Bordet*), censum frumenti sex galetarum constituimus prædictis per singulos annos. Fratres vero de Præmonstrata ecclesia, nihil a modo super hoc respondebunt eis, et canonicis de Sancto Joanne Laudunensi ad quos decima Præmonstratæ ecclesiæ pertinebat ad idem molendinum duas galetas frumenti divisimus, et fratres Præmonstratæ ecclesiæ in nullo quæ ad decimam parochiæ eorum pertinent a modo respondebunt eis. Totum etiam sicut valles perportant circumjacentes Præmonstrato loco, et proclivia montium ex omni parte eisdem fratribus religiose viventibus perpetuo possidenda libere sicut allodium ratum esse censemus, et nulla circumjacentium parochiarum, vel in decimis, vel in aliqua inquietudine molestiam ingerat eorum religioni. Factum est autem hoc assensu et voluntate Thomæ, de cujus feodo duæ partes decimæ descendebant, quas ipse, et illi qui ab eo tenebant, in nostras manus ad opus prædictorum fratrum reddiderunt; quidquid etiam juris vel consuetudinis ipse Thomas et sub eo forestarii ejus, scilicet Girelmus de Valsalione (*Vausaillon*), et Radulphus de Quinciaco (*Quincy*), et Radulphus major de Cocciaco-villa (*Coucy-la-Ville*) habebant, totum ad opus prædictorum fratrum liberum et quietum donaverunt. Ipse etiam Thomas apud locum *Rosiers* carrucatam terræ prædictis fratribus dedit, viam etiam qua vicini accolæ per mediam vallem Præmonstratæ ecclesiæ ire consueverant, omnibus volentibus, obstrui fecimus.

Robertus etiam de Anlerio allodium quod in contigua silva habebat, in nostra manu ad opus prædictorum fratrum reddidit. Præterea nos dedimus prædictis fratribus tres carrucatas terræ, unam apud villam nostram Aniliacam, aliam apud Larciniacum (*Vercigny près de la Fère*), tertium apud Capriniacum supra montem (*le mont de Chevergny*) ultra rivum Aquilam (*rivière d'Aigle*, aujourd'hui d'*Elle*), absque decimis eorumdem trium carrucarum. Quicunque hanc nostræ institutionis paginam et instrumentum infringere vel inquietare tentaverit, anathema sit, et iram omnipotentis Dei incurrat in die judicii.

Signum Bartholomæi Laudunensis episcopi.
Sig. Widonis decani et archidiaconi.
S. Radulphi archidiaconi.
S. Sifridi abbatis Sancti Vincentii.
S. Simonis abbatis S. Nicolai de Silva.
S. Bilihardi cantoris.
S. Drogonis presbyteri.
S. Herberti presbyteri.
S. Erhardi diaconi.
S. Godefridi diaconi.
S. Eliardi subdiaconi.
S. Widonis subdiaconi.
S. Roberti acolythi.
S. Roberti decani Sancti Joannis.
S. Jusfridi cantoris.
S. Hemmonis thesaurarii.
S. Henrici.
S. Valerii.

S. Gundranni, S. Hugonis. S. Roberti presbyteri ecclesiæ Sancti Martini. Sig. Helberti vice-domini. S. Clarebaldi de Foro. S. Nicolai castellani.

Actum est Lauduni in capitulo Beatæ Mariæ Laudunensis ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnat. 1121, indict. XIV, epacta nulla, concurrente V, regnante rege Francorum Ludovico, qui fratri Norberto et cæteris fratribus, in supradicto loco religiose viventibus concessit habendam in perpetuum quidquid datur et dabitur eis quod pertineat ad suum feodum.

Ego Radulphus cancellarius scripsi et subscripsi.

II.

Charta Bartholomæi episcopi transcribentis Præmonstratum beato Norberto.

(Anno 1121.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego BARTHOLOMÆUS Dei gratia Laudunensium præsul.

Cum ecclesia Sancti Vincentii locum qui Præmonstratus dicitur; qui ad propriam mensam episcopi pertinebat, ex dono prædecessoris nostri Elinandi episcopi haberet, sicut in ejusdem ecclesiæ privilegio continetur; monachi diu locum illum incoluerunt, et per multos labores nullum vel parvum fructum consequebantur : quod ego attendens, rogavi Adalberonem abbatem et monachos, ut locum supradictum mihi libere concederent, quatenus secundum voluntatem meam de eo disponere possem. Abbas autem et monachi petitioni meæ assentientes, quidquid in illo loco habebant mihi libere et sine contradictione concesserunt. Ego vero non ingratus eorum voluntati, concessi ecclesiæ Sancti Vincentii altare de Bariaco in perpetuum (salvo synodali jure) habendum. Dedi eis etiam dimidium modium frumenti ad molendinum quod apud villam situm est, quæ Broincurtum dicitur. Videns autem supradictum locum, qui Præmonstratus dicitur, religiosis viris utilissimum, fratri Norberto et subditis, et posteris ejus libere et sine contradictione in perpetuum concessi habendum. Frater vero Norbertus sicut alienæ rei minime cupidus, primitus noluit recipere, donec Seifridus abbas Sancti Vincentii et monachi ejus donum illud ei firmaverunt in capitulo, communi assensu. Quæ vero concessio, ne aliquo modo deinceps immutari posset, impressione nostræ imaginis, et sigillo Sanctæ Mariæ Laudunensis ecclesiæ, et

sigillorum Seifridi abbatis Sancti Vincentii confirmare curavimus.

Sig. Bartholomæi Laudunensis episcopi.

Sig. Seifridi abbatis Sancti Vincentii.

S. Simonis Sancti Nicolai de Silva.

S. Guidonis decani et archidiaconi.

S. Rodulphi archidiaconi.

S. Bilhardi cantoris.

S. Roberti decani Sancti Joannis.

S. Gaufridi cantoris.

S. Roberti præpositi Sancti Martini.

S. Herberti vice domini.

S. Clarembaldi de Foro.

S. Nicolai castellani.

Actum Lauduni in capitulo Sanctæ Mariæ Laudunensis ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis 1121 indictione xiv, epacta nulla, concurrente quinto.

Ego Radulphus Laudunensis Ecclesiæ cancellarius scripsi et subscripsi.

INDEX IN TOMUM QUARTUM RUPERTI.

Revocatur lector ad numeros crassiores textui insertos.

A

D

E

F

G

H

I

Q

R

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS

DE DIVINIS OFFICIIS LIBRI XII.

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS.

LIBER DECIMUS.

LIBER UNDECIMUS.

LIBER DUODECIMUS.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

FINIS TOMI CENTESIMI SEPTUAGESIMI.

Sancti Amandi. — Ex Typis DESTENAY.